~~M. IX. 17.~~

~~M. VIII. n° 27~~
L. n. 21.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 H
45 D
14

Digitized by Google

8. H5. 9. 14

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDI ADM. DOMINI

D. NICOLAI TURLOT,

SS. Theologiæ Licentiati, Eccleſiæ Cathedralis Namurcenſis Præpoſiti ac Vicarii Generalis.

THESAURUS
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

Quondam concinnatus; ſed demùm

A. F. MATTHIA KEIJL SS. Theologiæ Lectore Emerito, & Diffinitore Ordinis FF. Minorum Recollectorum, Provinciæ Colonienſis, recognitus, & Indicibus plurimùm neceſſariis auctus.

Primus eſt Rerum Notabilium, accuratior & copioſior eo, qui in prævijs Editionibus habetur. Alter eſt magno ſtudio primùm formatus pro Concionibus in Dominicas, & Feſta per Annum.

Tanquam Parvulis in Chriſto, Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis; ſed nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis. Epiſt. 1. ad Corinth. c. 3. v. 2.

BIBLIOTH. CONV. S. M. S. MINERVAM
ORD. PRAED.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud SERVATIUM NOETHEN, Anno M.DC. XCIX.
Cum Approbatione, & Permiſſu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPROBATIO CENSORIS.

Liber qui inſcribitur *Theſaurus Doctrinæ Chriſtianæ*, ab Auctore eruditiſſimo, ac Reverendo admodùm Viro Domino NICOLAO TURLOT, S.T.L. Eccleſiæ Cathedralis Namurcenſis Præpoſito, ac Vicario Generali Epiſcopatus ejuſdem ſanam, ac omninò pretioſam Chriſti Doctrinam complectitur, quæ ſui poſſeſſorem verè divitem ac beatum efficit. Digeſta eſt ea methodo, ut vix poſſit faciliori aut commodiori pro omnium captu, ſtatu, & profectu: tam luculenter tradita, ut ex hoc libro, tanquam ex cornu quodam copiæ depromi poſſit, quicquid ad Fidei Catholicæ dogmata dilucidè explicanda deſiderare licet. Ita Scripturæ ſacræ, OEcumenicorum Conciliorum, & SS. Patrum teſtimoniis roboratur, ut ad Fidem eandem ſecurè conſervandam, ſuadendamque ſufficiat. Ita denique ſacris Hiſtoriis & exemplis, ac intermixtis piis affectionibus adornatur, ut lectorem vehementer delectet, conſoleturque. Utiliter igitur luce publicâ donabitur *Theſaurus iſte*, in comparando diſtribuendoque facilis, in poſſidendo pretioſus, in promendo copioſus, in conſervando ſecurus, in utendo jucundus ac devotus. Ita cenſeo die 20. Aug. 1647.

R. DU LAURY Decanus & Offic. Namurcenſis Libr. Cenſor.

APPROBATIO CENSORIS MONTENSIS.

THESAURUM *hunc omninodâ rectâ Fidei & morum doctrinâ opulentum avidè perluſtravi, vidique utilem admodùm fore omnibus, maximè Dominis Paſtoribus, cui utinam oculos, manuſque indeſinenter apponant, & ſit eorum cor in hoc* THESAURO. *Ita Judico, voveoque Montibus Hannoniæ die 3. Aprilis, anno Domini 1653.*

THEODORUS PLICETTE
Sancti Nicolai Parochus, S. Theol. Licent. Lib. Cenſor ac Viſitator.

Benevolo Lectori.

MUnus catechizandi eſt primævum Eccleſiæ,& Apoſtolicum: tempore enim S. Pauli fiebat Catecheſis, ut patet ex *Epiſt. ejus ad Galatas, cap.6.v.6.* Imò Conciones Apoſtolorum ferè tantùm erant Catecheſes. Apoſtolos ſecuti ſunt SS. Patres, ut Cyrillus Hieroſol.cujus extant Catecheſes; Auguſtinus, qui ſcripſit librum de catechizandis rudibus; Gregorius Nyſſenus,qui edidit Orationem Catecheticam, quæ dicitur *Magna*, & alii. Ut meritò Joannes Gerſon, Cancellarius licet Pariſienſis,eo munere quaſi honorifico,veréque Chriſtiano perfunctus ſit, ipſeque pueros erudire,eorumque confeſſiones aſſiduè audire voluerit. Scripſit idem Gerſon Tractatum de pueris ad Chriſtum trahendis,qui extat part.2.Operum ejus; ubi ſe,ſuumque factum de pueris catechizandis defendit,atque inter cætera ſic ait: *Adeò jam indignum videtur apud multos,ſi quis ex Theologis,aut famoſus in litteris,vel Eccleſiaſticâ dignitate præditus ad hoc ſe opus inclinaverit,præſertim circa parvulos,quòd mihi in fabulam & improperium ceſſerit.Convincit autem illos exemplum Chriſti,qui, ſinite, inquit,parvulos venire ad me: talium enim eſt Regnum cælorum. O piiſſime Jeſu: quis ultrà poſt te verecundabitur eſſe humilis ad parvulos, quando tu,qui es Deus, uſque ad caſtiſſimos puerorum amplexus brachia manſuetus inclinas,atque circumligas?* Deinde obtrectatorem objectionibus ita reſpondet: *Sed dicunt, occupationem meam, (tanquam Cancellarii) in majoribus eſſe debere. Neſcio prorſus,ſi quidquam majus eſſe poteſt, quàm animas ab ipſis inferni portis eripere, & tales parvulorum animas quaſi plantare,aut rigare,partem non indignam horti Eccleſiaſtici. Sed aſſerunt, me in prædicationibus publicis iſta magnificentiùs operaturum. Id quidem fortè pompoſiùs; ſed meò judiciò,non efficaciùs, neque fructuoſiùs. nam quo ſemel eſt imbuta recens,ſervabit odorem teſta diu.* Concludit demum,& parvulos ad ſe invitat his verbis: *Venite ergo ad me parvuli, ego vobis doctrinam,vos mihi orationem impendetis: ſic Angelos noſtros viciſſim lætificabimus.* Vale tu mi Lector, & te juvantem, certè volentem, ama.

Digitized by Google

INDEX
IN THESAURUM DOCTRINÆ
CHRISTIANÆ.

A.

ACedia, & ejus remedia. Vide, Otium. 430
Adorandus eſt Chriſtus in Euchariſtia. 701
Actus adorationis. 455
Actus fidei, actus ſpei, actus charitatis. 451
D. Adriani divinum conſilium & conſtantia. 359
Adventus Chriſti quotuplex. 248
Adulatio grave peccatum. 634
Adulterium graviſſimum nefas. 563
Adulterium, & de prudentia Catechiſtæ in hac materia. ibid.
In adulterio vir gravius peccat, mulier periculoſiùs. 565
Adultus quid teneatur credere. 41
Advocatorum officium. 628
Æternitatis aliqualis declaratio. 161
Ad Æternitatem gemino ducimur ingreſſu, 701
Agnorum Dei antiquiſſimus in Eccleſia uſus. 477.
Agnorum Dei contemptus ex inſcitia procedit. 478.
Agnus Dei ſignificat Chriſtum Dominum. ibid.
Agnus item Paſchalis. 674
Agni Dei fructus & effectus ſecundùm diſpoſitionem utentis. 480
Alleluya quid ſignificat, & à quo in Eccleſiam emanavit. 132
Alleluya cur in Eccleſia tempore Paſchali frequentatur. ibid.
Altare ſepulchrum Martyris olim appellatum. 505
Altaria oſculari ſolebãt antiqui Chriſtiani. ibid.
Amicitiæ mundanæ in utilitate aut voluptate fundatæ, non ſunt veræ amicitiæ. 435
Ad veram amicitiam quatuor requiſita. 434
Amare Deum ex toto corde, quid. 438
Amarunt eum ſic varii Sancti. 431. 433. 437.
Amare Deum propter ſe quid? ibid.
Amandus ex toto corde, cur? 430
Vide, Charitas.
Actus, amoris Dei ſuper omnia. 435
Amor Dei perfectus quid, & in quo ſita ejus puritas. 436
Motiva ad Dei amorem. 438
Amoris proximi Exempla. 440
Angeli Cuſtodis in clientem varia officia. 59
Angelo ſuo quid debent Clientes. Exempla, ibid.
Angelorum Hierarchiæ tres. 55.
Angeli honorandi. 64
Angelus malus à bono qualiter diſcernatur, 66.
Angeli miniſtri divinæ juſtitiæ. 60. & 61.
Angeli morientes viſitant. Exempla. 62
Angeli Sacro libenter miniſtrant. 63
Angelorum numerus. ibid.
Angelorum officia bipartita. 57
Angelorum varia officia. 57. 85. & ſeq.
Angeli quid ſint. ibid.
Angeli venuſtiſſimi. Hiſtoria. 63
Angeli in locis ſacris libenter verſantur. 62
Angeli timendi malè agentibus. 61
Conſilium circa viſiones Angelorum. 66
Animæ rationalis dignitas. 18
Periculum & miſeria. ibid.

Ani-

Animæ peccatricis magna fœditas 242
Anima rationalis peccato periclitatur. 18
Animæ in gratia eximia ſpecies 242
Animæ Juſtorum ante reſurrectionem beatæ. 274.
Annuntiationis Feſtum ſolemne. 75
Antichriſtus futurus Judæus. 150
Antichriſti doctrina & mores. *ibid.*
Antichriſti infelix deſtructio. 151
Apoſtoli ex occaſione, non ex præcepto Chriſti ſcripſerunt. 36
Nec Apoſtoli, nec Evangeliſtæ omnia ſcripſerunt. *ibid.*
Apoſtoli Apoſtolicique viri orbem Evangelio imbuerunt. Exempla. 187
Apoſtoli diligenter annuntiarunt Chriſti reſurrectionem. 126
Apoſtatas execrati ſunt Sancti. 462
Aquæ luſtralis effectus. Exempla. 466
Aqua luſtralis delet peccata venialia. 467. & ſeq.
Dæmonis vires deprimit. 468. 470
Utile eſt agonizantes aquâ luſtrali aſpergere. 471.
Cur in introitu Eccleſiæ ſtatuitur vas aquæ luſtralis. 468
Arius hæreticus Filii Dei conſubſtantialitatem non credit. 74
Aſcenſionis Chriſti feſtiva gaudia. 140
Aſcenſionis locus miraculis illuſtratur 136
Aſcendit Chriſtus ut homo propriâ virtute. 134
Aſcendens in cœlum quid egerit. 138
Aſcendere in cœlum debuit. Cur? *ibid.*
Aſpectus impudici. 581 & ſeq.
Aſtrologiæ judiciariæ vanitas, peccatum & condemnatio. 485
Adoleſcentes proci qualiter in converſationibus ſuis cum amaſiis ſeſe habere debeant. 841
Annulus Sponſæ quid ſignificet. 844
Atheiſmus, maximum peccatum. 455
Quid Attritio. 752
Differentia inter Contritionem & Attritionem. *ibid.*
Avaritia eſt magnum peccatum. 615
Ad *Ave Maria* cur tribus vicibus pulſatur 192
Quando pulſatur *Ave Maria* quid agendum. *ibid.*
S. Auguſtinus cur gerit cor flammeum. [illegible]
Aureolæ tres in cælo, Martyrum, Doctorum, & Virginum. 273

B.

Baptiſmus quid. 646
Baptiſmus primum Sacramentum & maximè neceſſarium. *ibid.*
Baptiſmata tria quo ſenſu. 648
Baptiſmi cæremoniæ. 651
Baptiſmi effectus. 659 &c.
Baptizandi infantes antiqua & univerſalis Eccleſiæ conſuetudo. 646
Baptiſmi materia. 648
Benedictio Fontium baptiſmalium quibus cæremoniis perficitur. 649
Baptiſmi forma. 650
Intentio miniſtri. 651
Baptiſmi miniſter. *ibid.*
Parvuli non baptizati damnantur. 647
Aquæ uſus in Baptiſmo, naturæ valdè conſentaneus. 650
De ritibus Baptiſmum concomitantibus. 654
S. Barbaræ invocatio in mediis flammis. 278
Beatitudo quid. 264
Beatitudinis bona accidentalia. 269
In Beatitudine bona corporis. *ibid.*
Beatitudo multis nominibus appellatur. 264
Beatitudinis principale objectum Deus. 266
Beatitudinis objectum ſecundarium, humanitas Chriſti. *ibid.*
Beatitudo dicitur vita æterna, cur. 263
De Bello & conditionibus requiſitis. 561
Petimus à Deo, in oratione Dominica ut laborum manuum noſtrarum benedicat. 369
Benedictio cur menſæ adhibeatur. 295
Modus benedicendi menſæ. *ibid.*
Blaſphemia. 530
Blaſphemorum punitorum varia exempla 530 531
Beneficia collata à Chriſto in die Aſcenſionis. 140 141
Propter beneficia creationis & conſervationis tenetur homo ad gratitudinem, 67. 68
Benignitas donum Spiritus Sancti, & magnum

ſua-

Digitized by Google

Honeſtitatis indicium. 184
Bona temporalia licet à Deo petere. 369
Bona animæ & corporis in cælo, 166.168
Bonum prolis. 843
Bonum fidei. 844
Bonum Sacramenti. 845
Breviarium à Summis Pontificibus digeſtum. 419

C.

CAlviniſtæ non habent aliquam religionem. 705
Campanarum benedictio, pulſatio, & effectus. 329. & ſeq.
Campanis cur nomina imponuntur, 332
Campanæ ſua ſponte ſonant. 333
Cantus Eccleſiæ antiquiſſimus. 328
Cantus Eccleſiaſtici utilitates. ibid.
Cantica quid ſunt, & quot; 320
Continentia & Caſtitas quid, 586
Caſtitas Angelis grata. 60
Caſtitati contraria, convivia, ebrietas, &c. 574
Caſtitatis æſtimatio. 593. & ſeq.
Exempla Sanctorum qui caſtitatem coluerunt. ibid.
Caſtitas humilis orationis præmium. 596
Catechiſmus quid. 1
Catechiſmi antiquitas & excellentia. ibid.
Catechiſmi doctrina ſalutaris. 3 & ſeq.
Catechiſmus frequenter debet fieri. 10.11
Catechiſmi fructus. Exemplum in Abraham. 4
Catechizandi modus. 13
Ad Catechiſmum quinam obligentur mittere ſubditos. 5
Catechiſmo moventur etiam auditores. 9
Catechiſmi neceſſitas major, quam concionis. 10
De Catechiſmo Patres tractant. 5 11.12
Catholicus quis dicendus. 209
Catholici mali ſunt etiam de Eccleſia. 151
Cæli novi & terra nova quid. 166
Cæli ſecundùm Scripturam corruptibiles. ibid.
Cæli bona quæ? 161.162
Cæremoniarum Eccleſiæ fructus. 465
Cæremoniæ Eccleſiæ quomodò gratiam operentur. 466
Cereorum benedictorum fructus & uſus apud moribundos. 471.475
Cereos accendi ad Sanctorum ſepulchra, Deo gratum eſt. 502
Cerei benedicti qualiter ad honorem Beatæ Virginis ſpectent. 471
Cereorum uſus in Eccleſia antiquiſſimus & miraculis approbatus. 474
Charitas quid? 429
Charitatis elogia. 438
Charitatis præceptum eſt homini in hac vita poſſibile. 438
Chorearum funeſti exitus. 580
Choreæ quæ licitæ, quæ illicitæ. 579
Sacrum Chriſma à ſolis Epiſcopis benedicitur. 666
Chriſtianus quis. 23
Chriſtianum eſſe maxima dignitas, ei omnia poſtponenda. Exempla. 21 22
Chriſtiani exercitia. 454
Chriſtiani in quo debent convenire circa fidem. 14
Inter viros Chriſtianos alii boni, alii mali. 24
Chriſtiani hominis duplex ſignum: externum ſignum crucis, internum charitas. 25
Chriſtianus tenetur ſcire Symbolum memoriter. 42
Chriſtianus adultus quid credere debeat. 41
Chriſtus quid ſignificat. 71
Chriſtus cur aſcendit in cælum. 134.137
Chriſtus ut homo aſcendit propriâ virtute in cælum. 134
Chriſtus quomodo dicitur in cælum aſſumptus, ibid.
Chriſtus Dominus Propheta & Sacerdos, 72
Chriſtus Dominus Rex. ibid.
Chriſtus Filius Dei unicus. 73
Chriſtus Filius Deo Patri æqualis. Similitudines. ibid.
Chriſti corpus quo inſtanti in utero B. V. formatum. 75 & 84

Chri-

Chriſtus in ſpinea corona crucifixus. 100
Chriſtus crucifixus facie ab Hieroſolymis averſâ. 101
Chriſtus cur moriens caput inclinat. 108
Chriſtus quos cruciatus pertulit in corpore. 93.
In Chriſto nulla naturarum confuſio. 75
Chriſtus cur tam dira pati voluit. 107
Chriſtus cur nudus crucifixus. 99
Chriſtus cur voluit naſci ex Virgine, & deſponſata Fabro. 86.
Chriſtus omnia tormentorum genera pertulit 93.
Chriſtus cur tormentum crucis ſubire voluit. 95
De ſepultura Chriſti. 115
Chriſtus cur ſepeliri voluit. 116
Chriſtus cur honorificam ſepulturam admiſit. ibid.
Chriſti ſepulchrum glorioſum qualiter. 117
Peregrinatio ad ſepulchrum Chriſti frequens apud Chriſtianos. 118
Chriſtus ad Inferos cur deſcendit. 124
Chriſtus reſurgere quare voluit. 128.129
Chriſtus multis argumentis probavit reſurrectionem. 135
Chriſtus quare voluit tertia die reſurgere. 128.
Chriſtus duplicem nobis meruit reſurrectionem. 254
Chriſtus reſurrexit poſt medium noctis, & congruè. 129
Chriſtus cur voluit retinere cicatrices vulnerum poſt reſurrectionem. 127
Chriſtus quid locutus eſt de regno Dei poſt reſurrectionem. 135
Chriſti reſurrectio unum è Præcipuis myſteriis Fidei. 126
Cinerum benedictorum antiquus uſus, & quid ſignificent in capite poſiti, quos effectus, & quomodo operentur. 19.&475
Cogitationes moroſæ. 572
Cogitationum moroſarum confitendi modus. 573
In cogitationibus moroſis quæ mora attenditur. ibid.
Cognatio ſpiritualis quid. 835
Cognationis ſpiritualis gradus. ibid.
Cognationis naturalis gradus. ibid.
Cognitio ſui utilis. 17
Beata Colera multis morbis afflicta. 104
Communicabant primi Chriſtiani ſingulis diebus. 733
Circa Communionis frequentiam diverſa diverſis temporibus decreta emanaverunt. ibid.
Triplex dignitas Communionem frequentantis. 737
Communionem frequentem probarunt Sancti Patres. 734
Melius eſt ex amore ſæpiùs, quàm ex timore rariùs communicare. 735
Ad Communionem frequentem probandam rationes & ſimilitudines familiares. 736
Contra frequentem Communionem diſſolvuntur argumenta. 737
Ad Communionem obligantur Fideles cùm ad annum diſcretionis pervenerint. 752
Communio laicorum ſub una ſpecie. 759
Communicare in mortali grande peccatum. 752
Malè Communicantibus malè cedit. 751
Ad Communionem ſe præparandi modus pro non celebrantibus. 729
Ante Communionem tria puncta. 730
Item poſt Communionem. 731
Communionis Sanctorum mali Catholici etiam participes. 212
Communio Sanctorum commendat charitatem Eccleſiæ. ibid.
Communio Sanctorum in Eccleſia quid. 210
Similitudo explicans Communionem Sanctorum. 211
Concionatores propoſitum emendationis ſeriò inculcare debent. 279
Concupiſcentiæ motus involuntarii. 636
Quæ concupiſcentia prohibetur. ibid.
Confeſſarii approbati eſſe debent. 790
Confeſſarius qualis eligendus. 368
Confeſſarius debet eſſe doctus, prudens, bonus 791
Confeſſarius unus ordinariè retinendus. 794
Confeſſariorum ignatorum modi agendi damnati. 767
Confeſſio Sacramentalis Catholicorum non eſt difficilior Calviniana ſoli Deo facta. 785

In

Digitized by Google

In Confeſſione circumſtantiæ peccatorum aperiendæ. 766
In Confeſſione complices peccati non ſunt nominandi. 764
Confeſſio ab Eccleſiæ initio uſitata. 763
Controverſia hæreticorum de Confeſſione Sacramentali. 782
Pro Confeſſione Sacramentali Patrum Græcorum & Latinorum authoritates. 786
Confeſſio generalis nonnullis diſſuadenda, aliis permittenda, aliis præcipienda. 774
Confeſſionis generalis inſtituendæ modus. 776
Confeſſio generalis non eſt inventum novum. *ibid.*
In confeſſione numerus peccatorum declarandus. 765
Confeſſionis neceſſitas. 763
Ad Confeſſionem tenentur pueri doli capaces. 780
Omnes Fideles tenentur ſaltem in anno. *ibid.*
Rudes Chriſtiani in Confeſſione adjuvandi, & quomodò. 454
Confeſſionem ſæpiùs frequentare expedit. Exempla & Similitudines. 781
De Confeſſione verus intellectus Hiſtoriæ Sozomeni. 787
Confeſſionis virtus contra luxuriam. 599
Confeſſionis generalis utilitates. 774
Confiteri cum rubore adducit gloriam. 599
Multi non confitentur integrè ex quatuor capitibus. 766. & ſeq.
Confirmatio eſt Sacramentum. 661
Confirmatio quid. 662
Cæremoniæ Confirmationis. 667
Confirmationis effectus. 668
Confirmationis forma. 667
Confirmationis materia. 665
Conjuges individuè ſibi adhærere debent. 844
Conjuges qualiter ſanctè utantur matrimonio. 843
Cõjugibus nõ omnia licent in matrimonio. 144
Conſecratio ſub duabus ſpeciebus duas ob cauſas. 699
Conſenſus contrahentium de præſenti. 837
Converſationis beneficium magnum. 64
Conſilii donum quid. Exempla. 179
Contritionis actus. 754. &c.
Contritionis efficacia. *ibid.*
Contritionis motiva. 7[illegible]
Contritionis motiva urgentiora. 759
Contritio quid, an ſemper neceſſaria. 752
Contritioni aſſueſcere conſultum. 753
Convivium cœli. 267
Convivia antiqua Chriſtianorum. 376
Qui conviviis potiſſimùm abſtinere debent. 375
Convivia nuptialia. 845
Concubinarii. 567
Contumelia grave peccatum. 633
Copula conjugalis an liceat omni tempore. 840
Corpus domandum exemplo Sanctorum. 20
Corpus mortale eſt homini cauſa humilitatis. 19
Creator quis dicitur. 55
Circa Creationem mundi Manichæorum deliria. 56
Credere in Deum quid. 52
Credibilitas evidens myſteriorum ſufficit ad benè credendum. 44
Credere firmiter quid. 34
Credendi & retinendi omnes articuli ab Eccleſia propoſiti. 24
Primum ſignum credulitatis myſteriorum Fidei, miracula. 45
Secundum ſignum, miracula Prophetarũ. *ibid.*
Tertium antiquitas Scripturarum. *ibid.*
Quartum, Chriſti dignitas & præſtantia. *ibid.*
Quintum, vitæ probitas prædicantium. *ibid.*
Sextum, Dei providentia. *ibid.*
Crucis ſignum compendium Symboli credendorum. 26. & 31.
Cruces omnes ſpirituales non æqualiter bonæ. 106.
Cruces cur ubique eriguntur. 30
Cruces multas cur Deus amicis immittat. 105
Crucem ſuam ferendam omnes Chriſtiani habent. 103
Cruces ſuas patienter Sancti tulerunt. 104
In Cruce ferenda Deus afflictos juvat. 105
Sanctæ Crucis figuræ in veteri Teſtamento. 101
Signi Crucis figuræ. 25
Crucis quinam inimici. *ibid.*
Crucis ſignum oderunt hæretici. 30
Supplicii Crucis infamia. 97
Signi Crucis uſus Deo gratus. 29
Signi Crucis uſus menſæ præmittendus. Exempla. *ibid.*

Digitized by Google

Signi Crucis uſus antiquus. Exempla. 30
Crucis ſigno fructuoſè utuntur Fideles. Exempla. *ibid.*
Crucis ſigno cur multi ſine fructu utuntur. 31
Crucis ſigno cur frequenter utendum. 28 & 29
Signum Crucis efficax oratio. 28
Crucis ſignum traditur morituris. 30
Crux apud Chriſtianos in magna æſtimatione. 97 & ſeq.
Crux duplex, una materialis, alia ſpiritualis. 103

D.

Damnandi plures Catholici, quàm ſalvandi. 278
Damnati non dicuntur eſſe in vita æterna. 263
Debita noſtra duo diſſolvenda, quomodò. 163
Decalogi leges cæteras excellunt. 447
Magno apparatu latæ. *ibid.*
Decantare laudes Dei nobiliſſimum officiũ. 57
Decimæ omni jure Eccleſiæ debitæ. 612
Decumbendum quomodò. 294
Dæmoni quomodò reſiſtendum. 65.383
Dæmonum aſtus plurimi. 383
Dæmon abominatur locum Capitularem. 391
Dæmones honoris divini appetentiſſimi. 482
Dæmones quomodò occulta norunt. *ibid.*
Dæmonum ingens numerus, & eorum occupatio. 383
Dæmones ſuperbiâ perierunt. 65
Defunctorum commemoratio quâlibet feria ſecundâ. 226
Defunctorum commemoratio ſecundâ Novembris. 228
Defunctos juvare eſt magni meriti. 226
Exempla. *ibid.*
Pro Defunctis libenter orandum. 228
Deſerimus Deum, quomodo. 382
Ne deſerat nos Deus quid agendum. *ibid.*
Deſperationis peccato variè peccatur. 283
Deſperabundis proponenda Dei miſericordia. *ibid.*
Detractio. 550.631
Detractiones andire, quale peccatum. 632
Cum detractoribus quomodo ſe gerendum. *ibid.*
Devotio vera quid. 303
Deus, quid. 16
Deus ab æterno in ſeipſo Beatus. 68
A Deo auxilium contra dæmonem ſpera. 65
Cur Deus creavit omnia. 56
Deus ſolus Cordiagnoſtes. 483
Deum eſſe docent omnes creaturæ. 15.16
Deum eſſe Fidei articulus. 14
Deus futura omnia contingentia prævidet. 483
Deus gubernat omnes creaturas. 68
Deus incorporeus. 16
Deo membra attribuuntur, quomodò. 16
Deus quomodò mortuus. 91
Deus Pater prima perſona Trinitatis. 53
Dei omnipotentia quid. 54
Deus Pater Fidelium adoptione. 52
Deus Pater omnium creaturarum, quomodò. *ibid.*
Deus Pater hominum creatione. *ibid.*
Deus remunerator bonorum. 16
Deus cur unus. *ibid.*
Diabolus malus præcipuè ob tres cauſas. 390
Diaboli per Chriſti paſſionem quam debiles effecti. 382
Diaboli ira in homines ob 4 cauſas. 379
Diabolus transfigurat ſe in Angelum lucis. Exempla. 66
Diabolus Crucem timet. Exemplum. 27
Diaboli potentia qualiter conculcanda. 381
Diligere Deum propter ſe, quid. 455
Dimitte nobis debita noſtra, quo ſenſu poterat dicere B.V. 377
De bonis Matrimonii. 845
De diſpoſitionibus ad Matrimonium. 841
Diſtractiones in oratione. 302
Remedia contra eas 305
Dives difficilè intrabit in cælum. 615
Divitibus modeſtia erga pauperes eſt ſervanda. 19
Divitibus ſeptem præcepta à S. Paulo. 615
Divitiarum uſus legitimus. 369
Doctrinæ Chriſti ſumma. 90
Dominica dies cur ſic dicta. 533
Dominicæ principales tres, Palmarum, Paſchæ, & Pentecoſtes. 539
Dominica dies quomodò ſanctificanda. 535
Dominus vobiſcum in Miſſa cur ſepties dicitur. 407
Dotes quatuor in corporibus Beatorum. 279

De

De duello, & mundi ſtolidi de duellis ſtolida judicia. 561

E.

EBrietatis curandæ modus. 578
Ebrietatis mala, & ſigna. 577 578
Eccleſia Apoſtolica. 209
Eccleſia quid eſt, 190
Eccleſia tripliciter dicitur Catholica. 208
Eccleſiæ Catholicæ mira doctrinæ concordia, 51
Eccleſiæ tres dotes à Spiritu Sancto. 190
Eccleſiæ infallibilitas circa res Fidei. 34
Eccleſiæ immunitas in tribus cernitur. 506
Eccleſia Catholica deficere non poteſt. 201
Eccleſiæ incrementa hæreſes & perſecutiones attulerunt. 202
Eccleſia per ſententiam Pontificis judicat de controverſiis Fidei. 39
Eccleſia militans quo tempore cœpit. 200
In Eccleſia Catholica ſola miracula. 207
De Eccleſia non eſt qui Pontifici non adhæret. 200
Eccleſiæ regimen ſub uno Paſtore unitatem ejus commendat. 203
Eccleſia multis modis dicitur ſancta. 206
Eccleſiæ nunquam deſunt ſpiritus Prophetiæ. 208
Eccleſia Chriſti viſibilis. 201
Eccleſia Chriſti unica, & duæ partes, nimirum militans & triumphans. 200
Eccleſia una. 203
Uni Eccleſiæ adhærendum. 189
Eccleſia uxor Agni. 169
Eccleſias dedicare ad Dei & Sanctorum honorem uſitatum à primo Eccleſiæ naſcentis tempore. 503
Eccleſiam conſecratam immundus ſpiritus in porci ſpecie deſerit. 504
Eleëmoſyna quid. 619
Eleëmoſyna in præcepto duobus caſibus. *ibid.* & ſeq.
Eleëmoſynæ fructus corporales. 623
Eleëmoſynæ fructus ſpirituales. 624
Eleëmoſynæ duo genera. 620
Eleëmoſyna eſt ſemen. 614
Emendationis vitæ propoſitum efficax res difficilis. 278 757
Emendationis propoſitum multis deeſt. 279
Emendationis propoſitum quid requirit. 760
Ephemeridum compoſitores quatenus recepti. 485
Epiſcopi Presbyteris ſuperiores. 831
Epiſcopus cur dicit primâ vice, Pax vobis. 410
Epiſcoporum obligatio circa Catechiſmum tradendum. 5
Evagationes mentis peſſimæ quæ ſint. 361
Evangelium Chriſti excellit omnem doctrinam. 91
Euchariſtiæ definitio & etymon. 670 671
Euchariſtia adoratur cultu latriæ. 701
In Euchariſtia Chriſtus etiam ſub minima particula. 699
De Euchariſtia controverſia hæreticorum. 695
Euchariſtiæ duodecim effectus. 740
1. Unimur Chriſto.
2. Peccata tolluntur.
3. Animi perturbationes ſedantur.
4. Præſervat à peccatis.
5. Valet ad expurgandas tentationes.
6. Auget gratiam.
7. Accendit amorem Dei.
8. Conſolationem ſpiritualem præbet.
9. Dat pignus futuræ gloriæ.
10. Sanitatem corporis confert.
11. Mentem illuminat.
12. Eſt viaticum noſtræ peregrinationis.
Euchariſtiâ exercetur Fides noſtra, roboratur & augetur ſpes noſtra, excitamur ad Dei amorem. 681. 683
Figuræ veteris Teſtamenti, circa Euchariſtiam. 684. & ſeq.
Forma Sacramenti Euchariſtiæ. 684
Euchariſtia Sacramentum valet contra impuritatem. 600
Euchariſtiæ inſtitutionis rationes. 682
Euchariſtiæ Feſtum inſtituitur ab Urbano IV. & quare. 743
Euchariſtiæ Sacramenti materia. 683
Circa Euchariſtiam facta miracula. 690. & ſeq.
Euchariſtia panis eximius. 368
Contra Euchariſtiæ veritatem rationes hæreticorum, & reſponſio ad illas. 692. & ſeq.
In Euchariſtia non manet ſimul panis cum cor-

Digitized by Google

corpore Chriſti. 699. 700
Euchariſtiæ ritus & oblatio. 703
Euchariſtia non tantùm Sacramentum, ſed etiam Sacrificium. 703
Euchariſtia Sacramentum quomodò differat ab Euchariſtia ſacrificio. 706
Euchariſtiæ virtute S. Catharina Senenſis ſupra modum ſancta. 601
De veritate Euchariſtiæ. 685
Veritatem Euchariſtiæ omni tempore Patres docuerunt. 686 & ſeq.
In Examine pro confeſſione quæ diligentia adhibenda. 767
Examen juxta decem præcepta Decalogi 768
Examinandi conſcientiam ante Confeſſionem varia methodus. 768
Examen reſpectivum. 294
Excommunicandi poteſtas in Eccleſia. 213. & ſeq.
Excommunicati abſolvi poſſunt etiam poſt mortem. 215
Excommunicati privantur ſepulturâ ſacra. Exemplum & quare. 215
Exercitia ſpiritualia & utilitates inde manantes. 339
Extrema Unctio quid. 800
Extrema Unctio nemini danda, niſi gravi morbo afflictus ſit. ibid.
Extrema Unctio ægrotis adhiberi debet tempeſtivè. ibid. & ſeq.
Extremæ Unctionis effectus. 802
Extrema Unctio poteſt iterari in diverſo vitæ periculo. 800
Peſtiferis miniſtratur. ibid.
Pueris quâ ætate danda. 801
Pueri & amentes non inungendi. ibid.
Extremam Unctionem negligens in periculo animæ verſatur. ibid.
Quæ partes ungendæ. 802
Recepturus hoc Sacramentum qualiter debet eſſe diſpoſitus. ibid.
Extremæ Unctionis utilitas. 801

F.

Falſum teſtimonium peccatum grande. 627
Octavum præceptum de falſo teſtimonio, quid prohibeat. 626
Feſta cur celebrata. 540
Feſta celebrare docuerunt nos Sancti. 537
Feſta ritè celebrantium fructus, & pœnæ violantium 537. 538
Fides quid. 31. 32.
Fide juſtificati hominem quid eſt. 34
Mirabiles converſiones ad Fidem. 32
Fides ſola non ſufficit ad ſalutem. 33
Fidei actus heroicus, confiteri divinitatem Chriſti. 69
Quandonam Fidei, ſpei & charitatis actus eliciendi. 454
Fide divina quid credendum. 34
Fidem deſerere vel reſpuere, ſumma ſtultitia. Exemplum de Leovigildo Rege. 22
Fides integra in Chriſtum qualis eſſe debet. 165
Quæ ſunt Fidei, non ſunt evidenter nota. 44
Fidem & Religionem ſuam occultare interdum licet. 461
Fidem oppugnantes, miſerè moriuntur. Exempla. 50
Fidei propagatio ab hominibus infimis. 51
De Fide ſpeciali, ſive inani fiducia controverſia. 234
Figura mortis Chriſti. 91
Filii Dei adoptivi. 73
Filii quid debeant parentibus. 541. & ſeq.
Filia quæ contraxit inſciis & inconſultis parentibus, non poteſt eo nomine exhæredari. 839
Finis hominis excelſus & ſublimis. 17
Fines honeſti actus conjugalis. 839
Fœminarum cultus inordinatus. 585
Fœmina damnatur potiſſimum ob quatuor peccata 780
Fœminarum opus Lanificium & Linificium 509
Fœminæ introducentes cultus inſoliti novitates, peccant graviter. 586
Fœminarum luxus maximè dedecet in templo. 587
Fomes peccati propriè peccatum non eſt. 241
Fornicatio ſimplex naturæ inimica. 566
Fornicatio ſimplex peccatum mortale. ibid.
Fornicatio ſimplex prohibita in lege veteri. ibid.
Fortitudo Chriſtiana in quo ſita. 179
Exempla. ibid. & 416
Fortitudinis donum quid & quomodò poteſt comparari. 178
S. Franciſcus & aliqui alii magnâ devotione Nati-

Digitized by Google

Nativitatem Chriſti celebrarunt. 82
S. Franciſcus perfectam ſui cognitionem habuit. 17
S. Franciſci expoſitio Orationis Dominicæ. 397
S. Franciſci exacta Religionis obſervantia 317
De S. Franciſco varia. 20.62.590.620
S. Franciſcus noluit fieri Sacerdos. 832
Furti definitio. 609
Furta famulorum. 610
Furti quantitas notabilis & mortifera. 611
Sacrilegium in materia Furti. 612
Furti aliæ ſpecies. 614
Fructus gratiæ Sacramentalis. 841

G.

GAbriel quid ſignificet. 399
Gabriel cur non ſalutat Mariam proprio nomine. 405
Gaudium ſpirituale differt à mundano. 182
Gratiarum actio poſt menſam. 293
Gratia vita ſpiritualis animæ. 242
Gratia Dei in homine lapſo qualis. 280
Gratiæ indicia moraliter certa. 435
Gratiæ vis admirabilis. 598
S. Gregorii Magni zelus animarum. 9

H.

HÆreſis, quid. 191
Qui dicendi Hæretici. *ibid.*
Nomina Hæreticorum. *ibid.*
Hæreſeos nota peſſima, calumnia. *ibid.*
Hæreſis ſerpit ut cancer. 459
Hæreſes contra impuritatem virginei partus. 86
Hæretici non ſunt Chriſtiani. 24
Doctrinæ Hæreticorum abſurditas. 49
Hæretici nihil credunt fide divinâ. 46
Hæreticorum conciones vitandæ. 458
Hæretici convincendi puritate vitæ. 195
Cum Hæreticis non eſt diſputandum. *ibid.*
Hæretici Eccleſiæ judicium ſubterfugere non poſſunt.
Hæretici fugiendi exemplo Sanctorum. *ibid. & ſeq.* 194
Qui fructus Hæreticorum. 196
Hæretici in ſua doctrina inconſtantes. 47
Hæreticorum libri comburendi. 459
Hæreticorum libros non retinendos, miraculo probatur. 198
Hæreticorum Magiſter dæmon. 457
Hæretici nulla patrarunt miracula. 45
Hæreticis impoſſibile eſt ſervare Dei mandata. 448
Hæretici morientes pro errore ſuo non ſunt Martyres. 49
Hæretici ad rebellionem contra Principes proclives. 48
Hæretici contumaces poſſunt neci tradi. 194
Hæretici Scriptura perverſè utuntur. 37
Hæreticorum religio ſimilis Turcicæ. 47
Quolibet Hæretico meliori loco eſt nequiſſimus Catholicorum. 197
Apud Hæreticos nulla devotio. 466
Homicidia occulta revelat Deus. 557
Homicidium eſt peccatum in cælum clamans. 556
Homicidii quinam ſint rei. 558
Homo Dei imago. 17
Homo tenetur benè uti creaturis, & quomodò. 68
Hominis definitio explicatur. 18
Homines cur interdum Dei vocantur. 17
Hominis miſera conditio. 364
Quatuor ætatum Hominis propria vitia. 380
Homo ad gratitudinem tenetur propter beneficia creationis & conſervationis. 67
Horæ canonicæ pertinent ad publicam orationem. 312
Horarum canonicarum author quis. *ibid.*
Originem habent ab Apoſtolica traditione. *ib.*
Horæ canonicæ cur Officium divinum & Eccleſiaſticum appellatæ. 316
Septem Horarum canonicarum ſignificatio. 313
Humanitati Chriſti divinitas quando conjuncta. 87
Humanum genus lapſum eſt 25. Martii, & 25. Martii reparari cœptum. 402
Humanum genus non potuit per creaturam redimi. 82
Humani generis hoſtes. 378
Humani corporis vilitas. 69

Digitized by Google

I.

INceſtus. 568
Idololatria quid ſit. 511
Idola Sancti ſunt execrati. 513
Idololatriæ origo, & proceſſus. 514
Jejunium cur indixit, & obſervandum præcepit Eccleſia Catholica. 796
Controverſia hæreticorum de Jejunio. *ibid.*
Argumenta contra Jejunium diſſolvuntur. 798
JESUS qualiter fuit unctus. 71
JESU nomen quare habetur in tanto honore. 70
JESU nomen reverendum. Exempla Sanctorum. 69. & 70
Utile eſt honorare nomen JESU, Exempla. 70
Ignis infernalis meditatio extinguit igneam concupiſcentiæ. 608
Ignorantia quæ excuſat pœnitentem. 773
Imagines adorantes Catholici, non ſunt idololatræ. 511
Imagines effigi Deus non prohibet in Decalogo: earum utilitates. 508
Imaginibus honorem impenſum diabolus invidet, & cur cupit eas abolere. 509
Imagines Divæ Virginis honorandæ, & punitio blaſphemiæ. 418
Impudicitiæ epitheta. 593
Incarnari Filium Dei, conveniens fuit. 79
In Incarnatione, cur Chriſtus ſine Patre. 76
Incarnatio cur tam diu dilata. 80
Incarnatio cur Filio attribuitur. 79
Incarnatio cur attribuitur Spiritui ſancto. 78
Incarnatio facta operatione Spiritus ſancti. 77
Incarnatus cur eſt Filius Dei. 79
Ex Incarnatione Chriſti fructus colligendus. 88
Incarnatio magnifacienda. 80
Incarnatio myſterium undequaque maximum. 89
Incarnationis myſterium præ cæteris Eccleſia veneratur. *ibid.*
Incarnationis myſterium: qualiter & quando perfectum fuit. 75
Myſterii Incarnationis prærogativæ. 78
Ordo myſterii incarnationis. 87
Indulgentiæ quid ſunt. 216
Indulgentiarum uſus antiquiſſimus. 219
Indulgentias defunctis applicare, eſt antiqua conſuetudo. 220
Indulgentiæ ad Communionem Sanctorum pertinent. 217
Indulgentiæ pro defunctis 219
Indulgentiæ non ſemper fuerunt liberaliter conceſſæ. 218
Differentia inter Indulgentiam pro vivis, & pro defunctis. 219
Indulgentias conferre quibus competit. 218
Poteſtas Indulgentiarum in ſola Eccleſia Catholica. 217
Indulgentia alia plenaria, alia non plenaria. Item & Jubilæum. 219
De Indulgentiis Catechiſmi. 15
Indulgentiæ de Portiuncula à Domino datæ, per Pontificem confirmantur. 221
Diſpoſitio neceſſaria ad lucrandas Indulgentias. *ibid.*
Conſultum eſt bonam operam dare lucrandi Indulgentias. 220
Studere oportet lucrandis Indulgentiis. 424
Duas ob cauſas voluit Deus ſatisfactionibus Sanctorum theſaurum conſtare. 222
Theſaurus Eccleſiæ eſt maximus, unde Indulgentiæ deſumuntur. 216
Infernus. 811
Novem capita unde damnati puniuntur, ſcilicet, Tenebræ, Fletus, Fames, Fœtor, Ignis, Vermis conſcientiæ, Locus & Societas, Deſperatio, Æternitas. *ibid & ſeq.*
Vermis conſcientiæ ex tribus potiſſimùm oritur. 816
In Inferno ſocietas infamis, ac ſummè deteſtabilis. 818
Quatuor loca ſubterranea Inferorum nomine appellata. 813
Infirmitas corporalis interdum animæ utilis. 392
Infirmis orationes jaculatoriæ frequentandæ. 805
Vide Oratio. *ibid.*
Infirmo moribundo Crucifixum in manibus tenenti ſuggerenda. 807
Variæ Oratiunculæ. 805 *& ſeq.*
Infirmos viſitare magni meriti. 803
Inimicis ignoſcendum eſt. 375. 441

Inju-

Digitized by Google

Injuriæ remittendæ ſunt. 375
Ad Innocentiæ ſtatum recuperandum ſtultus conatus. Exempla. 238
Donum Intellectus. 179
Invidia nulla in cælo. 270
Irreligioſitas. 514. & ſeq.
Introitus triumphalis Chriſti in cœlum. 142
Intellectus donum quid impertiatur. 179
Sancti Joſephi ſanctitas 76
Sanctus Joſeph Pater Chriſti jure Matrimonii, & authoritate, licet non ſit Pater generatione. ibid.
Sancto Joſepho nomen Patris glorioſum ibid.
Jubileum magnifaciendum. 219
Judæi ſua expectatione fruſtrati. 98
Judicii futuri ſigna. 149
Judicii extremi locus. ibid.
Judicium quare in terra fiet. ibid.
Judicandi poteſtas cur Filio attributa. 147
Judicium generale cur additur particulari. 164
Judicii dies remanet ignotus. 147
Judicium particulare. 810
Judicium extremum erit horribile. 153
Judicii divini horrorem Sancti conceperunt. 145
Judicii timore multi in melius ſunt converſi. 146
De Judicii rigore. Exemplum. 160
Judicii dies frequenter olim prædicabatur 144
Judicabuntur priùs electi quàm reprobi. 159
In Judicio quæ diſcutienda. 154
Judices plures erunt in Judicio, quomodò 153
In Judicio qui accuſatores & teſtes futuri. Exempla. 154
Dum Judicio contendimus, qualiter nos habere oportet. 375
Juliani apoſtatæ impietas. 462
Jurarunt Deus & Sancti. 520
Jurare licet per creaturas. 524
Juramenti falſi horrendum Exemplum. ibid.
Juramenti circumſtantiæ tres. 521
Remedia contra pravam conſuetudinem jurandi. 525
Juramenta omnibus ſervanda. 523
Quomodò intelligendi qui videntur juramentum omne prohibere. 520
Jurare falſum ſcienter, magnum peccatum. 523
Juriſdictio ordinaria. 790
Juriſdictio delegata. ibid.
Juſtitia originalis quid. 238
Omnes fuimus in Adam privati Juſtitiâ originali. ibid.
Sicut miſericordiæ, ita Juſtitiæ Dei non eſt numerus. 162
Fieri poteſt ut Juſtus hîc ſemper gaudeat. 182
Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum. 843

L.

LAchrymæ pœnitentiæ ſunt remedium contra periculum judicii. 157
Laudes Dei canendæ ſunt ex amore ejus. 57
Lætitia electorum audita ſententia judicis. Exempla. 158
Lectio pia. 596
Ob Libidinem homines mente excæcantur. 567
Ligaturæ, & ertones improbi, vulgò Ægyptii. 487
Libri rationum; & hi aperti. 157
Lignum vitæ. 672
Linguæ malæ duodecim damna. 645
Linguæ igneæ quid ſignificent. 187
Litaniæ majores & minores. 323
Litaniarum & Proceſſionum fructus. 324
Loca ſacra ſub Angelorum cuſtodia. Exempla. 60
Luxuriæ octo remedia. 591
Contra Luxuriam remedium Litaniæ. 605
Luxuriæ remedium frequentatio Sacramentorum. 598
Lumen ardere debet coram Venerabili Sacramento, aliàs grave peccatum eſſet. 472
Luminaria cur ad Evangelium deferuntur. 473

M.

MAgiſtratus tenentur auxilium præſtare Catechiſmo. 4
Unde illa obligatio oriatur. 5
Mala ſunt in triplici differentia. 370
A Malis omnibus non poſſumus hîc liberari. 392
A Malis multi petunt præpoſterè liberari. 390
A Malis omnibus non petimus abſolutè liberari. ibid.

Con-

Contra Maleficia remedia. 488
Mandata Dei memoriâ tenenda. 446
Obſervationis Mandatorum Dei fructus 449
Ad Mandata Dei ſervanda, multis rationibus ſuademur, iſtis verbis: Ego ſum Deus tuus, *&c.* 450
Manna ſignificabat Euchariſtiam. 677
Manſuetudo quid. Exempla. 184
Vox Maria quid ſignificet. 403
Nomini Mariæ qua ratione honos deferendus. 404
Plenitudo B. Mariæ, quæ: quàm ſancta fuerit, & quantum colenda. 406
Unde Maria vocatur Mater miſericordiæ. Quia ſcilicet invocantibus multa beneficia præſtat. 493
Maria invocanda à mulieribus in puerperio. 85
Maria Virgo poſt partum. 84
Non potuit Deus Matrem meliorem, imò creaturam facere, quàm ſit Dei Mater. 407
Mariæ fuit privilegium, Chriſtum ex ea Virgine naſci. 81
Martii 25. Chriſtus eſt mortuus. 109
Martyres futuri multi in fine mundi. 151
Martyrum conſtantia, eſt ſignum credibilitatis myſteriorum fidei. 48
Quanti ardores in Martyrii candidato. 437
S. Monicæ prudens conſilium. 846
Matrimonium eſt Sacramentum novæ Legis. 834
Ad Matrimonium tria eſſentialiter requiſita 835
Matrimonium inire cogentes minùs liberè, ipſo jure excommunicati. 838
Ad Matrimonium conſenſus Parentum quatenus requiſitus. 838
Matrimonium celebratum in facie Eccleſiæ ſine conſenſu Parentum eſt validum. 839
Matrimonii fines duo principales. *ibid.*
Matrimonium impedimenta dirimentia. 835
Matrimonium impedimenta impedientia. 836
Mariti officia præcipua. 845
Uxoris officia. 856
Qualiter conjuges ſanctè Matrimonio utantur. Exempla. 843
Mediator alius eſt principalis & primarius, alius ſecundarius. 491
Meditationis Paſſionis Chriſti utilitas. 109
Mendacium triplex. Omne mendacium vetitum. 629
Mendacium perniciosum. 630
Mendacium eſt peccatum diabolicum. 631
Reſtrictio Mentalis. 630
Mendici Dei ſunt etiam divites. 368
Mendicantes validi. 611
Mercator. 614
Miſericordia ſuperexaltat ejus judicium. 518
Miſericordiæ opera corpor & ſpiritualia 620
Miraculorum & mirabilium differentia. 484
Miracula fiunt in ſola Eccleſia Catholica. 45. 207
Miſſæ ſacrificium idem eum ſacrificio crucis. 706
Miſſa oblata per malum Sacerdotem, tantùm valet ac celebrata per bonum. *ibid.*
De Miſſa controverſia hæreticorum, ubi & diluuntur eorum argumenta. 707
Miſſæ applicatio facienda à Sacerdote in utroque Memento. 719
Memento vivorum & mortuorum. *ibid.*
Pro Miſſa forte argumentum contra hæreticos. 708
Miſſæ Sacrificium Chriſtus inſtituit, Deo Patri obtulit, & id ipſum Eccleſiæ commendavit. 712
Miſſa prodeſt defunctis. 710
Vox Miſſa quid ſignificet. 711
Miſſæ vocabulum minimè novum. *ibid.*
Miſſæ expoſitio ſecundùm omnes, ſingulaſque partes & cæremonias 713
Miſſam celebrantis veſtes quid ſignificent. 719
Miſſa temporum ſucceſſu, ornata cæremoniis, & vario apparatu. 713
Miſſam linguâ vulgari dici non expedit 327
In Memento generalis poſtulatio brevior & alia prolixior facienda. 726 727.
Poſt Miſſam gratiarum actio. *ibid.*
Modeſtia quid. Exempla. 185
Contra mollitiem remedia. 509
Mortis Chriſti neceſſitas quæ. 91
In Mortis articulo nulla caſuum reſervatio. 791
Mors improviſa metuenda. 163
Mors qualiter timenda. 811
Quid agendum, ut ad mortẽ præparemur. 809
De Morte. 606 *&* 803 *& ſeq.*
Præparatio ad mortem per quæ media fiat. *ibid.* *&* 804
Mortem optare quando liceat, quando nõ. 560
In mortis articulo mœrorem præcipuè afferet præ-

præteritæ vitæ vana tranſactio & ſeparatio à præſentibus. 809
Mulierē morte amariorē invenit Salomon. 602
Mulieribus cur Dominus primò apparuit. 130
Mulieris laſcivæ horribilis pœna. 607
Mundi innovatio. 165
Mundi regeneratio. 167
Mundi conflagratio quando futura. 168
Murmuratio. 633
Muſica cæleſtis quàm ſuavis. 140
Myſteria præcipua repræſentantur in ſolemnitatibus. 41

N.

IN Nativitate Chriſti omnia gaudio plena. 83
Les hauts Noms, & nota pro Confeſſariis. 486
Noviſſimorum recordatio eſt remedium contra luxuriam. 505
Nuptialia cōvivia Eccleſiaſticis interdicta. 580

O.

OBligatio noſtra ad Chriſtum. 74
Oblivio excuſat pœnitentem, quæ. 766
Oratio non fit pro iis qui ſe occidunt. 558
Occaſiones propinquæ peccati. 761
Occidere licitum eſt privato homini privatis caſibus. *ibid.*
Oculum eruere, quid ſit in Evangelio. 583
Oculorum magnam rationem Sancti habuerunt. *ibid.*
Odium proximi quid. 560
Odium Dei graviſſimum peccatum. 430
Odii inveterati peſſimus fructus, ut ex Confeſſore faciat apoſtatam. 374
Officii divini decantandi mos alternis choris à Seraphinis profluxit. 57
Officium divinum negligenter peragentes Moniales caſtigat Deus. 318
Officia divina celebrari non decuit vernaculè. 327
Oratio poſt divinum Officium. 303
Officium Principis erga ſubditos, & ſubditorum erga ipſum. 552. *& ſeq.*
Officium ſervorum erga Dominos, & Dominorum erga ſervos. 547
Exemplum Elzearii Comitis. *ibid.*
Orationis elogia. 308
Oratio mentalis quid. 338
Orationes diverſimode videant, & ſcribant Angeli. 318
Orationi non officiunt ariditates & diſtractiones. 303
Orationis bonæ & perfectæ exemplum. 399
De convenientia, utilitate, & neceſſitate Orationis. 306
In Oratione divagatio & ariditas unde provenit. 304
Orationi plurimùm conducit contritio & caſtigatio corporis. 337
Item ſobrietas in cœna, vigiliæ & jejunia Chriſtiana, ſilentium & ſolitudo. 338
Oratio coram Crucifixo Deo grata. 99
Oratio mentalis ad omnes pertinet. 334
Orationi tempus aptum & locus. 295 290. 337
Orationis Dominicæ commendatio. 308
Oratio Dominica explicatur. 147
Ordo & connexio petitionum Orationis Dominicæ. 366
Orationis Dominicæ ſumma. 394
Oratio Dominica excellentiſſima Orationum vocalium. 345
Orationis Dominicæ tres partes. 354
Oratio Dominica cur à divini nominis ſignificatione ſumpſit exordium. 355
Orationes jaculatoriæ. 290
Orationes jaculatoriæ ab infirmis frequentandæ pro variis actibus virtuti. 805 *& ſeqq.*
Oratiunculæ variæ infirmis ſuggerendæ. *ibid.*
Oratio mentalis quid. 333
Oratio mentalis eſt quies & velut ſomnus. 336
Orationis mentalis quatuor partes. 340
Orationis mentalis tabula. 343
In Oratione mentali variæ circumſtantiæ conſiderandæ. *ibid.* & de colloquio ac oblatione, &c.
Ad Orationem mentalem nihil æquè conducit ac diligens præparatio. 340
Oratio publica, oratio privata. 312
Orationi tempus deputatum, & quandonam orandum. 290
In Oratione quæ petenda. 289
Orationi qui maximè vacare debent. 289
Eccleſiaſticorum maximè eſt orare. 307
Præparatio ad Orationem remota & propinqua. 398
Quis Oratione interpellandus. 286

Digitized by Google

Orare pro inimicis. 297
Orare ap Orientem Apoſtolica traditio. 100
Cur oramus ad Orientem converſi in templis, 300. & ad quid ritus iſti in orando. 301
Quid intrare cubiculum, & orare Patrem in abſcondito. 398
Oratio pro pœnitente continens requiſitos actus ad confeſſionem. 754
Oratio Gregorii XIII. ante Miſſam & 50. annorum Indulgentiæ ei conceſſæ. 725
Remedia contra diſtractiones in Oratione. 305
Orationis fructus tredecim. 309. & ſeq.
Ordinis Sacramentum quid. 826
Ordo eſt Sacramentum *ibid.*
Numerus ſeptem Ordinum ex totidem circa Euchariſtiam miniſteriis colligitur. 821
Inter Ordines majores, & minores differentia. *ibid.*
Ordo Acolyticus. 473
Effectus Sacramenti Ordinis. 834
Ordinari quiſque promiſcuè non debet. 833
Ad Ordines ſacros quo fine accedendum. 834
Ordinis miniſter ſolus Epiſcopus. 832
Hic inter Epiſcopos eſt diſtinctio. 833
Papa omnes præcedit. *ibid.*
Organorum uſus in Eccleſia. 318
Originale peccatum quid ſit quoad poſteros 239
Qualiter omnes in Adam peccaverunt. 240
Originali peccato ſublato per Baptiſmum remanent plures ejus effectus in renatis. *ibid.*
Oſcula & inhoneſti contactus. 584
Oſcula & amplexus quatenus inter conjuges liciti. 840
Otium. 588
Otium multis malè ceſſit. 589

P.

PAlmarum benedictarum effectus. 477
Dominica Palmarum. 539
Panis Euchariſticus quomodò dicatur pollui. Exemplum terribile. 830
Panes propoſitionis. 680
Panis Eliæ. 681
Parentibus quis honor debitus Exempla. 541
Parentum erga filios officium. 543
Parentum obligatio ad rectè educandam prolem. 844
Parochorum cura circa infirmos. 804
Parochorum principale munus docere principalia puncta Fidei Chriſtianæ. 6. & 7
Paſcha quid. 131
De Paſchæ celebratione varii errores. *ibid.*
Paſchæ dies miraculis illuſtrata. 132
Paſchæ dies ſolemniſſimus, quare. 131
Paſſio Chriſti. Quid agendum in recognitionem amoris 94
Paſſio Chriſti medium convenientiſſimum liberationis hominum. 92
Paſſio Chriſti noſtræ medetur diffidentiæ. 113
In Paſſione Chriſti omnium virtutum exemplum. 92
Paſſionis Chriſti figuræ & prophetiæ. 89
Paſſionis inſtrumenta & Reliquiæ in magno apud Chriſtianos pretio. 118
Paſſionem Domini lugere ſanctum eſt. 108
Paſſionem Domini meditandi optima ratio. 112
In Paſſionis Dominicæ meditatione excitandæ 7. animæ affectiones. *ibid* & *ſeq.*
Paſſionis Chriſti meditationi Sancti ſpecialiter addicti, exempla. 114 115
Paſſionis Chriſti ſcientia neceſſariò Fidelibus inculcanda. 89
Paſſio Chriſti cur in Symbolo exprimitur ſub Pilato. 95.
Paſtores & Epiſcopi abſque oratione, & rerum cœleſtium contemplatione parum efficient. 307
Vocabuli Patris amplitudo. 348
Cur Pater in divinis ſpecialiter dicitur Creator. 55
Deus Pater noſter multis titulis. 52. 347
Patientia fructus Spiritus ſancti. 183
S. Pauli mirus zelus animarum. 9
Sanctæ Pauperes qui ſunt. 369
Pax fructus Spiritus ſancti. 183
Peccator iterum Chriſtum crucifigit. 94. & 246.
Peccator quid agere debeat, ut ſe debitis liberet. 371
Peccator magis non eſt, quàm ſit. 236
Peccatum quid eſt. *ibid.*
Peccatum aliud originale, aliud actuale. 237
Peccatum originale omnes contraxerunt excepto Chriſto, & D. Virgine. 238

Digitized by Google

Peccata in cœlum clamantia. 556
Peccatum eſt ingens erga Deum debitum. 371
Peccata triplici ratione vocantur debita. 371
Peccata Deus facilè indulget. 372
Peccati gravitas in Chriſtianis. 74
Peccati mortalis effectus. 243
A Peccato poterat Deus liberare ſine paſſione 91
Dividitur Peccatum in mortale & veniale. 241
Peccatum mortale quid. 242
Peccati mortalis malitia 243
Peccatorum menſura certa & definita. 518
Peccati occaſiones propinquæ. 761
Peccatum momentaneum juſtè æternâ pœna damnatur. 162
Peccatorum remiſſio per Orationem Dominicam obtinetur. 372
Peccatores etiam puniti in hac vita. Exempla. 249
Remedia contra peccatum mortale. 246
Peccato initio reſiſtendum. 247
Adverſus Peccatum remedium optimum actus contritionis vel amoris Dei. ibid.
Peccatum ſolum timendum homini Chriſtiano. 246
Inter Peccatum mortale, & veniale differentia. 250
Ad diſcernendum Peccatum veniale à mortali Regulæ. 251
Contra Peccata venialia remedia. ibid.
Praxis contritionis de venialibus. 252
Peccatorum venialium exempla. 253
Pro Peccatis venialibus utiliter recurritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. 248
Peccata venialia magni fecerunt Sancti. 249
Peccatum & vitium quomodò differunt. 256
Pecuniæ cupido magnum peccatum. 615
Pentecoſten cur celebrarunt Judæi, cur Chriſtiani. 187
In Peregrinationibus abuſus committuntur. Qualiter ſanctè inſtituuntur. 500. 501
Peregrinationes ſunt actus Religionis. 499
Peregrinationum ratio & fructus. 500
Peregrinationum uſus. 501
Pietatis donum quid. 177
Pœna damni gravior eſt, quā pœna ſenſus. 159
Pœnitentiam de die in diem differendi periculum. 748
Exemplum horribile. ibid.
Pœnitentia dilata deſperationem adfert. ibid. & ſeq.
Exempla. ibid.
Pœnitentiæ cæremoniæ. 799
Pœnitentiæ prima opportunitate adimplendæ, ut fiant in ſtatu gratiæ. 794
In Pœnitentiæ Sacramento commendatio miſericordiæ Dei. 243
Pœnitentiæ Sacramentum remittit graviſſima peccata. 232
Pœnitentiæ tres partes. 750
Pœnitentiæ veræ exemplar in S. Paulo. 751
Politicorum infelix exitus. 456
Pollutio voluntaria. 568
Pollutio nocturna. 569
Pontifex Romanus non eſt Anti Chriſtus 151
Pontificis authoritas à Patribus ſtabilita. 205
Qui Pontifici non communicat, de Eccleſia non eſt. 206
Pontificum ſucceſſio nunquam interrupta in Eccleſia. 52
Pontificum ſucceſſio in Apoſtolica Sede magni æſtimanda. 109
Summi Pontifices meritò reſervant ſibi caſus. 791
Pontifex Chriſti Vicarius. 203
Portugalliæ inſignia, & eorum origo. 128
Poſſideri à diabolo melius eſt, quàm à peccato. 391
Poteſtas conſecrandi Corpus Chriſti incomparabilis. 825
Sicut & Poteſtas ligandi atque ſolvendi. 231 & 825
Præcepta cur homini data. 446
Præcepta omnia Decalogo comprehenſa, ibid.
Præcepta primæ tabulæ hominem informant in iis quæ ad Deum: ſecundæ verò, hominis erga proximum officium aperiunt. 541
Præceptum ſeptimum. 609
Præceptum octavum. 626
Præceptum nonum: Non concupiſces. 635
Præceptum decimum: Non concupiſces rem proximi. 637
Prædicatio Chriſti quomodo inchoata, & qualis erat. 90

Prædicare nemo præſumat niſi juſtus 819
Cur Deus ſinit dæmonē prædicere futura. 483
Imperfectiones noſtræ procedunt ex non apprehenſa Dei Præſentia, varia exempla. 351
Præſentia Dei ubique. 350 & ſeqq & 176
Præſumptio quid. 282
Præſumptio magnum peccatum. *ibid.*
Præſumptuoſi cujus rei monendi. *ibid.*
Præſumptuoſi exponunt animas ſuas magno periculo. 283
Principes & Magiſtratus ſunt honorandi, licet improbi. 551
In Prolium educatione magna prudentia opus eſt. 546
Principes malos regnare Deus permittit ob peccata populi. Exempla 554
Principis officium. 552
Principia politica. 279
Proceſſionum & Supplicationum in Eccleſia antiquus uſus. 322
Proceſſio cum Venerabili Sacramento. 325
Proceſſio Eccleſiæ triumphantis in Feſto Purificationis B.V. 474
Proficiendi in virtute modus inſignis. 163
Promiſſionum & minarum appendix pertinet ad omnia præcepta 519
Propoſitum emendationis. 278. & *ſeq. item* 757.760
Providentia Dei erga homines. 68 348 370
Pueri Orationem Dominicam vernaculè addiſcere debent. 346
Pueri baptizati cur catechiſandi. 2
Pueri ad Catechiſmum qualiter cogendi. 10
Pueri qua diſpoſitione ad Catechiſmum accedant. 2
Pueri à prima ætate erudiendi; ideò Sancto Benedicto olim traditi. Exempla. 544
Qualiter puellæ cum amaſiis ſuis ſeſe habere debeant. 841
Puerperæ invocent B. Virginem. 85
Pugna carnis & ſpiritus non nocet, quomodò. 375
Pugnantes Dominus adjuvat. 381
Purgatorium eſt, & quid ſit. 222
Purgatorii pœnæ quæ. 756.223
Status animarum in Purgatorio. 224
Animæ in Purgatorio vivorum ſuffragiis juvantur. 224
Doctrina Sanctorum Patrum de adjutorio animarum in Purgatorio. 225
Exempla de adjuvandis animabus in Purgatorio. 225.226
Controverſia de Purgatorio & Suffragiis pro defunctis. 299
Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ, ſive Feſtum Candelarum. 475

R.

Rapina. 618
Raptus. 568
Raptarum mulierum pœnæ. 837
Redemptorem mundi oportebat eſſe Deum. 88
Refrænatio ſenſuum externorum & internorum remedium contra luxuriam. 603
Regni cœleſtis mirum in Sanctis deſiderium. 361
Regnum cœlorum ex quinque capitibus summè deſiderandum. 359
Regni Dei lex eſt Charitas. *ibid.*
Regnum Dei poteſt accipi trifariam. 357
Regnum cœlorum quibus mediis acquiritur. 358
De Regno gloriæ eſt intelligenda ſecunda petitio Orationis Dominicæ. 357
Regni Dei obtinendi principale medium eſt obſervatio mandatorum Dei. 363
Relapſus in peccata periculoſus eſt. 776 777
Religioſi honorandi. 551
Religio quid ? quatuor actus in officio Religionis. 452
Reliquias colere pium eſt. 496
Sancti eas magni æſtimarunt. 497
Reliquiæ Sanctorum laudabiliter in Proceſſionibus deferuntur. 501
Reliquiæ ſanctæ & imagines in Proceſſionibus delatæ. 325
Reliquiarum ſanctarum virtutes contemnentes puniuntur. Exempla. 498
Elementa muta locis ſacris reverentiam exhibent. 296
Remedia pro ſecuritate in Judicio. 162
Remiſſio peccati originalis & peccati actualis,

ſis,quomodò obtineatur. 231.232
Poteſtas Remittendi peccata verè eſt in Eccleſia. 231 & 825
Reſtitutio. 616
Reſtituere quis debet. 617
Reſtituendum,quantum.*ibid.* quando & quomodo. 618
Reſtituere Eccleſiæ vel pauperibus non ſufficit,ſi Dominus compareat. *ibid.*
Reſtituerere negligentes multi damnantur. *ibid.*
Reſtitutio honoris & famæ quomodò facienda. 635
Reſtituere & ſatisfacere multum differunt 616
Reſignatio ſui in divinam voluntatem. 395
Reſurrectionem Sanctorum apparitio probat. 256
Reſurrectio Chriſti exemplum noſtræ reſurrectionis. 135
Reſurrectionis Dominicæ figuræ. 127
Fructus ex ſpe & ſcientia Reſurrectionis. 261
Reſurrectionis ſpiritualis indicia. In Reſurrectionis materia cur ſolius carnis fit mentio. 255
Reſurrectionis poſſibilitas probatur exemplo. *ibid.*
Reſurget quilibet homo in ſuo ſexu. 260
Reſurrectio futura probatur ſimilitudinibus & rationibus. 257
Reunio membrorum abſciſſorum in Sanctis probat Reſurrectionem. Exempla. 256
Reſurrectio quomodò fiet. 259
Rogationes cur cruces dictæ. 324
Roſarium & ejus Confraternitas. 422.423.
Roſarium quid & cur ita dictum. 425.
Roſarii inſtitutio & progreſſus: ejus ſolemnitas Dominica prima Octobris. 423 424
Roſarium parvum & magnum: item Pſalterium B. Virginis. 426
Roſarium eſt corona: ejus recitatio grata Deo, & B. Virgini. *ibid.*
Roſarium defunctis prodeſt. 427
Roſarii ſodales debent imitari B. Virginem. 424
Inter recitandum Roſarium meditanda myſteria. 425

S.

SAbbati dies apud nos cultui D. V. dicata. 537
Non Sabbatizant Chriſtiani cum Iudæis. 536
Sabbatum celebrarunt Judæi duabus de cauſis, & cur à Chriſtianis in diem Dominicam commutatum. 533
Fideles quomodò Scriptura vocet Sacerdotes. 824
Sacerdotes ſunt Angeli, quomodò. 826.
Sacerdotes quotidiè celebrare convenit, multis de cauſis. 721
Sacerdos debet cum magna devotione ad celebrandum accedere. 723. & ſeq.
Sacerdos pro quibus & quo ordine in Miſſa orabit. 726
Sacerdotio initiandi debent eſſe ornati bonis moribus, ſcientia rerum divinarum, & virtutibus, quibus? 829
Sacerdos quam fidem habere debet circa Euchariſtiam. 722
Sacerdotes Chriſtus ordinavit in ultima cœna Apoſtolos. 712
Sacerdotibus detrahentes puniuntur. 550
Sacerdotes honorandi; eorum malitia non impedit virtutem Sacramentorum. *ibid.*
Sacerdos quàm intentionem celebraturus habere debet. 274
Sacerdotis pii affectus, cum quibus ad altare accedere debet. *ibid.*
Sacerdotes circa paramenta & vaſa mundi eſſe debent. 719
Sacerdos quantâ cum puritate vitæ debet ad altare accedere. 723
Sacerdotibus ſolis poteſtas data eſt abſolvendi à peccatis. 231. & 233
Sacerdotii novæ legis duplex poteſtas & officium. 824
Sacerdotum tonſura. 719. & 823
In Sacerdotibus deſideratur zelus animarum. 8
Sacerdotium duplex, viſibile, & inviſibile. 824
Sacramentum quid. 639.
Sacramentorum omnium author Chriſtus. 643
In Sacramentorũ adminiſtratione quis fructus cæremoniarum. 645
Sacramenta characterem imprimentia non iterantur. 644

Digitized by Google

Ad Sacramenta vivorum recipienda requiritur contritio, vel actualis peccatorum confeſſio. 641
Diſpoſitio ad recipienda Sacramenta. 640
Sacramenta alia vivorum; alia mortuorum. 640
Ad Sacramenta mortuorum ſufficiens diſpoſitio eſt attritio. *ibid.*
Sacramentorum effectus. 644
Sacramenta inſtituta ex multiplici ratione. 638
Sacramenta magnifacienda. 646
Sacramentorum vim non impediunt mali miniſtri. 641
Sacramentorum omnium non eſt par neceſſitas. 643
Sacramenta multi malè ſuſcipiunt etiam in morte. 278
Sacramentorum ſeptem congruentia. 642
Sacrilegium. 568
Sacrilegii ſpecies. 515
Sacrificium cruentum ab incruento qualiter differt quoad effectus. 709
Sacrificium Abelis,& Melchiſedech. 673
De Salvandorum numero. 276
Salutatio Angelica Deiparæ gratiſſima. 400
Salutationis Angelicæ antiquus uſus. 401
Salutationis Angelicæ compendium. 402
Salutationis Angelicæ expoſitio. 403
Salutatio Angelica diſplicet hæreticis. 401
Salutatio Angelica congruè poſt *Pater* additur. 398
Salutationis Angelicæ tres partes. 399
Salus quare in qualibet ſecta non poteſt eſſe. 23
Sanctitas latens ſe prodit extra. 207
Sancti qualiter cognoſcunt res noſtras 490
Sanctorum conſortium jucundum. 269
Sancti dilexerunt Deum ſuper omnia. Exempla. 429 433
Sancti invocandi. 286
Sancti invocantibus ſe beneficia præſtant. 287
Sancti pro Chriſto pertulerunt nuditatem. 100
Sanctorum in cælo negotium & occupatio. 269
Sancti peccatum mortale maximè deteſtati. 245
Sancti timuerunt etiam in hac vita ſententiam Judicii. Exempla. 160
Sancti in mediis tribulationibus gaudentes. Exempla. 182 104
Tria media ad inſignem Sanctimoniam. 184
Sanctimoniales peregrinari non convenit. 501
Sanctitas colentium fidem, & multitudo ac conſenſus populorum, ſigna credibilitatis myſteriorum Fidei. 46
Sapientiæ donum quid? eſt pretioſiſſimum 180
Satisfactio tertia pars pœnitentiæ. 792
Satisfactio reducitur ad orationem, jejunium, & eleëmoſynam. 794
Satisfacere pro peccatis poſſumus multis modis. 795
Satisfactio ſacramentalis & reſtitutio plurimùm differunt. 796
Scientiæ donum. 177
Scientiæ rectus modus quis. 178
Schiſmaticos Deus punivit. 199
Scriptura ſacra quid 35
Scriptura ſola non eſt judex controverſiarum. 39
Scrupuli, unde? 284
Scrupuloſis cur non permittenda Confeſſio generalis. 775
Proteſtatio frequentanda à Scrupuloſis. *ibid.*
Secretorum revelatio. 629
Secreta aliquando propalanda. *ibid.*
Secretum Confeſſionis. 778
Senes honorandi. Exempla. 555
Sepeliendi antiquus mos. 119
Sepulchra Chriſtianorum cur juxta templa. 120
Leges circa ſepulturam. 120
Circa ſepulturam conſulendus Ordinarius in caſibus ambiguis. 120
Sepulturâ qui nam priventur. *ibid.*
Sepulturæ ritus ab initio Eccleſiæ. *ibid.*
Sepulchra Sanctorum glorioſa. Exempla. 121. 122.
Separatio reproborum ab electis acerba in judicio. 156
Servorum erga Dominos officium. 547
Simonia, quid? 518
Sobrietatis ſigna. 577
Somnus caſtitati officit. 589
Somnia obſervare, eſt ex genere ſuo peccatum mortale. 486
Somno utendi modus ex Bernardo. 590
Ut rectè ſperemus quid agendum. 285
Quæ ſperare liceat. 286
Spiritus Sanctus adorandus ut Deus. 169

Digitized by Google

Spiritus ſanctus cur repræſentatur ut Columba. 17
Spiritus ſanctus in divinitate tertia perſona. 169.172
Negantes divinitatem Spiritus ſancti à Deo puniti. Exempla. 188
Spiritus ſanctus cur non poſſit dici Filius Patris & Filii. 172
Spiritus ſancti dona ſeptem. 175
Spiritus ſanctus in igne convenienter apparet. 187
Spiritus ſanctus perſonaliter cum ſuis donis datur creaturis. Exemplum. 174
Patri potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas attribuitur. 55
Spiritus ſanctus cur non ſit Pater Chriſti. 78
Spiritus ſancti nomen cur tertiæ perſonæ attribuatur. 173
Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio. 172
Spiritus ſancti diverſa nomina in Scriptura. 173 Digitus Dei, Donum Dei, &c.
Spiritus ſancti fructus duodecim. 181.& ſeq.
Spiritus ſancti proceſſio alia æterna, alia temporalis. 172
Sponſalia quid ſint. 842
Sponſalia quem uſum habeant. *ibid.*
Sponſalia multis modis ſolvuntur. *ibid.*
Tres Status in Eccleſia meritis differentes 847
Cur ſtamus ad Cantica. 321
Status politicus debet ſervire Religioni. 5
Subditorum erga Superiores officium. 554
Superſtitionis origo. 484
Superſtitioſi male pereunt. *ibid.*
Suſurrationes. 633
Symbolum Apoſtolorum, ab ipſis Apoſtolis compoſitum. 42
Symboli articuli certiſſimâ fide credendi. 43
Symboli Athanaſii tutiſſima doctrina de Trinitate. 54
Symbola cur plura in Eccleſia, 43
Symboli myſteria comprehendere non eſt neceſſe. 42
Symboli recitatio frequens eſt utilis. 42

T.

Templorum Fabricæ cur Eccleſiæ dictæ. 190
Templum orationis causâ frequentandum. 196
Tentare Deum quid? 315
Tentationibus ætas omnis eſt obnoxia. 379
Tentationum fructus varii recenſentur. 384
Ad vincendas Tentationes eſt valdè nobis neceſſaria Dei gratia. 380
Deus quo ſenſu dicatur in Tentationem inducere. *ibid.*
Tentationes Patri ſpirituali aperiendæ. 386
Contra Tentationes remedia. 387
Quæ Tentationes omnium periculoſiſſimæ. 388
Tentati qualiter animandi. *ibid.*
A Tentationibus quibus modis liberat Deus hominem. 389
Timor Domini quid ſit. 175
In Timore Dei modus ſe continendi. 177
Ad Timorem Dei media. 175
1 Cognitio ſui. *ibid.*
2 Meditatio noviſſimorum. *ibid.*
3 Meditatio præſentiæ Dei. *ibid.*
Terra ſordet dum cœlum aſpicitur 392
S. Thomas D. Auguſtini doctrinam in omnibus ſecutus. 273
A Thoro ſeparatio. 839
Tonſura Clericalis. 719.& 823
Cur Tonſuram geſtant Clerici in capite. 465
Traditiones, quid? 35
Traditiones in Eccleſia. *ibid.*
Tribulatio Vide Crux. In tribulatione gaviſi. 104.182
Tributa Principibus tribuenda. 554
Sancta Trinitas. 53
Inter tres Trinitatis perſonas omnimoda æqualitas. 53
S. Trinitatis laus. 321
De tripudiis & choreis. 579
Tactus inhoneſti. 584
Tactuum impudicorum horrenda punitio, 843
Turpiloquia. 570

V.

Verba impudica. 570
Verbi Dei præcones ab hominibus mitti debent. 206
Verecundi quomodò juvandi in Confeſſione. Similia & exempla. 779
Veſtes pretioſæ in cælo. 268
Veſtium ornatus immoderatus. 585.& ſeq.
Viaticum ſumendum. 742
Vigiliæ Chriſtianorum. 338
Ultio divina in hoſtes Summi Pontificis. 199

A Vi-

Digitized by Google

A Vino & conviviis qui debent maximè abſtinere. 575
Via ad cœlum recta & ſecura. 275
Vindicta terribilis in Monachos diſſolutos. 576
B. Virginis fructus qualiter benedictus. 412
B. Virgo benedicta inter omnes creaturas. *ibid.*
Virginis benedictus uterus. *ibid.*
B. Virgo non tantùm Chriſti, ſed & noſtra Mater eſt. 413
B. Virgo ut Mater Dei ſummè honoranda. 416
B. Virgini omnes Sancti Patres valdè addicti. 417
B. Virginis imploratio remedium contra luxuriam. 604
Virgines in cœlo ſunt pediſſequæ D. Virginis. 411
B. Virgo quomodò immunis à peccato originali. 238
B. Virginis ope adjuti magni peccatores. 420
B. Virgo adeſt ſuis clientibus in morte. *ibid.*
B. Virginis ſanctitas qualiter differt à ſanctitate Dei, & quomodò ſuperat ſanctitatem omnium Sanctorum. 406
B. Virginis cultus Deo placet ſupra cæteros Sanctos. 407
Virginitatem & caſtitatem ſoli Catholici colunt. 208
Virgines ſuperbæ ſunt ruinæ proximæ. 596
Virginum ſpecialis gloria. 272
Virginitas Matrimonio excellentior, imò & ipſa Viduitas. 846
Viſionis beatificæ jucunditas. 265
Quâ ratione videbitur Deus. 266
Vitæ hujus calamitoſa conditio. 359
Vita mortalis miſera, & cur tot malis eam inſperſerit Deus. 391
Vita mala gradus ad hæreſim. 195
Vita æterna. 262
Voluntatis divinæ cognitio magnum beneficium. 446
Voluntas noſtra illi conformanda eſt. 361. & ſeq
Vota caſtitatis non facilè recipienda à devotariis. 529
Votum pluribus caſibus non obligat. 529
Votum & propoſitum aliquid faciendi quomodo differunt. 525
Votorum diviſio. 528
Vota facere Sanctis quid importet. 526
Vota ad loca ſancta nuncupare, *&c.* antiquus uſus. 508
Urbanus IV. Pontifex mandat celebrari Feſtum Corporis Chriſti in tota Eccleſia. 733. & 744
Unum Eccleſiæ caput pertinet ad Unitatem Eccleſiæ. 204
Uſura. 614
Vulnerum cicatrices cur Chriſtus poſt reſurrectionem retinuerit. 127
Uxoris officia. 846

Digitized by Google

INDEX CONCIONATORIUS

Ad Conciones formandas, pro Dominicis totius anni.

DOMINICA I. ADVENTUS.

1. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Matth. cap. 21. Exordium deſumi poteſt ex pag. 148. 164. *In ſcripturis ſacris Duo Chriſti Adventus celebrantur, &c.* propoſitio. De priori Filii Dei in mundum Adventu hodie dicam; de illo, inquam, Adventu, per quem *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Conſule partem 1. Art. 3. Symboli Apoſtolici, cap. 4. Lectionem primam, in illud: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto.* Multa, & præclara ibidem habentur de Incarnatione Dominica.

2. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Exordium deſumatur ex parte 1. de tertio Articulo Symboli Apoſt. Lectione tertiâ; deſcribaturque ex Iſaiæ cap. 6. ordo Incarnationis, pag. 87. ibid. *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, &c.* Deinde perora de admirabili Incarnationis myſterio, nempè, cur ipſum fuerit tam diu dilatum? cur attribuatur Spiritui Sancto? Quàm magni faciendum ſit? quando perfectum fuerit? &c. Vide in Indice Rerum, V. *Incarnatio.*

3. *Solvite, & adducite mihi.* Adferat peccator ſecum dolorem verum, & ſerium emendationis propoſitum, riteque omnia peccata ſua ſacerdoti confiteatur: & tum nullus dubitet, quin omnia ſibi flagitia remittantur, ipſeque, qui anteà quaſi beſtia alligatus, & peccatorum funibus conſtrictus fuerat, ſolvatur, & liber dimittatur. V. *Contritio, Emendationis propoſitum, Confeſſio.*

4. *Dicite: quia Dominus his opus habet.* Jeſus Chriſtus eſt *Dominus noſter*: & nos ſervi ejus. pag. 74 Fuit ipſe Dominus noſter Propheta, Sacerdos, & Rex, pag. 72.

5. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* De manſuetudine lege pag. 184. 185. Chriſtus venit in mundum inſtar Agni manſueti, ut pro nobis immolaretur, pag. 478. Ipſa item eſt Agnus Paſchalis, p. 674.

DOMINICA II. ADVENTUS.

1. *Erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & Stellis.* Luc. cap. 21. De ſignis adventûs Chriſti ad judicium extremum, pag. 149. & ſeq.

2. *Areſcentibus hominibus præ timore.* Divini judicii honorem conceperunt Sancti. 145. 160. Ejus timore multi in melius ſunt converſi. 146. Nec mirum; quia ipſum erit valde horribile. 151. De ipſo olim frequenter concionabantur varii, 144.

3. *Videbunt Filium hominis in nube cum poteſtate magna, & majeſtate.* Pertinet ad Chri-

ſuum Deum & hominem, judicare vivos & mortuos. 147. Ipſe plures ob cauſas conſtitutus eſt Judex judicandorum. ibid. Cum eo judicabunt Angeli & ſancti. 153. Accuſatores, & teſtes in judicio qui futuri? 154.

4. *Cælum & terra tranſibunt.* Poſt judicium extremum ſtatim ſequetur mundi innovatio, & conflagratio, regnumque Chriſti glorioſum. 165. & ſeq.

DOMINICA III. ADVENTUS.

1. *Euntes renuntiate Joanni, quæ vidiſtis, & audiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, & c.* Matth. cap. 11. Signa credulitatis noſtræ ſunt varia, etiam Miracula. 45. & ſeq.

2. *Cæci vident.* Cæci ſunt Athei, Politici, Libertini, & Hæretici. Utinam hi viderent! 14. 15. 455. 456. 457.

3. *Pauperes Evangelizantur.* Doctrina Chriſtiana ſancta eſt; Hæreticorum dogmata abſurda ſunt. 46. & ſeq. Hæreticorum Conciones ſunt vitandæ. 458.

4. *Quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum?* Immoderatus cultus, & ornatus fœminarum in veſtibus carpitur. 585. & ſeq.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

1. *Tu quis es?* Joan. cap. 1. O homo! Tu quis es? Sum, inquis, creatura rationalis, animâ & corpore conſtans. Benè habet. Hanc tui definitionem examina; & ſubmiſsè de teipſo ſenties. pag. 17. & ſeq.

2. *Quis es? Quid dicis de teipſo?* Reſpondentem te audio: Dei gratiâ ſum Chriſtianus, & Catholicus. Attende igitur, qualis & quantus ſit ille honor, quô inſignitus es. 21. 22. & ſeqq.

3. *Tu quis es?* Homo Chriſtianus ſum, inquis. Itaque ſollicitè cura, ut ſignum externum Chriſtiani hominis, quod eſt Signum Crucis, ames, illudque frequenter uſurpes: ejus ſiquidem varius eſt fructus. pag. 25. 26. & ſeq.

4. *Ego Baptizo in aqua.* De Baptiſmi Sacramento, ejuſque effectu, & Cæremoniis, fusè tractatur parte 4. cap. 2.

5. *Ego Baptizo in aqua.* Uſus aquæ luſtralis eſt in Eccleſia antiquiſſimus. 466. Effectus ejus ſpirituales, & corporales. ibid. 467. Figuræ ejuſdem. 469. Cur admiſceatur aquæ ſal benedictum? 470. Diſpoſitio pro utentibus aquâ benedictâ. 471.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIV. D.N.

1. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum.* Luc. cap. 2. Reprobi cauſa ſunt, quòd Chriſtus ſit natus ipſis in ruinam; Electis autem ipſe natus eſt in reſurrectionem. Magnus futurus eſt & ſalvandorum, & reproborum numerus. 276 & ſeq.

2. *Anna Propheteſſa vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua.* Anna hæc fuit Virgo, Maritata, & Vidua. De bonis matrimonii agitur parte 4. lect. ultimâ; ubi & habentur præcipua tum viri, tum uxoris officia. Virginitas, imo & ipſa Viduitas eſt Matrimonio excellentior. Ibid. pag. ult. Vide *Virginitas, Caſtitas, Matrimonium.*

3. *Non diſcedebat de templo, obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Omnis quidem locus eſt idoneus ad orandum; nihilominùs ſolet Deus faciliùs exaudire in templo orantes, quàm alibi. 295 296.

4. Ob-

4. *Obſecrationibus ſerviens nocte, ac die.* De oratione mentali, & vocali plurima habes. 5.. 845. Tempus orationi aptum, 337. 290. Significatio ſeptem Horarum Canonicarum. 313. Vide in Indice, *Oratio.*

5. *Jejuniis ſerviens nocte, ac die.* Vigiliæ & jejunia orationi plurimùm conducunt. 538. Vide, *Jejunium.*

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

1. *Ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni Paſcha,* Luc. cap. 2. Proceſſiones & Supplicationes in Eccleſia antiquiſſimum uſum habent. 322. & ſeq. dicere quoque poteris de Peregrinationibus. 499 & ſeq.

2. *Invenerunt illum in templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* De Templis & Altaribus ad honorem Dei, & Sanctorum erectis. 503. & ſeq. De Miſſa, quæ in templis Catholicorum celebratur. Lege in Indice Rerum V. *Miſſa.*

3. *Invenerunt illum in templo, ſedentem, &c.* De Catechiſmo, de catechizandis pueris baptizatis, & de aliis eò pertinentibus, tractatur in proœmio per plures Lectiones.

4. *Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Quid ſignificat hæc vox, *Pater*, quando dicimus: *Credo in Deum Patrem?* pag. 52. Deus eſt Pater noſter multis titulis. Ibid. & 347. ac ſeqq.

5. *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Parentum erga filios officium. pag. 543. & ſeq. Eorundem obligatio ad rectè educandam prolem 844.

6. *Erat ſubditus illis.* Filii debent parentibus carnalibus quatuor 541. & ſeq. De amplitudine vocabuli *Patris.* 548 De ſubditorum erga Principes officia. pag. 554.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

1. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Joan. cap. 2. Convivia nuptialia. 843. Qui conviviis abſtinere debent. 575 Conjuges qualiter ſanctè matrimonio utantur. Item Conjuges individuè ſibi adhærere debent. Inquire V. *Matrimonium, Conjuges.* & de choreis & tripudiis, quæ in nuptiis fieri ſolent. pag 579. & ſeq.

2. *Nuptiæ factæ ſunt.* Poteſt agi de adulterio, aliiſque libidinis ſpeciebus. 563. Remedia contra luxuriam ſubminiſtrantur, pag 574. & ſeqq. Vel, ſi mavis, dic de conviviis & ebrietate. pag. 574. & ſeq.

3. *Implete hydrias aquâ.* Eccleſiaſtes concionari poterit de Aqua luſtrali, ejuſque effectibus. pag. 466. & ſeqq.

4. *Crediderunt in eum Diſcipuli ejus.* Quid credendum proponat de Chriſto ſecundus Symboli articulus: *Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum?* pag. 68. & ſeqq.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

1. *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Matt. cap. 8. Oportet nos noſtram voluntatem Divinæ conformare, juxta illud: *Fiat voluntas tua. &c.* pag. 363. & ſeq.

2. *Vade, oſtende te Sacerdoti.* De Sacerdotio, & de Sacerdotibus honorandis, eorumque officiis, conſule *Indicem Rerum.*

4. *At ille multò magis clamabat.* Oratio hujus cæci, *Jeſu Fili David, miſerere mei.* eſt oratio jaculatoria; & talis quovis loco edi poteſt à nobis. 290. Orationis tredecim fructus 309. & ſeqq, orationis elogia. 308.

5. Quoniam hodie, & diebus ſequentibus multi Bacchum, & Bacchanalia colant, dicere poteris de gula, ebrietate, choreis, & hujuſmodi. pag. 577. & ſeq. item 579. & ſeqq.

FERIA QUARTA CINERUM.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. De Cineribus benedictis, eorumque effectibus, pag 29. 475. vide etiam de *Morte* Indicem Rerum.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

1. *Ductus eſt in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à Diabolo.* Matt. cap. 4. Cur tam immane bellum contra nos moveat Diabolus? 379. Ipſe imbecillis eſt circa eos, qui dexterâ Omnipotentis Dei proteguntur. 382. 381. Quibus armis ipſi reſiſtendum 65. 383.

2. *Ut tentaretur à Diabolo.* Fructus & utilitates tentationum 384. Remedia contra ſingulas ſingulorum hoſtium noſtrorum tentationes. 387.

3. *Cum jejunaſſet 40. diebus, & 40. noctibus, poſteà eſurüt.* Cur Eccleſia jejunium indixerit, & obſervandum præceperit? 796. Controverſia Hæreticorum de jejunio. Ibid.

4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Pluribus rationibus ſuademur ad Dei mandata ſervanda. 450. Actus fidei, ſpei, charitatis, & adorationis. 45[illegible]-453. Quid ſit, adorare Deum? Ibid. Adorandus eſt Chriſtus in Euchariſtia. 701.

5. *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Angelorum erga Deum officia quæ? p. 556. Angeli ſunt Oratores, Legati, & Protectores. 58. Infirmos & morientes viſitant. 62. Angeli Cuſtodis officium. 59.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

1. *Ecce mulier, & c clamavit, dicens: Miſerere mei Domine, Fili David.* Matt. cap. 15. Orationis fructus tredecim. 309. & ſeq. Quis corporis ſitus orantem magis deceat? 300. 301.

2. *Filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Chananæa orat pro filia ſua. Pro quibus fundendæ ſint orationes Chriſtianæ homini? 297. Chananæa ruri, & in via ſuam fudit orationem. Rectè: nam omnis locus eſt idoneus, ad Dominum deprecandum. Solet tamen Deus faciliùs audire in templo orantes, quàm alibi. 290 295.

3. *Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Rectè Catholici faciunt, invocando Apoſtolos, Martyres, & alios Sanctos. 286. & ſeq. Quidnam boni vel gratiæ præſtent Sancti iis, qui colunt & invocant illos? 287.

4. *O Mulier! magna eſt fides tua.* Non ſufficit ſola fides ad ſalutem. 33. Quæ credenda in materia fidei? 34. Quid quilibet Chriſtianus adultus credere debeat? 42.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

1. *Locutus eſt mutus.* Luc. cap. 11. Duodecim damna, & attributa malæ linguæ. pag. 635. prima virtus eſt, compeſcere linguam. ibid. peccator non ſit mutus præ verecundia in Tribunali Sacramentali; ſed candidè omnia confiteatur peccata. Confiteri cum rubore adducit gloriam. 599. Ex quatuor capitibus multi non confitentur integrè. 766. & ſeqq.

2. *Quidam autem ex eis dixerunt: in Belezebub principe Dæmoniorum ejicit dæmonia.* Mentiuntur V. *Mendacium.* Blaſphemant, V. *Blaſphemia* Chriſti famam graviſſimè lædunt, V. *Detractio.*

3. Ut

5 *Et vidit cogitationes eorum.* De cogitationibus carnalibus, & delectationibus moroſis, quære in *Indice Rerum.*

4. *Beatus venter, qui te portavit.* B. Virginis uterus eſt benedictus; & benedictus eſt fructus ventris ejus. 412 Ipſa eſt reverà Mater Dei. 416 Manſit tamen ſemper Virgo. Vide Symboli articulum: *Natus ex Maria Virgine*; item *Salutationem Angelicam.*

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ

1. *Videbant ſigna, quæ fiebant ſuper his, qui infirmabantur.* Joan. cap. 6. Infirmitas corporalis interdum eſt animæ utilis. 392. Infirmos viſitare, eſt magni meriti. 803. Eos viſitant Angeli. 61. Quæ cura circa ipſos à Parochis ſit adhibenda? 408. Extrema unctio debet iiſdem tempeſtivè impendi. 800. & ſeqq.

2. *Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Judæorum.* Præter Dominicam oportet & Feſta celebrare. 540. Sancti docuerunt nos Feſta celebrare. 537. Fructus colentium Feſta, & pœnæ eadem violantium. 537.

3. *Unde ememus panes?* Figura Venerabilis Sacramenti fuit Manna, panes propoſitionis, & Panis vatis Eliæ. 677. & ſeqq. fusè.

4. *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Qualem panem quotidianum, & ſuperſubſtantialem petere debeamus in Oratione Dominica? pag. 367. & ſeq.

5. *Accepit ergo Jeſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Benedictio menſæ cur adhibeatur? 295. Gratiarum actio poſt menſam. ibid.

6. *Diſtribuit diſcumbentibus, quantum volebant.* Occaſione multiplicationis panum agi hîc poterit de Eleëmoſyna, ejus encomia, & fructus tam corporales, quàm ſpirituales; vide V. *Eleëmoſyna.*

DOMINICA PASSIONIS.

1. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. cap. 8. Cùm inſtet tempus Paſchale, quilibet examinet conſcientiam ſuam, verè doleat de omnibus peccatis, firmum faciat emendationis propoſitum, omniaque peccata cum numero & circumſtantiis requiſitis confiteatur Sacerdoti, ita, ut queat Dæmonibus exprobrare, & cum Chriſto dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vide in Indice Rerum, *Examen, Contritio, & ejus motiva, Confeſſio, Propoſitum emendationis, &c.*

2. *Nonnè benè dicimus, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* Blaſphemia eſt graviſſimum ſcelus; & in blaſphemos Deus graviter animadvertit, pag. 530. 531.

3. *Nonnè benè dicimus, quia Samaritanus es tu?* Quia vel ſemel cum muliere Samaritana libidini expoſita Chriſtus locutus fuerat, jam eum Samaritanum, aut luxurioſum vocant, ac ſi dicerent: Tu te dicis innocentem; ſed locutio tua cum Samaritana aliud demonſtrat. Luxuria ſiquidem eſt potentiſſimum vitium, quod facillimè alios inquinare poteſt. Remedia contra ſpurcum hoc & infame vitium, vide pag. 591. & ſeqq. fusè.

4. *Honorifico patrem meum.* Idem & nos facimus, dum petimus in oratione Dominica, ut ſanctificetur Nomen Dei. p. 355 Quid debeant filii parentibus ſuis carnalibus? p. 543.

5 *Abraham mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt.* Mors improviſa metuenda. 163. Mors qualiter timenda? 84. De morte plura reperies, p. 606. & 803. & ſeqq. DO-

DOMINICA PALMARUM.

1. Hæc Dominica eſt una ex tribus Dominicis principalibus. 539. De palmarum ramis, pag. 477.

2. Quia hodie Paſſio Domini ſolet & in Miſſis legi, & pro Concione exponi, conſule Indicem Rerum, V. *Paſſio Chriſti*; & copioſam reperies materiam.

3. *Invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi.* Matth. cap. 21. Per hæc jumenta figuratur peccator, qui per peccatum mortale fit beſtia, & dæmonis mancipium: abſolvitur autem à peccatorum vinculis, tùm per Confeſſionem Sacramentalem; tùm per actum contritionis, vel Amoris Dei. Conſule Indicem Rerum.]

4. *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David, &c.* Non ſine myſterio ſacer Evangeliſta tam notanter præeuntes, & ſequentes cantaſſe memorat; ut ſcilicet quemlibet verum Chriſtianum laudes Dei cantare doceret. Id faciunt Angeli. 57. 58. Eccleſiaſtici cantûs utilitas. 328. Horarum Canonicarum author quis? 312. Earundem ſignificatio. 313. & ſeq. Vide *Domin. 1. Adventûs*.

DOMINICA RESURRECTIONIS D. N.

1. *Valde manè unâ Sabbathorum, veniunt ad monumentum.* Marc. cap. 16. De ſepultura Chriſti, & de cauſis, cur ſepeliri voluerit; item de gloria ſepulchri, tractat Author luculenter in illud ſymboli Apoſt. *Et ſepultus eſt.* Sepulchra Sanctorum glorioſa. 121. Agi etiam poſſet de Deſcenſu Chriſti ad inferos. pag. 123. & ſeq.

2. *Surrexit, non eſt hic.* De Chriſti Reſurrectione, à pag. 125. De iis, quæ poſt illam egit, pag. 135. & ſeqq.

3. *Reſurrexit ſicut dixit, Alleluja* Eccleſia. Quid ſignificat ly *Alleluja?* à quo in Eccleſiam emanârit? & cur in Eccleſia tempore Paſchali frequentetur? 132.

4. *Agnus redemit oves*, canit hodie Eccleſia. Agnus Dei ſignificat Chriſtum. 478. Item Agnus Paſchalis. pag. 674.

5. *Surrexit, non eſt hic.* Argumentis pluribus probatur futura carnis reſurrectio. Lege Symboli articulum: *Carnis reſurrectionem.* Dotes corporum glorioſorum poſt reſurrectionem erunt, Impaſſibilitas, Charitas. Agilitas, Subtilitas. ibid. Lect. 3. 259.

DOMINICA IN ALBIS.

1. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Joan. cap. 20. Poteſtas peccata remittendi, & retinendi, verè eſt in Eccleſia. Omnia, etiam graviſſima peccata remittuntur in Sacramento pœnitentiæ. 232. Jure divino Confeſſio eſt neceſſaria. 763. Sacerdotes habent poteſtatem remittendi peccata. pag. 231. 233.

2. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Quorum peccatorum facienda ſit Confeſſio. 765. 766. Ex quatuor capitibus accidit, ut multi non integrè confiteantur. 766. & ſeqq. Confeſſiones generales. 774. & ſeq. Secretum confeſſionis. 778. Peccata venialia utiliter quis confitetur. 248. Confeſſio frequens commendatur ſimilitudinibus. 781.

3. *Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt.* Excommunicandi poteſtas eſt in Eccleſia penes Prælatos. 213. & ſeq. In ſola Eccleſia Romana invenitur poteſtas conferendi Indulgentias. 217. 218.

4. *Sicut*

4. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Explicatio horum verborum datur, pag.785. Hæcque deſervire poterit pro Exordio. Deinde tota proponatur Controverſia Hæreticorum de confeſſione Sacramentali. 782. & ſeq.

5. *Inſufflavit, & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum!* O admirabilem ſacerdotum dignitatem! Ergone Chriſtus tanto honore & reverentiâ Sacerdotes afficit, ut iis Spiritum Sanctum inſpiret? Hinc vide, O Chriſtiane, quantâ reverentiâ orga eoſdem ferri debeas, cùm ipſorum dignitas ſit maxima. Sunt námque Angeli, & quidam quaſi Dii. 826. Ipſi etiam Imperatores & Principes honorârunt Sacerdotium. 827. S. Franciſcus ex humilitate noluit fieri Sacerdos. 832.

6. *Vide manus meas, &c.* Cur Chriſtus retinuerit ſacra Vulnera poſt reſurrectionem ſuam? pag 127.

DOMINICA II. POST PASCHA.

1. *Ego ſum Paſtor bonus.* Joan. cap. 10. Parochorum principale munus eſt, docere principalia puncta Fidei. 6 & 7. Obligatio eorundem ad Catechiſmum. 6. Paſtores boni fuêre, Chriſtus, Petrus, Paulus, & alii. 8. & 9. Parochorum cura circa infirmos 804. Quibus, & quando Extremam unctionem dare debeant. 800. 801. Paſtores abſque oratione parùm proficient. 307.

2. *Ego ſum Paſtor bonus.* Dominorum erga ſervos & ancillas officium. 547. Familia à S. Elzeario optimè inſtructa. ibid. Officium Principum & Magiſtratuum, 4. & 552. & ſeqq.

3. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Chriſtus animam ſuam dedit pro nobis ovibus ſuis; omniaque tormentorum genera pertulit. 93. Cur Crucis tormentum voluerit ſubire? 95. Et cur tam dira pati? 107. Lugere Paſſionem & mortem Domini ſanctum eſt; quam & plurimi planxerunt cum fructu ſpirituali. 108.

4. *Animam meam pono pro ovibus meis.* Optima ratio meditandi paſſionem Dominicam 111. & ſeqq. Utilitates ex ejuſmodi meditatione promanantes, 109. Multi ſpecialiter addicti fuerunt huic meditationi. 114 115.

DOMINICA III. POST PASCHA.

1. *Vos autem contriſtabimini.* Joan. cap. 16. Corporis humani vilitas. 19. 20. Vita mortalis plena eſt miſeriis. 359. 393. Cur Deus hanc mortalem vitam tot ærumnis inſperſerit? ibid.

2. *Triſtitia veſtra convertetur in gaudium,* Quare? quia poſt hanc vitam miſeram, & temporalem, ſequetur vita beata, & æterna. Duodecimus ſymboli articulus; *Vitam æternam.* 262. Electi auditâ, definitivâ Judicis ſententiâ in ſuum favorem, indicibili lætitia afficientur. 159. Secura, & recta via ad cœlum, quæ? 275.

3. *Gaudebit cor veſtrum.* Gaudium eſt fructus Spiritus ſancti. 182. Gaudium mundanum, & Spirituale. ibid. Fieri poteſt, ut juſtus hîc ſemper gaudeat. 183.

4. *Mulier cùm parit, triſtitiam habet; quia venit hora ejus.* Maria Virgo peperit Chriſtum ſine dolore, & triſtitia, manſitque ſemper Virgo. 83 84. & ſeqq. Puerperæ in difficultate partûs invocent Dei param. 85. Mira hac in re improbitas mulierum hæreticarum. ibid.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

1. *Quò vadis?* Joan. cap. 16. Quò vadis, O Chriſtiane? quò ſingulis vitæ tuæ momentis feſti-

ſeſtinas,& curris? Utique ad mortem,ad judicium particulare, ad purgatorium,ad Æternitatem vel felicem,vel infelicem. *In Indice Rerum* quære ſingula.

2. *Quò vadis?* Ad convivia,ad popinas,ad conſectandam ebrietatem.578. Ad choreas, ad tripudia,ad mulieres.579. & ſeq. Ad furta,ad ſacrilegia in materia furti. pag. 609.612. & ſeqq.

3. *Si ego non abiero,paraclitus non veniet ad vos.* Spiritus ſanctus diverſa in ſcriptura habet nomina.173. Reipsâ & phyſicè donatur nobis perſona S.Spiritûs, atque adeo tota SS.Trinitas.174. Duodecim ſunt fructus Spiritus ſancti ad nos venientis.181. & ſeqq.

4. *Cùm venerit ille,arguet mundum de peccato.* Peccatum ſolum timeat homo; utpotè de quo ſolo ipſum arguet Spiritus S.246. Remedia contra peccata tum mortalia, tum venialia.246.251.Praxis eliciendæ contritionis de venialibus.252. Inquire V. *Peccatum.*

5. *Arguet mundum de juſtitia.* Reſtitutio (quæ eſt actus juſtitiæ) & bonorum fortunæ, & famæ,neceſſaria eſt neceſſitate ſalutis.617.633.

6. *Ad Patrem vado; & jam non videbitis me.* Deus peculiariter dicitur Pater Fidelium creatione,& adoptione.52.55.347.Chriſtus rurſum à nobis videbitur, cùm veniet judicaturus nos.Lege articulum ſymboli. *Judicaturus vivos,& mortuos.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

1. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis.* Joan.cap.16.In nomine Jeſu rogemus Patrem cæleſtem;de quo ſacroſancto Nomine,pag.69.& 70.Ora manè,ora ſub meridiem, ora veſperi.291.& ſeqq.De oratione mentali,p.333.& ſeqq.

2. *Petite,& accipietis.* Orationis elogia,& neceſſitas.306.& 308. Et quomodò cum attentione & fructu ſit orationi vacandum.Quære in Indice V. *Oratio.*

3. *Si quid petieritis Patrem,dabit vobis.* Oremus ergo: *Pater noſter,qui es in cælis;* & pientiſſimus Pater dabit bona filiis rogantibus ſe.Lect.1.in Orat.Dom.Deſideras panem, victum, & veſtitum? precare: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*366. Et ſic de ſingulis ſeptem orat.Dom.Petitionibus.Brevis expoſitio orationis Dominicæ.p.395.& ſeqq.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

1. *Cùm venerit Paraclitus,qui à Patre procedit.* Joan.cap.15. Spiritus ſanctus eſt tertia in Trinitate perſona, proceditque à Patre & Filio,ita ut unus cum eis maneat Deus. 169.173. Alia de S.Spiritu videantur in *Indice Rerum.*

2. *Abſque Synagogis facient vos.* Joan.cap.16. Agi poſſet de Hæreticis,eorumque fructibus.196.Item de ſchiſmaticis.198. Eccleſiæ incrementum hæreſes, & perſecutiones attulerunt. 201.

3. *Venit hora,ut omnis,qui interficit vos,arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Joan.16. Martyrum conſtantia, & ſignum fidei noſtræ, 48. Hæretici pro ſua fide morientes, non ſunt Martyres.49. Homicidium eſt peccatum. Vide quintum præceptum decalogi: *Non occides.*556

DO-

DOMINICA PENTECOSTES.

Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Act.cap.2. Conſule octavum Symboli articulum: *Credo in Spiritum ſanctum*; & copioſam, per quinque Lectiones, reperies materiam.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

1. Exponi poterit primus Symboli articulus: *Credo in Deum, &c.* SS.Trinitatis laus.58. 321. Agi etiam poſſet de ſigno Crucis; V. *Crux.*

2. *Euntes docete omnes gentes, &c.* Matth.cap.28. De Catechiſta, & traditione Catechiſmi. Tria ſunt Baptiſmata, fluminis, flaminis, & ſanguinis. 647. Primum eſt Sacramentum, de quo p.4. In eo renuntiatur Diabolo, & pompis ejus.ibid. Quô pactô veſtis baptiſmalis candor uſque in finem poſſit ſervari.ibid. V. *Baptiſmus.*

DOMINICA I. POST TRINITATEM.

1. *Induebatur purpurâ & byſſô.* Luc.cap.16. Fiat Concio invectiva contra immoderatum cultum, ac ornatum fœminarum in veſtibus.583. & ſeqq.

2. *Epulabatur quotidie ſplendidè.* De conviviis, crapula, & ebrietate.578. & ſeq.

3. *Nemo illi dabat.* Eleëmoſyna quomodò, & quando ſit præcepta?619. Quomodò, ipſa ſit facienda?ibid. Fructus ejus corporales & Spirituales.623. & ſeqq.

4. *Sepultus eſt in inferno.* De inferno, ejuſque tormentis ac pœnis 811. & ſeq.

5. *Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Res eſt periculi plena, de die in diem differre pœnitentiam.748. & ſeq. Exemplar pœnitentiæ in S.Paulo.751.

DOMINICA II. POST TRINIT.

1. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc.cap.14. Hæc cœna ſecundùm SS.Patres eſt Euchariſtia, de qua, ſicut & de Figuris ejus, ejuſdemque effectibus, ac aliis ad eam pertinentibus, copioſè tractat Author p.4 à pag.670.

2. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Ad hanc cœnam accedebant, & communicabant primi Chriſtiani ſingulis diebus.733. Ad Communionem frequentem probandam authoritates patrum, rationes, & ſimilitudines.p.734.736. & ſeqq.

3. *Et cœperunt ſimul omnes ſe excuſare.* Cœnam hanc adire recuſant Hæretici, qui negant Transſubſtantiationem; de qua pag. 698. Item illi, qui nolunt Euchariſtiæ impendere cultum latriæ; de quo vide pag.701.

4. *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Qualiter conjuges matrimoniô ſanctè utantur. Mariti & uxoris officia. Agi etiam poſſet de diſpoſitionibus ad matrimonium. Lect.3. de Matrim. aut de bonis Matrimonii, &c.

DOMINICA III. POST TRINIT.

1. *Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores.* Luc.cap.15. Deus facilè indulget peccata, 371. peccatum mortale quid? ejus malitia quanta? effectus ejuſdem. Ipſum omni ſtudio fugiendum eſt.242. & ſeq. De peccato veniali tractatur quoque per integram Lect. pag.247. & ſeqq.

2. *Hic peccatores recipit.* Commendatio miſericordiæ Dei.233. 518. Chriſtus eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.478. Eſt item Agnus Paſchalis pro nobis immolatus, 674. De Remiſſione peccatorum lege X. Articulum Symboli Apoſt.

3. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Partes Sacramenti Pœnitentiæ ſunt tres, Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio. De his luculenter agitur, p.4. cap.5. Lect.2. & ſeqq.

DOMINICA IV. POST TRINIT.

1. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Luc. cap. 6. Deus paratus, & facilis eſt ad ignoſcendum peccata, adeòque ad remittenda debita. 372. Et tu imitaberis eum, ſi dimiſeris debita debitoribus tuis, ac inimicis ex corde ignoveris. 373. 375. & 441.

2. *Pater veſter miſericors eſt.* Deus eſt Pater noſter multis titulis. 52. 55. 347.

3. *Date, & dabitur vobis.* Prædica de Eleëmoſyna; de qua videatur *Index Rerum.*

4. *Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere?* Ne cæcus cæcum ducat, & ambo in foveam cadant, eligatur à pœnitente Confeſſarius, qui ſit doctus, prudens, & bonus. 386. & 791. Confeſſariorum ignarorum modi agendi, damnati. Vide V. *Confeſſarius.*

DOMINICA V. POST TRINIT.

1. *Per totam noctem laborantes, nihil cœpimus.* Luc. cap. 5. Hoc dicere poſſunt peccatores inveterati, qui volunt & non volunt à peccatis reſurgere. Sed quòd non reſurgant, cauſa eſt quia non habent firmum emendationis propoſitum; de quo præclara docentur, pag. 279.

2. *Ex hoc jam eris homines capiens.* Apoſtoli, Apoſtolicique viri orbem Evangeliò imbuerunt, adeoque homines ceperunt. 187. Hos imitentur Catechiſtæ. Vide *Indicem Rerum.* De Homine, ejuſque Fine, lege p. 17. & ſeq. Diabolus capit homines aſtubus plurimis. 383. & 66. Adulatores capiunt homines verborū lenociniis. 634. Mulieres capiunt viros illecebris. 602.

3. *Eris homines capiens.* Homo facilè capitur benignitate, bonitate, & manſuetudine; de quibus p. 184. 185.

DOMINICA VI. POST TRINIT.

1. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quàm, &c.* Matt. cap. 5. Juſtitia noſtra Phariſæorum juſtitiam ſuperat, ſi non tantùm mortalia, ſed & venialia peccata evitare ſtudeamus. V. *Peccata Venialia.*

2. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, &c.* Reſtitutio eſt actus juſtitiæ, & ipſa neceſſariò facienda eſt. 616. 617. & ſeqq.

3. *Non occides.* Explicari poſſet V. Præceptum Decalogi; aut etiam agi de Bello, & Duello.

4. *Non intrabitis in Regnum cœlorum.* Legatur Secunda orationis Domin. Petitio. *Adveniat Regnum tuum.*

5. *Vade priùs reconciliari fratri tuo.* Non ſolùm amici diligendi ſunt, ſed & inimici; hisque ignoſcendum eſt, & injuriæ remittendæ ſunt. p 373. 375 441.

DOMINICA VII. POST TRINIT.

1. *Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduò ſuſtinent me.* Marc. cap. 8. Per *triduum* poteſt intelligi Fides, Spes, & Charitas: de quibus *Index Rerum.* Vel etiam Contritio, Confeſſio, & Satisfactio; de quibus idem *Index.*

2. *Ecce jam triduò ſuſtinent me.* Juxta quoſdam Interpretes, *ſuſtinere*, idem eſt, quod *ſperare.* Hinc Pſaltes: *Suſtinuit anima mea in verbo ejus; ſperavit anima mea in Domino.*

Unde

Unde Chriſtus rationem aſſignans, cur hodiernum miraculum patret, ſpem & fiduciam aſſignat ſequentium ſe turbarum. De ſpe & deſperatione diſcurritur, pag. 2. c. 1. Lect. 1. & 2.

3. *Unde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Euchariſtiâ (cujus figuræ fuerunt Manna, Panes propoſitionis, & panis Eliæ, p. 677. & ſeqq.) ſatiantur famelicæ Catholicorum animæ. Exponere etiam poteris petitionem IV. Orationis Domin. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* p. 366. & ſeqq.

4. *Et habebant piſciculos paucos.* Non lauta fercula, non carnes, non vinum turbæ appoſuit Chriſtus, ſed panem & paucos tantùm piſciculos; ut nos doceret in conviviis vitare intemperantiam, gulam, & ebrietatem, quæ multa mala ſecum trahere ſolent. 578. & ſeq. Illis, qui hîc abſtinentiam coluerint, Chriſtus in cœlo menſam regiam parabit, ipſeque præcinctus miniſtrabit, pag. 267.

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

1. *Attendite à falſis Prophetis.* Matt. cap. 7. Falſi Prophetæ ſunt Hæretici. 49. Diabolus eſt horum Magiſter. 457. Conciones eorum vitandæ ſunt. 458. Libri comburendi. 459. Hæreſis ſerpit ut cancer. ibid. Falſi item Prophetæ ſunt Dæmones, qui quamvis multa etiam occulta norint; futura tamen contingentia à libero hominis arbitrio dependentia, certò non cognoſcunt. 482. Agi etiam poterit de ſuperſtitioſis, & maleficis, qui falſa prophetant.

2. *Attendite à falſis Prophetis.* Adulatores ſunt falſi Prophetæ, qui vitia canonizant, & ſancta reddunt. 634. Item Mendaces, qui verba ſua tegunt, ac ſi vera eſſent. 629. & ſeqq.

3. *Mala arbor malos fructus facit.* Hæretici ſunt arbores autumnales, & bis mortuæ, 192. Fructus eorum ſunt plurimi, noxii & peſtiferi. 196. vide V. *Hæreticus.*

4. *Qui facit voluntatem Patris mei, &c.* Deſerviet expoſitio petitionis tertiæ Orat. Domin. *Fiat voluntas tua, &c.*

DOMINICA IX. POST TRINIT.

1. *Homo quidam erat Dives.* Luc. cap. 16. Dives difficilè intrabit in cœlum. 615. Decem præcepta divitibus dat S. Paulus. Ibid. Divitiarum uſus legitimus. 615. Divites modeſtè ſe habeant ad pauperes 19. illiſque dent eleemoſynas. V. *Eleemoſyna.* S. Franciſcus pauperiori ſe dabat. pag. 620.

2. *Et hic diffamatus eſt apud illum.* Detractio quid? 550. & 631. pœna detractoris. Ibid. Quomodò ſe gerere oporteat in medio detractorum? 632. Suſurrationes ſeminant diſcordias. 633.

3. *Redde rationem villicationis tuæ.* Examinanda ritè eſt conſcientia. V. *Examen.* In judicio particulari quænam diſcutientur? Judicium generale cur ſuperaddetur particulari? 164. Quænam in eo diſcutienda ſint? 154. Accuſatores, & teſtes qui futuri? 154. Libri rationum, & hi aperti quid? 157. Vide V. *Judicium.*

4. *Dicebat primo: Quantum debes Domino meo?* Duo ſunt Chriſto Domino à nobis de-

ra, quæ ante diem rationis maturè ſolvamus. 163. Dimitte tu debitoribus tuis, & *Deus dimittet* tibi debita tua. Lege petitionem V. Orat. Domin.

5. *Ut recipiant vos in æterna tabernacula.* Cur Beatitudo cœleſtis nomine *Vitæ æternæ* deſignata? 262. Bona vitæ æternæ ſunt duplicis generis. 267. 268.

DOMINICA X. POST TRINIT.

1. *Si cognoviſſes & tu.* Luc. cap. 19. O juvenis! O adoleſcens! O homo! ſi cognoſceres, ſi animo volveres noviſſima tua, certè non ita temerè peccares: noviſſimorum ſiquidem recordatio, eſt forte contra peccata telum, 505. & ſeqq.

2. *Si cognoviſſes & tu,* putà calamitoſam hujus vitæ conditionem. 359. Vitæ mortalis miſerias. 393. Animæ tuæ dignitatem, & corporis utilitatem. 18. 19. Beneficium creationis, & conſervationis. 67. 68. Res divinas ad ſalutem neceſſarias, &c. 24. & alibi.

3. *Domus mea, domus orationis eſt.* Templum orationis causâ frequentandum 296. Orationi tempus deputatum, & quandonam orandum? 290. 297. 337. In oratione quæ petenda? &c. V. *Oratio.*

4. *Et erat quotidie docens in Templo.* Prædicare poterit de Templis & Altaribus ad honorem Dei erectis. 503. & ſeq. Item de Eccleſiarum immunitate. 506. Aut etiam de Miſſa, quam Hæreticus dicit eſſe Idololatriam Papiſticam. 707. & ſeqq.

DOMINICA XI. POST TRINIT.

1. *Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent.* Luc. 18. Ad templum eundum eſt orationis gratiâ 296. Cur oramus ad Orientem converſi in templis? 300. Orationis fructus tredecim. 309. Oculi ſunt cuſtodiendi in templo. 583. Aſpectus laſcivi ſunt vitandi. 581. & ſeqq.

2. *Duo homines aſcenderunt, &c.* Addit Gloſſa: *Uterque fidelis,* Sed unus verbotenùs tantùm, alius & facto. Magnus honor eſt, Chriſtianum eſſe. 21. 22. Verùm non verbotenùs ſolùm, ſed facto & opere tu te exhibeas Chriſtianum. V. *Chriſtianus.*

3. *Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat.* De præparatione ad orationem. 298. De ritibus in Oratione ſervandis. 299. De attentione in Oratione. 301.

4. *Non ſum ſicut cæteri homines: raptores, injuſti, adulteri, &c. Decimas do omnium, quæ poſſideo.* Dicere poteris de Furto, & Reſtitutione; de Adulterio; de Decimis; pro quibus inſpice *Indicem Rerum.*

5. *Et publicanus à longè ſtans. Ecce Dei timor, quaſi non eſſet dignus appropinquare,* inquit noſter Nicolaus de Lyra. Timor Domini quid? 175. Modus ſe continendi in Timore Dei. 177. Ad Timorem Dei media. 175. *Sed percutiebat pectus ſuum.* Ecce verus de peccatis dolor! Ecce vera, & pura Confeſſio! V. *Attritio & Contritio.* Confeſſio ab Eccleſiæ initio uſitata. 763. Controverſia Hæreticorum de Confeſſione Sacramentali. 782. Confiteri ſæpiùs, expedit. 781. Confiteri cum rubore adducit gloriam. 599.

DOMINICA XII. POST TRINIT.

1. *Et iterum exiens de finibus Tyri.* Marc. cap. 7. Exivit videlicet de finibus gentilibus ut nos doceret, fugiendos eſſe Hæreticos. 194. & fugiendas eſſe occaſiones proximas peccandi. 761. & fugiendam eſſe mulierum familiaritatem 601.

2. *Deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Sacramentum Confirmationis baptizatis cō-

fertur

fertur impoſitione manuum Epiſcopalium.662.Formam, materiam, effectus, & cæremonias hujus Sacramenti, vide p.4.cap.3.

3. *Expuens tetigit linguam ejus.* Duodecim attributa, & damna linguæ.635.De vitiis linguæ tractatur in octavo præcepto Decalogi: *Non loqueris contra proximum &c.*

4. *Et apprehendens eum de turba ſeorſum.* addit Gloſſa: *De ſtrepitu mundi.* Ven: Beda: *Non enim poterit quis ſanari à Dæmone, hoc eſt, à peccato, niſi primò malorum eum ad peccata inſtigantium vitet conſortium.* Vita tu igitur choreas & tripudia.579. impudicos aſpectus. 581. otium, & mulieres.588.601.

DOMINICA XIII. POST TRINIT.

1. *In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* Luc.cap.10.quinque puncta nos docet ſcriptura de Traditionibus 35.Lectio piorum librorum,præſertim ſacræ Scripturæ, eſt efficax remedium contra luxuriam.596.& ſeqq.

2. *Magiſter, quid faciendo vitam æternam habebo?* De vita æterna agit ultimus ſymboli Apoſt.articulus.pag.262.& ſeqq.

3. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.& proximum tuum ſicut teipſum.* Charitas quid? 429.Amare Deum ex toto corde, quid? 431. Cur ſic diligendus? 432.Quâ ratione Deus diligatur ſuper omnia? 435.De amore proximi præclara traduntur,pag.440.& ſeqq.

4. *Hoc fac, & vives.* Charitas erga Deum ſe prodit, ſi ejus ſerves mandata. 445. Et hæc gravia non ſunt; quanquam Hæretici dicant, impoſſibile eſſe, ea ſervare 431.448. Fructus obſervationis mandatorum divinorum.449.

DOMINICA XIV. POST TRINIT.

1. *Occurrerunt ei decem viri Leproſi.* Luc.cap.17.Dicuntur ſpirituali ſenſu decem leproſi; quia ex tranſgreſſione decem præceptorum Decalogi incurritur lepra culpæ & animæ. Præcepta Decalogi memoriâ tenenda ſunt 446 Omnia præcepta ſunt Decalogo comprehenſa.446.Quis eum nobis dedit? & cur nobis eſt datus? ibid. Quis ordo præceptorum Decalogi? 450.

2. *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Sacerdotium eſt omnium ordinum excellentiſſimus.821. Sacerdotes ſunt Angeli, & quidam Dij.826.Sancti & Principes verbo & exemplo illos honorârunt, 827.Sacerdotii duplex poteſtas. 824.

3. *Dum irent, mundati ſunt.* Poteſtas ſolvendi peccata,& mundandi à lepra ſpirituali,pertinet ad Sacerdotes.231.233 825.Timor, & verecundia ſunt cauſæ,ob quas multi non confitentur integrè; ideoque à lepra animæ non mundantur.777.& ſeqq.

DOMINICA XV POST TRINIT.

1. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Matt.cap.6.Magna indignitas eſt, poſtquam nos Deo addiximus, ſervire diabolo. 74.Serviamus, rogo, Chriſto Domino noſtro,Filio æterni Patris unico.72.73.Obſervemus mandata Domini noſtri. 450. & ſeqq. Lege expoſitionem tertiæ partis primi præcepti Decalogi. *Non facies tibi ſculptile, ut adores illud.* Prædicari etiam poſſet vel de Idololatria.511 Vel de Irreligioſitate,514.& ſeqq.

2. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis,* Largitus eſt Deus frequenter panem quotidianum

dianum petentibus illum.370. Igitur & nos oremus Patrem noſtrum cœleſtem, dicentes : *Pater noſter, qui es in cœlis; Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie;* & ipſe nobis filiis ſuis eundem abſque dubio dabit.366.

3. *De veſtimento quid ſolliciti eſtis?* Veſtium ornatus immoderatus reprehenditur.575.

4. *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Deus eſt Pater noſter multis titulis, pag.52.55.347. Providentia Dei erga nos.68.348.370.

DOMINICA XVI. POST TRINIT.

1. *Ecce defunctus efferebatur.* Luc.cap.7. Quomodo debeat ſe homo præparare ad mortem.803.& ſeqq. In mortis articulo angorem quæ præcipuè afferant.809.V.*Mors.*

2. *Ecce defunctus efferebatur.* Animæ defunctorum acerbas luunt pœnas in purgatorio. 223. Eas proinde noſtris adjuvemus ſuffragiis, maximè Miſſæ Sacrificiis.224.& ſeq. Rationes inductivæ ad adjuvandum eaſdem. 225.& ſeq.

3. *Noli flere.* Quare? reſpondet S.Ambroſ. lib.5.in Luc.cap.7. *Flere prohibetur eum, cui reſurrectio debebatur.* S.Chryſoſtomus: *jubens ceſſare à lachrymis, monet nos præſentibus defunctis conſolationem recipere reſurrectionem ſperantes.* Multiplicem fructum capiunt fideles ex futura carnis reſurrectione.261. Beatorum corpora quatuor dotibus erunt ornata.259. Similitudinibus & rationibus oſtenditur reſurrectio futura, pag.257.

4. *Filius unicus matris ſuæ.* Quid filii debeant parentibus, & quid hi illis.541.543. & ſeq.

DOMINICA XVII. POST TRINIT.

1. *Cum intraſſet Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem.* Luc. cap. 14. Duabus de cauſis Judæi Sabbathum celebrârunt. 533. Sabbathum gravibus de cauſis in diem Dominicum apud Chriſtianos eſt computatum, ibid. Dies Dominica eſt antiquiſſima, variæque ſunt ejus prærogativæ. 533.& ſeq.

2. *Si licet Sabbatho curare?* Quid ex præcepto agendum, ut dies Dominica, dieſque feſtivi ſanctificentur? 535. 540. & ſeq. Quæ prohibita diebus Dominicis? Ibid. Fructus colentium Feſta, & pœnæ eadem violantium, 37, 538.

3. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Infirmitas corporalis eſt interdum animæ utilis. 392. Magni meriti eſt, viſitare infirmos 803, Angeli eos viſitant.62. Extrema Unctio quibus infirmis, & quando ſit danda? 800.& ſeqq.

4. *Homo quidam hydropicus erat ante illum*, puta ante Jeſum. Theophylactus ait : *Hydropicus eſt omnis, qui per diſſolutam vitam & lubricam, in anima ſua graviter ægrotat, qui & Chriſto indiget. Sanabitur planè, ſi ante Chriſtum fuerit: nam cogitans ſemper, quomodo ab ipſo videatur, minimè peccabit.* Præſentiæ Divinæ recordatio timorem generat. 350. Exercitium præſentiæ Dei eſt admodum utile. 350. 351. Exemplis variis id ipſum declaratur. ibid. & 176.

DOMINICA XVIII. POST TRINIT.

1. *Interrogavit eum unus ex eis Legis Doctor, tentans eum.* Matt.cap.22. Irreligioſitas eſt vitium Religioni oppoſitum per defectum; habetque duas principales ſpecies, Tentationem Dei videlicet, & Sacrilegium; de quibus pag.514.& ſeqq.

2. *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege? Chriſtianum oportet tendere ad perfectionem*

nem Chriſtianam, adeoque non tantùm vitare peccata mortalia, ſed etiam omni ſtudio venialia. V. *Peccatum Mortale*, & *Veniale*.

3. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Vide ea, quæ annotavimus Domin. XIII.

4. *Quid vobis videtur de Chriſto? cujus filius eſt?* Reſpondent pro nobis Apoſtoli in Symbolo fidei, quod ipſi compoſuerunt, nempè Meſſiam noſtrum vocari, & eſſe I. *Jeſum Chriſtum.* *II. Filium Dei unicum.* *III. Dominum noſtrum.* Conſule ſecundum Symboli articulum.

5. *Quid vobis videtur de Chriſto?* Hoc ego cum Eccleſia cenſeo, & credo de Chriſto, nimirum, quòd is ſedeat à dextris Dei Patris omnipotentis, pag. 141. Et quòd inde olim venturus ſit judicare vivos, & mortuos. p. 144. & ſeqq.

DOMINICA XIX. POST TRINIT.

1. *Videns Jeſus fidem illorum.* Matth. cap. 9. Fidem deſerere, vel reſpuere, eſt ſumma ſtultitia. 22. Mirabiles converſiones ad fidem. 32. Ipſa ſola non ſufficit ad ſalutem 33. Fides integra in Chriſtum qualis eſſe debeat. 163. Fidem oppugnantes, miſerè moriuntur. 50.

2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* De ſpe. 285. Poteſtas remittendi peccata verè eſt in Eccleſia. 231. & 825. Lege articulum ſymboli: *Remiſſionem peccatorum.* Deus facile indulget peccata. 372.

3. *Ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat.* De Blaſphemia, quæ graviſſimum eſt peccatum, tractatur p. 530. & ſeqq.

4. *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Quatuor ſunt gradus cogitationum. 572. Modus confitendi cogitationes inhoneſtas. ibid. Poſſimæ evagationes mentis quæ? p. 277.

DOMINICA XX. POST TRINIT.

1. *Simile factum eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Matth. cap. 22. Adoleſcentes proci qualiter in converſationibus ſuis cum amaſiis ſeſe habere debeant, & qualiter ſe hæ cum illis. 841. Sponſalia quem uſum habeant. 842.

2. *Qui fecit nuptias filio ſuo.* Deus in regno fidelium Rex eſt, in quo fecit nuptias Filio ſuo, quando is ſibi univit in unitate perſonæ humanam naturam. Vide V. *Incarnatio.* Univit etiam Chriſtus Dei Filius ſibi ſponſam Eccleſiam, ubi celebre convivium gratiæ præparatur; quia ſub ſpeciebus panis & vini Corpus & ſanguis Jeſu apponitur. Vide V. *Eucbariſtia.* Facit denique Deus nuptias Sponſæ ſuæ in cœlo, putà Eccleſiæ triumphanti. Vide, V. *Beatitudo æterna*, & ſignanter pag. 267.

3. *Reliqui verò tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.* Contumelia eſt grave peccatum 633. Similiter & homicidium. 556. Hoc ſolet Deus, quantumvis occultum, propalare. 557. Quinam ſint rei homicidii? 558.

4. *Vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali.* D. Gregorius hîc: *Quid debemus intelligere, inquit, per veſtem nuptialem, niſi charitatem? quia hanc in ſe Dominus habuit, dum ad ſociandum ſibi Eccleſiæ nuptias veniret; cui per Jeremiam dixit: In charitate perpetua attraxi te, &c.* Odium Dei graviſſimum eſt peccatum. 430. Quid ſit diligere

Deum ex toto corde;& cur ipſe ſic diligendus ſit?431. & ſeqq. Ubi & agitur de dilectione proximi.440.

5. *Mittite eum in tenebras exteriores.* Pœnæ damnatorum ſunt Tenebræ, *Fletus, Fames, &c.* 811. & ſeqq. Lege etiam ea, quæ habentur de Purgatorio. *Multi ſunt vocati; pauci verò electi,* 276. & ſeq.

DOMINICA XXI. POST TRINIT.

1. *Rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus.* Joan.cap.4. De Orationis convenientia, utilitate, & neceſſitate, pag.306. & ſeqq. Vide V. *Oratio.*

2. *Incipiebat enim mori.* Mors improviſa metuenda eſt.163. Qualiter ipſa timenda ſit.811. Angeli morientes viſitant, 62. De morte, & præparatione ad eam, lege pag. 803. & ſeqq.

3. *Credidit ipſe, & domus ejus tota.* Certiſſima fide credendi ſunt articuli fidei. Et quidem omnes ab Eccleſia propoſiti.24. Sex ſigna credulitatis myſteriorum fidei.45. & ſeqq. Quorundam fides, aut potius ſuperſtitio arguenda eſt.484. Superſtitioſi male pereunt.ibid. Obſervare ſomnia, quale ſit peccatum.486.

DOMINICA XXII. POST TRINIT.

1. *Omnia reddam tibi.* Matth.cap.18. Reſtituere quis debeat?617. Reſtituendum quantum? Quomodò? & quando? 618. Reſtitutio honoris & famæ qualiter ſit facienda? 633.

2. *Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Expone Petitionem V. Orationis Domin. *Et dimitte nobis debita noſtra, &c.*

3. *Miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Purgatorium eſt quidam carcer, in quo homo purgatur & luit, donec reddat univerſum Deo debitum.223.224.&ſeq. Suffragia animarum purgantium,224.& ſeqq.

4. *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis, &c.* Injuriæ condonandæ ſunt.373. Deus non dimittet nobis peccata, ſi debitoribus non dimiſerimus debita.375.441.& ſeq.

DOMINICA XXIII. POST TRINIT.

1. *Quid me tentatis hypocritæ?* Matth. cap.22. Non eſt tentandus Deus.515. Quo ſenſu Deus dicatur nos in tentationem inducere?380. Nos tentamur à carne, mundo, & dæmone, & quidem cum fructu multiplici.378.384. Quibus modis Deus hominem liberet à tentationibus.389.

2. *Cujus eſt hæc imago?* Homo eſt Dei imago.17. Et creatura rationalis.18. Finis ejus excelſus eſt, & ſublimis. 20. Deus non prohibuit abſolutè imagines effingi.508. Utilitates ſacrarum imaginum. ibid. Diabolus dat operam abolendis imaginibus. 509. Imaginum ſacrarum effectus, & virtutes.508.418. Lege & ſequentia, quæ docentur de *Idololatria.*

3. *Cujus eſt hæc ſuperſcriptio?* Hominis, qui Dei imago eſt, ſubſcriptio hæc eſt: *Chriſtianus ſum.* Vide præclara pag.21. & ſeqq. Externum ſignum Chriſtiani eſt Signum Crucis.25. & ſeqq.

4. Red-

4. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Quid homo debeat Deo ſuo pro beneficio creationis? 67. Chriſtus eſt Dominus noſter, nos ſervi ejus. 72 74. Quid ſubditi debeant Principibus & aliis Superioribus? 554 & ſeq.

DOMINICA XXIV. POST TRINIT.

1. *Ecce Princeps unus acceſſit, & adorabat eum.* Matt cap. 9. Religio eſt virtus, quæ debitum cultum Deo, tanquam primo omnium rerum principio, exhibet. 452. Adorare Deum, eſt debitum ipſi honorem deferre, quam Latriæ cultum dicimus. ibid. quandonam debeant Chriſtiani adorare Chriſtum? ibid. Chriſtus in Eucharistia adorandus eſt. pag. 701.

2. *Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti ejus.* Hujus Hæmorrhoiſſæ exemplo diſcimus, quanta vis inſit rebus benedictis, putà Aquæ luſtrali, Cereis, Palmarum ramis, & Agnis Dei; De quibus ſingulis conſulatur Index Rerum. Dicere quoque poterit Eccleſiaſtes de Reliquiis Sanctorum, & cultu, ac veneratione illorum. 496. Et ſeqq. R.P. noſter Judocus à Caſtro per *fimbriam* Dominicæ veſtis intelligit interceſſionem Sanctorum: illi enim potentes ſunt in orando, adeòque rectè faciunt Catholici, qui Sanctos colunt, & invocant. 286. & ſeqq.

3. *Tenuit manum ejus; & ſurrexit puella.* Dic de Sacramento Confirmationis, quod baptizatis confertur cum impoſitione manuum. p 4. cap. 3. lect. 1. & ſeqq.

4. *Tenuit manum ejus.* Tactus inhoneſti ſunt cavendi, 584. Horrenda punitio V. *Tactus.*

5. *Tenuit manum ejus; & ſurrexit puella.* Præbeamus & nos Defunctis manum, offerendo pro ipſis Miſſæ ſacrificia: hæc enim iis plurimùm proſunt. 710. & ſeqq. 226. Item pro eiſdem orando. 224. Et Indulgentias applicando. 219. 220.

DOMINICA XXV. POST TRINIT.

1. *Cùm videritis abominationem deſolationis, &c.* Matt. cap. 24. De ſignis diem Judicii præcedentibus; pag. 149. & ſeqq.

2. *Væ autem prægnantibus in illis diebus.* Puerperæ invocent Virginem Mariam, quæ ſine dolore peperit. pag. 85.

3. *Sed propter electos breviabuntur dies illi.* Poterit dici de poteſtate Dæmonum, qui admodum potentes ſunt, & aſtuti. 383. Quomodo iis reſiſtendum. 65. 381. 383.

4. *Ita erit Adventus Filii hominis.* De adventu Chriſti ad judicium. 148. Cur judicandi poteſtas ſit Filio Dei attributa? 147. De quibus ratio exigetur in judicio? 154. Actus ultimus judicii erit ſententiæ pronuntiatio; de qua pag. 158. & ſeqq.

INDEX

CONCIONATORIUS.

Pro præcipuis Feſtis

FESTUM NATIVITATIS D. N.

VErbum Caro factum eſt. Joan.cap.1. Concionare de admirabili Incarnationis myſterio, & vide *Indicem Rerum.* Quinque prærogativæ Incarnationis Dominicæ.78. Fuit conveniens, ſecundam perſonam incarnari.79. Hoc Incarnationis myſterium eſt undequaque maximum, &c. 80.

2. *Peperit filium ſuum primogenitum.* Luc.cap.2. Deſerviet tertius Symboli articulus. *Natus ex Maria Virgine*; pag. 81.& ſeqq.

3. *Peperit filium ſuum primogenitum.* Quotidie etiamnum Jeſus in Bethlehem, hoc eſt, in domo panis, ſive in templis quodammodo naſcitur: & in Altaris Tabernaculo, velut in præſepio requieſcit. Chriſtus hoc Sacramentum Altaris inſtituit certas ob cauſas. 682. Tu Jeſum hic præſentem adora.701.

4. *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, &c.* id eſt, Angelorum, quorum primum officium eſt, ſemper canere, & Deum laudare. 57.& ſeq. ubi etiam reliqua eorum officia deſcribuntur.

FESTUM CIRCUMCISIONIS D. N.

1. *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Luc.cap.2. *Jeſus* eſt proprium nomen ejus, qui Deus & homo eſt; *Chriſtus* eſt ejuſdem Domini noſtri Jeſu quaſi cognomen honoris, & officii. pag. 69.& ſeqq. Bona hæc nomina poterunt dari Auditoribus pro ſtrena,

2. *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Quod tibi prænomen. Auditor optime? quod tibi cognomen? Prænomen meum eſt *Homo*; cognomen. *Chriſtianus.* O prænomen, & cognomen præclarum! ſtude, ut ſecundùm nomina hæc ſit & laus tua. Agitur de homine, ejuſque Fine; pag.17.& ſeqq. tractatur de Homine Chriſtiano.21.& ſeq.

3. *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Dixiſti, te cognominari Chriſtianum. Aſt ex quo ſigno ego cognoſcere potero, te Chriſtianum eſſe? Ex ſigno duplici, interno uno, altero externo. Illud eſt charitas ipſa, de qua Chriſtus ad Apoſtolos: *In hoc* inquit, *cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem,* Joan. 13. De charitate proximi vide pag.440.& ſeq. Hoc eſt Signum Crucis, de quo pag 25.& ſeqq.

4. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Iſaiæ cap.11. In ſtrenam Auditoribus opta ſeptem hoſce ſpiritus, qui ſuper natum Jeſulum requieverunt. Eccleſiaſticis & Religioſis opta pro convenienti Xenio, *Donum Intellectus.* pag.179. Præfectis ſæcu-

ſæcularibus, *Donum Sapientiæ*. 180. Virginibus, *Donum Fortitudinis*. 178. Viduis, *Donum Conſilii*. 179. Conjugatis, *Donum Pietatis*. 177. Servis & Ancillis, *Donum Scientiæ*, 177. Pueris & Adoleſcentibus, *Donum Timoris Domini*. 175 & ſeq.

5. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Joan. c. 1. Agnus Dei ſignificat Chriſtum Dominum, idque ob multas proprietates Agni in ipſo notatas. 478 Agnus Paſchalis Judæorum erat expreſſa Figura Salvatoris noſtri; typuſque ſacrificii tam Euchariſtici, quàm Crucis. 674. Chriſtus proinde, velut Agnus poſſet dari in Xenium.

6. *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra*. Matt. c. 6. Voluntas noſtra detur Chriſto nato in ſtrenam. Conſule hanc petitionem Orationis Dominicæ.

FESTUM EPIPHANIÆ. D. N.

1. *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. Matt. c. 2. Hugonis Cardinalis expoſitio moralis hæc eſt: *In his tribus verbis continetur ſumma ſalutis humanæ. Vidimus, recta fide: Venimus, bona operatione: Adorare, mentis devotione*. Pro primo inquire V. *Fides*; pro altero p. 449. & ſeqq. ubi agitur de obſervatione mandatorum Dei; pro tertio p. 453. 708. ubi tractatur de Adoratione, Deo & Chriſto debita.

2. *Ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos*. Stella, quæ nos ad adorandum natum puerum vocamur, eſt Fides, ſunt Cāpanæ pulſatæ ad Miſſam, & eſt Gratia Dei. Statim ut percipiuntur hæ ſtellæ, ad exemplum Magorum, ſequendæ ſunt. Quære ſingula in Indice Rerum, V. *Fides, Campana, Gratia Dei*.

3. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*. Offeramus nos Jeſulo nato aurum Contritionis, thus Confeſſionis, myrrham Satisfactionis. Legantur ea, quæ de his fusè traduntur *p. 4. c. 5*. Vel offeramus ei myrrham mortificationis; corpus enim exemplo Sanctorum domandum eſt, ut ſpiritui ſerviat: p. 18. & 528. thus Devotionis & Orationis, cui ariditas & diſtractiones involuntariæ non officiunt, V. *Oratio*. Remedia contra diſtractiones in oratione, 304. 305 & aurum Charitatis, de qua vide V. *Charitas* & *Amor*.

4. *Per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam*. Revertamur & nos per aliam viam, id eſt, per meliùs vivendi & Chriſto fideliùs ſerviendi propoſitum. Propoſitum bonum non implens qualiter peccet? Occaſio peccati propinqua vitanda eſt. Item otium, aſpectus impudici, mulieres, &c. Vide *Indicem Rerum*.

FERIA SEXTA PARASCEVES.

1. *Oportuit Chriſtum pati*, Luc. c. 24. Quomodò intelligendum ſit, oportuiſſe Chriſtum exaltari, pati, ac mori? 91 Exordio hic facto, perora de Cruciatibus Salvatoris, quos ipſe paſſus eſt, tum in corpore, tum in anima 93. & ſeqq. Cur tam dira pati voluerit? p 107.

2. *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum*. 1. Cor. 2. v. 2. Hæc ſcientia, nimirum quòd Chriſtus pro nobis crucifixus Patri ſuo nos reconciliaverit, eſt præcipuum Religionis noſtræ fundamentum 89. Rationes autem variæ ſunt, cur mortem Crucis ſubire voluerit. 95. Fuit hoc genus ſupplicii maximè infame. 97. Chriſtiani nihilominùs magni æſtimant Crucem, ibid. & ſeq.

3. *Bajulans ſibi Crucem*. Joan cap. 19. Omnes Chriſtiani habent ſuam Crucem ferendam, præſertim juſti & ſancti. 103 & ſeq. Deus amicis ſuis multas Cruces ob cauſas certas immittit; ſed eos in iis ferendis adjuvat 104. 105.

4. *Crucifixerunt eum*. Joan. c. 19. Figuræ S. Crucis. 25. Chriſtus cruci affixus eſt nudus, ſpineâ coronâ redimitus, faciem ab Hieroſolyma avertens, 99. 100. Quas ob cauſas inclinato versùs terram capite emiſerit ſpiritum? 108. Plangamus nos mortem ipſius, ſequentes veſtigia plurium Sanctorum. 108.

5. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus*. Thren. c. 1. Meditatio Paſſionis Dominicæ multas parit utilitates. 109. & ſeqq. Optima ratio eandem meditandi. 111. Septem animi affectiones per meditationem ipſius excitandæ. ibid. & ſeq. Exempla eorum, qui ſpecialiter addicti fuerunt huic meditationi. 114. 115.

6. *Erit ſepulchrum ejus glorioſum*. Iſaiæ. c. 11. v. 10. Qua de cauſa Chriſtus honorificam admiſerit ſepulturam. 116. Novem de cauſis ſepeliri voluit. ibid. Sepulchrum ejus qualiter glorioſum. 117.

FESTUM INVENTIONIS S. CRUCIS.

Crux duplex eſt, una materialis, altera ſpiritualis. 103. & ſeq. De Signo Crucis multa reperies V. *Crux*. Rationes decem, cur Chriſtus voluerit exaltari in ligno Crucis. 95. Crux apud Chriſtianos fuit ſemper magni habita. 97. & ſeq. Sancti ambierunt Cruci affigi, 104. & 98. Figuræ ſanctæ Crucis, 25.

FESTUM ASCENSIONIS D. N.

1. Pro hac ſolemnitate deſervient ea, quæ Author tribus Lectionibus pulchrè exponit & deducit, explicans ſextum ſymboli articulum: *Aſcendit ad cælos, &c.*

2. *Prædicate Evangeliū omni creaturæ* Marc c 16. De doctrina Chriſti, ejuſq; Evangelio pag 90. & alibi.

3. *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei*. ibid. Finis, ad quem homo eſt conditus, eſt, ut habeat vitam æternam. V. *Vita æterna* & p. 20.

4 *Aſſumptus eſt in cælum*. Aſcendit in cælum Chriſtus, quaſi Aquila ſuper pullos volitans, provocans nos ad ſequendum ſpirituali aſcenſu. Id autem fit per frequentem Orationem (eſt enim Oratio mentis aſcenſio in Deum) vide V *Oratio*. Item Sacrum quotidie audiendo, V. *Miſſa*. Et per diem ad campanæ pulſum precando p. 329.

FESTUM CORPORIS CHRISTI.

De inſtitutione hujus Feſti tractat Author p. 745 & ſeq. Euchariſtiæ Sacramentum eſt excellentiſſimum, appellaturque multis nominibus. 670. 671. Figuræ ipſius fuerunt, lignum vitæ, Sacrificium Abelis & Melchiſedech, Agnus Paſchalis, Manna, Panes propoſitionis, & Panis Eliæ. Quæ ſingula fusè illuſtrantur à p. 672. Cætera de Veritate, Tranſubſtantiatione, Adoratione, & aliis ad hoc Sacramentū ſpectantibus, elucidata reperies, paginis ſeqq. de Effectibus Euchariſtiæ, vide p. & ſeq. Frequens Communio ſuadetur p. 736. & ſeqq. & 734.

FESTUM ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*. &c. Luc cap 1. Ordo Incarnationis Dominicæ. 87 Redemptorem mundi oportuit eſſe Deum & hominem 88 Cur Incarnationis opus ſpiritui ſancto attributū? 78. Quinq; prærogativæ Incarnationis. 78. Ipſa eſt maximi faciēda 80, & ſeq

2. *Et nomen Virginis Maria*. Vox *Maria*, quid ſignificet? 403 Qua ratione illi Nomini ſit honor deferendus? 404. B. Virgo plurimùm colenda eſt. 406. 416. Plus Deo placet, ut unam B. Virginem, quàm cæteros omnes ſanctos colamus. 407.

3. *Ave gratia plena*. Salutationis Angelicæ ſunt tres partes. 399 Salutatio iſta eſt Deiparæ gratiſſima. 400. Uſus eam ſalutandi per *Ave Maria* eſt antiquiſſimus in Eccleſia. 401. Exponi poterit breviter tota Salutatio Angelica. 402. 403. & ſeq.

FESTUM PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

Dei Mater Maria manſit ſemper Virgo. Figuræ Virginitatis B Virginis Deiparæ. p. 79. 84. Exemplo eadem ſtabilitur. 79. Hæreſes principales contra myſterium illibatæ ſemper Virginitatis Deiparæ 86. Cur de Virgine Matre naſci voluit Deus? 86. Purificationis Feſtum eſt in Eccleſia antiquum. 473. Proceſſio Eccleſiæ triumphantis in Feſto Purificationis B. Virginis. ibid ubi & agitur de luminaribus, & de Cereis benedictis, eorumque fructibus.

FESTUM NATIVITATIS, VEL ASSUMPTIONIS B. VIRG.

1. *Sancta Maria, Mater Dei*. Sic orat Eccleſia. De Nomine *Maria*, vide ea, quæ annotata ſunt in Feſto Annuntiationis. Exponatur, qualiter B. Virginis ſanctitas differat à ſanctitate Dei, & quomodò ſuperet ſanctitatem omnium Sanctorum. p. 406. B. Virgo, ut Mater Dei, ſummè eſt honoranda. 416. Ipſa non tantùm Chriſti, ſed & noſtra Mater eſt. 413.

2, *Ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis noſtræ* Deiparæ Virgini fuerunt omnes ſancti Patres valdè addicti. 417. Ipſius imploratio eſt remedium contra luxuriam. 604. Magni peccatores ope ipſius adjuti ſunt, ipſaque adeſt ſuis Clientibus in hora mortis. 420. Porrò de Sodalitate Roſarii, ejuſque exercitiis, multa tractantur p. 422 & ſeqq.

FESTUM SS. ANGELORUM CUSTODUM.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt. Matt. cap. 18. Angelorum Hierarchiæ tres. 55. Angeli Cuſtodis in Clientem varia officia. 59. Angelo ſuo quid debeant Clientes. ibid. Angeli ſunt honorandi. 64. Eorum varia officia 57. 58. Morientes viſitant 62. Sunt miniſtri divinæ juſtitiæ 60. 61. Sunt timendi malè agentibus. 61. Sunt venuſtiſſimi, &c. p. 63.

FESTUM

FESTUM S. JOSEPHI.

1 *Ioſeph autem, cùm eſſet juſtus*,&c, Matth cap.1 Joſephi juſtitia, & *Sanctitas*.Nomen *Patris* ei eſt glorioſum. Fuit Pater Chriſti jure matrimonii,& authoritate,licet non generatione.pag.76.

FESTUM PORTIUNCULÆ.

Indulgentiæ datæ Eccleſiæ Mariæ Angelorum,*Portiuncula* dictæ 221 Hiſtoriâ hâc narratâ,proſequere Concionem,& expone illa populo, quæ Author luculenter docet & tractat de Indulgentiis in genere, Vide V.*Indulgentia*.

FESTUM S. PATRIS FRANCISCI.

Mira ejus devotio erga Chriſti Nativitatem.82 Devotio erga S.Archangelum Michaëlem.62. Perfectam ſui cognitionem habuit.17 Ex humilitate renuit fieri Sacerdos.832. In recitandis Horis Canonicis fuit devotus,& attentus.317. Docuit carnem eſſe domandam.20.588. Pauperiori ſe dabat eleëmoſynam. 620.Otium docebat eſſe ſummè fugiendum 590.

FESTUM OMNIUM SANCTORUM.

1.*Merces veſtra copioſa eſt in cælis*.Matt c.5.Vide V.*Beatitudo*;&copioſa tibi ſubminiſtrabitur materia.

2 *Beati mites*.De manſuetudine,pag 184 & de Patientia,pag.183 Vide V.Crux.

3.*Beati,qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam,&c.Gaudete & exultate*.Vide V.*Crux*.Gaudiū Spiritûs S. fructus.181.Gaudium mundanorum.182.Gaudium ſpirituale differt à mundano.ibid.Sancti in mediis tribulationibus gaudentes 104.182.

FESTUM UNIUS APOSTOLI.

1.*Hoc eſt præceptum meum,ut diligatis invicem*.Joan.cap.15.Charitatis elogia,438.De amore proximi 440.& ſeq.

2.*Ecce ego mitto vos,ſicut oves in medio luporum*.Matt.cap.10.Super Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus;& quidem convenienter in ſpecie ignis 187.Ignitis variis linguis Apoſtoli,Apoſtolicique viri orbem incenderunt.& Evangelio imbuerunt.187.Annuntiârunt mundo Chriſti reſurrectionem.126.

3.*Ecce ego mitto vos*,&c.q d Sicut miſit me Pater ad paſſionem,ad crucem,ad mortem; ſic & ego mitto vos,non ad gaudia,ſed ad paſſiones & ad cruces varias.Lege ea,quæ traduntur de Cruce ſpirituali, pag. 193.& ſeq.Vide etiam illa,quæ annotavi in Feſto omnium Sanctorum.

4.*Ecce ego mitto vos*,&c.ad Hæreticos convertendos,qui ſunt lupi rapaces,aliiſque variis nominibus à Scriptura appellati.192 & ſeq.Ipſi fugiendi ſunt,& execrandi.cur?194. Sancti ſunt eos vehementer execrati.ibid.Libri ipſorum prohibiti ſunt,& abdicandi ſunt.459.198.

5.*Hos duodecim miſit* Matt cap.10. Symbolum fidei compoſuerunt duodecim Apoſtoli. 42. Quando? ibid.Cur fecerint adeò breve hoc ſymbolum?ibid.præcipua fidei myſteria in eo proponuntur.ibid.Utilis eſt Chriſtiano frequens ejuſdem recitatio.42.Poterit & fieri brevis ac compendiata expoſitio totius hujus ſymboli.

6 *Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* Matt cap.16.Vera Eccleſia non eſt alia, quàm Catholica,Apoſtolica,Romana.189,& ſeq.item 208 Cur Eccleſia Chriſti appelletur Apoſtolica?209 Quo tempore,& quo in loco ipſa ſumpſerit exordium?200.Eſt viſibilis.201. & ſeq.& indefectibilis.202. Perſecutiones & hæreſes lucem & incrementa ipſi attulerunt 202 De Notis Eccleſiæ tractatur pag.203 & ſeq.fusè.

7.*Accipite Spiritum Sanctum:quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis*,&c Joan.cap.20.His verbis Chriſtus à mortuis excitatus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ 148.Sacerdotii novæ legis duplex poteſtas;una conſecrandi verum Chriſti Corpus : altera ſolvendi atque ligandi.824.& 825. Sacerdotes ſunt Angeli,& quidam dii 826.Lege etiam Symboli articulum: *Remiſſionem peccatorum*.

FESTUM UNIUS MARTYRIS.

1.*Beatus vir,qui ſuffert tentationem* Epiſt Jacob.cap 1. Quid ſit tentatio,& quinam nos tentent?378. Ad vincendas tentationes neceſſaria eſt gratia divina.380 Arma,quibus vincitur dæmon.383. Tentationum fructus varii.384.& ſeq.Tribus modis liberat Deus hominem à tentatione.389.

2.*Quoniam cùm probatus fuerit,accipiet coronam vitæ*.ibid Concionare de Aureolis quas participant Martyres,Doctores,& Virgines.271. Vel dic de Beatitudine æterna,quæ multis appellatur nominibus. 264.& ſeq.fusè.

3. *Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.* Luc. cap. 14. Quid voluit Salvator, cùm quemlibet crucem ſuam tollere mandavit? 102. Omnes Chriſtiani habent ſuam Crucem. 103 Sancti ſuas Cruces patienter tulerunt. 104 Cur Deus amicis ſuis cruces immittat? 105 Cruces ſpirituales non omnes æquæ bonæ. 106. Sancti Martyres dilexerunt Deum ſuper omnia. 437. Ubi & multis Exemplis idipſum declaratur.

4. Agi etiam poterit de Invocatione & cultu Sanctorum; de Reliquiis ſacris; de Indulgentiis &c. de quibus videatur *Index Rerum.*

FESTUM UNIUS CONFESSORIS PONTIFICIS.

Ecce Sacerdos Magnus. Eccleſiaſt. cap. 44. Apoſtolos ordinavit Chriſtus in ultima cœna Sacerdotes. 824 825. De Sacerdotali dignitate magnificè locuti ſunt Sancti Patres. 827. Sacerdotes ſunt Angeli, & Dii. 826. Oportet ipſos converſatione & vitâ ſæculares præcellere. 828. Pontifex eſt Chriſti Vicarius 203 Pontificis authoritas à Patribus ſtabilita. 205.

Feſtum unius Confeſſoris non Pontificis.

1. *Eleëmoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Eccleſiaſt. cap 31 Eleëmoſyna quid? 619. Ejus fructus corporales, & ſpirituales, &c 623 624 & ſeq.

2. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Luc cap. 12. De Caſtitate, quæ Angelis grata eſt pag. 60 136. 593. & ſeqq. & 596. Caſtitati quæ contraria. 574 & ſeq.

3. Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. De Cereis benedictis, quos manibus portamus. 471. & ſeq Lucerna eſt fides, ait D. Ambroſius: hanc in manibus ardentem teneamus, neceſſe eſt; quia fides ſine operibus mortua eſt. Vide V. Fides.

4. *Et vos eſtote parati; quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet* Ultimam horam ſemper ignorari voluit Dominus, ut ſemper ſit ſuſpecta, & nos ad eam ſemper præparemur; adeoque non eſt differenda pœnitentia. 748 Pœnitentiæ Sacramentum remittit graviſſima peccata 232. 233.

Feſtum unius Virginis.

1 *Simile eſt Regnum cœlorum decem Virginibus.* Matt. cap. 25 Virginitatem & Caſtitatem ſoli Catholici colunt, 208. Virginitas eſt Matrimonio excellentior 846 Dei mater manſit ſemper Virgo. 79 84. Virginum ſpecialis gloria in cælis 272. Luxuriæ octo remedia 591. & ſeq.

2. *Vigilate itaque; quia neſcitis diem, neque horam.* De pœnitentia non differenda, ut ſuprà. Accedia nocet Virginibus. Vide 5. *Accedia & Otium.*

Feſtum Dedicationis Eccleſiæ.

1. *Et hic Princeps erat publicanorum, & ipſe dives.* Luc. cap. 19 Dives difficilè intrabit in Regnum Cœlorum. 615. Legitimus divitiarum uſus 369. S. Franciſcus pauperiori ſe dabat. 610. Vide. V. *Eleëmoſyna.*

2. *Quærebat videre Ieſum* Optimè is agit, qui cum Zachæo ſtudet, Deum ſemper habere præſentem. 350. Omnes hominum in perfectiones procedunt ex non apprehenſa Dei præſentia 351. Exercitium præſentiæ Dei eſt admodùm utile. 176 350. & ſeq.

3. *Aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum.* Quæramus & nos videre potiùs Jeſum, quàm fœminam pulchram & comptam: nam aſpectus ſine periculo non eſt, quando ad alium ſexum fertur. 581. & vide *Fœmina, Mulier.* Sancti magnam habuerunt oculorum rationem. 583.

4. *Et cùm viderent omnes, murmurabant.* De murmuratione lege pag. 633 Duodecim attributa & damna linguæ. 635.

5. *Ecce, dimidium bonorum meorum, do pauperibus. Et ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* In Indice Rerum V. *Eleëmoſyna, & Reſtitutio.*

Commemorario Fidelium Animarum.

De hac die vide pag. 228. Legantur & ea, quæ Author ſcribit de Purgatorio. 222. & ſeq. Animæ in Purgatorio vivorum ſuffragiis adjuvantur. 224. Rationes inductivæ ad libenter ſuccurrendum defunctis. 225. Controverſia Hæreticorum de Purgatorio. & ſuffragiis pro animabus Defunctorum 299. & ſeq. Indulgentiæ, & Miſſæ pro defunctis, V. *Indulgentia, & Miſſa.*

FINIS.

THESAURUS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

PROEMIUM

SECTIO PRIMA.

De Etymologia, Antiquitate, & Præſtantia Catechiſmi.

I. QUID ſignificat Catechiſmus?

R. *Catechiſmus*, ſive *Catecheſis* ſignificat traditionem Fidei, myſteriorumque Chriſtianæ Religionis, quæ vivâ voce, potiſſimumque interrogantibus & reſponſionibus peragitur, Catechiſtâ interrogante, & Catechumeno reſpondente.

I. Quid intelligis per Catechiſtam & Catechumenum?

R. Iſtæ duæ voces ab eadem origine naſcuntur cum Catechiſmo. Igitur Catechiſta eſt Præceptor qui inſtruit formans interrogationes & quæſtiones Catechiſmi. Catechumenus verò eſt diſcipulus qui inſtruitur, reſpondetque quæſtionibus ſibi propoſitis in Catechiſmo.

I. Unde igitur vox iſta, *Catechiſmus*?

R. Ex Græca voce Κατηχεῖν, quæ inſtituere, ſeu vivâ voce erudire ſignificat.

Nota, ſub initium naſcentis Eccleſiæ non tradebantur ſcripto myſteria fidei noſtræ, ne fortè devenirent ad manus & notitiam infidelium, qui Religionis noſtræ cultores ſummo odio proſequebantur: illi enim doctrinam iſtâ novam iriſiſſent, & ſicut porci margaritas pedibus conculcaſſent: inſtruebantur ergò diſcentes ſolo verbo & vivâ voce, quod erat catechiſare, Græcè Κατηχεῖν

I. Erat-ne igitur ab ipſius Eccleſiæ exordio uſus Catechiſmi?

R. Ita. Nam D. Paulus *vult* catechiſate, id eſt, *quinque verba ſuo ſenſu loqui, ut alios inſtruat*. Et alibi præcipit, *ut communicet is qui catechiſatur verbo, ei, qui ſe catechiſat in omnibus bonis*. 1.Cor. 14. Gal. 6.

Undè patet Catechiſmi & Catechiſationis antiquitas. tempore enim Pauli fiebat Catecheſis, ut clarum eſt; imò conciones Apoſtolorum ferè tantùm erant catecheſes; ex quo etiam prodit ſe hujus Apoſtolici muneris nobilitas & præſtantia. Quid, quod D. Petro Chriſtus Dominus; atque in ejus perſona omnibus Eccleſiæ Prælatis & Paſtoribus iteratò jubet *agnos paſcere*, hoc eſt, parvulos erudire? traditâ ſcilicet iis familiariter & catechiſticè doctrinâ Fidei Chriſtianæ. *Catechiſmi antiquitas.* *Ejus excellentia.* Joan. 21.

I. Sunt-ne Apoſtolos ſecuti cæteri Eccleſiæ Patres in catechiſando?

R. Ita. Cyrillus Hieroſolymit. cujus extant catecheſes, & Auguſtinus qui ſcri-

Digitized by Google

pſit librum *de catechiſandis rudibus*, Greg Nyſſen. qui edidit orationem catechiſticam, quæ dicitur magna: extremis hiſce ſæculis D. Vincentius Ferrerius Dominicanus vir ſui ævi planè Apoſtolicus in hoc munere ſe valde exercebat; ſcribit enim Auctor vitæ ejus: *Neque dumtaxat ætate provectos ſublimium rerum capaces, ſed etiam pueros certis horis ad ſe vocatos inſtituebat, docens eos quemadmodum ſe Cruce ſignarent, Orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam, atque Fidei Symbolum enunciarent. Deum colerent, amarent, parentibus & proximis quibuſque honorem haberent, & debita officia perſolverent.*

Exempla. *Surius 5. Aprilis.*

D. Joan. Gerſon Cancellarius licet Pariſienſis, eo, quaſi honorifico, veréque Chriſtiano munere perfunctus eſt, ipſeque pueros erudire, eorumque confeſſiones aſſiduè audire voluit, uti etiamnum faciunt viri inſignes & religioſi magno Eccleſiæ bono.

3. p. oper. tract. de parvulis ad Chriſtum trahendis conſid. 4.

De S. Ignatio Societatis JESU Fundatore tradit vitæ ejus ſcriptor Catechiſmum pueros docere ſolitum, etiam dum Præpoſiti generalis ejuſdem Societatis officio deſerviret, idque negotii ſociis ſuis unicè commendare ſolitum.

Ribad. l. 3. c. 2.

I. Cur Catechiſmum *Doctrinam Chriſtianam* appellas?

R. Quia Chriſtiani hâc doctrinâ imbui, & ad ejus normam mores & vitam formare debent.

SECTIO SECUNDA.

De Catechumeno, ſive diſcente, & qualiter debeat Catechiſmum frequentare.

I. QUibuſnam debet tradi Catechiſmus, ſeu Doctrina Chriſtiana?

R. Pueris potiſſimùm baptizatis, qui ad aliquantulæ diſcretionis annum pervenerint.

I. Cur dicis *potiſſimùm pueris?*

R. Quia tametſi omnis ignorans cujuſcumque ætatis ſit, debeat catechiſari, nihilominùs ſuppono adultos jam ſufficienter inſtructos, quod tales eſſe debeant.

I. Cur *pueris baptizatis?*

R. Quando dico *pueris baptizatis*, loquor ſecundùm mores Eccleſiæ modernos, in qua parvuli baptizantur. Cur autem baptizati catechiſandi ſint, ratio evidens eſt, quia in Baptiſmo per os Patrinorum ſuorum ſpoponderunt vitam & mores componere ſecundùm legem mandatorum Dei; & quomodò mandata Dei obſervabunt, niſi illa didicerint, & quomodò addiſcent, niſi adfuerit Catechiſta qui inſtruat?

Cur catechiſandi pueri baptizati.

I. Cur dicis Doctrinam Chriſtianam tradendam pueris, *qui ad aliquantulæ diſcretionis annum pervenerint.*

R. Ut indicem pueros maturè mittendos ad Cathechiſmum, quamvis perfectæ diſcretionis annos nondum attigerint; incipiunt enim tunc à rebus minimis, & ſenſim cum ætatis incremento perficiunt ſe in rebus majoris momenti; addiſcent enim primò formare ſignum Crucis, ſacroſancta JESUS & MARIÆ nomina cũ reverentia pronunciare; exigitur poſtmodum ab eis ut recitent *Ave Maria*, tum *Pater noſter*, ſuccedente tempore, *Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Decalogi, &c.* non tantùm Latinè, ſed etiam vernaculè; & tandem augeſcente eum ætate, ſenſu & diſciplinâ curantur ediſcere quæ ſit prima, quæ ſecunda, quæ tertia, quæ quarta Catechiſmi pars; quid Fides, & quæ eò pertinent, quid ſpes, &c. & quæcumque tandem ad quemlibet Catechiſmi partem, quantum eorum fert capacitas, pertinent. His adde, quorumdam Doctorum opinionem eſſe, quod teneantur parvuli, quamprimùm ad annos diſcretionis pervenerint, ad Deum ſeſe convertere per actus Fidei, Spei, & Charitatis; & quomodò id agent, ſi modum non didicerint? Quicquid ſit ea de re, certum eſt non poſſe nimis crebrò hominem Chriſtianum ad Deum ſeſe per prædictos actus convertere, quod abſque uſu & methodo,

S. Thom. 1. 2. qu. 89. a. 6. ad 3. Soto l. 2. q. 3. a. 10. Nav. in Man. c. 11. n. 8.

Digitized by Google

thodo, quæ potiſſimùm in Catechiſmo edocentur, fieri non poteſt.

Quâ diſpoſitione pueri ad Catechiſmum accedere debent.

I. Debent-ne igitur pueri frequentare Catechiſmum?

R. Ita; & ſi partibus ſuis deſint, compellendi ſunt.

I. Quâ præparatione & animi diſpoſitione debent pueri ad Catechiſmum accedere?

R. Decet illos magni æſtimare Catechiſmum, illumque ſummâ attentione excipere.

I. Cur magnifaciendus eſt Catechiſmus?

Catechiſmus continet ſaluberrimam doctrinam. Sap. 13.

R. Quia illa eſt ſaluberrima doctrina, & totius mundi excellentiſſima ſcientia; docet enim hominem in Dei Opt. Max. ſuique ipſius cognitionem venire; hæc ſola hominem beatum reddere poteſt; cætera omnia temporalibus ſubſerviunt. Ut meritò dixerit Sapiens: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Scientiam Dei intellige, non tantùm ſpeculativam, ſed & practicam conjunctam cum Dei timore, cultu, obedientia, & amore, qualem Doctrina Chriſtiana, & hic Theſaurus docet. Ratio à priori eſt, quod Deus ſolus ſit ipſum eſſe per eſſentiam, id eſt, eſſentiæ pelagus immenſum, ſolidiſſimum, æternum, ſapientiſſimum, perfectiſſimum quaqua verſum per omnes entis gradus & ſpecies, hunc ergò ſcire, huic amore inhærere, *veritas eſt.*

Cæteræ verò res omnes à Deo creatæ, ac præſertim ſublunares participant ab eo eſſe diminutum, dependens, inſtabile, temporale, caducum, umbraticum, mutabile, miſerum, errans, imperfectum; has igitur ſcire, his affectu adhærere, *vanitas eſt.* Vani ergo & ſtulti fuerunt idololatræ, qui Deum ignorantes idolum coluerunt, & colunt; vaniores & ſtultiores fuerunt Philoſophi, qui cùm Deum per ſcientiam naturalem cognoviſſent, eum tamen non ut Deum eâ pietate quâ par eſt, coluerunt & glorificaverunt; vaniſſimi & ſtultiſſimi ſunt Fideles, qui cùm per fidem Deum cognoſcant, certamque ex ea

Rom. 1.

ſpem habeant vitæ æternæ, eum tamen ejuſque legem ſpernunt, ſuaviſſimumque ejus jugum abjicientes, ut illicitis ſuis voluptatibus & creaturis perfruantur, pro nihilo habentes terram deſiderabilem.

I. Quid ultra exigis à pueris & diſcentibus qui ad Catechiſmum conveniunt?

R. Ut diligenter obſervent quæ infrà ſect. 5. præſcribimus.

SECTIO TERTIA.

De iis, quorum intereſt pueros, ſive etiam ſervos & ancillas ad Catechiſmum mittere vel compellere.

Quinam obligantur mittere diſcipulos ad Catechiſmum.

I. Cujus eſt mittere pueros & diſcipulos ad Catechiſmum.

R. Parentes debent mittere proles ſuas; Domini & Dominæ ſervos & ancillas; Ludimagiſtri ſuos ſcholares Magiſtratus & Officiarii ſibi ſubjectos, præſertim pupillos & orphanos, nec non mechanicarum artium tyrones.

I. Tenentur-ne parentes ex particulari & ſtricta aliqua obligatione, ad proles ſuas mittendas ad Catecheſin.

R. Ita, ſtrictiſſimâ; cui ſi defuerint, & notabiliter hac in parte negligentes fuerint, offendunt Deum mortaliter, & non funguntur munere parentum Chriſtianorum; De iſtis prolibus ago, quibus aliunde nulla patet ad doctrinam Chriſtianam via. Hæc reſolutio fundatur in obligatione, quam habent parentes ad liberos ſuos Chriſtianè educandos. Vid. Man. c. 14. n. 15. Azor. p. 3. l. 2. c. 21. q. 14. nam, ſi natura eos docuit ſobolem naturaliter, & ſecundùm carnem enutrire; certè non minùs eos docuit fides Chriſtiana illam ritu Chriſtiano educare, & quæ ad animæ ſalutem & incolumitatem pertinent, edocere, vel edoceri curare, ut hic maximè locum habeat illud Apoſtoli: *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Nota. 1. Tim. 5.

Digitized by Google

I. Quibus aliis rationibus velles id parentibus Chriſtianis perſuaſum?

Fructus Catechiſmi. R. Allegarem fructus qui ex Catechiſmo in eorum familiam promanant *Primò*. Paterfamilias id agendo explet officium ſuũ,& conſequenter conſcíętiæ ſuæ ſatisfacit; nec enim qui non ſtudet ſpiritualia ſubſidia familiæ ſuæ æquè ac tẽporalia impendere,tutus eſſe poteſt in conſcientia,uti proximè declaravi. *Secundò*, quemadmodum delectat videre hortos elegantibus floribus conſitos, ita planè jucundum eſt videre in familia ſobolem virtutibus ornatam,ut poſſit Pater-familias cum Patriarcha dicere: *Ecce odor filiorum meorum,ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* *Gen. 2.* *Tertiò*,ipſis parentibus honos defertur & obedientia, quando filii in Catechiſmo eruditi ſunt; ibi enim addiſcunt officia & obſequia, quæ parentibus ex quarto præcepto Decalogi debent. *Quartò*, domeſtici ſunt inter ſe concordes,neque jurgia miſcent, ſcientes ex doctrina Chriſtiana, quod talis ſit Dei voluntas. *Quintò*,benedicit Deus familiis,quando parentes domeſticorum in lege Domini inſtituendorum,curam habent. *Exemplum.* De Abraham legimus, quod eſſet futurus in gentem magnam ac robuſtiſſimam,& benedicendæ eſſent in illo omnes Nationes,eò quòd *precepturus eſſet filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodirent viam Domini, & facerent judicium, & juſtitiam.* *Gen. 18.*

I. Qui fit quod Domini & Dominæ teneantur mittere ſervos & ancillas in ſcholas Dominicales pro addiſcenda doctrina Chriſtiana?

R. Ideò quod illi habeant ſe ad ſervos & ancillas in negotio ſalutis eorum, inſtar patris & matris.

I. Quare Ludimagiſtri ſuos ſcholares?

R. Quia per modum contractus obligant ſe,eùm pueros in ſuam diſciplinam ſuſcipiunt, ad plenam & ſufficientem iiſdem doctrinam & inſtructionem tradendam,cujus optima pars eſt Catechiſmus, & doctrina Chriſtiana.

Nota nihilominùs eos omnes, quos hactenus obligatos diximus ad ſubditos ſuos reſpectivè mittendum ad Catechiſmum,officio ſuo facturos ſatis,ſi eos privatim domi docuerint, vel docendos curarint.

I. Numquid etiam debent Ludimagiſtri in ſuis ſcholis Catechiſmum docere?

R. Ita planè, primùm quod in ſcholis Catholicis juventuti tradendum eſt, ſunt prima religionis noſtræ capita; puta, *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo in Deum*, *Præcepta Decalogi*, *Eccleſiæ Sacramenta*, non tantùm Latinè, ſed & præcipuè vernaculè. Cui rei diligenter invigilare debent Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum Scholaſtici, dum ſcholarum ſuarum viſitationem inſtituunt.

I. Eſt-ne hoc ab Eccleſia præceptum?

R. Ita. Extat inſigne ſuper hoc decretum in Concilio Lateranenſi ſſ. 9.c.7. ut ſequitur: *Statuimus ut Magiſtri ſcholarum & Præceptores pueros ſuos ſive adoleſcentes, nedum in Grammatica & Rhetorica, ac cæteris hujuſmodi inſtruere debeant, verùm etiam docere teneantur ea quæ ad religionem pertinent; ut ſunt præcepta divina, articuli Fidei, ſacri Hymni, & Pſalmi, ac Sanctorum vitæ, diebuſque feſtivis nihil alìud eos docere poſſint, quàm in rebus ad religionem & bonos mores pertinentibus: eoſque in illis inſtruere, hortari, & cogere in quantum poſſint, teneantur; nedum ad Miſſam, ſed etiam ad veſperas, divinaque Officia audienda, ad Eccleſias accedant; ſimiliter ad audiendos ſermones impellant; nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatẽ inducat eis legere permittant.* *Sub Leone X. an. 1514.* *Vid. e. quiſque de vita & hon. Cleric.*

I. Tenentur-ne etiam Magiſtratus ſæculares auxilium præſtare Catechiſmo?

Obligatio quam habent Magiſtratus ad Catechiſmum. R. Ita. *Primò*. ſolliciti ipſi eſſe debent, ut in locis ſuæ juriſdictionis Catecheſes per viros idoneos habeantur, iiſque frequententur: ut ſit locus ad id aptus; ut ſumptus quos fieri convenit in coemendis imaginibus, medalliis, roſariis, libellis,

Digitized by Google

lis, aliiſque præmiis, quæ benemeritis in Catechiſmo diſtribuuntur, è publico ærario præſtentur. *Secundò*, imperet Magiſtratus parentibus, & aliis qui orphanorum & pupillorum curam gerunt, imò quantum neceſſe eſt, compellant, ut pueros ſuos ad ſcholas Dominicales, & Catechiſmum dimittant. *Tertiò*, impediant ludos publicos eo tempore quo Catecheſes habentur, & alia quæ ſolent pueris diſtractionem afferre. Neque foret abs re, ſi (quod in aliquo principaliori hujus noſtri Belgii adhuc puer fieri notavi) Magiſtratuum apparitores & miniſtri ſub id tempus vicos & plateas obirent vagos & errones, ludenteſque pueros ad Catecheſin & ſcholam Dominicalem adducturi, aut etiam compulſuri. Videant, quid ab eis Catholica Regia Majeſtas exigat in ſuo Edicto ſuper executione Decretorum Concilii Cameracenſis, præſertim articulo 5. & 15. Et Sereniſſimi Archiduces ſuper Concilio etiam Provinc. Mechlin. articulo 19. Et dignum ac optandum eſſet, ſi è Magiſtratu aliqui, quod in præmemorato oppido fieri animadverti, comparerent in ipſis ſcholis Dominicalibus exploraturi quid ibi, & quo ordine agatur; quàm frequentes, vel quàm rari diſcentes adſint, & Indulgentias de quibus infrà ſect. 6. promerituri.

Concil. Prov. II. Ca. tit. 21. c. 4. & Mechlin. tit. 20. c. 1. & 2.

I. Ex quo capite obligantur Magiſtratus adjutrices manus porrigere Catechiſmo?

Unde illa Magiſtratuum obligatio.

R. Ex eo quod obligentur media propria, & maximè idonea ad finem, in quem conſtituti ſunt, id eſt, ad invehendam, ſtabiliendamque Reipub. tranquillitatem, procurare & adhibere; in quibus principem locum obtinet Religionis Chriſtianæ, adeoque rei catechiſticæ & ſcholarum dominicalium præſidium. Quis enim ignorat blaſphemias, perjuria, aliaſque irreligioſitates, adulteria, & alia ſexcenta impuritatis probra, ſuperſtitiones, maleficia, & omnis generis nequitias in Rempublicam invehi ex pauperum & neglectorum hominum ignorantia? Secundò, debent Magiſtratus Catholici curare non tantùm Statum, ſed etiam & multò amplius religionem, quandoquidem Status ad religionem & animarum ſalutem intendere debeat? quicquid politici Macchiavelliſtæ obganniant. Atqui non eſt aptius medium pro Religionis ſtabilimento & incolumitate, ipſo Catechiſmo, ſive doctrinâ Chriſtianâ, quàm Magiſtratus mirum in modum ſuâ authoritate promovere & fovere poſſunt.

Status politicus debet ſubſervire Religioni.

SECTIO QUARTA.

De Catechiſta & obligatione juventutem in Doctrina Chriſtiana erudiendi.

I. Quis obligatur ad doctrinam Chriſtianam juventuti tradendam?

Concil. Trid. ſſ. 5. c. 2. de reform.

R. *Paſtores, & quicumque curam animarum gerunt. Archipreſbyteri, Plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & eorum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate ſermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant.* Et ſeſſ. 24 c. 4. *Prædicationis munus, quod Epiſcoporum proprium eſt, &c.* Et infrà: *Iidem etiam* (Epiſcopi) *ſaltem Dominicis & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter, ab iis ad quos ſpectabit, doceri curabunt, & ſi opus ſit etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent.* Et rurſum c. 7. ſequenti: *Ut fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, ut non ſolùm cum hæc per ſeipſos erunt populo adminiſtranda, prius illorum vim & uſum pro ſuſcipientium captu explicent;*

Epiſcoporum circa Catechiſmum cura.

Digitized by Google

plicent; ſed etiam idem à ſingulis Parochis, piè prudenterque, etiam linguâ vernaculâ, ſi opus ſit, & commodè fieri poterit, ſervari ſtudeant, juxta formam à ſancta Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam; quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt: (Miſſa c. 8.) *nec non ut inter Miſſarum ſolemnia, ſeu divinorum celebrationem ſacra eloquia, & ſalutis monita eâdem vernacula linguâ ſingulis diebus feſtis vel ſolemnibus explanent; eademque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus, inſerere, atque eos in lege Domini erudire ſtudeant.*

E quibus Oecumenici Concilii Decretis colligere licet, quantâ debeant Epiſcopi ipſi circa Catecheſes ſollicitudine vigilare, & quantâ curâ, quove ſtudio in id Parochi incumbere, ut in illis plebes ſibi commiſſas fideliter erudiant.

Obligatio Parochorum ad Catechiſmum.

I. Sed unde obligatio iſta pro Parochis?

R. Ex jure divino, naturali & poſitivo. Ita paſſim DD. & ipſum Conc. Trid. ſ. 23. c. 1. de reform. *Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione ac bonorum omnium operum exemplo paſcere,* (Joan. 21.) *pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia Paſtoralia incumbere, &c.* Adeò quod quando munus Paſtorale, aut Eccleſiæ Parochialis curationem ſuſceperunt, hac ſe obligatione devinxerint. *Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui,* (Prov. 6.) *& captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & te ipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.*

Quæ Salomonis verba ad litteram de ſponſore dicta, myſticè ad Paſtores, Epiſcopos, alioſque ſuperiores non incongruè inflectas, qui ſe Deo obligant, ſpondentque ſe ſubditorum ſalutem curaturos: quare, ſi ſubditi ipſorum negligentiâ pereant, Deus ſanguinem eorum de manibus ipſorum requiret. Unde S. Thomas illud: *Defixiſti manum, & illaqueatus es verbis oris tui.* (*In c. 11. ad Heb. lec. 3.*) Sic explicat, q. d. O Paſtor, obligaſti te Deo, ut pro grege tuo impendas manum & os tuum, ut quidquid ore potes proloqui, & quicquid manu potes operari, hoc ex ſponſione tua tenearis præſtare, nimirum paſcere gregem tuum omni virtutis exemplo, & perenni doctrinæ eloquio.

Declaratur magis hæc Paſtorum obligatio. Tenentur ſubditi eorum ſcire Fidei rudimenta, & prima ſive præcipua Religionis noſtræ myſteria, pura Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, &c. Chriſtiano more Sacrificio Miſſæ aſſiſtere, tempore debito Sacramenta ſuſcipere; per orationem ad Deum confugere ne tentationibus ſuccumbant, &c. Neceſſarium igitur eſt, ut didicerint quæcumque huc pertinent. Et nullus eſt qui ea docendi tam particularem in ſe curam aſſumpſerit, ſicuti Sacerdotes Parochiales.

I. Eſt-ne admodum ſtricta & urgens iſtiuſmodi obligatio?

R. Strictiſſima & urgentiſſima: conſentiunt enim DD. in hoc, quod Paſtor teneatur Fidei rudimenta & Doctrinæ Chriſtianæ puncta neceſſaria ſuos docere ſub mortali: quod poteſt evidenter deduci tum ex officio Paſtorum, tum ex decretis Eccleſiæ proximè ex Concil. Trid. allegatis. (Nota.) Audi Doctorem Sa: *Negligentia magna Parochi in docendo ad ſalutem neceſſaria, nempe Symbolum, Decalogum & Pater noſter, mortale eſt.* (*In aphoriſmis verbo Parochus n. 5. & DD. ibi citati.*) Ubi paſſim *magnus eſt abuſus eorum, qui contenti docuiſſe Symbolum Latinè, non explicant populo rudi myſteria Fidei, præſertim Trinitatis, & Incarnationis tantoperè ad ſalutem neceſſaria. Væ Parochis, Væ Epiſcopis,*

Væ

Digitized by Google

vè Prælatis. Certè, ut quod ſentio etiam ipſe omnium minimus aperiam.

Parochus & quilibet animarum curam obtinens, ſi notabiliter in catechiſando ſibi defuerit, *primò* peccat graviſſimè contra juſtitiam, quia officium ſuum non facit, in aliquo ejus principali puncto deficiens, quod eſt Fidei rudimenta ignorantes ſubditos docere, ut infrà dicemus. *Secundò*, peccat etiam maximè contra charitatem, quia Chriſti oviculas ſinit ex ignorantia & cæcitate per devia errare, & in barathrum tandem præcipites corruere, quas prætenſa tantillum Doctrinæ Chriſtianæ face poterat minimo negotio adjuvare, & ad verum tramitem, imò ad cœlum reducere. *Cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi?* Dicebat Jeſus Phariſæis. Dicebat ſibi Parochus: Si Phariſæi in Sabbatho aſinum aut bovem, aut quodlibet animal in puteum decidens eripere feſtinant, non animali ſed ſuæ avaritiæ conſulentes; quantò magis ego animas, quæ multò meliores ſunt pecoribus, debeo in Dominica die per Doctrinæ Chriſtianæ ſubſidium liberare, & è puteo inferni extrahere? *Illud cupiditatis, hoc charitatis eſt opus*, inquit Beda ſuper illum locum. *Tertiò* non minùs etiam peccat contra religionem, quia Dei cultum non promovet, ejus gloriam non quærit, pro ipſius propagando regno non decertat, promittens ignaviâ ſuâ Satanam ex hominum ſimplicitate rem ſuam agere, fines dilatare, animaſque pretio magno; id eſt, agni immaculati ſanguine emptas in miſeram captivitatem abducere.

Luc.14.

Magnum proinde eſt Sacerdotum, præſertim eorum qui Parochialibus Eccleſiis præſunt, periculum; *Ponamus*, inquit, Gregor. *ante oculos noſtros illum tantæ diſtrictionis diem, quo Iudex veniet, & rationem cum ſervis ſuis, quibus talenta ſua credidit ponet, Ecce, in Majeſtate terribili inter Angelorum atque Archangelorum Choros videbitur. Ibi Petrus cum Iudea converſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus converſum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Ioannes Aſiam. Thomas Indiam in conſpectu ſui Iudicis converſam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt. Cùm igitur tot Paſtores cum gregibus ſuis ante æterni Paſtoris oculos venerint Nos miſeri, quid dicturi ſumus, qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui redimus? qui Paſtorum nomen habuimus, & oves, quas de nutrimento noſtro debemus oſtendere, non habemus? Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati cœleſtem patriam, & Sacerdotes ipſi per vitam improbam,* (liceat mihi addere bonâ S. Doctoris veniâ, & per inertiam atque ignaviam) *ad inferni ſupplicia feſtinant. Cui ergo rei, cui ſimiles dixerim Sacerdotes malos, niſi aquæ Baptiſmatis quæ peccata baptizatorum abluens illos ad regnum cœleſte mittit, & ipſa poſtea in cloacas deſcendit.* Hæc & plura ibi Gregor. lectu digniſſima, & factu neceſſaria. Quid igitur faciemus? Et quomodo nos contra tanta pericula præmuniemus? Placeant conſilia, imò verius præcepta, quæ dat ſummus Eccleſiæ Paſtor S. Petrus ſibi ſubditis Paſtoribus: *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, nec turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, ſed formâ facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.*

Hom.17. Evang.

Epiſt.1. c.5.

I. Quæri hic poteſt ad quid principaliter obligetur Parochus, an ad docendum, an ad Sacramenta miniſtranda?

R. Primum & principale, maximeque neceſſarium Parochorum munus eſt docere neceſſaria Fidei Catholicæ puncta ex Catechiſmo. *Dico docere neceſſaria Fidei Catholicæ puncta ex Catechiſmo*; quia non ritè & plenè fungitur ſuo munere Parochus in prædicando duntaxat, niſi con-

Digitized by Google

conciones ſuas ita diſponat,& captui populi, ſingulas materias ad aliquod Catechiſmi caput reducendo, accommodet, ut catechiſare magis, quàm concionari videatur. Jam autem, quod docere priùs & principalius ſit Parochi munus, quàm Sacramenta miniſtrare, inde manifeſtum eradit, quia ex mente Concilii Trid. & Ritualis Romani populus ad Sacramentorum ſuſceptionem per Catechiſmum diſponendus ſit. Seſſ.24. cap.7.

I. Non deſunt Parochi plurimas allegare difficultates, quibus dicunt ſe ab hoc ſacro miniſterio promptè obeundo retardari.

Reſpondetur objectionibus Paſtorum, qui contra Catechiſmum multas difficultates prætexunt.

R. Hoc equidem ſcio; at, etiam non ignoro pleroſque Paſtores, non pro meritis æſtimare illam quam habent ad docendum obligationem; quæ tanta eſt, ut nunquam cenſere poſſint ſe officio functos, niſi totis viribus in id exercitii incubuerint. Clarum hoc eſt ex præmiſſis; unde, ſi quiſquis animarũ regimini præfectus eſt, linguis loquatur hominum & Angelorum in concionando; ſi moribus undequaque vivat inculpatus, ſi in ſtudiis Theologicis eum progreſſum fecerit quem nemo alius; ſi omnibus gratus & acceptus, Catechiſmum autem non docuerit; nihil eſt, Paſtor non eſt, quia ſeſe & ventos paſcit, non gregem; *factus velut æs ſonans & cymbalum tinniens, charitatem autem non habens.* Utpotè qui agnos neglecto Domini præcepto non paſcit. Joan.21.

In pleriſque Sacerdotibus deſideratur animarum zelus.

Secundò, multi in externam tantum ſpeciem, quæ ob oculos verſatur, intenti, fructum qui inde manat, non conſiderantes, minimè expendunt, ut par eſt, excellentiſſimæ functionis magnitudinem, quæ circa animas æternæ beatitati deſtinatas verſatur. Debet igitur catechiſta huic ſe operi accingens omni humano reſpectu ſepoſito, rem præclariſſimam magno animo aggredi, & ſolam Dei gloriam, animarum ſalutem, & commiſſi ſibi muneris debitum præ oculis habere.

Sed, eheu! dolendum eſt in tam paucis Sacerdotibus verum & ſincerum zelum animarum hodie reperiri, eorum pleriſque rei familiari plus nimio intentis, aliis alia agentibus. O ſi firmiter ſibi perſuaderent, nihil eſſe quod animæ immortali poſſit æquiparari, nec univerſum quidem mundum! *Quam enim dabit homo commutationem pro anima ſua?* Si, inquit, Os aureum, immenſas pecunias pauperibus erogas, plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam. Age igitur, ô Sacerdos, ô curator animarum, ſi ad Deum tendis (ut omninò tamquam ad ſcopum tendere debes) cura ne ad eum ſolus veniãs; ſcriptum eſt enim: *Qui audit, dicat veni*; ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foris etiam proximis vocem exhortationis reddat: plus enim eſt verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm venitrem morituræ carnis terreno pane ſatiare. Addam ex eodem S. Doctore. *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.* Et ex Richardo de S. Victore: *Neſcio*, ait, *an manus beneficium poſſit à Deo conferri, quàm ut per ejus obſequium alii ſalutem conſequantur.* Neque prætereundum eſt illud magni Dionyſii Areopag: *Omnium divinorum diviniſſimum eſt cooperari Deo in converſionem errantium, & reductione peccatorum ad ipſum: Et qui viſceribus charitatis affluentes, ac communicationem bonitatis Dei imitantes, puro amore pro univerſorum ſalute laborant, rectè Deiformes & divini, imò diviniſſimi nuncupantur.* Hæc alta mente repone, ô curator animarum, hæc tibi ſint continuus ſtimulus ad concionandum, ad catechiſandum, ad ſtrenuè in vinea Domini laborandum, ut, ſicut Paſtor cognominatis, ita re ipsâ gregem ſollicitè paſcas, ut ſis Paſtor bonus coram Deo, & Angelis ejus. Matt.18. Chryſ. in ep.1. ad Cor. Apoc.22. *Gregor. hom.6. in Matt.* *Hom.12. in Ezech.*

Exempla.

Exemplo præluxerunt Chriſtus Dom. Salvator noſter, qui uti ex Evangelio liquet, noluit prohiberi parvulos ad ſevenire, nullamque prætermiſit animas con- Matt.19.

vec-

Digitized by Google

vertendi, & oves errantes reducendi occaſionem. Quod attendens Origenes, *Paſtor es, inquit, vides oviculas Domini ignaras periculi ferri ad præcipitia, & per prærupta pendere, nec occurris, non revocas? non ſaltem voce cohibes; & correptionis clamore deterres? ſic memor es Dominici Sacramenti, ut cùm ille derelictis nonaginta novem in cœleſtibus, propter unam oviculam, quæ erraverat, in terras deſcenderit, & inventam vectaverit humeris ſuis ad cœlum, nos in nullo prorſus in curandis oviculis Magiſtri Paſtoris ſequamur exemplum?* (Hom. 7. in Ioſue.)

Et cui univerſi ovilis ſui curam demandavit S. Petrus, quemadmodum ex omni ejus peregrinatione & ſcripturis Canonicis manifeſtum eſt.

Rom. 9. Talis Paſtor erat S. Paulus S. Petri collega dicens: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem.* Ubi Sanctus Chryſoſtomus: Omni, inquit, pelago latior, omni flammâ vehementior, erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate dictabit oratio. Quod eſt, inquit, *Ego ipſe.* Qui omnium Magiſter ſum effectus; qui officia, meritaque infinita coëgi; qui coronas infinitas exſpecto. Deinde optationem Anathematis Pauli ſic explicat; q. d. à cœlorum regno libens exciderem, & ab illa arcana gloria, maximam omnium exiſtimans conſolationem mihi affore; ſi ampliùs non audiam convitiis illum affici, cujus amore tantoperè ardeo. (Mirus S. Pauli zelus.)

Memorabile quoque exemplum veri & zeloſi Paſtoris enituit in S. Joanne Evangeliſta (ut omittam quod in Evangelio & in Epiſtolis ſuis nihil niſi amorem, & divinum ignem ſpirat) relatum à ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Hic juvenem à ſe converſum, & Epiſcopo cuidam commendatum, ſed ab eo neglectum, indeque latronum Principem factum jam ſenex per vias & ſepes requiſitum, ad pœnitentiam & vitam ſanctam reduxit. Rem geſtam ex Clem. Alex. fusè deſcribit Euſeb. l. 3. hiſt. c. 23. & D. Chryſ. ep. 5. ad Theod. lapſum.

Illuſtre etiam in hac materia exemplum toti orbi præbuit è ſummo Eccleſiæ culmine Divus Gregorius Magnus. Is, ut erat podagrâ præpeditus, & corpore ſemper infirmo; geſtatoria ſede comportari ſe curabat ad ſcholam puerorum choralium, quos ipſe manu virgam prætendens docebat, erranteſque corrigebat. (Ribad. in Floribus SS.)

Habui mihi amicitiâ conjunctiſſimum in Seminario Regio Lovanienſi cùm ſtudiis Theologicis operam darem, D. Jodocum Van-Dormael Bruxellenſem virum eruditiſſimum, qui poſtea in Seminario Archiepiſcopali Mechliniæ ſacram Theologiam legit. Erat ille virtutis eximiæ, & mundanarum rerum præcipuus contemptor; adeò quod nullum unquam beneficium Eccleſiaſticum, quantumvis opimum, etiam ultrò oblatum accipere conſenſerit. Sed quod in iſto viro mireris magis, & cujus gratia hic memini, ſolebat Dominicis & feſtis diebus Mechlinia à ſummo manè in veſperam per vicos & pagos, per ſepes & vias, ardentiſſimo animatum zelo, quem oratione aſſiduâ nutriebat & fovebat, quaſi ſauciatus diſcurrere catechiſando, & quæ ſunt Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta ignoranti plebeculæ annunciando, ſolo fruſto panis pro viatico contentus, quod, ne cui moleſtus eſſet, ex civitate comportabat. Dolendum eſt tales Apoſtolos præmaturâ, heu! morte nobis præripi. Sunt enim pauci, ſunt, inquam, perpauci tales operarii; ut meritò mihi liceat cum S. Gregorio conqueri: *Ecce mundus totus plenus eſt Sacerdotibus, ſed tamē in meſſe Dei rarus valde invenitur operator; quia officium quidem ſacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officii non implemus.* (Hom. 17. in Evangel.)

I. Magis, inquiunt, moventur auditores concionibus, quàm Catechiſmis.

R. Verum eſt, quia Concionatoris partes ſunt movere; quemadmodum proprium Catechiſtæ munus eſt docere; ſed quia fieri non poteſt ut affectus noſtri moveantur, niſi fuerimus prius inſtructi, earumque rerum, quæ affectus

commovere ſolent notitiâ imbuti, hinc fit, quod Catechiſmus, in quo doctrina fidei neceſſaria pro ſimplicium captu traditur, magis neceſſarius ſit, quàm Conciones. Nihilominus maximè optandum eſt, ut Parochi in cordibus commendatæ ſibi plebis per conciones Dei amorem, & æternorum bonorum deſiderium accendant: & per Catecheſes ſuas, quod ſuprà Synodus Tridentina dixit, annuncient ſimplicibus, *cum brevitate & facilitate ſermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant; docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem*; Ut quod magnus Hilarius dixit, *ipſi ſunt in omnibus æternitatis ſatores*, & officio ſuo bellè perfungantur. Poteſt verò prudens Catechiſta etiam movere ſuos auditores, & ad id tanquam ad finem ſecundarium committi. Vide S. Auguſt. de catech. rudibus c. 6.

I. Quâ ratione fieri id poteſt?

R. Res eſt facilis. Quod ſic oſtendo: ſi tractes v.g. de fide, doceaſque fidem eſſe *donum Dei, lumen, &c.* erumpe in exclamationem ejuſmodi: *O Filii mei, quantum eſt hoc donum! quale hoc lumen noſſe Deum, ſanctiſſimam Trinitatem, objectum beatitudinis noſtræ! O ſi Deus nihil præterea nobis donaſſet, nonne mirum in modum ipſi eſſemus obſtricti? O lumen quo cæli ſplendorem intueri licet! O qui tenon habet, quàm cæcus eſt: & quod gaudium poteſt illi eſſe, qui cæli lumen non videt?* Tob. 5.

Etiam in Catechiſmo movere poſſumus auditores.

Si tractas primum Symboli articulum, qui eſt de Deo uno Creatore univerſi, poſtquam docueris quod creatio ſit opus omnipotentiæ Dei, aliquid è nihilo educentis; poſtquam oſtenderis Deum nullius indigum merâ bonitate ſuâ creaturas, præſertim hominem produxiſſe ad communicandum ei ſuam bonitatem, & ad imprimendum ei imaginem & ſimilitudinem ſuam; quàm facilè eſt commovere auditores ad tanti beneficii gratam recordationem, & dicere: *Agedum, ô homo, agnoſce Deum tuum, auctorem tuum, plaſmatorem tuum; bos, aſinus, cæteraque animantia agnoſcunt Dominum & poſſeſſorem ſuum, & ſicine poterit ut homo vilipendatur Dei & Domini ſui?* Declara quid hoc ſit, *educi ex nihilo*? imò educi hominem ex nihilo, ut tam excellens fiat creatura; id age familiariter, & brevibus, conciſiſque verbis, & interrogationibus in hunc modum: *Dicas mihi, puer, debeſne amare, & honorare patrem tuum? Ita. Quamobrem? Quia abſque eo non eſſem in hoc mundo. Optimè dicis; fili mi, ita eſt, ſed numquid Deus principaliter te in hunc mundum edidit? Ita. Quomodo hoc? Quia ipſe animam meam creavit è nihilo, & membra corporis mei ipſe compegit, non pater meus carnalis. Optimè. Debeſne igitur plus amoris, plus honoris Deo tuo, Creatori tuo, Patri tuo cæleſti, quàm patri tuo ſecundùm carnem; Ita, omninò abſque ulla comparatione.*

In hunc modum poterit induſtrius Catechiſta per omnes Catecheſeos partes formare varios actus ad movendum: modò fidei, ſpei, charitatis; modò religionis, pœnitentiæ, deteſtationis peccatorum, prout res feret; cujus rei materiam paſſim in hoc Theſauro reperiet.

I. Queruntur Parochi præſertim rurales multum ſe & incaſſum laborare in compellendis ad Eccleſiam pueris pro Catechiſmo.

R. Ante omnia inculcent præ concione obligationem, de qua ſuprà, parentum, Magiſtratuum, Ludimagiſtrorum ad dimittendos, imò compellendos pueros ad ſcholas Dominicales.

Qualiter cogendi pueri ad Catechiſmum.

I. In urbe, inquiunt, facile eſt aliquod auditorium cogere pro Catechiſmo; at ruri minimè, ubi primâ ſtatim ætate dimittuntur pueri ad cuſtodiam ovium, vaccarum, pecorum cæterorum.

R. Ad hoc dico, inveniri plerumque in una familia quatuor, aut quinque proles, è quibus ſi duæ amandentur in agros, domi manent duæ vel tres, quæ cum patre & matre poſſunt ad Catechiſmum venire, ut hæc

Digitized by Google

ut hac ratione competens ſemper auditorium habiturus ſit Parochus; deinde mutentur animalium excubiæ per ſingulas Dominicas, ut qui priore Dominica ad eorum cuſtodiam deputatus fuerit, hac Dominicâ Catechiſmo interſit, & ſic alternis vicibus agros & Eccleſiam adeant. Quod ſi nec hoc ſuccedat, Paſtores ipſi JESU Chriſti Domini noſtri, qui eſt Paſtor bonus, exemplum ſecuti ad agros, ſepes & vias venaturi animas ſeſe conferant, & ibidem animalium cuſtodes repertos benignè & humanè ſalutent, qualiter cum ſuis animalibus agatur, exquirant, paſcua laudent, &c. Et hac ratione in eorum bonam gratiam admiſſi, incipiant familiariter aliquod Doctrinæ Chriſtianæ punctum attingere, & occaſione uti. Ita Apoſtoli, ſicut in eorum actis legimus, *non ceſſabant omni die in templo & circa domos docentes & evangelizantes Ieſum Chriſtum.* Act. 5.

Exempla. S. Lambertus Leodienſis Epiſcopus, & Willebrordus Epiſcopus Ultrajectinus per agros, ſepes, & dumeta circumeuntes docebant homines rudes & ſemiferinos, uti habetur in eorum vita.

Sanctus Franciſcus Xaverius Indiæ Apoſtolus prædicabat & catechiſabat in navibus, in maris littoribus, per deſerta loca, in oppidis & vicis, & in omni loco nullam omninò prætericus occaſionem animas Chriſto lucrifaciendi.

I. Rurſum dicunt ſubditos ſuos præcipuè ruris incolas ex quotidiano per hebdomadam labore feſſos debere ſaltem aliquantiſper diebus Dominicis quieſcere, adeoque non poſſe tamdiu in templo retineri.

R. Sunt duodecim horæ diei; nolim ego ruſticos ſuâ quiete aut refocillatione defraudare; attamen perſuaſum iis eſſe debet, quod poſtquam totâ hebdomadâ pro corporis victu laboraverunt, debeant ſaltem in die Dominica aliquid temporis animæ ſuſtentationi tribuere. Impendat hic Parochus, ſi quid habet zeli & prudentiæ; omnibus omnia fiat, & auditorium ſuum magnâ ſuavitate & humanitate detinendo, inſignique documentorum varietate illud oblectando promptum & ſpontaneum efficiat. Tempus Catechiſmo opportunum deputet, ſitque in eo brevis ne faſtidium afferat, aut volentibus ſe recreare occaſionem præripiat. Numquam dimittat aliquem cum nauſea, ſed potius det operam ut benè meritos præmiis imaginum, roſariorum, & ſimilibus donatos ſibi devinciat.

I. Nonne ſufficit ſi Paſtores Catechiſaverint in Adventu, & Quadrageſima?

R. Minimè, mandat enim Eccleſia id fieri diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus, ut ſupra habitum eſt. *ſſ. 5. c. 2. de reſor. & ſſ. 24. c. 4.*

Quod quidem Oecumenici Concilii præceptum, quin præcipui ſit momenti, nullus meritò ambiget, cùm ejus tranſgreſſores per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias ad Epiſcopi arbitrium cogi debeant.

I. Non deſunt etiam ex illis qui cùm bonum & locuples talentum ſortiti ſint, & ſacris Litteris in Univerſitate diligentem multo tempore dederint operam, nunquam tamen Catechiſant, nec in ipſo quidem Adventu, aut Quadrageſima.

R. Etiam reperire eſt nobiles quoſdam, qui cùm pedem nunquam in agrum vel ſaltus & nemora venationis gratiâ extulerint, minimumque rete vel ad intercipiendam unam muſcam expanderint; uſque adeò tamen avidè venatoris nomen aucupantur, ut plurimam omnis generis venaticam ſupellectilem de porticibus & ambulacris domuum ſuarum ingenti ambitione ſuſpendant, & oſtentationi, nullique præterea uſui habeant. Non multò abſimiles videntur mihi eſſe Paſtores illi, de quibus quereris, illi enim, ut ingenio, doctrinâ, nec non copioſo librorum apparatu ſint inſtructi, nunquam tamen vel in dexteram, vel in ſiniſtram navigii; quicquid mandaverit Dominus, mittunt rete, ut vel piſciculum extrahant, puta animam unam Chriſto

Domino tale pulmentum eſurienti lucrentur, ſolo ſpecioſo Paſtoris, id eſt, hominum piſcatoris nomine contenti, de re ipſa nihil ſolliciti.

Secundò, conveniendi ſunt iſti, & interrogandi quo fine tantum olei & operæ in ſtudia inſumpſerint? Si, quod pronum eſt nos credere, ut Parochiale beneficium opimum, & lautiori menſæ commodum adipiſcerentur, heu! quàm turpis quæſtus, quàm pudendus tantorum laborum finis, quàm fœda ſacrarum Litterarum cauponatio.

3. p. Paſtor. admonit. 26. Tertiò, *admonendi ſunt,* inquit Greg. *qui cùm prædicare utiliter poſſunt, immoderatâ tamen humilitate,* (inertiâ, aut pùſillanimitate) *refugiunt ut ex minori conſideratione colligant, quantum in rebus majoribus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipſi, quas habent pecunias abſconderent, adjutores proculdubio,* Eccl. 20. *calamitatis exiſterent. Quo ergò reatu conſtringantur aſpiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis ſubtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abſcondunt. Unde & benè quidam Sapiens dicit: ſapientia abſcondita & Theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?*

Simile. Subdit deinde Gregorius aptam ſimilitudinem: *Si populum fames atteretet, & occulta frumenta ipſi ſervarent, auctores, proculdubio, mortis exiſterent. Quâ itaque plectendi ſint pœnâ, conſiderent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipſi panem percepta gratia non miniſtrant.* Undè Prov. 11. & benè per Salomonem dicitur: *Qui abſcondit frumenta, maledicitur in populis. Frumenta quippe abſcondere, eſt prædicationis ſancta verba apud ſe retinere. In populis autem talis quiſque maledicitur, quia in ſolius culpa ſilentii, pro multorum quos corrigere potuit, pœna damnatur.*

Quartò, ſi ejuſmodi Parochi ita, ut præmiſſum eſt, moniti non reſipiſcant, & per pœnas ab Epiſcopis juxta mentem Concilii Tridentini compulſi nihilo meliores evadant, de Coadjutoribus aut Vicariis, qui prædicationis & Catechiſationis munus ſufficienter adimpleant, per Epiſcopos eis provideatur, ſicut de illiteratis & imperitis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus diſponit idem Concilium.

I. Rurſum dicunt Parochorum nonnulli, frequentem eſſe ad ſuas Parochias concurſum omnis Ordinis Religioſorum ſeu Terminariorum, ut vocant, qui plebem concionibus ſuis ſufficienter inſtruant. ſſ. 21. c. 6. de reform.

R. Mandatum eſt à Patribus Tridentinæ Synodi ut plebs doceatur ab ipſis Paſtoribus (niſi legitimè ipſi impediti fuerint) *ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, idque Dominicis ſaltem diebus & feſtis ſolemnibus*; quod à Religioſis non ita fit; utpotè qui non adeò frequenter adveniant; nec in Doctrina Chriſtiana pueris tradenda occupentur, ſed materias morales potiſſimum pertractent, diverſi diverſimodè, prout ipſis benè viſum fuerit, nullam in docendo connexionem adinvicem habentes. Neque certè ita norunt in particulari mores hujus vel illius Parochiæ & plebis, aut cujus verbi inediâ laboret, ſicut Paſtores, qui pecoris ſui vultum cognoſcunt. Et, ut aliqui Religioſorum interdum catechiſarent, at nunquam tam felici ſucceſſu, ſicut Paſtores, qui proprias oves vocant nominatim, docendo, & interrogando quos maximè oportet, hoc modo: Petre, Paule, Catharina, dic mihi: *Quot ſunt Dii: Quis pro redimendis hominibus carnem ſuſcepit, paſſus & mortuus eſt?* Ut omittam dicere, quod Regulares coadjutores ſunt Epiſcoporum & Paſtorum in verbo & doctrina; at quomodò rectè coadjuvari dici poſſunt, qui per ſe nihil agunt ipſi in hoc genere?

De librorum hujus argumenti penuria non poſſunt omninò conqueri, cùm tot extent hoc tempore doctiſſimorum virorum Catechiſmi: ut ſuperfluum omninò mihi videri potuiſſet in eadem etiam materia ſcribere, niſi (quod Paſtores

noſtri

noſtri expetierant] novâ methodo per dialogiſmum continuum Catechiſmi opus undequaque paratum, & ad ſingulas materias exemplis inſtructum ſubminiſtrare viſum fuiſſet. Ad quod magno mihi adjumento fuit, quod per totos viginti quinque annos in hac palæſtra omnibus annis Dominicis me exercere non ceſſavi.

Intentio Auctoris.

SECTIO QUINTA.

Modus Catechiſandi.

HOrâ auditâ, & dato per campanæ ſonum ſigno, Catechiſta in medio plebeculæ hinc & inde ex utroque latere ſecundùm ſexum diſcretæ genua flectet cum auditoribus, legetque Hymnum: *Veni Creator Spiritus, &c.* Quo finito, ſurgens formabit valde expreſsè & diſtinctè ſignum crucis latinè: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Et vernaculè idem ſemel & ſecundò repetet, advertens intereà, ſi quis malè illud efformet. Tum errantes apprehensâ eorum manu, ſi parvuli ſint, corriget, ſignumque Crucis perfectiùs & diſtinctiùs edere curabit ſingulas prælocutus voces, & cum illis quodammodò balbutiens, ut audaciam addat, & formidoloſos animos erigat.

Curabit deinde alios recitare latinè & vernaculè, *Salutationem Angelicam.*

Et tandem ab aliis & aliis ſecundùm ætatis & diſcretionis incrementa, exiget *Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Decalogi, Sacramenta Eccleſiæ*; quod ſingulis vicibus ſemper fiat, ex iſta enim aſſiduitate proficiunt multi è tardioribus. Sumat hic animos Catechiſta, neque fatigetur, aut faſtidio dejiciatur ex repetitis tertiò & quartò, aut quantum ſatis eſt, his in apparentia minutiis, in id unum attentus, ut illa ſemper diſtinctè, & cum more recitentur.

Secundò, clarè & breviter repetet ea quæ poſtremâ lectione habita ſunt, curabitque exemplum ſub finem dictæ lectionis allatum repeti.

Tertiò, proſequetur materiam ſive lectionem ejus diei propriam, cujus ſummarium pueri enunciabunt, (prout per hebdomadam in ſcola didicerint) clarè & intelligibiliter. Tum Catechiſta ipſam lectionem explicabit ſermone facili, & ad parvi ſui auditorii captum accommodato; idem ſæpiuſculè aliis, atque aliis verbis repetens; adhibitis brevibus interrogationibus & reſponſionibus, ut majorem ſibi attentionem conciliet: nunquam verò omittat uno atque altero exemplo dicta confirmare, cujus rei facultatem præſtabit hic theſaurus.

Non excedat in his omnibus tres horæ quadrantes, & ſi fieri poteſt, brevior ſit, ne cui moleſtus accidat.

Diſtributionem præmiorum faciat benè merentibus mox à reſponſione; quanquam ſi pauperibus aliquid eleemoſynæ erogandum ſit (quod in civitate omnibus comparentibus feci) ad finem Catechiſmi, ob tumultum, & temporis impendium expediat differri.

SECTIO SEXTA.

De indulgentiis Catechiſmi.

I. SUntne ſummi Eccleſiæ Pontifices illos favore & gratiis proſecuti qui rem catechiſticam & ſcolarum Dominicalium inſtitutionem promovere ſatagunt?

R. Ita. Plures eorum indulgentias & gratias in eam rem contulerunt, ut tanto alacriùs populus Chriſtianus in doctrinam ad ſalutem neceſſariam incumberet.

I. Refer huc, ſi placet, aliquas iſtas indulgentias.

R. Pius V. Pontifex Max. in Bulla ſua quæ incipit, *Debito Paſtoralis Officii*, datum Romæ 6. Octobris 1571. hortatur omnes Prælatos, ut invigilent Dominicalibus ſcholis ubique erigendis, iiſque providendis curent de perſonis idoneis, quæ doctrinam Chriſtianam doceant,

Digitized by Google

cum facultate prædictis Prælatis attributa, ut doctrinæ Chriſtianæ Confraternitates, ubi iis viſum fuerit, inſtituant, conceſſis omnibus qui ſe huic negotio quoquo modo impenderint. 40. dierum indulgentiis.

Secundò, Gregorius 13. in Bulla ſua quæ incipit, *Illius qui pro gregis Dominici*, datum Romæ ejuſdem anni 11. Octobris, ampliat indulgentiam dierum 40. ad centum dies.

Idem Gregorius per litteras die 27. Maij. 1576. donavit cuicumque in Confraternitatem doctrinæ Chriſtianæ inſcribendo, eo die, quo peccatorum confeſſione, & ſacrâ Communione præmiſſis nomen dederint, *decem annos, & decem quadragenas indulgentiæ*, & alias ſimiles duabus vicibus in anno, ſimiliter, ut præfertur confeſſis & communicatis, lucrifaciendas.

Item conceſſit omnibus Confratribus quoties congregabuntur, & tractabunt de pertinentibus ad felicem ſucceſſum Doctrinæ Chriſtianæ, *centum dierum indulgentias*.

Inſuper omnibus Confratribus & Conſororibus dictarum Confraternitatum, qui ſemel quotannis, prout eorum Superiores determinaverint, & judicaverint, verè pœnitentes & confeſſi ſacrâ Communione ſe refecerint; & ſimiliter in articulo mortis pœnitentibus & contritis *plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam* conceſſit; dictis omnibus indulgentiis in perpetuum valituris, præter has omnes papales indulgentias, pleríque etiam Prælati inferiores pro ſuo in bonum animarum & Chriſtianam doctrinam zelo liberaliſſimè elargiuntur quicquid poſſunt iis qui rei catechiſticæ & ſcholis Dominicalibus per eorum Diœceſes ſubſidiariam manum adhibent; & meritò cùm ſubſit cauſa graviſſima: videlicet ut animos addant iis qui tam ſalubri, & Eccleſiæ Dei tam neceſſario operi bonam operam navant.

QUINQUE LECTIONES PRÆLUDIALES.

LECTIO PRIMA.

De Deo Trino & Uno.

I. Debemuſne credere Deum eſſe?

R. Ita indubitanter fide credendum eſt.

I. Non poſſumus ergò ſalvari abſque hac fide?

R. Non poſſumus omninò.

I. Declara hoc?

R. *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem; Quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.* *S. Athan. in ſymbol.*

I. Suntne aliqui, qui non credunt Deum eſſe?

R. Sunt, & hi vocantur Athei, q.d. ſine Deo.

I. Ille qui negat eſſe Deum, ſapit-ne?

R. Imò verò vocatur in Scriptura inſipiens: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Pſ. 13.

I. Quare talis dicitur inſipiens?

R. Quia neſcit id, quod univerſa natura intentiſſimè clamat. *Totus mundus quaſi conſcriptum quoddam volumen eſt prædicans gloriam Dei, & abſconditam alioquin & inviſibilem illius magnificentiam, per ſeipſam tibi mente prædito ad veritatis contemplationem annunciatur.* *Baſil. hom. 11. Hexameron.* Vide ad Romanos primo, verſ. vigeſimo. Sanè uti Deus in patria eſt ſpeculum in quo relucent creaturæ; ita in via creaturæ ſpeculum ſunt, in quo videtur Deus.

I. Declara hoc quod dixiſti, paulò ampliùs?

R. Cælum

Digitized by Google

S. Th. 1. p. q. 2. ar. 3. in O. R. Cælum cum ſuis orbibus, ſtellis, planetis, motibus, influentiis clarâ voce prædicat, quod Deus ipſa ordinaverit, & mandatum dederit, ut tali motu & ordine cuncta ſe habeant, ſicut revera ſe habent. *Tacet Cælum, inquit S. Chryſoſtomus, ſed ipſius aſpectus vocem tubâ clariorem emittit per oculos non per aures nos docens.* (Hom. 9. ad pop.) Idem dic de terra, de mari, de alternis tempeſtatibus, de viciſſitudinibus diei & noctis, &c.

I. Habeſne ſimilia quibus hoc declares?

Similia. R. Habeo. Agente te viam per deſertum aliquod (inquit celebris Orator) offendis forſan aulam regiam mirè compoſitam atque ornatam: interrogas quo pacto tanta ibi conſtructa ſit domus, diciturque tibi: caſu mons quidam cecidit, & ex ejus ruina hæc tanta domus fabricata eſt: Irrideres eum qui hæc tibi perſuaderet: mirum enim domus artificium, oſtendit manifeſtè opificem fuiſſe præclarum, qui tanto ordine cuncta collocavit: Ita profectò qui attentiùs conſideraverit mundi hujus magni opificium, liquère dicet ſummum opificem illud compoſuiſſe.

Solent nautæ, qui maximam regunt navem intus alicubi in puppi, in fornice latère, neque videntur; deprehenduntur tamen intus reſidere ex recto curſu quem tenet ſulcans navis; ad eundem modum non videtur Deus obtutu corporeo in machina hac quæ tam uniformi ordine procedit; arguitur tamen intus eſſe ex directione admirabili.

Quando videmus imaginem aliquam ſingulari arte depictam, nihil deformitatis habentem neque in capite, neque in oculis, neque in veſtibus, &c. Agnoſcimus magiſtri artem, & hominem quem neſcimus, mentis affectu amplectimur.

Et hæc eſt ſapientia Chriſtiana in rebus omnibus Deum inveſtigare, diligere, & ſicut decet, glorificare. Vide S. Aug. lib. 5. conf. cap. 4.

I. Eſt ne tibi ad manum exemplum alicujus Sancti, qui iſti ſapientiæ ſe totum addixerit?

Exemplum. R. Ita S. Antonius tali exercitio ætatem ſanctiſſimè trivit in eremo. Rogatus quâ ratione poſſet ipſe abſque libris ſapere, reſpondit Deum ſe in creaturis omnibus depinxiſſe, tanquam in imagine. Hinc vulgò dicere ſolemus, *mundum ipſum eſſe librum ſancti Antonii.*

I. Cæcos igitur eſſe oportet, qui tam claram lucem non vident?

R. Benè dicis. Et verò valdè mirum eſt, quod oculi corporis noſtri, etiamſi ſolem ipſum intueri nequeant, tamen ex lumine quo cinctus eſt, facillimè & adeſſe & pulcherrimum eſſe judicent; & oculi cordis noſtri tam difficulter erigantur ad Deum, & ejus immenſam pulchritudinem vix tenuiter ſentiant, cùm tamen undique cinctus ſit ſplendore & decore maximo, vide Pſal. 103.

I. Eſtne ergò magna ſapientia ſcire Deum?

R. Maxima. Hinc Apoſtolus exclamat; *O Altitudo divitiarum & ſcientiæ Dei!* Rom. 11.

Exemplum. De Sancto Edmundo legimus, quod matre jam defuncta ei apparente, & geometrica aliaque ſtudia ignobiliora diſſuadente, ad unam Theologiam & ſacræ Scripturæ libros deinceps eadem hortante, totum ſe converterit. (Sur. to. 6. 26. Novemb.)

Affectus. Erumpat interdum Catechiſta in exclamationem ad motum excitandum in ſuo parvo Auditorio pro materia quam tractat, verbi causâ hîc: *O pueri ô pauperes, quanta ſunt hæ divitiæ ſcire Deum! Scire, inquam, Deum, ad eum amandum, ad ei toto corde ſerviendum, &c.*

I. Quid eſt ergo Deus?

R. Non debes cogitare Deum rei alicui creatæ quantumvis excellenti ſimilem eſſe. Deus non eſt pulchritudo agri, ſed qui fecit illam; non eſt ſplendor firmamenti: non lumen Solis aut Aſtrorum, ſed qui fecit illud: non eſt ſpecies aliqua oculis ſubjecta, ſed qui fecit illam. Quidquid enim entitatis, bonitatis, & perfe-

ctionis

Digitized by Google

ctionis eſt in creaturis quibuſcumque, hoc totum eſt eminentius, multoque ſublimius in Deo Optimo Maximo, Unde.

Creaturæ ſunt imagines & veſtigia Dei.

Nota nos dixiſſe ſuprà, Deum ſe in creaturis depinxiſſe, aut aliquod ſui veſtigium reliquiſſe. Creaturæ igitur non ſunt niſi imagines Dei & veſtigia: res verò ipſa, entitas, & realitas realiſſima eſt ipſe Deus. Quomodò ergo homo totus eſt in imaginibus, in picturis, in veſtigiis, & rem ipſam non perſequitur deſiderio, ſtudio, votis, amore? (Aug.) *Da Domine Deus, plaſmator meus cordi meo te deſiderare, deſiderando te quærere, quærendo invenire, inveniendo amare.*

I. Sed age, quid eſt Deus?

(Joan. 4.) R. Deus eſt res maximè ſpiritualis, imò *ſpiritus eſt Deus*, qui ſemper exſtitit, & qui ſolus de ſeipſo cum veritate prædicat: (Exod. 3.) *Ego ſum qui ſum*, exiſtens ſcilicet ab initio omnis æternitatis, & nunquam deſinens, qui fecit omnia, implet omnia, regit omnia, ſcit & videt omnia, rebus omnibus intimè præſens: Sapientiſſimus, pulcherrimus, potentiſſimus, optimus, maximus, immenſus, miſericordiſſimus, & juſtiſſimus, perfectiſſimus, incomprehenſibilis.

(Heb. 11.) I. An Deus remunerator bonorum ſit?

(Rom. 2.) R. Ita planè ſentiendum eſt. *Deus cuncta noſtra intuetur & moderatur providentiâ ſuâ. Ipſe reddet unicuique ſecundùm opera ejus; iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui ſunt ex contentione, &c. ira & indignatio.*

I. Quot ſunt Dii?

(Deut. 6.) R. *Unus eſt Deus*. Sicut in Cælo unicus eſt Sol, in regno unus Rex, in homine una anima.

Deus unus eſt.

I. Cur unum Deum eſſe, non plures confitendum eſt?

R. Quia, cùm Deo ſummam bonitatem & perfectionem tribuamus, fieri non poteſt, ut id quod ſummum & abſolutiſſimum eſt, inveniatur in pluribus; quod ſi cui aliquid ad ſummum deeſt, eo ipſo imperfectus eſt; quare nec Dei natura illi convenit.

I. Nonne ergo Deus Pater ipſe eſt Deus?

R. Omninò.

I. Nonne Filius ipſe eſt Deus?

R. Planè.

I. Nonne Spiritus S. ipſe eſt Deus?

R. Eſt certiſſimè.

I. Nonne ergo ſunt tres Dii?

R. Minimè. Nam etſi ſunt tres perſonæ diſtinctæ, non ſunt tamen niſi unus Deus. Et hoc eſt myſterium incomprehenſibile & ineffabile ſanctiſſimæ Trinitatis, de quo plura in Symbolo cap. 2. lect. 4. Vide interim Symbolum S. Athanaſii, quod nobis recta eſt in hac materia credendi regula.

Deus eſt incorporeus.

I. An Deus habeat corpus?

R. Nullo modo. Deus enim ut antè diximus, ſpiritus eſt, de quo ipſe Salvator ait: *Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere* (Luc. 24.). Non obſtat quod ſecunda in Trinitate perſona, id eſt Filius, corpus habet, quia inde habet, quod humanam pro nobis naturam ſuſcipere dignatus eſt, ut dicetur in Symbolo. Habet ergo corpus quà homo, non quà Deus.

I. Pater igitur & Spiritus ſanctus, id eſt, prima & tertia in divinitate perſona; non habent corpus?

R. Non, quia iſtæ duæ perſonæ non acceperunt humanam naturam.

I. Cur ergo iſtæ perſonæ ſolent interdum, ſub quibuſdam formis corporalibus repræſentari?

R. Quia res ſpirituales, uti Deus & Angeli, non poſſunt ſub intuitum noſtrum & ſenſus, prout in ſeipſis exiſtunt, cadere, niſi mediante formâ aliquâ viſibili & corporali. Unde, quod Deus Pater pingi & repræſentari ſoleat tamquam ſenex canâ barbâ, idcircò eſt, ut ſignificetur ejus æternitas & providentia. Secundò, quia talis Danieli Prophetæ apparuit, (Dan. 7.) ubi *antiquus dierum* dicitur.

Quod

Digitized by Google

Quod verò Deus Spiritus ſanctus tertia perſona uti columba exprimatur, fundamentum in eo habet, quod ſicut columba ſuper Chriſtum Dominum deſcenderit in Baptiſmo, Matthæi 3. Secundò, ut per figuram ſignificentur qualitates columbæ Fidelibus ſuper quos deſcenderit Spiritus ſanctus, infundi; columba enim ſimplex & amans deſignat ſimplicitatem & amorem Spiritûs ſancti, qui eſt ſummus & ſimplex amor Patris & Filii ejus conſubſtantialis?

I. Reſtat mihi alia difficultas in hac materia; Si Deus ter maximus, uti doces, corporis ſit expers, quî fit ergo quod ipſa Scriptura divina frequenter ei attribuat aures, oculos, manus, &c.

Exemplum. R. Non aliud hoc eſt, quàm ut ſignificetur Deus, per eſſentiam ſuam infinitam id totum, quamquam modo longè perfectiori, quod ſolet homo per ejuſmodi membra corporis ſui efficere.

I. Eſt-ne Deus aliquando hanc ipſam confeſſionem, de uno Deo & trino, aliquo inſigni miraculo atteſtatus?

R. Eſt atteſtatus evidentiſſimè. Cùm Sanctus Tiburtius ad Fabianum Judicem adductus de Chriſti fide multa prædicaret; excandeſcens Judex pavimentum carbonibus candentibus ſterni jubet. Mox Tiburti, ait, vel Diis noſtris ſacrifices, oportet, vel per iſtos carbones nudis pedibus incedendum eſt. At ille ſigno crucis ſe muniens, fidenterque ambulans in pruna, Diſce, inquit, ex hoc ſolùm eſſe Deum quem Chriſtiani colunt; prunæ enim flores mihi videntur. *Vide Breviarium Romanum.*

Similia exempla per omnes ferè Martyrum hyſtorias reperies.

I. Cur homines Dii interdum appellantur?

Homines interdum Dii nuncupantur quomodo? R. Quod ſacræ Litteræ Prophetas & Judices Deos appellarunt, non gentium more factum eſt, quæ ſibi plures Deos ſtultè & impiè finxerunt; ſed quadam loquendi conſuetudine, ſignificare voluerunt excellentem aliquam virtutem, vel functionem, quæ Dei munere illis conceſſa ſit.

LECTIO SECUNDA.

De Homine, ejuſque Fine.

I. POſſes-ne ſimilitudinem aliquam hujuſce, quam diximus, individuæ Trinitatis in medium proferre?

R. Satis accommoda eſt ejuſmodi ſimilitudo in homine, quem ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum Scriptura proloquitur. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. Et iterum: *Ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos.*

I. In quo maximè cernitur hæc Dei imago & ſimilitudo?

R. In anima quæ immortalis eſt, & tribus facultatibus, intellectu, memoriâ, & voluntate prædita.

O filioli mei, ô pueri, imago & ſimilitudo Dei ſumus; Ergò ne in lutum & volutabrum, in cœnum & immunditiam nos trademus? *Affectus.*

I. Ergò res magna eſt homo, vel ex ea ſola parte quâ ſimilitudinem Dei gerit? *Homo in ſublunaribus primas occupat.*

R. Planè, ut inter ſublunares omnes creaturas, vel hoc ſolo nomine, primum locum occupet.

I. Eſt-ne igitur homini ſui-ipſius cognitio utilis?

R. Hoc nimirum quæris, ſit-ne homini utile, ut originem quiſque ſuam & conditionem pernoſcat? Itaque dicendum eſt, nihil æquè homini neceſſarium, quam ſeipſum noſſe. *Multi*, inquit Bernardus, *multa ſciunt & ſeipſos neſciunt, & alios inſpiciunt, & ſeipſos deſerunt; Deum quærunt per iſta exteriora, deſerentes ſua interiora, quibus interior eſt Deus.* *In principio meditationum*

I. Ecquis Sanctorum hanc ſui-ipſius cognitionem perfectam habuit?

R. Inter multos S. Franciſcus, qui dicere ſolebat; *Quis tu Domine, quis ego?*

Exemplum.

Tu abyſſus ſapientiæ, potentiæ, virtutis, omniſque boni: Ego abyſſus nihili, ignorantiæ, infirmitatis, peccatorum, omniſque mali. Dicamus frequenter & nos cum magno illo Auguſtino: *Noverim te, Domine, noverim me.*

Homo definitur, & definitio declaratur.

I. Quid igitur homo?

R. Eſt creatura rationalis animâ & corpore conſtans.

I. Cur dicis quod homo ſit *creatura?*

R. Quia anima ipſa (quæ hominis eſt potior pars) à Deo creatur dum corpori infunditur; corpus verò ipſum quamquam à parentibus ſecundùm materiam trahimus, at certè principalis ejus formator eſt Deus, dicente ſeptem filiorum Machabæorum generoſâ Matre: *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & ſpiritum vobis iterum eum miſericordia reddet & vitam.* Et B. Job: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu.* Et paulò poſt: *Memento quæſo quod ſicut lutum feceris me.* Et rurſum: *Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me.* Adeò quod Deus ipſe Pater noſter ſit, non tantùm ſecundùm animam, ſed etiam ſecundùm corpus; ut proindè rectè ſubmoneat ipſa Veritas, unum nobis vocandum Patrem, qui eſt in cœlis, non etiam alium ſuper terram; ſcilic. æquè primò & principaliter, & cum ea, quam diximus, excellentia. *Non enim initium vitæ habemus ex parentibus, ſed tranſitum vitæ per eos accipimus,* inquit S. Chryſoſtomus.

2. Mach. 7. — *Job. 7.* — *Super Matt. 23.*

I. Quid hoc eſt *Creatura rationalis.*

R. Intelligo per hoc, quod homo, quà rationalis, emineat omnibus creaturis ſublunaribus, *paulò minùs ab Angelis minutus.*

Pſal. 8.

I. Dic modò, quid circa animam ipſam hominis conſiderandum habes?

Anima

R. Tria potiſſimùm; videlicet: ejus dignitas, & præcellentia, quæ in eo poſita eſt, quod ſpiritualis ſit, immortalis, ad imaginem & ſimilitudinem Dei creata; quod Deus Pater pro ea in libertatem vendicanda filium ſuum unigenitum in terras miſerit.

dignitas.

Periculum.

Alterum eſt, magnum in quo continuò verſatur, diſcrimen. Circumſtant eam omni tempore hoſtes ferociſſimi, mundus, diabolus, & caro, ruinam & perditionem ejus quâvis arte quærentes. *Militia, dicebat Iob, eſt vita hominis ſuper terram.* Et Apoſtolus: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Vide Innocentium tertium libro de contemptu mundi capite 18.

Job. 7. — Eph. 5.

Anima Miſeria.

Tertium eſt, miſeria ſumma, in qua verſatur anima. Agit hîc nimirum in mundo quaſi exul, & in corpore quidem tanquam in ergaſtulo, beſtiis terræ conſociata, & uſque adeò interdum ſui oblita, ut beſtialem magis vitam, quàm rationalem, ſuis illecta affectibus, ducere videatur. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Hanc ſuam miſeriam deplorabant Sancti: *Incola ego ſum in terra, inquiebat Pſaltes, & peregrinus ſicut omnes Patres mei.* Et Apoſtolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus! Educ de cuſtodia animam meam.*

Pſal. 48. — Pſal. 118. — Pſal. 38. — Rom. 7. — Pſal. 141.

I. Quid ex hiſce omnibus concludendum?

R. Hoc certè. Quandoquidem tanti ſit anima, & tantis expoſita periculis, totque vallata miſeriis, id enixiùs curandum eſt & magnâ ſollicitudine agendum ne pereat. *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Hoc frequenter decantabat Sancta Paula, ut author eſt *S. Hieronymus* in ejus Epitaphio.

Matt. 16. — *Exemplum.*

I. Quâ ratione poteſt homo animam ſuam perdere, aut ejus detrimentum facere?

R. Per-

Digitized by Google

R. Perditur æternùm anima per peccatum mortale, in quo moritur homo ſine pœnitentia. Ita Judas proditor tradens ſanguinem juſtum, & in deſperationem prolapſus, vitam & animam perdidit, laqueo ſe ſuſpendens, de quo ipſa Veritas pronunciavit, *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Ita Theodoricus Rex Italiæ viſus eſt à quodam ſolitario in aliqua Siciliæ Inſula, Lipparis dicta à Ioanne Papa, & Symmacho, quos nuper juſſerat occidi, in Ethnæ voraginem præceps dari.* S. Gregorius lib. Dialogorum cap. 30.

Exemplū.

Matt. 26.

I. Quid porrò circa hominis corpus conſiderandum habes?

Etiam 3. circa corpus conſiderat.

R. Etiam tria. Ac primum quidem eſt ejus vilitas. *Non enim eſt humanum corpus aliud quàm ſaccus ſtercorum, plenum fætore, & mille malis obnoxium, eſca tandem futurum vermium. O vilis conditionis humanæ indignitas! ô indigna vilitatis humanæ conditio! Herbas & arbores inveſtiga; illæ de ſe producunt frondes, flores, & fructus; & tu de te lendes, pediculos, & lumbricos. Illa de ſe fundunt oleum, vinum, & balſamum; & tu de te ſputum, urinam, & ſtercus. Illa de ſe ſpirant ſuavitatem odoris, & tu de te reddis abominationem fætoris. Qualis eſt arbor, talis eſt fructus.*

Innoc. 3. de contemptu mundi l. 1. c. 8.

I. Quid inde ſumis utilitatis ad mores?

Corporis humani vilitas.

R. Quod homo criſtas dejicere, & ſubmiſsè de ſe ſentire debet, quamdiu in hac carne verſatur peregrinus à Domino.

I. Soli-ne pauperes viles ſunt hac in parte & contemnendi, qui corpus circumferunt luridum jejunus, & neglectâ cute parum nitidum?

R. Minimè, nam pauperum æquè ac divitum idem initium, idem finis. Non enim formavit Deus ab initio duos Adamos, unum ſcilicet argenteum vel aureum, unde nobiles & generoſi Domini ortum ſumpſerint; & terrenum unum è limo unde pannoſi, & vilis cæterorum hominum turba exordium acceperit: ſed unus omnium Pater luteus eſt Adam. *Ideò homo nuncupatus eſt, quod ſit factus ex humo, ſicut Adam idem eſt quod terrenus, ſeu de terra natus. Lact. lib. 2. divin. inſtit. cap. 11.* Hoc igitur nomine homo quiſque originis ſuæ admonetur, ut non ſuperbiat, dum ſe ex vili pulvere, humore concreto, factum audit. Cujus rei agnitio gratiſſima Deo ſemper fuit. Gen. 9. Job. 7. & 10. Iſaiæ 9. Iſaiæ 45. *Væ qui contradicit factori ſuo.* Hierem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea.* Hoc allegat Apoſtolus Rom. 9. Eccli. 10. *Quid ſuperbit terra & cinis?* Hine ſolebant veteres in ſignum profundiſſimæ humiliationis, pœnitentiæ ac luctûs etiam capita ſua cinere aſpergere. Quod ſolemni die cinerum Eccleſia ſolet annuè recolere per cæremoniam cinerum. Dicebat ſapienter de ſeipſo Regum maximus Salomon *Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius qui prior factus eſt, &c.* Ubi tandem concludit: *Vnus ergo introitus ad vitam, & ſimilis exitus.* Nimirum, uti omnium, eſt luteum principium, ita omnium finis Deus. Si media contingit eſſe diſſimilia, quia divites in vita ſua lautè comedunt, largiter bibunt, molliter dormiunt, cùm omninò contraria pauperibus accidant; ſi divites honorantur, & pauper ubique jacet; at de his omnibus rationem reddere divites oportet, non pauperes qui iſtis caruerunt.

Cæremonia cinerum in capite Quadr.

Sap. 7.

Vos ergo divites, nolite ſpernere pauperes, quoniam unus veſtrûm & illorum Creator Dominus, & Judex eſt Deus. Fratres omnes ſumus, ab uno ortu ad eundem finem tendentes.

Divites modeſtè ſe habere debent ad pauperes.

Per vitam ingredimur in theatrum hujus mundi, ut perſonam comicam agamus, hic Sacerdotis, ille principis, iſte plebei. Comedia hæc agitur coram Deo, Angelis, & hominibus: juxta illud Pauli: *Spectaculum* (græcè theatrum) *facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* 1. Cor. 4. Quiſque ergo videat, ut perſonam

 ſuam

ſuam quamcumque, ſive divitis, ſive pauperis Deo diſponente ſuſceperit, decorè agat, ut tandem Deo illius bene actæ rationem expoſcenti exactam reddat. Scenâ peractâ veſtes theatrales abjiciendæ ſunt, ut ſuas quiſque reſumat in generali reſurrectione. Unde Auguſtinus Cæſar, teſte Suetonio, moriturus ad amicos ait: *Satiſne bellè perſonam noſtram egimus?* Illis reſpondentibus, *bellè*, attrahens claudenſque lectuli cortinas: *Valete ergò*, inquit, *& plaudite*, uti dicunt ſcenici finitâ jam comediâ. Sapienter Poëta:

Eſſe, fuiſſe, fore, tria florida ſunt ſine flore:
Nam ſimul omne perit, quod fuit, eſt & erit.
Quod fuit, eſt, & erit, perit articulo brevis hora:
Ergo quid prodeſt, eſſe, fuiſſe, fore?

I. Quid ſecundo loco circa corpus notas?

R. Ejus perverſitatem & malitiam. Eſt enim ipſum corpus gratiæ Dei adverſarium, & ſaluti ſemper infenſum; cupiditatibus noxiis plenum; & quò delicatiùs illud tractaveris, eò inſurget adversùs ſpiritum inſolentiùs.

I. Quem inde fructum excerpis?

R. Hunc nimirum; domandam eſſe carnem, & voluptates ei ſubtrahendas, ut ſpiritui obedire & ſervire diſcat.

I. Quis illud exemplo docuit?

R. Sancti quique ſalutis ſuæ memores. *Sanctus Paulus vas electionis & Doctor gentium caſtigat corpus ſuum, & in ſervitutem redigit.* 1. Cor. 9.

Exempla. De Sancta Cæcilia vide Breviarium Rom. 22. Novemb. Mira ſunt quæ de ſe ipſo ſcribit S. Hieronymus ad Virginem Euſtochium, & de Sancto Hilarione in vita ejus.

Corpus malè tractandum ut ſpiritui ſerviat Bonav. l. 1. *S. Franciſcus aliquando carnis titillatione pulſatus (ille, inquam, cujus tota vita non erat aliud quàm dura pœnitentia) apertâ cellâ foras exivit in hortum brumali tempore, & in magnam demergens nivem corpuſculum jam nudatum, ſeſe tem ex ea plenis manibus cœpit compingere maſſas: quas ſibi proponens, ſuo ſic exteriori homini loquebatur: Ecce (inquit) hæc major, uxor tua eſt; quatuor iſta duo filii, & duæ filiæ; reliqua duæ ſervus & ancilla, quos ad ſerviendum habere oportet; feſtina igitur omnes induere, quia frigore moriuntur. Si verò eorum multiplex ſollicitudo moleſtat, uni Domino ſollicitè ſervi. Illicò tentator victus abſceſſit, & vir ſanctus cum victoria in cellam rediit.* *Vit. ſancti Franciſci c. 5.*

Idem Sanctus corpus ſuum, *fratrem aſinum*, appellabat, tanquam laborioſis ſupponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. *Ibidem.*

Sancta Elizabetha Ducis Turingiæ uxor, & Regum proſapiâ illuſtris, vivente etiam marito in abditiora ſe cubicula recipiens, ab ancillis ſe verberari faciebat virgis & flagellis, ut carnem domaret. *Conrard. in ejus vita. Surius tom. 4.*

Sanctus Ludovicus Franciæ Rex cilicium frequens ad carnem adhibebat, & immunem à peccato mortali in deliciis regalibus ſe cuſtodiebat.

I. Quid tertio loco notandum occurrit circa humanum corpus?

R. Quod illud ſit animæ rationalis habitaculum, in virtutibus & actionibus bonis ſocium atque inſtrumentum. Oras? labia moves? genua flectis? corpus totum cooperatur animæ. Jejunas? ipſum patitur. Et tandem ab ipſa anima glorioſa reſumetur corpus lucidum, agile, ſubtile, impaſſibile; ut ſicut in paſſionibus, ita & in gloria ſit ſocium.

I. Quis igitur finis hominis?

R. *Factus eſt homo ut ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur.* *Aug. Enchir. c. 9. in ultimo ſimb. articulo, & in 2. te. tis orat. Dom. Finis hominis excelſus & ſublimis.*

I. Numquid non ſublimis admodum & excelſus eſt hominis finis?

R. Planè, tantus eſt, quantus eſt ipſe Deus ter maximus.

I. Numquid homo debet magnas Deo Creatori ſuo gratias, quod factus ſit ad finem tam excelſum tamque ſublimem?

R. Om-

R. Omninò debet maximas. Et huc debet omnia ſua cogitata, dicta, facta dirigere. Non te decipiat, mi amice, fugax & vana illecebra voluptatũ carni blandientium, non illudat momentaneus honoris fumus, nec fallax plauſus adulantium: in momento hæc omnia abibunt. Tu, bone vir, ad alia natus es, ad æterna creatus. Huc mentis aciem dirige, & ita vitam inſtitue, ut felix æternùm vivas, & à fine non aberres.

LECTIO TERTIA.

De Homine Chriſtiano.

I. TU-ne Chriſtianus es?

R. Ita, Dei gratiâ ſum Chriſtianus.

Joan. 15. Matt. 13.

I. Cur ita dicis; *Dei gratiâ*?

R. Quia ſoli gratiæ Dei id acceptum fero, quod in hanc felicem Chriſtianorum ſortem vocatus ſim.

I. Quandonam hæc bona ſors ex gratia Dei homini accidit, ut Chriſtianus ſit?

R. Cum ad regenerationis lavacrum ablutus Chriſto nomen dat.

Numquid ergò fideles aut Chriſtiani parentes ſimiles ſibi fideles aut Chriſtianos gignunt filios?

Joan. 3. Pſ. 50. Epheſ. 2. Tit. 3. 1. Cor. 6.

R. Minimè. *Quod enim ex carne natum eſt, caro eſt.* Certè David agnoſcit ſe in peccatis conceptum; & ſanctus Paulus fatetur ſe *ex natura filium iræ.* Imò Baptiſmus ipſe ab eodem Apoſtolo *regenerationis lavacrum* ideò dicitur, quod qui in peccatis conceptus erat homo, in novam renaſcatur creaturam; *ablutus, ſanctificatus & juſtificatus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri,* uti alibi loquitur idem Apoſtolus.

I. Numquid magno nobis honori ducere debemus, quod in Chriſtianorum album adſcripti ſumus?

Maximus honor, eſt Chriſtianum eſſe. Pſal. 147.

R. Planè maximo; neque enim *fecit Deus taliter omni nationi.* Pone caſum quod potentiſſimus ſim mundi Monarcha; habens imperium ampliſſimum, extenſum ab Oriente in Occidentem, & à Meridie in Septentrionem, ſim interea infidelis & idololatra, ut quid mihi opes, regna, faſtus omnis ille & potentia? *Quid prodeſt homini* (uti nuper diximus) *ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* è contra ſi fidelis ſim, ſi Chriſtianus; tametſi alia omnia deſint, ero nimium felix. Audi ſanctum Petrum hanc Chriſtianorum conditionem extollentem: *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. Nullæ ſunt majores divitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla mundi hujus ſubſtantia, quàm eſt fides Catholica; quæ peccatores homines ſalvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles juſtificat, pœnitentes reparat, juſtos augmentat, martyres coronat.*

Lect. præced. 1. Pet. 2. *Aug. ſer. 1 de verbis Domini.*

Affectus.

O pueri, pueri quales iſtæ divitiæ, quantus theſaurus Chriſtianum eſſe!

I. Quid ſi aliquis tibi hunc theſaurum, has opes, Chriſti, inquam, fidem & Chriſtianæ religionis profeſſionem ſuffurari vellet, quid ageres?

Vide Chriſ. ſuper Matt. hom. 34.

R. Cætera omnia cuivis tandem diſcrimini exponerem, ſive bona fortunæ, ſive honorem, ſeu etiam corpus ipſum priùs quàm ejuſmodi theſauri jacturam facerem.

I. Ita-ne fecerunt Sancti?

R. Ita fecerunt.

Exempla. Heb. 11.

Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Regis Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem.

Niceph. Cal. l. 17. Eccleſiaſt. hiſt. c. 6.

In civitate cui Negra nomen eſt, egregium virilis animi ſpecimen edidit quidam puer Martyr mulierculæ unius ex eis, quæ ad pyram accenſam rapiebantur pro

Chriſto, filius. Hunc etenim tenerum adhuc, tyrannus retinens diſtrahere à matre conabatur, demulcens illum, & quicquid ad animum adoleſcentuli alliciendum faceret, objiciens. Ibi verò matrem puer aſpiciens, femur Tyranni momordit, & ad illam procurrit, atque ità unà cum matre ſacrificium ſuave olens per litationem ad Deum eſt tranſmiſſus.

Saturus Procurator domûs Hunnerici Regis, cùm à regiis Miniſtris & ab uxore acerrimè tentaretur ad negandam fidèm, interpidè reſpondit: tanquam una ex inſipientibus mulieribus locuta es.

Thomas Morus inſignis Angliæ martyr, maluit Magiſtratu quo fungebatur ampliſſimo, uxoris & libererum cariſſimorum conſuetudine, facultatibus denique omnibus, imò libertate & vitâ ipsâ orbari, quàm rectæ fidei tramitem vel latum (ut dici ſolet) unguem tranſgredi Altâ ſcilicet mente repoſuerat, quod dicit Dominus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & uxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14.

Quid non egit, ſed quid non paſſus eſt ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor Athanaſius, ut fidem Catholicam contra Arianos propugnaret? Vide Breviarium & Martyrologium Romanum ad diem 2. Maji.

I. Magni-ne æſtimarunt Sancti quod Chriſtiani eſſent, & nominarentur?

R. Maximè. Quinctianus Siciliæ Prætor ſanctam Agatham ſollicitabat ut nuntio Chriſtianæ fidei remiſſo, Diis ſacrificaret; ℞ nonne, inquit, te pudet nobili genere natam, humilem & ſervilem Chriſtianorum vitam agere? Cui Agatha: *multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſervitus, regum opibus & ſuperbiâ.*

Exempla. *Breviar. Rom. 5. Febr.*

Sanctus Ludovicus Francorum Rex natus eſt, & ſacro baptiſmate renatus in fundo Poſſiaco: Quamobrem illo loco plurimùm delectabatur, frequenterque eò ventitabat. Vnde factum eſt ut paſſim jactaret ſe plus accepiſſe eo in loco dignitatis & beneficii, quàm alio quocumque. Quod multis ejus familiaribus, cum quibus agebat, admirationem peperit. Objicientibus autem nonnullis, quod plus honoris Rhemis eſſet aſſecutus in inauguratione, & ſacri olei Vnctione, ipſe ſubridẽs ait: Ego verò Poſſiaci Chriſti diademate & oleo ſacro redimitus, plus majeſtatis & honoris accepi quàm alibi uſquam, aut quocumque gradu hominem evehi fas eſt. *Franciſc. Belforeſt in ejus vita.*

Diaconus quidam Sanctus nomine, in perſecutione quæ ſub Antonio Vero Lugduni & Viennæ Francorum deferbuit, in tantum Tyrannorum crudelitates riſit, & ferinam in quæſtione ſævitiam, ut nunquam dignatus ſit vel quis eſſet genere, quâ domo, vel patriâ, vel nomen ſaltem ſuum eis fateri. Sed de his ſingulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis niſi Chriſtianum ſe eſſe reſpondit. Hoc mihi nomen, hoc genus & patria eſt. Aliud, inquit, omninò nihil ſum quàm Chriſtianus. *Ado in Martyr. 2. Iunii ex Euſeb.*

Sancta Blandina atrociter torta, ut Chriſtianis objecta crimina jam dicta confiteretur, conſtanter & alacriter proclamando: *Chriſtiana ſum & nihil apud nos mali geritur*, obſtupefecit tortores. Eadem revocata ad tormenta, & in mortis confinio poſita; *multum*, ait, *erratis, ò viri, quod putatis infantium viſceribus veſci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus utuntur*

I. Stultè-ne è contrà egerunt qui regnandi cupiditate vel quovis alio reſpectu fidem Catholicam amplecti detrectaverunt, vel etiam deſeruerunt?

R. Stultiſſimè, Leovigildus Rex Viſigothorum Arianus Hermenigildum filium ab Ariana hæreſi ad fidem Catholicam viro reverendiſſimo Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo prædicante converſum, ut ad eandem hæreſim rediret, & præmiis ſuadere & minis terrere conatus eſt. Sed fruſtrà! Cumque ille conſtantiſſimè reſponderet, nunquam ſe veram fidem poſſe *Exemplũ. Ex ſancti Greg. l. 3. Dial. c. 31.*

poſſe relinquere, quam ſemel agnoviſſet, iratus Pater eum privavit regno, rebuſque exſpoliavit omnibus. Superveniente autem Paſchalis Feſtivitatis die, cum ex Epiſcopi Ariani manu ſacrilegæ conſecrationis Communionem recipere noluiſſet, ad carcerem Arianus Pater ſuos apparitores miſit, qui conſtantiſſimum confeſſorem Dei, illic ubi jacebat, occiderent: quod & factum eſt. Pater verò perfidus, & parricida commotus pœnitentiâ, hoc feciſſe ſe doluit, nec tamen uſque ad obtinendam ſalutem pœnituit. Nam quia vera eſſet fides Catholica agnovit, ſed gentis ſuæ ſub timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui obortâ ægritudine ad extrema perductus eſt, & Leandro Epiſcopo, quem priùs vehementer afflixerat, Reccaredum Regem filium ſuum, quem in ſua hæreſi relinquebat, commendare curavit, ut in ipſo quoque talia faceret, qualia & in fratre ſuis exhortationibus feciſſet. Quâ commendatione expletâ defunctus eſt. Poſt cujus mortem Reccaredus Rex non patrem perfidum, ſed fratrem Martyrem ſequens, ab Arianæ hæreſeos pravitate converſus eſt, totamque Viſigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in ſuo regno militare permitteret, qui regni Dei hoſtis exiſtere per hæreticam pravitatem non timeret. *Ecce qualiter hæreticus Leovigildus terreni regni amittendi timore ſalutis naufragium fecit, & regnum æternum perdidit.*

I. Quis dicendus eſt Chriſtianus atque Catholicus?

R. Qui Jeſu Chriſti veri Dei ac hominis ſalutarem doctrinam in ejus Eccleſia profitetur, neque ſectis vel opinionibus ullis ab Eccleſia Catholica alienis adhæret.

I. Cur dicis, *qui Ieſu Chriſti, &c.*

R. Quia ab illo Chriſtiani nominamur.

I. Quid hîc ad mores?

R. Quod non debemus ſpecioſo nomine eſſe contenti, ſed Chriſti mores & vitam imitari oportet. Et quemadmodum ipſe ſanctus eſt, innocens, impollutus, ita qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifigere debent cum ſuis concupiſcentiis. Dicebat acri ſtimulo Judæos pungens Salvator noſter: *Si filii eſtis Abrahæ, opera Abrahæ facite.* Liceat mihi dicere: Si Chriſtus, ô Chriſtiani, Pater veſter eſt, ſi magiſter veſter, opera Chriſti Patris ac magiſtri veſtri facite, ejus præcepta ſervate. Exiſtimet unuſquiſque Chriſtianus hoc ſibi dictum: *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos de cæteris populis ut eſſetis mei.* Lev.20.

I. Cur dicis: *In ejus Eccleſia.*

R. Quia in ea ſola eſt veræ fidei profeſſio. Eſt enim Eccleſiæ Chriſti hoc ſpeciale privilegium, ut portæ inferi non prævaleant adversùs eam, adeoque in materia fidei infallibilis ſit, dicente Domino ipſi primo ejuſdem Eccleſiæ ſuæ Pontifici maximo; *Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Rurſum, ipſa eſt, atteſtante Apoſtolo, *columba & firmamentum veritatis.* Matt.16. Luc.22. 1.Tim.3.

I. Quid eſt hoc: *Neque ſectis vel opinionibus ullis, &c.*

R. Debet ſanè omnes omninò cultus & ſectas à Chriſti Doctrina & fide Catholica alienas deteſtari qui Chriſtianus eſt, ut Judaicam ſectam, Mahometicam, Hæreticam, &c. Apage ergò hæreticorum noſtrorum ſtolidorum pronunciatum: *Quilibet in ſua fide & religione poteſt ſalvari.*

I. Quare non poteſt quilibet in ſua fide & religione ſalvari?

R. Quia *ſine fide impoſſibile eſt Deo placere:* Fides autem una eſt, ſicut unus Dominus, unum baptiſma. Nec habetur uſpiam in ſcriptura quod omnis fides juſtificet (inquit Auguſtinus in aliquo ſermone) ſed ſimpliciter fides; & quod ſcriptura non poſſit ſic intelligi probat ex eo, quod inde ſequeretur Dæmones juſtificari, cùm in ea apertè habeatur: *Dæmones credunt & contremiſcunt.* Eo maximè Jac.2. Gal.5.

quod

Chriſto, filius. Hunc etenim tenerum adhuc, tyrannus retinens diſtrahere à matre conabatur, demulcens illum, & quicquid ad animum adoleſcentuli alliciendum faceret, objiciens. Ibi verò matrem puer aſpiciens, femur Tyranni momordit, & ad illam procurrit, atque ità unà cum matre ſacrificium ſuave olens per litationem ad Deum eſt tranſmiſſus.

Saturus Procurator domûs Hunnerici Regis, cùm à regiis Miniſtris & ab uxore acerrimè tentaretur ad negandam fidem, interpidè reſpondit: tanquam una ex inſipientibus mulieribus locuta es.

Thomas Morus inſignis Angliæ martyr, maluit Magiſtratu quo fungebatur ampliſſimo, uxoris & liberorum cariſſimorum conſuetudine, facultatibus denique omnibus, imò libertate & vitâ ipsâ orbari, quàm rectæ fidei tramitem vel latum (ut dici ſolet) unguem tranſgredi. Altâ ſcilicet mente repoſuerat, quod dicit Dominus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & uxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14.

Quid non egit, ſed quid non paſſus eſt ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor Athanaſius, ut fidem Catholicam contra Arianos propugnaret? Vide Breviarium & Martyrologium Romanum ad diem 2. Maji.

I. Magni-ne æſtimarunt Sancti quod Chriſtiani eſſent, & nominarentur?

R. Maximè. Quinctianus Siciliæ Prætor ſanctam Agatham ſollicitabat ut nuntio Chriſtianæ fidei remiſſo, Diis ſacrificaret; Et nonne, inquit, te pudet nobili genere natam, humilem & ſervilem Chriſtianorum vitam agere? Cui Agatha: *multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſervitus, regum opibus & ſuperbiâ.* *Exempla. Breviar. Rom. 5. Febr.*

Sanctus Ludovicus Francorum Rex natus eſt, & ſacro baptiſmate renatus in fundo Poſſiaco: Quamobrem illo loco plurimùm delectabatur, frequenterque eò ventitabat. Unde factum eſt ut paſſim jactaret ſe plus accepiſſe eo in loco dignitatis & beneficii, quàm alio quocumque. Quod multis ejus familiaribus, cum quibus agebat, admirationem peperit. Objicientibus autem nonnullis, quod plus honoris Rhemis eſſet aſſecutus in inauguratione, & ſacri olei Unctione, ipſe ſubridēs ait: Ego verò Poſſiaci Chriſti diademate & oleo ſacro redimitus, plus majeſtatis & honoris accepi quàm alibi uſquam, aut quocumque gradu hominem evehi fas eſt. *Franciſc. Belforeſt in ejus vita.*

Diaconus quidam Sanctus nomine, in perſecutione quæ ſub Antonio Vero Lugduni & Viennæ Francorum deferbuit, inſanum Tyrannorum crudelitates riſit, & ferinam in quæſtione ſævitiam, ut nunquam dignatus ſit vel quis eſſet genere, quâ domo, vel patriâ, vel nomen ſaltem ſuum eis fateri. Sed de his ſingulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis niſi Chriſtianum ſe eſſe reſpondit. Hoc mihi nomen, hoc genus & patria eſt. Aliud, inquit, omninò nihil ſum quàm Chriſtianus. *Ado in Martyr. 2. Iunii ex Euſeb.*

Sancta Blandina atrociter torta, ut Chriſtianis objecta crimina jam dicta confiteretur, conſtanter & alacriter proclamando: *Chriſtiana ſum & nihil apud nos mali geritur*, obſtupefecit tortores. Eadem revocata ad tormenta, & in mortis confinio poſita; *multum,* ait, *erratis, ô viri, quod putatis infantium viſceribus veſci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus utuntur.*

I. Stultè-ne è contrà egerunt qui regnandi cupiditate vel quovis alio reſpectu fidem Catholicam amplecti detrectaverunt, vel etiam deſeruerunt?

R. Stultiſſimè, Leovigildus Rex Viſigothorum Arianus Hermenigildum filium ab Ariana hæreſi ad fidem Catholicam viro reverendiſſimo Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo prædicante converſum, ut ad eandem hæreſim rediret, & præmiis ſuadere & minis terrere conatus eſt. Sed fruſtrà! Cumque ille conſtantiſſimè reſponderet, nunquam ſe veram fidem *Exempla. Ex ſancti Greg. l. 3. Dial. c. 31.*

poſſe

Digitized by Google

poſſe relinquere, quam ſemel agnoviſſet, iratus Pater eum privavit regno, rebuſque exſpoliavit omnibus. Superveniente autem Paſchalis Feſtivitatis die, cum ex Epiſcopi Ariani manu ſacrilegæ conſecrationis Communionem recipere noluiſſet, ad carcerem Arianus Pater ſuos apparitores miſit, qui conſtantiſſimum confeſſorem Dei, illic ubi jacebat, occiderent: quod & factum eſt. Pater verò perfidus, & parricida commotus pœnitentiâ, hoc feciſſe ſe doluit, nec tamen uſque ad obtinendam ſalutem pœnituit. Nam quia vera eſſet fides Catholica agnovit, ſed gentis ſuæ ſub timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui obortâ ægritudine ad extrema perductus eſt, & Leandro Epiſcopo, quem priùs vehementer afflixerat, Reccaredum Regem filium ſuum, quem in ſua hæreſi relinquebat, commendare curavit, ut in ipſo quoque talia faceret, qualia & in fratre ſuis exhortationibus feciſſet. Quâ commendatione expletâ defunctus eſt. Poſt cujus mortem Reccaredus Rex non patrem perfidum, ſed fratrem Martyrem ſequens, ab Arianæ hæreſeos pravitate converſus eſt, totamque Viſigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in ſuo regno militare permitteret, qui regni Dei hoſtis exiſtere per hæreticam pravitatem non timeret. *Ecce qualiter hæreticus Leovigildus terreni regni amittendi timore ſalutis naufragium fecit, & regnum æternum perdidit.*

I. Quis dicendus eſt Chriſtianus atque Catholicus?

R. Qui Jeſu Chriſti veri Dei ac hominis ſalutarem doctrinam in ejus Eccleſia profitetur, neque ſectis vel opinionibus ullis ab Eccleſia Catholica alienis adhæret.

I. Cur dicis, *qui Ieſu Chriſti, &c.*

R. Quia ab illo Chriſtiani nominamur.

I. Quid hìc ad mores?

R. Quod non debemus ſpecioſo nomine eſſe contenti, ſed Chriſti mores & vitam imitari oportet. Et quemadmodum ipſe ſanctus eſt, innocens, impollutus, ita qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifigere debent cum ſuis concupiſcentiis. Dicebat acri ſtimulo Judæos pungens Salvator noſter: *Si filii eſtis Abrahæ, opera Abrahæ facite.* Liceat mihi dicere: Si Chriſtus, ô Chriſtiani, Pater veſter eſt, ſi magiſter veſter, opera Chriſti Patris ac magiſtri veſtri facite, ejus præcepta ſervate. Exiſtimet unuſquiſque Chriſtianus hoc ſibi dictum: *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos de cæteris populis ut eſſetis mei.* Lev. 20.

I. Cur dicis: *In ejus Eccleſia.*

R. Quia in ea ſola eſt veræ fidei profeſſio. Eſt enim Eccleſiæ Chriſti hoc ſpeciale privilegium, ut portæ inferi non prævaleant adversùs eam, adeoque in materia fidei infallibilis ſit, dicente Domino ipſi primo ejuſdem Eccleſiæ ſuæ Pontifici maximo; *Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Rurſum, ipſa eſt, atteſtante Apoſtolo, *columba & firmamentum veritatis.* Matt. 16. Luc. 22. 1. Tim. 3.

I. Quid eſt hoc: *Neque ſectis vel opinionibus ullis, &c.*

R. Debet ſanè omnes omninò cultus & ſectas à Chriſti Doctrina & fide Catholica alienas deteſtari qui Chriſtianus eſt, ut Judaicam ſectam, Mahometicam, Hæreticam, &c. Apage ergò hæreticorum noſtrorum ſtolidorum pronunciatum: *Quilibet in ſua fide & religione poteſt ſalvari.*

I. Quare non poteſt quilibet in ſua fide & religione ſalvari?

R. Quia *ſine fide impoſſibile eſt Deo placere:* Fides autem una eſt, ſicut unus Dominus, unum baptiſma. Nec habetur uſpiam in ſcriptura quod omnis fides juſtificet (inquit Auguſtinus in aliquo ſermone) ſed ſimpliciter fides; & quod ſcriptura non poſſit ſic intelligi probat ex eo, quod inde ſequeretur Dæmones juſtificati, cùm in ea apertè habeatur! *Dæmones credunt & contremiſcunt.* Eo maximè Jac. 2. Gal. 5.

quod

quod ad Galatas ſcribat Apoſtolus : *In Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides per charitatem operatur.*

I. Quid ex hac Catholica doctrina de una fide & religione conſequitur?

R. Primò, omnes Religiones, omnes fides, fideique confeſſiones, præter unam, eſſe peſt. ſectas, & auctore diabolo, qui eſt Pater mendacii introductas.

Secundò; neminem qui hanc unicam non habuerit, ſalutem æternam conſequi poſſe. Et omnes qui hujus expertes vixerint, in æternum perituros. Quod enim Apoſtolus de charitate ait, *ſi linguis hominum loquar & Angelorum, &c.* potiori ratione dicendum eſt de vera fide, quæ charitatis & cæterarum virtutum eſt fundamentum.

Tertiò, ſtupidum eſſe errorem quorundam plebeiorum exiſtimantium ſatis eſſe ad ſalutem ſi credas in Chriſtum, & ipſum mortuum eſſe pro peccatis noſtris; quamvis multa alia, verbi gratiâ, quæ ad Sacramenta, & Sacrificium Eccleſiæ, & ſimilia fidei capita pertinent, non credas. Sic enim omnes penè hæreticorum ſectæ ſalvarentur. Omnes enim hæretici retinent Chriſtum, & credunt, paucis exceptis, mortuum eſſe pro peccatis noſtris. Cur ergò Eccleſia omnibus ſæculis ſe tam acriter hæreſibus oppoſuit? Cur Apoſtolus hæreticum hominem poſt unam vel alteram correptionem vitari jubet? Sicut enim, teſte S. Jacobo, qui in uno mandato delinquit, factus eſt omnium reus, & totam juſtitiam amittit, etiamſi reliqua ſervet, quia legislatorem ipſum qui totam legem tulit, contemnit; ita qui unum fidei caput pertinaciter negat, etiamſi reliqua retineat, factus eſt reus totius religionis, & totam fidem perdit, quia ejus auctorem contemnit.

I. Habeſne ad rem pertinens exemplum?

Exemplum. R. Habeo. *S. Hyppolitus presbyter à ſuis interrogatus, quanam ſecta verior eſſet, execratus dogma Novati (cujus ſchiſmate aliquantulum deceptus fuerat) eam fidem dicens eſſe ſervandam quam Petri cathedra cuſtodiret, jugulum præbuit.* Martyrolog. Roman. 30. Junii.

I. Ergòne Chriſtiani non ſunt Calviniani, & ejuſmodi Neoterici?

R. Certum eſt quod non, quia hæretici ſunt, & non profitentur doctrinam Chriſti. Qui Platonis doctrinam non ſectatur, Platonicus dici nequit; qui Theologiam non profitetur, quâ ratione Theologus dici poteſt? &c. *Hæretici non ſunt Chriſtiani.*

I. Ergòne omnes qui in Eccleſia Catholica Chriſtiana recenſentur, boni ſunt?

R. Non hoc dicimus; ſunt enim duo genera Chriſtianorum; Boni alii, alii mali. Ita fuêre in arca Noe animalia munda & immunda. Huc faciunt parabolæ piſcium; nuptialis convivii; Virginum ſapientum & fatuarum; ovium & hædorum. Gen. 7. Matt. 13. Matth. 22. 25. ibid.

I. Profitenturne mali Chriſtiani fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti? *Chriſtiani alii boni, alii mali.*

R. Ita quidem verbis, ſed non operibus. Sic loquitur Apoſtolus: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* De illis loquitur alius Apoſtolus: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Nemo ſe* (inquit *Auguſt. ſerm. 38. de Sanctis*) *falsâ ſpe circumveniat, quia Chriſtiani nominis non facit ſola dignitas Chriſtianum; nihilque prodeſt, quod aliquis vocatur Chriſtianus in nomine, ſi hoc non oſtendit in opere.* Tit. 1. 1 Joan. 2.

I. Quibus ſimiles ſunt Chriſtiani, maximè Doctores vel Prædicatores Eccleſiaſtici, qui quod profitentur & docent, ipſi non faciunt?

R. Similes ſunt fabris arcæ Noë, qui aliis qualiter diluvium evaderent, præſtiterunt, & ipſi perierunt; vel ſimiles ſunt lapidibus milliariis, qui viam oſtendunt, nec movent ſe aut ambulant; vel ſunt ſimiles Herodi & Scribis inquirentibus de Chriſto nato ex Scripturis, & Magis de eo annunciantibus, qui non diſceſſerunt Hieroſolymis ad adorandum eum. *Similia.*

I. Quid igitur faciendum eſt homini, qui de bonorum Chriſtianorum numero eſſe cupit?

Vide Aug. lib. de doctrina Chriſtiana c. 14.

R. Vitam ſuam ad Chriſtianæ doctrinæ normam componat, & Dei mandata obſervet. Hinc eſt quod in Catechiſmo non tantum de Fide & Spe tractandum, ſed etiam de Charitate.

LECTIO QUARTA.

De ſigno Hominis Chriſtiani.

I. QUotuplex eſt ſignum Chriſtiani hominis?

R. Duplex, internum unum; alterum externum.

I. Quid vocas ſignum Chriſtiani hominis internum?

Joan. 13.

R. Charitatem ipſam, de qua Dominus: *In hoc cognoſcent omnes quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Et de charitate quidem agendum initio tertiæ partis.

Signum Crucis eſt ſignum externum hominis Chriſtiani.

I. Quod eſt ſignum externum Chriſtiani hominis?

R. Nihil aliud quàm ſignum Crucis, de quo hic tractamus.

I. Cur autem ſignum Crucis appellas ſignum Chriſtiani hominis?

R. Quia illud eſt ſpirituale vexillum militum Chriſti, & planè nobilis teſſera, quâ ſervi Jeſu Chriſti ab hoſtibus ejus diſtinguuntur.

I. Quos tu tandem Jeſu Chriſti & Crucis ejus inimicos & hoſtes appellas?

R. Idololatras, Turcas, Judæos, Hæreticos voco inimicos Chriſti & Crucis ejus *Nos Chriſtiani* (inquit beatus Ephrem) *à Gentibus & Iudeis declinemus. Sed quâ ratione? Poſtes, ait, noſtros pretioſâ & vivificâ cruce coronemus.*

I. Quis ejuſmodi ſignum & teſſeram dedit Chriſtianis?

R. Deus ipſe qui decrevit ut filius ejus unicus & naturalis mundum per crucem redimeret, voluitque his armis accingi omnes qui in eum credituri eſſent.

I. Habes-ne oppoſitum aliquod exemplum ad hujus rei probationem?

Exemplum. Euſeb. de vita Conſtantini l. 1. c. 22. Niceph. l. 8. c. 3.

R. Habeo. Conſtantino magno Imperatori Crucis ſignum contra Maxentium tyrannum dimicaturo apparuit in cœlo, cum Græca inſcriptione: *ἐν τούτῳ νίκα: In hoc ſigno vince.* Cui de viſione plurimũ dubitanti Chriſtus Dominus noctu viſus eſt præcipiẽs, ut exẽplar ad imitationem illius ſigni, quod in cælo apparuerat, fabricaret, eoque tanquam præſidio in prœliis cum hoſtibus committendis uteretur.

Vide Gretſerum de Cruce.

Hinc olim Cruce ſe ſignarunt Chriſtiani contra Saracenos & Turcas.

Hinc etiamnum hodie exercitus Catholicus contra hæreticos paſſim vexilla cum venerandæ Crucis ſigno defert.

Signi Crucis antiquus uſus.

I. Eſt-ne antiquus in Eccleſia ſigni Crucis uſus?

R. Antiquiſſimus; ab ipſa ſcilicet Apoſtolica traditione.

I. Poſſes-ne, hoc ipſum quod dicis, probare exemplis?

Exempla.

R. Maximè. *Nicephorus lib. 2. hiſtor. cap. 42. narrat qualiter ſanctus Ioannes Evangeliſta morti proximus facto Crucis ſigno ſepulchrum ſubintroierit.*

Sur. tom. 5.

Et in actu S. Thecla Prothomartyris habetur, quod facto Crucis ſigno in flammas ſe dederit (non abſque ſpeciali Spiritûs ſancti inſtinctu, ut creditur) unde ſalva & incolumis, vi ejuſmodi ſigni crucis evaſit.

I. Fuerunt-ne in lege veteri aliquæ figuræ hujus ſigni Crucis?

Figura ſigni Crucis.

Exod. 17. Num. 21.

R. Ita. Moyſes elevatis manibus & protensâ contra Amalechitas virgâ orans indicabat victoriam, quam reportaturi erant fideles de diabolo, oratione, & ſigno Crucis. Ita ſanctus Cyprianus libro de exhort. ad Martyr. cap. 8. & lib. 2. ad Quirin. cap. 21. Idem Moyſes elevans in deſerto ſerpentem æneum contra ignitos ſerpentes, non obſcurè ſignificavit qualiter Chriſtus Dominus in Crucem exaltatus in remedium & in medalem eſſet futurus

Digitized by Google

iis, qui ſpiritualiter ſauciati eſſent à diabolo antiquo & ignito ſerpente, ſi fide inſtructi in authorem fidei piâ contemplatione aſpicerent; & demum qualiter Chriſtiani hanc ipſam Chriſti elevationem ſeu crucifixionem frequenter expreſſuri eſſent ſigno Crucis edito, ad ſalutarem fructum è Cruce excerpendum.

Ezech. 9. Tertiò littera T, quam Angelus ſignabat in fronte eorum qui piè viventes flebant ſuper peccatis Hieruſalem, hoc ipſum Crucis ſignum indicabat, uti notarunt S. Hieronymus in Comment. S. Cyprianus lib. 2. ad Quirin. c. 21. Origenes homil. 8. in diverſis.

Signum Crucis compendium Symboli Apoſtolici, & credendorum.

I. Quid ſub hac cæremonia ſigni Crucis continetur?

R. Præcipua ſanè capita noſtræ religionis, quæ tenentur quique fideles ſcire & credere; veluti myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, Paſſionis Dominicæ, remiſſionis peccatorum, gloriæ cæleſtis, &c. Quæ quidem etſi plenè in Symbolo Apoſtolico continentur, viſum eſt tamen ultra ſanctis Apoſtolis, hæc eadem fidelibus compendio tradere per formationem ſigni Crucis, quo poſſent ſe omni tempore, & in ſingulis ſuis actionibus ſe munire, & conſolari piâ eorundem myſteriorum recordatione.

Adde quod ejuſmodi compendium utile admodum futurum erat idiotis & groſſioribus, qui nequidem Symbolum Apoſtolicum valent memoriæ commendare.

I. Declara paulò amplius id quod modò dicebas, præcipua noſtræ religionis capita ſub ſigno Crucis contineri, & primò qualiter *myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.*

Lect. 1. ſup. R. Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, uti nuper dicebamus, non eſt aliud quàm unus Deus in eſſentia, trinus in perſonis. Igitur formantes ſignum Crucis dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ſignificamus hoc myſterium apertè, nam ſub his verbis: *In nomine*, ſingulariter indicamus unam invocationem Dei, unam potentiam, Majeſtatem, eſſentiam; ſummam unam Divinitatem, unumque Deum, dicente beato Hieronymo: *Nomen Trinitatis unus Deus eſt*, l. 4. Comment. in Matth in fine. Subjungentes autem, *Patris & Filii*, *& Spiritus ſancti*, nos diſtinguimus in una Divinitate tres perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quæ eſt manifeſta ſummæ & individuæ Trinitatis confeſſio.

I. Cur autem primò manum extendis ad frontem dicendo: *In nomine Patris.*

R. Ut ſignificem Patrem, ſeu primam perſonam in divinis, eſſe principium Filii & Spiritûs ſancti, atque ut oſtendam qualiter ſit Filii principium, ſtatim demitto manum versùs uterum, ſubdens: *& Filii*, ut declarem Patrem genuiſſe de ſubſtantia ſua Filium, mirabili & ineffabili modo, quem per uterum demonſtramus, qui ſolet in humanis eſſe locus generationis; eo magis quod Scriptura ſacra de æterna Filii generatione pronunciaverit illud; *Ex utero ante Luciferum genui te.* Pſ. 109.

I. Cur ſtatim manum inde retrahens deducis illam à ſiniſtro humero tranſverſim ad dextrum dicendo, *& Spiritûs ſancti?*

R. Ut oſtendam tertiam in Divinitate perſonam, id eſt, Spiritum ſanctum eſſe amorem Patris & Filii ab utroque procedentem, vinculum & nexum utriuſque.

I. Procedamus modò. Quomodo ſignificatur per ſigni Crucis formationem, *myſterium Incarnationis Dominicæ?*

R. Deducentes manum noſtram à fronte ad pectus cùm his verbis: *In nomine Patris & Filii*, volumus indicare quod Filius qui erat in ſinu Patris ab initio omnis æternitatis, per unam aliam ſecundam generationem deſcenderit in uterum Virginis, ſicut pluvia in vellus, inde ſumpturus carnem ex operatione ſanctiſſima Spiritûs ſancti, quod illico monſtramus dicentes: *& Spiritus ſancti.*

I. Qualiter ſignum Crucis exprimit *Mortem & Paſſionem Domini?*

R. Hoc

R. Hoc ſatis ſignum ipſum oſtendit.

I. Age ergò dic quomodò ſignum Crucis docet nos *remiſſionem peccatorum.*

R. Eo ipſo quo manum à ſiniſtro latere deduco ad dextrum, ſignifico ſanctiſſimam Trinitatem Incarnationis & Paſſionis Dominicæ merito nos miſeros peccatores qui cum hœdis à ſiniſtris eramus poſiti, ad dexteram, id eſt, ad gratiam & miſericordiam ſuam, imò ad vitam æternam revocaſſe, qui ſunt Spiritûs ſancti, adeoque amoris & bonitatis Dei ipſiſſimi effectus.

LECTIO QUINTA.

De uſu & fructibus ſigni Crucis.

I. QUandonam ſigno crucis munire nos convenit?

R. Toties quoties in diſcrimen aliquod ſpirituale aut temporale impingimus; & aliâ quavis occaſione operis ſive inchoandi, ſive jam perfecti.

I. Cur autem tunc temporis?

Vide Gretſ. l. 3. c. 18. & ſeqq.

R. Eò quòd ſit armorum genus potentiſſimum, quo Diabolum vincere licet; nec non oratio efficaciſſima, quâ Dei adjutorium imploramus. Quod ſignum crucis ſit armorum genus potentiſſimum, indè apparet, quod in Confirmationis Sacramento ab Epiſcopo in fronte ſignamur; eoque ſigno quaſi milites & pugiles Chriſti auctoramur, & roboramur ad certandum pro fide Chriſti uſque ad mortem & martyrium.

I. Timet-ne igitur Diabolus Crucem?

Diabolus timet Crucem.

R. Omninò, timet crucem. *Crucis ſignum trophæum eſt contra Principis mundi virtutes; quod videns expaveſcit, & audiens timet.*

Ignat. ep. ad Philad.

Hoc ſigno conſpecto cuncta mox adverſaria poteſtates declinant atque recedunt.

Ephrem. ſerm. de cruce.

I. Profer in medium ſi quæ exempla habes ad propoſitum?

R. Solemne eſt illud quod de S. Antonio magno refert Athanaſius in vita ejus. S. Antonius frequenter diſcipulis dictitare ſolebat: *Signum Crucis & ardens in Chriſtum fides inexpugnabiles clypei ſunt viris Deo dicatis, & aheneus murus adverſùs Dœmonis machinationes. Sancta Maria Magdalena in ſpelunca ad quam ſeſe pœnitentiæ & ſolitudinis gratiâ receperat, multa Dæmonum ludibria experta eſt. Invocato Ieſu Chriſti nomine, adfuit militiæ cœleſtis Archiſtrategus Sanctus Michaël qui & Dæmones fugavit, & ad ipſius ſpeluncæ limen Crucis ſignum erexit dicens: Ne timueris, Dominus enim protector tuus. Hoc illa ſignum complexa ſæpè ſæpius Deum orabat, & in eo Chriſtum crucifixum contemplata, alacri animo triginta & eo plus annos pœnitentiam auſterrimam continuavit.* — Exempla.

De virtute crucis contra Dæmonum incantationes notum eſt de Cypriano mago & Juſtina virgine exemplum in Breviario Romano ad 26. Septembris. Latiùs apud Sur. tomo 5.

Tho. à Kemp. 3. p. ſer. ad Novit.

Quidam Frater ex labore fatigatus, cùm ſero facto ad dormiendum ſe diſponeret, neglexit ſolito more ſigno ſanctæ Crucis ſe contra terrorem inimici ſignare. Nam celeri oppreſſus ſomno non eſt armatus ſalutifera Crucis ſigno. Poſteà tam graviter fuit perterritus in ſomno ab antiquo humani generis inimico, ut præ timore clamaret altâ voce & expergefactus tremeret cum ingenti ſtupore. Tunc demum recordatus eſt quod veſpere præcedenti non ſatis cautè ſe ſignaſſet ſolito vexillo ſanctæ Crucis, & idcircò hoſtis malignus fuit illi in iſta nocte tam ſeverè moleſtus. Ad ſe ergo plenè reverſus, invocato ſalutari nomine Ieſu, Cruce ſe ſignavit, & ſuffragium ſanctæ Crucis devotè legit, ſicque iterum obdormiens in pace Chriſti ſecurè quievit. Et ob hujus rei factum per ſanctæ Crucis ſignum, ſine Cruce Chriſti nullum locum mundi ab hoſtis terrore putavit eſſe ſecurum.

Plura ſive teſtimonia ſive exempla huc

pertinentia licebit videre adud S. Gregorium 3. Dialog. c. 7. Sanct. Joannem Chryſoſtom. homilia 55. in Matth. & homilia 8. in Epiſt. ad Coloſſ. Cyprian. ſermone de Paſſione Domini. Theodoret. l. 3. c. 3. hiſtor. Gregor. Nazian. oratione 3. in Julian. Gretſer l. 3 de Cruce. S. Hieron. in vita Hilarionis.

I. Quomodò dixiſti ſuperiùs quod ſignum Crucis etiam *efficax ſit oratio ad implorandum & impetrandum Dei auxilium*?

Expreſſio ſigni Crucis oratio efficaciſſima.

R. Veriſſimum hoc eſt: Qui enim in aliqua neceſſitate ſpirituali, vel corporali poſiti ſigno crucis ſe muniunt, perinde faciunt, ac ſi hunc in modum orarent: *Domine Deus, te deprecamur per ſanctæ & individuæ Trinitatis majeſtatem, per Dominicæ Incarnationis ineffabile myſterium, per ejuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti mortem & Paſſionem, & per omne bonum quod nobis ex Cruce dimanavit, ut nobis adeſſe digneris propitius in hocce negotio, in iſto periculo, &c.*

I. Eſt-ne antiquo more in Eccleſia receptum, ut fideles omni occaſione ſeſe Crucis ſigno muniant?

Omni occaſione fideles cruce ſe muniunt. Lib. de coron. milit. c. 3.

R. Jam ante dictum eſt, hoc ſignum ab ipſis Apoſtolis fuiſſe uſurpatum. Quod autem omni occaſione prout modò petis, factitatum ſit, habes apud Tertul. auctorem uti graviſſimum, ita & antiquiſſimum. Ita enim ille: *Ad omnem progreſſum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos converſatio exercet, frontem ſignaculo terimus.*

S. Martialis epiſt. 1. c. 8. *Crucem Domini ſemper in mente, in ore, in ſigno tenete.*

Hieron. ad Euſtoch. *Ad omnem actum, ad omnem inceſſum, manus pingat Crucem.*

Et rurſum idem inſignis Eccleſiæ Doctor Hieronym. epiſt. 22 & 8. ad Demetriadem. *Claudas cubiculum pectoris & crebro, ſignaculo Crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum inveniat, ſed primogenita quæ apud Ægyptios peremit, in tua mente ſalventur.*

Et Cyrillus Hieroſolim. Catech. 19. *Non pudeat nos Crucifixum confiteri: ſed in fronte confidenter ſignaculum Crucis diligenter imprimatur, & in aliis omnibus Crux fiat. In omnibus comedendis & in poculis bibendis, & in egreſſu & ingreſſu, ante ſomnum recumbendo & ſurgendo, eundo & quieſcendo. Magna eſt hæc cuſtodia quæ propter pauperes gratis datur, ſine labore propter infirmos: Cùm à Deo ſit hæc gratia, ſignum fidelium, & timor Dæmonum.*

I. Cur ſignum Crucis in principio cujuſvis actionis noſtræ formamus?

In principio cujuſvis actionis Crucem formamus. Coloſſ. 3.

R. Ut proteſtemur nos cuncta facere ex conſilio Apoſtoli, *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, atque etiam ut omnia nobis feliciter procedant & ſuccedant ex merito ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti pro nobis Crucifixi. Adde utiliſſimum eſſe gratam ſæpè memoriam refricare beneficii immenſi in Cruce per Chriſtum nobis exhibiti.

I. Sed cur ante orationem, te ſignas?

Ante orationem Cruce nos ſignamus, cur?

R. Nè Diabolus impedimentum afferat, atque etiam ut oratio efficaciam accipiat à Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hinc in Eccleſia, quæ domus orationis eſt, ſtatuitur in ſublimi imago Crucifixi, ut fideles ſciant per ipſum Crucifixum omnia petenda, impetrandaque.

I. At verò in Sacramentorum adminiſtratione, & ſacroſancti Sacrificii celebratione, cur toties repetita Crucis ſignacula?

In Sacramentorum adminiſtratione frequens Crucis impreſſio.

R. Significamus nimirùm, ſacramenta & ſacrificium, omnem ex Domini Cruce, morte, & Paſſione energiam ſumere.

I. Quid ſibi vult quod ad Evangelium Crucis ſignum pollice ad frontem, ad os, ad pectus formamus?

Ad lect. Evangelii princi-

R. Ut indicemus nos Chriſti Evangelium habere velle in memoria, in ſermone, & in affectibus noſtris.

I. Quando

Digitized by Google

pium & finem. I. Quando nos peccati incesſit deſiderium, aut pulſat tentatio, cur nos Cruce ſignamus?

R. Ut per virtutem Crucis & meritum Christi in ea paſſi à periculo eruamur, & Diabolum vincamus. Repete figuram ſerpentis æneı allatam ſuprà.

I. Oſtendit-ne aliquando Deus aliquo prodigio ejuſmodi modos agendi & omni occaſione Crucis ſignaculum formandi ſibi placere?

Exemplū. R. *Ita. Ubicumque Editha virgo Edgari Regis Anglorum filia ingrediebatur, Crux Christi illi comes aderat: Crucem in fronte, in pectore, in itinere, in omni opere ſuo praferebat. Cùm aliquando Rex Pater ejus in honorem beati Dionyſii Eccleſiam ædificaſſet, & Sanctum Dunſtanum ad ejus dedicationem invitaſſet, vidit is ſanctus Pontifex ſacram Virginem crebrò pollicem dextrum extendere, & eo ſignum Crucis pingere in fronte ſua. Quo ille delectatus, apprehenſâ dexterâ manu Virginis, dixit: Nunquam putreſcat hic digitus. Poſt deceſſum ſancta Editha tredecim elapſis annis, illa beato Dunſtano Archiepiſcopo apparuit, dicens: Reminiſcens Dominus miſerationum ſuarum aſſumpſit me, placetque ineffabili bonitati illius, ut apud homines, in ſalutem fidelium ejus honore afficiar, cùm ille me apud Angelicos Cives in Cœlo honoravit. Ita ergò Vuilthoniam divinaque juſſa capeſſens, corpus meum elevato. Ne dubites, nec te ullo phantaſmate deludi putes: hoc enim veritatis erit ſignum, quod præter officia membrorum, quibus in puellari levitate abuſa ſum, puta oculorum, manuum, pedum, reliquum corpus meum, uti illibatum, ita & incorruptum invenies. Libidinis enim & crapulæ ſemper expers fui, pollicem quoque dexteræ manus, quo mihi aſſiduè ſanctæ Crucis ſignum impreſſi, illæſum videbis, ut appareat clementia Domini in parte ſervata; & paterna caſtigatio in parte abſumpta. Dunſtanus ergò juſſis obſequens, omnia uti prædixerat veritati conſona reperit. In vita ejus apud Surium 16. Septemb. cap. 4. 5. & 6.*

Cibos crucis ſigno benedicimus, cur? I. Cur cibos & omnem aliam creaturam hoc ſacro ſigno benedicimus?

R. Ut purgemus & ſanctificemus omnem creaturam per verbum Dei, & hanc orationem, ſecundùm conſilium Apoſtoli. *Videndus Chryſoſt. in hom. 79. ad Populum.* 1. Tim. 14.

I. Qui non præmiſsâ menſæ benedictione cibos ſumunt, malène ſibi conſulunt?

Exemplū. R. Ita. Quâdam die una Dei famula ex eo Monaſterio Virginum, cui præerat Equitius, hortum ingreſſa eſt, quæ lactucam conſpiciens concupivit, eamque ſigno Crucis benedicere oblita, avidè momordit, ſed arreptà à Diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur, Equitio hujus Monaſterii Virginum Patri ſub celeritate nunciatum eſt, ut veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxque hortum idem Pater ut ingreſſus eſt, cæpit ex ejus ore quaſi ſatisfaciens ipſe qui hanc arripuerat Diabolus, clamare, dicens: Ego quid feci; ego quid feci! ſedebam ibi ſuper lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum gravi increpatione vir Dei præcepit, ut diſcederet, & locum in Omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abceſſit, nec eam ultra contingere prævaluit. Greg. l. 1. Dial. c. 4.

Contra, quàm feliciter Sancto Benedicto ſucceſſerit poculum crucis ſigno benedixiſſe, habes in ejus vita 21. Martii.

I. Eſtne ſignum crucis præſens remedium contra ingruentes tempeſtates, fulmina, tonitrua, &c.

R. Ita, prout ſequens declarat exemplum *de duobus Genevâ Lauſannam euntibus: Cumque tempeſtas gravis ingrueret cum tonitruo & fulgure, atque alter illorum ſe ſignaculo ſanctæ crucis antiquiſſimo Chriſtianorum ritu muniret, alter irridens: Siccine (inquit) vis muſcas à naſo tuo abigere? nam ejuſmodi facetiis omnia ſacra ludificantur. & ecce pretinus cælum denuò intonat, idemque ille irriſor fulmine percuſſus emoritur, altero iſto*

 cruce

cruce ſignato incolumi manente, qui mox rem geſtam per totam Genevam divulgavit. Tilm. Bredem. l. 7. coll. ſac. c. 58.

I. Etiamne contra morbos depellendos?

Ex faſtis Carmelitarum. R. Ita. S. Rochus confeſſor glorioſus Narbonenſis, oppido Montis Peſſulani natus, ex utero rubra cruce ſignatus fuit. Is per varias Italiæ civitates, omnes peſte afflictos facto ſigno crucis, ſanavit. Idem Romæ præſtitit, in qua inter alios Cardinalem quemdam ſic curavit, ut crux facta fronti ipſius, à Rocho impreſſa perpetuò remaneret.

I. Eſtne pia eorum religio qui ſigna crucis ad collum appendunt?

Religioſum eſt crucis ſignum colle appendere. R. Indubiè, quam probat ipſe S. Chryſoſtomus *hom. 21. ad populum*, ubi acriter invehitur contra neſcio quos agendi modos quorundam Chriſtianorum, qui amuleta & medallia Alexandri magni, & alia ſimilia ornamenti gratiâ, ad collum ſuſpenſa geſtabant; *In quo* (inquit) *fundatis ſpem veſtram? An miracula & prodigia ſanctæ crucis neſcitis? &c.*

I. Probandumne eſt quod paſſim erigantur cruces per vias & compita?

Et illud in omni loco ſtatui. R. Maximè, cùm hoc ipſum conforme ſit moribus veteris Eccleſiæ. Vide Molan. de picturis & Imag. c. 45.

I. Cur ad eum modum cruces in omni loco ſtatuuntur?

R. Ut ubique locorum recordemur myſteriorum in cruce peractorum; quaſi iſta crucis imago dicat: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Thren. 1.

Secundò, ut in omni loco frangatur poteſtas Diaboli ad præſentiam crucis, quaſi per erectionem ejuſmodi ſigni dicatur: *Ecce crucem Domini, fugite partes adverſæ; vicit Leo de tribu Iuda.*

Signum crucis. I. Cur ante morituros ſeu in agone exiſtentes ſtatuimus ſignum crucis?

R. Morituris proponitur duplici ex cauſa.

Ex duplici etiam ratione id fit. Primò, ut terror inimici tunc maximè rugientis procul pellatur. Secundò, ut moriturus contra deſperationem muniatur, & meritis crucifixi confidat.

I. Eſtne hoc antiquâ conſuetudine in Eccleſia receptum?

R. Planè antiquâ, de qua S. Aug. lib. de Viſit. Infirm. c. 3.

I. Habeſne exempla huc pertinentia?

Exempla. R. Habeo. Alterum eſt S. Franciſci de Paula Patrum Minimorum Inſtitutoris, *qui perceptâ magno cum devotionis ſenſu ſanctiſſimâ Euchariſtiâ feriâ quintâ in cœna Domini, ipſo Paraſceves die propinquiùs ad mortem ſe deſpojuit; & accepto in manus venerabilis crucis ſigno verba illa pſalmi pronuncians; In manus tuas commendo ſpiritum meum, &c. emiſit ſpiritum, circa id temporis quo Salvator omnium pro nobis mori dignatus eſt.* Ita ejus vita 2. Apr. Alterum eſt S. Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis, & Card. eminentiſſimi. *Is ad Pium IV. ſummum Pontificem vocatus, ut ſanctiſſimum Dominum ſolaretur, eique morienti adeſſet, ſtatuit ad ſe lectulum ægrotantis, & acceptâ cruce; eia, inquit, ſanctiſſime Pater, nunc cogitandum eſt de cœleſti gloria, omnis noſtra ſpes fundata eſt ſuper Crucifixo. Hic eſt noſtra reſurrectio & vita, hic eſt victima ſalutaris pro omnium noſtrûm peccatis oblata, &c.* In vita ejus.

Hæretici oderunt ſignum crucis, cur? I. Si hujus ſignaculi ſanctæ crucis tam antiquus eſt in Eccleſia ritus, tamque ſalutares effectus, miror quid cauſæ ſit, cur hæretici non admittant hunc uſum, imò quantum poſſunt impediunt, ne fideles hoc factitent?

Ignat. ep. 6. ad Philad. R. In hoc oſtendunt ſe ex patre Diabolo eſſe, qui nunquam non in id incubuit totis viribus, ut Dominicæ paſſionis memoria è fidelium mentibus excideret, hæreticorum ad rem iſtam uſus operâ.

Obligatio hæreticorum. I. Sed objicit hæreticus: Crux Chriſto attulit ignominiam, & dolorem, ergò nec illa, nec ejus ſignum eſt retinendum, ſed abjiciendum & execrandum; aliàs videbimur lætari de morte Chriſti.

R. Reſpon-

Digitized by Google

R. Reſpondet Catholicus: Crux non ſolùm attulit Chriſto dolorem, & ignominiam, quo nomine eam non honoramus, nec de ejus morte cum Judæis lætamur: Verùm etiam dedit honorem & triumphum Chriſto, nobis verò redemptionem, & ſalutem, quo nomine & eam veneramur, & de Chriſti morte, ſicut ipſe gaudebat, gaudemus.

I. Sed quali mentis diſpoſitione formandum eſt crucis ſignum, ut fructuum ejus, quos recenſuiſti, participes efficiamur?

R. Magnâ in primis fide, & in Dei miſericordiam repoſitâ fiduciâ, non ſine grata æſtimatione beneficiorum per crucem peractorum.

I. Quî fit quod multi ſignum crucis factitantes, nullum exinde fructum percipiunt?

Multi ſine fructu ſignum crucis formant, cur?

R. Quia licet crucis ſignum in fronte gerant, non tamen crucifixum in corde habent; non enim ſimpliciter crucem digito in corpore, ſed magnâ fide oportet formare in mente. Ita Rupertus l. 1. in Levit. c. 35. Cui pulchrè conſonat Aug. *Factorem Deus quærit ſignorum ſuorum, non pictorem. ſi portas in fronte ſignum humilitatis Chriſti; porta in corde ſignum humilitatis Chriſti.*

Serm. 30. in novis.

CONTROVERSIA

Hæreticorum de ſigno Crucis.

Calv. l. 1. Inſtit. c. 11 §. 7. Gent. ... cont. 4. c. 4. & cæteri.

I. Signum crucis, inquiunt hæretici, eſt abominandum, magiæ ac ſuperſtitionis Symbolum.

R. Satis oſtendimus hactenus crucis ſignum eſſe ſacrum religionis noſtræ ſymbolum; habebitque ex præmiſſis prudens lector, & ex iis quæ in ſymbolo fidei ad verbum, *Crucifixus*, dicentur, abundè ut reſpondeat. Attamen quod hic diſſimulare non poſſum, ſi nobis & ſanctis Eccleſiæ Patribus, quos citavimus, non credant, ſaltem Anteſignano reformatæ ſuæ religionis Bezæ, qui tract. de de viſibilibus Eccleſiæ notis Genevæ impreſſo anno 1579 *Crucis conſignationem*, inquit, *conſtat initio fuiſſe apertam Chriſtianiſmi profeſſionem.*

Quod autem dicitur de Magiæ Symbolo, quomodò hoc cum veritate dici poteſt, cùm ex Patribus & Hiſtoriis oſtenderimus Diabolo, ipſi omnis Magiæ Architecto ſignum crucis eſſe formidandum? & dicat expreſſiſſimis terminis magnus ille Athanaſius: *Signo crucis omnia magica compeſcuntur, veneficia ineſficacia ſunt, &c.* Et ſi more ſuo hæretici ſignum crucis verbo Dei ſcripto aſtrui volunt, ecce tibi præſto eſt tam pro ſigno quàm pro oratione illi adjuncta verbum Dei. Matt. 24. n. 30. & Matth. 28. n. 19 Si illo contenti non ſunt, *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum*, pereuntibus verbum crucis ſtultitia eſt, teſte Apoſtolo.

De Incarnatione Verbi.

PRIMA CATECHISMI PARS, DE FIDE, ET SYMBOLO.

CAPUT PRIMUM.

LECTIO PRIMA.

I. Quid primùm traditur in doctrina Chriſtiana?

De fide S. Thom. 2. 2. q. 1. & 15. ſeq. Concil. Trid. ſſ. 6. c. 8. Heb. 11. v. 6.

R. Fides, quæ eſt veluti prima noſtræ ſalutis janua, initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis: *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.*

I. Quid eſt Fides?

R. Fides eſt donum Dei ac lumen, quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus quæ Deus revelavit, & nobis credenda propoſuit, ſive illa ſcripta ſint, ſive non ſint.

I. Cur

Fides dicitur donum Dei quâ ratione.

I. Cur dicis quod fides ſit donum Dei?

R. Quia id non habemus à nobis ipſis, ſed purum ac merum eſt Dei donum gratis ab eo nobis collatum pro noſtra ſalute. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum.* Per fidem, ait, Aug. l. 2. de conſ. Evang. c. 20. Et S. Paulus: *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Vade & lege cum attentione ibi Apoſtolum.

Joan. 6. v. 44. Epheſ. 2. v. 8.

I. Habes-ne ſimile aliquod quo declares hanc rem?

Simile.

R. Habeo. Sicut Deus ab initio creavit hominem ex nihilo, ita hominem eundem in ſalutis ſtatum reſtituit, quæ veluti eſt altera creatio, gratuito hoc ſuæ fidei dono, abſque ullo hominis merito. *Fides enim prima omnium ex Chriſti meritis ei donata eſt, ut eſſet fundamentum, & initium omnium meritorum.* Proſper l. 2. de vocat. gent. c. 24.

I. Eſt-ne hoc fidei donum magni, ac præcipui alicujus momenti?

Fidei donum eſt maximi momenti.

R. Maximi. Ipſa enim veritas dixit: *Hac eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Secundò, fides ut paulò ante diximus, eſt fundamentum omnis boni operis, impoſſibile quippe eſt Deo placere ſine fide. Tertiò, S. Petrus ſcripſit in Epiſtola: *Per Chriſtum maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit Deus; ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.*

Joan. 17. v. 3. 2. Pet. 1. v. 4.

I. Magni-ne æſtimarunt Sancti hoc fidei donum?

Exempla.

R. Etiam; maximi. Repete exempla quæ in lect. 3. præludiali ad ipſiſſimam hanc rem tradidimus, & his ſubjunge; *Telericus Bulgarorum Rex, qui contra Conſtantinum Copronymum ſæpè dimicaverat, anno 777. relicto regno & ſubditis, Conſtantinopolim ſuſcipiendi baptiſmi & religionis Chriſtianæ gratiâ venit, terrenum regnum cum cæleſti commutaturus.*

I. Cur dicis in definitione, quòd fides ſit lumen?

R. Quia quemadmodum ſol illuminat oculos noſtros, ut omnia viſibilia conſpicere poſſint, quæ per tenebras videri nequeunt; ad eundem modum fides intellectum noſtrum illuminat ad credendum & cognoſcendum quicquid Deus nobis revelavit. Declarari poteſt hoc ſimili, de lumine gloriæ, quo Theologi docent intellectum noſtrum confortari ad clarè videndum & cognoſcendum Deum in gloria cœleſti. De hoc fidei lumine dixit Apoſtolus 2. Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere.* Deinde ut ſine luce nihil benè perficitur ſive domi ſive foris, non facilè ambulatur, non facilè negotia tractantur. Ita ſine fide non dignè exercentur opera quævis, non benè oratur, non benè pſallitur, non benè jejunatur, &c. Fides eſt quæ lumen adminiſtrat cæteris virtutibus. Abſque columna ignis per noctem non poterant filii Iſraël egredi ex Ægypto, & ad terram promiſſam pervenire; ita non poſſumus ad Deum accedere in hac tenebricoſa hujus ſæculi nocte, niſi per fidem, &c.

Simile.

I. Poſſes-ne oſtendere exemplis quod Deus aliquando mirabili modo aliquos fidei lumine illuſtrarit?

Aliqui mirabili modo ad fidem converſi.

R. Omninò. Præclarum eſt illud de ſancto Paulo Apoſtolo qui mirabiliter converſus & ad fidei lumen vocatus, fugatâ Judaiſmi caligine, de qua vide ibi Cornel. & in c. 2. proœmii ad Epiſtolas Pauli: *Cornelius à Cæſarea vir religioſus ac timens Deum, faciens eleemoſynas multas plebi, & orans ſemper vidit manifeſtè Angelum Dei ad ſe introeuntem & dicentem: Corneli, orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in conſpectu Dei, acerſe hominem qui vocatur Petrus: hic tibi dicet quid te oporteat facere.*

Act. 9. Act. 10.

Audi quid Juſtinus Martyr, poſtquam omnes Philoſophorum ſcholas ſcrutatus fuiſſet, de ſeipſo ſcribat: *Cùm ipſe quoque primam vitam, &c.* poſt multa: *In hunc modum affecto mihi viſum aliquando eſt ſolitudine prolixius uti, & vitare hominum*

In Dial. cū Tryph. Iud. Baron. to. 2. Annal. anno Domini 130.

num veſtigia. Proinde locum quemdam mari proximum petii: à quo cùm non multum abeſſem, ut ſolus ipſe mecum agerem, vetulus quidam ſenex aſpectu minimè contemnendus leneſque ſimul & graves præ ſe ferens mores, modico me intervallo aſſectabatur, atque ubi converſus ſubſtiti, & hominem ſum acriùs intuitus, ille; noſti me, ait; negavi ego. Quid ergo, inquit ille, me ita contemplaris? miror, inquam, te hic unà mecum eſſe; non enim in expectatione mihi fuit, ut hoc loco virum quempiam conſpicerem. Et ille: Cura me, ait, de quibuſdam familiaribus meis, qui peregrè ſunt profecti, exercet: quapropter & ipſe de eis inveſtigaturus, ſi aliunde forſan appareant, huc venio: Tu verò quid rerum hic? At ego, deambulationibus, inquam, ejuſmodi gaudeo, cùm nihil intercedit ſolitariis meis collocutionibus impedimenti, nihil videlicet diverſi afferentibus; ad rationis & ſermonis excolendi ſtudium perficiendum plurimùm loca talia conferunt. Sermonis ergò amator quiſpiam, inquit, tu es: operis autem amator, haud quaquam, neque veri ſtudioſus; neque etiam potiùs operoſus quàm ſophiſta verboſus eſſe contendis?

Sic igitur invicem de vera Philoſophia diſceptantibus, cum illi ſenex oſtendiſſet impoſſibile eſſe, ut quod tam anxiè quæreret, penes Philoſophos reperiret, ultimis verbis, nonniſi in ſchola Chriſti id fas eſſe reperiri, hæc affatus ait: *At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perſpiciuntur aut intelliguntur, præterquam ſi Deus & Chriſtus eis conceſſerint intelligentiam. Hæc ſubdit ipſe, atque his longè plura alia cùm ille diſſeruiſſet, & perſequi ea juſſiſſet, quæ nunc commemorare tempus non eſt, abii, eumque poſteà non vidi. Confeſtim verò in animo meo ardor excitatus eſt, & amor me invaſit Prophetarum, & virorum illorum qui Chriſto chari ſunt, & amici: ac revolvens ipſe mecum diſputationem illius, hanc ipſam ſolam comperi eſſe certam atque utilem Philoſophiam, atque ad hunc modum, & per hæc ipſa ego Philoſophus prodii. Pervelim profectò omnes eandem mecum ineuntes animi rationem non alienos eſſe à Salvatoris doctrina, &c.* Pergit Juſtinus enarrare, quomodo pedetentim mente divinitus illuſtratus veram Philoſophiam, quæ ex Chriſti doctrina eſt, didicerit, ac proinde perfectè Philoſophus eſſe cœperit: Quo in genere præſtare externis Philoſophis omnibus, qui veræ fidei ſectatores apud Chriſtianos eſſent, manuarios artifices, idiotas, ac rudes, ipſe in oratione ad Gentiles habita docet. Ubi & paulò inferiùs de his quæ calumnioſè paterentur Chriſtiani, hæc de ſe ſubdit:

Nam & ego ipſe Platonis diſciplina ſectator, cùm calumnioſè audirem Chriſtianos deferri, intrepidè autem ad mortem, & alia, quæ terribilia cenſentur, omnia adire conſpicerem; ſtatui ipſe mecum fieri haud quaquam poſſe ut illi vitiis & voluptatibus ſervirent. Quis enim voluptatum ſectator, aut per animi impotentiam obtemperans in humanarum carnium dapes, pro bono ducens mortem libenter amplecti queat, ut bonis ſuis ſeipſum privet; ac non potiùs bonis omnibus, ut hanc ſibi perpetuò vitam agere, & celare Principes, & Magiſtratus fallere liceat; operam navet, ne dum per denunciationem & judicium ſeipſum cædi offerat? &c. Adde his ex Rom. Breviar. vocationem ſancti Euſtachii.

Similia de Egeſippo apud Adon. 7. Apr.

I. Sufficit-ne ſola fides ad ſalutem?

R. Minimè. Quod oſtendo hoc ſyllogiſmo;

Fides, quæ valet coram Deo ad juſtitiam, in qua eſt vis & valor juſtificandi, eſt illa (teſte Apoſtolo ibi verſu 6.) quæ per charitatem operatur, ideoque charitati planè unita eſt & conjuncta; atqui ſola fides juſtificans quam ſtatuunt Lutherani non eſt fides quæ per charitatem operatur; præſupponitur enim ab iis eſſe ſola, ideoque à charitate ſejuncta in valore juſtificandi; ergò fides ſola juſtificans quàm ponunt Lutherani, non eſt fides

Syllogiſmus ex Apoſtolo ad Gal. 5. deductus.

quæ coram Deo valeat ad juſtitiam, Deique amicitiam. Imò contradictionem involvunt hæc duo, fidem eſſe ſolam; & tamen eſſe juſtificantem; ut enim juſtificet fides ſibi jungi poſtulat charitatem, non ergò eſt ſola quæ charitati eſt ſociata.

Rom. 5. I. Quid ergò eſt: *Fide juſtificari hominem*; & : *Iuſtus ex fide vivit!*

Rom. 1. *Initium hujus lect.* R. Fides eſt initium, radix, fundamentum juſtificationis, uti ſuprà. At per ſe ſolam non poteſt adultum juſtificare, ſed neceſſaria ſunt bona opera ex fide profecta.

Similia. Simile. Arbor iſta nutrit me; ex illa vivo, id eſt, ex fructibus quos ipſa arbor producit. Rurſum, iſte Dux militiæ vicit hoſtem, ſed per milites, &c. Item iſte medicus curat morbos, ſed per pharmaca.

I. Sed quid neceſſariò credendum eſt?

Quæ credenda in materia fidei. R. Dicimus hoc in ipſa definitione: *quidquid Deus nobis revelavit, & per Eccleſiam credendum propoſuit.*

I. Cur verbi gratiâ credis articulos fidei?

R. Quia Deus, qui eſt prima & infallibilis veritas illos nobis revelavit.

I. Unde tu ſcis quod Deus hos aut illos articulos hominibus revelavit?

R. Hoc accipio ab Eccleſia, cujus eſt proponere & declarare ea quæ Deus revelat.

I. Quid ſi Eccleſia falſa tibi proponeret?

R. Impoſſibile eſt hac in re errare Eccleſiam, cùm ei Spiritus ſanctus ſemper aſſiſtat, Joan. 14. & 16. Repete quæ ſuprà lect. 3.

I. Quicquid ergò Eccleſia proponit nobis credendum, eſt ne ejuſmodi ut ne apice-tenus poſſit rejici vel negari?

Exemplum. Theodoret. l. 4. hiſt. Eccl. c. 19. R. Ita omninò. *Exemplum in S. Baſilio magno qui egregium fidei ſpecimen edidit in defendendo Homouſio, neque blanditiis aut minis abduci potuit, ut à recta fidei regula vel de uno jota deflecteret, diceretque cum Valente Imperatore & Arianis Homioſion.*

I. Dixiſti præterea in definitione fidei (*quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur*) quid hoc eſt firmiter aſſentiri? *Vide Greg. Nyſſen. in vita Baſilii.*

Firmiter credere quid ſit. R. Eſt certiſſimè & indubitanter propter Dei authoritatem credere. Adeò quod hic fidei aſſenſus omnem omninò dubitandi rationem excludat, ſitque certior quâvis aliâ cognitione per demonſtrationem ſcientificam, aut per ſenſuum experientiam, &c. *Certior*, dico, non *evidentior*, quod ad ipſam fidei commendationem ejuſque meritum pertinet.

I. Debetne quilibet fidelis parem omninò aſſenſum præbere cuivis fidei articulo?

R. Ita debet omnibus ſibi propoſitis articulis firmiſſimè, ut dictum eſt, aſſentiri. *Quid in Evangelio quod vultis (ô Manichæi) creditis, quod non vultis, non creditis, vobis potius quàm Evangelio creditis.* Aug. epiſt. 56.

I. Debentne ſinguli Chriſtiani habere parem de articulis fidei cognitionem?

Nequaquam; ſed ſufficit ut quilibet ita animo ſit comparatus, ut velit fidei aſſenſum præbere cuivis articulo ab Eccleſia propoſito, ubi ad ejus cognitionem pervenerit.

I. Quid ſi in particulari rogareris circa aliquem fidei articulum, an in illum fide crederes? ignorares autem an verè eſſet ejuſmodi articulus de fide, v. g. *An anima rationalis ſit forma hominis? An homo habeat liberum arbitrium?* quid reſponderes?

R. Id quod olim Carbonarius quidam ab Oſio Cardinali optimo & doctiſſimo in ſimili interrogatus, reſpondiſſe fertur: Ego, inquiebat, credo id quod Eccleſia Catholica Romana credit. Sed quid illa? Id quod ego, ajebat. Et ſanè non inepta erat viri iſtiuſmodi reſponſio, cùm non ſpectet ad quemlibet indifferenter ſingulorum credendorum habere ſcientiam, & illorum reddere rationem.

LEC-

Digitized by Google

LECTIO SECUNDA.

De Scriptura, & Traditione.

I. SUnt-ne omnia & ſingula credenda ſcriptis commendata?

R. Minimè, ſed partim ex Scriptura, partim ex traditione ſunt nobis propoſita.

I. Quid eſt Scriptura?

Scriptura quid ſit?

R. Scriptura eſt totum corpus Bibliorum conſtans partibus in Concil. Trid. enumeratis ſſ. 4. Decret. de Canonicis ſcripturis.

I. Eſtne cuilibet liberum legere ſacra Biblia idiomate vernaculo?

R. Non? oportet enim habere licentiam in ſcriptis ab Epiſcopo. Regul. 4 Indic. lib prohibit.

I. Quid ſunt traditiones?

Traditiones quid?

R. Sunt quædam Inſtructiones & Conſtitutiones à Chriſto Domino nobis per Apoſtolos, & Eccleſiæ Prælatos traditæ.

I. Da mihi aliquas traditiones non ſcriptas in ſacris Bibliis.

Traditiones plures ſcriptis non commendata.

R. Quod infantes ſint baptizandi, quod Symbolum fidei ſit verè canonicum & Apoſtolicum. Quod baptizati ab hæreticis non ſint rebaptizandi. Quod in Baptiſmo debeat pronunciari hæc verborum forma. *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*; & niſi pronuncietur, Baptiſmus non ſit validus. Quod ſit certus & determinatus Sacramentorum numerus in novo Teſtamento. Quod Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis ſint ſcriptura Canonica. Hæc & ſimilia puncta, quæ ut articulos fidei credimus, non aliundè quàm ex traditione & perpetuo Eccleſiæ uſu ejuſque definitione probari poſſunt.

I. Quid de traditionibus docet Scriptura?

5. puncta nos docet ſcriptura de traditionibus.

R. Quinque docet Scriptura de traditionibus.

Primum, quaſdam eſſe veras traditiones, partim à Chriſto, partim ab Apoſtolis ad nos derivatas. Dico *partim à Chriſto*. Dicit enim ipſe: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ubi non dicit, quæcumque ſcripto mandavi vobis, eadem ſcripto omnibus gentibus tradite (nihil enim ipſe Chriſtus Dominus ſcripſit) ſed quæcumque mandavi vobis, docete. Dixi etiam partim ab Apoſtolis, &c. Id clarum eſt; nam pauci ex iis ſcripſerunt, omnes verò fundaverunt Eccleſias. Deindè Apoſtolus dicit. *Cætera cùm venero diſponam.* Ergo de aliquibus diſpoſuit, & ordinavit, quæ ſcripto minimè commiſit. Et S. Joannes: *multa habui tibi ſcribere, ſed nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur* Ejuſmodi conſtitutiones, diſpoſitiones, & documenta verbo-tenus nobis commendata traditiones appellamus. De quibus verè uſurpari poteſt illud Tertul. *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.*

1. Cor. 10. — *Epiſt. 3.* — *Lib. de corona militis c. 4.*

Secundum, quod hæ traditiones ſive ad fidem, ſive ad mores ſpectent, parem cum Scriptura auctoritatem habeant. Conc. Trid. ſſ. 4. hoc non habet difficultatem, nam Chriſtus Dominus agens de iis quæ ſuis Apoſtolis pro mundi inſtructione commendaverat, dicit: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et Apoſtolus. *Itaque fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam.* In quem locum Chryſoſt. ita ſcribit: hic patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine litteris tradiderit. Eadem verò fide digna ſunt, tam illa, quàm iſta. Vide Epiphan. hæreſ. 61. Baſil. l. de Spiritu ſancto c. 27. Damaſc. l. 4. c. 17. Imò verò traditio magis ad legem novam pertinet, quàm Scripturæ, quandoquidem diſtinguant

2. Theſſ. 2.

Digitized by Google

Jer. 31.

guunt Prophetæ inter legem novam & veterem, quod illa inſcripta ſit in ſi delium cordibus, hæc verò in tabulis lapideis.

Tertium, quod omni tempore Deus Eccleſiam rexerit adhibitis traditionibus; nam ab initio mundi uſque ad Moyſen, nihil niſi meræ traditiones interceſſerunt, a Moyſe uſque ad Chriſtum vult

Deut 32.

Deus populum ultra id quod ſcriptum erat, interrogare Patres & majores circa legem. Et in libro Job. *Interroga, inquit, generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam*; In lege nova Chriſtus Dominus, quæcumque mandavit Apoſtolis & Diſcipulis, abſque Scriptura tradidit. Si qui ex eis ſcripſerunt, id ex occaſione hæreſeon quas confutari oportebat, non aliquo præcepto egerunt, & hoc eſt quod occurrebat.

Quartum, notandum pro traditionibus, quod Chriſtus Dominus nunquam præceperit Apoſtolis ſuis, ut aliquid ſcriberent, ſed quod docerēt & prædicarent, ut ſuprà ex S. Matthæo & Marco vidimus. Imò prohibuit multa ſcribi quando Matth. 7. dixit: *Nolite, ſanctum dare canibus, neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis.* Veniunt enim ſcripta facilè ad manus gentilium & infidelium, qui cuncta religionis noſtræ myſteria irrident, ut quondam Porphyrius, Apuleius, & Lucianus. Hæretici verò omni tempore ſcripturas corripuerunt, & falſificaverunt. Catholici è contra maluerunt quævis tormenta, & mortem ipſam ſubire, quam ſacros codices infidelibus tradere. Vide Martyrologium Romanum ad 2. diem Januarii. Ubi nec habentur: *Romæ commemoratio plurimorum ſanctorum Martyrum, qui ſpreto Diocletiani Imper. edicto, quo tradi ſacri codices jubebantur, potius corpora carnificibus quam ſancta dare canibus maluerunt.* Ut intelligas, quod quandoquidem tunc imminebat periculum, ne ſacri codices ab infidelibus irriderentur & profanarentur, meritò Apoſtoli & Eccleſiarum primi fundatores a ſcribendo manum abſtinuerunt, ſed poſteaque nobis traditione conſignarunt. Quam etiam rationem S. Dionyſius Apoſtolorum diſcipulus allegat, cur formæ & materiæ Sacramentorum traditione potius quam ſcripto ad nos pervenerint. Unde ut rem magis explicem, deduco punctum.

Apoſtoli ex occaſione, non ex aliquo præcepto ſcripſerunt.

Periculum erat ab infidelibus ne ſacros codices profanarent.

Quintum, nec minimam partem documentorum, actorum & miraculorum Chriſti, & Apoſtolorum ſcriptis editam eſſe. Quantum ad opera Chriſti Domini, ſanctus Joannes Evangelio ſuo finem imponit ita dicens: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* De Apoſtolis etiam pauca admodum habemus in Evangelio, præſertim de S. Andrea, Bartholomæo, Philippo, Simone, Matthia, & aliis qui plurimum pro Eccleſia Chriſti laboraverunt, & nihil ſcripſerunt, ſed viva tantùm voce docuerunt. S. Petrus, Jacobus, & Thadæus pauca ſcripſerunt, & de ſuis ipſorum negotiis vix quidquam Apoſtolus ipſe Paulus, qui plus cæteris ſcripſit, fatetur multis in locis ſe multa perfeciſſe quæ minimè ſcripta ſunt, 1. Corinth. 11. Hebræor. 13. Philip. 4. actor. 16.

Nec Apoſtoli, nec Evangeliſtæ omnia ſcripſerunt.

I. Qui ergo traditiones rejiciunt, ſuntne Catholicæ fidei extorres?

R. Ita. In hoc numero ſunt hæretici noſtri temporis, qui idcirco fidem non habent, quod non æquè credant ea quæ tradita ſunt, ac ea quæ in ſcripturis ſacris reperiuntur. Imò ſi quid exiſtimant ſe credere ex ſcripturis ſacris, id fide Catholicâ minimè credunt, ſed perſuaſione humanâ tantùm, quæ aliud fundamentum non habet, quam argumenta & rationes naturales. Simili fide credimus hiſtorias a Tito Livio conſcriptas, aut ea, quæ nobis quiſpiam narraverit.

Hæretici nihil fide Catholicâ credunt.

Hic ſedantur hæretici manifeſtè convincuntur in hac materia, oſtendendo quod multo plura ipſis credenda ſunt, quàm

quàm quæ in ſcripturis clarè & in terminis continentur?

R. Ita. Vide quæ poſt initium hujus lectionis ſuprà attulimus; è quibus formo hunc diſcurſum. Hæretici credunt quod infantes ſint baptizandi, quod Symbolum fidei ſit canonicum & Apoſtolicum, quod baptizati ab hæreticis non ſint rebaptizandi, quod forma baptiſmi ſit iſta: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti*, quod in Eccleſia ſit certus & determinatus numerus Sacramentorum, quod Evangelium Matthæi ſit verum Evangelium & canonica Scriptura, non item Evangelium Nicodemi; atqui nihil horum clarè & in terminis continetur in Scriptura; ergo hæretici plura credere debent & de facto credunt, quàm quæ ſcripta ſunt.

CONTROVERSIA

Hæreticorum.

Objectiones hæreticorum contra traditiones.

CONantur interim Hæretici traditiones ſubvertere, allegatis in id pluribus Scripturæ locis.

Dicunt primò: ſcriptum eſt Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Ergo omnes traditiones repudiandæ ſunt.

2. Dicunt ſecundò: Scriptum eſt Deuter. 12. *Quod tibi præcipio, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas*; Ergo omnes traditiones & præcepta humana ſunt irrita & contemnenda.

3. Dicunt tertiò: Scriptum eſt Galat. 1. *Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis; præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Et infra: *Si quis evangelizaverit vobis; præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Ergo, inquiunt hæretici, *præter Evangelia non licet admittere traditiones.*

4. Dicunt quartò: Scriptum eſt Apoc. 22. *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Ergo non licet apponere traditiones.

Dicunt quintò: Scriptum eſt Matth. 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditionem veſtram.* Et Coloſſ. 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum.* Et 1. Pet. 1. *Redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis.* Ergo omnes traditiones à Chriſto & Apoſtolis damnatæ ſunt. 5.

Dicunt ſextò; Scriptum eſt 2. Timoth. 3. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Ergo ſupervacaneæ ſunt traditiones. 6.

Vincent. Lirin. adversùs profanas hæreſum novationes c. 35.

R. Genius eſt hæreticorum ut divinæ Scripturæ teſtimoniis paſſim ad ſtabiliendos ſuos errores utantur. Nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ Legis volumina; per Moyſen, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud ſuos, ſive apud alienos, ſive privatim, ſive publicè, ſive in ſermonibus, ſive in libris, ſive in conviviis, ſive in plateis, nihil unquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque peſtium: Cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non novi aut veteris Teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit. Sed tantò magis cavendi, & pertimeſcendi ſunt, quantò magis divinæ legis umbraculis latitant: Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè citò placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur: atque idcircò eos cœleſtis eloquii velut quodam aromate aſpergunt, ut ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, divina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt

Hæreticè paſſim Scripturam adhibent pro confirmatione errorum ſuorum.

Pulchra ſimilitudines.

quod hi ſolent, qui parvulis auſtera quædam temperaturi pocula, priùs ora melle circumliniunt, ut incauta ætas cùm dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos, medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè, ubi ſuprà ſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum. Hactenùs Lirinenſis, qui & in ſubſequentibus capitibus idem proſequitur argumentum.

Reſpondetur primæ objectioni. His ſuppoſitis, ad primam objectionem dico ineptiſſimè ex illo verbo, Deut. 4. per hæreticos concludi traditiones rejiciendas eſſe, primò quia dum illo volunt oppugnare Catholicos, oppugnant ipſos Apoſtolos, à quibus traditiones accepimus. Oppugnant Auguſtinum & alios Patres, qui traditiones amplexi ſunt. Oppugnant ſeipſos, quia & ipſi, ut loquitur Kemnitius, traditionem de Scriptura, de exorciſmo, & alias plures reverenter accipiunt. Secundò, non intelligunt ſenſum allatæ Scripturæ ex Deut. qui ex ipſo contextu facilè colligi poteſt, ubi præcepta cæremonialia & judicialia Iſraëlitis per Moyſen integrè & perfectè ſervari demandantur. Et verò quæro ab adverſariis, an hoc teſtimonium putent pertinere ad ſolos Judæos, aut etiam ad Chriſtianos? aut cur volunt Lutherani & Calviniſtæ, ut nos ad illud ſervandum obligemur? Si etiam pertinet ad Chriſtianos, cur hæretici non ſervant præcepta Moſaica? cur non circumcidunt ſe? cur denique ſicut contra nos urgent illam particulam, *non addetis*, non ſimiliter urgent contra ſe alteram, *non auferetis*.

Reſpondetur 2. objectioni. Ad ſecundam. Dico, non minùs ineptè aſſumunt hoc ſecundum teſtimonium Deut. 12. ad traditiones convellendas, & humana præcepta rejicienda. Nam, ut cætera taceam, cur adverſarii in Synodis & conventiculis ſuis condunt leges & ſtatuta, quæ ab omnibus obſervari volunt? Cur Magiſtratus figunt mandata humana ad conſervandam pacem & juſtitiam ſervandam in Republica? Non eſt ergo ſenſus illius ſcripturæ quem ſibi fingunt hæretici, ſed longè alius. Nam ſicut in præcedenti teſtimonio, agebatur generatim de præceptis Moſaicis integrè obſervandis; ita hîc agitur ſpeciatim de uno præcepto cæremoniali, nempè de præcepto ſacrificii integrè obſervando, ut legenti textum patet. Igitur compendio, *Hoc tantùm facito*, id eſt, *offerto Domino*. *Nec addas*. quicquam ex ſacrificiis Gentium: *nec minuas ex eis*, quæ jam enumerata ſunt. Præcautio nimirum erat, quam Deus populo ſuo in terram gentium intraturo dabat, ne imitaretur eas, & requireret cæremonias earum. Ex ſcriptura iſta hoc modo intellecta quid concludant contra nos adverſarii? niſi ſic inferant: Judæi debebant ea tantum offerre in ſacrificium, quæ à Deo erant determinata: Ergo Chriſtiani non debent obſervare præcepta humana, ſive civilia, ſive Eccleſiaſtica.

Reſpondetur 3. objectioni. Ad tertiam reſpondeo, ſenſus iſtius ſcripturæ eſt: *Si quis evangelizaverit vobis præter id quod accepiſtis*; accepiſtis autem à me hominem juſtificari per fidem in Chriſtum, non autem per obſervantiam legis Moſaicæ; Si quis aliter vos inſtruit, *anathema ſit*. Et hinc non ſequitur traditiones Apoſtolicas eſſe rejiciendas, ſed potiùs conſervandas, qui non ſunt præter aut contra id quod Apoſtolus evangelizavit Galatis de juſtificatione; ſed potiùs ſunt id, quod ipſe Theſſalonicenſibus evangelizavit, cùm dixit: *Tenete traditiones*. Imò poteſt commodiſſimè hæc objectio contra adverſarios retorqueri hoc modo: *Si quis evangelizaverit vobis præter id quod Apoſtolus evangelizavit, anathema ſit*. Hæretici evangelizant aliquid præter id quod Apoſtolus evangelizavit; quia oppugnant traditiones, contra id quod Apoſtolus dixit: *Tenete traditiones*: ergo anathema ſint.

Galat. 3.

Intellectus Apoſtoli.

Argumentum retortum in hæreticos.

Reſpondetur objectioni 4. Ad quartam, quæ petebatur ex Apocalypſi, & inferebatur, ad ea quæ ibi Spiritus ſanctus dicit, non licere apponere traditiones:

ditiones: Reſpondeo non prohiberi ne Iſaias, Jeremias, & alii Prophetæ veteris Teſtamenti, nec item Evangelia, Epiſtolæ, Symbolum Fidei, aut traditiones Apoſtolicæ, ad Prophetiam Apocalypticam apponantur, ſed ſolùm ne verba Prophetiæ iſtius ab aliquo depraventur, vel additione, vel diminutione, quod a Catholicis minimè fit; ab hæreticis verò, præſertim Lutheranis, quàm maximè, qui totum librum pro apocrypho habent.

Reſpondetur objectioni 5. Ad quintam conſideretur textus; nam Chriſtus & Apoſtoli ſolùm loquuntur vel de traditionibus Judæorum, quibus Phariſæi malè utebantur, uti ex Evangelio liquet; vel de traditionibus Gentilium, quæ Fidei Chriſtianæ repugnabant; at tales non ſunt quas Catholici defendunt; ergo immunes ſint à calumnia.

Reſpondetur 6. Luc.11. Dan.4. Ad ſextam, ex eo quod *Scriptura ſit utilis ad docendum, arguendum; &c.* non ſequitur quod traditiones ſint ſupervacaneæ; non plus quàm ſi dicas: Omnis cibus utilis eſt ad nutriendum: ergo ſupervacaneus eſt potus. Vel, omnis eleëmoſyna utilis eſt ad ſalutem; ergo ſupervacanea oratio, ſupervacanea Sacramenta, &c. Vel, ſol utilis eſt ad productionem omnis viventis; ergo ſupervacanea aura venti, pluvia, & omnis cauſa minùs principalis, quæ ſuo modo ad generationem concurrit. Unde futile eſt quod addunt Scripturam ſacram eſſe regulam credendi, ex quo concluſum volunt, Scripturam debere continere omnia quæ ſunt credenda. Fatemur enim Scripturam eſſe regulam, ſed non adæquatam; adæquata enim eſt verbum Dei, ſive ſcriptum, ſive traditum, ut ſuprà.

Regula credendi non eſt ſola Scriptura.

CONTROVERSIA.

De Judice controverſiarum circa articulos Fidei.

Hæreticorum opinio. QUoniam hæc controverſia affinitatem habet cum præcedente, ideò hic illam ſubjungimus.

Ad illam intelligendam ſuppono primò hæreticos docere ſolam ſcripturam eſſe normam & Judicem omnium controverſiarum fidei ac religionis; & ex ea ſola ſecluſis traditionibus & auctoritate Eccleſiæ, controverſias omnes poſſe finiri. Quod probant tripliciter.

Primò, quia Deus in veteri Teſtamento remittit Judæos ad ſolam ſcripturam, tanquam ad Judicem, Iſa. 8. *Ad legem, & Teſtimonium.* Idem fecit Chriſtus in novo Teſtamento. Joannis 5. *Scrutamini ſcripturas.* Et hoc fecerunt Beroenſes, de quibus ſcriptum eſt Act. 17. *Quotidiè ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent.*

Catholicorum ſenſus. Secundò, Deus mandat ut nihil addatur ad Scripturam, Deut. 4. & Chriſtus damnat omnes traditiones. Matth. 16.

Tertiò, ait Apoſtolus ſcripturam per ſe ſolam ſufficere. Hæc duo poſteriora argumenta ſolvimus in præcedenti Controverſia. De primo videbimus poſteà.

Suppono ſecundò, Catholicos rectè diſtinguere inter Judicem, & normam? Judicem vocant qui fert ſententiam inter litigantes. Normam, ſecundùm quam fertur ſententia à Judice. Unde poſita hac diſtinctione, tria conſequenter docent. Primò, Eccleſiam eſſe Judicem controverſiarum. Secundò, normam, quam ſequitur Eccleſia in ſententia ferenda, non eſſe ſolam ſcripturam, ſed ſcripturam & traditionem ſimul. Tertiò Eccleſiam, juxta hanc normam, dupliciter ſententiam pronuntiare poſſe: vel per Pontificem, qui eſt Paſtor Eccleſiæ: vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræſentant Eccleſiam. Et ab utroque ſententiam eſſe infallibilem.

His ita ſuppoſitis, ſolam ſcripturam non eſſe Judicem patet ex eo, quod debeat Judex clarè & ſine ambiguitate loqui, quod ſcripturæ non convenit, quia eſt teſtis mutus, & quæ ob ſui obſcuritatem indiget Interprete. Et verò non poteſt teſtis eſſe Judex. Intrat illa quidem Judicium,

Digitized by Google

cium, ſed ſententia uni Eccleſiæ reſervatur, Matth. 18. In veteri Teſtamento non Scriptura, ſed Pontifex pro Judice agnoſcebatur, Deut. 17. Malach. 2. In novo Teſtamento hactenus idem ſervatum eſt. Primò, tempore Apoſtolorum fuit orta controverſia de Circumciſione Act. 15. At quomodo finita eſt controverſia? An ad ſolam ſcripturam tanquam ad communem Judicem delata eſt? Nihil minùs. Sed ex conſenſu utriuſque partis delecti ſunt aliqui, qui Jeroſolymam irent ad Apoſtolos, ut ipſi de tota re cognoſcerent, & definitivam ſententiam pronunciarent. Apoſtoli, & Seniores coacto Concilio, & invocato Spiritu ſancto reſponderunt his verbis: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil ultrà vobis imponere oneris, quàm hac neceſſaria, ut abſtinentes ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Ubi nullæ ſcripturæ facta eſt mentio. Poſt tempore Apoſtolorum aliæ atque aliæ controverſiæ diverſis locis & ſæculis exortæ ſunt, quas ſimiliter Pontifex Romanus, vel Concilia ab eo approbata deciderunt; ut notum eſt ex hiſtoriis Eccleſiaſticis. Et qui illorum ſententiæ noluerunt acquieſcere, pro hæreticis habiti ſunt ac damnati.

Non poſſent hæretici vel unum ſcripturæ locum afferre, quo oſtendant ſcripturam ſolam eſſe Judicem controverſiarum. Quod allegant ex Iſaia: *Ad legem magis, & ad teſtimonium*, omninò impertinens eſt, ut textum legenti magis patebit; in illo enim agitur contra eos qui de futuris eventibus ſolent conſulere Pythoniſſas & Ariolos, & remittuntur partim ad legem quæ id prohibebat. Deuter. 18. partim ad teſtimonium Prophetarum qui à Deo conſtituti erant, ut futura prædicerent, 3. Reg. 22. Igitur ſenſus verborum illorum, *Ad legem magis, & ad teſtimonium*, eſt hic. Si vultis fieri certiores de futuris eventibus, non debetis conſulere Pythoniſſas, ſicut fecit Saul, 1. Reg. 28. quia Deus per legem ſuam fieri hoc prohibuit, ad quam vos remitto, ſed conſulite Prophetas Domini quorum officium eſt de futuris prænuntiare. Quid hoc facit ad Judicem controverſiarum? Quem etiam in veteri Teſtamento non fuiſſe ſcripturam, ſed Pontificem ſuprà oſtendimus.

Ad illud Joan. 5 *Scrutamini ſcripturas.* Dico Chriſtum Dominum, in controverſia quam habebat cum Judæis, an ipſe eſſet filius Dei, non remiſit illos ad ſolam ſcripturam, ſed primò ad teſtimonium Joannis Baptiſtæ: deinde ad teſtimonium miraculorum: poſteà ad teſtimonium Dei Patris, denique ut omnia experiretur, ad teſtimonium ſcripturarum. Lege totum Caput Joannis & hæc ita ſe habere comperies. Hanc nos Catholici normam in controverſiis, quas habemus cum adverſariis ſequimur. Nam non ſolùm utimur teſtimonio ſcripturæ, ſed etiam Sanctorum Patrum, & Matris Eccleſiæ, & miraculorum, quæ ſæpè fiunt pro confirmatione noſtræ fidei.

Adverſarii autem nihil volunt audire niſi ex ſolis ſcripturis. In quo ſunt ſimiles Judæis, contra quos Chriſtus agit. Quod ad exemplum Beroenſium attinet, non plus ad rem facit, quod facile conſtabit, ſi conſter de re ipſa de qua agebatur. Ea fuit ejuſmodi; Paulus Apoſtolus, ut expreſsè habetur in eodem capite, primùm quidem Teſſalonicæ, deinde apud Beroenſes, *diſſerebat ex ſcripturis, adaperiens, & inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere à mortuis, & quia hic eſt Ieſus Chriſtus quem ego annuntio vobis:* Quid verò Beroenſes? ſequitur ibidem: *ſuſceperunt verbum omni aviditate quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberet.* Igitur hic eſt ſenſus illius loci: Beroenſes cùm audirent Paulum citare quædam teſtimonia ſcripturæ veteris Teſtamenti, quibus aſtruebat Chriſti mortem & reſurrectionem, ſcrutabantur, an iis ipſis teſtimoniis conſentanea eſſent quæ à Paulo dicebantur. Non quidem eo animo quaſi dubitarent de morte & reſurrectione Chriſti, quippè quæ ſatis con-

firmata

Digitized by Google

firmata erat ab Apoſtolo per virtutem miraculorum, 1. Teſſal. 1. ſed ut magis in fide confirmarentur, ſi viderent ea, quæ à Paulo dicebantur, multò ante per Prophetas fuiſſe prævisâ & præſignificata. Ex hoc ſenſu quid concludant Adverſarii? Nihil ad rem, de qua agitur. Niſi fortè velint ſic concludere: Beroenſes ſcrutabantur teſtimonia Scripturæ à Paulo citata, ergò ſola Scriptura eſt Judex controverſiarum. Quod perinde eſt ac ſi dicas: Ruſtici ſcrutantur teſtimonia Lutheri à prædicante citata, ergò ſolus Lutherus eſt Judex controverſiarum. Inſignis planè conſequentia.

LECTIO TERTIA.

Quæ rerum divinarum cognitio neceſſaria ſit ad ſalutem?

Quid quilibet Chriſtianus adultus credere debeat.

I. Sufficeretne Chriſtiano homini credere generatim omne quod credit Eccleſia,& nullius articuli in particulari cognitionem habere?

R. Minimè hoc ſufficeret. Debet enim quilibet adultus rationis compos præcipua ſaltem fidei noſtræ capita tenere, & noſſe media ordinaria,quibus nos voluit Dominus ad ſalutem pervenire.

I. Quæ vocas fidei noſtræ præcipua capita?

R. Præcipua fidei & Religionis noſtræ capita ſunt illa, quæ proponit nobis & exhibet ipſa Eccleſia in principalioribus feſtis, & ſolemnitatibus per totum anni decurſum,& pro majori parte exponuntur in Symbolo Apoſtolico.

I. Quæ dicis *media ordinaria, quibus nos voluit Dominus Deus ad ſalutem pervenire?*

R. Voco Orationem,Decalogum, Sacramenta Baptiſmi,Euchariſtiæ & Confeſſionis, de quibus tractabimus ſuis locis.

I. Modò igitur declara mihi quomodò præcipua fidei capita præcipuis ſolemnitatibus, & Symbolo Apoſtolico proponantur?

Præcipua noſtra fidei myſteria per Eccleſiam in ſolemnitatibus repræſentata.

R. Declaro ſic: Symbolum Apoſtolorum docet nos Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium,unum ſcilicet Deum in eſſentia, trinum in perſonis; & ſancta Mater Eccleſia ejuſmodi ſacrum myſterium exhibet nobis in ipſo feſto ſanctiſſimæ Trinitatis. Quod autem tres perſonæ ejuſdem ſanctiſſimæ Trinitatis differentes ſint & diſcretæ, hoc nobis tradit per celebrationem diſtinctam feſtorum cujuslibet perſonæ in particulari, ut puta Patris, tanquam Creatoris in ipſa Dominica cujuſlibet hebdomadæ; Filii,uti Redemptoris in die Annunciationis & Natalis Domini, (in quibus etiam intemerata Beatiſſimæ Deiparæ Virginitas commendatur) Paſchatis & Aſcenſionis; Spiritûs ſancti uti ſanctificatoris in die ſolemni Pentecoſtes. De myſteriis Redemptionis noſtræ, de quibus in Symboli 4.articulo,luctuoſiſſima atque celeberrima exhibetur nobis ob oculos repræſentatio in ipſa hebdomada ſancta? Quinimò quotidiana fit eorundem memoria in ſacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, juxta Domini inſtitutionem dicentis: *Hæc quotieſcumque feceritis,in mei memoriam facietis.*

De cæteris quid commemorem? In ipſa ſolemnitate Sanctorum omnium edocemur, quàm glorioſum eſt regnum cælorum,in quo cùm Chriſto gaudent Sancti, & quod illi à nobis rectè invocantur,utpotè qui apud Deum Advocati & Patroni noſtri pleni gloriâ & charitate multa nobis impetrant.

Dies poſtera Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum,quid aliud enunciat, quàm purgatorias pœnas in quibus animæ fidelium non plenè purgatæ miſerè torquentur, & ſuffragia noſtra magnis ejulatibus expoſcunt? De quo infrà ad Sanctorum communionem.

Feſtum Corporis Chriſti apertiſſimè ſignificat, & toti populo adorandum præbet Sacramentorum omnium ſanctiſſimum ad laudem & gloriam ejus, qui ſe *dedit eſcam timentibus ſe, memoriam faciens ſuorum mirabilium.*

Digitized by Google

Supereſt Dedicationis Eccleſiæ feſtum etiam ſolemniſſimum, quo inſtruimur, quod etſi Dei ter maximi Majeſtas nullo concludatur, aut capiatur loco; voluit tamen certis in locis ſolemni ritu ſibi dicatis profuſiorem ſuarum gratiarum copiam elargiri ſuper populum ſuum preces ibidem fundentem.

De Symbolo. S. Tho. 2.2. q.1.a.6.

I. Quid verò vocas Symbolum Apoſtolorum, in quo paſſim ſumma credendorum reponitur?

R. Symbolum Apoſtolorum voco duodecim Articulos fidei, quos Apoſtoli collatis in unum ſententiis, quaſi Symbolis, digeſſerunt, eo conſilio ut futurum eſſet in materia doctrinæ fidei pro nota & teſſera quâ Chriſtiani ab infidelibus, vel etiam ſubintroductis falſis fratribus qui Evangelium adulterabant, diſtingui & ſecerni poſſent: ſic loquitur S. Auguſt. *Apoſtoli certam regulam fidei tradiderunt, quam ſecundum numerum Apoſtolorum duodecim ſententiis comprehenſam, Symbolum vocaverunt: per quam credentes Catholicam tenerent unitatem, & hæreticam convincerent pravitatem, ſerm. 181. de temp.* Et alibi: *Facile eſt ut dicatur quid credendum. Nam ecce tibi eſt Symbolum, quid brevius auditur? quid facilius memoriæ commendatur?* Auguſt. Enchyr. c. 7.

Symbolum Apoſtolorum compoſuerunt Apoſtoli in mundum univerſum diſcedentes prædicaturi Evangelium.

I. Quandonam illud Apoſtoli compoſuerunt?

R. Antequam ſepararentur ab invicem ut prædicarent omni creaturæ Evangelium legatione pro Domino Jeſu Chriſto functuri, hanc doctrinæ ſummam fidelibus tradiderunt, ut uno ore, & labio uno, unam eandemque doctrinam prædicarent ubique, & fideles toto orbe terrarum ad fidei unitatem vocati idipſum omnes ſentirent ac docerent, neque ulla eſſent inter eos ſchiſmata.

I. Quare uſque adeò breve fecerunt hoc Symbolum?

R. Studio quidem hoc fecerunt, ut quilibet abſque negotio poſſet illud mandare memoriæ. *Symbolum eſt regula fidei veſtra brevis & grandis. Brevis numero verborum, grandis pondere ſententiarum.* *Aug. ſerm. 135. de temp.*

I. Teneturne igitur quilibet Chriſtianus Symbolum tenere memoriter?

R. Antiquiſſima Eccleſiæ praxis fuit, ut qui Chriſto nomen daturi eſſent, Symbolum diligentiſſimè addiſcerent. *Accipite* (inquit Auguſtinus) *regulam fidei, quod Symbolum dicitur, & cùm acceperitis, in corde ſcribite, & quotidie dicite apud vos antequàm dormiatis, antequàm procedatis: veſtro Symbolo vos munite.* Et in Concilio Laodiceni ſic legitur. *Baptizandos oportet fidei Symbolum diſcere, & quintâ feriâ ultimâ ſeptimanæ vel Epiſcopo, vel Presbytero reddere.* Vide quæ tradit Thomas 2.2.q.2. art. 5. *L. 1. ad Catech. c. 2.*

C. 46. vide Gratian in Decret. de conſec. diſt. 4. can. Symbol. & can. baptizan. oportet. & can. non liceat.

I. Utiliſne eſt Chriſtiano frequens Symboli hujus recitatio.

R. Ita. Vide Marchant in Horto Paſtorum pag. 103.

I. Satiſne eſt quod Symbolum latinè calleant?

R. Minimè. Ad hoc enim Symbolum ſcire oportet, ut fideles myſteriorum quæ in eo continentur contemplatione contra occurrentes tentationes ſe muniant, & ad actus fidei, ſpei, & charitatis ſeſe excitent, Audi S. Ambroſium. *Symbolum quoque ſpecialiter debemus, tanquam noſtri ſignaculum cordis antelucanis horis quotidie recenſere. Quò etiam cùm aliquid horremus, recurrendum eſt. Quando enim ſine militia Sacramento miles in tentorio, bellator in prælio?* *L. 3. de Virginibus.*

Simile: non ſufficit panem præbere parvulis, ſed frangendus eſt, comminuendus, maſticandus, & in fauces inferendus, hoc eſt, ſimplices ſunt inſtruendi verbis facilibus, in fidei rudimentis, docendo eos, ut loquitur Apoſtolus, *elementa exordii ſermonum Dei* *Simile.*

I. An debeant Chriſtiani ſcire comprehendere myſteria fidei noſtræ.

R. Minimè, Satis eſt quod credant. Imò verò. *Niſi credideritis, non intelligetis.* *Iſaiæ 7. juxta 70.*
Ratio iſtius eſt, quia non eſt aliquod a-

Digitized by Google

liud medium divinitus datum ad cognoſcendum Deum, & res divinas, quàm fides. Ipsâ ſolâ intelligimus & comprehendimus, quidquid de eo ipſo, aut rebus divinis capimus, intelligimus, aut comprehendimus.

I. Saltem numquid oportet aliquos plus aliis ſapere circa hæc?

S.Th.2. 2.q.2.ar. 6. R. Certum eſt quod ſic. Nam Prælati Eccleſiæ, Doctores, Presbyteri: qui ratione officii, dignitatis, aut ſtatûs ſui quovis tempore *parati eſſe debent ad rationem fidei reddendam poſcenti.* 1.Pet.3. majorem fidei ac rerum divinarum cognitionem habere debent, ut rudem populum docere, & fidem orthodoxam contra adverſarios tueri poſſint.

I. Quot ſunt Symboli partes?

Symboli partitio. R. Symbolum in tres partes diſtributum videtur, ut in una, divinæ naturæ prima perſona & mirum Creatoris opus deſcribatur: in altera, ſecunda perſona, & humanæ Redemptionis myſterium: in tertia, tertia item perſona, caput & fons ſanctitatis noſtræ variis & ampliſſimis ſententiis concludatur.

I. Sed cur eas ſententias articulos appellas?

R. Similitudine quâdam à Patribus frequenter uſurpatâ, Symboli ſententias, articulos vocamus; ut enim corporis membra articulis diſtinguuntur: ita etiam in hac fidei confeſſione, quicquid diſtinctè & ſeparatim ab alio nobis credendum eſt, rectè & appoſitè articulum dicimus.

I. Cur ſunt duodecim Symboli articuli?

R. Quia duodecim fuerunt Apoſtoli, qui Symbolum confecerunt, ut Sanctus Leo tradit Epiſtol. 13. ad Imperatricem.

I. Sed cur ſunt plura Symbola, v.g. Symbolum Apoſtolorum, Symbolum Nycænum, Conſtantinopolitanum, &c.

Cur plura Symbola in Eccleſia recepta. R. Eadem fides in diverſis Symbolis ab Eccleſia receptis docetur; neque differunt in aliquo, præterquam quod explicitè id declarent poſteriora, quod implicitè in Symbolo Apoſtolorum traditum erat, prout hæreticorum exigebat inſtantia, uti pulchrè Vincentius Lyrinenſis explicat. cap. 32.

DE PRIMO SYMBOLI ARTICULO.

CAPUT SECUNDUM.

LECTIO PRIMA.

I. Quis eſt primus Symboli articulus?

Prima Symboli pars. R. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.*

I. Iſta prima vox (*Credo*) pertinetne ſolùm ad primum articulum?

R. Eſt communis omnibus articulis, & ad initium ſingulorum articulorum ſubintelligi debet.

I. Quid ſignificat *Credo*?

S.Th.2. 2.q.2.a.1. R. Hoc eſt, id firmâ fide teneo ob auctoritatem Dei revelantis; Hoc eſt, mihi ſine ulla hæſitatione certum & perſuaſum; certò credo, ac ſine ulla dubitatione profiteor (quantum ad hunc attinet) Deum Patrem, primam ſcilicet Trinitatis Perſonam, qui ſuâ omnipotenti virtute cælum ipſum & terram, & omnia quæ cæli & terræ ambitu continentur, ex nihilo condidit, & condita tuetur ac regit. *Supra Lect.* Hæc eſt brevis primi hujus articuli comprehenſio.

Certiſſima fide credendi articuli fidei. I. Quantâ igitur certitudine & firmitate oportet credere fidei noſtræ articulos?

R. Oportet præeligere mori, & extrema quæque pati potiùs, quàm vel minimum articulum negare, aut in dubium vocare.

I. Taliterne crediderunt Sancti?

Exemplum. Rarum R. Ita. *Inter plurimos Martyres, qui cum S. Anaſtaſio tempore Diocletiani paſſi ſunt, unus erat Euthyanus nomine, inno-*

 centiſ-

Digitized by Google

Fidei exemplum in B. Thecla V. & M. 23. Septemb. in Brev. Rom.

centiſſima vita: qui ſublatis ſibi (cùm dives eſſet) omnibus facultatibus, tacuit: nihil cogitans, nihilque metuens niſi hoc, ne facultates aut divitias fidei perderet. Quotieſcumque denique fuiſſet auditus, quotieſcumque interrogatus, nihil aliud dicebat. Chriſtum mihi non tollet, etiam qui caput abſtulerit. Ado in Martyrol. 25. Decemb.

I. Cur verò tantâ certitudine credendum eſt?

R. Quia *ſine fide*, uti jam in ſuperioribus dictum eſt, *impoſſibile eſt placere Deo.* Deus autem cùm juſſit nos credere, non divina judicia ſcrutanda, eorumque rationem & cauſam perquirendam nobis propoſuit, ſed immutabilem fidem præcepit; quæ effecit, ut animus in æternæ veritatis notitia conquieſcat.

I. Habeſne aliquod ſimile ad hoc declarandum?

Rom. 3. Simile.

R. Habeo. *Cùm Deus verax ſit* (teſte Apoſtolo) *omniſque homo mendax*: ſi arrogantis & impudentis hominis eſt, gravi ac ſapienti viro aliquid affirmanti fidem non habere, ſed propterea urgere, ut quod dixerit, rationibus aut teſtibus probetur: cujus temeritatis, atque adeò ſtultitiæ fuerit, Dei voces audientem, cæleſtis ac ſalutaris doctrinæ rationes requirere? Non igitur demonſtrationes cum Philoſophis, non ſigna cum Judæis pro cautione fidei exquiramus; Sufficiat nobis ipſa Dei veracitas, quæ omnis veritatis fons eſt & origo.

I. An quæ ſunt fidei, ſint evidenter nota vel intelligibilia?

Quæ fidei ſunt non ſunt evidenter nota.

R. Jam diximus in ſuperiori Lectione ea quæ ſunt fidei non debere à nobis evidenter intelligi aut cognoſci, antequam iis aſſentiamur. Eſt clarum, tum ex loco Iſaiæ ibi allegato juxta verſionem 70 tum ex Apoſtolo ad Heb. 11. ubi dicitur: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Unde S. Gregorius poſtquam hunc Apoſtoli locum allegaſſet, dicit: *Profectò liquet, quia fides eſt illarum rerum argumentum, quæ apparere non poſſunt, quæ enim apparent, jam non fidem habent, ſed agnitionem.* Et, *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Imò S. Bernardus. *Quid magis* (inquit) *contra rationem, quam rationem ratione conari tranſcendere? Et quid magis contra Fidem, quàm credere nolle, quod ratione non poſſis attingere?*

Hom. 26. in Evang.

I. Sed numquid periculum eſt, ne in illud Syracidis impingamus: *Qui citò credit, levis eſt corde?*

Ezech. 9. v. 4.

R. Minimè, nam uti exponit S. Bernardus ſuprà, intelligitur hoc non de Fide in Deum, ſed de mutua inter nos credulitate.

Sed eſto, intelligatur etiam de fide in Deum; nego Catholicos citò credere ad ſenſum Sapientis; Citò enim credere, non eſt adhibere fidem ante rationem, ut volebat Abailardus, ſed credere ſine ſufficienti ratione, vel non facto ſufficienti examine ſuper ſufficientia credibilitatis, ſive rationis credendi. Quamvis ergo ea quæ Catholici credunt, non ſint facta evidenter intelligibilia, ſunt tamen facta evidenter credibilia, juxta illud: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis* Unde laudatur Maria (ait Bernard.) quod rationem fide prævenit, & punitur Zacharias quod fidem ratione tentavit; & rurſum Abraham commendatur, qui contra ſpem in ſpem credidit.

Pſ. 92. *Exempla.*

LECTIO SECUNDA.

I. DEclara mihi aliqua ſigna evidentiæ, quibus fides Catholica dicitur eſſe evidenter credibilis?

Quinque claſſes evidentiæ credibilitatis fidei Catholicæ.

R. Iſta reduci poſſunt ad quinque claſſes, ut prima complectatur ea quæ ſumuntur ex parte ejus cui creditur; ſecunda ex parte eorum qui credunt; tertia ex parte ejus quod creditur; quarta ex parte eorum qui non credunt; quinta ex modo propagatæ & ſtabilitæ fidei. Duas primas diſcutiemus hâc lectione.

I. Quæ

I. Quæ ſunt illa quæ pertinent *ad primam claſſem?*

Ad 1. claſſem pertinent miracula.

R. Iſthuc in primis revocatur argumentum quod ſumitur ex miraculis nitens hujuſmodi ratione: Fides miraculis confirmata eſt credenda, talis eſt Catholica Romana, ergò ea eſt credenda. Quod fides miraculis confirmata ſit credenda, probatur; miracula enim ſunt proprium opus Dei, ſicut ſigillum eſt proprium opus Principis; ut rectè dixerit Hugo de S. Victore: *Nonne de Deo cum omni confidentia dicere poterimus: Domine ſi error eſt, à te decepti ſumus: nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, & talibus quæ nonniſi per te fieri poſſunt.* Confirmatur ex ſacris litteris, quæ ſæpè indicant, non ſolum prudentor id poſſe; ſed etiam debere credi quod miraculis confirmatum eſt, ut Joannis 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et Joannis 5. *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.*

L. 21. de Civit. c. 5. & alibi ſæpe. Videatur in Brev. Rom. 17. Nov. vita Greg. Neocæſarea Episc.

Quod autem Catholica Romana fides ſit confirmata miraculis, probat S. Auguſtinus, dicens: *Si per Apoſtolos Chriſti; ut eis crederetur Reſurrectionem atque Aſcenſionem prædicantibus etiam iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod ea orbis terrarum ſine ullis miraculis credidit.*

I. Ediderunt-ne Chriſtiani miracula in teſtimonium aſſertæ Catholicæ veritatis contra Gentiles & incredulos?

R. Ita. Dauroult. c. 10. tit. 5.

I. Idemne præſtiterunt contra hæreticos?

R. Ita. ibidem tit. 7.

Secundum argumentum primæ hujus claſſis ſumi poteſt ab oraculis Prophetarum, multa enim in fide Catholica ante complura ſecula eo modo quo evenerunt, per Prophetas fuere prædicta, prædicta autem non potuerunt, niſi Deo qui ſolus futura novit revelante; perſpicuum eſt ergò illa ſaltem, Deum, qui nec falli, nec fallere poteſt, ea revelaſſe. Ex illorum autem certo ſucceſſu etiam alia quæ prædicta ſunt, & nondum evenerunt, aut quæ ad prædictionem non pertinent, ſed ab iiſdem qui ſibi fidem conciliarunt, vera prædicendo, tradita ſunt, omnia credenda & ſuſcipienda ſunt, utitur hoc argumento *Juſtinus, Apol. 2. ad Antonin. & Aug. 17. de Civit. c. 15.*

Oraculo Prophetarum.

Tertium eſt antiquitas ſcripturarum tradentium hanc fidem.

3. antiquitas ſcripturæ.

Quartum eſt Chriſti auctoris fidei noſtræ dignitas & præſtantia.

4. Chriſti fidei noſtræ auctoris dignitas.

Quintum, Vitæ probitas eorum, qui primi hanc fidem prædicaverunt.

5. Vitæ probitas prædicantium hanc fidem.

Sextum ſumitur ex Dei providentia, quem nullo modo veriſimile eſt univerſum Chriſtianorum orbem tanto redemptum pretio ita deſpexiſſe, ut tot ſeculis in tantam perfidiam & in gehennæ voraginem totus corruerit, donec Lutherus vir turpiſſimus, ſanctimoniam libidine commutaret.

6. Dei providentia.

I. Circa primum argumentum primæ hujus claſſis quæro, an hæretici in confirmationem ſuæ perfidiæ nunquam ediderint miracula?

R. Nullum unquam miraculum factum eſt in confirmationem hæreſis vel erroris. Ratio eſt, miraculum enim eſt ſingularis, ſupernaturalis, & propria ſolius Dei operatio, quâ quaſi ſigillo ſuo Deus, ſua dicta, rectamque fidem & veritatem obſignat; quare ſi Deus falſum Doctorem invocantem ſe pro miraculo, ad ſtabiliendum errorē exaudiret, videretur illi cooperari & errorem atteſtari, ac per conſequens mentiri & fallere, quod eſt impoſſibile; Deus enim eſt prima veritas ipſaque veracitas & fidelitas, qui proinde poteſtatem faciendi miracula ſibi ſoli reſervavit, ut per eam quaſi proprium ſui teſtimonium, ſua dicta, ſuaſque veritates obſignaret, teſtareturque illa à ſe promanare. Vide Sanctum Thomam 2. 2. quæſt. 178. artic. 2. & Bellarminum l. 4. de Not. Eccleſiæ. c. 14.

Digitized by Google

I. Nunquamne tentarunt infideles aut hæretici patrare miracula pro confirmatione doctrinæ ſuæ erroneæ?

3. Reg. 18. R. Imò, ſed fruſtrà; nam ut omittam quod falſi Prophetæ Baal ignem de cœlo deducere non potuerunt, quem potuit Elias verus Dei cultor; & quod Judæi exorciſtæ tentantes exorcizare, impuro ſpiritu vexatos, temeritatis ſuæ pœnas

Act. 19.

Exempla. luerint. *Calvinus volens ſuſcitare unum, fingentem ſe mortuum, eum verè mortuum effecit*, uti narrat Bolſecus ejus diſcipulus in vita ipſius cap. 13.

Franc. Turrian. l. 1. de Degm. charact. verbi Dei. Idem feciſſe Cyrolam Epiſcopum Arianum docet Greg. Turon. l. 2. hiſt Franc. cap. 3. apud Baron. tomo 6. an. 484.

Lutheri ridiculum miraculum vide apud Staphyl. in abſoluta reſponſ. contra Jacobum Schmidelinum. Wilhem Lindanum Dial. 3. Dubitautii cap. 1 Bredemb. l. 7. Collat. ſac. cap. 40. anno 1545.

Alan. Copus l. 6. Dial. c. 29. Wilhel. Lind. Dial. 3. Dubit. c. 1. Bredemb. l. 7. c. 4. anno 1558. *Concionator quidam Neo-Evangelicus ſui Evangelii confirmandi gratiâ quendam Matthæum certo conduxit ſtipendio, qui ſeſe mortuum ſimularet, atque ad clamantis vocem, ſeu mortuus reſurgeret. Illum feretro incluſum ad templum deduxit uxor, artificii nefarii conſcia, funus fletu & ejulatu proſequitur. Ille ubi ſatis de ſuo novo Evangelio tonaſſet; Surge, inquit, Matthæe, in nomine Chriſti, cujus Evangelium prædico. Cùm Matthæus non ſurgeret, ille inclamat altiùs ut ſomnum fortè excuteret. Ubi nec ita exurgeret Matthæus, itur ad feretrum, detegitur velata facies, & reverà deprehenditur mortuus, qui ſeſe tanto alierum periculo mortuum, atque à mortuis in vitam revocatum ſimulare voluerat. Mox uxor, quæ lachrymas & lamenta nuper finxerat, nunc verè lachrymis, vocibus, ac tantùm non pugnis in Concionatorem illum, non Paſtorem, ſed impoſtorem invecta, ſuo malo, iſti novo fidem habuit Evangelio.*

Ioann. Hayus in Hiſt. de rebus Iapon. ann. 1624. *In loco dicto Iamada, ſub reſidentia Ginguia, cùm adoleſcens Chriſtianus, quindecim aut ſedecim annos natus frequentiùs à Dæmone torqueretur, Bunzius ejus Patruus primùm conatus eſt Dæmonem ſuis gentilitiis ritibus & vanis deprecationibus Chami & Fotechi depellere: ſed cùm irritum videret conatum, pia quidam Chriſtiana ad ſe ex vicinia accerſita, totius rei ſucceſſum percenſuit. Illa, benâ ſuâ fide freta, Agnum Dei in obſeſſi collum injecit, & manus, pedeſque fune ſacris precibus benedicto alligavit. Tum Dæmon mox exclamare: Solvite me, & mox exceſſere. Reſpondit fœmina: Priùs te torquebo, & ſi non promiſeris te diſceſſurum, non te ſolvam: & juvenis liber à Dæmone, corporeque integer evaſit.*

I. Indigemuſne etiam modò miraculis pro confirmatione noſtræ fidei Catholicæ Romanæ?

R. Nullo modo: Nam dicit Gregorius, *Numquidnam Fratres mei, quia iſta ſigna (de quibus Dominus Marci 16.) non facitis, minimè creditis? Sed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt: ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cùm arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra jam coaluiſſe videamus; at ſi radicem fixerint, irrigatio ceſſabit.* *Hom. 29. in Evangelia.*

I. Quæ ſunt argumenta credibilitatis fidei noſtræ, quæ ad ſecundam claſſem pertinent? *2. Claſſis argumentum.*

R. Ad hanc claſſem revocatur ſanctitas eorum qui fidem noſtram coluerunt, ut Auguſtini, Hieronymi, Baſilii, Gregorii, Bernardi, Franciſci, Dominici, &c. Vid. Auguſt. *de moribus Eccleſiæ cap. 30.* *1. Sanctitas colentium fidem Catholicam.*

Secundò, multitudo credentium & conſenſus populorum, qui quamvis toto orbe longè lateque diffuſi, ſervant tamen conſtantem inter ſe unitatem, & cum Romano Pontifice Chriſti Vicario, quem communem Paſtorem agnoſcunt, mirificè conſpirant ac conſentiunt. *Vide Lact. l. 5. de divin. inſtit. c. 13. Auguſt. de utilit. cred. c. 14. Euſeb. l. ultimo de præp. Evang. cap. 10.* *2. Multitudo & conſenſus populorum.*

I. Numquid Lutheri fides aut religio longè

Digitized by Google

longè latèque per orbem diffuſa eſt?

R. Non, ſed intra anguſtias alicujus partis Germaniæ ſeſe continet.

I. Numquid Calvini ſecta totum mundum pervaſit?

R. Minimè: nam in ſola Francia, Anglia, & vicinis provinciis invenitur.

I. Lutherus eandem-ne ſemper doctrinam invariatam retinuit & docuit?

R. Non; ſæpè enim errores ſuos cudit recuditque, prout ex ejus ſcriptis liquet.

I. Numquid ſaltem diſcipuli ejus inter ſe conſentiunt?

R. Nihil minùs, diverſas enim ipſi quotidiè in ſententias ſcinduntur, novoſque in dies articulos comminiſcuntur.

I. An non ſemper fuit una & invariata Calvini doctrina?

R. Manifeſtum eſt quod non, ex ipſiuſmet ſcriptis.

I. Quid de diſcipulis ejus?

R. Illi ſe mutuò rodunt ut canes, corrodunt & lacerant, ſicut jam pridem Magiſtri ſui doctrinam in mille diverſas opiniones diſtraxerunt.

Similem inconſtantiam atque diſcordiam hæreticorum, omnium temporum hiſtoriæ tradunt. Iren. l. 1. adverſus hæreſes Simonis Magi, primi Hæreſiarchæ ſectam in varias partes ſtatim fuiſſe conciſam demonſtrat. Idem de Valentinianis refert l. 1. c. 5. de Donatiſtis S. Aug. l. 1. de Baptiſmo c. 6. de Marcioniſtis Epiphan. l. 1. hæreſeon. De Montaniſtis idem. De Manichæis Aug hæreſ. 46. De Arianis, Ruffinus l. 10 hiſt. c. 25.

Hæretici in ſua doctrina varii & inconſtantes.

I. Quare ita variant Hæretici in negotio religionis?

R. Quia ſpiritu vertiginis abrepti circa fidem naufragaverunt, quæ in ſola Catholica Romana Eccleſia reperitur. Secundò, quia cùm hæreſis ſit ſuperbia, ſitque proles ſatanæ, qui eſt pater diſſenſionis æquè ac mendacii, impoſſibile eſt inter hæreticos eſſe concordiam: unus enim alteri cedere non vult: quiſque ſe ſapientem præ aliis reputat: quiſque novi aliquid comminiſcitur, ſuiſque commentis, uti ſimia ſuo fœtu gaudet, eique abblanditur. Error errori contrarius eſt, ut vitium vitio. Sola veritas habet concordiam, quia una eſt, & indiviſa. Verè dixit S. Hieronymus: *Hæreticorum compugnatio noſtra victoria eſt*. Et Hilarius: *Bellum hæreticorum pax eſt Eccleſiæ*.

In Ezech. lib. 7 de Trinit.

I. Quam ipſi Calviniſtæ de ſua religione (quam reformatam vocant) opinionem habent?

Religio reformata ſimillima Turcicæ impietati.

R. Quod ſimillima ſit Turcicæ impietati, paucis exceptis; uti patet ex litteris Aloiſii Cucchi, Veneti Conſtantinopoli tunc Agentis, ad Dominum Bartholomæum de Rudolphis Patritium Venetum; in quibus poſt multa quæ de ſtatu iſtius aulæ deſcribit, ſubjicit de Baſſa ſive Principe Turcarum his verbis: Talis vir eſt Baſſa, qui ſtatim intelligit, an ex veritate & corde agant homines, an mandata obſervent, & id illi ſolummodò dicant quod à Dominis ſuis juſſi ſunt. Quod ſi quem fucatè agere, aut aliud quempiam quærere intellexerit, quàm quod ad Dominorum cauſam ſpectet, eum uti beſtiam poſteà averſatur, indignum judicans quem ſub aſpectum ſuum ampliùs admittat. Cujus vidimus præclarum exemplum in Oratore Chriſtianiſſimi Regis Francorum; qui quamdiu Regis ſui negotium egit, ſatis honorifico fuit apud ſupremum Baſſam loco, & omnia tum illi communicata ſunt, quæ cum Oratore Romanorum Imperatoris de pacis confirmatione tractarentur. Quam etiam confirmationem in iſtius Ambaſſatoris Galli, qui eam vehementer impediebat, gratiam ſtudioſè diſtulit. Verùm ubi Baſſa intellexiſſet Ambaſſatorem pacem iſtam cum Romanorum Imperatore non propter Regem Galliæ, ſed multò magis propter ejus hoſtes ſubditos rebelles impugnare, ſuſpectus illi eſſe cœpit, nec poſt hac in tanta eum familiaritate habuit: imò cùm Ambaſſator necdum etiam deſiſteret Huguenottos ſuos Baſſæ commendare,

Tilman. Bredemb. collat. ſacr. l. 7. c. 19.

dare, ut illi in pacis capitulationem reciperentur, cum indignatione quæſivit Baſſa, quinam eſſent iſti Huguenotti, quam haberent religionem, & cujus ſubeſſent imperio, cùm aliquam orbis gentem hoc nomine nemo cognoviſſet anteà? Tunc Ambaſſator ſcriptum ei porrexit, quaſi nòn publicè, ſed privatim potius Baſſam informare cuperet. Sed illud in multorum manus, Baſsâ ita jubente, & hominis Galli levitatem ridente, pervenit. In quo ſcripto non negat Ambaſſator Huguenottos Regis Galliarum ſubeſſe imperio, ſed rebellare huic propter religionem quæ ſit Turcicæ proxima, niſi quod in jejuniis Huguenotti non ſint ita certis obſervationibus aſtricti, *ſed liberrimi per omnia & agere & credere quæ lubeat.* Subjunxit deinde aliqua argumenta ad perſuadendum Baſſæ quod Huguenotti, ſi in Turcarum Imperatoris tutelam acciperentur, utiliſſimi eſſent futuri ſuæ Majeſtatis ſocii propter multas cauſas, &c. *poſt multa:* hæc & multa alia Ambaſſatoris puncta Baſſa planè ridet & contemnit; ipſi autem Ambaſſatori reſponſum dedit per interpretem, videre ſe quod bonus Rex Galliæ non Legatum, ſed proditorem ad aulam Turcarum Imperatoris miſerit. Huguenottos autem longè inferioris eſſe, quàm ut ſeſe demittat ad eorum amicitiam ſupremus orbis princeps, nec fidem haberi debere iſtis ſociis, qui proprium etiam Regem proderent, & impugnarent. Turcas ſolitos eſſe cum Imperatoribus, Regibus & magnis Principibus agere; nō cum perfidis, ſervis, & rebellibus ſubditis: deteſtari Turcicam fortitudinem iſta proditoria conſilia. Quod ſi verò utile videatur Turcarum Imperatori Huguenottos ſibi ſubjicere, non defutura illi arma, ſi clara eſſe poſſit de victis rebellibus & proditoribus ſervis victoria. Hæc palam jam dicuntur & circumferuntur per totam Conſtantinopolim, cum magna ſuperbia Turcarum; & contemptu Gallicæ levitatis. *Ita ille.*

Inſignem planè Huguenottorum religionem.

I. Hæc eſt magna improbitas hæreticorum, qui in perniciem avitæ, orthodoxæ & Romanæ religionis, non verentur Turcicam ſollicitare barbariem.

R. Ita quidem: ſed quod maximè hîc notandum volui, iſtud eſt, quod non erubeſcant Calviniſtæ Huguenotti profiteri ſuam religionem Turcicæ perfidiæ quàm eſſe ſimillimam.

I. Quid verò de Luthero?

R. Hic etiam *lib. Sympoſiac.* de Solymanni Turcarum Imperatoris de ſe judicio gloriatur, omnemque ſibi benevolentiam detuliſſe jactitat. Nimirum quæſierat Solymannus à legato Cæſaris quem annum ageret Lutherus? legato reſpondente quod quadrageſimum octavum annum ageret: dolere ſe dixit, quod ob imminentem ſenectutem non in poſterum tantum quantum antea ſemper conatus ſuos poſſet adjuvare. Rem ſcilic. Turcarum impoſtor ille non parum promovere viſus erat, cùm doceret Turcæ non eſſe reſiſtendum, idque hoc inepto ſophiſmate: *Flagello Dei non eſt reſiſtendū; quia hoc idem eſt quod Deo flagellanti reſiſtere: atqui Turca eſt flagellum Dei; Ergò.* Quo ſanè argumento Pſeudo-Apoſtolus ille probaſſet latronibus, furibus & prædonibus nō eſſe reſiſtendum, quia hi omnes ſunt flagellum Dei; ſed hoc flagellum à Judicibus flagellandum eſt, quia à Deo eſt non poſitivè, ſed permiſſivè. Et quid erat hoc aliud, quàm Chriſtianos omnes ſubjicere Turcæ & efficere Turcas? En qualis novorum iſtorum Evangeliſtarū doctrina, quis ſpiritus, quæ dementia!

Tertiò, ad ſecundam claſſem credibilitatis fidei noſtræ pertinet conſtantia Martyrum, quâ ſe permotum fuiſſe ad fidem Chriſtianam amplectendam teſtatur Juſtinus *Apoleg. 1. ad Senatum Romanum.*

Conſtantia Martyrum pro fide Catholica morientium.

I. Debetne illud argumentum magni æſtimari?

R. Magni illud æſtimavit Sanctus Ambroſius: *Magni periculi res eſt*, inquit, *ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apo-*

Serm. de SS. Na-

ſtolorum

Digitized by Google

zario & Celſo.

ſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi novellam diſcutere præſumas; & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas; & poſt morientium judices otioſa diſputatione contendas: veneremur ergò in Martyrum gloria fidem noſtram. Vide Lactantium l. 5. cap. 13. Thomam Bozium de Signis Eccleſiæ l. 7. ſigno 29. c. 5. num 3. & 4.

I. Circa hoc occurrit mihi interrogandum: An hæretici pro fide ſua mortem oppetentes, non ſunt dicendi Martyres?

Cyp. ep. 104. l. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 5.

R. Minimè, quia non moriuntur pro fide Jeſu Chriſti cujus profeſſio fit in ſola Catholica Romana Eccleſia; ſed ſi quid patiuntur, dant pœnas ſuæ perfidiæ. *Martyrem enim, non ſupplicium; ſed cauſa facit: multi hæretici* (inquit Auguſt.) *nomine Chriſtiano animas decipientes, multa talia patiuntur,* maledicta, perſecutiones, &c *ſed ideò excluduntur ab iſta mercede* (regni cœleſtis) *quia non dictum eſt tantum:* Beati qui perſecutionem patiuntur; *ſed additum eſt:* propter juſtitiam. *Ubi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia,* quia Juſtus ex fide vivit. Et Bernardus: *Nihil habet ſimile conſtantia Martyrum, & pertinacia hæreticorum, quia mortis contemptum in illis pietas; in iſtis cordis duritia operatur.*

Hæretici pro fide ſua morientes non ſunt martyres.

I. Hæretici igitur morientes pro fide ſua, vel, ne meliùs dicam pro ſua perfidia, damnanturne?

Fulgent. de fide ad Petrum c. 39.

R. Certum eſt quod ſic: *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites omnem hæreticum vel ſchiſmaticum cum Diabolo & Angelis ejus æternî ignis incendio participandum, niſi ante finem vitæ Catholicæ fuerit incorporatus & redintegratus Eccleſiæ.* Et poſt pauca: *Omni homini qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quantumlibet copioſa, neque mors pro Chriſti nomine ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem.* Auguſtinus: *ad ipſam verò ſalutem ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* Et alibi: *Eccleſia Catholica ſola eſt corpus Chriſti, cujus ille caput eſt Salvator corporis ſui; extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus ſanctus.* Et paulò poſt: *non habent itaque Spiritum ſanctum, qui ſunt extra Eccleſiam.* Et rurſum: *Quiſquis ergò ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere quod à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam æternam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

De unit. Eccl. c. 19.

Epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem ſub fin.

Ep. 152. ad Donatiſtas.

Exemplū.

I. Habeſne aliquod exemplum, quo probes id quod aſſeris?

R. Habeo Anno Domini 1528. 20. Julii, Henricus quidam Lutheranus Tornaci combuſtus eſt. Sequenti nocte ſociis in carcere totus ardens apparuit. Illis præ timore clamantibus, ait: *Niſi ab errore ceſſetis, mecum peribitis in æternum.* Excitatus clamore carcerarius, Conſules urbis advocavit. Dicunt illis vincti: Facite de nobis quod volueritis, modò priùs confiteamur, ne cum Henrico damnemur.

Bredemb. l. 7. c. 11.

LECTIO TERTIA.

3. Claſſis argumenta.

I. VEniamus, ſi placet, ad tertiam claſſem ſignorum, ſive argumentorum credibilitatis eorum quæ ſunt fidei?

1. Sanctitas doctrina Chriſtiana.

R. Dixi ſuprà ad tertiam claſſem reducenda argumenta, quæ petuntur ex parte ejus quod creditur. Ubi primò ſe offert ſanctitas & rectitudo doctrinæ Chriſtianæ, quam ſemper, etiam qui foris ſunt, ſuſpexerunt. Secundò, abſurditas è contrà dogmatum hæreticorum.

2. Abſurditas dogmatum hæreticorum.

I. Quoad primum argumentum non video difficultatem, nam certum eſt omnia principia fidei Catholicæ ſanctiſſima eſſe, & ſuos ſequaces ad veram vitæ ſanctimoniam adducere; uti etiam ad oculum patet: ſed quæſo declara mihi abſurditatem

Digitized by Google

dare, ut illi in pacis capitulationem reciperentur, cum indignatione quæſivit Baſſa, quinam eſſent iſti Huguenotti, quam haberent religionem, & cujus ſubeſſent imperio, cùm aliquam orbis gentem hoc nomine nemo cognoviſſet anteà? Tunc Ambaſſator ſcriptum ei porrexit, quaſi non publicè, ſed privatim potius Baſſam informare cuperet. Sed illud in multorum manus, Baſsâ ita jubente, & hominis Galli levitatem ridente, pervenit. In quo ſcripto non negat Ambaſſator Huguenottos Regis Galliarum ſubeſſe imperio, ſed rebellare huic propter religionem quæ ſit Turcicæ proxima, niſi quod in jejuniis Huguenotti non ſint ita certis obſervationibus aſtricti; *ſed liberrimi per omnia & agere & credere quæ lubeat.* Subjunxit deinde aliqua argumenta ad perſuadendum Baſſæ quod Huguenotti, ſi in Turcarum Imperatoris tutelam acciperentur, utiliſſimi eſſent futuri ſuæ Majeſtatis ſocii propter multas cauſas, &c. *poſt multa:* hæc & multa alia Ambaſſatoris puncta Baſſa planè ridet & contemnit; ipſi autem Ambaſſatori reſponſum dedit per interpretem, videre ſe quod bonus Rex Galliæ non Legatum, ſed proditorem ad aulam Turcarum Imperatoris miſerit. Huguenottos autem longè inferioris eſſe, quàm ut ſeſe demittat ad eorum amicitiam ſupremus orbis princeps, nec fidem haberi debere iſtis ſociis, qui proprium etiam Regem proderent, & impugnarent. Turcas ſolitos eſſe cum Imperatoribus, Regibus & magnis Principibus agere, nõ cum perfidis, ſervis, & rebellibus ſubditis: deteſtari Turcicam fortitudinem iſta proditoria conſilia. Quod ſi verò utile videatur Turcarum Imperatori Huguenottos ſibi ſubjicere, non defutura illi arma, ſi clara eſſe poſſit de victis rebellibus & proditoribus ſervis victoria. Hæc palam jam dicuntur & circumferuntur per totam Conſtantinopolim cum magna ſuperbia Turcarum; & contemptu Gallicæ levitatis. *Ita ille.*

Inſignem planè Huguenottorum religionem.

I. Hæc eſt magna improbitas hæreticorum, qui in perniciem avitæ, orthodoxæ & Romanæ religionis, non verentur Turcicam ſollicitare barbariem.

R. Ita quidem: ſed quod maximè hîc notandum volui, iſtud eſt, quod non erubeſcant Calviniſtæ Huguenotti profiteri ſuam religionem Turcicæ perfidiæ quàm eſſe ſimillimam.

I. Quid verò de Luthero?

R. Hic etiam *lib. Sympoſiac.* de Solymanni Turcarum Imperatoris de ſe judicio gloriatur, omnemque ſibi benevolentiam detuliſſe jactitat. Nimirum quæſierat Solymannus à legato Cæſaris quem annum ageret Lutherus? legato reſpondente quod quadrageſimum octavum annum ageret: dolere ſe dixit, quod ob imminentem ſenectutem non in poſterum tantum quantum antea ſemper conatus ſuos poſſet adjuvare. Rem ſcilic. Turcarum impoſtor ille non parum promovere viſus erat, cùm doceret Turcæ non eſſe reſiſtẽdum, idque hoc inepto ſophiſmate: *Flagello Dei non eſt reſiſtendũ; quia hoc idem eſt quod Deo flagellanti reſiſtere: atqui Turca eſt flagellum* Dei; Ergò. Quo ſanè argumento Pſeudo-Apoſtolus ille probaſſet, latronibus, furibus & prædonibus nõ eſſe reſiſtendum, quia hi omnes ſunt flagellum Dei; ſed hoc flagellum à Judicibus flagellandum eſt, quia à Deo eſt non poſitivè, ſed permiſſivè. Et quid erat hoc aliud, quàm Chriſtianos omnes ſubjicere Turcæ & efficere Turcas? En qualis novorum iſtorum Evangeliſtarũ doctrina, quis ſpiritus, quæ dementia!

Tertiò, ad ſecundam claſſem credibilitatis fidei noſtræ pertinet conſtantia Martyrum, quâ ſe permotum fuiſſe ad fidem Chriſtianam amplectendam teſtatur Juſtinus *Apolog. 1. ad Senatum Romanum.*

Conſtantia Martyrum pro fide Catholica morientium.

I. Debetne illud argumentum magni æſtimari?

R. Magni illud æſtimavit Sanctus Ambroſius: *Magni periculi res eſt*, inquit, *ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apo-*

Serm. de SS. Na-

ſtolorum

Digitized by Google

zario & Celſo.

ſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi novellam diſcutere præſumas; & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas; & poſt morientium ſudores otioſâ diſputatione contendas: veneremur ergò in Martyrum gloria fidem noſtram. Vide Lactantium l. 5. cap. 13. Thomam Bozium de Signis Eccleſiæ l. 7. ſigno 29. c. 5. num. 3. & 4.

I. Circa hoc occurrit mihi interrogandum: An hæretici pro fide ſua mortem oppetentes, non ſint dicendi Martyres?

R. Minimè, quia non moriuntur pro fide Jeſu Chriſti, cujus profeſſio fit in ſola Catholica Romana Eccleſia; ſed ſi quid patiuntur, dant pœnas ſuæ perfidiæ. *Martyrem,* enim, *non ſupplicium; ſed cauſa facit: multi hæretici* (inquit Auguſt.) *nomine Chriſtiano animas decipientes, multa talia patiuntur,* maledicta, perſecutiones, &c. *ſed ideò excluduntur ab iſta mercede* (regni cœleſtis), *quia non dictum eſt tantum: Beati qui perſecutionem patiuntur; ſed additum eſt:* propter juſtitiam. *Ubi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia,* quia juſtus ex fide vivit. Et Bernardus: *Nihil habet ſimile conſtantia Martyrum, & pertinacia hæreticorum, quia mortis contemptum in illis pietas, in his cordis duritia operatur.*

Cyp. ep. 104. l. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 5.

Hæretici pro fide ſua morientes non ſunt martyres.

I. Hæretici igitur morientes pro fide ſua, vel, ut meliùs dicam pro ſua perfidia, damnantur ne?

R. Certum eſt quod ſic: *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites omnem hæreticum vel ſchiſmaticum cum Diabolo & Angelis ejus æterni ignis incendio participandum, niſi ante finem vitæ Catholicæ fuerit incorporatus & redintegratus Eccleſiæ.* Et poſt pauca: *Omni homini qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quantumlibet copioſa, neque mors pro Chriſti nomine ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem.* Auguſtinus: *ad ipſam verò ſalutem ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* Et alibi: *Eccleſia Catholica ſola eſt corpus Chriſti, cujus ille caput eſt Salvator corporis ſui; extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus ſanctus.* Et paulò poſt: *non habent itaque Spiritum ſanctum, qui ſunt extra Eccleſiam.* Et rurſum: *Quiſquis ergò ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere quod à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam æternam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Fulgent. de fide ad Petrum c. 39.

De unit. Eccl. c. 19.

Epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem ſub fin.

Ep. 152. ad Donatiſtas.

I. Habesne aliquod exemplum, quo probes id quod aſſeris?

Exemplũ.

R. Habeo Anno Domini 1528. 20. Julii, Henricus quidam Lutheranus Tornaci combuſtus eſt. Sequenti nocte ſociis in carcere totus ardens apparuit. Illis præ timore clamantibus, ait: *Niſi ab errore ceſſetis, mecum peribitis in æternum.* Excitatus clamore carcerarius, Conſules urbis advocavit. Dicunt illis vincti: Facite de nobis quod volueritis, modò priùs confiteamur, ne cum Henrico damnemur.

Bredemb. l. 7. c. 11.

LECTIO TERTIA.

I. VEniamus, ſi placet, ad tertiam claſſem ſignorum, ſive argumentorum credibilitatis eorum quæ ſunt fidei?

3. Claſſis argumenta.

R. Dixi ſuprà ad tertiam claſſem reducenda argumenta, quæ petuntur ex parte ejus quod creditur. Ubi primò ſe offert ſanctitas & rectitudo doctrinæ Chriſtianæ, quam ſemper, etiam qui foris ſunt, ſuſpexerunt. Secundò, abſurditas è contrà dogmatum hæreticorum.

1. Sanctitas doctrinæ Chriſtianæ.

2. Abſurditas dogmatum hæreticorum.

I. Quoad primum argumentum non video difficultatem, nam certum eſt omnia principia fidei Catholicæ ſanctiſſima eſſe, & ſuos ſequaces ad veram vitæ ſanctimoniam adducere; uti etiam ad oculum patet: ſed quæſo declara mihi abſurditatem

ſurditatem doctrinæ hæreticorum, præſertim noſtri temporis.

R. Doctrinam iſtorum hæreticorum non ſolùm eſſe novam, ſed etiam impiam, blaſphemam, & ſanctitati Chriſtianæ penitus contrariam, manifeſtiſſimum eſt. Ac, ut ex multis pauca; ſufficiant tria iſta, in quibus Lutherus, Calvinuſque Magiſtri mendaces conveniunt.

1. Hominem non habere liberum arbitrium.

2. Præcepta Decalogi eſſe impoſſibilia.

3. Bona opera nullius eſſe meriti ac valoris apud Deum, ſed ſolum fidem ſufficere.

Quæ doctrina quàm repugnet ſanctitati, & quantam occaſionem præbeat liberè peccandi, non eſt qui non videat. Nã qui ſibi perſuadet hanc doctrinam eſſe veram, ſic apud ſe ratiocinabitur.

Primò, ſi non habeo liberum arbitrium, nec in mea poteſtate eſt benè vel malè agere, cur ſollicitus ſim ut benè agam? aut perplexus ne peccem?

Secundò, ſi præcepta Dei ſunt impoſſibilia, inanis eſt de eorum obſervatione conatus & cogitatio. Quis enim niſi fatuus ſit, rem aliquam quam impoſſibilem judicat, aggredi velit?

Tertiò, ſi bona opera nihil valent coram Deo, quid neceſſe eſt benè agere? Et, ſi ſola fides ſufficit ad ſalutem, cætera omnia ſuperflua ſunt. Quis jam locus ſanctitatis ſit, ſi hanc doctrinam amplectamur? Omninò nullus.

4 Claſſis argumentorum.

I. Quæ dicebas ad quartam claſſem pertinere?

R. Argumenta petita ex parte eorum qui non credunt; illa ſunt ferè tria. Primum, punitio eorum, qui fidem noſtram oppugnaverunt. Ut Simonis Magi, de quo ſcribit Egeſippus; Manichæi, Vide Epiph. hæreſ. 66. & quæ nos infrà c. 9. lect. 5.

1. *Punitio oppugnantium fidem Catholicam.*

De horrenda Neronis morte primi Chriſtianorum Romæ perſecutoris, vide Baronium tom. 1 anno 70.

Exempla.

De vindicta divina in Galerium Imperatorem Eccleſiæ Chriſtianæ perſecutorem, vide Euſebium l. 8. Hiſt. Eccleſiaſticarum, c. 18.

De miſerando exitu Maximini Imperatoris, inſignis Chriſtianorum perſecutoris, conſule quæ ſcribit idem Auctor l. 9. cap. 10. & refert Baron. tom. 3. Annal. an. 314.

De Hunnerico judicio Dei percuſſo, ac peſſimâ morte ſublato in vindictam perſecutionum, quas in Chriſtianos movebat, narrat Victor de perſecutione Wandalica in fine l. 3. Gregorius Turonenſis de geſtis Francorum, l. 2 cap. 3. an. 384. & alii.

Arrius in ſeceſſu medius crepuit inſtar Judæ proditoris, viſceraque effudit: quia Deo Patri viſcera ſua, id eſt, filium conſubſtantialem auferre voluerat. Ita Gregorius Nazianzenus in laudibus S Athanaſii.

Lutherum ſibi gulam fregiſſe ex ejus familiariſſimis acceptum eſſe tradunt. Bozius de ſignis Eccleſiæ, Genebrardus, & alii, corvorumque turbam ejus funus comitatam; quin & dæmones ab energumenis ex Geel Brabantiæ in Saxoniam ad ejus funus convolaſſe narrat Tilman Bredemb. l. 7. c. 39.

Calvinum ſcribit Beza phthiſi, colicâ, aſtmate, calculo, podagrâ, hemorrhoidibus vexatum. Acceſſit morbus pedicularis, qui totum corpus pervaſit: ac fœtidiſſimum ulcus circa verenda: à vermibus ergò corroſus expiravit inſtar Herodis, & aliorum acerrimorum perſecutorum Chriſti & Eccleſiæ. Ita Hieron. Bolſecus Doctor Medicus in vita Calvini cap. 22.

Secundum argumentum hujus quartæ claſſis, eſt teſtimonium Judæorum, quos Deus in totum orbem diſperſit, ut Moyſen circumferrent, qui de Chriſto ſcripſit, omnibuſque conſtet nos alias Prophetias non confinxiſſe. Ità Auguſtinus libro primo de conſenſu Evang cap. 14. 2. *Teſtimonium Judæorum.*

Tertium, quod ad hanc claſſem pertinet, eſt teſtimonium quod etiam ipſi hæretici perhibent, nomen enim Catholicorum velint, nolint, nobis relinquunt: de quo Auguſtinus de util. credendi, c. 17. 3. *Teſtimonium hæreticorum.*

Quid

Digitized by Google

Quid, quod Lutherus ipſe contra Anabaptiſtas ſcribit in Papatu verum eſſe nucleum Chriſtianitatis?

5. Claſſis argumenta.

I. Quæ ſunt quintæ claſſis argumenta?

R. Sunt illa quæ ſumuntur ex modo propagatæ & ſtabilitæ fidei.

1. Fides orthodoxa difficilis & ardua à rudibus hominibus tam facilè propagata apud omnes nationes.

Primò, argumentum bonum pro fide orthodoxa ſumi poteſt ex eo quod Apoſtoli pauci piſcatores, illiterati, obſcuri, Judæi toti mundo exoſi orbem cruci ſubjecerunt; hoſtes infenſiſſimos, dæmones, peccatum, mortem, infernum, Reges, Principes, Philoſophos, Oratores, Græcos, Barbaros, leges, judicia, religiones, vel potiùs ſuperſtitiones longiſſimi temporis vetuſtate inolitas pervicerint, non armis, non ſapientiâ, non eloquentiâ, ſed ſimplici prædicatione perſuaſerint; tam brevi tempore Chriſti fidem per totum orbem ſparſerint; liberrimè & fortiſſimè tyrannorum minas, tormenta, mortes per Chriſti gratiam ſuperarint; doctrinam non de Deo glorioſo, ſed crucifixo, eoque Salvatore credendo & adorando, legemque Chriſti novam, naturæ & carni non gratam, ſed repugnantem perſuaſerint. *Vide Chryſoſtom. in morali ſup. 1. Cor. 1. hom 4.*

2. Mira doctrinæ concordia.

Secundò, Huc facit mira doctrinæ concordia in diverſis mundi partibus, ſed hoc retulimus ſup. ad ſecundam claſſem.

3. Succeſſio nunquam interrupta ſummorum Pontificum.

Tertiò, eodem pertinet Romanorum, adeoque Summorum Pontificum continuata ſeſſio abſque interruptione, quam magni fecerunt Tertullian. l. de præſcrip. cap. 32. Iren. l. 3. cap. 3. Auguſtinus de utilit. cred. cap. 17. cont. Ep. fundam. cap. 4. ep. 165. & alibi. Nec mirum, cùm ille ſit in perſona Beati Petri Apoſtolorum Principis, totius Dominici ovilis Paſtor conſtitutus, ſive Eccleſiæ univerſalis Rector. Unum pro omnibus Tertullianum audiamus: *Edant origenes Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis habuerit auctorem & anteceſſorem.*

Lib. de præſcript. c. 32.

Sed de hoc argumento alibi plura.

I. Ergone qui Lutheri, Calvini, aut cujuſcumque alterius novi Magiſtri vocem audiunt, & doctrinam; ſpretâ Romanæ Eccleſiæ auctoritate, & ipſius Summi Paſtoris voce ad Chriſti ovile, id eſt, ad Chriſti Eccleſiam non pertinent?

R. Non magis quam Simon Magus, & alii fidei hoſtes, qui ſe à Petro cunctarum Chriſti ovium Paſtore diviſerunt. Certè prophanum & extraneum cenſet S. Hieronymus illum qui Petri Cathedræ non communicat.

I. Non eſt igitur invenire apud modernos hæreticos aliquem ordinem aut ſucceſſionem Prælatorum, Paſtorum, Epiſcoporum invariatam, & eandem in ſolidum doctrinam profitentium?

R. Nullum prorſus. Nam, ſicut antiquæ illæ hæreſeon fæces Montaniſtarum, Sabellianorum, Arrianorum, Pelagianorum evanuêre; ita modernæ vix annos natæ centum, adeò in diverſa mutatæ ſunt, aliis & aliis Magiſtris ſuum vertiginis ſpiritum particularem ſequentibus, ut facta ſit primævæ hæreſiarcharum Calvini & Lutheri doctrinæ ruina magna, ut ſuprà notavimus. Illi autem Patriarchæ Alemanniæ vel Franciæ, cui, vel quibus ſucceſſerunt? Nulli hominum. Ipſi novi homines facti ſunt, novatores, omnia pro libidine innovantes. *Ignoſcat mihi Benevolus Lector, quod prolixius iſtud argumentum tractarim; feci id conſulto in gratiam dubitantium, quorum ætas noſtra plena eſt ex confinio & commercio hæreticorum variorum colorum & dogmatum.*

LECTIO QUARTA.

I. QUid illa Symboli particula, *in Deum*, Fidelibus meditandum exhibet?

R. Hinc Chriſtianæ Sapientiæ dignitatem & ſublimitatem, ex eaque quantum divinæ bonitati debeamus, cognoſcere licet, quibus datum eſt ſtatim ad rei præſtantiſſimæ, maximèque expe-

Suprà lect. 1. præl. Rom. 11.

tendæ cognitionem, quaſi fidei gradibus aſcendere, ut meritò nobis liceat cum Apoſtolo exclamare: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Nam quicquid in humana Philoſophia de Deo cognitum eſt, nihil eſt ad id quod per hanc fidei cognitionem ſcimus. Hujus enim ſæculi ſapientes, naturalis luminis ductu, poſt longos labores vix inviſibilia Dei contemplantur, primamque omnium rerum cauſam & auctorem agnoſcunt, & intelligunt; contra verò Chriſtianæ doctrinæ ſectatores Fidei lumine illuſtrati, mentis aciem in ipſum cælum ità intendunt, ut æternum ipſum luminis fontem, deinde quæ infrà ſunt poſita, intueri & penetrare nullo labore poſſint: *ut ſe vocatos de tenebris in admirabile lumen* (quod eſt apud Apoſtolorum Principem) cum ſumma animi jucunditate experiantur, *& credentes exultent lætitia inenarrabili.*

1. Pet. 2. & 1.

I. Sed quid hoc ſibi vult, quod dicis *Credo in Deum*; & non ſimpliciter, *Credo Deum?*

R. Credere in Deum, non ſignificat ſolum credere Deum eſſe: quomodò dicimus credere nos eſſe in mundo multa quæ ad nos non pertinent, de quibus non diceremus credere nos v. g. *in urbem Romanam, in urbem Lutetiam Pariſiorum:* ſed ſignificat credere nos in Deum, qui eſt primum principium, & ultimus finis noſter, in quo ſuper omnia confidimus, & quem rebus omnibus anteponimus.

I. Quid ſignificat hæc vox, *Patrem*, quando dicimus: *Credo in Deum Patrem?*

Deus primariâ & generali ratione dicitur Pater hominum ex creatione.

R. Videtur hæc eſſe primò hujus loci ſignificatio, ut Deum Patrem ideò appellemus, quia res omnes ab eo creatæ (uti ſequetur) exiſtunt, ejuſque providentiâ gubernantur, ſuumque ordinem & ſtatum conſervant.

I. Ecquis hujus appellationis nobis rationem ſuppeditavit?

R. Ipſæ ſacræ Litteræ, quæ eodem Patris nomine uſæ ſunt, cùm de Deo loquentes, univerſorum creationem; poteſtatem, admirabilemque providentiam ei tribuendam indicarent. Legimus enim: *Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Et alibi: *Numquid non Pater unus omnium noſtrorum? numquid non Deus unus creavit nos?*

Deut. 32. Malac. 2.

I. Sed quâ ratione per creationem Deus Pater eſt omnium rerum quæ ſunt in mundo, id eſt, Angelorum, hominum, cælorum, ſtellarum, elementorum, animalium, plantarum, metallorum, cùm illa omnia ex nihilo Deus creaverit, non verò propriè, & ex ſubſtantia ſua genuerit?

Quâ ratione dicitur Pater omnium creaturarum.

R. Quia Deus non eſt ſimilis aliis opificibus, qui opera ſua faciùnt, & illa mox deſerunt; ſed ſimilis eſt Patri, qui filios quos genuit, alit, ſuſtentat, erudit, conſervat. Opifex qui domum ædificat, ubi eam ædificaverit, non eam ſuſtentat aut portat; ſed aut eam vendit, aut Domino ſuo tradit, neque de ea ſollicitus eſſe pergit; Deus autem ut bonus ac pius Pater, omnium creaturarum ſuarum curam gerit, eaſque ſuſtentat & conſervat *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Heb. 1.

2 Deus peculiariùs dicitur Pater Fidelium ex adoptione.

I. Nonne tamen frequentiùs & peculiari quâdam ratione Deus *Pater* Chriſtianorum dicitur?

R. Ita, & hæc eſt ſecunda Patris appellatio, præſertim in novi Teſtamenti libris uſitata, ut Deus Chriſtianorum Pater dicatur, qui *non acceperunt ſpiritum ſervitutis in timore; ſed acceperunt ſpiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamant, Abba, Pater: eam enim charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus: quod ſi filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, qui eſt primogenitus in multis fratribus, nec confunditur vocare nos fratres.*

Rom 8. 1. Joan. 3. Rom. 8. Heb. 2.

I. Quid ex his debent homines Deo?

R. Ex duplici jam dicta Patris appellatione intelligere debent, quàm ſollicitè ac *Infrà lect. 9.*

piè

Digitized by Google

piè tanto Patri ſervire, atque obedire, & quantâ humilitate ſubjici teneantur. Ille enim nos fecit, cùm eſſemus omninò nihil; ille conſervat, ſine qua conſervatione, ad nihilum relaberemur; ille nutrit, paſcit, veſtit, protegit, gubernat; ille denique vitam æternam & hæreditatem opulentiſſimam promiſit.

Simile. Si quis caſu aliquo cæcus natus, vel factus, medicum inveniret, qui videndi ſenſum reſtitueret; certè magnum beneficium ab eo ſe accepiſſe fateretur: quantum ergò debemus Deo, qui dedit, & momentis ſingulis conſervat, non ſolùm oculos, ſed aures, nares, linguam, manus, pedes, omnia corporis membra; omnes facultates, omnes ſenſus, & ipſam rationem, & vitam animalem, & ſpiritualem?

Ut ergo, ſive communem creationis & providentiæ, ſive præcipuam ſpiritualis adoptionis cauſam ſpectes, meritò fideles Deum Patrem ſe credere profitentur; ità meminerint ſe optimo ac munificentiſſimo Patri uſque adeò obſtrictos, ut nunquam poſſint condignum aut æquivalens tantis ejus beneficiis reddere obſequium. Sed quid dico? Veriſſimè ac juſtiſſimè Dominus in Evangelio dixit: Altiſſimum benignum eſſe ſuper ingratos, & malos: verè enim omnes ingratiſſimi ſumus, ac per hoc etiam mali qui tantum benefactorem non toto corde diligimus, vel redamamus.

Luc. 6.
Infrà p. 2. c. 3. ſect. 1.

I. Quæ eſt tertia & potiſſima ſignificatio hâc voce Patris, per Apoſtolos declarata?

Infrà c. 3. ſ. 2. R. Ut per *Patrem* intelligamus primam in divinitate perſonam, quæ per generationem Pater eſt unigeniti Filii ſui. Indicat ſanè hoc nomen in una divinitatis eſſentia non unam tantùm perſonam, ſed perſonarum diſtinctionem credendam eſſe.

Sancta Trinitas. I. Declara hoc paulò ampliùs?

Præfatio R. Nota, tres ſunt in una divinitate perſonæ: Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Atqui Pater eſt in una divinitatis ſubſtantia prima perſona, *qui cum unigenito Filio ſuo, & Spiritu ſancto unus eſt Deus, unus eſt Dominus, non in unius ſingulariter perſona; ſed in unius Trinitate ſubſtantiæ.* Jam verò hæ tres perſonæ, cum in iis quidquam diſſimile, aut diſpar cogitare nefas ſit, ſuis tantummodò proprietatibus diſtinctæ intelliguntur. Siquidem pater eſt *ingenitus*: Filius à Patre *genitus*, Spiritus ſanctus *ab utroque procedens*. Atque ita trium perſonarum eandem eſſentiam, eandem ſubſtantiam confitemur, *ut in confeſſione veræ ſempiternæque Deitatis, & in perſonis proprietatem, & in eſſentia unitatem, & in Trinitate æqualitatem*, piè & ſanctè colendam credamus & profiteamur. *Dominica Trinitatis.*

I. Qualiter ergò Patris primam eſſe perſonam dicimus?

R. Hoc non ita recipiendum eſt perindè ac ſi aliquid in Trinitate priùs aut poſteriùs, majus aut minus cogitemus: abſit enim hæc à fidelium mentibus impietas, cùm eandem æternitatem, eandem gloriæ majeſtatem in tribus perſonis Chriſtiana Religio prædicet: ſed Patrem, quod ipſe ſit principium ſine principio, primam eſſe perſonam, verè & ſine ulla dubitatione affirmamus; quæ quidem uti Patris proprietate diſtincta eſt, ita in unam illam præcipuè hoc convenit, quod filium ab æterno genuerit, ſemper enim Deum ſimul & Patrem fuiſſe nobis ſignificatur: cum Dei & Patris nomina conjuncta in hac confeſſione pronũciamus.

I. Sed hæc ſubtiliora, & difficiliora mihi videntur, quàm ut quilibet de populo ea capiat, etiam terminorum tenus.

R. Veriſſimum hoc eſt: & quoniam in nullius rei quàm hujus omnium altiſſimæ ac difficillimæ notitia atque explicatione aut periculoſiùs verſari, aut graviùs errare poſſumus, doceat Catechiſta, religioſè retinenda eſſe eſſentiæ propria vocabula, quibus hoc myſterium ſignificatur; & ſciant fideles unitatem eſſe in eſſentia, & diſtinctionem in perſonis. Ipſe etiam, præſertim ſi Theologicis ſtudiis minùs imbu- *De Trinitate quid non liceat ignorare.*

Digitized by Google

imbutus ſit, ſobriè admodum & valdè circumſpectè de his diſſerat.

Attamen, ne in hoc primo Symboli Apoſtolici articulo, cujus cognitio tantoperè ad ſalutem neceſſaria eſt, explicando ſibi deſit, ſimulque habeat ubi tutò pedem figat; ipſiſſima S. Athanaſii verba & ſententias, quæ ſunt de ſanctiſſimo Trinitatis Myſterio, hic ſubnectendas putavi: Ipſe igitur in Symbolo ſuo, quod Eccleſia in officio Dominicæ ad Primam decantat, ſic dicit:

Symbolum Athanaſii.

Quicumque vult ſalvus eſſe; ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidẽ.

Quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.

Deinde quæ de ſanctiſſimo hoc Trinitatis Myſterio ab omnibus teneri debent, ſubjungit.

Fides autem Catholica hæc eſt; ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona Patris, alia Filii; alia Spiritus ſancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritus ſancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus,

Et tamen non tres æterni: ſed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus; & unus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: ſed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dii: ſed unus eſt Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini: ſed unus eſt Dominus.

Quia ſicut ſigillatim unamquamque perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtianâ veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere Catholicâ Religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus: nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Unus ergò Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.

Ita ut per omnia, ſicut jam ſuprà dictum eſt, & unitas in Trinitate: & Trinitas in unitate veneranda ſit.

Qui vult ergò ſalvus eſſe: ita de Trinitate ſentiat.

I. Cur addiderunt Apoſtoli hanc vocem, *Omnipotentem*?

R. Duas potiſſimum ob cauſas: prima eſt, ut non videretur alicui mirum quod Deus dictus eſſet Pater & origo omnium rerum creatarum, & quod eas conſervaret & regeret. Secunda, quia paulò poſt idem ipſe Pater dicendus eſt *Creator cœli & terræ*, in qua creatione omnipotentia ſine dubio requiritur & valdè elucet.

I. Quid eſt omnipotentia, & quis propriè dici poteſt *omnipotens*?

R. Hoc explicat David Propheta, cùm ait de Deo: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Et Angelus Gabriel; *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Itaque *omnipotens* Deus dicitur, quia Pſ. 134.

Omnipotentia Dei quid ſit?

Digitized by Google

quia poteſt facere quidquid vult, & illud ipſum ad nihilum redigere, neque poteſt aliquis ejus voluntati reſiſtere.

I. Sed, poteſtne Deus mentiri, fallere aut falli, aut peccare, aut interire, aut aliquid ignorare?

R. Minimè; Quia poſſe ea, infirmitatis eſt, non ſummæ & infinitæ poteſtatis, quam Deus habet. Ita igitur Deum omnipotentem eſſe credimus, ut ab eo tamen longè omnia abeſſe cogitemus, quæ perfectæ ejus eſſentiæ non ſunt convenientia.

I. Cur verè Deus in Symbolo dicitur *omnipotens*, & non dicitur omniſcius, ſive ſapientiſſimus?

R. Ratio hujus rei eſt, quia ſumma potentia neceſſariò requirit ſummam ſapientiam; non contrà, multi enim ſunt qui ſciunt quid fieri debeat & quomodo fieri debeat; ſed vires non habent ad ea perficienda: nemo autem eſt, qui revera poſſit aliquid facere, præſertim ſine aliorum auxilio vel miniſterio, quin etiam ſapientiâ & ſcientiâ, quanta ad illud opus efficiendum neceſſaria eſt, præditus ſit.
Affectus. Itaque cùm Deum credimus *omnipotentem*, ſimul etiam credimus omnia ſcientem. O filii mei, quàm plenum fiducia eſt habere talem ac tantum Dominum ſibi amicum. Glorientur proinde cum Apoſtolo omnes amici Dei. *Si Deus*
Rom. 8. (omnipotens) *pro nobis, quis contra nos.* Et contra in maximo & continuo timore & tremore vitam degant omnes impii ſcientes inimicum ſe habere Deum omnipotentem, de quo ſcripſit idem Apoſtolus: *Horrendum eſt incidere in manus*
Hebr. 10. *Dei viventis* & omnipotentis.

I. Eſt-ne igitur Pater Filio, aut ſancto Spiritu potentior?

Patri omnipotentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas attributa.

R. Nequaquam; nam quemadmodum Deum Patrem, ac Filium, ac Spiritum ſanctum unum Deum, non tres Deos eſſe dicimus: ita æquè Patrem ac Filium ac Spiritum ſanctum omnipotentem: neque tamen tres omnipotentes, ſed unum omnipotentem eſſe confitemur. At verò præcipuâ quâdam ratione Patrem, quia omnis originis fons eſt, hoc nomine vocamus, ut etiam Filio, qui Patris verbum eſt: *Sapientiam*: & Spiritui ſancto, qui utriuſque amor eſt, *Bonitatem* tribuimus: quamvis hæc & alia ejuſmodi, nomina communiter in tribus perſonis ex Catholicæ fidei Regula dicantur.

I. Quando Deus maximè manifeſtavit omnipotentiam ſuam?

R. Quando cœlum & terram ex nihilo fecit, quod ſignificatur per verbum, *Creatorem cæli & terræ.*

I. Quid eſt hoc, *Creatorem*?

R. Hoc eſt, Dominus noſter qui eſt *Creator quis dicatur.*
omnipotens, ex nihilo fecit cœlum & omnia quæ ſub cœlo ſunt; & fecit non ſolum ſine præcedente materia, ſed etiam ſine adjutore, ſine inſtrumentis, ſine labore, ſolo voluntatis ſuæ imperio. *Dixit* Pſ. 148.
enim & facta ſunt omnia, mandavit & creata ſunt.

I. Solus-ne Pater eſt *Creator cæli & terræ?*

R. Nequaquam, ſed omnes tres perſonæ crearunt cœlum & terram. Manifeſtum hoc eſt; nam creatio eſt effectus omnipotentiæ, quam diximus communem eſſe tribus perſonis, cùm ſit attributum eſſentiale ipſi naturæ & quod extra ſe operatur Deus, hoc operatur æqualiter tota ſimul Trinitas. *Omnes tres perſonæ Deitatis ſunt Creator.*
Huc faciunt ſcripturæ: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Et, *Spiritûs Domini ferebatur ſuper aquas.* Et. Joan. 1. Gen. 1.
Verbo Domini cæli formati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Pſ. 32.

I. Cur ergò ſpecialiter dicitur de Patre, quod ſit *Creator cæli & terræ?*

R. Quia, uti ſuprà, Pater eſt origo & principium duarum aliarum perſonarum, & conſequenter, uti talis, omnium creaturarum quæ ex nihilo ſunt productæ.

I. Habes-ne exemplum alicujus magni, qui omnipotentiam Dei agnovit & profeſſus eſt?

R. Ita. *Canutus Daniæ Rex & Angliæ.* *Exempli*

ſedili

Digitized by Google

Polydor. Vergil. ex Chron. Germanorum.

ſedili in littore poſito dixiſſe fertur: Mare Regni mei pars es, itaque mihi obtemperes: ſed illud mox impetu facto ſinum ejus undis perfudit. Quare territus Rex de ſolio ſurrexit; Vana, inquiens, omnium Regum poteſtas, & ſolus Deus omnipotens; ac coronâ cruci impoſita poſtea pietatis ac modeſtiæ cultor extitit.

I. Quid eſt hoc: *Cœli & terræ*?

R. His duobus nominibus comprehenduntur omnia opera Dei; cœlum enim complectitur omnia opera incorruptibilia; terra verò omnia corruptibilia: & prætereà cœlum eſt quaſi palatium Angelorum, terra palatium hominum, propter quas nobiliſſimas creaturas facta ſunt omnia reliqua.

I. Cur Deus fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt.

Cur Deus creavit omnia.

R. Jam diximus, propter Angelos & hominem. Nimirum, ut communicaret ſe bonitas Dei extra ſe; ut ſingulis rebus veſtigium aliquod ſuæ bonitatis, ſapientiæ & potentiæ imprimeret; ad provocandum præcipuè hominem (de quo nobis principalis ſermo) ad redamandum eum, in quo quidem totum bonum, & perfectio hominis conſiſtit.

Suprà lect. 1. prælud.

I. Creavit-ne Deus aliquâ neceſſitate compulſus cœlum & terram?

R. Minimè. Nam Dei natura ipſa per ſe beatiſſima, nullius rei indigens eſt, ut inquit David: *Dixit Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Pſ. 148.

I. Quod verò exemplum, aut quam formam ſecutus eſt Deus, quando quæcumque voluit, fecit.

R. Nullum exemplum, nullam formam. Nam rerum omnium exemplar divinâ intelligentiâ continetur, quod ſummus artifex in ſeipſo intuens, ac veluti imitatus, ſummâ ſapientiâ ac infinitâ virtute, quæ ipſius propria eſt, rerum univerſitatem initio procreavit. *Ipſe enim dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt*, ut ſuprà dictum eſt.

S. Th. 1. p. q. 44.

I. Sed cur in Symbolis Nicæno & Conſtantinopolitano addita ſunt verba iſta: *Viſibilium omnium & inviſibilium*;

R. Id factum eſt contra Manichæos, qui duos rerum omnium conditores ponebant; alterum quidem Deum malum rerum viſibilium conditorem; alterum Deum bonum inviſibilium rerum auctorem; quos duos auctores æternas virtutes appellabant. Ita Simon Magus, Seleuciani, Caini, Sethiani, & alii Pytagoram ſecuti, de quibus Auguſtinus, & Epiphani de Hæreſibus.

Manichæorum deliria.

I. Diligenter-ne & ſtrenuè oppoſuerunt ſe Sancti contra hæc deliramenta?

R. Ita. Sanctus Petrus Martyr Ordinis Prædicatorum. *Vide Breviarium Romanum 20. April.*

LECTIO QUINTA.

De Angelis.

I. Quæ eſt creaturarum cœleſtium nobiliſſima?

R. Angelus.

I. Creavit-ne etiam Deus Angelos?

R. Ita. Et hoc eſt quod in Symbolo Miſſæ dicitur propriè ſub hoc verbo: *& inviſibilium* quaſi dicat Deus fecit cuncta *viſibilia*, & in illis hominem tanquam illius generis rerum caput: & cuncta etiam *inviſibilia*, quia ſunt Spiritus, ſive Angeli.

De Angelis S. Tho. 1. p. q. 36. uſque ad 65.

Ubi autem in hoc noſtro Apoſtolorum Symbolo comprehenduntur Angeli?

R. Sub iſta voce, *cœli*; ubi nimirum dicimus, quod Dominus Deus Creator ſit *cœli*, & incolarum ejus, ad modum Moyſis, qui ſimili phraſi Gen. 1. ſcribere incipit: *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

I. Sunt-ne Angeli corporei?

R. Minimè: nam dicit Pſalmus: *Qui facit Angelos tuos*, id eſt, nuntios ſive apparitores ſuos, *Spiritus*; *Spiritus autem carnem & oſſa non habet*, ut ipſe Salvator noſter profitetur. Et Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*,

Pſ. 103.

Angeli ſunt incorporei.

Luc. 24.

Digitized by Google

guinem; ſed adverſus Principes & Poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Epheſ. 6.

Quid igitur ſunt Angeli?

Angeli quid? R. Sunt creaturæ, ſive ſubſtantiæ intellectuales, incorporeæ, ſuæ poteſtatis, arbitrioque liberæ, Dei miniſtræ, per gratiam, non per naturam immortalitatem conſecutæ. *Vel*, ut Auguſtinus lib. de cognit. veræ vitæ tom. 9. *Angelus eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis.* *Damaſc. l. 2. de Fid. c. 3.*

I. Sunt-ne Angeli naturâ præſtantiores hominibus?

R. Ita. Hoc apertè continetur in Pſal. 8. *Minuiſti eum* (hominem) *paulò minùs ab Angelis.*

I. Cur Deus creavit Angelos?

Angelorum officia bipartita. R. Hoc tantundem eſt ac ſi petas, quæ ſint Angelorum munera & officia? Itaque diſtingui poſſunt Angelorum officia, & bipartiri ſic, ut alia Deum ſpectent, alia homines.

I. Quæ igitur ſunt Angelorum in Deum officia?

Primum Angelorum officium. Cantores ſunt. R. Primum & principale eorum munus eſt, Deum ſemper amare, & nunquam non laudare, ſic ariant, ut pervigili & inſopitâ laudis harmoniâ colludent. *Concentum cœli quis dormire faciet?* Quærit Job. cap. 38.

I. Sed quid canunt Angeli, & quis audit cantantes.

R. Iſaias audiit, & cœleſtis illius odarii verba deſcripſit c. 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ ejus.* Hoc idem ſacrum triſagion canunt irrequieta illa & inſomnia animalia, quæ vidit & audiit *Muſica cœleſtis.* Angelus Apoc. c. 4. *Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui eſt, & qui venturus eſt.* Et hos Angelorum in cœlo concentus Joannes chariſſimus Diſcipulorum audiit Apoc. 5. *Et vidi, ait, & audivi vocem multorum Angelorum in circuitu throni, & animalium & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magnâ: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & benedictionem.* Vide etiam cap. 7. ejuſdem Apoc.

Affectus. O Filioli mei, quàm ſuavis, quàm amœna hæc Muſica! O cœlum! ô domus voluptatis & gaudii! *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te!* *Pſ. 86.* Quis non nauſeatet vel etiam ſuaviſſimos hominum concentus velut inconditos pecudum mugitus, cùm de te, tuaque cogitat æternæ dulcedinis Symphonia; Sed, & ſi quis conferat nobiliſſimos hoſce cantores cum tot impiis in terra hominibus, tot damnatis ſub terra diabolis, & ſpiritibus qui nefariis execrationibus & blaſphemiis continuis eundem optimum Dominum inceſſent æternum; quàm, heu! quàm diſparem inveniet beatorum ac damnatorum pſalmum?

Nobiliſſimum officium eſt decantare laudes Dei. I. Magnine momenti eſt officium illud laudandi, & in æternum cantandi lætiſſimum illud celeuſma, *Sanctus, &c.*

R. Ita. Tanti Deus hoc aulæ ſuæ officium facit, ut ſupremum Angelorum & nobiliſſimos voluerit illius eſſe præcentores. Divinum illud melos *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Seraphini præcinunt, Iſaia teſte, & dum canunt, volant, uti per aerem cantando alaudæ aſcendunt.

I. Quid tu dicis, *ſupremos Angelorum*, ſuntne igitur alii aliis ſuperiores aut nobiliores?

R. Sunt, procul dubio; Nam in tribus hierarchiis novem Angelorum Choros recenſent communiter Theologi, & hoc modo illos ſuis hierarchiis aſſignant.

Prima Hierarchia continet Choros tres.

- Seraphinorum. Iſaiæ 6.
- Cherubinorum. Gen. 3. Pſal. 17. & 79. Ezech. 28.
- Thronorum. Coloſſ. 1. Gregor. hom. 34. ſup. Evang.

Secunda continet Choros tres.

Dominationum. Coloſſ. 1.
Virtutum. Pſal. 148. Epheſ. 1.
Poteſtatum. Coloſſ. 10. S. Bern. l. 5 de conſid.

Tertia ſimiliter tres.

Principatuum. Coloſſ. 1. Epheſ. 1 Pſal. 23.
Archangelorum. 1. Teſſal. Judas in canon.
Angelorum. Per omnes ſcripturas.

I. Quid hoc ſibi vult quod ſupremi & nobiliſſimi Angelorum laudis præconia Deo concinunt?

Qui laudes Dei canit, ejus amore exardeſcere debet inſtar Seraphinorum

R. Ignitorum hoc eſt officium, & Dei amore ardentium, qui ſunt Seraphini; ut nos ipſi priùs diſcamus Dei amore exardeſcere, & tunc laudis obſequia perſolvere. Et nota, dum Seraphini canunt, volant, quod eſt ſummi deſiderii argumentum, & ardentiſſimi affectus Deum ardentiùs atque ardentiùs amandi, & ſic quaſi propiùs ac propiùs accedendi: interim pedes convelant, & faciem ſummæ reverentiæ ſigno. Nimirum, omnibus Deum precaturis hæc duo maximè neceſſaria ſunt, *Reverentia & amor.* Hæc faciunt ſummi Angeli, quid nos vermiculi? Ardent Seraphini dum laudant Deum, & tu friges? Ipſi tremunt, & tu nullo pudore afficeris? Ipſi volantes accedunt propiùs, & tu ſegniter agis, nullo mentis greſſu de virtute in virtutem procedens?

Affectus.

I. Nunquid Sancti officium divinum magno fervore perſolvebant?

Exemplum.

R. Maximo. Sancta Lutgardis Pſalmos in Choro decantans tantò id ardore faciebat, ut aliquando viſa ſit flammam ignis ex ore in aëra ejaculari. *l. 2. c. 18. vita ejus.*

Alternis choris officium

Nota rurſum, Seraphini illi apud Iſaiam duobus choris cantabant, prout etiam aliàs B. Martyr Ignatius vidit Angelos alternis ordinibus, ſimiliter Deo occinentes; quorum nos in Eccleſiis exemplum ſequimur, dum alternis choris horas canonicas, nocturnas pariter & diurnas hinc & inde decantamus.

Dei cantandi mos à Seraphinis profluxit.

I. Age modò, quod eſt alterum Angelorum officium?

2. Angelorum munus, Oratores ſunt.

R. Alterum Angelorum munus, *Oratores ſunt.* Quid cauſæ eſt, putas quod Angelos in ſcala aſcendentes & deſcendentes vidit Jacob, niſi quod continuò illi aſcendunt preces & vota noſtra divinæ Majeſtati oblaturi, gratiamque rurſum & benedictionem impetratam nobis relaturi? Vide Aug. ſoli. c. 7. Hinc orat in hunc modum Eccleſia. *Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ.*

In canone Miſſæ.

I. Poſſeíne idipſum aliquo exemplo confirmare?

R. Omninò. Unus aliquis ex Angelis primarius. Tob. 12. *Ego,* inquit, *obtuli orationem tuam Domino.* Hoc ipſum alius Cornelio Centurioni affirmans Act. c. 10. *Orationes tuæ,* inquit, *& Eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Narrat ille arcaniſſimorum conſcius Joannes Apoc. 8. *Stetit Angelus ante Altare habens thuribulum aureum, & data ſunt ei incenſa multa ut daret de orationibus Sanctorum omnium.*

Affectus.

Admiramini, (Filioli mei) admiramini ineffabilem Dei miſericordiam, qui non contentus eo, ut orari velit à nobis, & toties pollicitus ſit, orationes noſtras ſe exauditurum; etiam Angelos conſtituit Oratores, & quaſi cæli & terræ internuntios, & regios curſores, qui è cœlo litteras ferant in hanc vallem miſeriæ, & hinc ab hominibus illuc referant reſponſa.

I. Quod eſt Angelorum tertium munus & officium?

3. Officium, Legati ſunt.

R. Legati ſunt, idque in ſummi momenti negotiis. Cùm Dei Filius hominem indueret, cùm è ſepulchro ad vitam rediret, cùm à nobis in cœlum abiret, prompti atque parati erant ad omne obſequi-

ſequium Angeli. Vide cap. 2. Ep. ad Heb. Gen. 9. Dan. 9. Luc. 1. & 2. Matth. 2. & 28. Joan. 20.

I. Quod eſt quartum?

4 Protectores ſunt. R. Protectores ſunt. Regius Pſaltes Pſal. 90 *Angelis ſuis* (inquit) *mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Vide Bernardum ſuper hunc Pſalmum. *Videte* (inquit Salvator noſter) *ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt.* Vide ſuper hoc comment. S. Hieronymi. *Matt. 18. v. 10.*

I. Fuitne hæc jam olim ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Fidelium opinio de Angelo Cuſtode.

R. Fuit. Vide cap. 12. Actuum Apoſtolorum v. 15. & in Actis S. Agnetis: *Mecum habeo corporis mei Angelum cuſtodem, &c.* *Breviar. Rom.*

I. Sed quæ ſunt Angeli tutelaris in clientem obſequia?

Angeli cuſtodis in clientem officia. R. Angelus tutelaris naſcentes nos in ſuam fidem recipit, & quæ in Raphaële Archangelo Tobiæ junioris comite velut in imagine bonus Deus Angelorum in nos beneficia expreſſit, eadem humaniſſimè nobis confert. Lege hiſtoriam illam: & Nota *qualiter* Angeli duo domum Loth à nefariorum hominum impetu ſervaverunt immunem, Gen. 19. *Qualiter* etiam Angelus Gedeoni animos addiderit, hortatuſque ſit ut fortiter ageret pro liberatione populi Dei. Jud. 6. *Qualiter* Angelus etiam ſolatus ſit mæſtum, & ex itinere laſſum. 3. Reg. 19. *Qualiter* liberarit tres pueros de camino ignis. Dan. 3.

Qualiter in lacu leonum Danielem Prophetam ſervavit illæſum. Dan. 10. 11. 12.

Qualiter S. Joſephum de receſſu in Ægyptum cum *Maria* Matre, & puerulo *Ieſu* admonuerit. Matth. 2.

Qualiter tres Magos, ut per aliam viam redirent in regionem ſuam, induxerit.

I. Quid verò debemus Angelo noſtro tutelari pro omnibus illis obſequiis.

R. *Reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia.* Bern. ſup. Pſal. *Qui habitat.* *Quid Angelo ſuo debent clientes?*

I. Habeſne ad manum exemplum alicujus Sancti qui ſuum Angelum valdè obſervaverit? *Exemplum.*

R. Habeo. Abbas quidam rogatus quâ potiſſimum ratione ſeſe intra virtutis tramitem contineret, reſpondiſſe fertur: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.* Ipſum ergo revereor, ipſum intueor, ut qui greſſus meos obſervet, aſcendatque ad Deum quotidie dicta factaque mea relaturus. Quæ ſanè hiſtoria conformis eſt gloſſæ S. Hieronymi ſuper Eccleſ. 5. *Ne dixeris peccavi & quid mihi accidit triſte?* (inquit S. Doctor) *in ventum dicta abeunt, ſed à præſente Angelo, qui unicuique noſtrum adhæret comes*, ſtatim perferuntur ad Dominum. *Pſal. 1. In Vitis Patrum.*

Joannes Carrera caſtiſſimus juvenis, inflammato ſemper ſtudio ergà tutelarem Angelum ferebatur; cùm hoc erat tanto tamque familiari conjunctus uſu, ut velut cum intimo amico ſua conſilia ſermoneſque conferret, ſæpè ad eum de rebus ſuis dubiis arduiſque referret, ſæpè interrogaret exquireretque conſilium. Denique in S. Angeli familiaritatem venerat, ut ab eo quotidie horis antelucanis ad orationem excitaretur è ſomno. Quamquam hanc aliquando Angelus conſuetudinem intermiſit, quod excitatus à ſe, . . languore victus non è cubili protinus ſurrexiſſet. Sed, ſi hæc culpa fuit, certe per dies plurimos occultante ſe Angelo pœnas dedit. Cujus præſentiæ deſiderio multis ad Deum placandum precibus ac jejuniis adhibitis, tandem aliquando, quod amiſerat, recuperavit. Receptum in priſtinam familiaritatem Angelus monuit idcircò ſuam occultaſſe præſentiam, quod ad orationem ſe ſuſcitantem non protinus audiſſet; Denique ab eo pœnas voluiſſe repetere, ut documen- *Exempla Hiſt. Societ. l. 18. c. 66.*

Digitized by Google

mentum ei eſſet in poſterum, ne in ſurgendo moras necteret.

I. Unde putas tanta cum Angelis huic adoleſcenti familiaritas?

Caſtitas Angelis grata. R. Ex incontaminatæ (uti credo) vitæ caſtimonia; erat enim (uti habet hiſtoria) admodum caſtus. Sanè plurimum intercedit beatiſſimis illis ſpiritibus cum hominibus caſtis commercii.

I. Ægrè ne ferunt Angeli noſtri tutelares ſi quid ingenuo pudori contrarium admittatur?

R. Ferunt ægerrimè: ſunt enim mundiſſimi ſpiritus atque ab omni impuritatis labe alieniſſimi. Vide cap. 4. vitæ S. Franciſcæ Romanæ in floribus Sanctorum Ribaden. *ô Iuvenes, ô pueri, ô puellæ, caſtitatem diligite, ſi Angelos amatis, &c. & ſi eorum cura eſſe velitis.* *Affectus.*

I. Gaudentne Angeli ſi quem rectè vitam inſtituere vident?

Luc. 15. R. Maximè, præſertim verò *gaudium eſt coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Ut meritò dixerit Bernardus: *lachrymæ pœnitentium vinum ſunt Angelorum.*

I. Suntne etiam loca ſancta, ut puta templa, Oratoria, Altaria ſub Angelorum cuſtodia & defenſione?

Exempla. Ado Viennenſis in ſ. Chronic. ætat. 6. ſub anno Domin. 775. R. Ita. *Anno Incarnationis Domini 774. pius Rex Carolus in Italiam profectus eſt, atque dum ibi eſſet, Saxones ad præſidia Francorum cum exercitu exeuntes obſidentesque quoddam caſtellum Buriaburg, quamdam Eccleſiam concremare à foris à caſtello voluerunt, quam ſacraverat B. Bonifacius Martyr. Subitò autem apparuerunt duo Iuvenes miræ claritatis & candoris, videntibus tam Chriſtianis quàm paganis, qui ipſam Eccleſiam defendere videbantur. Horum aſpectu terribili perterriti Saxones in fugam verſi ſunt; ſicque caſtrum illud ab obſidione liberatum.*

In vitis Patrum. *Abbas Barnabas aſcenderat è ſpelunca ſua ad monaſterium Turrium; & cùm fuiſſet ibi aliquantulum temporis, quidam alius Anachoreta abiit ad ſpeluncam ipſius, ingreſſuſque vidit Angelum Dei ſtantem ſuper altare quod fecerat ſenior atque ſacraverat; atque ad Angelum: Quid hic agis? Cui Angelus ille; ex quo ſanctificata ſunt iſta, à Deo ipſo mihi credita ſunt.*

I. Habentne etiam urbes & pagi ſuos Angelos tutelares?

R. Habent. *Pater Petrus Faber Sacræ Theologiæ in Societate* JESU *Profeſſor, cùm ex Germania, ubi gloriæ æterni Numinis amplificandæ non incaſſum inſudaſſet, diſcederet; perque Genevenſem Diœceſim natale ſolum viam faceret, jucundo identidem ſermone uſurpabat, quod trajectis quamplurimis hæreticorum finibus, miram animi jucunditatem hauſerit, propterea quod quamcumque permeans provinciam, tutelares earum Angelos ſalutaſſet, quos ſibi fuiſſe propitios perſenſerat, ſive ad declinandas hæreticorum inſidias, ſive ad reddendas plurimorum animas leniores, & ſalutaris doctrinæ percipiendæ capaciores.* Franciſcus de Sales Epiſcopus Genevenſis in Libello quem ſcripſit de vita piè inſtituenda, cap. 16.

LECTIO VI.

I. PRoſequamur nunc, & dicito mihi, quod eſt quintum, quod nuper referebas Angelorum officium? *5. Angelorum officium.*

R. Apparitores ſunt & Divinæ juſtitiæ executores. *Apparitores ſunt & divinæ Iuſtitiæ Executores.*

I. Habeſne ejus rei exempla ex ſcripturis ſanctis?

R. Plurima. In ſubverſione Sodomæ, Angelorum opera uſus eſt Dominus Deus, *Geneſ. 19.* In exterminatione primogenitorum *Exod. 12.* In ſubmerſione Pharaonis & exercitus ejus in mari rubro, *cap. 14.* Angelus ſeptuaginta millia Iſraelitarum triduo peſte necavit, ob Davidis peccatum; cumque Jeruſalem etiam eâdem luce laboraret, *miſertus Dominus ſuper magnitudine mali, imperavit Angelo qui percutiebat: ſufficit, jam ceſſet manus tua.* *Exempla.* *1. Paral. 21 & 2. Reg. 24.*

Digitized by Google

tua. Levanſque David oculos ſuos, vidit Angelum Domini ſtantem inter cœlum & terram & evaginatum gladium in manus ejus, & ceciderunt tam ipſe quàm majores natu veſtiti ciliciis proni in terram. Angelus Herodem veſte Regiâ nitentem, pro tribunali ſedentem & concionantem ad populum *percuſſit, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus, expiravit.* Angelus unicus magnum mare Aſſyrii ſanguinis fudit: *dejecit caſtra Aſſyriorum & contrivit illos Angelus Domini.* Eccl. cap. 48. Percutiens in caſtris Aſſyriorum una nocte centum octoginta quinque millia. 4. Reg. 19. Sunt nimirum Angeli milites Dei. *Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. In conſummatione ſaeculi exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis.*

Act. 12.

Angeli ſunt Dei milites.

Pſal. 149.

Matt. 13.

I. Non habes etiam hiſtorias ſacras ad eamdem rem comprobandam?

R. Habeo. *Anno Domini* 680. *menſe Iulio, poſt Lunæ eclipſim, peſtis ingens vaſtavit Romam, & alias nonnullas Italiæ civitates: tantaque fuit multitudo morientium, ut etiam parentes cum filiis, atque fratres cum ſororibus, bini per feretra poſiti apud urbem Romam in ſepulchra deducerentur. Tunc viſibiliter multis apparuit, quia bonus & malus Angelus noctu per civitatem pergerent, & ex juſſu boni Angeli malus Angelus, qui videbatur venabulum in manu ferre, quoties de venabulo oſtium cujuſque Domus percuſſiſſet, tot de eadem domo die ſequenti homines interirent. Tunc per revelationem cuidam dictum eſt, quod peſtis ipſa prius non quieſceret, quam in baſilica, quæ Beati Petri ad vincula dicitur, Sancti Sebaſtiani Martyris altarium poneretur, factumque eſt, & delatis ad urbem Romam Beati Sebaſtiani Martyris reliquiis, mox, ut in jam dicta baſilica altarium conſtitutum eſt, peſtis ipſa quievit. Prætextata nobiliſſima quondam fœmina, jubente viro Hymetico, qui patruus Euſtochii Virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit, & neglectum crinem mundano more texuit ſibi, vincere cupiens & virginis propoſitum, & matris deſiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune auſa es viri imperium præferre Chriſto? tu caput Virginis Dei, tuis ſacrilegis attrectare manibus? quæ jam nunc areſcent, ut ſcias excruciata quid feceris: Et finito menſe quinto ad inferna duceris; ſin autem perſeveraveris in ſcelere; & marito ſimul orbaberis & filiis. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignavit interitus. Sic ulciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas & pretioſiſſima ornamenta defendit. Ex hoc retuli, non quod inſultare velim calamitatibus infelicium, ſed ut moneam cum quanto metu & cautione ſervare debeas quod Deo ſpopondiſti.*

Paulus Diac. l. 6. c. 5. apud Baron. to. 8. anno Domini 680.

S. Sebaſtiani Reliquia.

Hier. ep. ad Læt. apud Baron. tom. 2. anno 381.

Ipſa moles Hadriani Imper. Romæ idcircò caſtrum S. Angeli dicitur, quod tempore Gregorii Magni in ejus cacumine Angelus viſus ſit exſertum gladium in vaginam recondere magnâ hominum multitudine, jam peſte, ob eorum ſcelera, extinctâ, in ſymbolum divinæ mox ceſſaturæ vindictæ.

Baron. ad an. Dom. 590.

I. Quid ex omnibus hiſce hiſtoriis, & exemplis excerpis utilitatis?

R. Illud ſanè, ut mihi perſuadeam Angelum tutelarem ſic hominibus improbis formidandum eſſe, ut piis & Deum timentibus amandum.

I. Numquid etiam ſummoperè cavendum eſt nobis, ne proximo ponamus offendiculum, idque ob reverentiam Angeli ejus tutelaris?

Angeli timendi malè agentibus.

R. Planè; & hoc eſt quod ſubmonebat Dominus: *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*

Matt. 18. v. 10.

I. Malè-ne habet Angelos ſi viderint homines peccare, aut etiam alios ad peccatum inducere?

R. Ita;

Digitized by Google

R: Ita; non ſic tamen quod triſtitia aliqua, aut aliquo paſſionis motu affici poſſint, *cùm ſemper videant faciem Patris cœleſtis*, ut jam ſuprà proximè dictum eſt, adeoque non poſſint non eſſe omni tempore Beatiſſimi; ſed quod zelo honoris Dei tranquilliſſimo & pacatiſſimo ſic agantur, ut eos (ſi humano modo loquamur) triſtari & affligi quodammodo dixeris.

I. Solentne Angeli boni infirmos & morientes viſitare?

Angeli morientes viſitant.
Sur.15. Aug.to.4.

R. Solent. *Anno Domini 1087. ex hac vita diſceſſit Arnulphus Sueſſionis Epiſcopus decimo octavo Calendas Septembris vigeſima die poſtquam diſcubuit, qui tum erat feria ſexta, ſub noctis medio cella in qua jacebat mirabili tremore, & horribili fragore tertiò concuſſa eſt, ita ut à fundamentis everti videretur, & Monachi*

Exemplū.

cum famulis, qui apud illum excubabant, intolerabili perculſi timore, cellaque ruinam formidantes aufugere percuperent. At illos vir Dei verbis conſolatus hortabatur, ut ſe quieti darent, certè nihil ipſos incommodi eſſe paſſuros. Ait autem ad eum Everolphus Presbyter: Domine mi, terra contremiſcit, cella colliditur, oſtium à me jam tertiò obſeratum pateſcit, turbarum murmure locus circumſonat, & quomodonam inter tot terrores non poſſumus ſomnum capere? Reſpondit vir Dei: ne paveas, dilecte frater; ſunt enim hæc omnia divinæ Majeſtatis ſigna; porrò poſt paulùm dicam tibi, quæ vis cellam quaſſaverit, & hunc terræ motum effecerit. Proximo inde Sabbatho ſentiens mortem imminere, dixit fratribus; parate jam funeri neceſſaria, nam ſub noctis initium diſcedam, ut mihi Dominus, cui pro viribus ſervire conatus ſum, heſterna nocte revelavit, cum illum terræ motus & aeris concuſſio fragorem cellæ excitarent. Sub prima enim quaſſatione B. Petrus Apoſtolus ad me venit, ſignificans mihi peccata remiſſa, & vitæ januam patere: aderat B. Petro frequens cœtus laudes divinas continenter modulantium; ſub altera quaſſatione cum multis Angelicis ſpiritibus Sanctus Michael me inviſit, pollicens ſe duce ad beatam vitam me ingreſſurum. Tertia quaſſatione adfuit Domina noſtra, vera miſericordiæ Mater, multis ſtipata ſanctarum Virginum agminibus, benigniſſima me voce certiorem efficiens de anima mea inter Aſſumptionis gaudia in cœlum efferenda. Notandum hîc eſt particularem fieri Sancti Archangeli Michaelis mentionem; tribuit enim id ei Eccleſia in officio ejus decantans Antiphonam illam: *Archangele Michael conſtitui te Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas.*

I. Habeſne exempla eorum qui ſingularem honorem habuerint Angelis, & S. Michaeli?

Cap. 2. vitæ.

R. Ita, Sanctus Franciſcus, de quo ita ſcribit Sanctus Bonaventura; *Angelicis ſpiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum & electorum animas inflammandum, inſeparabili erat amoris vinculo copulatus, & ob devotionem ipſorum ab Aſſumptione Virginis glorioſæ quadraginta diebus jejunans, orationi jugiter inſiſtebat. Beato Michaeli Archangelo, eò quòd animarum præſentandarum haberet officium, ſpeciali erat amore devotior, propter ſervidum quem habebat zelum ad ſalutem omnium ſalvandorum. Iuſtinianus Imperator militiæ cœleſtis ſummo Principi Michaeli pluribus in locis erexit Eccleſias, probè ſciens ſe, ſi talem, tantumque ſibi conciliaret, qui rebelles Angelos cientes in cœlo prælium ſuperaſſet, certam ſecuramque de vincendis Wandalis poſſe habere fiduciam.*

In locis ſacris libenter verſantur Angeli.

I. Quibus potiſſimum in locis lubentiſſimè verſantur Angeli?

R. In ipſis Eccleſiis & circa altaria & Miſſarum Sacrificia. Vide Lucam cap. 1. num. 11. & Apoc. 8. *Quis fidelium habere dubium poſſit, ipsâ immolationis horâ ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſumma ima ſociari, terrena cæleſtibus jungi, unum quoque ex viſibilibus, atque inviſibilibus fieri?*

S.Greg. lib. 4. dial. cap. 58. Epi. ad Anaſt. Epiſc.

Vidit

Vidit aliquando Sanctus Chryſoſtomus teſte B. Nilo ejus diſcipulo, Presbyteris Euchariſtiam diſtribuentibus, Angelos auxilium ferre. Unde D. Bonaventura: *ad Miſſas* (inquit) *libenter miniſtra, quia hoc eſt officium Angelorum: ipſi enim Deo ſuo miniſtrant devotiſſimè.* Sanctus Ambroſius in cap. 1. Luc: *Non dubites* (ait) *aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus immolatur.* S. Chryſ. l. 6 de Sacerdot. ait: *Altare Angelorum choris plenum eſſe, qui clamores excitant dum Chriſtus immolatur.* Cùm aliquando die Paſchæ in Eccleſia B. Mariæ Majoris Greg. I. Pontifex celebraret, & *pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, dixiſſet, Angelus Domini alta voce reſpondit, *& cum ſpiritu tuo.* Propter quod Papæ ipſa die ibidem celebranti, & *Pax Domini, &c.* dicenti, nihil reſpondetur, *inquit Ioan. Diacon. in vita S. Gregor.*

Exempla.

F. Ioannes de Parma Generalis Franciſcanorum horâ conſtitutâ venit ad ſacrificãdum, nec comparebat frater miniſtraturus: mox adeſt Angelus, & fit miniſter vultu ac veſte referens religioſum. Sacrificio finito venit frater, rogatque, placetne, Pater mi, Sacrum facere? Tum vir Dei cognovit Angelum, non religioſum, Sacro miniſtraſſe. Ita habent eorum Chronica, to. 1. l. 1. c. 17.

S. Angeli Sacro libenter miniſtrant.

B. Angelica de Fulginio nobilis Itala marito è vivis ſublato, vidua permanſerat ſanctitate admirabili prædita, paſſioni Chriſti ſemper intenta; de qua refert auctor vitæ ejus Ordinis Franciſcanorum, cũ eſſet in templo quodam, ut Sacrum audiret, vidiſſe Chriſtum ad Venerabile Sacramentum venientem cum ingenti cœleſtium ſpirituum comitatu. Teſtatur illa, exercitum illum tam numeroſum fuiſſe, ut ipſi videretur infinitus; & niſi aliundè ſciviſſet Deum omnia in pondere, numero & menſura feciſſe, infinitum crediſſet.

I. Suntne Angeli magno numero?

R. Planè maximo, ut ex propè allato exemplo patet, & ex Dan. cap. 7. ubi dicitur: *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Quaſi dicat; plurimi & quaſi innumerabiles Angeli aſſiſtebant ei. Hinc S. Dion. & Theologi docent numerum Angelorum propriè quidem non eſſe infinitum, ſed limitatum & finitum, eundem tamen eſſe plurimum & hominibus incomprehenſibilem, ac ſuperare numerum rerum creatarum: adeò ut idem S. Dion. cœleſt. Hierarch. 13. & 14. aſſerat eum ſoli Deo eſſe cognitum. Sanctus Ambroſius explicans parabolam ovis centeſimæ perditæ & reductæ à Chriſto, Luc. 15. innuit omnes homines eſſe centeſimam portionem numeri Angelorum; Vide Greg. Nyſſ. hom. 1. de creatione c. 18.

Numerus innumerus Angelorum.

I. Cui rei hoc ſervit?

R. Præparat ſanè animos noſtros ad attentionem & humilitatem, cùm ſumus conſcii nos in conſpectu tot Angelorum pſallere Deo noſtro. Vide Bern. de 4. modis orandi.

I. Specioſine ſunt Angeli?

R. Specioſiſſimi omninò & pulcherrimi. Accipe quam ejus pulchritudinis deſcriptionem facit Guillelmus Baldeſanus: *Veſtis, inquit, ſit ex auro ſolido aut contexta radiis topaziorum & Chryſolitorum, exornata Sapphyrorum & Hyacintorum cœleſti colore, Pyropis in purpura ruborem flammantibus diſtincta, interlucentibus puriſſimorum Onichum candidiſſimis radiis, quæ inſtar lactea in cælo via gemmarum ſtellulis completa convertat, & defixos teneat in ſe non oculos modò, ſed etiam animos. Accedat tanta pulchritudo ipſius, vel ut ipſam paradiſi amœnitatem vincat, & Beryllorum & Smaragdorum jucundiſſimam viriditatem: ſic planè ut velut omnium pulchritudinum receptaculum, ſuo ſplendore reliquorum omnium lumen obſcuret.*

Dan. 10. Apoc. 15. 18. 19. Matt. 28. Marc. 16. *Vide Aug. ſer. 14. de Nativit. l. 2. c. 2. ſtim. virt. adoleſc.*

Angelorum pulcherrima & venuſtiſſima ſpecies.

Hæc ipſa eſt (addit auctor) *Angeli ſpecies, aſcititiis coloribus ab Ezechiele depicta, quod vivis exprimi non poſſit. Neque enim dubium eſt, quin neque Smaragdi, neque Pyropi, neque Topazii, neque alia ejus generis gemma in beatarum mentium veſti-*

C. 28. v. 12. 13. 14. 15.

veſtibus viſantur: Sed cùm Prophetæ verba deficerent, quibus ſpeciem, amorem, intelligentiam, reliquaſque Angelorum vires & actiones exprimeret, neque pulchritudinem excellentiſſimam aliter, quàm rerum apud nos pulcherrimarum & ſplendiſſimarum, id eſt, gemmarum appellationibus poſſet oſtendere, ad hæc illi ſymbola, ad hæc fuit confugiendum nomina.

I. Ecquis ejuſmodi ſpeciem Angelorum tam egregiam, tam admirabilem, tam longè ſupra hominem vidit?

R. *S. Franciſca Romana, quæ annis abhinc 180 & amplius, plena ſanctitate, plena gloriâ, plena miraculis diſceſſit, jamque ſolemni ritu in Divorum album relata; hoc præter cætera, maximo à Deo donata fuerat munere, ut ſecum haberet duos ex numero cœleſtium ſpirituum: Alterum ex Archangelorum Choro, qui nunquam ab ea diſcederet; atque inſuper alium ex quarto beatorum ordine, qui non ita quidem aſſiduè, frequenter ſe tamen illi oſtenderet. Hos ſæpè præſentibus aliis, ſed nihil videntibus, hac ferè ſpecie intuebatur: veſtes erant candore plerumque niveo, aliquando cæruleo, rariùs purpureo colore. Alter implexa ſemper in crucis modum brachia pectori apprimebat; alter ex auro tres palmæ ramulos dextera præferebat. Vtrique, quamvis vicini eſſent Sanctæ, in cœlum defixos habebant oculos; utrique promiſſa & aurea cæſaries: utrique ea claritas vultus, ut præ altero, ſol ipſe minùs aliquando lucere: præ altero nubecula inſtar obſcura eſſe videretur.* In Vita ejus.

Exempla.

Mira ſpecies, miraque Angeli habitus.

S. Ioanna à Cruce ſui cuſtodis Angeli conſpectu ſæpè fruebatur ob vitæ innocentiam atque puritatem: ille ſic decorus ac venuſtus apparebat, ut tota in Dei amorem ex ejus raperetur aſpectu. Dicunt autem ſic apparere ſolitum; veſtibus pulchris, phrygio velut opere elaboratis, gemmis margaritiſque nitentibus, ac ſacroſanctæ Paſſionis (cui ipſa addictiſſima erat) myſteria referentibus. Coronam in vertice geſtabat auream, & ex ea crux Angelica fronti imminebat, magnificum ſiniſtrâ labarum habens cum crucifixo quaſi acupicto; quo in corpore ſic ſpecioſus apparebat, ut eum non aliter compellaret, quàm hoc nomine, Divino decor, & cælica venuſtas, & hujuſmodi nominibus ſpeciem ac formam ejus elegantem ſignificantibus.

I. Sunt-ne à nobis honorandi Angeli?

Honorandi Angeli.

R. Sunt planè, eximio honore digni, utpote in quibus divinæ gloriæ claritas multò abundantiùs quàm in cæteris ſanctis refulget.

I. Deone gratum eſt quod honorem Angelis impendamus?

R. Gratiſſimum. Vide in apparitione B. Michaelis Archangeli, *Breviarium Romanum 8. die Maji.*

I. Fuitne pridem hoc in uſu & moribus Eccleſiæ, ut Sancti Angeli honorentur.

R. Ita, in actis S. Eutonomii Epiſcopi apud Surium tom. 8. à temporibus Diocletiani jam extitiſſe in Bythinia S. Michaelis nomine Eccleſiam legimus. Et Procopius numerat ſex baſilicas ab Imp. Juſtiniano in honorem ejuſdem Archangeli excitatas; frequenteſque fuiſſe Eccleſias S. Michaelis, & aliorum Angelorum argumento eſt. L. Quoniam, Codice *de ſacroſanctis Eccleſiis.*

De ædific. Iuſtin.

LECTIO VII.

De Cacodæmonibus.

I. AGe nunc, ecquis eſt cacodæmonis auctor, ſeu quis diabolum creavit?

Videndus Aug. Enchir. 26. & 28 & Damaſc. l. 2. c. 4.

R. Deus omnipotens factor cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Angelos omnes decoros formâ, præſtantes ſapientiâ, & in omni gratia perfectos effecerat, ſed illi pravo liberæ adhuc & in bono minimè confirmatæ voluntatis abuſu deflectentes à rectitudine ſuapte malitiâ in cacodæmones ſeſe transfigurarunt.

I. Qualiter hoc factum eſt?

R. Com-

Digitized by Google

Ezech. 28. Eccli. 10. 1. Timot.

R. Complacuerunt ſibi, & gloriam Deo non dederunt; immò cupiditate amplioris gloriæ incenſi intumuerunt contra factorem ſuum. *Initium* nimirum *omnis peccati ſuperbia*, dixit Sapiens; & Apoſtolus: *Radix omnium malorum cupiditas*, hoc eſt, inordinatus appetitus majoris excellentiæ ſibi indebitæ.

I. Sunt-ne Cacodæmones damnati in æternum, & abſque ulla ſpe veniæ?

Dæmones in æternum damnati.

R. Certū eſt. Vide epiſt. Catholicā S. Judæ, & Proſperū de vita contemplat. l. 1. c. 3.

Quid agunt intereà?

R. Nunquam ipſi ceſſant in iſto miſerabili & damnato otio invidêre ſicut à principio, gloriæ Dei, & hominum, quos ipſorum ruinas implere cernunt, ſaluti & incolumitati; eam ob cauſam hominibus perſuadent ſimiliter per peccatum à Deo apoſtatare, ſicut ipſi fecerunt, atque obedientiæ jugum excutere; ut totum ipſorum ſtudium ſit homines in æternæ damnationis pœnas ſecum pertrahere, ſempiternaque felicitate, quam ſuo vitio ipſi perdiderunt, privare.

I. Verumne eſt unumquemque noſtrûm duos habere aſſignatos Angelos: unum qui ad bonum dirigat, de quo nos ſuprà lect. 5. Alterum verò qui ad malum ſollicitet?

1. Io. 3. 2. *Pet.* 5.

R. Non eſt hoc credibile, cùm ipſe ſatis per ſe paratus ſit ad ſeducendum homines uti ex l. 3. Reg. cap. 22. liquet; ubi ad Achab Regem decipiendum ſe offert ſpiritus nequam dicens: *ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*. Vide hiſtoriam Job. cap. 1. Deinde ſatis homines tentantur à carne, ejuſque malis concupiſcentiis, nec non à mundo, praviſque hominibus, imò potius coerceri à Deo malignos ſpiritus, indicat Scriptura pluribus in locis.

Matth. 8. Job. 1. Tob. 8. Jacob. 1.

Suntne nobis valdè timendi Cacodæmones?

R. admonet Sanctus Ambroſius l. 7. in Luc. cap. 15. & l. 6. cap. 7. plus timendam Dei eſſe offenſam, quàm diaboli potentiam. *Vide S. Aug. ſerm. 167. de tempore in Breviario Rom. Dominic. 4. poſt Pentecoſt.* Sanè ligatum eſſe Satanam teſtatur Scriptura Apoc. 20. adeò quòd ne gregem quidem porcorum ingredi auſi ſint dæmones, niſi Domini noſtri Jeſu Chriſti permiſſu, Vid. *Chriſ. hom. 6. in epiſt. ad Phil.*

I. Habeſne ad hanc rem hiſtoriam aliquam in vitis Sanctorum? Marc. 5.

R. Ita; Vide in vita Sanctæ Julianæ ad 16. Feb.

I. Quibus potiſſimùm prævalêre poteſt dæmonium?

R. *Iis qui ſicut equus & mulus vacant libidini. A quo enim quis victus, hujus & ſervus eſt. Io. 8. 2. Pet. 2.* Tob. 6. v. 17.

I. Numquid non faceſſit etiam interdum negotium diabolus viris timoratis & bonis, Deo ita permittente?

R. Ita. Torquent homines malos uti divinæ juſtitiæ executores; bonos verò exercent, ut ipſorum virtus eniteat, & cùm probati fuerint, accipiant coronam gloriæ. Vide Sanctum Auguſtinum l. 20. de civit. Dei cap. 21. & Chryſ. ſuprà.

Diabolus vexat etiam homines probos.

I. Quâ potiſſimùm ratione poſſumus tam potenti inimico reſiſtere?

R. Fide, oratione, jejunio, vigilique curâ & obniſu ad pravas ejus ſuggeſtiones repellendas. 1. Pet. 5.

Quibus armis diabolo reſiſtendum.

I. Habeſne exempla eorum qui egregiè reſtiterunt diabolo?

R. Ita. Primipulus Sanctorum Chriſtus Dominus, S. Antonius, S. Macharius, & plures alii apud Marulum l. 5. cap 7. Lubet hic attexere quod S. Hieronymus in vita S. Hilarionis ſcribit de eo: *Quâdam nocte cæpit infantium audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quaſi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitûs, & prorſus variarum portenta vocum, ut ante ſonitu quàm aſpectu territus cederet; intellexit dæmonum ludibria, & provolutus genibus, Chriſti crucem ſignavit in fronte: talique armatus caſſide, & loricâ fidei circumdatus, jacens fortiùs præliabatur, amodò videre deſiderans quos horrebat audire, & ſollicitis o-*

Exemplum.

 culis

Digitized by Google

culis huc illucque circumſpiciens: cùm interim ex improviſo, ſplendente lunâ cerni rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere; cùmque inclamaſſet Ieſum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis abſorpta eſt. Tunc ille ait: equum & aſcenſorem projecit in mare, &c.

Vide infrà ad ultimam petitionem orationis Dominicæ.

I. Si ſemel diabolum viceris, poſſiſne deinceps dormire ſecurus?

R. Minimè, non enim finis eſt iſtius militiæ ante vitæ ipſius noſtræ finem. Vid. S. Athan. in vita S. Antonii & S. Luc. c. 11. v. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

I. Quis poteſt nos amare contra tam potentem inimicum?

R. Ipſe Deus ter Maximus ſuppeditabit nobis conſilium, vires, animos, & omne genus armorum, ſi cum omni demiſſione animi, ejus imploraverimus auxilium, & dixerimus cum Propheta: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* pſ. 26.

2. Cor. 11. I. Verùm audivi aliquando quòd *Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*, quid conſilii, quomodò diſcernatur bonus Angelus à malo?

R. Vis ſcire quid ſit? Dicit aliquando & agit id quod dicerent aut agerent ipſi Angeli boni, ut taliter fidem multitudinis imperitæ aucupentur ad credendum ea quæ ipſe dicet vel aget. Quo fit ut dæmonibus etiam vera loquentibus non ſit credendum; quemadmodum exemplo ſuo Salvator noſter nos docuit, ſilentium imponendo dæmoniis acclamantibus: *Tu es filius Dei vivi*. Et Paulus Apoſtolus ſpiritum pytonicum dicentem: *Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt*, expellendo, ut nulla cum dæmonibus ſocietas habeatur aut commercium. *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial?*

Marc. 5.

Act. 16.

2. Cor. 10.

2. Cor. 6.

Igitur primò Angelus bonus à malo dignoſci ſolet ex hoc, quòd omnis Angelus homini apparens initio terrorem incutiat (quia inferior natura à ſuperiore ſubigi naturaliter timet) ſed bonus Angelus ſemper ante receſſum conſolationem præbet; malus autem perterritum hominem relinquit. Sicut enim boni ſpiritus eſt illuminare & tranquillitatem animi adferre; ita maligni eſt relinquere in animo tenebras, mœrorem, perplexitatem, turbationem; nam quiſque conſentanea ſibi operatur.

Athan. in vita S. Anton. D. Machar. bo. 7.

Qualiter diſcernatur bonus Angelus à malo?

Secundò, ſi ad præſentiam vel uſum rerum ſacrarum diffugiat, nimirùm ſigni crucis, aquæ benedictæ, nominis Jeſu, B. Virginis Mariæ, aut alicujus Sancti, ſacrarum Reliquarum, ſacræ imaginis, agni Dei, cerei benedicti, ſacræ ſtolæ, &c. Item ſi hæc improbet aut diſſuadeat, indicia ſunt manifeſta dæmonem eſſe.

Tertiò, ſi falſam vel pravam cauſam ſuæ apparitioni prætendat, ut ſi dicat ſe redire imperio alicujus magi: aut ut aliqua revelet quæ frivola ſunt, vel curioſa, vel noxia.

Plura, ſi cupis, habes apud *P. Leſſium. l. 2. cap. 44. dub. 3. num. 25. & Delrio l. 6. cap. 2.*

I. Qualiter conſulet Confeſſarius illis, qui dicunt ſe viſiones aut apparitiones habuiſſe Angelorum?

R. Primò quidem perſuadeat illis, præſertim fœminis (quæ uti mollioris, & curioſioris complexionis magis ſunt obnoxiæ deceptionibus, & neſcio quibus malè fundatis ſpirituum apparentium opinionibus) ne magni æſtiment ejuſmodi ſpirituum viſiones.

Conſilium à confeſſariis dandum iis qui ſe dicunt viſionem Angelorū vidiſſe.

Cùm B. Abraham Eremita per noctis tempus divinas laudes in ſua cella decantaret, adfuit mira claritas quaſi ſolis reſplendentis cum voce dicente: Beatus es Abraham, & non eſt inventus ſimilis tui, qui perfeciſti omnes voluntates meas. At verò vir Dei humillimus, aſtutiam diaboli perſentiens: Obſcuritas tua, inquit, tecum ſit in perditionem O plene fallaciâ, & dolo Ego enim homo peccator ſum. Nihilominus nomen Domini mei Ieſu Chriſti quem ſemper amavi, & cui ſervio, clipeus eſt mihi contra omnes tuas artes & nequitias. His dictis,

Exempla.

dictis, quaſi in fumos abiit teterrimus & longè infenſiſſimus humani generis hoſtis.

Inf. p. 4. ad 4.

S Martinus diabolum auro & purpurâ ſplendidum agnoſcere pro ſuo domino noluit.

Inferni tormentum.

S. Angela fundatrix Societatis Vrſulinarum, dæmoni, in ſpecie Angeli apparenti, induto lumine ſicut veſtimento dixiſſe fertur, cùm eum intueri in terram defixis oculis renueret: Vade in infernum, inimice crucis, & infenſiſſime hoſtis ſervorum Domini Ieſu Chriſti; non enim me peccatricem judicavi dignam viſione angelicâ.

Dum quadam die B. Iordanus Ordinis Prædicatorum Generalis, Bononiæ Miſſam celebraret, tam mirifici odoris fragantiam ſenſit in ſuſceptione Dominici Sacramenti, ut nulli dubium eſſe poſſet hanc non eſſe niſi à Deo, niſi forſan alicui, qui diſcretionem ſpirituum habuiſſet. Os mirè odoriferum per lõgum tempus habebat & manus, ita ut vix ei ſaperet cibus ore ſumptus, palato tamẽ cordis interiùs diſcernebat, quia odor ille recreationem ſpiritui non præſtabat. Abiit ergò Dominum deprecari quid ſibi vellet odor ille reſperſus in vanum, revelatumque eſt ei, quia dæmonis arte ſit geſtum, & facto crucis ſignaculo, mox ceſſavit. Thom. Cantip. l. 2. ap. c. 17. p. 47.

2. Declaretur eis exactè in quo vera & ſincera devotio ſita ſit; quodque res iſtæ etſi fuco carerent, parum admodum ad perfectionem hominis faciant.

3. Si ejuſmodi apparẽtes ſpiritus aliquid præcipiant aut exigant ab ejuſmodi perſonis, nihil illæ concedant, ſed confidenter dicant ſe ad ſuos Confeſſarios rem velle referre, ſeque ab eorum judicio in omnibus velle pendere.

De cacodæmonibus plurà infrà p. 2. c. 9. lect. 2.

LECTIO VIII.

De homine.

HÆc Lectio petenda ex lectione 2. prælud1ali ſupra.

LECTIO IX.

De beneficio creationis & conſervationis.

QUid homo debet Deo ſuo pro beneficio creationis?

R. Opera Dei, quia pro nobis ab ipſo creata ſunt, magnam à nobis gratitudinem depoſcunt, nimitùm memoriam, amorem, ſervitutem ſeu obſequium, & perpetuam cum gratiarum actione, laudem; Deus enim omnia quæ in mundo ſunt, pro nobis non tantùm creavit & conſervat, ſed & aſſiduè laborare nobiſque ſervire facit: nobis enim gyrantur cœli, ſplendet Sol, lucent ſidera, ſpirant venti, coguntur nubes, deſcendunt imbres, aſſurgunt montes, currunt flumina, moventur maria, germinat terra, fœcundatur aqua, & parturit omnis rerum natura. Hæc omnia noſtri cauſa, ut nobis ſerviant & commodent, Deus ſic eſſe, ſic moveri & operari juſſit. Jam, ſi ille totam rerum naturam noſtræ ſervituti addixit, omnis ratio poſtulat, ut viciſſim nos totos ejus obſequio mancipemus. Si illius imperio & impulſu, totus mundus ſine intermiſſione pro nobis laborat, & noſtris commodis dies noctesque ſervit; par eſt ut nos illi totâ vitâ ſine intermiſſione ſerviamus, præſertim cum eo ipſo quo res creatæ nobis ſerviunt, ipſemet nobis ſerviat, & pro nobis aſſiduè in creaturis, & per creaturas laboret. Illa enim ſunt inſtrumenta, ut quæ omnem vim ſuam ab ipſo habeant, & ſine ejus auxilio & cooperatione aſſidua nihil poſſint; Ipſe verò eſt principalis motor, director & auctor omnium commodorum, quæ nobis ex rebus creatis proveniunt. Itaque ſi Deus ipſe pro nobis continuò laborat, ut noſtris commodis ſerviat, quâ fronte nos illi ſervire, & pro ejus gloria laborare recuſabimus. Quidquid eſt vas & figmentum, totum debet figulo, &c. & ad omne ejus obſequium ſervire debet, alioquin verendum

Vide S. Tho. opuſ. de Symbolo.

Simile.

Digitized by Google

oculis huc illucque circumſpiciens: cùm interim ex improviſo, ſplendente lunâ cerni rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere; cùmque inclamaſſet Ieſum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis abſorpta eſt. Tunc ille ait: equum & aſcenſorem projecit in mare, &c.

Vide infrà ad ultimam petitionem orationis Dominicæ.

I. Si ſemel diabolum viceris, poſſiſne deinceps dormire ſecurus?

R. Minimè, non enim finis eſt iſtius militiæ ante vitæ ipſius noſtræ finem. Vid. S. Athan. in vita S. Antonii & S. Luc. c. 11. v. 21. 22 23. 24. 25. 26.

I. Quis poteſt nos armare contra tam potentem inimicum?

R. Ipſe Deus ter Maximus ſuppeditabit nobis conſilium, vires, animos, & omne genus armorum, ſi eum omni demiſſione animi, ejus imploraverimus auxilium, & dixerimus cum Propheta: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* pſ. 26.

2. Cor. 11. I. Verùm audivi aliquando quòd *Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*, quid conſilii, quomodò diſcernatur bonus Angelus à malo?

R. Vis ſcire quid ſit? Dicit aliquando & agit id quod dicerent aut agerent ipſi Angeli boni, ut taliter fidem multitudinis imperitæ aucupentur ad credendum ea quæ ipſe dicet vel aget. Quo fit ut dæmonibus etiam vera loquentibus non ſit credendum; quemadmodum exemplo ſuo Salvator noſter nos docuit, ſilentium

Marc. 5. imponendo dæmoniis acclamantibus: *Tu es filius Dei vivi*. Et Paulus Apoſtolus ſpiri-

Act. 16. tum pytonicum dicentem: *Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt*, expellendo, ut nulla cum dæmonibus ſocietas habeatur aut

1. Cor. 10. commercium. *Quæ enim ſocietas luci ad*

2. Cor. 6. *tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial?*

Athan. in vita S. Anton. D. Machar. ho. 7. Igitur primò Angelus bonus à malo dignoſci ſolet ex hoc, quòd omnis Angelus homini apparens initio terrorem incutiat (quia inferior natura à ſuperiore ſubigi naturaliter timet) ſed bonus Angelus ſemper ante receſſum conſolationem præbet; malus autem perterritum hominem relinquit. Sicut enim boni ſpiritus eſt illuminare & tranquillitatem animi adferre, ita maligni eſt relinquere in animo tenebras, mœrorem, perplexitatem, turbationem; nam quiſque conſentanea ſibi operatur.

Qualiter diſcernatur bonus Angelus à malo?

Secundò, ſi ad præſentiam vel uſum rerum ſacrarum diffugiat, nimirùm ſigni crucis, aquæ benedictæ, nominis Jeſu, B. Virginis Mariæ, aut alicujus Sancti, ſacrarum Reliquarum, ſacræ imaginis, agni Dei, cerei benedicti, ſacræ ſtolæ, &c. Item ſi hæc improbet aut diſſuadeat, indicia ſunt manifeſta dæmonem eſſe.

Tertiò, ſi falſam vel pravam cauſam ſuæ apparitioni prætendat, ut ſi dicat ſe redire imperio alicujus magi: aut ut aliqua revelet quæ frivola ſunt, vel curioſa, vel noxia.

Plura, ſi cupis, habes apud P. *Leſſium. l. 2. cap. 44. dub. 3. num. 25. & Delrio l. 6. cap. 2.*

I. Qualiter conſulet Confeſſarius illis, qui dicunt ſe viſiones aut apparitiones habuiſſe Angelorum?

Conſilium à confeſſariis dandum iis qui ſe dicunt viſionem Angelorũ vidiſſe. Exempla.

R. Primò quidem perſuadeat illis, præſertim fœminis (quæ uti mollioris, & curioſioris complexionis magis ſunt obnoxiæ deceptionibus, & neſcio quibus malè fundatis ſpirituum apparentium opinionibus) ne magni æſtiment ejuſmodi ſpirituum viſiones.

Cùm B. Abraham Eremita per noctis tempus divinas laudes in ſua cella decantaret, adfuit mira claritas quaſi ſolis reſplendentis cum voce dicente: Beatus es Abraham, & non eſt inventus ſimilis tui, qui perfeciſti omnes voluntates meas. At verò vir Dei humillimus, aſtutiam diaboli perſentiens: Obſcuritas tua, inquit, tecum ſit in perditionem O plene fallaciâ, & dolo Ego enim homo peccator ſum. Nihilominus nomen Domini mei IeſuChriſti quem ſemper amavi, & cui ſervio, clipeus eſt mihi contra omnes tuas artes & nequitias. His

dictis,

Digitized by Google

Qualiter diſcernatur bonus Angelus à malo?

Inf. p. 4. ad 4.

Inferni tormentum.

dictis, quaſi in fumos abiit teterrimus & longè infenſiſſimus humani generis hoſtis.

S. Martinus diabolum auro & purpurâ ſplendidum agnoſcere pro ſuo domino noluit.

S. Angela fundatrix Societatis Vrſulinarum dæmoni, in ſpecie Angeli apparenti, induto lumine ſicut veſtimento dixiſſe fertur, cùm eum intueri in terram defixis oculis renueret: Vade in infernum, inimice crucis, & infenſiſſime hoſtis ſervorum Domini Jeſu Chriſti; non enim me peccatricem judicavi dignam viſione angelicâ.

Dum quadam die B. Iordanus Ordinis Prædicatorum Generalis, Bononiæ Miſſam celebraret, tam mirifici odoris fragantiam ſenſit in ſuſceptione Dominici Sacramenti, ut nulli dubium eſſe poſſet hanc non eſſe niſi à Deo, niſi forſan alicui, qui diſcretionem ſpirituum habuiſſet. Os mirè odoriferum per lõgum tempus habebat & manus, ita ut vix ei ſaperet cibus ore ſumptus, palato tamẽ cordis interiùs diſcernebat, quia odor ille recreationem ſpiritui non præſtabat. Abiit ergò Dominum deprecari quid ſibi vellet odor ille reſperſus in vanum, revelatumque eſt ei, quia dæmonis arte ſit geſtum, & facto crucis ſignaculo, mox ceſſavit. Thom. Cantip. l. 2. ap. c. 17. p 47.

Conſilium à confeſſariis dandum iis qui ſe dicunt viſionem Angelorũ vidiſſe. Exempla.

2. Declaretur eis exactè in quo vera & ſincera devotio ſita ſit; quodque res iſtæ etſi fuco careant, parum admodum ad perfectionem hominis faciant.

3. Si ejuſmodi apparẽtes ſpiritus aliquid præcipiant aut exigant ab ejuſmodi perſonis, nihil illæ concedant, ſed confidenter dicant ſe ad ſuos Confeſſarios rem velle referre, ſeque ab eorum judicio in omnibus velle pendere.

De cacodæmonibus plura infrà p. 2. c. 9. lect. 2.

LECTIO VIII.

De homine.

HÆc Lectio petenda ex lectione 2. præludiali ſupra.

LECTIO IX.

De beneficio creationis & conſervationis.

QUid homo debet Deo ſuo pro beneficio creationis?

Vide S. Tho. opuſ. de Symbolo.

R. Opera Dei, quia pro nobis ab ipſo creata ſunt, magnam à nobis gratitudinem depoſcunt, nimirùm memoriam, amorem, ſervitutem ſeu obſequium, & perpetuam cum gratiarum actione, laudem; Deus enim omnia quæ in mundo ſunt, pro nobis non tantùm creavit & conſervat, ſed & aſſiduè laborare nobiſque ſervire facit: nobis enim gyrantur cœli, ſplendet Sol, lucent ſidera, ſpirant venti, coguntur nubes, deſcendunt imbres, aſſurgunt montes, currunt flumina, moventur maria, germinat terra, fœcundatur aqua, & parturit omnis rerum natura. Hæc omnia noſtri cauſa, ut nobis ſerviant & commodent, Deus ſic eſſe, ſic moveri & operari juſſit. Jam, ſi ille totam rerum naturam noſtræ ſervituti addixit, omnis ratio poſtulat, ut viciſſim nos totos ejus obſequio mancipemus. Si illius imperio & impulſu, totus mundus ſine intermiſſione pro nobis laborat, & noſtris commodis dies noctesque ſervit; par eſt ut nos illi totâ vitâ ſine intermiſſione ſerviamus, præſertim cum eo ipſo quo res creatæ nobis ſerviunt, ipſemet nobis ſerviat, & pro nobis aſſiduè in creaturis, & per creaturas laboret. Illa enim ſunt inſtrumenta, ut quæ omnem vim ſuam ab ipſo habeant, & ſine ejus auxilio & cooperatione aſſidua nihil poſſint; Ipſe verò eſt principalis motor, director & auctor omnium commodorum, quæ nobis ex rebus creatis proveniunt. Itaque ſi Deus ipſe pro nobis continuò laborat, ut noſtris commodis ſerviat, quâ fronte nos illi ſervire, & pro ejus gloria laborare recuſabimus. Quidquid eſt vas & figmentum, totum debet figulo, &c. & ad omne ejus obſequium ſervire debet, alioquin veren-

Simile.

Digitized by Google

dum ne id confringat, &c. Ecce quidquid eſt Dominus JESUS noſter eſt, quinque vulneribus ſcaturientibus ſanguine, noſter, noſter eſt totus quantus eſt, & nos uſque adeò eximus parci in ejus ſervitio, &c.

Affectus.

Quidquid eſt Pater in creatione, totus etiam noſter eſt. Quidquid eſt Sanctus Spiritus in amore, in bonitate, in miſericordia & ſanctificatione, totus quantus noſter eſt. Et nos Filii Adam, &c. quid agimus? movemusne vel digitum? Secundò ex hoc creationis beneficio obſtringitur homo ad legitimè creaturis utendum.

I. In quo cernitur hic rationabilis creaturarum uſus.

R. In eo quòd in ſingulis creaturis Dei Optimi Maximi præſentiam agnoſcamus. 2. Quòd in iis advertamus & ſtudioſè notemus ipſius perfectiones. 3 Quod utamur creaturis cum magna diſcretione & menſura pro neceſſitate nata, & ad earum Creatoris gloriam & honorem. 4. Quòd iis lubenter nuntium remittamus, ſi quandoque ſaluti noſtræ officere ſentiamus. 5. Ut ex iis diſcamus amare Deum, & in eum ſpem noſtram collocare, qui tanta tam liberaliter nobis ad uſum noſtrum indulſit hic in carcere & loco pœnitentiæ.

I. Poſtquam igitur Deus ſuâ omnipotentiâ res omnes condidit, ſubſtraxitne ſe illis, aut manum ab earum conſervatione retraxit?

De providentia Dei videatur q. 6. c. 9. 4. p. catech. Rom.

R. Minimè; Nam ſicut Deus rerum omnium eſt conditor, ita & adminiſtrator, conſervator & proviſor, & ſicut per omnipotentiam ſuam cuncta creavit, ita per eandem potentiam & providentiam conſervat & regit. Nec ei in hoc ulla difficultas, quia ſine anxietate omnes homines & ſingulos curat ſicut unum ſolum, ita ut non minorem providentiam habeat innumerabilis multitudinis hominum viventium in mundo, quam unius Adami in Paradiſo, dicente ſcripturâ: *Tu autem Pater omnia tuâ Providentiâ gubernas.* Viderunt quidem Gentiles neceſſitatem hujus providentiæ ad conſervationem creaturarum, ſed quia difficulter concipiebant totum hunc mundum in tanta creaturarum diverſitate ab uno regi & omnibus rebus provideri, ideo Diis totum ferè mundum repleverunt, qui hanc curam inter ſe dividerent.

Sap. 14.

Gentiles circa pr... nius Dei providentiam cæcutientes.

I. Quid igitur fieret de omnibus creaturis, ſi Dominus Deus Creator ſubtraheret concurſum ſuum conſervativum?

R. Statim ad nihilum reciderent.

I. Magnum igitur quoque beneficium eſt iſtud conſervationis Dei?

R. maximum planè: non enim aliud eſt conſervatio, quàm continuata creatio & illud idem ipſum opus quod in creatione inchoavit, *& uſque modò operatur* Deus, Joan. 5.

Conſervationis beneficium Dei magnum.

I. Quid agebat Deus antequam quidquam faceret ab initio?

R. Deus Pater ab æterno genuit filium, & idem cum filio ſuo ſpiravit Spiritum Sanctum prout in ſequentibus articulis dicetur, atque adeò Sanctiſſima Trinitas ab æterno ſeipſâ beatiſſima fuit: in cujus participatione & fruitione omnis noſtra fœlicitas eſt in ſæculum ſæculi.

DE II. ARTICULO.

CAPUT TERTIUM.

Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum.

LECTIO PRIMA.

I. QUid credendum proponit hic ſecundus Symboli articulus?

Symboli pars 2.

R. Hoc, quod Jeſus Chriſtus ſolus & unicus eſt Dei Patris Filius naturalis, à quo per generationem æternam, eamdem naturam, gloriam ac divinitatem accepit.

I. Cen-

I. Confeſſio hujus articuli, ſive æternæ Chriſti nativitatis eſtne nobis utilis?

R. Mirificam & uberrimã eſſe utilitatem quæ ex hujus articuli fide & confeſſione confluxit ad humanum genus, & illud S. Joannis teſtimonium oſtendit. 1. Jo. 4. *Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo*: & beatitudinis præconium declarat, quod à Chriſto Domino tributum eſt Principi Apoſtolorum: Matt. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* hoc enim fundamentum firmiſſimum eſt noſtræ ſalutis ac redemptionis?

I. Quo pacto magnitudo beneficii hoc articulo propoſiti potiſſimum cognoſcitur?

R. Hujus articuli fructus maximè ex fœlicitiſſimi illius ſtatûs ruina intelligitur, in quo Deus primos homines collocarat. Cùm enim à Dei obedientia deſciviſſet Adam, interdictumque violaſſet illud: Gen. 2. *Ex omni ligno Paradiſi comede. de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris;* in ſummam illam incidit calamitatem, ut ſanctitatem & juſtitiam in qua conſtitutus fuerat, amitteret, & reliqua ſubiret mala quæ Sancta Tridentina Synodus uberiùs explicavit. 1. Decreto de peccato orig.

I. Quid hoc articulo Jeſu nomen meditantibus exhibet?

Nomen Ieſus. R. Jeſus: proprium eſt nomen ejus, qui Deus & homo eſt, quod Salvatorem ſignificat.

I. Quare tali nomine vocatus eſt Filius Dei incarnatus? Matt. 1.

R. Quia revera ſalvum fecit populum à peccatis eorum, uti Angelus ſponſo Virginis Mariæ facturum promiſerat. De nomine Jeſu vide Sanctum Thomam 3 p. q. 37. a. 2. & Sanctum Bernardum ſer. 15. ſuper Cant.

I. Quis verò hoc nomen ei dedit?

R. Non fortuitò, aut hominum judicio & voluntate, ſeu Dei conſilio & præcepto illi impoſitum eſt, angelus enim Mariæ ita annuntiavit: *Ecce concipies in utero & paries Filium, & vocabis nomen ejus Ieſum.* Luc. 1. & 2.

I. Quomodò habere nos oportet circa Sacro-ſanctum hoc & admirabile nomen Jeſu?

R. Cum omni planè reverentia, ſicut moris eſt proborum Chriſtianorum, maximè dum pronunciatur, vel pronuntiari auditur. Vide Auguſtinum 3. confeſſ. cap. 4. & Bern. ſerm. alleg. in Cantica.

I. Suppetuntne tibi exempla eorum qui cum omni reverentia, & honore ſe habuerint circa hoc ſanctum nomen?

Exempla. S. Pauli mira devotio erga ſanctum nomen Ieſus.

R. Ita. *Primò quidem magnus ille Apoſtolus vas electionis ad portandum nomen Ieſu Chriſti coram gentibus, regibus, & Filiis Iſrael, quanto zelo Ieſum toto orbe prædicarit, notum eſt, tum ex Scriptura Sacra, tum ex Eccleſiaſtica hiſtoria. 2. Ex iiſdem liquet quanta pro nomine Ieſu paſſus ſit. 3. Tanto erat erga hoc Sacratiſſimum nomen affectu, ut in ſuis epiſtolis reperiatur illud. 220. vicibus ſcriptum. Imò cum jam capite plecteretur, etiamnum tertiò nomen Ieſu pronuntiavit, & id quidem non abſque prodigio, & approbatione hujuſce devotionis; nam ad tres ſaltus exſecti capitis tres limpidiſſimi fontes ſaturierunt, qui etiamnum Romæ oſtenduntur.* Baron. to. 1. Annal. S. Th. Aquin. opuſc. de expoſ. orat. Dom.

S. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus, & martyr, tanto animi ardore ferebatur in idem Sacratiſſimum nomen, ut in corde mortui inſculptum inventum ſit admirabile nomen Ieſu. Vid. S. Aug. 3. conf. c. 4.

S. Franciſcus tantâ cordis & oris ſuavitate illud repetebat nomen, ut cum illud pronuntiaſſet labia ſua propter ſuavitatem lamberet; & præcipiebat fratribus, ut ubicumque illud reperirent in chartis fortè diſperſis, loco honorifico reponerent. Bonav. in ejus vita c. 10.

Dum Sanctus Bernardinus in ampla quadam civitate de rebus divinis concionem ad populum haberet, homines adeò illius ſermonibus permoti ſunt, ut teſſeras tabulas, que luſorias, quarum erat ibidem

Digitized by Google

magnus abuſus, flammis abſumerent. Quare indignatus faber, qui ex iis haud mediocre ſibi in..am acquirebat, ad beatum virum acceſſit, eique conqueſtus eſt ſe jam ad inopiam eſſe redactum. Sciſcitante Bernardino num aliud calleret artificium, illoque negante, Bernardinus circino circulum expreſſit, in eoque ſolem depinxit, & in medio ſolis Sacroſanctum nomen Ieſus, cujus, ut par erat, præcipuus venator fuit & cultor; Imò, ut quidam affirmant, Romæ tam luculenter ſublimiterque de illo dulciſſimo nomine concionatus eſt, ut quidam ejus verba non capientes, hæreſim ei impingere voluerint; at poſterâ die illo concionante, ut ſuperioris concionis veritas miraculo indicaretur, nomen Ieſu, in ejuſmodi forma, qualem eum pinxiſſe diximus, miro ſplendore coruſcans ſupra illum apparuit. Hanc igitur effigiem juſſit illum fabrum deinceps ſua arte imitari, ex qua pauper ad divitias haud mediocres pervenit. Et hæc eſt cauſa cur Sanctus Bernardinus ſolem in manu geſtans depingi ſolet.

Aug. tr. 3. in ep. Ioan.

I. Cur nomen Jeſu in tanto habetur honore?

R. Subeſt profectò magna ratio; eſt enim nomen hoc proprium Verbi Incarnati; cætera quævis communia ſunt. Et ſi quæ præterea nomina prædicta ſunt Filio divinitùs imponenda, ad unum hoc Jeſu nomen referuntur: cum enim cætera ſalutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex parte attingerent, hoc ipſum univerſæ ſalutis humanæ vim, rationemque complexum eſt. Ut meritò prædicarit Apoſtolorum Princeps, *non eſſe ſub cœlo aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

Act. 4. v. 12.

Adde, quod hoc nomen indicat nobis, quantum ſe dignatus eſt Dominus Deus noſter pro nobis demittere, dum homo factus eſt; hinc eſt quod oporteat nos (niſi ingrati tanto beneficio eſſe velimus) vel ad ſolam iſtius ſanctiſſimi nominis pronuntiationem toto corpore inflecti, & animo humiliari. Unde & Angeli nomen hoc præcipuâ reverentiâ honorant; quin & dæmones ipſi vel coacti contremiſcunt; ut verum ſit (quod & ordinavit Deus Pater ad exaltationem Filii ſui, qui humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, & quidem mortem crucis) quòd *omne genu flectatur in nomine ejus; cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Ob idipſum celebrant fideles anniverſario ſolemni Feſto Sacratiſſimum nomen Jeſu.

Phil. 2.

Feſtum nominis Ieſu.

I. Eſtne utile quod frequenter invocent Chriſtiani hoc ſanctum nomen in anguſtiis ſuis?

R. Utiliſſimum. Multi enim id faciunt quotidie optimo ſucceſſu, auxilium, & ſolatium in neceſſitatibus ſuis exinde ſentientes.

I. Habetne etiam magnam efficaciam ad fugandos, vel comprimendos dæmones?

R. Etiam maximam; Nam à Jeſu in Cruce noſtram ſalutem, & redemptionem conſummante devictus fuit diabolus, prout ipſe Dominus prædixerat: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Et quid deinceps facturi eſſent fideles in nomine ejus, expreſsè promiſit: *In nomine meo Dæmonia ejicient, &c.*

Nomen Ieſu devotè invocatum comprimit dæmones.

I. Habeſne de hoc exempla?

Marc. ult.

R. Habeo Marci 16. Luc. 10. Act. 19. Refert Athanaſ. in vita B. Antonii dæmonum cohortem ipſo inclamante, Jeſus, diſparuiſſe.

Dormientem Ignatium ſtrangulare diabolum voluiſſe Romæ anno Domini 1541. audivi. Guttur enim quaſi manu injectâ ſtringere præſecareque conatus eſt eam fortiter, ut nullo conatu poſſet Ignatius Ieſu ſanctiſſimum nomen invocare. Sed cum nervos animi corporiſque omnes quantùm maximè poſſet, intenderet, vim vi repellens, in ſuaviſſimam tandem vocem erupit, Ieſumque clamavit, quâ voce diaboli conatus repulſus eſt. Porrò ex contentione Ignatius, (quod poſteà vidimus atque animadvertimus) per dies aliquos raucus omninò ac ſine voce fuit.

Exempla. Pet. Ribaden. l. 5. de vita ejus c. 9.

Hinc

Hinc pia Catholicorum conſuetudo pronuntiandi in articulo mortis ſanctiſſimum nomen Jeſu contra dæmonis calcaneo inſidiantis impetus.

Nomen Jeſu nomine Tetragrammaton majus & ſanctius.

I. Eſtne nomen Jeſu etiam majus, ſanctius, & venerabilius, quàm ſit nomen Tetragrammaton Judæis ineffabile, & abſolutè, quàm ſit nomen Dei?

R. Ita; & ratio eſt, quia nomen (Deus) ſignificat Deum quà Dominus, & Creator eſt; Jeſus verò ſignificat Deum quà Salvator, & Redemptor eſt: ſicut ergo majus fuit, & optabilius beneficium, opus redemptionis, quàm creationis; ita majus eſt nomen Jeſu, ſive Redemptoris, quàm ſit nomen Dei, ſive Creatoris.

I. Quid ſignificat hæc vox, *Chriſtus*?

R. Nomini Jeſu Chriſti, etiam nomen, *Chriſtus*, additum eſt, quod unctum ſignificat, eſtque ejuſdem Domini noſtri Jeſu quaſi cognomen honoris, & officii.

Pro qua re Nota, Veteres noſtri Patres, Chriſtos appellabant Sacerdotes, & Reges, quos Deus propter muneris dignitatem ungi præceperat. Sacerdotes enim ii ſunt, qui populum aſſiduis precibus Deo commendant, qui ſacrificia offerunt, & pro populo deprecantur. Regibus autem populorum gubernatio commiſſa eſt, ad eoſque pertinet maximè legum auctoritatem, innocentium vitam tueri, & nocentium audaciam ulciſci. Quoniam igitur utraque harum functionum Dei majeſtatem referre in terris videtur, ideò qui vel ad Regium, vel ad Sacerdotale munus obeundi delecti erant, unguento ungebantur. Prophetas etiam ungendi mos fuit, quia Dei immortalis interpretes, & internuntii cæleſtia arcana nobis aperuerunt. At verò cùm Jeſus Chriſtus Salvator noſter in mundum venit, trium perſonarum partes, & officia ſuſcepit, Prophetæ, Sacerdotis ac Regis; atque ob eas cauſas Chriſtus eſt appellatus, & unctus ad illorum munerum functionem.

I. Qualiter fuit Dominus Jeſus unctus? *Vide Aug. de conſenſ. Evang. 1. & Baron. anno 34.*

R. Non fuit ille unctus alicujus hominis mortalis operâ, ſed cœleſtis Patris virtute; non terreno unguento, ſed ſpirituali oleo; quippe cùm in ſanctiſſimam ejus animam Spiritûs plenitudo gratiæque, & omnium donorum uberior copia effuſa ſit, quàm ulla alia creata natura capere potuerit. Atque id præclarè Propheta oſtendit, cùm Redemptorem ipſum affatus diceret: *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Idem etiam ac multò apertiùs Iſaias his verbis demonſtravit: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me, ad annuntiandum manſuetis miſit me.*

Chriſtus unctus quo modo? Pſ. 44. Iſaiæ 61. Luc. 4.

I. Quandonam Spiritus Domini deſcendit ſuper Chriſtum, & quandonam unxit eum Dominus?

R. Inviſibiliter Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Chriſtum, & fuit in Chriſto à primo inſtanti conceptionis ejus: viſibiliter verò in eum deſcendit in ejus Baptiſmo: unde mox poſt baptiſmum, jejunium, & tentationem, venit in Synagogam, dixitque tunc impletum fuiſſe hoc Iſaiæ de ſe oraculum. Deinde curavit infirmos, fecitque ea quæ apud eundem Prophetam facturus prædicitur. Unde S. Petrus Act. 10. aſſerit hæc impleta eſſe in Baptiſmo Chriſti, cùm Spiritus ſanctus deſcendit in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum, & audita eſt vox Patris: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* Hoc enim ſigno viſibili, æquè ac voce, quaſi exteriùs coram populo Chriſtus declaratus eſt, & conſecratus Doctor, Propheta, Legiſlator & Redemptor orbis, atque deputatus ad evangelizandum pauperibus.

Quod autem de Chriſti unctione quæris, reſpondeo facta eſt in illa ejus Incarnatione, quando, ut diximus,

&

Digitized by Google

& Spiritus ſanctus inviſibiliter ſuper eum deſcendit. Facta eſt autem unctio illa, *Primò*, per gratiam unionis hypoſtaticæ, *Secundò*, per gratiarum creatarum & infuſarum plenitudinem ex unione jam dicta manantem. Chriſtus enim accepit gratiam, non privati cujuſpiam fidelis & ſancti, ſed gratiam capitis, id eſt, gratiarum plenitudinem, quam uti Redemptor, & caput Eccleſiæ in omnia ſua membra transfunderet. Quocirca alii ſancti dicuntur ungi gratiâ & donis Spiritûs ſancti, Chriſtus verò dicitur ungi ipſo Spiritu ſancto, & plenitudine omnium gratiarum. Ita S. Baſilius l. de Spiritu ſancto c. 16. Atque hinc Chriſtus hebraicè *Meſſias*, græcè *Chriſtus*, latinè *unctus* dicitur, per hanc enim unctionem conſecratus eſt rex & redemptor mundi, caputque Eccleſiæ militantis & triumphantis.

I. Sed quâ ratione Dominus noſter, JESUS Chriſtus fuit Propheta?

Chriſtus Dominus Propheta. R. JESUS Chriſtus ſummus Propheta & Magiſter fuit, qui nos Dei voluntatem docuit, & à cujus doctrina orbis terrarum Patris cœleſtis cognitionem accepit: quod ei nomen præclariùs ac præſtantiùs convenit, quod omnes quicumque Prophetæ nomine dignati ſunt, ejus diſcipuli fuerunt, atque ob illam præcipuè cauſam miſſi, ut Prophetam hunc, qui ad ſalvandos omnes venturus erat, prænuntiarent. De quo aliquando venturo dixit Moyſes: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* (Deut. 18.) Et de præſente teſtabantur Judæi dicentes: *Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.* (Jo. 6.) Exponebat ſanè myſteria abſcondita à ſæculo prædicans regnum Dei, cùm eſſet *verbum Patris plenum gratia & veritatis, unctus Spiritu ſancto ad evangelizandum pauperibus.* (Luc. 4.)

I. Quomodò autem fuit Sacerdos Chriſtus Dominus?

Chriſtus Dominus Sacerdos. R. Chriſtus Dominus fuit Sacerdos ex ordine illo de quo David Propheta cecinit. *Tu es Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.* (Pſ. 109.) Quia ſemetipſum ſemel obtulit Deo Patri ſub ſpeciebus panis & vini, in ultima videlicet cœna; nec deſinit quotidie ſeipſum miniſterio Sacerdotum itidem offerre in Miſſa ſub iiſdem ſpeciebus panis & vini. (Inf. p. 4. c. 4. ſ. 4.) Quod argumentum Apoſtolus ad Hebræos ſcribens accuratè perſecutus eſt. Vid. Aug. ſup. p. 119. Et ad Sacerdotium ſecundum ordinem Aaron quod attinet, ipſe idem Chriſtus Dominus etiam hoc ſacerdotio functus eſt, ſeipſum cum ſanguinis effuſione Deo Patri in cruce offerens, in remiſſionem peccatorum. Vid. Aug. l. 4. de Trin. c. 14. & Iſid. de Paſſione Domini c. 36. Et de hoc ſacerdotio quidem facit Apoſtolus mentionem Epiſt. ad Epheſ. c. 5 v. 2.

I. Quomodò autem fuit Rex Chriſtus Dominus? *Chriſtus Dominus Rex.*

R. Ipſe eſt Rex Regum, & Princeps Regum terræ; tum quia potenti ſuâ virtute electos à diaboli tyrannide vendicavit; tum quia Regis officia admirabili providentiâ ſuæ præſtat Eccleſiæ. Ipſe eam regit, ipſe ab hoſtium impetu atque inſidiis tuetur: ipſe ei leges præſcribit: ipſe non ſolùm ſanctitatem & juſtitiam largitur; verùm etiam ad perſeverandum facultatem & vires præbet.

I. Competitne Chriſto Domino hoc Regnum uti Deo, an uti homini?

R. Chriſtum, non ſolùm ut Deus, verùm etiam ut homo ac noſtræ naturæ particeps eſt, Regem etiam agnoſcimus. De quo Angelus teſtatus eſt. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis:* (Luc. 1.) quod quidem Chriſti regnum ſpirituale eſt atque æternum; in terriſque inchoatur, in cœlo perficitur. Hinc dicebat ipſe; *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* (Matt. 28. Inf. p. 5. c. 5.) Itaque Reges terræ

Digitized by Google

terræ miniſtri Chriſti ſunt, ab ipſo poteſtatem accipiunt, & ab illo leges, & jura; & illi rationem in die judicii reddent.

I. Quis Salvatori noſtro hoc nomen (Chriſtus) donavit?

R. Ipſe Deus qui per os Prophetarum prænuntiavit futurum, ut Meſſias veniret in mundum: *Meſſias autem interpretatur græcè Chriſtus, latinè unctus*: & nos ab hoc nomine Chriſtiani denominamur. Vid. 1. Pet. 2. & Cypr. de unctione chriſm. Joan. 1. Act. 11.

LECTIO SECUNDA.

Filium ejus unicum.

I. Cur hoc dicis, quod Jeſus Chriſtus ſit *Filius Deus unicus*?

R. His verbis altiora myſteria de JESU credenda & contemplanda, fidelibus proponuntur: nimirum Filium Dei eſſe, & verum Deum de Deo vero. Præterea illum Divinæ Trinitatis ſecundam perſonam aliis duabus omninò æqualem confitemur; nihil enim impar, & diſſimile in divinis perſonis aut eſſe, aut fingi animo debet, cùm unam omnium eſſentiam, voluntatem, poteſtatem agnoſcamus; quod Joannes teſtatur initio ſui Evangelii dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Joan. 1.

I. Quid eſt hoc, *Filius Dei*? ſi Filius eſt Dei, ergo Deus Pater eum genuit.

R. Hoc eſt, quod maximè dicimus: ſed tamen cum JESUM Filium Dei eſſe dicimus, nihil terrenum aut mortale de ejus ortu cogitandum eſt: verùm ortum illum quo ab omni æternitate Pater Filium genuit, quam ratione percipere atque intelligere perfectè nullo modo poſſumus, conſtanter credere, & ſummâ animi pietate colere debemus. *Vid. Amb. l. 4. ſup. Luc. c. 5. propè fin.*

I. Sed cur hunc *unicum Dei Filium* dicis?

R. Habet nimirùm Deus & alios filios, ſed quia naturâ filii non ſunt, ſicut ille unicus qui eſt in ſinu Patris, ſed adoptione duntaxat; de quibus eſt illud Joan. *ut Filii Dei nominemur, & ſimus.* Et iſtud Apoſtolici: *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.* Vel etiam ſolâ creatione, uti ſunt cæteræ omnes creaturæ filii Dei, ut infrà dicetur. 1. Joan. 3. Rom. 8.

Hic autem Filius eſt unicus, verus, naturalis, conſubſtantialis Patri; cui ſoli Deus Pater per æternam generationem totam ſuam naturam, & ſubſtantiam contulit, & propterea frequenter Scripturæ eum *unigenitum* dicunt, Joan. 1. & 3. & 1. Joan. 4. Sup. c. 5. lect. 4.

I. Quid eſt hoc quod dicis per *generationem æternam*, non eſt ergò filius Patre ſuo junior?

R. Filius Dei, minimè. Eſt enim uti dicimus ab æterno genitus; in quo æterno non datur prius aut poſterius. Hæc in Symbolo Nicæno paulò expliciùs confitemur; inquit enim: *Et in JESUM Chriſtum filium ejus unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.* ſuprà lec. 4.

I. Poſſeſne aptam aliquam ſimilitudinem in medium proferre ad ſanctiſſimam hanc & diviniſſimam Filii Dei ex Patre generationem aliquo modo declarandam?

Ita. Accipe ſimilitudinem à ſpeculo. Quando quis ſpeculum intuetur, illicò producit imaginem adeò ſibi ſimilem, ut non poſſit diſcrimen invenire, utpote quæ non ſolùm vultum ejus referat, ſed etiam motus ſingulos repræſentet, & uti movetur homo, ſic etiam moveatur imago. Quæ imagò adeò ſimilis homini, *Similitudines duæ pro declaratione generatio-*

Digitized by Google

ſionis æterna filii ex Patre. ſine ullo labore, ſine tempore, ſine inſtrumento, verùm derepentè, & in ictu oculi momentoque formatur. Eodem pacto conſidera, cùm Deus oculo intellectûs ſpeculum Deitatis ſuæ intueretur, ſtatim imaginem ſibimet ipſi ſimillimam formavit. *Prima.* Et quia Deus huic imagini totum eſſe ſuum, totamque naturam contulit (quod nos intuendo facere nequimus) ideò hæc imago verus Dei filius eſt, tametſi noſtræ imagines quas in ſpeculo contuemur, filii noſtri non ſint. Unde colligere habes quomodò filius Dei, Deus ſit, perinde ac Pater Deus eſt, & idem Deus cum Patre, quia eandem cum Patre ſubſtantiam ſortitus eſt. Deinde Patre Filium non eſſe minorem, ſed ſemper fuiſſe, uti Pater ſemper fuit. Siquidem ex ſola Dei viſione productus eſt, & Deus ſeipſum ſemper vidit, & intuitus eſt. Denique filius Dei non cooperatione fæminæ generatus eſt in tempore, nec vitioſâ libidine, aut aliis imperfectionibus concomitantibus, ſed ex ſolo Patre, ſolâ, ut dictum eſt, viſione ſui ipſius, puriſſimoque divini intellectûs oculo genitus eſt. *Secunda.* Alia ſimilitudo huc pertinens deſumitur à luce, quæ ſplendorem producit in momento, ſine auxilio conjugis cum ſumma puritate; & non eſt lux ſplendore prior, nec ſplendor luce poſterior; ſic omninò Deus Pater, qui eſt lux inacceſſibilis, in qua tenebræ non ſunt ullæ, ab ipſa æternitate producit Filium, qui eſt lumen de lumine, dicens per *Pſ. 109.* Pſalmiſtam: *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.*

Utramque ſimilitudinem tangit Apoſtolus Heb. 1. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.*

I. Qui hanc de Filii Dei conſubſtantialitate doctrinam negaverunt, fueruntne tanquam hæretici condemnati?

R. Ita; & iſti fuerunt Arriani in Concilio Nicæno anathemate notati.

Arius autem finem Numine ulciſcente ſortitus eſt Judæ ſimillimum: *nam cùm ſummo mane ab Euſebianis Epiſcopis de-* *Exemplum Ba-* *mo eductus eſſet, ut antequam Eccleſia ab Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitano præoccuparetur, ipſi eam invaderent, in via poſitus idem Arius, cùm ventre perurgeretur divertens ad latrinas publicas, quæ pene forum Conſtantini erant, ibi medius crepuit effundens unà cum excrementis viſcera omnia, ſplen, & jecur.* *ron, et Ath. & aliis tam Græcis quàm Latinis ſcriptoribus.*

Qualiter à Domino reprobatus fuerit vide in vita S. Petri Alexandrini 26. Novemb. in Breviario Rom.

I. Cur dicis, quòd Jeſus Chriſtus ſit Dominus noſter?

R. Quia ſimul cum Patre nos creavit Joan. 1. & maximè quia nos pretioſo ſanguine ſuo redemit; & quia dedit ei Pater omnia in manus, conſtituens illum hæredem univerſorum. Hebr. 1. *Apoc. 1. Coloſſ. 1. 1. Pet. 1. Dan. 7. Pſal. 8.*

I. Si ipſe Chriſtus eſt Dominus noſter, nos igitur ſervi ejus? *Matt. ult. Philip. 2.*

R. Sequitur omninò per neceſſariam correlationem.

I. Quid igitur obſequii, quamve ſervitutem exhibere nos convenit Chriſto Domino noſtro?

R. Timendus eſt in primis, & honorandus à nobis, 2. mandata ejus obſervanda. *Si Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Malac. 1.

I. Numquid præcipuè Chriſtiani ſe totos Jeſu Chriſto, Principe tenebrarum conculcato tradere debent?

R. Æquiſſimum eſſet, præ cæteris hominibus, nos qui ab eo nomen accepimus, Chriſtianique vocamur, & quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non poſſumus, ob id maximè; quòd munere ejus hæc omnia fide intelligimus: æquiſſimum, inquam, eſſet, nos ipſos non ſeeùs ac mancipia Redemptori noſtro & Domino in perpetuum addicere, & conſecrare. *Quantum homo Chriſtianus præ reliquis Chriſto debeat.* Certè cùm Baptiſmo initiaremur, ante Eccleſiæ fores id profeſſi ſumus: declaravimus enim nos Sathanæ, & mundo renuntiare, & Jeſu Chriſto totos nos tradere. Quòd ſi in ipſo Chriſtianæ militiæ limine tam ſanctè *Quanta ſit indi-* jura-

Digitized by Google

vitas, poſt quam nos Deo addiximus, ſervire diabolo.

juravimus nos ipſos Domino noſtro devovère, & in perpetuum devotos fore, quo ſupplicio digni erimus, ſi poſtquam Eccleſiam ingreſſi ſumus, Dei voluntatem, & leges cognovimus, poſtquam Sacramentorum gratiam percepimus, ex mundi, & diaboli præceptis ac legibu vixerimus, perinde ac ſi, cùm Baptiſmo abluti ſumus, mundo ac diabolo, non Chriſto Domino ac Redemptori nomen dediſſemus?

DE III. ARTICULO.

CAPUT QUARTUM.

Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

LECTIO PRIMA.

QUid hic tertius fidei articulus fidelibus credendum proponit?

Senſus tertii articuli.

R. Hoc nimirum, quòd ſecunda in divinitate perſona naturam humanam aſſumpſit in utero Virginis, non ex virili ſemine, ut alii homines, ſed ex puriſſimis tantùm ejuſdem intemeratæ Virginis ſanguinibus, ſolâ ſuprà omnem naturæ ordinem Spiritûs ſancti operante virtute; ita ut eadem perſona Deus permanens, quod ex æternitate erat, homo fieret, quod ante non erat.

I. Qui vocatur hoc myſterium?

Myſterium Incarnationis.

R. Myſterium Incarnationis.

I. Quis iſti appellationi occaſionem dedit?

R. Patres Concilii Conſtantinopolitani, qui in fidei ſuæ Symbolo profitentur, & dicunt: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. & homo factus eſt.*

De Incarnatione verbi S. Tho. 3. p. q. 1. uſque ad 40.

I. Habueruntne ipſi fundamentum in ſcripturis, ut hoc modo de hoc myſterio loquerentur?

R. Ita; Sanctus enim Joannes Evangeliſta, qui ex ipſius Domini Salvatoris pectore altiſſimi hujus myſterii cognitionem hauſerat, cùm Divini verbi naturam declaraſſet illis verbis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* ad extremum concluſit: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Joan. 1.

I. Qualiter, & quando perfectum eſt hoc Incarnationis Verbi myſterium?

R. Ordinem hujus myſterii vide apud Sanctum Lucam cap 1. Evangelii ſui v. 26. & deinceps: ejus autem conſummationem factam credit Eccleſia ad iſta verba conſenſus Virginis expreſſiva: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Eia fiat, fiat fæliciter. Ex ore tuo, ô Virgo, pendet conſolatio miſerorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, ſalus denique univerſorum filiorum Adam totius generis tui. *Bern. hom. 4 ſup. Miſſus.*

I. Quandonam legitur hoc Evangelium in Miſſa ex ritu Romano?

R. In die Annuntiationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis.

I. Eſtne ſolemne iſtud Feſtum Annuntiationis?

R. Haud dubiè, cùm in eo celebretur tanti myſterii memoria, in quo Virgo glorioſa intra pudici pectoris arcana concepit Deum, & hominem. *Feſtum Annuntiationis ſolemniſſimum.*

I. An per temporariam Nativitatem aliqua fiat in Chriſto naturarum confuſio?

R. Minimè. Nam Verbum quod divinæ naturæ hypoſtaſis eſt, ita humanam naturam aſſumpſit, ut una & eadem eſſet Divinæ, & humanæ naturæ hypoſtaſis, ac perſona: quo factum eſt, ut tam admirabilis conjunctio utriuſque naturæ, actiones & proprietates conſervaret, atque, ut eſt apud Sanctum Leonem magnum illum Pontificem; *Nec inferiorem conſumeret glo-* *Serm. 1. de Nativit. Domin.*

rificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio.

I. Quis verò fuit Pater Chriſti in hoc Incarnationis Myſterio?

R. Non habuit Patrem.

I. Cur ipſa prima Sanctiſſimæ Trinitatis perſona, Deus Pater, Filii incarnati Pater dici non poteſt?

R. Quia Filius incarnatus non accepit à Patre humanam naturam per aliquam temporalem generationem, quemadmodum accepit divinam ab eo naturam per generationem æternam; Deus enim Pater non eſt homo, adeoque hominis Pater eſſe nequit.

I. Nonne S. Joſephus fuit in terris Chriſti Pater?

R. Non.

I. Cur ergò in Evangeliis ita appellatur;

Matt. 13. Joan. 6. *Aug. l. 1. de nuptiis c. 11. & 14.*

R. Quia homines eum pro tali habebant; & quia vetus, & legitimus erat Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Domini noſtri ſponſus. denique quia uti Pater filium nutriebat Sanctus Joſephus Chriſtum Dominum, & puer JESUS ſubditus erat illi ſicut filius Patri. Lucæ 2.

I. Magna ergo planè S. Joſephi dignitas, magna ejus præ omnibus hominibus prærogativa & officium?

Hom. 2. ſuper miſſus S. Ioſephi magna dignitas & prærogativa. Nomen Patris Chriſti quàmglorioſum.

R. Optimè dicis. Propterea rectè Sanctus Bernardus: *Quis & qualis homo fuerit Beatus Ioſeph conjice ex appellatione, quâ licet diſpenſatoriâ, meruit honorari à Deo, ut Pater Dei, & dictus, & creditus ſit.* Hoc ut meliùs intelligatur, adverte quæ ſubjungo.

Solent nomina ſapienter impoſita rei dignitatem, naturam, vel conditionem in qua fundantur, indicare. Cùm ergò æternus Pater ſumma ſapientia & providentia hoc nomen ſibi proprium cum hoc viro communicaverit, ſatis ſignificavit ad quam dignitatem eum evexerit, cum nomine ſimul officium & curam paternam magna ex parte tribuendo. Quòd rectè confirmatur, & explicatur exemplo: Chriſtus enim Dominus cùm morti eſſet propinquus, de Joanne Evangeliſta dixit Virgini: *Mulier ecce filius tuus.* Ex qua appellatione colligunt omnes ſancti ſingularem amorem, quem Chriſtus ad Joannem habuit, quem tanto honore affecit, ut nomen ſibi proprium cum illo communicaverit; non vacuum nomen imponendo, (Dei enim perfecta ſunt opera) ſed eum quodammodò in locum ſuum ſubſtituendo, & erga matrem ſuam ſingularem amorem & curam tribuendo. Multò autem excellentior eſt *Patris Chriſti*, quam *filii Virginis* appellatio; non ſolùm quia Patris appellatio majorem auctoritatem præ ſe fert, ſed etiam quia dignitas Chriſti dignitatem Virginis infinitè excedit.

Ex quo quidem diſcurſu hoc efficitur, Beatum Joſephum non ſolùm Patris Chriſti nomen, ſed etiam rem, quæ huic nomini ſubeſt, participaſſe, quantum exceptâ carnali generatione, ab homine participari poteſt. Itaque habuit affectum, ſollicitudinem, & (ut ita dicam) Patris auctoritatem. Hinc Sanctus Bernardus. *Iſte eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium; ſuæ carnis nutricium, ſolum denique in terris magni conſilii coadjutorem fideliſſimum; ut non immeritò poſſit illi accommodari quod de alio Ioſeph ſcriptum eſt: conſtituit eum Dominum domûs ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* *Hom. 3. circa finem.* Pſal. 10.

Plures S. Joſephi prærogativas & dignitates recenſet Barrad. l. 6. c. 8.

I. Dicandum igitur foret S. Joſephum valdè eminentis ſanctitatis fuiſſe?

R. Planè. *Primò* quidem probari id poteſt ex ejus officio, quia ipſe fuit Pater Chriſti, uti diximus.

Secundò, ex matrimonio cum Virgine, fuit enim verus & legitimus B. Virginis ſponſus, ut ex ipſo Evangelio conſtat; inter ſponſos autem ſolet eſſe æqualitas, & proportio, ut matrimonium congruum ſit & commodum; ergò præ omnibus

nibus Joſeph acceſſit ad ſanctitatem B. Virginis. Hinc D. Joſephus ex ſententia ſanctorum Patrum, & ipſius Eccleſiæ ſenſu (ut ait Pet. Damiani ep. 11.) Virginis maritus, & Chriſti nutricius Virgo habitus eſt.

S. Hieron. cont. Helvi. S. Aug. Serm. 24. in Nativit. Domini.

Tertiò. Si Beata Virgo unicâ ſalutatione ſanctificavit Joannem Baptiſtam, eumque quaſi Chriſti præcurſorem, & paranymphum conſecravit; quantum ipſa ſanctitatis afflavit Joſepho crebrâ ſalutatione, imò continuâ converſatione, & alloquio tot annorum?

Quartò. Joſeph quotidie videns, & audiens Chriſtum, divinaque ejus verba, geſtus & Spiritus hauriens, mirè incendebatur ejus amore & reverentiâ: Chriſtus enim nutritus à Joſepho corporaliter, viciſſim, imò magis nutriebat eum ſpiritualiter, mentemque ejus ſpiritualibus epulis & gratiis cumulabat.

Quintò, quia omnes Joſephi actiones erant circa Verbum Incarnatum, ideoque cœleſtes & divinæ: fuit ergò ipſe Angelus potiùs quàm homo.

Vide Suar. 3. p. q. 29. diſput. 8. ſect. 1.

I. Mirum videtur quòd S. Joſephus hactenus non majoris in Eccleſia habitus ſit; quodque ejus Feſtum à populo, uti cæterorum principalium Sanctorum, non ſit celebratum?

R. Neglectus quidem fuit, & incognitus quodammodo, huc uſque in terra (quod ad inſcrutabilem Dei providentiam referendum cenſeo) ſed eo glorioſior fuit in cœlo. Jam tamen Carmelitæ excalceati ad exemplum beatæ Tereſiæ eorum Matris (quæ mira devotione B. Joſephum colebat, eundemque omnibus commendabat, aſſerens ſe per intercesſionem ejus multa & magna, imò omnia quæ habebat, à Deo impetraſſe) præcipua veneratione Sanctum proſequentes à Sanctiſſimo Domino noſtro Gregor. Papa XV. obtinuerunt Feſtum ejus à populo, totaque Eccleſia quotannis celebrari die 19. Martii.

Feſtum S. Joſephi 19. Mart. celebrandum etiam à populo ex conſtit. Greg. XV.

I. Ad rem modò redeamus, ſi Chriſtus Dominus Patrem non habuit in terris, qualiter ergò tranſactum eſt ſacroſanctum hoc myſterium Incarnationis?

R. Solâ Spiritus ſancti operatione ſanctiſſimâ, caſtiſſimâ, diviniſſimâ.

I. Declara hoc paulò ampliùs?

R. Spiritus Sanctus, qui eſt tertia in Deitate perſona, & unus idemque cum Patre Filioque Deus, pro infinita ſua omnipotentia, ex puriſſimo ſanguine hujus Virginis corpus perfectiſſimi infantis formavit, eodemq; momento nobiliſſimā animam creavit, & cum corpore infantis hujus univit: & hæc omnia Dei Filius in ſuam perſonam aſſumpſit: adeò quidem ut JESUS Chriſtus qui anteà ſolùm Deus eſſet, tandem homo eſſe cæperit, & quemadmodum quà Deus Patrem habuerit ſine Matre, ſic quà homo Matrem habuerit ſine Patre.

Vide S. Tho. 3. p. q. 33. & 34. Et Comment. ſuper Matt. 1. v. 20.

I. Non capio quo pacto potuerit Virgo concipere?

Similitudo. Cyrill. catech. 12. ubi plura congeris contra Gentiles & Iudaeos.

R. Arcana Dei myſteria tametſi non intelligantur, credenda tamen ſunt. Porrò habemus in mundi creatione hujus rei perpulchrum exemplum. Scis terram ex ſeipſa ordinariè non producere granum, ſi priùs arata, & conſita non ſit, & madefactâ pluviâ, & calefacta Sole: nihilominùs in principio, quando primum granum produxit, terra arata non fuit, nec conſita, nec compluta, nec calefacta: & ſic (ſuo modo loquendo) Virgo adhuc exiſtens ex ſolo mandato, & virtute Dei omnipotentis, illicò triticum, frumentumque produxit. Sic quoque Virginalis uterus B. Mariæ abſque ullo humano commercio, ex ſolo Dei præcepto, per operationem S. Spiritûs, pretioſiſſimum illud granum, ſcilicet animatum Corpus Filii Dei produxit, *& terra noſtra dedit fructum ſuum. Non excedit fidem* (inquit Ambroſ. Epiſt. 81.) *quod homo exivit ex Virgine, quando petra fontem profluum ſcaturivit, ferrum ſuper aquas natavit, Petrus ſuper aquas pedibus ambulavit. Sed ſi doctrinæ non creditur Sacerdotum (inquit idem in epiſt. eadem) credatur oraculis Chriſti, credatur monitis Angelorum dicentium: quia non*

Luc. 1.

eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia ſemper immaculatum cuſtodit & ſervat.

I. Cùm Spiritûs ſancti virtute operatum ſit hoc myſterium, cur Spiritus ſanctus Pater Chriſti ſecundùm humanitatem dici nequit?

R. Ut aliquis rei alicujus Pater ſit, non ſufficit illam quoquo modo facere, ſed debet illam ex propria ſubſtantia ſecundùm viventis naturæ ſimilitudinem in eadem ſpecie producere. Ideoque non dicimus fabrum murarium eſſe Patrem domûs alicujus à ſe factæ, ſed opificem, ſiquidem ex calce & lapidibus illam, non verò ex propria ſubſtantia conſtruxit. Jam verò Spiritus ſanctus Corpus Filii Dei formavit de carne Virginis, non verò de ſua propria ſubſtantia, ideoque Filius Dei, non eſt Filius Spiritûs ſancti, ſed eſt Filius Dei Patris in quantum Deus, quoniam ab illo divinitatem accepit, & eſt Filius Virginis in quantum homo, quia ab illa carnem humanam aſſumpſit.

Aug. Ench. c. 38.

I. Quare opus Incarnationis Filii Dei aſcribitur Spiritui ſancto, numquid etiam Pater ac Filius ſunt cooperati?

Incarnationis Filii opus Spiritui ſancto attribuatur cur?

R. Non eſt dubium quin illam Incarnationem operata ſit tota S. Trinitas: omnia enim opera ad extra (id eſt, quæ Deus extra ſe operatur) ſunt toti Trinitati communia. Appropriatur tamen hoc Incarnationis Myſterium S. Spiritui, quia ipſe eſt amor Patris, & Filii: hoc autem opus eſt ſummi erga hominem amoris, & benevolentiæ 2. Dona gratiæ, & quæcumque ad ſanctificationem aliquo modo pertinent, attribuere ſolet Scriptura Spiritui ſancto, non eſt autem præſtantius ullum donum, quàm id quod Chriſto Domino in Incarnatione ſua collatum eſt; ut natura humana ſubſiſteret in perſona Filii Dei, ideoque nomine donaretur, quod eſt ſuper omne nomen. *Filius Altiſſimi vocabitur. Quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur Filius Dei.*

Vide Aug. l. 11. de Trinit. c. 19. & Ench. c. 38. & 40.

Ex qua unione naturæ noſtræ cum perſona Filii Dei originem ducunt quæcumque bona & media ad noſtram juſtificationem ſpectantia. 3 Dicendum ideò Myſterium Incarnationis Spiritui ſancto attribui, ut ſciamus ab hac Sanctiſſima Verbi Dei Incarnatione, & Nativitate longiſſimè abfuiſſe ſordes & immunditias, quæ ſolent in humanis conceptibus adeſſe; fuiſſe è contra hîc omnia ſana, ſancta, munda, divina, ut Virgini annuntiaverat, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideòque & quod naſcetur ex te, Sanctum vocabitur Filius Dei.* Solus enim per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dominus Jeſus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non ſenſerit, & cœleſti majeſtate depulerit.

Luc. 1.

I. Ediſſere mihi ergo quænam ſingulare hoc Incarnationis myſterium conſecutæ ſint prærogativæ?

S. Amb. l. 2. in cap. 1. Luc.

R. Libenter fecero, ſed breviter.

Prima. Nos omnes naſcimur cum peccato originali, quod à primo parente per carnalem generationem trahimus: Chriſtus autem ſine peccato natus eſt; cum Patrem non habuerit in terris.

Secunda. Nos concipimur malè affecti, & aliqui ſurdi, cæci aliqui, alii debiles: Chriſtus verò conceptionem perfectiſſimam conſecutus eſt, quia Dei perfecta ſunt opera. Itaque neque ægrotavit umquam, & juſtæ ſtaturæ fuit, & *ſpecioſus* planè *præ Filiis hominum.*

Quinque prærogativæ Incarnationis Dominicæ.

Tertia. Conceptio noſtra eget ſpatio dierum quadraginta, ut perficiatur, quia natura paulatim progreditur in opere ſuo; At Chriſtus in momento conceptus, & plenè formatus fuit, quia Deus non eget tempore; *Dixit, & facta ſunt, mandavit & creata ſunt.*

Pſ. 148.

Quarta. Corpora noſtra per dies 40. carent anima rationali, & poſtquam illis infuſa fuerit anima rationalis, adhuc longo tempore ipſa anima caret uſu rationis; neque ullam artem aut ſcientiam,

Trinit. 9. & Euch. 8. & 18.

tiam, aut virtutem infuſam recipit: Chriſtus verò in ipſa conceptione animam nobiliſſimam omni ſapientiâ, & virtute, & ipſa etiam beatitudine ornatam, accepit; Id quod Iſaias illis verbis expreſſit: *Egredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c.* (Is. 11.) Virga de radice Jeſſe ſecundùm ſanctum Hieronymum, eſt Virgo Maria, quæ deſcendit ex progenie David, cujus Pater fuit Jeſſe: flos autem ex Virga illa germinans fuit Chriſtus, qui de ſe dicit: (Luc. 4; Cant. 2.) *Ego flos campi, & lilium convallium.* Chriſtus autem fuit flos in conceptione, & fructus in nativitate: proinde in ipſa conceptione, & ante Nativitatem plenus Spiritu ſancto & omnibus donis.

Quinta. Nos completâ conceptione, & corpore animato animâ rationali incipimus eſſe homines; Chriſtus autem conceptione in momento completâ, incepit ſimul eſſe Deus, & homo; quoniam in eodem inſtanti (ut ſupra eſt dictum) in quo formatum eſt corpus & infuſa anima, fuit etiam mirabili modo corpus, & anima unita Divinitati in ſecunda perſona Trinitatis, & *Verbum caro factum eſt*, & qui erat Filius Dei, cœpit eſſe Filius Virginis. (S. Ambr. 2. in cap. 1. Luc.; Quinque prærogativæ Incarnationis Dominicæ.)

I. Cum tota Trinitas Incarnationem ſit operata, qui fit, quòd ſola Filii perſona carnem induit.

R. Quia unio humanæ naturæ facta eſt ad perſonam Verbi, non autem ad naturam: quia in unitatem perſonæ acceſſit Verbo anima rationalis, & caro; ut quemadmodum eſt una perſona quilibet homo, anima ſcilicet rationalis, & caro; ita ſit Chriſtus una perſona Verbum & homo; ut ſit unus idemque hominis, Deique Filius. Quod declaratur exemplo. (Simile.) Si unus homo veſtem induat, & duo alii in induendo juvent, tres in illo opere occupantur, & tamen unus ſolùm induitur: ſic in opere Incarnationis Filii Dei, tres perſonæ quidem ſibi invicem præſtò fuerunt, ſed ſolus Dei Filius humanam carnem induit; *Et homo factus eſt.* (Pſal.)

I. Cur fuit conveniens Filium, id eſt, ſecundam in Divinitate perſonam præ cæteris incarnari?

R. Ut per illum reſtaurentur omnia, per quem omnia facta ſunt: ſolet enim artifex per formam conceptam quâ rem artificialem fabricavit, ipſam ſi collapſa fuerit, reſtaurare; ita ergò Deus Pater per Filium ſuum, per quem tanquam ideam hominem condiderat, collapſum, & confractum reparavit. Secundò quemadmodum verbum mentis noſtræ quaſi vocem induens ad homines ſe profert, ita decuit Verbum Patris carnem quaſi viſibilem vocem induere, per quam hominibus ſe, & Patrem manifeſtaret. (*Fuit conveniens ſecundã perſonam præ cæteris incarnari.*)

I. Quandonam Spiritus ſanctus hoc Myſterium operatus eſt?

R. Statim conſenſu per Virginem præſtito ad verba Angeli dicentem: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* (*Sup. ſub init. hujus lect.*)

Domus pudici pectoris,
Templum repentè fit Dei:
Intacta neſciens virum,
Verbo concepit Filium. (*Hymnus Eccleſiæ.*)

I. Quæ eſt cauſa potiſſima, cur Filius Dei ſit incarnatus?

R. *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis; & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt.* (*D. Thom. 3. p. q. 3. a. 3. Symbolum.*)

I. Cur Chriſtus Dominus *propter nos homines* deſcendit *de cœlis* magis quàm propter diabolum, qui æquè perierat?

R. Diaboli damnati non habent quod conquerantur, quod ad eos non pervenerit ſalus, quæ nulli erat debita. Quod autem Deus de gratia ſpeciali erga genus humanum miſericordiâ uſus ſit, in eo neminem fecit injuriam; *Poteſtatem enim habet figulus luti ex eadem maſſa facere vas aliud quidem in honorem, aliud in contumeliam.* (Rom. 9.)

I. Si

I. Si Chriſtus Dominus, ut modò dicebas, incarnatus ſit propter homines, & propter eorum ſalutem, quomodò factum eſt, ut tanto poſt Adæ lapſum tempore demum incarnatus ſit;

Incarnationis Myſterium cur tamdiu dilatum.
Aug. tract. 31. in Ioannem.
S. Thom. 3. p. q. 1. a. 5.

R. Primò. Quia conveniens fuit ut tantùm myſterium multò ante prædicaretur, & præfiguraretur; ſic enim majori affectu, & veneratione poterat ſuſcipi ab hominibus. Secundò, ut homines multò ante diſponerentur ad hoc myſterium ſuſcipiendum, per legem nimirum naturalem, & Moſaicam, & per agnitionem propriæ infirmitatis, & miſeriæ. Tertiò fuit conveniens peccati gravitatem & divinam indignationem & juſtitiam manifeſtari, quod factum eſt differendo remedium ſalutis, & puniendo homines propter peccatum Adæ.

I. Ubinam perfectum eſt hoc myſterium?

Luc. 1.

R. In Nazareth, ubi manebat Beata Virgo cum Sponſo ſuo S. Joſepho.

I. Eſtne magni æſtimandum hoc Incarnationis Verbi Dei myſterium?

Incarnatio verbi Dei maximi facienda.
Pſ. 143. & c. 16.
Matt. 13.
1. Pet. 1.

R. Maximi. Primò, quia à Sanctis jam olim Patriarchis, & Prophetis, multum fuit deſideratum, v. g. à Moyſe Exod. 4. *Mitte quem miſſurus es*, Davide: *Domine inclina cælos tuos; & deſcende*; Iſaia: *Emitte Domine Agnum dominatorem terræ*. Et cap. 45. *Rorate cæli deſuper; & nubes pluant juſtum* q. d. veniat, veniat ros iſte mellifluus, veniat gratiſſimus imber, qui Virginis fœcundet uterum, ut terra noſtra det fructum ſuum, materiam præbens corpori, ut generetur juſtus ille qui omnes debet juſtificare. Quantoperè deſiderarint, & quàm ardentibus votis hanc Incarnationem expetierint antiqui Patres, & Prophetæ, declarat ipſe Chriſtus in Evangelio, dicens: *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ, & juſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt*. Et Apoſtolus Petrus: *De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ.*

In Adventu Domini.

Quod & ipſa Eccleſia repræſentat per ſeptem illas antiphonas ſolemnes ab O, incipientes: O Sapientia, ô Adonai, ô Radix Jeſſe, ô Clavis David, ô Oriens, ô Rex gentium, ô Emanuel. 2. Si myſterium ipſum in ſe conſideretur, quid eo majus eſſe poteſt, in quo Verbum æternum, omnipotens, omniſcium, Patri conſubſtantiale, Deus ipſe caro factus ſit, id eſt, miſer homo, fragilis & vilis? quemadmodum ergo homo infinitis intervallis à Deo diſtat, ita unio quæ hæc extrema in unum conjungit, non poteſt non eſſe ſummoperè mirabilis. 3. Myſterium hoc ex parte finis maximum eſt, ſive Dei Optimi Maximi gloriam, ſive noſtram ſpectes utilitatem. Quantùm ad priùs; Chriſtus Dominus reſtituit per Incarnationem, & in ea exſolutum Redemptionis humanæ opus, Deo Patri omnem honorem, quem ei peccatum Adæ ſuſtulerat, idque ſumma arte, & conſilio; Nam Deus exinaniens ſeipſum, & in forma ſervi quam acceperat, Patri factus obediens uſque ad mortem, ſecundùm omnem modum rigoroſæ juſtitiæ Deo ſatisfecit pro inobedientia, & ſuperbia Adæ, quibus ſe contra Dei Majeſtatem infinitam extulerat. Quantum ad poſterius, nullum occurrere potuit convenientius, nullum aptius remedium ad tollendas omnes infirmitates generis noſtri, quàm Filii Dei Incarnatio. Ingerit enim hoc myſterium homini perfectam ſuæ miſeriæ, in quam per peccatum corruerat, notitiam; miſeriæ, heu! tantæ, ut illi ſanandæ iſto tanto opus fuerit medico. Deinde hoc magnum myſterium ad omne bonum hominē promovet. *Primò*, quidem, quantum ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc, quod ipſi Deo loquenti credit. Hoc eſt, quod dicit Auguſtinus: *Ut homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipſa veritas Dei Filius, homine aſſumpto conſtituit atque fundavit fidem.* *Secundò* quantùm ad ſpem, quæ per hoc maximè erigitur; *Nihil tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, quàm ut demonſtraretur*

Incarnationis myſterium eſt undequaque maximum.
Lib. 11. de civ. c. 2.
Idem l. 13. de Trinit. c. 10.

nobis

Digitized by Google

In Adventu Domini. *nobis quantùm diligeret nos Deus; quid vero hujus rei iſto indicio manifeſtius; quàm quod Dei Filius natura noſtra dignatus eſt inire conſortium?* Tertiò quantum ad Charitatem, quæ maximè per hoc excitatur: *Qua major eſt cauſa adventûs Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis?* inquit idem Auguſtinus lib. de Catech. rud. cap. 4. Et poſtea ſubdit: *Si amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat.* Quartò; quantum ad rectam operationem in qua ſe nobis exemplum præbuit. v. 9. *Obedientia;* venit enim Filius hominis non ſuam, ſed Patris facere voluntatem, à quo miſſus eſt; (Joan. 6.) *Humilitatis, humiliavit enim ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* (Philip. 2.) Aliarum denique virtutum omnium quas ipſe exercuit antequam doceret. Hinc pulchrè Auguſt. *Homo ſequendus non erat qui videri poterat; Deus ſequendus erat qui videri non poterat. ut ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur. Deus factus eſt homo.* (*In quodam ſerm. de Nativ.*)

I. Oſtenditne de facto Eccleſia ſibi gratum admodum accidiſſe hoc myſterium?

R. Ita. Nam præterquam quòd annuam ſolemnitatem celeberrimam in die Annuntiationis B. Mariæ Virginis inſtituit, uti ſuprà habitum eſt, ſacri quoque ritus volunt, ut quotieſcumque in Symbolo Miſſæ decantantur, vel leguntur iſta verba. *Et homo factus eſt.* Et iſta Evangelii Sancti Joannis: *Et Verbum caro factum eſt.* genua ab omnibus flectantur in ſignum grati animi & ſeipſum, quibus poteſt modis, demittentis, conſideratione ejus myſterii, in quo Deus Altiſſimus in tantum ſe demittit ut fiat homo.

I. Oſtenditne aliquando Deus ſigno aliquo id ſibi placere, ut ad ſacra iſta verba: *Et Verbum caro factum eſt,* homines præ reverentia incurventur?

R. Ita. *Quâdam die Nativitatis Domini cùm profundè ſe inclinarent Moniales ad reſponſorium. Verbum caro factum eſt, pro honore & reverentia Incarnationis Dominicæ Sancta Gertrudis audivit Deum dicentem ſibi: Quotieſcumque aliquis inclinat ſe ad iſta verba cum humilitate, & grata recordatione, quòd pro eo miſericorditer dignatus ſum fieri homo, toties meipſum ad eum converto; & ex intimo corde offero Patri meo cuncta merita humanitatis meæ in augmentum duplum beatitudinis æternæ iſtius perſonæ.* (*Lib. 4. c. 3. Inſin. divin. S. Gertrud.* — *Exemplum.*)

LECTIO II.

Natus ex Maria Virgine.

I. QUid ſibi vult quod Chriſtum natum ex Maria Virgine profitemur? (*S. Tho. 3. p. q. 35. O.*)

R. Hoc nimirum, Jeſum Chriſtum natum, & in lucem editum ex utero virginali in hunc mundum prodiiſſe.

I. Nonne igitur hoc eſt Beatiſſimæ Virginis Privilegium, ſpeciale & prærogativa maxima, ut Dei Mater eſſe mereretur?

R. Planè maxima. Verùm de hoc latiùs ſuper expoſitione Salutationis Angelicæ ad iſta verba: *Mater Dei.*

I. Quamdiu delituit Chriſtus Dominus intra Virginis intemeratæ viſcera?

R. Novem omninò menſibus, ſicut cæteri ſolent infantes, nimirùm à vigeſima quinta Martii uſque ad vigeſimam quintam Decembris.

I. Fuitne ergò Nativitas Salvatoris per omnia ſimilis nativitati cæterorum hominum.

R. Fuit in uno puncto jam dicto ſimilis; ſed in pluribus rebus fuit diſſimilis. (*Infrà hac ead. lect.*)

I. Quo loco voluit Chriſtus Dominus naſci?

R. In Bethleem, intra ſtabuli an-

Digitized by Google

I. Si Chriſtus Dominus, ut modò dicebas, incarnatus ſit propter homines, & propter eorum ſalutem, quomodò factum eſt, ut tanto poſt Adæ lapſum tempore demum incarnatus ſit;

Incarnationis Myſterium cur tamdiu dilatum.
Aug. tract. 31. in Ioannem.

R. Primò. Quia conveniens fuit ut tantùm myſterium multò ante prædicaretur, & præfiguraretur; ſic enim majori affectu, & veneratione poterat ſuſcipi ab hominibus. Secundò, ut homines multò ante diſponerentur ad hoc myſterium ſuſcipiendum, per legem nimirum naturalem, & Moſaicam, & per agnitionem propriæ infirmitatis, & miſeriæ. Tertiò fuit conveniens peccati gravitatem & divinam indignationem & juſtitiam manifeſtari, quod factum eſt differendo remedium ſalutis, & puniendo homines propter peccatum Adæ.

S. Thom. 3. p. q. 1. a. 5.

I. Ubinam perfectum eſt hoc myſterium?

Luc. 1.

R. In Nazareth, ubi manebat Beata Virgo cum Sponſo ſuo S. Joſepho.

I. Eſtne magni æſtimandum hoc Incarnationis Verbi Dei myſterium?

Incarnatio verbi Dei maximi facienda.

R. Maximi. Primò, quia à Sanctis jam olim Patriarchis, & Prophetis, multum fuit deſideratum, v. g. à Moyſe Exod. 4. *Mitte quem miſſurus es*, Davide: *Domine inclina cœlos tuos; & deſcende*, Iſaia: *Emitte Domine Agnum dominatorem terræ.* Et cap. 45. *Rorate cœli deſuper: & nubes pluant juſtum* q. d. veniat, veniat ros iſte mellifluus, veniat gratiſſimus imber, qui Virginis fœcundet uterum, ut terra noſtra det fructum ſuum, materiam præbens corpori, ut generetur juſtus ille qui omnes debet juſtificare. Quantoperè deſiderarint, & quàm ardentibus votis hanc Incarnationem expetierint antiqui Patres, & Prophetæ, declarat ipſe Chriſtus in Evangelio, dicens: *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ, & juſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt.* Et Apoſtolus Petrus: *De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ.*

Pſ. 143. c. 16.
Matt. 13.
1. Pet. 1.

Quod & ipſa Eccleſia repræſentat per ſeptem illas antiphonas ſolemnes ab O, incipientes: O Sapientia, ô Adonai, ô Radix Jeſſe, ô Clavis David, ô Oriens, ô Rex gentium, ô Emanuel. 2. Si myſterium ipſum in ſe conſideretur, quid eo majus eſſe poteſt, in quo Verbum æternum, omnipotens, omniſcium, Patri conſubſtantiale, Deus ipſe eato factus ſit, id eſt, miſer homo, fragilis & vilis? quemadmodum ergo homo infinitis intervallis à Deo diſtat, ita unio quæ hæc extrema in unum conjungit, non poteſt non eſſe ſummoperè mirabilis. 3. Myſterium hoc ex parte finis maximum eſt, ſive Dei Optimi Maximi gloriam, ſive noſtram ſpectes utilitatem. Quantùm ad priùs; Chriſtus Dominus reſtituit per Incarnationem, & in ea exſolutum Redemptionis humanæ opus, Deo Patri omnem honorem, quem ei peccatum Adæ ſuſtulerat, idque ſumma arte, & conſilio; Nam Deus exinaniens ſeipſum, & in forma ſervi quam acceperat, Patri factus obediens uſque ad mortem, ſecundùm omnem modum rigoroſæ juſtitiæ Deo ſatisfecit pro inobedientia, & ſuperbia Adæ, quibus ſe contra Dei Majeſtatem infinitam extulerat. Quantum ad poſterius, nullum occurrere potuit convenientius, nullum aptius remedium ad tollendas omnes infirmitates generis noſtri, quàm Filii Dei Incarnatio. Ingerit enim hoc myſterium homini perfectam ſuæ miſeriæ, in quam per peccatum corruerat, notitiam; miſeriæ, heu! tantæ, ut illi ſanandæ iſto tāto opus fuerit medico. Deinde hoc magnum myſterium ad omne bonum hominē promovet. *Primò*, quidem, quantum ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc, quod ipſi Deo loquenti credit. Hoc eſt, quod dicit Auguſtinus: *Vt homo fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Dei Filius, homine aſſumpto conſtituit atque fundavit fidem.* *Secundò* quantum ad ſpem, quæ per hoc maximè erigitur; *Nihil tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, quàm ut demonſtraretur nobis*

In Adventu Domini.
Incarnationis myſterium eſt undequaque maximum.
Lib. 11. de civ. c. 2.
Idem l. 13. de Trinit. c. 10.

In Adventu Domini.

nobis quantùm diligeret nos Deus ; quid vero hujus rei iſto indicio manifeſtius ; quàm quod Dei Filius natura noſtra dignatus eſt inire conſortium ? Tertiò quantum ad Charitatem, quæ maximè per hoc excitatur: *Quæ major eſt cauſa adventûs Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis ?* inquit idem Auguſtinus lib. de Catech. rud. cap. 4. Et poſtea ſubdit: *Si amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat.* Quartò, quantum ad rectam operationem in qua ſe nobis exemplum præbuit. v. g. *Obedientiæ*; venit enim Filius hominis non ſuam, ſed Patris facere voluntatem, à quo miſſus eſt; *Humilitatis, humiliavit enim ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Aliarum denique virtutum omnium quas ipſe exercuit antequam doceret. Hinc pulchrè Auguſt. *Homo ſequendus non erat qui videri poterat; Deus ſequendus erat qui videri non poterat, ut ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.*

Incarnationis myſterium eſt undequaque maximum. — Joan. 6. — Philip. 2. — In quodam ſerm. de Nativ.

I. Oſtenditne de facto Eccleſia ſibi gratum admodum accidiſſe hoc myſterium?

R. Ita. Nam præterquam quod annuam ſolemnitatem celeberrimam in die Annuntiationis B. Mariæ Virginis inſtituit, uti ſuprà habitum eſt, ſacri quoque ritus volunt, ut quotieſcumque in Symbolo Miſſæ decantantur, vel leguntur iſta verba, *Et homo factus eſt.* Et iſta Evangelii Sancti Joannis: *Et Verbum caro factum eſt*, genua ab omnibus flectantur in ſignum grati animi & ſeipſum, quibus poteſt modis, demittentis, conſideratione ejus myſterii, in quo Deus Altiſſimus in tantum ſe demittit ut fiat homo.

Lib. 12. civ. 12.

I. Oſtenditne aliquando Deus ſigno aliquo id ſibi placere, ut ad ſacra iſta verba: *Et Verbum caro factum eſt*, homines præ reverentia incurventur?

Idem l. 13. de Trinit. 10.

R. Ita. *Quâdam die Nativitatis Domini cùm profundè ſe inclinarent Moniales ad reſponſorium. Verbum caro factum eſt, pro honore & reverentia Incarnationis Dominicæ Sancta Gertrudis audivit Deum dicentem ſibi: Quotieſcumque aliquis inclinat ſe ad iſta verba cum humilitate, & grata recordatione, quòd pro eo miſericorditer dignatus ſum fieri homo, toties meipſum ad eum converto, & ex intimo corde offero Patri meo cuncta merita humanitatis meæ in augmentum duplum beatitudinis æternæ iſtius perſonæ.*

Lib. 4. c. 3. Inſin. divin. S. Gertrud. — Exemplum.

LECTIO II.

Natus ex Maria Virgine.

I. Quid ſibi vult quod Chriſtum natum ex Maria Virgine profitemur?

S. Tho. 3. p. q. 35. O.

R. Hoc nimirum, Jeſum Chriſtum natum, & in lucem editum ex utero virginali in hunc mundum produiſſe.

I. Nonne igitur hoc eſt Beatiſſimæ Virginis Privilegium, ſpeciale & prærogativa maxima, ut Dei Mater eſſe mereretur?

R. Planè maxima. Verùm de hoc latiùs ſuper expoſitione Salutationis Angelicæ ad iſta verba: *Mater Dei.*

I. Quamdiu delituit Chriſtus Dominus intra Virginis intemeratæ viſcera?

R. Novem omninò menſibus, ſicut cæteri ſolent infantes, nimirùm à vigeſima quinta Martii uſque ad vigeſimam quintam Decembris.

I Fuitne ergò Nativitas Salvatoris per omnia ſimilis nativitati cæterorum hominum.

R. Fuit in uno puncto jam dicto ſimilis; ſed in pluribus rebus fuit diſſimilis.

Infrà hac ead. lect.

I. Quo loco voluit Chriſtus Dominus naſci?

R. In Bethleem, intra ſtabuli an-

guſtias, quia non erat ei locus in diverſorio. *Ut nobis* (inquit Bed. ſup. Luc.) *manſiones multas in domo Patris pararet*.

Cur verò placuit ei in loco tam humili naſci?

Mich. 5. Pſ. 131. Rom. 1. Ut homines doceret contemptum mundi, & eorum jactantiam confutaret, qui ſolent de ſuæ originis loco gloriari. Naſcitur verò in civitate David, ut oſtenderet ſe Davidis Filium, & à quærentibus ibi inveniretur. Vide Leonem ſerm. de Ephiphan. & ſanctum Thomam 3. p. q. 35. a. 7.

I. Iſte locus Nativitatis Domini fuit-ne apud veteres Chriſtianos in magna veneratione.

R. Ita, imò etiam apud Gentiles, ut teſtis eſt Origenes contra Celſum. Pro Chriſtianis verò ſcribunt S. Hieronymus epiſt. ad Marcellam, quæ incipit, *Ambroſius* Chryſoſt. c. 2. in Luc. Beda de locis ſanctis c. 8.

I. Quo anni tempore natus eſt Chriſtus?

R. Difficillimâ anni tempeſtate, ſcilicet Hyberno tempore; nec myſterio vacat, quòd elegerit tempus ſolſtitii hyberni, quando Sol reverti incipit ad nos; quia tunc ipſe Sol juſtitiæ, & vera mundi lux ad homines revertebatur per gratiam, qui per peccata receſſerat.

I. Quâ hebdomadis die?

R. Die Dominicâ. Ita Synod. VI. c. 8.

I. Quânam diei horâ?

Sap. 18. Luc. 2. R. Circa medium noctis 25. Decembris inchoante.

I. Quid de puero JESU recens nato egit Virgo Mater?

R. Illum confeſtim adoravit, pannis involvit, ubere de cælo pleno lactavit, in præſepe reclinavit.

Vid. Catech. Ro. p. 1. c. 4. q. 7. Luc. 2. I. Debetne ſolemniter Feſtum Nativitatis Domini celebrari?

R. Omninò ſolemniſſimè. Sic enim illud agi voluit Angelus apud Lucam, dicens: *Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David.*

I. Habeſne exempla aliquorum Sanctorum, qui ad hocce Nativitatis Domini Myſterium ſpecialem habuerunt devotionem?

R. Ita; De Sancto Franciſco ita ſcribit S. Bonaventura: *Contigit anno tertio ante obitum ſuum, ut memoriam Nativitatis, pueri* JESU, *ad devotionem excitandam apud caſtrum Gretii diſponeret agere, cum quanta majori ſolemnitate valeret. Ne vero hoc levitati poſſet adſcribi; à Summo Pontifice petitâ & obtentâ licentiâ, fecit præparari præſepium, apportari fœnum, bovem, & aſinum ad locum adduci. Advocantur fratres, adveniunt populi, perſonat ſylva voces, & venerabilis illa nox luminibus copioſis, & claris, laudibuſque ſonoris, & conſonis, & ſplendens efficitur, & ſolemnis. Celebrantur Miſſarum ſolemnia ſuper præſepe, Levitâ Chriſti Franciſco Sacrum Evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumſtanti de Nativitate Regis pauperis; quem cùm nominare vellet puerum de Bethleem præ amoris teneritudine nuncupabat: Miles autem quidam virtuoſus, & verax, qui propter Chriſti amorem ſæculari relictâ militiâ, viro Dei magnâ fuit familiaritate conjunctus, Dominus Ioannes de Gracio, ſe vidiſſe aſſeruit puerulum, quemdam valde formoſum in illo præſepio dormientem, quem Beatus Pater Franciſcus ambobus complexans brachiis excitare videbatur à ſomno.*

Exempla In vita S. Franciſci c. 10. n. 9.

Mira S. Franciſci devotio ergà Chriſti Dom. Nativitatem.

I. Comprobavitne Deus aliquo miraculo S. Franciſci devotionem?

R. Ita. Nam *fœnum præſepii reſervatum à populo, mirabiliter ſanativum fuit brutorum languentium, & aliarum repulſivum peſtium diverſarum, glorificante Deo per omnia ſervum ſuum, &c.*

Ibid apud S. Bonav.

Beatus Laurentius Iuſtinianus in has ſacra-

Digitized by Google

ſacratiſſima nocte Nativitatis Domini Miſſarum ſolemnia magno pietatis ſenſu celebrans, in extaſim raptus fuit. Diaconus qui ei miniſtrabat, eum ſubindè propellebat, ſigneque edito, monebat, ut in ſacra actione progrederetur; ſed ille mortuo ſimillimus omnis ſensûs expers apparebat. Vnde neceſſum fuit magnâ vi per ſacram veſtem hominem trahere, & excitare. Ille quaſi è ſopore gravi expergiſcens: Eia, inquit, ſed quid de puerulo iſto agemus? num algentem & totis pra frigore artibus trementem ſolum relinquemus?

Ludov. Gran. ſer. de Nativ. *Beata Margareta cui nomen à Caſtello Italiæ urbe; ubi nata & ſepulta, ſæpè in contemplatione deliciebatur coram præſepio pueri* JESU. *Hinc cùm poſt mortem inteſtina extraherentur, ut corpus aromatibus conditum, incorruptum ſervaretur ob devotionem fidelium; ubi cor ejus abſtractum fuit, repertus eſt unio (lapis pretioſus) inſigni magnitudine & pulchritudine, in quo ſculpta erat imago Nativitatis, eademque Virgo genuflexa ibi ante Domini præſepe. Qui unio ita ſervatur adhuc in ſacrario B. Dominici, cujus illa tertium Ordinem profeſſa erat.*

I. Solebantne veteres Chriſtiani ſub Eccleſiæ incunabula hanc ſolemnitatem Nativitatis Domini etiam cum octava magno fervore celebrare?

Martyrolog. Rom. R. Ita maximo. Probari hoc poteſt duobus exemplis è Martyrologio Romano petitis. Horum alterum habetur Cal. Jan. in hæc verba: Romæ S. Almachii Martyris, qui jubente Alipio Urbis Præfecto, cùm diceret: hodie Octavæ Diminici diei ſunt, ceſſate à ſuperſtitionibus idolorum, & à ſacrificiis pollutis: à gladiatoribus occiſus eſt.

Alterum verò 25 Decembris, ubi habetur. Nicomediæ paſſio multorum millium Martyrum, qui cùm in Chriſti Natali ad Dominicum (Eccleſiam ſive ad Miſſam) conveniſſent, Diocletianus Imperator januas Eccleſiæ claudi juſſit, & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure præ foribus poni, ac præconem magnâ voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Jovi thus adolerent, cùmque omnes unâ voce reſpondiſſent, pro Chriſto ſe libentiùs mori, incenſo igne conſumpti, eo die naſci meruerunt in cælis, quo Chriſtus in terris pro ſalute mundi naſci dignatus eſt.

I. Quis inſtituit hanc Natalis Domini feſtivitatem;

R. Cùm antiqui Patres in ſuis, quas hâc die ad populum homiliis habuerunt, de eo feſto, ut de re antiquiſſima locuti ſint, nullumque inveniatur inſtitutionis exordium, ab ipſis Apoſtolis inſtitutum eſſe piè credendum eſt. *Baron. an. Chriſti 59. n. 16.*

I. Quid notandum circa Chriſti Domini Nativitatem, ſive Virginis Matris puerperium,

R. Quod cuncta ſunt gaudio plena, ſancta, & per omnia admiranda. Sine dolore peperit, quæ nullam in Conceptione carnis voluptatem ſenſit. Cæteræ mulieres non ſine violenta dilatatione partium illarum per quas infantulus prodit in lucem, parturire poſſunt, atque inde exiſtit vehemens ille parturientis dolor. Sancta verò Dei genitrix nullam paſſa eſt in parturiendo meatuum apertionem, aut dilatationem, ſed ut Virgo concepit, ſic etiam Virgo peperit: & ut Chriſtus clauſo ſepulchro reſurrexit; & clauſis januis ad Apoſtolos introivit, ſic etiam utero clauſo in lucē prodiit Hoc eſt quod canit Eccleſia, *poſt partum Virgo inviolata permanſiſti.*

I. Numquid ergò pictores atque ſculptores aliqui imperiti meritò reprehendi debent, qui ſanctam Domini & Salvatoris noſtri generationem ex Virgine per mulierem in lecto decumbentem exprimunt? *Hier. contra Helvi.*

R. Planè, cùm, ut dictum eſt, nullos Virgo in partu experta ſit dolores neque eguerit obſtetrice, aut mulierecularum ſedulitate, ſed ipſa Mater, & obſte-

trix fuerit, quæ flexis poplitibus editum in lucem filium, ipſum, quem genuit adoravit. Quod ſignificat ipſe Evangeliſta Lucas enarrans, quòd ipſa puerum in lucem editum confeſtim pannis involverit, & in præſepio collocaverit, ut ſuprà notavimus. In tantum ergò Virginis partus à cæteris mulierum partubus diſcrepavit, quantum ipſe puer JESUS cæteris infantibus, filiis hominum excelluit.

C. 2. S. Thoma 3. p. q. 28. a. 6. ad. 3.

I. Sed unde hæ omnes prærogativæ, ſive excellentiæ partûs Virginis?

R. Ex ipſa virtute Spiritûs ſancti qui in Filii Dei Nativitate Virginis Matris integritatem ſervavit, ſicut in Conceptione eidem fœcunditatem contulit.

De Virginit. B. V. S. Thom. 3. p. q. 280.

I. Manſitne igitur Dei Mater ſemper Virgo.

R. Ita planè confitendum eſt, ut Dei Mater dicatur *Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo poſt partum*, ſicuti ſuprà notavimus ad ejus laudem canere Eccleſiam.

I. Habeſne in ſcripturis Dei genitricis perpetuæ Virginitatis aliquas figuras?

Figura Virginit. B. Virg. Deipara.

R. Habeo. Rubum incombuſtum, Exod. Vide Bernard. ſer. 2. ſuprà Miſſus. *Secundò*, Urnam auream, in qua manna reconditum eſt, Exod 16. Vide Ambroſ. ſer. 3. *Tertiò*, Arcam de lignis Setim fabrefactam. Exod. 25. *Quartò*, Virgam Aaronis flores germinantem, num 17. & Iſa. 11. *Quintò*, Vellus Gedeonis rore plenum Jud. 6. Vide S. Bernard. ſer. 2. ſuprà Miſſus, & ſer. 2. de Annuntiatione, Chryſol. 143. *Sextò*, *Terram quæ dat fructum ſuum, & veritas de terra orta eſt*. Chriſtus de Virgine natus; Auguſt. tract 41. in Joannem. *Septimò*, Virginis integritatem porta clauſa ſignificavit, per quam *ſolus Dominus Deus Iſraël ingreditur, & egreditur*. Auguſt. ſerm. 2. de Nativitate. *Octavò*, Lapis de monte abſciſſus abſque manibus deſignavit Chriſtum de utero Beatæ Virginis abſque virili ſemine proditurum, S. Auguſtin. concione ad Catech. S. Hieron. Theodor. Lyran. ſuper Danielem.

Pſal. 66. Pſal. 84. Ezech. 44. Dan. 2.

I. Habeſne exemplum ad confirmandam hanc perpetuam Dei genetricis Virginitatem?

In Vita S. Ægidii apud Sur. 23. April. tom. 2. Exemplum.

R. Habeo. *Hærebat in re certiſſima quidam Theologiæ Doctor, & mali dæmonis molitione de Maria Dei matris perpetua virginitate dubitabat. Objiciebatur enim illi, non quidem fidei ſed rationis difficultas, qui fieri poſſet ut Maria Mater eſſet, & Virgo: multoſque annos vir Theologus, & plane Catholicus quieſcere non poterat, hominemque nanciſci cupiebat, quo magiſtro, & medico ad eximendum ſcrupulum, morbumque pellendum, uteretur. Cùmque ad hujus Theologi, & Religioſi viri aures, Ægidii fama, qui D. Franciſci ſectator erat, perveniſſet; quodque ad divina myſteria contuendæ ſæpenumerò raperetur, ad eum ſe conferre ſtatuit, haud dubiâ conceptâ ſpe mentis omninò tranquillandæ. Ægidius hominis procul viſi, & iter & animum præcognoſcens obviam procedit venienti; & baculo quo ſe ſuſtentabat, terram pulſans; Theologum his verbis antevenit; Frater Prædicator (erat ex alumnis D. Dominici) Sanctiſſima Deipara Maria Virgo eſt ante partum; ſtatimque ut hæc dixit pulcherrimum illic exortum eſt lilium. Iterum percuſſa humo repetit; Frater prædicator, S. Maria Virgo eſt in partu; & confeſtim alterum non minoris pulchritudinis exortum eſt lilium. Tertiò bacillo ſolum feriens; Frater, inquit Concionator, S. Maria Virgo eſt poſt partum; ſimulque tertium extitit lilium formoſitatis, & candoris admirandi. His actis dictiſque aufugit Ægidius, cùm dubitationem magiſtri ex animo funditùs ejeciſſet. Quæ etſi non errare cogebat, tamen animi tranquillitatem adimebat, & in fide vacillandi non levem metum ingenerabat. Ille ut Ægidium eſſe comperit, qui ſe curaverat (non enim de facie noverat) Franciſcanum ex*

ill

Digitized by Google

illo tempore Ordinem miro eſt amore complexus, Ægydiumque præſertim. Nec dubitavit tria lilia Deiparæ fuiſſe Virginitatis perpetuæ fidem, quaſi triplici nodo, qui difficilè rumpitur, in concienatoris animos religantis.

I. Eſtne laudabilis conſuetudo, quâ puerperæ in difficultate partus Virginis auxilium invocent?

R. Ita. Nam Beatiſſima Virgo quæ abſque dolore nobis peperit Salvatorem, ſæpè illis in ejuſmodi difficultate opitulata eſt.

I. Habeſne exempla ad hanc rem?

Exempla. R. Habeo. *Mulier quædam de partibus Aretinis jam dies ſeptem graviſſimè cruciata deſperabatur à medicis. B. Franciſcum, qui tunc obierat, fidenter invocavit cum voto ei facto. Obdormivit mulier, & ecce apparet ei Franciſcus, & interrogat, Agnoſcis me? Noſtine etiam canticum Salve Regina, ad implorandum Deiparæ auxilium? Cumque illa reſpondiſſet agnoſcere ſe Franciſcum, & noſſe illud canticum, ait ei Franciſcus: Exordire igitur, & incolumis paries. Ad hanc vocem experrecta mulier pronunciat: Salve Regina, &c. & in illis verbis: Et Jeſum benedictum fructum ventris tui, filium pulchellum edit omni liberata dolore, gratias agens Reginæ miſericordiæ, quæ interveniente Beato Franciſco tantam ergo ſe oſtenderat pietatem.*

Bonav. in vita S. Franciſci.

P. Ioan. Montanus in ſuo Mariali. *In Hiſpania Matrona quædam genere, & fide Chriſtiana nobilis; per infideles è Patria abducta, ac multis difficilibuſque per eoſdem operibus quaſi mancipium oppreſſa, non curantes quod utero gravida & prægnanti proxima eſſet, partum tandem inter animalium immunditias in ſtabulo effundit ſola, & abſque obſtetricante comite. Quid ageret? Roſarium arripit, & ad B. Virginis opem confugit; protinus adfuit illa quæ invocantibus ſe nunquam non auxiliatur, & obſtetricas partes agit, prolem in manus aſſumit, eamque decentiſſimè pannis involvit. Benedictus Mariæ Filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſacris veſtibus amictus Baptiſmum miniſtrat. Quid plura? paucis poſt diebus venit Angelus invitans puerperam ad purificationem, ut moris eſt Chriſtianarum mulierem poſt partum. Illa ſecuta Angelum in comitatu S. Annæ, & B. Mariæ Magdelenæ venit ad templum ſibi ignotum, in quo præſente Virgine Deiparâ Chriſtus ipſe Dominus Miſſam celebravit, puerperam ſacri corporis ſui communione refecit, & mox illa ſana, & incolumis inter ſuos ſiſtitur in Patria, magno divinæ bonitatis oſtento.*

I. Cur igitur nolunt hæreticæ mulieres prægnantes Beatiſſimam Virginem invocare?

R. Quia non credunt quòd eas juvare poſſit; imò audent (non ſine grandi blaſphemia) aſſerere quòd non manſerit Virgo poſt partum; adeoque indignas planè ſe præſtant ejus ope. **Mira improbitas hæreticarum mulierum.**

I. Habeſne etiam ad hanc rem exemplum? **Exemplum.**

R. Habeo. In partibus Hollandiæ, mulier quædem cœpit partûs dolores, & anguſtiam perſentiſcere; accurrunt, ut fit in tali occaſione, cognatæ, & vicinæ, cumque multiplicarentur ejus ærumnæ, una ex aſtantibus monet Deiparem Virginem ut invocet. Quid tu mihi, inquit parturiens, de ſue illa? Non offendaris Catholice lector, dum iſta tuis auribus ingeruntur; hæ ſunt nimirum horrendæ blaſphemiæ, quas ore ſacrilego contra Deum ejuſque Matrem emovere ſolet *Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum eſt.*

Lindan. Apol. 2. relig. Cathol. c. 11.

Sed audiamus rei exitum: juſtiſſima Dei vindicta ſtatim præ foribus adfuit: Nam quæ impuriſſimâ voce Sanctiſſimam Deiparam ſemper Virginem, ſuem dixerat, parit illa emortuas aliquot ſues, dignos planè fœtus ſpurciſſimâ illâ, & ter maledictâ ſue.

I. Quæ ſunt hæreſes præcipuæ, quæ

huic

huic ſanctiſſimæ Virginis fœcunditati, & illibatæ Matris Virginitati adverſantur?

R. Tres iſtæ. *Prima*, eorum qui impiè docent Virginem ex Joſepho concepiſſe more aliarum fœminarum, adeoque negant Virginem ante partum fuiſſe. Hæc eſt Judæorum hæreſis, nec non eorum qui cenſuerunt Chriſtum Dominum purum hominem fuiſſe. In his fuerunt Ebion, & Cerinthus, contra quos S. Joannes Evangelium ſuum conſcripſit, & in ejus cap. 1. aſſeruit, quod *Verbum caro factum eſt*. Contra illos ſufficiat illud Iſaiæ: *Ecce Virgo concipiet* quod in Beatiſſima Virgine Maria impletum fuiſſe declarant SS. Evangeliſtæ Matthæus, & Lucas c. 1

Hæreſes principales contra myſteriū illibatæ ſemper Virginitatis Deiparæ Ebionis, & Cerinthi eſte Iren. l. 1. c. 25. Ioviniani.

Secunda, eſt eorum qui aſſerebant B. Virginem in partu corruptam fuiſſe; & hæc fuit hæreſis Joviniani, uti teſtatur S. Auguſtinus l. de hæreſ. Contra eos quoque ducitur efficaciſſimum argumentum ex loco Iſaiæ allegato; dicitur enim: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, & ex Prophetia Ezechielis, ubi dicitur: *porta hæc clauſa erit; & non aperietur, & vir non tranſibit per eam.* S. Amb. l. de inſtitut. Virg. c. 8. Bernard. ſer. 2. ſup. Miſſus. S. Auguſtinus ſerm. 2. de Nativit. *Porta*, inquit, *clauſa eſt ſignaculum pudoris, immaculata carnis integritas: non enim violata eſt partu, quæ magis ſanctificata eſt conceptu.*

Cap. 44.

Tertia, aliorum, qui cùm Beatam Mariam ante partum, & in partu Virginem faterentur, tamen à partu dixerunt plures Filios ex Joſepho concepiſſe, qui propterea in Evangelio vocarentur Fratres Domini. Hujus hæreſis aſſertor fuit Helvidius, contra quem integrum librum eruditè ſcripſit S. Hieronymus. Contra has omnes hæreſes dicimus in hoc noſtro Symbolo: *Natus ex Maria Virgine.*

Helvidii.

I. Cur ex Virgine Dei Filius naſci voluit?

Cur de Virgine Matre naſci voluit Deus.

R. Quia incorruptio facit ſimilem eſſe Deo; decebat autem Matrem ſimilem eſſe Filio. 2. Omninò congruebat, ut ſicut mentis Verbum abſque corruptione concipitur, ita Verbum Dei carnem, ſine Matris corruptione conceptam aſſumeret. 3. Dignitati perſonæ Chriſti adverſaretur concipi per cōcupiſcentiam peccato infectam, cùm ipſe ad tollendum peccatum mundi veniret. 4. Oportebat inſigni miraculo Eccleſiæ caput naſci de Virgine, ut ſuâ corporali Nativitate adumbraret ſpiritualem ſuorum membrorum de virgine Eccleſia regenerationem. Quemadmodum enim Filius Dei factus eſt homo in utero Virginis, ita homines renaſcuntur Filii Dei per undam Baptiſmatis. 5 Conveniebat ut ſecundus Adam ex Virgine, ſolâ Dei concurrente virtute naſceretur, ſicut primus Adam à Deo ex terra Virgine plaſmatus fuerat. 6. Congruebat ut ſicut per Virginem ſerpens lethiferum virus, ita per Virginem Deus ſalutis antidotum propinaret: ut quemadmodum per Virginem mors, ita & per Virginem vita rediret, Virginiſque Evæ Maria Virgo fieret Advocata.

Aug. Enchir. cap. 34. & 40.

Idem de S. Virgin. c. 6.

Iren. l. 5. cont. hæreſ. c. 31. & 33.

I. Cur de Virgine deſponſata Chriſtus naſci voluit?

R. Breviter reſpondet S. Hieronymus: *Primò*, ut per generationem Joſeph, origo Mariæ demonſtraretur. *Secundò*, ne lapidaretur à Judæis ut adultera. *Tertiò*, ut in Ægyptū fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius etiam quartam addit cauſam cur à deſponſata conceptus ſit; ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de uxore generatum.

Lib. 1. Comm. in Matt. c. 3.

Vid. plures cauſas apud S. Thom. 3. p. q. 29. a. 1.

I. Cur de Virgine fabro deſponſata?

R. Non id quidem ſine divinæ providentiæ conſilio factum eſt; quia enim ſecundùm divinitatem Filius erat conditoris mundi; etiam ſecundùm humanitatem fabri Filius dici elegit. Ambigitur autem qualis faber Joſeph extiterit: Communis quidem opinio, quam ſequitur S. Thom. ſup. Matt. 13. artem lignariam exer-

Matt. 13. Marc. 9.

exercuiſſe obtinuit; S. verò Hilarius can. 14. in Matth. Beda. l. 2. in Marcum & alii nonnulli fabrum ferrarium fuiſſe cenſent; Typum inter Joſephum fabrum utentem igne, ſpiritu, & aquâ ad ferrum edomandum, & Deum Patrem commutantem vaſa iræ aquâ, ſpiritu & igne, in vaſa miſericordiæ, collocantes.

LECTIO III.

I. REcenſe, ſi placet, totum ordinem hujus myſterii Dominicæ Incarnationis breviter per modum repetitionis?

Ordo myſterii Incarnationis.

R. Libenter fecero: Igitur Pater miſericordiarum, & Deus conſolationis tactus dolore intrinſecùs, quod omne genus humanum per peccatum in certiſſima mortis æternæ diſcrimina rueret, in ipſo Sanctiſſimæ Trinitatis Concilio, ut ſic loquamur, conſultationem, in eum qui ſequitur modum inſtituit. *Quem mittam, aut quis ibit nobis?* nimirùm ad redimendum hominem per aſſumptionem carnis. Valde autem convenienter quaſi deliberat Pater dicendo (quem, aut quis) ſufficiebat enim unum ex Trinitate deſcendere. Addit (mittam) quod concernit ſolum Filium; aut Spiritum ſanctum, qui, ut in Trinitate ſoli procedunt ab alio; ità & ſoli mitti poſſunt. Ne autem putetur Pater non potuiſſe, aut non voluiſſe incarnari, proponit, & de ſe deliberationem & dicit: *Aut quis ibit nobis?* Pater enim tametſi non mitti poterat, tamen ad incarnationem ire, idque nomine totius Trinitatis; ob hoc dicit: *nobis*, ob conſilii benigni atque humanitate pleni communitatem, omniſque divini beneficii ſocietatem, quæ eſt in Trinitate, ait Areopagita de divin. nom. c. 2. p. 1. Sequitur in Iſaia: *& dixi.* Quod intelligendum eſt Iſaiam dicere in perſona Filii Dei. *Dixi*, inquam, *ecce ego, mitte me.* Filius enim dum res verſatur in deliberatione, ad incarnationem ſe primus obtulit. Probatur hæc ex Athanaſ. expoſit. in verba Chriſti: *Omnia mihi tradita ſunt*, ubi ita dicit: *Deus hominū amator, & nolens perire quem ad imaginem ſuam condiderat, in hæc verba* locutus eſt: quem mittam, aut quis ibit nobis? *omnibus obticentibus, locutus eſt Filius:* ecce ego, mitte me. *Quo tempore, attento quod præ reliquis filius convenientius incarnaretur, dixit Pater:* vade ergò. *Tum decretum eſt, ut ipſum Verbum caro fieret, carnemque aſſumptam in omnibus inſtauraret.* Hæc Athanaſius.

Iſaiæ 6.

I. Quid porrò accidit?

R. Beatiſſima igitur Trinitas delegavit Archangelum Gabriëlem, qui de Dei omnipotentis voluntate, & definito conſilio Virginem Mariam, quæ in oculis Domini gratiam invenerat, edoceret: nimirùm, quod ipſa electa eſſet eſſet, ut Spiritu ſancto operante Dei Mater fieret, & Virgo permaneret. Hæc ubi Virgo ſecundis auribus hauſit, & Angeli verbis aſſentiens, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*: ſtatim ſanctiſſimum Chriſti Corpus formatum, eique anima rationis compos conjuncta eſt, atque ita in ipſo temporis articulo perfectus Deus, & perfectus homo fuit; hoc autem novum fuiſſe, atque admirabile Spiritûs ſancti opus, nemo dubitare poteſt, cùm ſervato naturæ ordine nullū corpus hominis, niſi infrà præſcriptum temporis ſpatiū, animâ informari queat. Deinde verò illud accedit, maximâ admiratione dignum, quod ut primùm cum corpore anima conjuncta fuit, ipſa etiam divinitas cum corpore, & anima copulata eſt: quare ſimul ac corpus formatum atque animatum eſt corpori & animæ divinitas conjuncta, eodem planè puncto temporis perfectus Deus & homo Chriſtus extitit, & Virgo ſanctiſſima verè & propriè Mater Dei dicta quod eodem momento Deum, & hominem concepit.

Luc. 1.

Quo temporis inſtanti corpus Chriſti in utero Virginis formatum.

Quando divinitas humanitati conjuncta?

I. Quid nobis emolumenti ex hac ſacra Verbi Incarnatione acceſſit?

R. Nu-

Ex Symbolo.

R. Nuper diximus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum è cœlis deſcendiſſe *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*, id eſt, ut nos redimeret, & pretio Sanguinis ſui à ſervitute diaboli, & ab æterna damnatione liberaret.

Genus humanū non potuit ullius creaturæ viribus reſtitui.

I. Dic, obſecro, non poterat ergo ipſe homo ſeipſum liberare?

R. Minimè.

I. Quare non?

R. Quia omnis homo peccator eſt, & indies cumulum peccatorum ſuorum auget: ut propterea minimè ſit idoneus ad comparandum ingentem illum meritorum Theſaurum, qui ad redemptionem generis humani ſufficiat.

I. Non poterat ergo Angelus quiſpiam nos liberare?

R. Non.

I. Quare non?

R. Quia majus erat debitum noſtraque offenſa, quàm ut per cujuſvis puræ creaturæ merita tolli poſſet? præſertim ſi ſuppoſueris Dei voluntatem fuiſſe, ut illa offenſa ſecundùm omnem rigoroſæ juſtitiæ rationem exſolveretur.

Redemptorem mundi oportuit eſſe Deum & hominem.

I. Quem igitur, & qualem fuiſſe oportuit eum, quem decreverat Deus mundi Redemptorem?

S. Leo idem ep. 13. ante medium ad Fulgentiam. Auguſt.

R. Non alium, quàm Deum & hominem; hominem quidem impollutum, & peccati omnis expertem, plenumque gratiæ ad merendum; Deum verò, ad conferendum operibus meritis, & ſatisfactionibus ſuis pretium, & valorem infinitum. Ita ſane, *niſi ille, Chriſtus, fuiſſet miſſus, nemo noſtrûm fuiſſet ab iniquitate dimiſſus.* Et; *Niſi novus homo factus in ſimilitudinem carnis peccati noſtram ſuſciperet vetuſtatem, & conſubſtantialis Patri, conſubſtantialis eſſe dignaretur & Matri, naturamque ſibi noſtram ſolus à peccato liber uniret, ſub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.* Nihil Moyſes, nihil Prophetæ cæteri conferre nobis poterant ad ſalutem. Hujuſce rei præclaram figuram habes lib. 4. Reg. c. 4. 29.

I. Quo ſenſu dicitur in Symbolo, quòd Chriſtus Dominus *de cœlis deſcendit*, potuitne igitur Deus locum mutare, cùm ſit ubique, & omnia impleat?

S. Thom. 3. p. q. 57. a. 2. ad 2.

R. Deſcendit, non loci mutatione, ſed novâ operatione, & ſui exinanitione, quâ cùm in formâ Dei eſſet, formam ſervi accepit.

I. Quem fructum ex hoc articulo colligere licet?

R. Primum quidem oportet nos tanti beneficii commemoratione aliquam gratiam ejus auctori Deo referre. Deinde debemus eximium hoc, & ſingulare humilitatis exemplum nobis ante oculos ad imitandùm proponere; quid enim ad animorum noſtrorum ſuperbiam, & elationem comprimendam accommodatius eſſe poteſt, quàm ſæpiùs piâ memoriâ repetere, Deum hominem factum? Tertiùm, cavendum eſt ne maximo noſtro malo eveniat; ut quemadmodùm Salvatori noſtro in diverſorio Bethleem locus, ubi naſceretur, defuit; ita etiam quando jam in carne non naſcitur, locum in cordibus noſtris invenire non poſſit, ubi in ſpiritu naſcatur.

DE IV. ARTICULO.

CAPUT QUINTUM.

Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

LECTIO PRIMA.

I. **Q**UIs eſt quartus Symboli Articulus?

R. *Paſſus ſub Pontio Pilato, &c.*

I. Quid ſibi vult hic articulus?

R. Con-

R. Complectitur myſterium Redemptionis humanæ, quando idem verus Dei filius ſecundùm humanam illam naturam aſſumptam extrema verè paſſus eſt pro nobis ſub Pontio Præſide, in Crucem ſuffixus, in Cruce mortuus, & deinde ſepultus.

S. Tho. 3 p. q. 46. a. 3. ad

I. Eſtne hujus articuli fidelibus neceſſaria cognitio?

Articuli 4. cognitio neceſſaria.

R. Planè neceſſaria. Adeò quòd libenter fateatur Apoſtolus nihil aliud ſe ſcire, *niſi IESVM Chriſtum, & hunc crucifixum.* Hoc nimirum eſt præcipuum religionis noſtræ fundamentum, quòd credamus Chriſtum Dominum morte ſuâ peccatum ſuſtuliſſe, noſque Deo Patri in Sanguine ſuo reconciliaſſe. Quare in hoc argumento præcipuum ſtudium, & operam adhibeant Parochi, ut fideles Dominicæ Paſſionis memoriam ſæpiſſimè animo repetant, & tanti beneficii commemoratione excitati, totos ſe ad Dei erga nos amorem, & bonitatem ſuſcipiendam convertant.

1. Cor. 2.

I. Eſtne frequenter hominibus inculcatum hoc myſterium?

R. Frequentiſſimè. In hoc ferè omnes Prophetæ ante Chriſti adventum; Apoſtoli poſt ejus Mortem & Reſurrectionem laborarunt, ut hominibus perſuaderent hunc eſſe mundi Redemptorem, eoſque in Crucifixi poteſtatem, atque obedientiam redigerent. Imò ipſe Dominus Deus, cùm nihil tam ab humana ratione remotum eſſet, quàm crucis myſterium, ſtatim poſt peccatum non deſtitit tum figuris, tum Prophetarum oraculis filii ſui mortem ſignificare.

Figuræ.

I. Affer mihi, ſi placet, è famoſiſſimis aliquot hujuſce rei figuras?

R. Ut de multis pauca attingamus; Abel primum, qui Fratris invidiâ occiſus eſt; deinde Iſaac ſacrificium; præterea Agnus, quem Judæi cùm è terra Ægypti egrederentur, immolarunt; tum ſerpens æneus, quem in deſerto Moyſes exaltavit, Chriſti Domini Paſſionis ac mortis figuram præmonſtrabant.

Gen. 4. 22. Exod. 12. Num. 21.

I. Sed quid de Prophetiis eò pertinentibus?

R. Multi ſanè Prophetæ de Paſſione ac morte Domini vaticinati ſunt; ſed præ cæteris, ut Davidem omittam, qui omnia præcipua Redemptionis noſtræ myſteria in Pſalmis complexus eſt, Iſaiæ oracula tam aperta, & clara ſunt, ut rectè dici queat eum potiùs rem geſtam expoſuiſſe, quàm futuram prædixiſſe.

Prophetia. Iſaias clariſſimè de paſſione Domini vaticinatus.

I. Quid verò egit Chriſtus Dominus toto vitæ ſuæ decurſu uſque ad Prædicationem ſuam ſub annum 30. ætatis ſuſceptam?

R. Quoad Chriſti vitam legimus admirandam ejus ex Virgine Conceptionem, & Nativitatem, Circumciſionem, & in Templo Præſentationem; cumque eſſet annorum duodecim, in medio Doctorum ſeſſionem; quodque Patri, & Matri ſubditus fuerit. Cætera, uſque ad Joannis Baptiſtæ geſta miro ſilentio Evangeliſtæ prætereunt.

I. Sed quid egit?

R. Valentiniani, teſte Iren. l. 1. c. 17. dixerunt illo tempore Chriſtum ſtudiis Doctrinæque legis acquirendæ vacaſſe.

Celſus, Origene teſte l. 6. cont. eundem, Platonicæ Philoſophiæ operam dediſſe, ſuaque dogmata ex ea hauſiſſe commentus eſt.

At certum eſt Chriſtum Dominum æternam Patris Sapientiam, nec litteris, nec ſcientiis ad diſcendum incubuiſſe, ut apertè Judæi ipſius æmuli teſtantur, cum exclamatione admirantes: *Quomodo hic ſcit litteras, cùm eos non didicerit? unde huic ſapientia tanta?*

Matt. 13. Marc. 6. Joan. 4.

I. Quid igitur?

R. Reſpondendum eſt Dominum fabrilem cum Patre Joſepho artem exercuiſſe laboreque manuum ſibi atque Matri victum comparaſſe, ut concives obſtupefacti his verbis indicant: *Nonne hic eſt faber, Filius Mariæ, unde huic Sapientia tanta?* Quæ verba attendens Juſtinus Martyr in ſuo cum Triphone dialogo: *Fabrilia namq;* inquit, *cũ in homini-*

Marc. 6.

minibus eſſet Chriſtus Dominus, faciebat opera, aratra, & juga conficiens.

I. Quandonam exorſus eſt Prædicationem Evangelicam?

Matt. 7. Luc. 4. Marc. 1.

R. Præmiſſo Joannis Baptiſtæ teſtimonio, ſuſceptoque illius Baptiſmo, nec non prævio 40. dierum jejunio in deſerto, circa trigeſimum ætatis annum prædicare cœpit. Prædicationem porrò continuavit ultra triennium, & auditoribus ſuis fidem, & obedientiam exigens: *erat enim docens ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi.* Cujus verba, ſicut auctoritatis, ita & admirandæ ſuavitatis fuere plena: omnes enim teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, ait Sanctus Lucas. Unde Sponſa de ſui Sponſi verbis canit: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Neque verò in Chriſti verbis tantùm ſingularis extitit ſuavitas, verùm etiam incredibilis quædam vis, & energia, quæ auditorum mentes illuſtraret, cor tangeret, & voluntatem ſic afficeret, ut, quocumque vellet, pertraheret. Non enim aliorum Doctorum more foris tantùm pulſabat, plantabat, rigabat, ſed etiam quos volebat, illuminabat, ac bonam inſpirando voluntatem ad ſe pertrahebat, ſibique credulos, & obedientes efficiendo, ſuæ Doctrinæ incrementum præſtabat, ut ſæpè docet *Aug. l. de magiſt. c. 14. l. de gratia Chriſti c. 13. & 47. l. de prædeſt. ſanct. c. 8 & alibi.*

Pſ. 44.

Prædicatio Chriſti qualis erat.

Exemplū.

I. Habeſne aliquod notabile exemplum alicujus converſi ad Prædicationem Chriſti?

R. Ita, plura ſunt in Evangelio ejuſmodi exempla; ſed illuſtre in primis mihi videtur illud Sancti Matthæi Apoſtoli, quod refertur in Revelat. Sanctæ Brigittæ l. 1. c. 129. in hunc modum: Oranti S. Brigittæ ad Sepulchrum Apoſtoli Matthæi: *voluntas mea* (inquit Sanctus Matthæus) *talis erat eo tempore* (Telonii) *quod neminem defraudare volui, ſed deſiderabam invenire viam per quam ſepararem me ab officio iſto, & toto corde adhærerem Deo ſoli. Prædicante igitur amatore meo IESV Chriſto, tunc inflammabatur ſicut ignis verbum vocationis ſuæ in corde meo; ſic dulciter ſapuerunt verba ſua mihi, quod de divitiis, & honeribus non plus cogitabam, quàm de paleis: immò mihi magis flere placuit, & gaudere quòd Deus tantillum, & tantillum peccatorem vocare voluit ad gratiam, adhærens quoque Domino meo, verba ejus ardentius cœpi infigere cordi meo, quæ noctu & die, quaſi cibum ſuaviſſimum guſtando cogitabam.*

I. Quæ fuit Summa Doctrinæ Chriſti?

Summa eorum quæ docuit Chriſtus.

R. Quòd Deum unum in natura, & in perſonis trinum ſuper omnia, & proximum diligere oporteat, ſicut ſemetipſum: *In his enim duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ.* Unde patet Chriſtum non ſolùm fidem, & Sacramentorum ſuſceptionem præcepiſſe, ſed etiam Decalogi obſervationem à Chriſtianis requirere. Nam Matt. 19. quærenti: *Magiſter bone quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* reſpondit: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et Matth. 28. Apoſtolis ſuis mandavit; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* Procul ergò hæretici, qui volunt ſimplicibus imponere, docentes Evangelium eſſe nudam & abſolutam promiſſionem vitæ æternæ abſque ulla conditione, & obligatione obſervationis mandatorum Dei. Sanè Chriſtum datum hominibus non ſolùm ut Redemptorem cui fidant, ſed etiam ut Legiſlatorem cui obediant, ſub Anathemate definivit Concilium Tridentinum.

ſſ. 6. can. 19. 22. & 21.

I. Pluriſne ergo æſtimanda eſt Chriſti Doctrina, atque adeò Chriſtiana Religio, quàm quælibet alia dogmata, aut ſectæ Philoſophorum, Sapientum, & quorumlibet Magiſtrorum?

R. Pro-

Digitized by Google

Evangelium Chriſti excellit omnia dogmata quorumlibet ſapientum.

R. Procul dubio, Et hoc variis rationibus evinci poteſt, quibus ipſemet Chriſtus Dominus ſuam Doctrinam comprobavit. *Primò*, ipſiuſmet ſummi Patris teſtimonio, qui dixit: *Ipſum audite*, Matt. 3. & 19. & 2. Pet. 1. *Secundò*, miraculis, quæ certiſſima ſunt divinæ miſſionis teſtimonia, & veluti ſigilla, ut ſuprà diximus cap. 2. lect. 2. *Tertiò*, Spiritûs ſancti teſtimonio: *Ille teſtimonium perhibebit de me*. Joan. 15. *Quartò*, teſtimonio ſacrarum Scripturarum, oraculiſque Prophetarum, qui ab orbe condito fuerunt. De Moyſe loquens Dominus Joan. 5. dicit: *De me ille ſcripſit*. Et de Scripturis in eodem capite: *Illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*. *Quintò*, teſtimonio Apoſtolorum juxta illud: *Vos eritis mihi teſtes*. Act 1. *Sextò*, atteſtatione Martyrum, qui pro veritate Religionis Chriſtianæ ſanguinem atque vitam profuderunt, ſuprà cap. 2. lect. 2. *Septimò*, ſanctitate vitæ, & innocentiâ Confeſſorum, & Virginum, qui ex omni conditione, ſexu, ætate, ad normam Doctrinæ Evangelicæ vitam componentes, ſanctorum albo adſcribi meruerunt. *Octavò*, & poſtremò ex conſenſione omnium populorum in eandem ipſam Doctrinam Chriſtianam conſpirantium, necnon Eccleſiæ à Chriſto fundatæ firmitate, adversùs quam inferni portæ nunquam prævalere potuerunt, neque poterunt.

Oſtenditur octo argumentis.

Summa rerum quas docuit Chriſtus.

LECTIO II.

Paſſus ſub Pontio Pilato.

De Paſſione Domini S. Tho. 3. p. q. 46. uſque ad 50. Matt. 26. Iſa. 53. Joan. 10.

I. DOcuiſti ſupra JESUM Chriſtum verum Deum eſſe, per omnia Patri æqualem, qui fieri potuit, quòd è manibus Pilati, & Judæorum ſeſe non exemerit?

R. Poterat id quidem, ſi voluiſſet, uti declarat ipſe ſubjectis verbis: *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſ quàm duodecim legiones Angelorum?* Sed coëgit eum amor pro nobis volentem mori. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Et: *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam.*

I. Sed quâ ratione mortuus eſt, ſi Deus erat, poteſtne igitur Deus mori?

R. Abſolutè non. Chriſtus enim mortuus eſt uti homo, non uti Deus.

I. Solet tamen dici, quòd *Deus mortuus eſt*, debetne iſte loquendi modus admitti? *Quomodo Deus mortuus ſit?*

R. Omninò, quia ipſiſſima veritas eſt, quod ille mortuus eſt ſecundùm humanam naturam, qui Deus erat & homo: Ita familiari, & quotidiano ſermone dicimus: *Iſte homo mortuus eſt*, cùm anima non interierit.

I. Poſſeſne mihi ejuſmodi myſterium explanare per aliquam veteris teſtamenti figuram?

R. Ita Gen. 22. Iſaac, qui divinitatem figurabat non fuit occiſus, ſed ejus loco aries, qui humanam Chriſti naturam referebat, inter vepres repertus. Aliam item hujuſce rei figuram. Vid. Levit. 14. n. 49. *Amb. in Pſ. 39.*

I. Utrùm pati Chriſtum oportuerit?

R. Cùm Deus nullâ poſſit adſtringi abſolutâ neceſſitate ad operandum, confitendum eſt non fuiſſe abſolutè neceſſarium, ut Chriſtus pateretur. Primò quia totum genus humanum à juſtitia lapſum, damnationique obnoxium, in perditionis maſſa relinquere poterat, digniſque afficere ſuppliciis, juxta illud Sapient. 12. *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti?* Et *Deus cujus vult miſeretur, & quem vult, indurat*. Rom. 9. Promeruit enim homo peccando, ut id totum perderet, quod erat, & ad quod conditus erat, juxta Auguſtin. l. de corrept. & grat. c. 10. Enchir. c. 27. 2. Potuiſſet Deus totum mundum liberare ſolâ miſeratione, & gratuitâ condonatione, aut ſolo verbo; aut ſolâ incarnatione, vel una denique guttula Sanguinis, aliiſque multis modis, non perferendo atrocia crucis tormenta, neque mortis cujuſquam ſupplicium. Eſt enim Deus vitæ,

Deus poterat hominem liberare abſque Paſſione.

 mor-

mortiſque Dominus, nulli alteri debitor aut obſtrictus: ideoque ſalvâ juſtitiâ, ſolâ voluntate, citra cujuſcumque injuriam hominem liberare abſolutè poterat, remittendo ei culpam, injuriamque ſuo Creatori irrogatam: non enim diabolo jus in hominem competebat, qui non Dominus, ſed carceris cuſtos, juſtitiæque Dei nudus executor erat; cujus juſto judicio ſub ſua poteſtate derelictum torquebat, & affligebat.

Oportet Chriſtum exaltari, pati, mori, quomodo intelligendum.

I. Quid igitur ſibi volunt; *Oportet exaltari filium hominis.* Joan. 3. *Oportet filium hominis pati.* Marc. 8. *Oportuit Chriſtum pati; &c.* Lucæ 24.

R. Iſti modi loquendi non ſignificant abſolutè neceſſarium fuiſſe Chriſtum pati, ſed tantum ex ſuppoſitione præſcientiæ, atque præordinationis divinæ; qualis neceſſitas non eſt abſoluta, ſed conditionata; ſuppoſito nimirùm decreto Dei, quo ad finem Redemptionis humanæ præordinaverat tale medium tanquam efficaciſſimum, & maximè opportunum. Hanc neceſſitatem inſinuabat Dominus Matt. 26. orans. *Pater ſi poſſibile eſt, &c.* Eodem pertinebat neceſſitas patiendi, quæ ex mandato Patris Chriſto homini facto oriebatur, de quo Joan. 14. *Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

I. Si nulla incubuit Chriſto abſoluta neceſſitas patiendi, ſed conditionata dumtaxat, & ex ſuppoſitione, an ſaltem decens fuerit Chriſtum pati?

Convenientiſſimum medium liberandi hominem fuit Chriſti Paſſio.

R. Quamvis aliis variis modis Deus humanum genus liberare potuerit, ſanandæ tamē miſeriæ noſtræ convenientior modus non fuit, quàm per Chriſti Paſſionem. Hic enim modus non ſolùm continet remedium, ſed & obedientiæ, humilitatis, patientiæ, dilectionis, cæterarumque virtutum exemplum. Ac, ut à *dilectione* incipiamus, non potuit Deus evidentius argumentum dilectionis homini impenſæ exhibere, quàm in hoc Redemptionis opere. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret:* Joan. 3.
Et, *commendat charitatem ſuam in nobis* Rom. 5.
Deus, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus. Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et iterum: *Majorem charitatem nemo habet, quã ut animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Joan. 15. Imò verò (ut alibi Bern.) tu Domine majorem habuiſti, qui animam tuam dediſti pro inimicis tuis. Si de *obedientia* quæratur, quænam poteſt inveniri obedientia promptior, aut exactior, quàm ea, quâ ad mortem, mortem autem crucis crudeliſſimam, & probroſiſſimam ſeſe Filius Dei demitteret? Et quæ humilitas profundior tali Filii Dei exinanitione, ut in ſimilitudinem hominum fieret, & habitu inveniretur ut homo? Inſignem habemus hujus rei figuram l. 4. Reg. c. 4, quâ utitur S. Aug. ſerm. 11. de verbis Apoſtoli dicens: *Venit ipſe grandis ad parvulum, Salvator ad ſalvandum, vivus ad mortuum. Et quid fecit? juvenilia membra contraxit, tanquam ſemetipſum exinaniens, ut formam ſervi ſuſciperet: parvum ſe parvo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ. Sicut ergo ab Elyſeo ſuſcitatus eſt mortuus, ſic à Chriſto juſtificatus eſt impius.* Vis exempla *fortitudinis*? Chriſtus non deſtitit uſque ad mortem teſtimonium veritati perhibere, non obſtantibus inſidiis à Judæis contra ſuam perſonam undequaque compoſitis. Vis *juſtitiæ*? Chriſtus patiendo pleniſſimè Deo pro omni hominis debito ſatisfecit, cui ſolvendo impar erat homo; & id quidem in eadem natura, in qua nos diabolus vicerat, & in ligno, in quo victi eramus. *Miſericordiæ*? Chriſtus filius Dei, Agnus ſine macula, impollutus, innocens Patri reconciliavit peccatores, moriens juſtus pro injuſtis, Dominus pro ſervis, &c. *Vid. S. Leo ſerm. 14. de Paſſione Domini.*

Secundò, Chriſtus ſuâ Paſſione, non ſolùm nos liberavit à peccato, ſed etiam nobis juſtificationem, & beatitudinem promeruit; quis verò poterat id præſtare, niſi unus mediator Dei, & hominum JESUS Chriſtus?

Ter-

Joan. 15. Tertiò, ipſe redimendo nos tanto pretio, majorem à peccato nos removendi neceſſitatem induxit, ſecundùm
1. Cor. 6. illud. *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

Quartò, in hoc redemptionis per paſſionem opere, Dei admirabilis Sapientia enituit. 1. Cor. 1. *Nam quia in Dei Sapientia mundus Deum non cognovit; placuit Deo per ſtultitiam Prædicationis ſalvos facere credentes.* Vide Damaſc. l. 3. Orthod. fidei cap. 1 Leon. ſer. 5. de Nativit.

Quos cruciatus pertulit Christus in corpore.

I. Quos in corpore ſuo dolores Chriſtus perpeſſus eſt antequam moreretur?

R. Vide & lege attentè Hiſtoriam Paſſionis Dominicæ per quatuor Evangeliſtas exactiſſimè conſcriptam.

I. Senſitne anima Chriſti aliquos cruciatus?

R. Nulli dubitandum eſt, Chriſti animam, quod ad inferiorem partem attinet, à cruciatibus liberam non fuiſſe. Nam quod humanam naturam verè aſſumpſit, neceſſe eſt fateri, animò etiam graviſſimum dolorem ſenſiſſe, quare inquit; Matt. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Nam etſi perſonæ divinæ humana natura conjuncta fuit, ita nihilominus paſſionis acerbitatem ſenſit, ac ſi ex ea conjunctio facta non fuiſſet, cùm in una JESU Chriſti perſona, utriuſque naturæ divinæ, & humanæ proprietates ſervatæ ſint: atque idcircò quod erat paſſibile, & mortale permanſit: rurſus verò quod impaſſibile, & immortale erat, qualem eſſe divinam naturam intelligimus, ſuam proprietatem retinuit.

Vid. S. Leo ſerm. 10 de Paſſ. Domini.

I. Dic in particulari, quos cruciatus pertulit Chriſtus in anima?

Quos in anima.

R. Confuſiones, ignominiam, irriſiones, opprobria, improperia, toto paſſionis tempore, præſertim quando Sapientia Patris illuſa fuit, & ſtulta reputata in domo Herodis; & quando caſtiſſima Domini noſtri JESU Chriſti innocentia denudata fuit coram toto populo.

Ad hæc Salvatorem noſtrum maximè affligebant peccata hominum, potiſſimùm illa quæ hic committebantur circa ſacratiſſimam ejus humanitatem; falſa teſtimonia, blaſphemiæ, damnatio iniqua; Apoſtolorum Principis tertiò repetita negatio; Matris afflictiſſimæ dolor; Judæ proditio; ejuſque prævisa damnatio; diſcipulorum fuga; & ſuper omnia, quòd tanta hominum multitudo nullum ex tam acerbâ Paſſione fructum ſuo vitio factura eſſet.

I. Redige mihi in ſummam quanta pro nobis paſſus ſit Chriſtus Dominus?

R. Ex iis quæ Prophetarum, Pſalmorumque vaticinia de Paſſionis Chriſti acerbitate luculentiſſimè exprimunt, conſtat Dominum gloriæ omni paſſionum genere, quæ hominum actionibus, & injuriis inferri poſſunt, excruciatum fuiſſe.

Omnia tormentorum genera pertulit.

Primò, paſſus eſt ab omni hominum genere, gradu, ſexu, conditione; ſcilicet à Judæis, & gentibus; à Regibus, Principibus, Præfectis, popularibus; à civibus, & externis; à togatis, & militibus; Denique à Pontificibus, Scribis, Sacerdotibus, & Phariſæis; à viris, & mulieribus; à ſervis & ancillis; à propriis diſcipulis; à familiaribus, & ignotis; ac poſtremò, à viliſſimis latronibus ſimul crucifixis.

Secundò, paſſus eſt in omni rerum genere, in quibus homo pati poteſt. In ſeipſo videlicet, & in amicis; in fama per blaſphemias, in honore per contumelias, & ludibria; in rebus externis, dum veſtibus ſpoliatus fuit; in anima, ejuſque potentiis per triſtitiam, tædium, pavorem, zelum; in corpore per vulnera, flagella, crucifixionem.

Tertiò, paſſus eſt in omnibus ſuis membris, in capite per ſpineam Coronam; in facie & genis per alapas, & ſputa, evulſionemque barbæ; in oculis velatus fuit; in lingua felle, & aceto potatus; in cervice arundine percuſſus; in brachiis & manibus expanſionem, clavorumque perfoſſio-

mortiſque Dominus, nulli alteri debitor aut obſtrictus: ideoque ſalvâ juſtitiâ, ſolâ voluntate, extra cujuſcumque injuriam hominem liberare abſolutè poterat, remittendo ei culpam, injuriamque ſuo Creatori irrogatam: non enim diabolo jus in hominem competebat, qui non Dominus, ſed carceris cuſtos, juſtitiæque Dei nudus executor erat; cujus juſto judicio ſub ſua poteſtate derelictum torquebat, & affligebat.

Oportet Chriſtum exaltari, pati, mori, quomodo intelligendum.

I. Quid igitur ſibi volunt; *Oportet exaltari filium hominis.* Joan. 3. *Oportet filium hominis pati.* Marc. 8. *Oportuit Chriſtum pati, &c.* Lucæ 24.

R. Iſti modi loquendi non ſignificant abſolutè neceſſarium fuiſſe Chriſtum pati, ſed tantum ex ſuppoſitione præſcientiæ, atque præordinationis divinæ; qualis neceſſitas non eſt abſoluta, ſed conditionata; ſuppoſito nimirùm decreto Dei, quo ad finem Redemptionis humanæ præordinaverat tale medium tanquam efficaciſſimum, & maximè opportunum. Hanc neceſſitatem inſinuabat Dominus Matt. 26. orans. *Pater ſi poſſibile eſt, &c.* Eodem pertinebat neceſſitas patiendi, quæ ex mandato Patris Chriſto homini facto oriebatur, de quo Joan. 14. *Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

I. Si nulla incubuit Chriſto abſoluta neceſſitas patiendi, ſed conditionata dumtaxat, & ex ſuppoſitione, an ſaltem decens fuerit Chriſtum pati?

Convenientiſſimum medium liberandi hominem fuit Chriſti Paſſio.

R. Quamvis aliis variis modis Deus humanum genus liberare potuerit, ſanandæ tamē miſeriæ noſtræ convenietior modus non fuit, quàm per Chriſti Paſſionem. Hic enim modus non ſolùm continet remedium, ſed & obedientiæ, humilitatis, patientiæ, dilectionis, cæterarumque virtutum exemplum. Ac, ut à *dilectione* incipiamus, non potuit Deus evidentius argumentum dilectionis homini impenſæ exhibere, quàm in hoc Redemptionis opere. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret:* Et, *commendat charitatem ſuam in nobis*

Joan. 3.
Rom. 5.

Deus, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus. Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et iterum: *Majorem charitatem nemo habet, quā ut animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Imò verò (ut alibi Bern.) tu Domine majorem habuiſti, qui animam tuam dediſti pro inimicis tuis. Si de *obedientia* quæratur, quænam poteſt inveniri obedientia promptior, aut exactior, quàm ea, quâ ad mortem, mortem autem crucis crudeliſſimam, & probroſiſſimam ſeſe Filius Dei demitteret? Et quæ humilitas profundior tali Filii Dei exinanitione, ut in ſimilitudinem hominum fieret, & habitu inveniretur ut homo? Inſignem habemus hujus rei figuram l. 4. Reg. c. 4, quâ utitur S. Aug. ſerm. 11. de verbis Apoſtoli dicens: *Venit ipſe grandis ad parvulum, Salvator ad ſalvandum, vivus ad mortuum. Et quid fecit? juvenilia membra contraxit, tanquam ſemetipſum exinaniens, ut formam ſervi ſuſciperet: parvum ſe parvo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ. Sicut ergo ab Elyſeo ſuſcitatus eſt mortuus, ſic à Chriſto juſtificatus eſt impius.* Vis exempla *fortitudinis*? Chriſtus non deſtitit uſque ad mortem teſtimonium veritati perhibere, non obſtantibus inſidiis à Judæis contra ſuam perſonam undequaque compoſitis. Vis *juſtitiæ*? Chriſtus patiendo pleniſſimè Deo pro omni hominis debito ſatisfecit, cui ſolvendo impar erat homo; & id quidem in eadem natura, in qua nos diabolus vicerat, & in ligno, in quo victi eramus. *Miſericordiæ*? Chriſtus filius Dei, Agnus ſine macula, impollutus, innocens Patri reconciliavit peccatores, moriens juſtus pro injuſtis, Dominus pro ſervis, &c.

Joan. 15.

Vid. S. Leo ſerm. 14. de Paſſione Domini.

Secundò, Chriſtus ſuâ Paſſione, non ſolùm nos liberavit à peccato, ſed etiam nobis juſtificationem, & beatitudinem promeruit; quis verò poterat id præſtare, niſi unus mediator Dei, & hominum JESUS Chriſtus?

Ter-

Digitized by Google

Tertiò, ipſe redimendo nos tanto pretio, majorem à peccato nos removendi neceſſitatem induxit, ſecundùm illud. *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* 1. Cor. 6.

Quartò, in hoc redemptionis per paſſionem opere, Dei admirabilis Sapientia enituit. *Nam quia in Dei Sapientia mundus Deum non cognovit, placuit Deo per ſtultitiam Prædicationis ſalvos facere credentes.* Vide Damaſc. l. 3. Orthod. fidei cap. 1 Leon. ſer. 5. de Nativit. 1. Cor. 1.

Quos cruciatus pertulit Chriſtus in corpore.

I. Quos in corpore ſuo dolores Chriſtus perpeſſus eſt antequam moreretur?

R. Vide, & lege attentè Hiſtoriam Paſſionis Dominicæ per quatuor Evangeliſtas exactiſſimè conſcriptam.

I. Senſitne anima Chriſti aliquos cruciatus?

R. Nulli dubitandum eſt, Chriſti animam, quod ad inferiorem partem attinet, à cruciatibus liberam non fuiſſe. Nam quod humanam naturam verè aſſumpſit, neceſſe eſt fateri, animo etiam graviſſimum dolorem ſenſiſſe, quare inquit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Matt. 26. Nam etſi perſonæ divinæ humana natura conjuncta fuit, ita nihilominus paſſionis acerbitatem ſenſit, ac ſi ex ea conjunctio facta non fuiſſet, cùm in una JESU Chriſti perſona, utriuſque naturæ divinæ, & humanæ proprietates ſervatæ ſint: atque idcircò quod erat paſſibile, & mortale permanſit: rurſus verò quod impaſſibile, & immortale erat, qualem eſſe divinam naturam intelligimus, ſuam proprietatem retinuit.

I. Dic in particulari, quos cruciatus pertulit Chriſtus in anima?

Quos in anima.

R. Confuſiones, ignominiam, irriſiones, opprobria, improperia, toto paſſionis tempore, præſertim quando Sapientia Patris illuſa fuit, & ſtulta reputata in domo Herodis; & quando caſtiſſima Domini noſtri JESU Chriſti innocentia denudata fuit coram toto populo. Ad hæc Salvatorem noſtrum maximè affligebant peccata hominum, potiſſimùm illa quæ hic committebantur circa ſacratiſſimam ejus humanitatem; falſa teſtimonia, blaſphemiæ, damnatio iniqua; Apoſtolorum Principis tertiò repetita negatio; Matris afflictiſſimæ dolor; Judæ proditio; ejuſque prævisa damnatio; diſcipulorum fuga; & ſuper omnia, quòd tanta hominum multitudo nullum ex tam acerbâ Paſſione fructum ſuo vitio factura eſſet.

I. Redige mihi in ſummam quanta pro nobis paſſus ſit Chriſtus Dominus?

Omnia tormentorum genera pertulit.

R. Ex iis quæ Prophetarum, Pſalmorumque vaticinia de Paſſionis Chriſti acerbitate luculentiſſimè exprimunt, conſtat Dominum gloriæ omni paſſionum genere, quæ hominum actionibus, & injuriis inferri poſſunt, excruciatum fuiſſe.

Primò, paſſus eſt ab omni hominum genere, gradu, ſexu, conditione; ſcilicet à Judæis, & gentibus; à Regibus, Principibus, Præfectis, popularibus; à civibus, & externis; à togatis, & militibus; Denique à Pontificibus, Scribis, Sacerdotibus, & Phariſæis; à viris, & mulieribus; à ſervis & ancillis; à propriis diſcipulis; à familiaribus, & ignotis; ac poſtremò, à viliſſimis latronibus ſimul crucifixis.

Secundò, paſſus eſt in omni rerum genere, in quibus homo pati poteſt. In ſeipſo videlicet, & in amicis; in fama per blaſphemias, in honore per contumelias, & ludibria; in rebus externis, dum veſtibus ſpoliatus fuit; in anima, ejuſque potentiis per triſtitiam, tædium, pavorem, zelum; in corpore per vulnera, flagella, crucifixionem.

Tertiò, paſſus eſt in omnibus ſuis membris, in capite per ſpineam Coronam; in facie & genis per alapas, & ſputa, evulſionemque barbæ; in oculis velatus fuit; in lingua felle, & aceto potatus; in cervice arundine percuſſus; in brachiis & manibus expanſionem, clavorumque perfoſſio-

M 3

foſſionem ſuſtinuit; in dorſo, & toto corpore flagella, in ventre livorem; in pedibus perforationem, affixionemque in ligno.

Quartò, paſſus eſt in omnibus ſenſibus: in tactu, acerbiſſimos dolores; in guſtu fellis amaritudinem; in olfactu gravem cadaverum in Monte Calvariæ fœtentium odorem; in auditu, irriſionibus, blaſphemiis, & contumeliis laceſſitus fuit; viſu ſuam nuditatem, Matrem lacrymantem, opprobria, inſultationeſque Judæorum, & gentium crucifigentium ſpectabat.

Quintò, paſſus eſt Chriſtus per omnem vitæ ſuæ ætatem; vix enim natus in Ægyptum exular, & ab incunabilis uſque ad mortem inſidias, perſecutiones, & dolores, quin & poſt mortem lateris apertionem ſuſtinet.

Sextò, Chriſtus omne genus paſſionum quas Adam peccando meruit, toleravit. Natus eſt in paupertate, educatus in miſeriis; eſuriit, ſitivit, alſit, fatigatus eſt, aſſiduè laboravit, Tandem ſe capi, ligari, flagellari, mortique probroſiſſimæ, nec minùs acerbæ Crucis ſepſum addici permiſit. In his autem tantis cruciatibus paſſionis tempore, omnem à ſe conſolationem abdicavit. Quod indicant verba iſta Pſalmi: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me!* *Pſal. 21.*

Vide S. Thom. 3. p. q. 46. a. 6. Ex quibus omnibus ſimul junctis colligere eſt, quæ, quanta, qualia, & quam varia dolorum, tormentorumque genera Chriſtus Dominus noſtræ ſalutis causâ pertulerit; & quanto jure nos invitet apud Prophetam ad ea conſideranda, dicens: *Videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* *Thre, 1.*

I. Cur voluit Chriſtus pro nobis tam dira pati?

R. Ut manifeſtaret mundo immenſam ſuam erga homines charitatem. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Vid. ad Tit. 3. v. 4. *Joan. 3.*

Quid agendum I. Quid nos in recognitionem tanti amoris facere convenit?

R. Tanti debemus æſtimare pretium Redemptionis toti generi humano impenſum, quanti, ſi mihi ſoli, aut tibi in particulari fuiſſet attributum. *Quid enim intereſt, ſi & alii præſtita ſunt, cùm quæ præſtita ſunt, ita tibi integra ſunt, & ita perfecta, quaſi nulli alii aliquid fuiſſet præſtitum.* *in recognitionem tanti amoris.* *1. S. Chryſ. l. 2. de compunct.*

I. Habeſne exemplum alicujus qui taliter id æſtimavit?

R. Ita. In promptu eſt exemplum ſancti Pauli qui ad Gal. 2. *Dilexit me*, inquit, *& tradidit ſemetipſum pro me.* *Exemplum. 2.*

I. Quid ampliùs nos facere oportet?

R. Redamare nos oportet eum, qui tantoperè nos amavit, eique ad amuſſim obtemperare. Chriſtus ſe totum tibi, tu te totum da, imò redde Chriſto in amorem & obſequium.

Peccatum, pro quo è mundo tollendo Salvator noſter mortuus eſt ſuper omnia deteſtari, & odiſſe: nam cùm peccata noſtra Chriſtum Dominum impulerint, ut crucis ſupplicium ſubiret, profectò qui in flagitiis, & peccatorum cœno volutantur, *rurſum crucifigunt ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habent filium Dei.* Hebr. 6.

I. Affer aliquod exemplum ad rem?

Exemplum Ex Bulla Canonizationis ejus per Bonifac. IX. R. Sancta Brigitta, decimo ætatis anno, cùm die quâdam de Paſſione Domini ſermonem audiſſet, eumque cordi ſic firmiter impreſſiſſet, nocte ſequenti vidit JESUM in Cruce, Sanguine recenti perfuſum, de Paſſione ſua ipſam alloquentem; quâ exiſtimante eum tunc temporis crucifixum, & interrogante quiſnam eum cruci tam dirè affixiſſet, reſpondit Dominus ab illis hoc factum eſſe, qui contemnerent charitatem ipſius. Ex eo tempore in Paſſionis Domini meditatione, ita afficiebatur, ut nunquam ſine lachrymis de ea cogitare potuerit.

Aliud Sur. tom. 3. Iunii 16 Quo tempore Albigenſes hæretici vaſtabant Gallias, Beata Virgo Deipara apparuit Lutgardi, mœſto & lacrimabili vultu; ſciſcitanti de cauſa tanti mœroris,

&

Digitized by Google

& conſternationis, reſpondit illam eſſe quòd hæretici, & qui Chriſtianiſmum profeſſi in peccatis ſordeſcunt, dilectum ſuum Filium JESUm Chriſtum rurſus cruci affigerent.

Affectus. *Poſſet hic opportunè fieri pathetica aliqua exclamatio ad pueros ſuper gravitate, & abominatione peccati*, dicendo: Egone JESUM benedictum Mariæ Filium, Regem meum, Deum meum crucifigam? Egone peccatum admittam, &c.

Sub Pontio Pilato.

Vid. ſanct. Aug. de fide & Symb. c. 5. & ſer. 131. & 181. I. Cur in Symbolo exprimitur ſub quo Judeæ Præſide Chriſtus ſit paſſus?

1. Tim. 6. R. Tres potiſſimùm ob cauſas. *Primo*, ut tantæ rei, & tam neceſſariæ cognitio exploratior omnibus eſſet, ſi rei geſtæ certum tempus (quod & ab Apoſtolo Paulo factum legimus) deſcriberetur. *Secundò*, ut iniquiſſimus Judex, qui Deum ſuum per ſummum nefas morti adjudicavit, toti mundo innoteſceret. *Tertiò*, ut ſignificaretur adimpleta Prophetia Chriſti Domini prædicentis: *Tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* *Matt. 20.*

I. Non ergò Judæi ſoli necem Chriſto intulêre?

R. Rectè infers; & iſtius rei fidem facit ipſiſſima Dominicæ Paſſionis hiſtoria; & primi Eccleſiæ fideles idipſum aſſerunt: *Convenerunt enim verè in civitate iſta adversùs ſanctum puerum tuum* JESUM *quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populo Iſraël.* *Actor. 4.*

I. An Judæi non plus peccaverint, quàm ſi purum hominem occidiſſent?

R. S. Tho. opuſc. de Symb. Apoſtolorum: ſi quis, ait inquinaret veſtem quâ Rex eſt indutus, tantum reatum incurreret, ac ſi Regem ipſum inquinaſſet; Et ſi quis chartam laceraret, in qua verbum Regis ſcriptum eſt, tantum peccaret, ac ſi verbum Regis laceraſſet. Ita, &c. Ignorantia tamen nonnihil minuit peccatum minorum Judæorum, non verò majorum.

I. Quid tandem cum iſto Pilato actum eſt?

R. Miſerè ſeipſum interfecit anno Chriſti quadrageſimo primo Viennæ in Galliis. Euſeb. in Chron. Ado. ſimiliter in Chron. ex Paulo Oroſio l. 7. c. 5 Caſſiod. etiam in Chron. Greg. Turon. l. 1. c. 24. Baron. to. 1. an. 45.

LECTIO III.

Crucifixus.

I. Quid hoc eſt *Crucifixus*?

R. Iſta vox ſignificat genus paſſionis Dominicæ, quod fuit acerbiſſimum, & longiſſimum, & infamiſſimum; quod ſolis, ut plurimùm vilibus perſonis adhibebatur. Et in ſpecie, ſignificat quòd Filius Dei in crucem ſit manibus, pedibuſque clavis ſuffixus. *Joan. 20.*

I. Temerène accidit, quòd Chriſtus per ſuffixionem in ligno crucis mortem eſt perpeſſus?

R. Quod potiſſimùm in ligno crucis mortem pertulit, hoc divino conſilio tribuendum eſt. *Ut*, ſcilicet, *unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Chriſtum Dominum noſtrum.* *Præfatio Miſſæ.* Serpens enim qui in ligno primos parentes vicerat, victus eſt à Chriſto in ligno crucis.

I. Si habes plures rationes ad demonſtrandum conſentaneum fuiſſe Redemptorem noſtrum mortem crucis potiſſimùm ſubire, illas profer in medium?

R. E multis quas SS. Patres latiùs ſunt proſecuti, aliquas hic breviter recenſebo, ſi priùs monuero ſatis eſſe, ſi fideles credant illud genus mortis à Salvatore delectum eſſe, quod ad humani gene- *Cur hoc genus tormenti ſubire voluit.*

ris

ris Redemptionem aptius, atque accommodatius videretur.

Deut. 28. Pſal. 21. & 95. Sap. 14. Num. 21. *Prima* quidem, ut figuræ, & Prophetiæ hujus rei ex ordine cŏpleretur; ut ſerpentis ænei per Moyſen in deſerto exaltati. Vid Greт. ſer. de cruce, l. 1. c. 40. & 41.

Jer. 11. Zach. 12. Iſai. 65. *Iren. l. 5. c. 31. Vide S. Hieron. in c. 3. ad Gal. c. 3.* *Secunda*, ut quemadmodum per manducationem pomi vetiti mors introivit in orbem; ita vita mundo redderetur per fructum de arbore crucis pendentem, adeòque eſſet proportio inter vulnus, & medelam. Hoc cantat Eccleſia in Hymno: *De parentis protoplaſti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morſu in mortem corruit; ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret.* Et legimus in Canticis: *Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt Mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Cant. 8.

Tertia. In exemplum virtutis, ut fideles pro juſtitiæ & veritatis conſervatione, nullum mortis genus detrectarent: ſunt enim homines, qui quamvis mortem ipſam non timeant, genus tamen mortis horreſcunt. Ut ergò nullum genus mortis rectè viventi homini metuendum eſſet, illius hominis cruce oſtendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius, & formidabilius. Hinc pulchrè dixit Sanctus Auguſt. *Ex crucis ſupplicio à Chriſto ſuperato fluxit Martyrum fortitudo.* *S. Thom. 3. p. q. 46. a. 4.* *De fide & Symb. & in Pſ. 61.*

Gal. 3. 2. Cor. 5. *Quarta*, ut hâc ratione ſuſciperet in ſe Salvator maledictiones legis, ab iis eximendo quotquot in illas inciderant: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.*

Vide Aug. Ench. c. 41. *Quinta*, ut redemptio Chriſti Salvatoris tantò eſſet copioſior, quantò Crucis ſupplicium acerbius, & turpius, cæteriſque omnibus execrabilius.

Sexta, in Cruce palam, & omnibus conſpicuus mori voluit, ut quàmplurimi oculati teſtes paſſionis, & mortis, de ipſius reſurrectione poſt triduum ſequuta, indubitati etiam teſtes forent.

Septima, ut quiſquis ab antiqui ſerpentis veneno, & morſibus ſanari deſideraret, in hunc unum Crucifixum fidei oculos erigendos intelligeret, juxta illud: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joan. 3.

Octava, Chriſtus exaltari voluit in ligno, ut aërem ipſum ſanctificaret, ab aëreiſque poteſtatibus emundaret, viam nobis in cœlum præparans, & commonſtrans. *Chryſ. in c. 3. Joan. Auguſt. ſerm. 130. de temp.*

Nona, crucifigi voluit ad erudiendum nos, quod crucifigere, & mortificare carnis concupiſcentias debeamus. Rom. 6. In cujus rei typum Dominus, quando ad ſupplicii locum ducebatur, crucem ſuam tanquam verus Iſaac portavit, ſimulque à Simone Cyreneſi portari diſpoſuit.

Decima, tandem crucifigi voluit, ut ſuperbia ſæculi, per crucis Prædicationem humiliata corrueret. *Placuit Deo per ſtultitiam Prædicationis ſalvos facere credentes.* 1. Cor. 1. Et paulò infrà. *Et quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Habac. 3. Quod Propheta non obſcurè præſignificaſſe videtur in illis verbis: *Cornua in manibus ejus*, quod S. Hieron. & Aug. ſic exponunt: fortitudo, & arma, quibus quaſi cornibus hoſtes transfixit Chriſtus, fuerunt brachia crucis, quibus affixæ fuerunt manus Chriſti. Et verò Chriſtus Crucem antea probroſam, & abominabilem in eum honoris gradum evexit, ut nunc ſigno Crucis contra diabolum ſuos armet diſcipulos, inquit idem S. Auguſt. crucemque velut ſignum triumphi contra diabolum in frontibus ſuis fideles, & in vexillis ac inſignibus geſtent Reges. *Serm. 181. de temp.* Hinc exclamat S. Leo: *O admirabilis potentia crucis.* *Serm. 8. de Paſſione Dom.*

I. Sed quænam fuit ex parte Judæorum Crucifixionis cauſa?

R. Non alia quàm odium quo in Chriſtum

ſtum

Digitized by Google

ſtum Dominum agnum innocentiſſimum ferebantur. *Morte turpiſſimâ*, inquiunt, Sap. 2. *condemnemus eum*; ſed cum ejuſmodi turpem cauſam fuco obducere vellent, prætexuerunt blaſphemias, ſeditiones, regni affectationes, & ejuſmodi, ut hac ratione juſtè eum in crucem egiſſe viderentur.

I. Fuitne hoc genus ſupplicii valdè infame?

R. Ita maximè, uti conſtat ex Scriptura, & auctoribus Sacris, & Profanis. Scriptura quidem proximè allegata, *mortem turpiſſimam*, crucis ſupplicium appellat. Imò non tantùm infamis, & turpiſſimus habebatur, qui ad crucem damnabitur, ſed *maledictus qui pendet in ligno*, vulgò dicebatur. Deut. 21. Uſque adeò, quòd lege ibidem cautum ſit, ut cadaver mortui illo ſtatim die de cruce tolleretur, ne terram quodammodò, & aërem ipſum inficeret: *Nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem.* Cap. 1. prioris ad Corinth. crux dicitur *Judæorum ſcandalum & Gentium ſtultitia*. Vide Aug. ſer. 36. in Joan. Lactantius l. 4. c. 26. dicit crucifixionem *ſervile fuiſſe ſupplicium*, & *homine libero quamvis nocente indignum*. Vid. l. aut damnum, §. ſed enim ff. de pœn. unde concludere licet Chriſtum Dominum Cruci adjudicatum ſervilis conditionis omninò, & pro vili mancipio habitum fuiſſe.

Quod ad profanos Auctores attinet, Cicero l. 5. in Verrem de Cruce Gabiniana hoc nobis latinum teſtimonium ſuggerit: *Facinus eſt vincire civem Romanum, ſcelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? crudeliſſimum, deterrimumque ſupplicium: Verbo ſatis digno tam nefaria res appellari non poteſt.*

Crux apud Chriſtianos magni habita.

I. Magni nihilominùs æſtimant Chriſtiani Crucem; quinimò Sancti ipſi præcipuo ſe honore affectos putabant, ſi ad Chriſti Domini exemplum Crucis ſupplicio afficerentur?

R. Hoc veriſſimum eſſe; illa enim crucis infamia, horror ille omnis abſceſſit, ex quo de membris Salvatoris noſtri Crux decorem accepit. Exclamant modò fideles cum Apoſtolo: mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti. Si crux fuit olim probroſa, ſi arbor maledicta, & infame lignum; modò exultans cantat Eccleſia: *Arbor decora, & fulgida, ornata Regis purpura, electa digno ſtipite tam ſancta membra tangere.* Et in ſequentibus: *Beata cujus brachiis ſæculi pependit pretium.* Et iterum: *nulla ſylva talem profert fronde, flore, germine.*

Hymnus Eccleſiæ.

Alius Hymnus.

Patres de cruce honorificè locuti.

I. Suntne etiam SS. Patres honorificè de Cruce locuti?

R. Honorificentiſſimè. Duos pro multis citabo. Sanctus Joannes Damaſcenus ſic ſcribit: *Crux eſt clypeus, & armatura, & trophæum contra diabolum; ſignaculum ne tangat nos everſor, jacentium erectio, ſtantium fulcrum, infirmorum baculus, Paſtorum Virga, revertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ conſervatio & corporis, omnium malorum averſio, omnium bonorum conciliatio, peccati pernicies, ſtirps reſurrectionis, lignum vitæ, &c.* Lib. 4. c. 12.

Audi Chryſoſtomum: *Si noſſe deſideras virtutem Crucis, & quanta poſſum ad laudem ejus dicere, audi: Crux ſpes eſt Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum, deſperatorum via, claudorum baculus, conſolatio pauperum, refrænatio divitum, deſtructio ſuperborum, malè viventium pœna, adversùs dæmones triumphus, devictio diaboli, adoleſcentum Pædagogus, ſuſtentatio inopum, ſpes deſperatorum, navigantium gubernator, periclitantium portus, obſeſſorum murus, Pater Orphanorum, defenſor viduarum, juſtorum conſiliarius, tribulatorum requies, parvulorum cuſtos, virorum caput, ſenum finis, lumen in tenebris ſedentium, Regum magnificentia, ſcutum perpetuum, inſenſatorum ſapientia, libertas ſervorum, Imperatorum Philoſophia, lex impiorum, Mar-* Hom. 4. de cruce & latrone.

Digitized by Google

tyrum gloriatio, Monachorum abſtinentia, Virginum caſtitas, gaudium Sacerdotum, Eccleſiæ fundamentum, templorum deſtructio, idolorum repulſio, ſcandalum Iudæorum, perditio impiorum, invalidorum virtus, ægrotantium medicus, eſurientium panis, ſitientium fons, nudorum protectio.

I. Habesne exempla Sanctorum, qui non tantùm verbo, ſed & reipsâ Crucem magni æſtimarunt?

Sancti ambierunt cruci affigi.

R. Ita. Sanctus Petrus Chriſti diſcipulus adeò ſe indignum crucifixionis honore reputabat, ut pedibus ſublimibus, capite deorſum crucifigi voluerit, ne Magiſtro ſuo aſſimilaretur.

Exempla.

Gal. 2. & 6.

Sanctus Paulus Doctor gentium in ſola cruce vult gloriari, & omnibus votis hoc unum deſiderat, ut cum Chriſto poſſit crucifigi; imò ſtigmata Domini noſtri JESU Chriſti in corpore ſuo portare ſe aſſerit.

Breviar. Rom. ex actis.

Jucundum eſt audire qualiter Sanctus Andreas Petri germanus, & in paſſione ſocius, ad crucem animi & gaudii plenus accedat, illam eminùs ſalutans, & cominùs amplexans, & deoſculans: *O bona Crux, inquit, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti; diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo: ut per te me recipiat, qui per te me redemit.*

Breviar. Rom. 18. Iunii.

Non diſpares in iſto genere fuère Marcus, & Marcellinus Fratres pro amore Domini noſtri JESU Chriſti clavis ad palum affixi, qui in ipſo ſupplicio taliter diſſuaviabantur, ut dicerent: *Numquam tam jucundè epulati ſumus, quàm libenter hæc Chriſti causâ perferimus; in cujus amore nunc fixi ſumus; utinam nos tamdiu pati ſinat, quamdiu corruptibili hoc corpore veſtiti erimus.*

Iudæi ſuâ expectatione fruſtrati.

I. Ex his ergò concluditur rectè, Judæos votis ſuis minimè fuiſſe potitos, qui nomen Chriſti Domini per Crucem niſi ſunt eradere de terra.

R. Tantùm abeſt, ut etiam ipſa crux eum exaltaverit, non ſolum in terra; ſed & ſuprà omne, quod in cœlis eſt, conſedere eum faciens ad dexteram Patris, attributo ei nomine, quod eſt ſuprà omne nomen. Per Crucem ſanè Salvator noſter adivit regnum ſuum; crux ipſi pro ſceptro fuit: *dicite in nationibus* (Pſallebat David) *quia Dominus regnavit à ligno.* Ps. 95.
Ita legunt hunc locum Juſtin. in Dialog. cum Triph. Sanctus Auguſtin. ſup. iſto Pſalmo, Tertullian. l. 3. cont. Marcion. Imò Eccleſia ipſa in Hymno: *Impleta ſunt quæ concinit David fideli carmine, dicens: in nationibus regnavit à ligno Deus.* Ipſa etiam crux triumphalis currus dici poteſt, quo devicta morte, diabolo, inferno, Chriſtus victoriæ ſuæ trophæa adornavit. Ipſa ad Dominum noſtrum JESUM Chriſtum traxit mundum, ipſo dicente: *Et ego, ſi exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum. Hoc autem*, teſte Evangeliſtâ, *dicebat ſignificans, quâ morte eſſet moriturus.* Ipſa, Cathedra fuit Legislatoris noſtri, dicente Auguſtino: *Lignum, ubi fuerunt fixa membra patientis, etiam Cathedra eſt Magiſtri docentis.* Ipſa tandem eſt tribunal Judicis noſtri, unde ſententiam dixit conſtitutus in medio latronum; in credentem quidem liberationis à morte; in alterum verò mortis, & damnationis.

Hymnus Eccleſiæ.

Joan. 12.

Vide S. Leo. ſer. 8. de Paſſ. poſt medium.

Tract. 119. in Ioan.

Leo ſerm. 4. de Paſſ.

Auguſt. tract. 32. in Ioan.

Sancta Crucis lignum magno in pretio ſemper habitum apud fideles.

I. Habueruntne fideles in pretio omnibus retrò ſæculis ipſum Sacroſanctæ Crucis lignum?

R. Ita, in maximo. Vide quid S. Cyrill. de hoc ſcribat *Catech.* 4. 10. 13. Sanctus Joannes Chryſoſtomus orat. *quod Chriſtus ſit Deus.* Sanctus Gregorius Nyſſen. *ſer. de baptiſmate*; & in vita S. Macrinæ, ubi ſcribit ſolitam ferre crucem è ferro; in qua, particula ſanctæ, & vivificæ crucis incluſa erat. Huc non parùm faciunt inſtitutiones ſolemnitatum *Inventionis*, & *Exaltationis* ſanctæ Crucis.

Vide Breviarium Rom. 3. Maji & 14. Sept.

I. Adhucne hodie magni æſtimatur Crux Domini?

R. Om-

R. Omninò; nam, ut nihil dicamus modò, de recepto apud Chriſtianos uſu formandæ crucis ad omnem occaſionem, ejuſque in omni loco ſtatuendæ, de quo lect. 5. præl. ſatis; & ut etiam prætereamus ſolemnem morem pulſandi meridiè campanæ ſignum ad Ave Maria, ſive ad Orationem in memoriam Paſſionis Dominicæ; vulgaris ſanè eſt, & ſanctiſſima praxis orandi paſſim coram Imagine Crucifixi. Atque ut ea juvaretur, jam ab initio naſcentis Eccleſiæ conſecrata ſunt oratoria, templa & baſilicæ (quæ domus orationis vocantur) per ſigni Crucis erectionem, quo memoria Crucifixi ante orantis oculos ſalubriter in loco orationis obverſaretur. Ad hæc, quia conſtitutus eſt Sacerdos mediator DEI, & hominum, ad Altare celebraturus, ex rubrica Miſſalis Romani, non ſine crucis ſigno ante ſe poſito Miſſam facere debet.

Rubrica Miſſal. Roman.

I. Cujuſnam rei recordationem nobis ingerit Imago Crucifixi?

R. Nimirum, omnem orationem, omne Sacrificium, omne denique opus bonum Omnipotenti Deo eſſe offerenda per Chriſtum Dominum noſtrum crucifixum; à cujus paſſione, & morte cuncta vim ſuam trahunt. Secundò, excitat nos idem Crucifixi ſignum ad cordis compunctionem, & ſinceram pœnitentiam peccatorum noſtrorum, quæ DEI Filium cruci affixerunt. Tertiò, vehementer nos hortatur ad tollendam crucem noſtram in humeros, & commoriendum Chriſto in Cruce; hoc eſt, ad mortificandum affectus, & cupiditates noſtras; clavis timoris, imò potiùs amoris configendo manus noſtras, ſive actiones; & pedes noſtros, ſive omnes vitæ noſtræ progreſſus.

I. Suntne Deo gratæ peccationes, quas coram imagine Crucifixi fundimus?

Orationes quæ fiunt coram Imagine Crucifixi.

R. Ita planè; ut videre licet in ſubjecto exemplo: Cùm Sancta Brigitta in tenera adhuc ætate luderet in plateis cum puellis, quâdam vice diabolus (qui ſemper primordia virtutum in ipſo ortu conatur extinguere) Virgini apparuit quaſi habens centum manus, & centum pedes, & in omnibus deformoſiſſimus, ut eam terreret. Quæ exterrita cucurrit ad lectum ſuum ad Imaginem Crucifixi, ei ſe humiliter commendans. Cui diabolus iterum apparuit, dicens: Nihil poſſum tibi facere, quia non permiſit Crucifixus, ſicque confuſus abiit.

Deo grata. Exempl. Sur tom. 5. S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 11. §. 17. Chron.

I. Quo in loco crucifixus fuit Chriſtus Dominus?

R. In Monte Calvariæ extra Jeruſalem, ut ſciretur hoc Chriſti Sacrificium non ad unum Judaicum populum duntaxat pertinere, ſed toti mundo prodeſſe; *& eſſet Crux Chriſti, non templi, ſed mundi ara.*

Leo ſerm. 9. de Paſſion.

I. Portavitne ipſe crucem ſuam ad locum ſupplicii?

Joan. 19.

R. Ita, ut patet ex textu Evangelico. Hujus rei figura fuit Iſaac portans lignum holocauſti. *Sic decebat planè ô bone* JESU, *ita decebat te, qui triumphum agebas, ſceptrum portare, & arma gerere, quibus diabolum ſuperabas: factus eſt principatus ejus ſuper humerum ejus.* Iſai. 9.

Gen. 22. Athan. ſerm. de Paſſion. & cruce Dom.

I. Numquid etiam alius quiſpiam poſt eum crucem portavit?

R. *Angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyreneum venientem de villa, Patrem Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus. Et impoſuerunt illi crucem portare poſt* JESUM. Fortè ne deficeret Salvator in via; vel quia viribus omnibus exhauſtus non ambulabat eâ velocitate quâ deſiderabant, Deo ita diſponente, in argumentum quod Chriſtus Dominus non ſuam, ſed hominum crucem portaret pro iis moriturus.

Marc. 15. Luc. 23. Vide S. Greg. 8. moral. c. 26.

LECTIO IV.

I. SI quid ſupereſt de crucifixione Domini, progredere modò, ſed dic obſecro, nudusne crucifixus eſt?

Chriſtus nudus crucifixus.

R. Ita. Nam præterquam quòd manifeſta habemus teſtimonia Evangeliſtarum,

Digitized by Google

rum, qui narrant eum poſt flagellationem recipiſſe ſuas veſtes, & eas denuò in loco ſupplicii exuiſſe, & milites eas ſibi diviſiſſe, juxta vetus illud Prophetæ vaticinium: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*; ſancti Patres idipſum affirmant.

Joan 19.

Pſ. 21.

Refert, inquit Ambroſius, *conſiderare qualis aſcendat, nudum video; talis aſcendit, quales nos, auctore Deo, natura formavit, qualis in Paradiſo primus homo habitaverat, talis ad Paradiſum ſecundus homo intravit.*

Serm. 10. in Luc.

Athanaſius ſerm. de Cruce, & Paſſione Domini: *Exuebat veſtimenta ſua; decebat enim eum hominem introduceret in Paradiſum, exuere tunicas, quas Adam accepit, cùm è Paradiſo ejiceretur.*

Eandem ſententiam ſequitur ſanctus Bonaventura *lib. medit. vitæ Chriſti, cap. 78.* & Ludolphus *2. p. Vita Chriſti.*

I. Numquid iſtius nuditatis Chriſti in Cruce præceſſit aliqua olim figura?

R. Ita. Noë cùm vineam plantaſſet, inebriatus eſt vino illius, & omninò nudatus eſt; quod veteres Patres de Chriſto ex cruce ſuſpenſo myſticè interpretantur.

Gen. 9. S. Aug. l. 16. de civ. Dei c. 2. & l. 12. cont. Fauſt. & alii.

I. Quænam fuit iſtius rei ratio?

R. Conſuetudine receptum erat apud Romanos & alias nationes, quibus crucifixio erat in uſu, nudos planè, & abſque velamento crucifigere. Quis verò Judæorum, vel carnificum tam benigno in eum erat animo, ut ei aliquod beneficium, vel ſolatium impertiendum putaret? Amicorum quidem non pauci indignitatem ſpectabant, ſed nullus eis patebat acceſſus.

I. Sed nuditas hæc planè Chriſto Domino indecens, & honeſtati repugnans videtur?

R. Divinam quidem Majeſtatem iſta nuditas dedecere videri poſſet, niſi conſtaret Deum omnis decentiæ, & honeſtatis auctorem nihil indecenter agere. Jam verò quid mirum, ſi is, qui ſe *vermem, & non hominem, opprobrium hominum & abjectionem plebis* nominavit; nudus quoque in cruce pependit, ut hâc ſuâ nuditate, nuditatem noſtram veſtiret, & ut ſupra Sanctus Athanaſ. *ut nos indueret vitam, & immortalitatem.*

Pſ. 21.

I. Pleræque picturæ Chriſtum linteo præcinctum, vel omninò etiam veſtitum repræſentant.

R. Nihil hoc obſtat prædictæ ſententiæ; non enim neceſſe eſt, ut eo modo fidelium oculis ſubjiciatur, quo ipſe crucifixus eſt ab iis, quos Pſalmiſta *canes* vocat, qui multa inverecundè egerunt, quæ verecundiùs repræſentari debent.

Pſ. 21.

I. Toleraveruntne libenter Sancti ejuſmodi nuditatis probrum pro Chriſto Domino?

Vide Molan. de pictur. c. 79.

R. Ita. Sancta Flavia nobilis Virgo, & Martyr, Sancti Placidi etiam Martyris Soror, cùm juſſu Manuchæ tyranni planè nuda in crucem acta eſſet, ut JESU Chriſti Domini noſtri fidem negaret, dixit: Ego verò parata ſum non ſolùm corporis mei nuditatem, verùm etiam ignem, & ferrum pati amore ejus, qui pro me nuditatem, flagella, & crucis ſupplicium toleravit.

Exemplũ.

I. Quid verò de ſpinea Chriſti corona? cenſeſne Redemptorem noſtrum eâ redimitum, cruci ſuffixum fuiſſe?

R. Ita; id enim videtur indicare Evangeliſta: nam cùm ſcripſiſſet Chriſtum ad crucifixionem fuiſſe ductum, addit: *Chlamyde exutum.* De corona verò ſpinea tacet, cùm tamen paulò ante capiti ejus impoſitam retuliſſet. Ita ſentiunt Orig. tract. 35. in Matth. Tertull. libr. contra Judæos c. 13. Accedit & ratio; cùm enim Chriſtum crucifixerint nomine regni affectati, idque in ipſo titulo teſtati ſint, non videtur probabile eos inſigne regni affectati, id eſt, coronam ſpineam de Sacroſancto Chriſti capite anteà detraxiſſe; præſertim id ita diſponente Deo, ut teſtatum eſſet omnibus Pſaltis vaticinium hîc impletum eſſe: *Dominus regnavit à ligno.* Quamobrem verè repræſentantur antiquæ pictu-

Matt. 27. Cum ſpinea corona Chriſtus crucifixus eſt.

Pſ. 95.

ræ, & ſculpturæ Chriſtum in Cruce pendentem coronatum, dicente etiam Tertulliano ſuprà, arietem ſubſtitutum in loco Iſaac ad ſacrificium inter vepres cornibus hærentem, id maximè ſignificare quod dicimus: eſt enim aries ille *Chriſtus innixus cornibus crucis, corona ſpinea in capite ejus circumdata.*

I. Versùs quam orbis plagam reſpiciebat Chriſtus Dominus crucifixus?

Chriſtus facie ab Hieroſolymis averſâ crucifixus.

R. Chriſtus ita fuit Chriſti affixus, ut facie ab Hieroſolymis averſâ Occidentem ſpectaret. Ita paſſim SS. Patres.

I. Quare facie versùs Occidentem?

R. Ut quemadmodum Sol Oriens Occidentem obtuetur, ita Sol juſtitiæ, qui morte ſuâ mundo ortus eſt, in cruce Occidentem aſpicere voluit; ut hoc ipſo oſtenderet ſe Occidentis, hoc eſt, in interitum vergentis mundi, eorumque qui in tenebris, & in umbra mortis ſedebant, tenebras fuiſſe illuminaturum. Hinc rectè

Luc. 1.

cecinit Zacharias: *Viſitavit nos Oriens ex alto*; & ſtatim addit: *illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent.* Quò ſpectare videtur quod habet Pſal-

Pſal. 65.

mus: *Oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt.* Tanquam illas, Judæis reprobatis, electuri.

I. Fuitne iſta primorum Chriſtianorum traditio?

R. Ita; illi enim, ut hanc præſentiam Chriſti crucifixi memori mente conſervarent, ita corporis habitum, quotieſcumque adoraturi eſſent, conformavêre; ut Orientem ſpectarent; non aliter mente

Ioan. Damaſc. infrà cit.

affecti, quàm ſi faciem Domini noſtri JESU Chriſti in Cruce ad Occidentem converſam obtuerentur.

Tertul. contr. Valent.

I. Unde hic uſus fluxit?

R. Morem hunc ad Orientem orandi non ab aliis quàm ab Apoſtolis eſſe

Clem. Alexand. 7. ſtrom. 4. Beda in Luc. c. 93.

traditum, teſtantur antiquiſſimi Patres. Sanctus Baſilius de Spiritu ſancto cap. 27. & ante ipſum Origin. in lib. Numer. homil. 5. Auguſt. ad Caſulam Presbyterum. Juſtin. lib. quæſt. 118. Damaſc. lib 16. orthod. fid. lib. 4. cap. 13. Athanaſ. quæſt. ad Antioch. 16. & alii multi.

I. Eſtne neceſſe etiamnum convertere ſe ad Orientem inter orandum?

Apoſtolica traditio orandi ad Orientem.

R. Si de oratione privata agitur, parum eſt inquam te partem convertas, cùm in omni loco Deum præſentem habeas; verumtamen ab hâc primorum Chriſtianorum, imò Apoſtolorum mente eſt, quòd & hodie templa ſint Orientem versùs; in quibus Majoris Crucifixi imago Occidentem proſpicit, quam, qui adorant, neceſſariò Orientem ſpectant.

I. Nihilne aliud ſupereſt, quod ad Chriſti Crucem ſpectat?

Vide Clement. Rom. 2. Conſtit. c. 57.

R. Imò illæ ipſæ quas lectione proximâ, quæſtiunculâ 4. Crucis figuras commemoravimus.

Durand. in Ration. lib. 1. c. 4.

I. Quænam ſunt illæ?

Figura S. Crucis.

R. Primò, hanc pretioſam Crucem præfiguravit vitæ lignum, quod in Paradiſo plantatum eſt à Deo: Damaſcenus l. 4. c. 12. Hanc figuram indicat etiam Eccleſia, cùm de cruce canit: *Hæc eſt arbor digniſſima in Paradiſi medio ſituata, in qua ſalutis auctor propriâ morte mortem omnium ſuperavit.*

In offic. Eccleſ. de exaltat. S. Crucis.

2. Arca illa lignea per quam in diluvio Noë cum ſuis ſervatus eſt, cæteris omnibus, qui extrà eam erant, pereuntibus, præfiguravit ſaluſiferum Crucis lignum.

In c. 14. Gen. Vid. Cyrill. Catech. 13. l. 4. c. 12.

Nota quod Sap. 10. dicitur arcæ contemptibile lignum: *Noë per aquam* (inquit Iſidorus) *& lignum liberatur; lignum quippe, & aqua crucem deſignat & Baptiſma; ſicut enim ille cum ſuis per lignum, & aquam ſalvatur, ſic familia Chriſti, per Baptiſmum & Chriſti Paſſionem ſanatur.*

Vid. Tert. de Baptiſ. Gen. 28.

3. Figuram tertiam ſuppeditat nobis Jacob Patriarcha, qui (ut ait Damaſcenus) *alternatis, cancellatiſque manibus Filios Ioſeph benedicens, ſignum crucis manifeſtiſſimè deſcripſit.*

4. Ejuſdem crucis figura fuit ſcala Ja-

Vid. Aug. ſerm. 70. de temp. col. *Ego* (inquit Hieron.) *puto crucem Salvatoris illam eſſe ſcalam quam vidit Iacob. In iſtam ſcalam deſcendebant Angeli, & conſcendebant. In iſta ſcala, hoc eſt, cruce, deſcendebant Iudæi; & conſcendunt Gentiles.*

Lib. 4. c. 2. alleg. *Exod. 15.* 5. Eandem Crucem Dominicam adumbravit Virga Moyſis. *Virga Moïſaica* (inquit Damaſc.) *in ſimilitudine crucis mare percuſſit, & ſalvavit Iſraël, Pharaonem autem ſubmerſit.*

6. De ligno aquam Marath injectu ſuo in dulcem commutante, nota eſt figura ejuſdem vivificæ crucis, ex Tertul. libro contra Judæos, & Proſpero de prædict. p. 1. c. 38.

7. His adjiciendus eſt botrus ille à ſpeculatoribus ex ligno dependens ad Iſraëlitas relatus, argumentum copiæ, & ubertatis ejus terræ, quam Deus populo ſuo promiſerat: *Racemus enim ex ligno dependens* (inquit Gregor. Nyſſen.) *quiſnam alius erit quàm is qui in noviſſimis jaculis ex ligno pependit? cujus ſanguis potus factus eſt credentibus ſalutaris, Moyſe id ænigmaticè prædicente: Sanguinem enim uvæ bibebant, quâ ex re ſalutaris Chriſti Paſſio prænunciatur.* *In vita Moyſis.*

8. Sed verò celeberrimam illam (etſi alio in loco de ea meminerimus) figuram Crucis Dominicæ, de ſerpente æneo à Moyſe in altum elato, cujus aſpectus tam ſalutaris erat, ut ignitorum ſerpentum morſibus mederetur, hic diſſimulare non poſſumus, præſertim cùm ipſiſſimam hanc figuram ipſemet Dominus de ſe, ſuâque per crucem morte interpretatus ſit, cum diceret: *Sicut exaltavit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Cùm enim in hujus vitæ eremo, inquit B. Proſper, diverſis hæc vitiis, jam conſecratis in Baptiſmo, tanquam in Mari rubro, peſtiferos morſus inflixerit diabolus, ſtatim exaltatum in ligno Crucis JESUM Dominum reſpiciat, id eſt, à cœleſti medico non recedat, ut omnis qui viderit, & crediderit in eum, non pereat. Sanè Tertullianus auctor graviſſimus, æquè ac vetuſtiſſimus, pulchrè hic nobis ſubſcribit: *Moyſes poſt interdictam omnis rei ſimilitudinem, cur æneum ſerpentem ligno impoſitum, pendentis habitu in ſpectaculum ſalutare propoſuit? An & hic Dominicæ crucis vim intentabat, quâ ſerpens diabolus publicabatur, & læſo cuiq; à ſpiritualibus colubris, intuenti tamen, & credenti in eam ſanitas morſuum peccatorum, & ſalus exinde prædicabatur?* *Joan. 3.* *Lib. de prædict. p. 2. c. 11.*

LECTIO QUINTA.

De Cruce Spirituali.

I. Quid voluit Salvator, cùm quemlibet crucem ſuam tollere mandavit? Matt. 16.

Quid vult ſibi hoc verbum (inquit Chryſoſt. hom. 1.) *An ut lignum unuſquiſque noſtrûm ferat, aut cum Chriſto crucifigatur in ligno?* *Chryſoſt. hom. 1. de adorat. crucis to. 1. tom. 1. in fine.*

R. *Certè non*, inquit. *Numquid enim omnes Martyres qui ſecuti ſunt Dominum, crucifixi ſunt?*

Numquid omnes Virgines, qui juxta Apocalypſim ſequuntur Agnum Dei crucifixi ſunt ut ſequantur. Numquid Apoſtolus Paulus crucifixus fuerat, cùm diceba, mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo? Hoc autem dixit, ut intelligas crucem non tantùm eſſe ligni patibulum, ſed vitæ, virtutiſque propoſitum, Chriſtus bajulans crucem ſuam, nobis quod olim verbo, nunc facto inclamare videtur: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Figura hujus Judic. 9. *Auguſt. ſerm. 32. de Sanct.*

I. Quid ergo, uno ut abſolvas verbo, Crux ſpiritualis?

R. Omne illud quod cùm labore, & dolore conjunctum nos in hâc vitâ exercet, & cruciat.

Diſtinguenda igitur crux duplex: Nam ſi ab

Crux duplex. S. Auguſt. ſerm. 32. de Sanct. ſupra.

ſi ab externo, materiali, & in certam ſpeciem Crucis conformato inſtrumento inferatur, crux erit vera, & materialis, ſi aliunde cruciatus obveniat, crux appellabitur ſpiritualis (per analogiam ad materialem) *quæ totius vitæ curriculo, cunctarum Diſciplinarum virtutibus computatur.*

August. in Pſ. 30. Conc. 2.

Hæc ſpiritualis crux nihil aliud eſt, quàm omnis tribulatio, & adverſitas, *ſive in re familiari, ſive ſit in ſalute corporis, ſive de periculo chariſſimorum, &c. quævis enim tribulatio congruum dolorem habet, & cruciat.*

I. Fac igitur videam diverſas iſtius crucis ſpecies in exemplis?

R. Ut multas alias differentias, & diviſiones omittam, videtur mihi illa ſolemniſſima diviſio, quæ ſumitur à cauſa efficiente, in eam quæ à Deo venit, & in eam quæ ab hominibus, & in eam quæ à nobis, vel à Dæmone, permittente Deo.

I. Affer mihi exemplum primi membri diviſionis, hoc eſt, Crucis à Deo noſtris humeris impoſitæ?

R. Crux à Deo, fuit illa Davidis, cùm à facie Abſalonis paucis comitatus profugit. Prædixerat ei hanc crucem Dominus,
2. Reg. 12. *Ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, &c.*

Crux ab homine eidem fabricata erat illa, cùm clamans ad Dominum aiebat:
Pſal. 55. *Miſerere mihi Domine, quoniam conculcavit me homo, totâ die impugnans tribulavit me, conculcaverunt me inimici mei totâ die, quoniam multi bellantes adverſum me.*

Crux ſibi ipſe fuit qui in amaritudine
Job. 21. animæ ſuæ dicebat: *Factus ſum mihi metipſi gravis.* Item ille cujus hæc eſt oratio:
Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Magna certè hæc crux viris probis, & adeò magna, ut exclamarit ille idem gemens & ſuſpirans: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Crucem & quidem grandem à Dæmone ſibi illatam toleravit patientiſſimus Job: *Egreſſus enim ſatan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio.* Et plura quæ in eodem libro leguntur ad commendationem virtutis ejus, cruces ſunt valdè moleſtæ, à Cacodæmone, ut ibi apparet, conſtructæ. Ita ille nobis quotidie cruces parat, Deo ita permittente, quando tentationibus variis bonam mentem ad malum pertrahere nititur, vel etiam, bonorum jacturam, corporum ægrotationes, aliaſque ſexcentas tribulationum, & afflictionum ſpecies improbiſſimis artibus procurat. Job. 2.

I. Haberne quilibet Chriſtianus ſimilem aliquam crucem ferendam?

R. Ita ſanè, nam, uti Auctor eſt Auguſtinus, *tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Evangelium vivas, crux eſt atque Martyrium.* Et alibi addit: *Nemo ſibi dicat, fuerunt tribulationes apud Patres noſtros, apud nos non ſunt. Si putas te nondum habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Et, ubi eſt vox Apoſtoli: Omnes qui volunt piè vivere, perſecutionem patientur? Si ergo non pateris pro Chriſto ullam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Chriſto piè vivere.* Rurſum alibi: *Vita iſta parva, tribulatio eſt: ſi non eſt tribulatio, non eſt peregrinatio; ſi autem peregrinatio eſt, aut parum patriam delegis, aut ſine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur non ſe eſſe cum eo quod deſiderat? Quod ſi tibi non videtur tribulatio, cauſa eſt quia non amas. Ama alteram vitam, & videbis quia iſta vita tribulatio eſt: quæcumque proſperitate fulgeat, quibuſcumque delitiis abundet, atque circumfluat.* Vide S. Joannem Chryſoſtomum hom. 66. ad populum, ubi: *Revera non eſt vita ſine miſeria,* inquit, *nec poteſt citrà tribulationem, non poteſt citrà triſtitiam vita præſens tranſmitti. A Chriſtiani vita vinculum inſolubile eſt tribulatio.* Quid ita verò? *Quia qui Chriſti ſunt,* hoc eſt, boni Chri-

Serm. 32. de Sanct.

In Pſ. 55. Omnes Chriſtiani habent ſuam crucem ferendam

Luc. 14. Gal. 5. Coloſ. 3. Chriſtiani, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Vide Thomam à Kempis l. 2. de Imitat Chriſti c. ult. & S. Leon. ſerm. 9 de Quadrageſima. Audi eundem ſerm. 84. *Pia vita*
S. Leo. *Sanctorum nunquam aliena eſt Crucis Chriſti, dum continentia clavis deſideria carnis configit & corporeas cupiditates virtute ſpiritus in ſe habitantis interficit.*

I. Quibuſdam plures paratæ ſunt cruces in hoc mundo?

R. Juſtis maximè, & piè in Chriſto viventibus. *Multæ tribulationes juſtorum* Noli tibi blandiri quaſi juſto, ſi tribulationes non habueris; quia Domini verbum eſt: *Via lata, & ſpatioſa eſt, quæ ducit ad mortem.* Et: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Difficile eſt, imò impoſſibile,* (ait S. Hieronymus epiſt. 34 ad Julianum) *ut & præſentibus quis & futuris fruatur bonis; ut & hic ventrem & ibi mentem impleat. Et de delitiis tranſeat ad delitias; ut in utroque ſæculo primus ſit, ut & in cœlo & in terra appareat glorioſus.* Taliter omnes Apoſtoli, taliter omnes Martyres ſecuti ſunt Dominum. Vide Apoſtolum Paulum de ſuis crucibus differentem. 2. Cor. 11. Et rurſum de ſuis cæterorumque Apoſtolorum, 1. Cor. 4. & de Sanctorum veteris Teſtamenti, Hebr. 11. Et pro commentario vide Chryſoſtom. homil. 29. ſuper hāc Epiſtolam. Tandem adverte quòd Sanctus Sanctorum verè crucifixus pro nobis ab ipſo ortu uſque ad crucem in Monte Calvariæ, continuas cruces ſpirituales toleraverit.

Pſal. 33. Matt. 16. *Præſertim juſti & ſancti.* *Exempla.*

Illuſtre eſt hoc in genere ſanctæ Coletæ exemplum, *quæ,* (ut refert auctor vitæ apud Surium tom. 2. 6. Mart.) *Quoad vixit, perpetuis affecta fuit doloribus, & cruciamentis, aliis poſt alia ſuccedentibus, & ſæpe numerò duplicatis; quæ tamen omnia tulit patientiſſimè. Inter alia magnam ei crucem afferebat inflatio quædam continua ſine intermiſſione, modò accreſcens, modò ſe remittens, quam tamen ſuaviter tolerabat. Præter hanc multis aliis affligebatur modis; interdum in ſolo corpore, nonnunquam in anima, plerumque in utroque, idque ſanè graviſſimè. Morbos ex naturali aliqua cauſa exiſtentes placidè ferebat; qui verò præter naturæ ordinem divinitùs ei infligebantur, eos neceſſariò perpeti oportebat, nec potuit illis pro ſuo arbitrio abſolvi. Ad inflationem illam quam diximus, aliæ penè vexationes, & infirmitates ſe adjungebant, quibus interdum tam miſerè diſcruciabatur, ut octo dierum ſpatio, vix unâ horâ integrâ ſpirare poſſet: quodque miſerabile, & commiſeratione dignum eſt, cùm ſoleant alii, cùm ſani, tum ægroti, in lectulis ſuis captare requiem, & levamentum, illa potiùs & deteriùs vexabatur. Nam etſi ob labores diurnos cuperet nonnunquam ſe nocturnæ dare quieti, & corpuſculum in lecto reponere, at nunquam tamen requie illic potiri potuit: imò verò mox ut eò ſe recepit, novis & languoribus, & laboribus cruciabatur, idque nocte totâ, & interdum ad meridiem uſque. Neque ejuſmodi anguſtiis premebatur ſemel atque iterum per hebdomadam, ſed cunctis noctibus. Porrò diebus Feſtis & Dominicis, & in magnis ſolemnitatibus, quibus alii omnes ceſſant; tantò cruciatus erant acerbiores.*

B. Coleta Virgo multis morbis affecta, variiſque tribulationibus afflicta.

I. Tuleruntne æquo & prompto animo Sancti Cruces ſuas?

R. Ita. *Ibant Apoſtoli, gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* JESU *contumeliam pati.* Exemplum rarum habetur de ſancto Servulo Paralytico apud Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 14. & homil. 15. in Evang. poſt medium: In ea porticu, inquit, quæ euntibus ad Eccleſiam beati Clementis eſt pervia, fuit quidam Servulus nomine, quem multi veſtrûm mecum noverunt, rebus pauper, meritis dives, quem longa ægritudo diſſolverat. Nam à primæva ætate uſque ad finem vitæ Paralyticus jacebat. Quid dicam? Quia ſtare

Exempla. *Auctor 5. Sancti ſuas cruces patienter tulerunt.*

ſtare non poterat. Nunquam in lecto ſuo ſurgere, vel ad ſedendum valebat, nunquam manum ſuam ad os ducere, nunquam ſe potuit in latus aliud declinare. Huic ad ſerviendum Mater cum Fratre aderat; & quicquid ex eleëmoſynis potuiſſet accipere, hoc eorum manibus, pauperibus erogabat. Nequaquam etiam litteras noverat, ſed tamen Scripturæ Sacræ ſibi codices emerat, & Religioſos quoſque in Hoſpitalitatem ſuſcipiens, hos coram ſe ſine intermiſſione legere faciebat. Factumque eſt, ut quantum ad menſuram propriam attinet, plenè ſacram Scripturam diſceret, cùm ſicut dixi, litteras funditùs ignoraret. Studebat in doloreſemper gratias agere, hymnis Deo, & laudibus, diebus ac noctibus vacare, &c. Ejus natalis dies celebratur 23. Decembris.

I Soletne Dominus Deus adjuvare afflictos in ferenda cruce?

Adjuvat Deus afflictos in ferenda cruce.

R. Omninò. *Cùm aliquando Beatus Antonius cum Dæmonibus colluctaretur, ei Chriſtus Dominus protector factus eſt, tunc enim elevans oculos vidit deſuper cœlum aperiri, & depulſis tenebris, radium lucis ad ſe influere. Poſt cujus ſplendoris adventum, nec Dæmon aliquis apparuit, & corporis dolor extemplo deletus eſt. Ædificium quoque quod paulò ante diſſolutum fuerat, inſtauratum eſt. Illicò præſentiam Domini intellexit Antonius, & ex intimo pectore trahens longa ſuſpiria, ad viſionem quæ ei apparuerat, loquebatur, dicens: Ubi eras bone JESU, ubi eras? Quare à principio non adfuiſti, ut ſanares vulnera mea? Et vox ad eum facta eſt, dicens: Antoni hic eram, ſed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando fortiter non ceſſiſti, ſemper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. His auditis, multùm fuit roboratus.* S. Athan. in vita ejus.

Exemplum.

Deus amicis ſuis multas cruces immittit cur?

I. Sed cur Deus Sanctis, & amicis ſuis tot cruces immittit?

R. S. Chryſoſtomus octo cauſas hujus rei dat, quas breviter hic attexam?

Prima. Ne propter meritorum, & miraculorum magnitudinem extollantur. *Bonum mihi quia humiliaſti me*, clamabat ille. Et alius cùm ſe in Paradiſum abductum fuiſſe dixiſſet, ſubdidit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ qui me colaphizet.*

Chryſoſt. hom. 1. de Antio. Pſal 118. 2 Cor. 12. *Chryſoſt. ſup.*

Secunda cauſa eſt, ne cæteri majorem habeant de ipſis opinionem, quàm humana patitur natura, & ipſos Deos, non autem homines eſſe arbitrentur. *In Lyſtris non ſolùm obſtupuerunt, ſed & tauros coronatos adduxerunt, ut Paulo, ut Barnabæ ſacrificarent.* Ne igitur Sancti in Deorum numerum ab imperitis referrentur, *permiſit Deus eos aſſiduè cruciari flagellari, & in varios morbos incidere; ut nimia corporis imbecillitas, & tentationum turba, præſentibus perſuaderet homines eſſe qui talia edebant miracula, nihilque de ſuo afferre, ſed gratiam Dei per illos omnia efficere, &c.*

Actor. 16.

Tertia cauſa eſt, ut virtus Dei magis elucescat per hujuſmodi ægros, & variis calamitatibus implicatos, verbumque Dei latius diſſeminetur. In ligno erant pedes Pauli, in catenis manus, & carcer ſub mediam noctem quatiebatur, ipſis Deum laudantibus. Si fuiſſet ſolutus Paulus, & illud habitaculum concuſſiſſet, non fuiſſet tam mirandum, quod fiebat, &c. Et paulò poſt: *Non hic autem ſolùm, ſed etiam in Petro, & in aliis quoque Apoſtolis videre quiſpiam poſſet, hoc perpetuò evenire, ut & in perſecutionibus Dei gratia efflorescat, & magis appareat in tribulationibus, ejuſque virtutem prædicet. Idcircò dicebat Paulo: Sufficit tibi gratia mea: Virtus enim in infirmitate perficitur. Nam hoc eſt quod maximè Chriſti virtutem demonſtrat, quoniam per talia vicerunt Apoſtoli, per vincula, tribulationes, flagella & extrema mala.*

Chryſoſt. ſup. *Idem hom. 1. ad Antioch.*

Quarta cauſa eſt. Ne propter vitæ præſentis felicitatem videantur Deo ſervire. *Quod interdum non modò homines exiſtimant, ſed & ipſe diabolus hoc ipſum opina-*

Digitized by Google

pinatus eſt. Cùm enim videret Sanctiſſimum virum Iob valdè copioſum & opulentum, nihilque haberet quod ei accuſationis loco objiceret, ad hanc confugit calumniam Nunquid gratis, inquit, te colit Iob? circumvallaſti interiora & exteriora ejus: propter mercedem ille Virtutem ſequitur tantâ opulentiâ. Quid igitur fecit Dominus? volens demonſtrare, quòd Sancti ipſum non colant propter mercedem, omnem ſubſtantiam abſtulit, & paupertati tradidit, & in gravem morbum incidere permiſit.

Quinta cauſa eſt, ut de reſurrectione cogitemus. Cùm enim virum juſtum & multâ virtute præditum innumera paſſum mala, & ſic hinc digreſſum videris, oportet ex hoc omninò aliquid de illo judicio cogitare. Si enim homo pro ſe laborantes ſine præmiis & retributione abire non permittit; multò minùs Deus illos, qui tantum laborant, patietur eſſe ſine munere. Si autem ipſos laborum ſuorum retributione privare non elegit, ſequitur quoddam aliud tempus eſſe poſt præſentium finem, in quo præſentium ærumnarum mercedem recipiant.

Tob. 2. *Sexta cauſa eſt, ut qui in ſimiles cruces, & afflictiones incidit, habeat patientiæ exempla, & documenta.* Hanc tentationem (cæcitatis) inquit Scriptura de Tobia, *ideò permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & Sancti Iob.*

Septima cauſa eſt, ne ſi quando quis nos exhortaretur ad imitationem Apoſtolorum, Martyrum, & aliorum, qui Deo tam conſtanti pectore per tot cruces ſervierunt, alterius ipſos naturæ participes fuiſſe cogitaremus, propter rerum geſtarum magnitudinem; & ſic ad imitationem torperemus. Jacob. 6. *Quocircà quidam de magno loquens Helia: ſic, inquit, Helias homo erat ſimilis nobis paſſibilis; vides quod à paſſionum communione demonſtrarat ipſum hominem eſſe noſtri ſimilem?*

Octava cauſa eſt, ut diſcamus quoſnam beatos, quos verò miſeros judicare debeamus. Certum enim eſt, quod quando audieris Paulum dicentem: uſque in præſentem horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus: 1. Cor. 4. *Et; quem enim diligit Dominus caſtigat*: Heb. 12. flagellat autem omnem filium quem recipit; non delitiis, & omni rerum copiâ affluentes beati prædicandi ſunt, ſed illi qui vitam piè, ſanctèque inſtituunt, & virtutis curam gerunt.

I. Suntne omnes iſtæ ſpirituales cruces æquè bonæ? *Cruces ſpirituales non omnes æquè bonæ.*

R. Certum eſt quod non, quia cruci occaſio datur à diverſa cauſa, & ab animo diverſimodè præparato ſuſtinetur.

Crux bona erit, ſi ob bonam cauſam, & bonâ mente toleretur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Matt. 5. Et: *Si quis patiatur ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* 1. Pet. 4.

Mala crux eſt, cui origo mala: ejuſmodi crucem à Chriſtianis abeſſe jubet B. Petrus: *Nemo veſtrûm patiatur ut homicida, aut fur; aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Ibid. *Quæ eſt enim gloria, ſi peccantes, & collaphizati ſuffertis?* 1. Pet. 2.

Bona tamen & ſancta ſit, æquo & pio animo crucem tolerantis, eamque ad expiationem ſuorum criminum referentis. Talis erat crux Davidis, quam patiebatur ob malam cauſam, nimirùm ob adulterium, & homicidium. In ipſo Monte Calvariæ omnium iſtarum crucium exempla, & differentiæ ſuppeditantur. Ecce enim crucem Domini ex cauſa & voluntate patientis optimam. Ecce rurſum boni latronis ex cauſa mala crucem, bonum verò propoſito; *Nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus, &c.* Luc. 23. Et poſtmodùm: *Et dicebat ad Ieſum, Domine memento mei, &c.*

Quæris crucem malam cauſâ, animique propoſito? Aſpice latronem ob latrocinia in crucem actum, qui ad priſtina

ſcelera

Digitized by Google

ſcelera adjicit impietatem, & blaſphemi-
Ibid. am, dicens: *Si tu es Christus, ſalvum fac ſemetipſum, & nos.*

I. Quis nos animat ad cruces animosè ferendas;

R. Sanctus Paulus Hebr. 12. quem ibi vide.

LECTIO VI.

Mortuus.

Matt. 27. I. QUid hæc vox (mortuus) credendum
Luc. 23. ſignificat?

Marc. 15. R. Jeſum Chriſtum, poſtquam crucifi-
Joan. 19. xus eſt, verè mortuum eſſe, animâ ejus (ſicut in nobis contingit dum morimur) à

De Morte corpore ſeparatâ.

Chriſti S. I. Fuitne etiam divinitas ſejuncta à cor-
Tho. 3. p. q. pore?

500. R. Minimè: quin potius conſtanter credimus, & confitemur; animâ ejus à corpore diviſâ, divinitatem tùm corpori in ſepulchro, tùm animæ apud inferos conjunctam ſemper fuiſſe.

I. Cur autem decebat Filium Dei mori?

Hebr. 2. R. *Ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.*

Cur tam I. Sed quare voluit tam dira pati?
dira pati R. Voluit Filius Dei acerbiſſimam Paſ-
voluit ſionem ſubire. *Primò* quidem & præcipuè,
Domi- ut copioſam redemptionem exhiberet
nus? pro genere humano Deo Patri.

I. Declara hoc ampliùs.

R. Hoc in Paſſione, & Morte Filius Dei Salvator noſter ſpectavit, ut præter originalem, & hæreditariam primorum parentum labem, omnium etiam ætatum peccata redimeret ac deleret, & pro eis Patri abundè, cumulatéque ſecundùm rigoroſam juſtitiam ſatisfaceret.

I. Jam capio, ſed fuitne aliqua alia ejuſdem ratio?

R. *Secundò*, ut exhiberet nobis exemplum humilitatis, patientiæ, obedientiæ, dilectionis, &c. uti ſuprà hoc eod. cap. lect. 2. habitum eſt.

I. Incidit mihi aliqua difficultas circà priorem rationem? Nam ſi abundè, & copioſè pro nobis ſatisfecit Salvator noſter, qui fit ut etiamnum tam multi pereant, & damnentur, item cur oportet nos de peccatis noſtris pœnitentiam agere?

R. Chriſtus quidem pro peccatis omnium hominum abundè ſatisfecit, nihilominùs neceſſarium eſt illam ſatisfactionem ab hoc, & ab illo applicari ſibi in particulari. Quod fit per fidem, per ſacramenta, & bona opera, & præſertim per pœnitentiam.

I. Declara mihi hoc aliquo exemplo, vel ſimili?

R. *Simile.* Si quis eſſet qui multum laboraret, & labore ſuo, ac moleſtiis magnam pecuniæ ſummam lucraretur, quæ ad univerſa hujus urbis debita diſſolven-
da ſufficeret, eamque ſummam ad men- *Simile.*
ſam daret, cum hac tamen cautela, ut ea nulli, niſi qui aliquod ab eo teſtimonium adferret porrigeretur: Is certè, quantum ex parte ſua eſſet, pro omnibus ſatisfecit, quorum tamen multi obærati manebant, quia aut ſuperbiâ, ſive deſidiâ, aliiſve malis præpediti, vel teſtimonium nullum petunt, vel certè ad menſam comparâre, ut pecuniam accipiant, reſpuunt.

Accipe & illud alterum: *Poculum* *Aliud ſi-*
medicinæ ſi non bibitur, non medetur, *mile.*
ita poculum immortalitatis, quod ex
infirmitate noſtra, & divinâ virtute *S. Proſ-*
confectum eſt, habet quidem in ſe, ut *per.*
omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.

Quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſervare non vult. Auguſt. tract. 12. in Joan. ſub fin.

I. Quid eſt quod Chriſtus inclinato verſùs terram capite emittit ſpiritum, cùm

 San-

Sanctorum plerique oculis in cœlum intentis ſpiritum tradiderint?

Quas ob cauſas Christus Dominus moriens caput inclinat.

R. Christus Dominus terram reſpicit pro qua moritur. In Adæ Calvariam oculos conjicit, quam ſuo rigat Sanguine. Matrem dilectiſſimam intuetur, cui valedicit. *Secundò*, caput inclinat in ſignum obedientiæ, quaſi ſignificet ſe mortem acceptare ex Patris mandato. *Tertiò*, caput inclinat, extremæ paupertatis argumento, quia non habet ubi illud reclinet. *Quartò*, caput inclinat, quia iniquitates noſtræ, quas ipſe portat, ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper eum. *Quintò*, caput inclinat, hoc geſtu demonſtrans, quod ut Paſtor bonus perditam ovem ſuper humeros referat ad ovile: Tandem caput inclinat, oſculari geſtiens omnem peccatorem per pœnitentiam ad ſe revertentem.

Lugere Paſſionem & Mortem Domini ſanctum eſt.

I. Eſtne bonum, & ſalutare, quod homines lugeant Paſſionem, & mortem Chriſti Domini?

Zach. 12. R. Maximè. Hoc ſolemni ritu quotannis peragit Eccleſia, in ipſa hebdomada ſancta; ſecundùm id quod Propheta Zacharias pridem vaticinatus erat: *Et planget eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet ſuper morte primogeniti.* Idque faciunt Chriſtiani, quaſi juſta, Chriſto pro ſe crucifixo perſolventes, dum ſeriò cogitant ſe ſuis peccatis eum crucifixiſſe.

Vide S. Bernard. ſerm. in ſerm. 4. majoris hebdom.

Si mutæ etiam res, & ſenſu carentes luxerunt, & quodammodò compaſſæ ſunt morti Creatoris ſui (nam terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt, tenebræ factæ ſunt per univerſam terram. Sol obſcuratus eſt) cogitent fideles quibus lacrymis dolorem ſuum declarare debeant. Dici ſolet:

Matt. 27. Luc. 23.

Dum caput ægrotat, cætera membra dolent.

Sanè ſi membra Chriſti ſumus, ipſeque caput noſtrum, quomodò non magis dolorem habebimus, dum patitur, dum pro nobis moritur?

I. Id videtur Dominus prohibuiſſe, quando mulieribus ſequentibus in Paſſione ſua dixit: *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me.* Luc. 23.

R. Dominus JESUS affectum charitatis pari affectu compenſat. Compatiebantur enim bonæ mulieres Domino, qui tam miserè, & præter meritum tractabatur ab ſceleratiſſimis militibus: compatitur itaque & Chriſtus illis, ut qui non ignorabat quæ eventura erant populo Judæorum in ſubverſione Jeroſolymorum. Flete ergò Filiæ Jeruſalem ſuper illum, ſed non tamquam ſuper vulgarem hominem, & coactum pati, ut imbecillem, has enim lacrymas ipſe non admittit, flete affectu non tantùm humano, ſed altiori, tamquam ſuper eum qui languores veſtros languidus ipſe portat, & pro vobis patitur. Et verò: *Nolite tàm propter me, quàm propter voſipſas deflere injuſtam mortem meam, ut quæ vobis extremum exterminium, mihi verò ſummam paritura ſit gloriam.* Janſen. in Comment.

Exempla.

I. Habeſne exempla eorum qui mortem Domini planxerunt cum fructu ſpirituali?

In ejus vita.

R. Ita: Sanctus Elzearius Comes Ariani Crucifixum ſemper intuens nullâ moleſtiâ movebatur ad iram vel impatientiam, ſed omnia placidè, immoto vultu, & invictâ patientiâ tolerabat. Cumque uxor ejus Delphina miraretur iſtam apathiam, & cauſam quæreret, reſpondit? *Explicabo tibi arcanum pectoris mei: Noveris me interdum ſentire aliquam indignationem in animo adverſus infeſtantes me, ſed illicò me converto ad cogitandas injurias Chriſto illatas, eumque imitari cupiens, dico mihi ipſi: Etiamſi famuli tui barbam tuam convellerent, & colaphos tibi infringerent, nihil eſſet ad Dominum tuum, qui majora perpeſſus eſt, certumque habeas, Delphina, me nunquam ceſſare à commemorandis injuriis Salvatoris mei, donec animus meus planè ſit tranquillatus.*

Thomas Cantipratanus narrat Martyrem

Digitized by Google

Lib. 2. Apum. c. 25. §. 5. rem quendam captum à Gentili tyranno, ſemper gemebundum inceſſiſſe; cumque tyrannus cauſam triſtitiæ quæreret, reſpondiſſe: *ſemper triſtis incedo, quia mortis Dei memor, continuè in corde meo Paſſionis ejus ſtigmata porto.* Unde indignatus tyrannus juſſit ei cor evelli, & diſſecari, in quo reperit Chriſti crucifixi imaginem: quâ re commotus, ad Chriſtum converſus, & baptizatus eſt.

Eadem Chriſti crucifixi imago inventa eſt in corde ſanctæ Claræ de Montefalco, uti narrat oculatus teſtis Thomas Bzovius lib. 15. de ſign. Eccleſ. cap. 3. tom. 2.

Nota ſunt ſacra Stigmata ſancto Franciſco à Chriſto crucifixo, quem jugiter intuebatur, & plangebat, impreſſa.

Sancta Clara diſcipula, & concivis ſancti Franciſci, ſemper in foraminibus petræ commorabatur; ut habet ejus vita c. 20. apud Sur. 12. Auguſti.

Sup. lect. præc. Atque ejus aſſecla S. Coleta, uti pariter in ejus vita refert illi coævus Stephanus Juliacus.

Denique ſancta Eliſabetha Hungariæ Regis Filia, cùm quadam die ornatu, & comitatu regio Eccleſiam ingreſſa eſſet, ſtatim ubi crucem vidit, Chriſtumque in ea pendentem, cœpit in lachrymas ſolvi, & dolore acerrimo torqueri, cogitans, dicenſque ſibi: *Deus Salvator meus in patibulo moritur, ego gemmis, auro, purpuraque fulgeo: ille ſpineam coronam geſtat, ego auream; ille inter latrones, hoſtes, & deriſores; ego turbâ famulorum me colentium cingor.* Quare cùm ſe propterea infelicem, miſeram, ac penè damnatam appellaret, quod tam malè ſuum imitaretur Creatorem, exanimis in terram corruit, ægrèque ad ſe reverſa, ſtatuit vitam mutare, Chriſtique humilitatem, & mortem imitari, uti re ipsâ præſtitit. Ita habet ejus vita, & Hieron. Platus de dignit. Card. c. 17.

I. Quonam hebdomadis die mortuus eſt Chriſtus Dominus?

R. Feriâ 6. quam Judæi Paraſceven appellabant.

I. Quâ horâ diei?

R. Meridie. Nam Joannes dicit: *Erat hora quaſi ſexta.* Et Matthæus: *Circa horam nonam tenebræ factæ ſunt.*

I. Quâ die menſis?

R. 25. Martii, quo die Adam de pomo vetito comederat, ut quo die inobedientiâ unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, eodem unius obedientia ſalvi fierent multi. Bed. in Martyrol. Cyril. Catech. 14. S. Aug. l. 4. de Trinit. c. 5. & alii; quo die præciſè expleverat 34. annos ab Incarnatione ſua. Unde & Eccleſia in Martyrologio die 25. Martii, recolit memoriam S. Diſmæ latronis, qui cum Chriſto crucifixus, ab eo converſus audivit: *Hodiè mecum eris in Paradiſo.* *Mortuus eſt Chriſtus Dominus 25. Martii, feriâ 6. circa meridiem.*

LECTIO VII.

De meditatione Paſſionis Dominicæ.

I. Singulare admodum eſt tantæ dilectionis humano generi à Deo, exhibitæ per mortem, & Paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti beneficium?

R. Benè dicis, ut mirandum ſit pleroſque conditionis ſuæ oblitos, & quaſi mente rationali à Deo ſibi inditâ præditi non eſſent, animos ad hoc non advertere, ſed totos in res terrenas effundi, ſemperque inſtar vermium repentes humi, terræque infixos hærere. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* *Tren. 1.* Certè ipſa vulnera, dolores, cruciatus ad vos clamant (ô mortales) ut attendatis quis patitur, qualia, pro quo, & quo amore patitur, ut non ingrati, ſed per compaſſionem condoleatis, &c. *Affectus.*

I. Sed quas utilitates conſequentur qui Paſſionis Dominicæ contemplationi ſeſe ſeriò addicent? *Utilitates ex meditatione Paſſionis Dominicæ.*

R. *Prima eſt*, quod ejuſmodi meditatio plurimùm conducat ad commoven-

dum hominum animos, ſanctiſque affectibus ad Dei amorem variè concitandos. *ea promanantes,*

Secunda eſt, quòd nullius planè rei faciliùs ſe menti objiciat, quàm paſſionis, cruciatuum, moleſtiarum, & tribulationum, quibus in omni vita circumfuſi ſumus, meditatio. Cælum, extremum judicium, inferni pœnas, & id genus alia, quòd conſpectum noſtrum fugiant, non ſatis intelligimus, neque penetramus; at corporis dolores & anguſtias animi, plus ſatis experientiâ novimus.

Tertia eſt, quòd nulla ſit æquè Chriſto Domino accepta meditatio aut oratio, quàm ea quæ de ipſius pro nobis Paſſione inſtituitur. Ut enim victor ad pugnæ ſuæ memoriam gaudet, ita Chriſtum Paſſionis ſuæ à nobis repetitâ memoriâ æquum eſt delectari: tum quia certamine tam cruento perpetuam ſibi ac nobis, eamque maximè glorioſam victoriam reportarit; tum verò quòd per eam grati animi in nobis videat ſignificationem.

Simplex recordatio Paſſionis Dominicæ, plus valet quàm ſi integrum annum jejunaret quis in pane & aqua; vel ſi quotidiè virgis, & flagellis cæderetur uſque ad effuſionem ſanguinis, vel ſi quotidiè legeret integrum Pſalterium. Citant & approbant hanc Alberti Magni ſententiam plures probati Auctores.

Quarta eſt, quod nulla ſit hominibus tam neceſſaria meditatio, quàm illius rei, ex qua ſola nobis remiſſio peccatorum & juſtificatio depromitur, omniſque meriti, boni, & ſalutis ratio deducitur. Et hæc eſt maxima cauſa, cur Eccleſia ex Apoſtolicâ inſtitutione variis modis, hujus nobis Paſſionis memoriam toties revocandam ſtatuit; ſigno Crucis quod manibus formamus; variis picturis & imaginibus Dominicæ Paſſionis, quas Laici pro libris habent; jejunio ſextâ feriâ, aut Sabbatho, aut carnibus abſtinentiâ; anniverſariâ Paſſionis celebritate ſub finem Quadrageſimæ, campanæ pulſu ad meridiem, &c. Atque ipſemet Chriſtus, inſignem nobis, ſalutaremque & quotidianam ſuæ Paſſionis recordationem, ſacrum Miſſæ Sacrificium inſtituit, quo mortem ſuam (ut alio loco dicemus) effuſumque pro nobis Sanguinem repræſentavit.

Quinta denique eſt, immenſa illa utilitas, quâ major ex quacumque aliarum rerum contemplatione redundare non poteſt. Uti enim omnia bona Paſſionis Dominicæ meritis humano generi ſunt comparata, ſic in eadem tanquam in inſtructiſſima officina, omnium virtutum, & bonorum merces, & exempla inveniuntur, & ab eadem quàm facillimè petuntur.

I. Expediret igitur optimum modum in hac re tenêre ad ejuſmodi utilitates conſequendas?

R. Benè dicis. Idcircò pauca ſubjungam de præparatione ad meditationem Dominicæ Paſſionis, deque optimâ ratione ejus meditandæ.

Sanctus Bonaventura quatuor nobis virtutes proponit, quibus anima noſtra diſponi debet ad hanc meditationem Dominicæ Paſſionis. *In ſtimulo divini amoris c. 4.*

1. Eſt *humilitas*, ex qua accedentes ad orationem confundamur, & erubeſcamus ſuper multitudine & malitiâ peccatorum noſtrorum, quæ Dominum noſtrum coëgerunt tanta pati, & tandem cruci affixerunt.

2. *Fiducia* magna, quam reponimus in viſceralem Chriſti Domini miſericordiam, qui, ſicut propoſito ſibi gaudio, crucem ſuſtinuit, & oblatus eſt quia ipſe voluit; ita nobis modò gratiam liberaliter concedet benè meditandi, & fructus optatos colligendi.

3. *Fervor animi*, quo rem tam grandem nos aggredi oportet. Quem non pudeat frigidè ac remiſsè illa tractare, quæ tantâ Chriſtus Dominus dilectione pro peccatoribus toleravit? Excitare nos proinde convenit, & diligenter è memoria phantaſmata omnia, & diſtractiones extra-

extraneas propulſare; ab intellectu caliginem, à voluntate teporem excutere, eumque ad hortum ſequi non cum Apoſtolis ibi dormituri, ſed cum Salvatore, noſtra in genua prolapſi magnâ orationis inſtantiâ Deum Patrem deprecaturi per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium ejus.

4. Diſpoſitio eſt, *cordis mundities*, ut ab omni peccatorum inquinamento vacuum ſit; adeoque idoneum, & præparatum vas ad pretioſiſſimum Domini noſtri Sanguinem in illud infundendum in meditatione, recipiendum & conſervandum. Quis enim tam hebos, aut vecors qui balſamum exquiſitiſſimum in vas effundat fœtidum, & multarum colluvie ſordium infeſtum? De his ſatis.

Optima ratio meditandæ Paſſionis Dominicæ.

I. Sed quæ optima meditandi ratio?

R. De ratione meditandi in genere dicemus part. 2. c. 2 lect. 14. Quæ hujus loci propria ſunt, hîc attingemus. Primum præmonere te volo, non ſatis eſſe, ſi hiſtoriam Dominicæ Paſſionis memoriâ repetas, vel eâ cogitatâ, internâ animi ſuavitate afficiaris, cùm ad animæ ſalutem nihil adferat ſolo intellectu diſcurrere vel oblectari; niſi ſimul affectus, & voluntas commoveantur. Etenim neminem epulæ, extructæque menſæ ſatiant, ſi oculis tantummodò conſpiciantur, niſi etiam ori ingerantur, dentibus terantur, & in ventriculum demittantur.

Simile.

Hiſtoriæ quidem cognitio, meditationis cujuſque fundamentum eſt, & intellectui ratiocinationes materiam præbent; ſed fructus univerſus in eo cernitur, ut voluntas quæ in homine principalem locum tenet, variis affectibus moveatur: ea enim ſola meretur apud Deum: ea ſola in Deum amore fertur: eâ ſola hominis in Deum diriguntur actiones.

Itaque, ut rem totam paucis perſtringamus, qui eandem materiam optimè pertractarunt, ſeptem illi nobis animi affectiones, quæ Paſſione Dominicâ poſſint concitari, deſignarunt.

1. Compaſſionem.
2. Compunctionem, ſeu dolorem de peccatis.
3. Deſiderium imitandi.
4. Gratiarum actionem.
5. Spem.
6. Amorem in Deum, &
7. Admirationem.

Septem animi affectiones per meditationem Dominicæ Paſſionis excitandæ.

Quas paucis & breviter explicabo, ut quâ ratione utiliter in hoc orationis, ſive meditationis genere verſeris, intelligas. Hiſtoriâ quidem (uti jam præmonui) ſubminiſtratur materia, quam tamen ſeptem his modis velut dentibus teras, affectuique guſtandum, & digerendum tradas.

1. Compaſſio.

Prima itaque eſt *Compaſſio*, hoc eſt, animi affectio, quâ patienti condolemus, ejuſque dolores quaſi in nos transferimus, & ſi non corpore, ſaltem animo ſentimus, eâque affectione videtur quaſi diviſus, & communicatus cum alio, ejus qui patitur dolor, & levior, mitiorque effectus, uti gravior, moleſtiorque, ſi vel patientem arrideas, vel malis ejus nihil movearis. Duo ſunt quæ ad hanc compaſſionem, & commiſerationem faciunt. Primò, *perſonæ conditio*, Expendatur igitur in ſingulis capitibus, quiſnam ſit ille qui patitur, nempè Deus qui Majeſtate replet omnia, &c. homo ex ſtirpe regia Davidis nobiliſſimus, ſapientiſſimus, ſanctiſſimus, integerrimus, ſpecioſiſſimus, complexione tenerrimus, &c.

Secundò, *pœnarum magnitudo*, & quas in ſingulis membris perpeſſus ſit, attentiùs contemplandum. 1. Nihil in illo dolore vacuum fuit, corpus, corporiſque omnes ſenſus, anima, ejuſque potentia, denique quidquid in Chriſto fuit, ſuas pœnas ſenſit. 2. Pœnæ fuerunt acerbiſſimæ, tum ex corporis tenerrimâ complexione, tum quod, nullo interno ſolatio ſublevaretur. Theologorum eſt certiſſima doctrina neminem unquam mortalium tales in hac vita pœnas, & cruciatus ſuſtinuiſſe, quales

ſuſce-

Digitized by Google

ſuſcepit Dominus. Si facinoroſum aliquem videamus gravia licet juſtiſſimè ferentem, commovemur tamen, & quantum res patitur, ejus in nos dolorum partem aliquam transferimus; imò & canem & aſinum verberatum graviùs conſpicientes miſeremur. Nonne igitur decet nos condolere Filio Dei tanta ſuſtinenti, & quidem in gratiam noſtri?

2. Compunctio. Secunda eſt, *compunctio, ſeu dolor de peccatis*: quando ad horrorem, deteſtationemque peccatorum, ex Meditatione Paſſionis Domini inducimur: quod commodè fiet, ſi primò quidem peccati malitiam, deindè verò quid peccatum Chriſto attulerit, conſideremus.

Et malitia quidem in Deum, utpotè infinitum, eſt infinita, tantaque ut ſalvâ juſtitiâ Dei, quæ violari non debuit; deleri niſi re infinitâ non poſſet. Igitur vel infinita pœna toleranda erat, quæ in creaturam finitam convenire nequit, vel tempore infinito, quomodò luunt peccatores in inferno, vel infinitæ dignitatis perſonæ patiendum erat; hoc eſt, ipſimet Deo infinitæ Majeſtatis. Hinc ulteriùs progrediamur, attenteque conſideremus, quid Deum de cœlis in hanc terram traxerit, atque ad Paſſionem ſubeundam induxerit, nimirùm peccata noſtra. Niſi enim peccaſſet homo, nec naſceretur in mundo Deus, nec pateretur, nec moreretur. Proindè, ſicut peccatori ſua peccata in inferno ſedem parant; & ſicut furi parant ſua furta ſupplicium; ſic cujuſque noſtrûm peccata Chriſto moriendi neceſſitatem attulerunt. Deteſtanda eſt igitur malitia peccati, quæ ipſum quoque Deum ad crucem adegit.

Ne verò exiſtimes hinc fortaſſe peccati gravitatem extenuari, quod non pro tuis ſolius, ſed pro totius mundi peccatis Chriſtus mortem ſuſtinuerit, illud cuique debet eſſe perſuaſum, eo non quidem peccati malitiam minui, ſed inſignem Dominicæ Paſſionis virtutem indicari; quæ non unius, aut paucorum, ſed omnium prorſus hominum ſimul peccata delerit. Etenim meritum Paſſionis cùm ſit infinitum, nullâ malitiâ poteſt ſuperari, idque unum ſufficit ad peccati gravitatem indagandam, quod niſi infinito Chriſti merito, non potuerit delerì. Ut ergò ſolis iſtius clariſſimi, ſi unus & ſolus lucem percipias, non tamen magis ille ſoli tibi lucebit, quàm ſi cum cæteris mortalibus ejuſdem ſplendore communiter perfruaris: utque non minùs homini mortem inferas, ſi ſolus cor ejus ferro penetrares, quàm ſi ad idem perficiendum alios tibi decem adjungas; ità vel unum mortale peccatum (ad quod expiandum neceſſaria erat mors, & Paſſio Filii Dei) à nobis commiſſum non minùs eſt cauſa mortis Domini, quàm cum reliquis peccatis totius orbis conjunctum. Neque minus utilitatis nobis afferi Chriſti Paſſio pro totius mundi peccatis ſuſcepta, quàm ſi pro me ſolo eoſdem cruciatus, & mortem pateretur. Simile.

3 Imitatio. Tertia eſt *Imitatio*, ut ea nimirum deſideremus ſequi, & imitari, quæ in Chriſto contemplamur; uti monet Apoſtolus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Et: *Chriſto paſſo pro nobis in carne; & vos eâdem cogitatione armamini.* Duo ſunt autem nobis ad imitandum hâc Paſſione propoſita. Unum eſt, deſiderium patiendi pro Chriſto, qui tam acerba ſuſtinuit pro nobis: alterum eſt, virtutum cumulus, quæ ſi alibi uſquam, hâc certè Paſſione ſic eluxerunt, ut tametſi verbis ſiluerit Dominus, exemplo tamen de hac quaſi cathedra crucis omnes virtutes doceret. Nobis itaque in qualibet meditatione erit inveſtigandum, quæ in ea potiſſimùm virtus commendetur; tùm quo eam modo Dominus exercuiſſe narretur; demum excitandum eſt deſiderium, propoſitumque firmum ejuſdem virtutis

1. Pet. 2.

1 Pet. 4.

adquiſ-

Digitized by Google

adipiſcendæ; moduſque excogitandus ejus comparandæ, & Chriſti per hanc virtutis ipſius actionem gratia imploranda, ad id quod conceperimus, perficiendum. Elucent autem in hac Paſſione potiſſimùm:

Humilitas, Manſuetudo, Obedientia, Charitas, Miſericordia, Contemptus mundi, Perſeverantia.

4. *Gratiarum actio* Quarta eſt, *gratiarum actio*: quâ beneficia in nos collata contemplantes, in laudes prorumpimus, non verbis modò, quæ eſt laus & actio gratiarum minima; ſed corde potiùs & operatione, ut & mente beneficium acceptum recolentes magni illud faciamus, & ab omni offenſa benefactoris caveamus, & omnibus in rebus occaſionem rependendi, ne prætermittamus.

Quinque ad gratitudinem movere ſolent:

1. Malum quod evaſimus.
2. Bonum quod beneficio accepimus.
3. Dignitas benefactoris.
4. Modus collati beneficii.
5. Conditio perſonæ in quam beneficium confertur.

Quæ non erit difficile ſingulatim conſiderare, & quantum opus, populo exponere.

5. *Spei excitatio.* Quinta eſt, *Spei excitatio.* Trium rerum conſideratione non parum vacillat ſpes noſtra, & infirmatur. 1 Splendoris qui ad vitam æternam requiritur, in quam nihil intrabit vel inmundum vel coinquinatum. 2. Exacti examinis Judicis, qui etiam de otioſo verbo exiget rationem, penetrabitque uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritûs, ſcrutabiturque cogitationes, & intentiones cordis. 3. Vilitatis noſtræ, qui & quotidianis peccatis noſtris juſtitiam offendimus, & cordis noſtri interiora ipſi non penetramus. *Etiam ſi ſimplex fuero* (ait Job) *hoc ipſum ignorabit anima mea.*

Qualiter noſtra diffidentia medeatur Paſſio Chriſti. Huic porrò diffidentiæ medetur Paſſio Chriſti, animumque hominis peccatoris in ſpem erigit, atque ſuſtentat. Nam 1. ut gloria æternæ vitæ magnam munditiam requirit; ità Chriſti Paſſio & Sanguis lavat omnes iniquitates noſtras, animam Sole reddit clariorem, efficit Filios Dei, dat jus ad vitam æternam, ut non jam in alienam, ſed in noſtram hæreditatem ingrediamur. 2. Eſt quidem diſtrictum Chriſti judicium, ſed Paſſionis ejus merita ſeveritatem hanc lenire poſſunt: cùm major ſit ſatisfactio, quàm debita: & peccata numero ſint finita, merita autem magnitudine infinita: & denique quia Judex erit qui fuit Advocatus, Mediator, Redemptor, qui ut cœlum tibi daret, ejus tibi pretium obtulit. Sanguinem (inquam) pro te fuſum, cujus ipſe, quem magno labore fudit, non ignorat, dignitatem. 3. Utilitas noſtra eſt magna illa quidem, ut qui ex nobis nihil poſſimus, quaſi ex nobis, ſed gratia, paſſionis merito nobis communicata, admirabilem addit animis noſtris ſplendorem, dimittit peccata omnia; addit vires, & facilitatem operandi, operibus noſtris ſufficit dignitatem, ut vitam æternam mereantur.

Spes igitur noſtra erigetur, ſi opes omnes Chriſti, ejus omnia merita, omnia jejunia, labores, pœnas, & quæcumque demum vel fecit, vel ſuſtinuit, cogitemus non aliter noſtra eſſe, quàm mariti bona ad uxorem pertineant, quibus ipſa ad debitorum ſuorum ſolutionem, aliaſque neceſſitates uti poſſit.

6. *Amor Dei.* Sexta eſt *amor Dei.* Amorem porrò excitat, 1. rei ipſius quæ amatur, nobilitas & pulchritudo, quomodò pulchritudine virtutum, & ſcientiarum, ad eas inardeſcimus? 2. Amor, ſi priores diligamur. Cæterum ad augendum amorem conducit. 1. Si non verbis modò, ſed magnis quoque beneficiis ſiat amor teſtatus. 2. Si magno labore, & incommodo amantis, hæc beneficia comparentur. 3. Si injuriâ affectus, & repulſam ſæpiùs paſſus, amorem nihilominùs concidere non patitur. 4. Si his omnibus ſuis moleſtiis, & laboribus nihil quærat, quàm redamari

Digitized by Google

mari. Et hæc quidem omnia Chriſtus ſuâ Paſſione exhibuit. 1. Dilexit opere, & veritate, omniaque bona donavit. 2. Magno ſuo incommodo, pro nobis factus egenus, ut nos ditaret, omnia mala aſſumpſit, ut nos bonis omnibus repleret. 3. Toties à nobis repulſus, nihil de amore tamen remittit. 4. Denique à nobis nihil requirit præter amorem. Ama, inquit, & ſufficit. Ut ames porrò ſervandæ erunt amantis conditiones ac leges, quas hâc Paſſione ſuâ Chriſtus expreſſit. 1. Eſt, ut de re amata perpetuò cogitemus, idque ipſius Chriſti exemplo, qui ut noſtri memoriam nunquam deponeret, in manibus nos ſuis inſculpſit. 2. Ut de ea frequenter loquamur; ex abundantia enim cordis os loquitur; & id quoque Chriſti exemplo, qui etiam in ipſa cruce, de nobis cum Patre eſt collocutus, eumque pro nobis oravit. 3. Ut nihil æquè execramur, quàm amatum offendere, quod te Chriſtus docuit, qui ſuam Paſſionem, omniaque ſua eò retulit, ut in ſui te amorem provocaret. 4. Ut totos nos impendamus in rebus amici commendandis, ac promovendis; Chriſtus enim non ſibi, ſed nobis laboravit. 5. Ut amici præſentiam depoſcamus; ſunt enim Chriſti deliciæ eſſe cum filiis hominum; qui nos terrâ, marique, in aëre, & in inferno quæſivit, ut inventos ſibi in æterna beatitudine conjungeret, ſuamque nobis divinitatem communicaret.

7. *Admiratio.*

Septima denique ac poſtrema meditandæ Paſſionis ratio ex *admiratione* naſcitur. Admiratio autem re aliquâ novâ, inſolitâ & incredibili, ſolet excitari. Quatuor porrò ſunt quæ faciunt Chriſti Domini Paſſionem vehementer admirabilem. 1. Quod paſſus ſit ille, in cujus Majeſtatem Paſſio non cadit, qui eſt gloria & gaudium Sanctorum, cujus dignitas eſt infinita, vita eſt æterna, ſublimitas immenſa. 2. Quòd pro illis ſit paſſus è quibus patiebatur, hominibus vilibus, hoſtibus, ingratis. 3. Quòd talia paſſus ſit, qualia nullus ſuſtinuit mortalis homo uti alibi latiùs deduximus. 4. Quòd cum hâc Paſſione humanum genus redemerit, ad hoc perficiendum ſit uſus. Nam 1. cum ſumma corporis infirmitate, ſummam, quâ diabolum Principem mundi vicit, & proſtravit, conjunxit potentiam. 2. Summa juſtitia cum ſumma miſericordia convenit. Nam homini faciens miſericordiam in ſe ſuſtinuit divinæ juſtitiæ ſeveritatem. 3. Summa ſapientia eluxit in ea, quæ hominibus putaretur ſumma ſtultitia.

Siquidem *Crux Chriſti Iudæis quidem eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia.* **1. Cor. 1.** Magna certè fuit ſapientia. 1. Callidiſſimum hoſtem arte, & patiendo, & moriendo ſuperare, iiſdemque armis quibus ſuperior evaſerat, dejicere. 2. Tali ſupplicii genere nos liberare, in quo & medicinam reponeret omnium morborum noſtrorum, & exempla omnium virtutum proponeret, & flammas amoris excitaret.

In his meditationibus ſerventur aliæ regulæ, & methodus, quas tradimus, ubi de oratione mentali in genere egimus.

I. Habeſne exempla eorum qui ſpecialiter addicti fuerunt meditationi Paſſionis Domini?

R. Ita. *Convenerunt ad Abbatem Stephanum ſpiritualis ædificationis gratiâ tres ſenes Anachoretæ. Tacenti omninò, & nihil alleganti Abbati dixerunt: Pater mi, nihil nobis dicis, qui huc venimus boni aliquid à te audituri. Tum aperiens os ſuum Abbas: Ignoſcite mihi (inquit) Patres mei, neque enim uſque advertì, quid diceretis. Egò verò nihil aliud noctè dieque animo verſo, quàm Dominum* JESUM *Chriſtum crucifixum. Quo audito, ſeniores ad patriam reverſi ſunt benè contenti.* *Ioann. Moſc. in Virid. prat. ſpirit. c. 94.* *Exempla.*

Refert Ludolphus à Saxonia quendam Sanctiſſimæ vitæ Eremitam inſtanter Dominum oraſſe, ut ſibi oſtenderet; quid ſibi inter cætera ſervitia magis acceptum foret; *De Vita Chriſti c. 58.*

Digitized by Google

ferre; & vidiſſe hominem nudum, frigore trepidantem, & crucem magnam ſuper ſe bajulantem, & ſibi quis eſſet interroganti reſpondentem: JESUS Chriſtus ego ſum: rogaſti enim me, ut tibi oſtenderem, quod inter cætera obſequia mihi magis complaceret; nunc dico tibi, quod hoc, ſcilicet, quod quis juvet me portare crucem meam. & hoc dicens, evanuit.

Sur tom. 3.

S. Catharina Suedica quatuor horas impendebat quotidie meditationi Paſſionis Domini dilectiſſimi Sponſi ſui, offerens ſe in ſuaviſſimi odoris perpetuum holocauſtum.

Lib 11. de ſign. Eccl. c. 3. tom. 1.

Tho. Bozius Eugubinus Congregationis Oratorii Romæ Presbyter, aſſerit ſe vidiſſe corpus Claræ Virginis de Montefalco, & cor ejus in quo inſculptus eſt Chriſtus cruci affixus ex eadem carne, flagra quibus eſt cæſus, columnam cui alligatus, omnia denique ſimulachra, quibus ejus perpeſſiones referuntur.

Sur in ejus Vita.

De ſtigmatibus corpori S. Franciſci mirabiliter impreſſis, vide S. Bonav. in vita ejus c. 13.

Ludov. Bloſ. c. 1. monil. ſpirit.

Frequentiſſimè Dominus JESUS revelavit chariſſimis ſuis ſponſis Gertrudi, Brigittæ, Mechthildi, Catharinæ, quàm ſit, & ſibi acceptum, & homini fructuoſum recolere Paſſionem Chriſti, pia, humili, & ſincera attentione & devotione. Quod & ipſæ devotiſſimè fecerunt. Nam & eandem Domini JESU Paſſionem (quæ licet amariſſima acerbiſſimaque fuerit, tota tamen charitatis dulcedine plena eſt) adeò profundè viſceribus animarum ſuarum infixerant, & tam ardenti ſuavique affectu ruminare ſolebant, ut illa eſſet eis mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.

In Vita ejus apud Surium. 5. Octob. n. 4. 1.

Amor JESU Chriſti crucifixi, & meditatio acerbiſſimæ Paſſionis ejus, ita crevit in Lyduina Virgine ſanè admiranda, ut nihil ei majori eſſet ſolatio, quàm in illis foraminibus atque plagis, inſtar columbæ nidificantis, jugiter commorari. Ejus enim vulnera & dolores acutiſſimi animam Virginis adeò penetràrant, ut quamvis ipſa in ſingulis membris ſuis omnis generis cruciatus vehementiſſimos pateretur, ita ut omnes qui eam cernerent, non poſſent non multa commiſeratione affici, eos tamen cruciatus pro nihilo putaret. Tota vita ejus in Chriſti rebus geſtis, tamquam viridario amœniſſimo verſabatur; iis meditandis trahebat ardentiſſima ab imo pectore ſuſpiria, & ab oculis lachrymarum fundebat imbres, atque deficientibus guttas ſanguineas; illas autem lachrymas, Chriſti crucifixi amore fuſas, apud familiariores appellabat roſas ſuas.

Paſſionem Domini noſtri JESU Chriſti Salvatoris noſtri, quanta animi devotione in ſuo pectore verſarit Hedvvigis Duceſſa Poloniæ, mulier pientiſſima, vel ex hoc utcumque colligi poteſt, quod etiam res minimas, quæ myſterium Crucifixionis Dominicæ repræſentarent, veneratione afficiebat: Nam ubicumque humi conſpiciebat jacentes ſtipulas crucis imaginem referentes, genibus flexis adorabat, tollenſque eas, & exoſculans, tali eas loco reponebat, ubi non poſſent pedibus conculcari.

Plura ſuprà in fine lectionis ſuperioris.

LECTIO VIII.

Et ſepultus.

De Sepultura Chriſti S. Thom. 3. p. q. 51.

1. QUid eſt (*ſepultus*) quando dicis *mortuus & ſepultus*?

R. Significamus per hoc, corpus Domini jam in cruce mortui de cruce depoſitum; & ſyndone involutum ſepulturæ traditum fuiſſe, ut omnes ſcribunt Evangeliſtæ.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19. Act. 13.

1. Poſſumuſne abſque erroris periculo ſic loqui: *Deus ſepultus fuit*, intelligendo, quòd corpus Chriſti Domini, uti jam habitum eſt, fuerit ſepulturæ mandatum?

R. Ita omninò. Nam, etſi pati, mori, ſepeliri, in humanam tantum naturam cadant; Deo tamen etiam hæc omnia tribuuntur; quoniam de illa perſona, quæ

 ſimul

ſimul perfectus Deus, & perfectus homo fuit, verè dicuntur. Recordare igitur ejus vulgati Theologorum axiomatis: *Quod ſemel aſſumpſit* (Deus) *nunquam dimiſit*. Sicut ergò Deus deſcendit ad inferos ſimul cum anima Redemptoris noſtri, ita Deus ſepultus eſt cum corpore ejuſdem in ſepulchro.

Cur Chriſtus Dominus ſepeliri voluit, novem rationibus oſtenditur.

I. Quare voluit Chriſtus Dominus ſepeliri?

R. 1. Ut omnia quæ ad hominis conditionem pertinent, noſtri causâ ſubiret. Quod verò, uti prædixerat Iſaias, ſepulchrum ejus & ſepultura adeò glorioſa fuerint, id ſibi divinâ ſuâ virtute contra Judæorum intentionem providit. Ideò Evangeliſtæ omnes (uti ſupra notavimus) tam ſedulò ejus ſepulturam deſcribunt. 2. Voluit Chriſtus inſuper ſepeliri, ut certò mortuum fuiſſe conſtaret. Nam refert Marcus c. 15. Pilatum diligenter de Chriſti morte inquiſiviſſe, antequam corpus ejus ſepeliendum traderet. 3. Ut reſurrectionis fides magis elucerer, dum ex ſepulchro Dominus redivivus apparet. Non enim ſolent niſi mortuorum corpora ſepeliri. 4 Ut certa reſurgendi ſpes omnibus in monumentis jacentibus præberetur. 5. Ad exemplum eorum qui mortui peccatis in baptiſmate, debent veterem hominem ſepelire, ne ampliùs vigeat, & fructificet. Ut ad Rom tradit Apoſtolus: *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, &c.* Et Auguſt. *Sepultura myſticè geſta configuranda eſt vita Chriſtiana.* 6. Ut ſuo exemplo indicaret curam ſepeliendi mortuos, ad officium pietatis, & miſericordiæ pertinere. 7. Ut Sanctorum corpora, & reliquias in veteri teſtamento pro immundis habitas, ſuâ ſepulturâ ſanctificaret, ac honore, & veneratione dignas redderet. 8. Ut doceret fideles mundo mortuos, inſtar ſepultorum terrenas voluptates, ſæculariaque cuncta deſpicere, juxta illud: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt.*

Joan 5. verſ. 28 Vide ſer. 74 S. Ambroſ.

Rom. 6.

Baſil. in Pſal. 17. Aug. ſer. 28. de temp. Coloſſ. 3.

Poſtremò ſepeliri voluit Dominus, ut Prophetarum oracula, typoſque ſuæ quietis in ſepulchro adimpleret. Sicut enim Deus ſex diebus mundum, & univerſam creaturam condidit, & ſeptimò quievit: ita Chriſtus ſex diebus laboravit, ſextoque die opus humanæ redemptionis, mundum recreans, conſummavit; ſeptimo autem requievit, adumbrans futuram fidelium requiem ſeptima ætate, quæ erit hujus vitæ, totiuſque mundi ſepultura. Jam verò Prophetam Jonam in ventre ceti, ſepulturæ Domini figuram geſſiſſe, his verbis Matt. 12. tradit Dominus: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Eodem pertinet illud Iſaiæ: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Adde hujus ſacræ Domini ſepulturæ typum geſſiſſe Patriarcham Joſeph in ciſternam miſſum. Et Jeremiam in lacum.

Aug. l. 4. de Gen. ad litt. c. 11. & in Ioan. tract. 17. S. Greg. l. 6. moral. c. 10. Matt. 12. Prophetia. Figura. Gen. 37. Jer. 38.

I. Sed qualiter, quove modo Chriſtus Dominus ſepultus fuit?

R. Honorificentiſſimè. Sepultus enim fuit per Judæorum Primores, Joſephum ſcilicet ab Arimathia nobilem Decurionem & Nicodemum Principem Judæorum. 2. Magnis ſumptibus, mixturæ myrrhæ, & aloes, quaſi librarum centum, *ſicut mos eſt* (viros primarios) *Iudæis ſepelire.* 3. Involutus fuit ſyndone mundâ. 4. Poſitus fuit in horto. 5. In ſepulchro, *quod erat exciſum in lapide, in quo nemo adhuc poſitus fuerat.* Vid. Baron. anno Chriſti 34. n. 54.

Marc. 15. Joan. 3. Joan. 19. Ibid. Matt. 27. Marc. 15. Luc 23. S. Thom. 3 p. q. 51. a. 2. ad 2.

I. Cur autem voluit Chriſtus Dominus iſto modo ſepeliri?

Chriſtus Dominus honorificam ſepulturam qua de cauſa admiſit.

R. 1. Ut manifeſtaretur potentia morientis, qui contra intentionem occidentium etiam mortuus honorificè ſepelitur; & præfiguratur devotio fidelium, qui erant Chriſto mortuo ſervituri. 2. Ex Chriſti ſepultura diſcimus, non eſſe improbandum, quidquid juxta regionis cujuſque morem, in fidelium defunctorum exequiis, ex fide reſurrectionis impenditur. Cum laude ſiquidem in Evangelio factum commemoratur eorum, qui non

non ex faſtu, aut vanitate, ſed ex reſurrectionis fide, corpus Domini de cruce acceptum, diligenter atque honorificè tumulo, & ſepulturæ tradiderunt; ut monet *S. Aug. tract. 20. in Joan. & lib. 1. de civit. c. 12. & 13. & lib. 3. de doct. Chriſt. c. 12.* Et inſuper myrrhâ, & aloë corpus ſuum condiri voluit, ut myſticè ſignificaret, quòd per amaritudinem pœnitentiæ Chriſtum unuſquiſque in ſeipſo abſque peccati corruptione conſervare debeat. 3. *In ſyndone* munda ſepeliri voluit, ut fideles qui Chriſto conſepeliuntur, diſcerent Chriſti corpus purâ mente ſuſcipere, ut notat Hieronymus in c. 27. Matt. Unde Eccleſiæ conſuetudo manavit (inquit Beda in Marc. c. 44) ut Chriſti corpus in altari, non in ſerico, aut tincto panno, ſed in lineo candidiſſimo reponatur. 4. *In horto*, ut ſignificaret ſuâ morte, & ſepulturâ homines liberari à morte atque miſeria, peccato Adæ in Paradiſi horto contracta. *In horto*, ut corpus ejus velut ſeminaretur, & fructum ferret reſurrectionis corporum electorum inſtar grani integram & ſpecioſam ſpicam producentis. 5. *In monumento autem exciſo in petra* conditus eſt Dominus, cùm ad certitudinem reſurrectionis (inquit Hier.) ne ſi ex multis lapidibus ædificatum fuiſſet, tumuli fundamentis ſuffoſſis, ablatus furto diceretur; tum ad myſticè deſignandum, quod Chriſtus Apoſtolorum, Diſcipulorumque doctrinâ ac miniſterio lapidea hominum corda penetraret, ibique per ſuam gratiam requieſceret. 6. *Novum eſt ſepulchrum*, ne alius ibi priùs ſepultus reſurrexiſſe fingeretur. Taudem in aliena Salvator ponitur ſepultura, quia pro aliorum moriebatur ſalute: ſepulchrum autem mortis eſt habitaculum. *Habeant tumulum proprium qui ſub lege ſunt mortis, victor mortis ſuum tumulum non habebat, non enim ſepulchrum mortis deſiderabat, qui de morte trophæa referebat.* Aug. ſer. 133. de temp. Poteſt etiam in hoc notari extrema Chriſti Domini paupertas; nam qui domum in vita non habuit, poſt mortem quoque in alieno ſepulchro reconditur, & nudus exiſtens à Joſeph cooperitur. Et quia nihil præter eum oportet in pectora noſtra penetrare, ideircò *lapis oſtio advolvitur.*

Vide Aug. tr. 120. in Joan.

C. Conſultâ de conſec. d. 1.

Hilar. cap. ult. in Matt.

Hier. in c. 27. Matt. Orig. ho. 35. in Matth. Beda c. 94. in Luc.

LECTIO IX.

Proſequitur eandem materiam.

I. QUamdiu jacuit corpus Chriſti Domini in ſepulchro?

R. Per ſpatium triginta trium horarum, nempè à veſpera Feriæ ſextæ in Paraſceve, uſque ad mane diei Dominicæ, ſecundùm computum S. Aug. l. 4. de Trinit. c. 6.

I. Quæ fuit hujus tantæ moræ ratio?

R. Ratio primaria fuit, ut intelligeremus eum verè fuiſſe mortuum.

I. Quid eſt autem quod B. Marcus c. 8. n. 31. dicit: *Oportet Filium hominis pati multa, &c. & poſt tres dies reſurgere?* Simile eſt quod dicitur Matth. 12. *Filius hominis futurus in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.*

R. Hoc debet intelligi ſynecdochicè, ut pars ſumatur pro toto, inquit S. Tho. 3. p. q. 51. a. 4. ad 1.

I. Corpus Chriſti in ſepulchro fuitnè paſſum aliquam corruptionem?

R. Minimè. Nam de eo vaticinatus erat David: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Vid. Act. 2. Pſ. 15.

I. Supereſtnè adhuc modò ſepulchrum Redemptoris noſtri?

R. Ita, & quidem etiamnum glorioſum, quod ei quaſi epitaphium quondam præfixit Iſaias, dicens: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* ***Sepulchrũ Domini glorioſum qualiter.***

I. Qualiter fuit, & eſt ſepulchrum Chriſti glorioſum?

R. 1. Fuit glorioſum ex corpore Chriſti, Verbi majeſtati unito. Aliorum Regum ſepulcha glorioſa dici nequeunt, quia cũ *interierit homo, non deſcendet cum eo gloria ejus.* Sed cùm Chriſtus moritur, deſcendit cum eo gloria ejus. Pſ. 48.

2. Quia S. Helena ſepulchrum Domini magnificentiſſimo templo exornavit, in quo poſteà Godefridus Bullonius recuperator terræ ſanctæ, & primus Hieroſolymæ Rex, ac deinceps alii Reges ſepulti ſunt, uti Willelmus Tyrius in hiſtoria belli ſacri teſtatur: unde etiamnum ibidem nobiles decorantur titulo Equitum, fiuntque Equites aurati, teſte Adricomio pag. 177.

Vid. Greg. Turon. de gloria Martyrum c. 7.

3. Quia à multis ſæculis etiamnum ad ſepulchrum Domini, licet inter medios Turcas ſitum, celeberrima eſt fidelium ex toto orbe peregrinatio, ad quos recipiendos Patres Franciſcani ſuum ſemper habent ibi Patriarcham, & ſui Ordinis perpetuam reſidentiam.

4. Quia ibi multa facta ſunt & fiunt miracula. Nam peccatores convertuntur, dæmones fugantur, morbi curantur. Teſtis eſt S. Aug. l. 22. de civit. c. 8. undè ibi Maria Ægyptiaca peccatrix converſa eſt, indeque ivit in Eremum, ubi per 47. annos ſine cibo in oratione, & lachrymis ſanctiſſimam egit vitam.

Prati ſpirit. c. 48.

Narrat Sophronius *Coſmanam uxorem Germani Patricii hæreſi Severi infectam adiiſſe ſepulchrum Domini; ſed à B. Virgine apparente fuiſſe repulſam, ne illud ingrederetur, niſi veram fidem amplecteretur. Quare confuſa eſt pœnitens, fidemque amplectens, & communicans, admiſſa fuit ad ſanctum ſepulchrum, illudque venerata eſt.*

Et c. 49. narrat, *Palæſtinæ Ducem volentem ingredi S. Sepulchrum, ab ariete apparente, & cornibus eum impetente, fuiſſe rejectum, idque ſæpius, eò quòd Severianus eſſet: quare abjecit hæreſim, & communicans Calici Domini, liberè permiſſus eſt illud intrare, & venerari.*

5. Sepulchrum Chriſti glorioſum fuit magnificâ Chriſti ex eo reſurrectione, quâ illud per dotem ſubtilitatis penetravit.

6. Denique ſepulchrum Chriſti glorioſum eſt annuâ repræſentatione, & pompâ, quâ fideles multis in locis hebdomadâ ſanctâ quotannis ſolent magnificum Chriſto paſſo, & mortuo ſepulchrum excitare, ejuſque ſepulturam glorioſam repræſentare.

Peregrinatio ad ſepulchrum Domini.

I. Eſtne igitur res ſancta, & ſanctis quondam uſitata, peregrinationis gratiâ adire Hieroſolymam, & Sepulchrum Domini?

R. Jam diximus ſupra ratione 3. id eſſe in uſu promiſcuo Chriſtianorum ex omni orbis parte adventantium; nunc autem ſanctis fuiſſe id familiare, ex ſequentibus exemplis colligas: S. Hieron. epiſt. 27. ſcribit de S. Paula: *Ingreſſa ſepulchrum Domini, oſculabatur lapidem, & ipſum corporis locum, in quo Chriſtus jacuerat, quaſi ſitiens, deſideratas aquas fidelis ore lambebat.* Vide eundem epiſt. 17. quæ eſt Paulæ, & Euſtochii ad Marcellam.

Exempla.

Euſeb. lib. 6. hiſtoriæ c. 11. refert Alexandrinum Cæſareæ Epiſcopum peregrinationem ad ſanctum Domini Sepulchrum inſtituiſſe.

S. Bern. ſerm. ad milites templi, magnis extollit laudibus Imperatricem, quod Hieroſolymam voti perſolvendi causâ adierit; & ſpeciatim de Domini ſepulchro honorificam mentionem faciens, hæc addit: *Sepulchrum Chriſti inter loca devotionis, quodammodo tenet principatum, & devotionis neſcio quid plus ſentitur, ubi mortuus quievit, quàm ubi vivus converſatus eſt; & ampliùs movet ad pietatem, mortis quàm vitæ recordatio.* Vide S. Ambroſium in orat. de obitu Theodoſii.

Non diſſimile eſt, quod Chriſtianus quidam Poeta cecinit:

Felicem tumulum, ſacros qui condidit artus.
Non fuit in toto ſanctior orbe locus.

Ut proinde religione præcipuâ frequentandum ſit: Et hoc eſt quod ſubjungit:

Huc amor, huc pietas, lacrymarum huc currite fontes.
Iſta ſibi ferri balſama Chriſtus amat.

I. Nunquid etiam in veneratione ſunt apud Chriſtianos res externæ, ſive reliquiæ

Digitized by Google

quiæ, quæ ad paſſionem, aut ſepulturam Domini aliquo modo pertinuerunt?

R. Ita. Idque ex duplici ratione, vel quia ad redemptionem noſtram fortè concurrerunt, uti inſtrumenta; vel etiam quòd earum pleræque pretioſo Domini noſtri ſanguine imbutæ ſint.

Exemplum. S. Carolus Borromæus anno 1578. celebri peregrinatione ad ſacrum linteum, quo involutum fuerat Corpus Dominicum de cruce depoſitum, viſendum pedes venit Taurinum, ad quem locum Dux Sabaudiæ è ſua civitate Camberinenſi deportari curarat in gratiam ipſius Cardinalis; & ibi toti populo publicè ſyndon illa exhibita fuit in theatro ſpecialiter ad hoc erecto, in quo eam deferebant duo Cardinales, & duo Archi-epiſcopi, ſexque alii Epiſcopi. Vide Pet. Guiſſano in vita Borrom. l. 5. c. 5.

I. Suntne etiam ad venerationem ejuſmodi reliquiarum ſubſecuta miracula?

R. Sunt quàmplurima. E quibus hîc duo exempli causâ libet attexere.

Exempla. *Lutetiæ Ludovicum Philippi Augusti Regis Filium trimulum tanta vis invaſit morbi, ut animam agere, ac tantum non exſpirare videretur. Sacræ ſpineæ coronæ particulam eam, quæ ad ædem S. Dionyſii aſſervabatur, ac ſacrum clavum obſecrationibus factis Lutetiam reverendiſſimè attulit Mauritius Pariſiorum Pontifex vir ſanctus, ac corpori pueri admovit, morbus depulſus, valetudo reſtituta.*

Paul. Æmil. l. 6. hiſtor.

Speciosi, omnique metallo nobiliores Dominicæ crucis clavi, qui beata membra tenuerant, ab Helena Regina poſt ipſius ſanctæ crucis inventionem, reperti ſunt; & de duobus quidem frenum Imperatoris munivit, quo facilius ſi adverſæ gentes reſtitiſſent Principi, hâc virtute fugarentur. Magnam autem fuiſſe virtutem hujus freni, ambigi nequaquam poteſt; eam Iuſtinus Imperator publicè expertus eſt, ac ſuis omnibus patefecit. Illuſus enim à quodam mago, propter pecuniam, emiſſas ſibi à dæmonis umbras intolerabiles per duarum curricula noctium ſuſtinuit inſidias: ſed cùm tertiâ nocte frenum capiti collocaſſet, locum inſidiandi inimicus ultra non habuit; repertumque auctorem inſidiarum gladio percutit.

Greg. Turon. l. 1. de gloria Martyr. c. 6.

LECTIO X.

De Sepulchris & Ritu Catholico ſepeliendi mortuos.

I. Fuitne apud omnes gentes ſollicitudo, & cura ſepulchri?

R. Ita. Nihil enim magis naturæ conſonum eſt, quàm ſepulturæ rationem habere, & mortuis corporibus honorem exhibere.

Abraham certè emit agrum quadringentis ſiclis ad ſepeliendam Saram uxorem ſuam. **Gen. 23.**

Exempla. Jacob adjuravit Filium ſuum Joſeph, ut cùm ex Ægypto eſſent egreſſuri, efferrent ejus oſſa ſepelienda in paterno ſepulchro in Paleſtina. Similiter adjuravit Joſeph Fratres ſuos; & hoc Apoſtolus tribuit fidei: *Fide*, inquit, *Ioſeph mandavit de oſſibus ſuis.* Voluerunt enim ſepeliri in terra Iſrael, ob fidem quam habebant de Chriſto, qui terram illam promiſſionis ſanctificare debebat perambulans eam, & labore, ſudore, ac ſanguine ſuo conſecrare. **Heb. 11.**

Adde quod voluerunt inter fideles ſepeliri, glorioſam reſurrectionem cum illis ſperantes.

I. Quid de Moyſis corpore ejuſque ſepulchro habes?

R. Non aliud quàm id quod Scriptura tradit, & ad præſentem materiam maximè pertinet, quòd, inquam, Dominus eũ ſepelierit in valle Moab; quòd Lyran. Cajet. & alii factum putant miniſterio Angelorum, funus cum ſolemnitate, & cœleſti pompa efferentium. **Deut. 34.**

I. Habetne etiam in novo Teſtamento Eccleſia magnam rationem ſepulturæ fidelium?

R. Habet maximam. Illi quidem veteres poterant ſibi locum eligere ad ſepulturam

turam? nunc verò Chriſti fidelibus ſint certi fines, & loca Sacerdotali, aut Epiſcopali benedictione ad ſepulturam deputata, quæ vulgari vocabulo, *Cœmeteria* dicuntur, quaſi dicas, *dormitoria*.

I. Cur verò ſunt ejuſmodi loca ſepeliendis fidelium corporibus conſtituta?

Cœmeteria cur fidelibus conſtituta.

R. Plures ob cauſas. 1. Ut ſicut viventes unanimes habitarunt in domo, id eſt, in Eccleſia, in fide una, ita & mortui ab invicem non ſeparentur. 2. Ut in uno cubent lecto ſecundùm corpora dormientes, qui ſecundùm animam uni accumbunt menſæ perpetuò viventes. 3. Ut in uno loco dormiant, qui unâ voce ad reſurrectionem ſunt excitandi; *Surgite mortui.*

I. Cur Cœmeteria juxta ſacras ædes conſtituuntur?

Cur juxta templa.

R. Ut tranſeuntes frequenter meminerimus mortis, & mortuorum, & illos Deo & Sanctis, in quorum honorem conſecrata ſunt templa, commendemus.

Sepulchra, monumenta dicta.

Hinc eorum ſepulchra, *monumenta*, dicuntur, quaſi mentem monentia, tum mortis, uti modò dictum eſt, pro vivis, tum orationis, pro mortuis.

I. Diſponuntnè aliquid leges humanæ circa ſepulchra, & ſepulturas?

Leges Canonicæ & Civiles circa ſepulturas diſponunt.

R. Ità, tam Cæſareæ, quàm Pontificiæ.

I. Quid leges Cæſareæ?

R. Hæreditate privabatur qui debitè defunctum non ſepelierat. L. Hæreditas D. de petit. hæred. L. Milites. C. eod & contra laudetur qui teſtatorem ſepelierat, qui oſſa ſua in mare projici juſſerat. L. quidam D. de Cond. inſt. Et ſepulchrorum violatores ſummis pœnis plectuntur L. ult. D. de ſepul. viol. l. 4. §. fin. l. 5. C. eod. Sepulchrorum denique favor ubique prædicatur l. 7. ff. de Reliq.

I. Quid leges Pontificiæ?

R. Præter alia multa, quæ hic prætermittimus, brevitatis gratiâ, diſponit Eccleſia, ut maxima delicta ſepulturæ privatione plectantur. c. ex parte & ſeqq. X. de ſepult.

I. Quibus ergò debet ſecundùm uſum modernum negari Eccleſiaſtica ſepultura?

Sacrâ Sepulturâ quinam debeant privari.

R. *Paganis, Iudæis, & omnibus infidelibus, hæreticis, & eorum fautoribus, Apoſtatis à Chriſtiana fide; ſchiſmaticis; & publicis excommunicatis majori excommunicatione; interdictis nominatim, & iis qui ſunt in loco interdicto, eo durante.*

Rit. Rom. Pauli V. Pontif. Max. juſſu editum tit. de exequiis.

Seipſos occidentibus ob deſperationem vel iracundiam (non tamen ſi ex inſania id accidat) niſi antè mortem dederint ſigna pœnitentiæ.

Morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint ſigna pœnitentiæ.

Manifeſtis & publicis peccatoribus, qui ſine pœnitentia perierunt.

Iis de quibus publicè conſtat, quòd ſemel in anno non ſuſceperint Sacramenta Confeſſionis, & Communionis in Paſcha, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt.

Infantibus mortuis abſque baptiſmo.

Ordinarius in caſibus circa ſepulturas ambiguis conſulendus.

Ubi verò in prædictis caſibus dubium occurrerit; Ordinarius conſulatur.

I. Eſtnè pium opus ſepelire mortuos?

R. Ita, & vulgò inter opera miſericordiæ recenſitum, à quo laudatur in ſcriptura Tobias, & Incola Jabes Galaad ſepelientes Saülem. Celebratur die 8. Dec. in Martyrol. S. Eutychianus Pontifex, quod ſuis manibus ſepelierit 342. Martyres.

Cap. 12. 2 Reg. 24. *Exemplum.*

I. Quis fuit antiquus in ipſis Eccleſiæ incunabulis Martyres, & fideles quoſcumque ſepeliendi ritus?

Quomodò ab initio Eccleſiæ ſancti Sepulturæ mandabantur.

R. Ut proceſſio cum accenſis cereis, pſalmodia, & hymnodia tum Cleri, tum populi in funere adhibeatur. Undè tradit Nicet. Orat. de Martyr. & invent. S. Stephani, Apoſtolos ipſos cum frequenti

cia fidelium, in Pſalmis, & hymnis, tranſtuliſſe, & ſepeliviſſe Stephanum, facientes planctum magnum per quadraginta dies.

Non abſimilia leges in Actis S. Laurentii, & aliorum Martyrum.

Idipſum multis habetur veterum teſtatum exemplis; ut quod habet Pontius Diaconus de funere S. Cypriani Mart. his verbis: *Inde eum cereis, & ſcholaribus in area cujuſdam Candidi Procuratoris magno triumpho ſepultum eſt.* Quod inſuper Greg. Nyſſenus factum tradidit in funere Meletii, cum ait: *Quomodò utrimque quaſi ignei amnes continentibus facibus tractu continuò perpetuoque fluentes, quoad oculi longiſſimè proſpicere ſolent porrigebantur.* Greg. Nazian: de Matre ſua in funere Cæſarii Filii geſtante faces, hæc habet: *Cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompâ ad Martyrum ſedem affertur, ſanctiſque parentum manibus honoratur. Matre accenſas faces geſtante* Eâdem planè habet, cùm agit de funere Conſtantii in Orat. 2. adversùs Julian. Apoſt.

Exempla.

Videatur S. Hieron. de funere Paulæ, S. Chryſoſt. qui laudatiſſimæ hujus conſuetudinis frequentem, & luculentam facit mentionem; ut pudêre debeat hæreticos Catholicæ Eccleſiæ mores hâc in parte ſugillantes.

Modernus ritus Chriſtianorum ſepeliendi mortuos.

I. Modernæ verò funeris, & ſepulturæ curationes in Eccleſia Romana receptæ, ubi fundamentum habent?

R. Partim in ſcriptura, partim in traditione.

I. Declara præcipuos ritus, quos modò ſervamus in fidelium ſepultura, & in iis nihil eſſe otioſum demonſtra?

R. 1. Aſpergitur funus aquâ benedictâ, ut defunctus ſignificetur fuiſſe Chriſtianus baptizatus, & Apoſtolorum tempore etiam oleo conſecrato ungebatur, teſte Dionyſio, ut ſignificaretur defunctus Dei miſericordiâ unctus.

2. Thurificationem adhibemus, ut pro defuncto pias Deo preces, & ignitas charitate, Deoque odoriferas offerre nos ſignificemus.

3. Pſalmos & orationes pro ſpiritibus defunctorum ex Majorum traditione, & Apoſtolorum exemplo, Deo perſolvimus.

4. Campanas pulſamus, ad ſignificandum Angelicæ tubæ ſonum, quæ mortuos vocabit ad judicium, ſicut campanæ ſono corpus vocatur ad ſepulchrum. Lugubris eſt campanarum ſonus, ſicut & Eccleſiæ cantus, ut ad compaſſionem excitemur. Et hæc fuit antiqua Eccleſiæ conſuetudo, de qua S. Dionyſius, & alii Patres.

Dionyſ. c. 7. cæleſt. hierarch. Inf. p. 3. c. 2. lect. 2.

5. Lumine utimur ſignificantes quòd defunctus lumen Fidei in baptiſmo acceptum in finem uſque conſervarit, & cùm lumine gratiæ deceſſerit, optantes ei lumen gloriæ. Hinc illud: *Lux æterna luceat eis.*

6. Crucem præferimus, quia cùm viveret defunctus, ſub crucis vexillo militavit; unde oramus ut meritorum crucis jam particeps fiat.

Denique magnus hominum numerus comitatur, tum ut pro anima orent, tum ut ſignificemus juſtorum animas ab Angelorum choris deduci ſicut Lazarus. Nigris verò induti ſequuntur, luctum teſtantes de amici obitu, de cujus anima necdum certi ſumus in gloriam introiſſe, ſed timemus ne per Purgatorii pœnas debeat tranſire.

I. Numquid ſæpè Dominus Deus oſtendit ſibi placere, ut funera defunctorum, præſertim Sanctorum honorificè curentur?

R. Ita. Sepulchra quoque eorum voluit eſſe glorioſa, ut etiam in iis non tantùm in ſuo, Chriſtus eſſet glorioſus.

Exempla.

Quàm glorioſum in primis fuerit ſepulchrum ſancti Clementis, videre eſt in Breviario Romano 23. Novembris.

Sepulchra Sanctorũ glorioſa.

S. Catharina Martyrium ſubitura ſic oravit: *Da Domine JESU Chriſte Deus meus, ut hoc corpus meum, quod pro te fuit*

conciſum, non poſſit ab iis aſpici qui quærunt illud. Deus itaque honorans, & exaudiens Martyrem ſuam, miſit Angelos qui corpus ejus compoſuerunt, viſique ſunt ab iis qui præſentes erant, illud in Sina Montem deducere.

Ita ejus vita.

S. Sebaſtianus telis confixus, & in cloacam projectus, noctu apparuit S. Lucinæ, jubens ut corpus ſuum è cloaca tolleret, illudque efferret in catacumbas, & ſepeliret juxta veſtigia Apoſtolorum, quod ipſa præſtitit. In actis ejus.

S. Armogaſtes Epiſcopus, ſtrenuus fidei contra Arianos propugnator, anno Domini 456. moriturus juſſit ſe ſepeliri ſub arbore, quàm ſuffodientes conſpiciunt Sarcofagum ſplendidiſſimè marmoris præparatum, qualem fortè nullus omninò Regum habuit, inquit Vict. l. 1. Wandal.

S. Ermelendis virgo corpus affligens jejuniis, & pœnitentiis, moritura honorata fuit Angelorum choris, Christo canentibus gloriam; & quia Christo fuit dilecta, ab ipſis eſt officioſiſſimè ſepulta, inquit auctor vitæ ejus 29. Octob.

Corpus Sancti Ignatii de Loyola Romæ ſepultum fuit anno 1556. poſtquam ex humanis exceſſiſſet prid. Cal. Sextiles, non ſine concurſu, & magnæ devotionis affectu totius urbis, quæ etiam majora ſuſcepêre incrementa, ex muſica cœleſti Angelorum, quâ Deus Sancti ſui ſepulturam dignatus eſt honorare.

Cùm Maria Ægyptiaca migraſſet è vita, invenit B. Sozimas corpus ejus mortuum; cum hac in terra inſcriptione: *Sepeli Abba Sozima miſera Mariæ corpuſculum, redde terræ quod ſuum eſt, & pulverem pulveri adjice, & ora Dominum pro me.* Venitque Leo de eremo, qui pedibus terram eruens, foveam effecit, in qua ſepulta eſt.

Ejus Vita 2. Aprilis.

Sic duo Leones ad Sanctum Antonium accurrerunt quaſi lacrymas, & ploratum edentes ſuper funere Beati Pauli Eremitæ, & certatim terram effodientes, in qua tumulatus eſt manibus Antonii cum hymnis, & canticis.

Breviar. Rom. 15. Ian.

S. Sigiſmundus Burgundiæ Rex cùm à Clodomiro, tribuſque ejus Fratribus Filiis Clodovei Franciæ Regibus, injuſtè regno, & vitâ ſpoliatus eſſet, atque cum conjuge, & liberis in profundum puteum præcipitatus, mox in puteo clara lux refulſit, ac S. Mauritius cum Thebæis (quorum corpora in eadem urbe Agaunenſi quieſcebant) S. Avito apparens, eorum in cœlis gloriam demonſtravit, uti narrat Greg. Turon. l. 3. de geſtis Franc. c. 6. & l. de gloria Martyrum, c. 71. & 75. Baron. & alii.

Quid plura? etiam ipſi Reges gaviſi ſunt propriis humeris Sanctorum corpora ad tumulum deferre.

Theodoricus Abbas, Sancti Remigii diſcipulus, qui à mortuis ſuſcitarat Filiam Theodorici Filii Clodovei Regis Francorum, cùm multas virtutes operatus eſſet, & Angelis eum ſuſcipientibus cum gloria migraſſet; Theodoricus Rex ad monaſterium veniens, ſanctum corpus propriis humeris ad ſepulchrum evexit. Ita Uſuardus in Martyrol. 1 Julii.

Anno Domini 1007. mortuus eſt Ratisbonæ S. Romualdus, Abbas S. Emmerammi, cujus feretro Henricus Germanorum Rex, & poſteà Imperator, proprium ſuppoſuit humerum; ut illud ad ſepulturam deferret, uti ex Arnolfo Comite refert Baron.

Exempla.

Anno Domini 1079. elevatum Sancti Gerardi Martyris corpus, & Ladiſlai Regis Hungariæ ac Principum humeris tranſlatum, honorificeque depoſitum, miraculis coruſcat, ut habet ejus vita 24. Septemb.

Præclarum eſt quod refert Baron. de Eugenii reliquiis è Galliis in Hiſpaniam translatis, in ſuis ad Martyrol. notis ad diem 15. Novemb.

Illud etiam notum eſt de Conſtantino, qui octavo die poſt ſuſceptum Baptiſmum, venit ad locum Principis Apoſtolorum

ſum ſepulchro conſecratum, ubi depoſito diademate, & humi jacens vim lacrymarum profudit, ſumptoque ligone terram eruit, & inde duodecim terræ cophinis in honorem duodecim Apoſtolorum ablatis, locum Eccleſiæ deſignavit, & ædificavit. Vide Chryſoſtomum referentem, quomodo Conſtantinus Conſtantinum Patrem vitâ ſunctum intrà Baſilicam Apoſtolorum tumulare non ſit auſus ſed in ejus atrio: *Exiſtimavit*, inquit, *ingenti honore Filius ſe affecturum Patrem, ſi eum in piſcatoris veſtibulo poneret. Et quod Imperatoribus ſunt in aulis janitores, hoc in ſepulchro piſcatoribus Imperatores. Illi velut Domini interiores loci partes obtinent, hi velut accolæ, ac vicini præclarè agi putarunt ſi veſtibuli janua eis aſſignetur.* Ecce qualiter Apoſtolorum, & Sanctorum ſepulchra ſunt glorioſa.

Breviar. Rom. die 18. Nov.

Chryſoſt. hom. 26. in 2. ad Corint.

I. Numquid etiam feræ beſtiæ Sanctorum corpora ſepelierunt, vel tutatæ ſunt?

R. Ita, uti ſuprà in S. Mariæ Ægyptiacæ, & S. Pauli primi Eremitæ ſepultura vidimus. Sed addere hic lubet duo exempla.

Exempla. 1. S. Anaſtaſii Martyris in Perſide, cujus corpus anno Domini 627. canes illæſum ſervarunt; quod fideles deinde in S. Sergii Martyris Monaſterio honorificè ſepelierunt. Ita ejus vita, & ex ea Baron.

2. S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis, & Martyris à Boleslao Rege occiſi corpus feris projectum, aquilæ inuſitatæ magnitudinis defenderunt à canibus, & avibus. De hoc infra pleniùs ad articulum II.

Breviar. Rom. 7. Maii. I. Nonne ſepulchrorum Sanctorum violatores à Deo puniti ſunt?

R. Ita. Narrat Baron. anno 878. quemdam inſtinctu Photii violantem ſepulchrum S. Ignatii Patriarchæ, cujus æmulus erat Photius, morte fuiſſe percuſſum.

Quomodò irreverentia in ſepulchrum S. Equitii ſit punita narrat S. Greg. 1. Dialog. c. 4.

Apagè igitur fæx impia Calviniſtarum, qui Eunomium, Vigilantium, Conſtantinum, Copronymum, Hagiomonachum, Wicleffium, ac ejuſmodi Peſtes inſecuti ferro, flammis, omnique ſtudio Sanctorum reliquias, & monumenta perſequuntur.

DE V. SYMBOLI ARTICULO.

CAPUT SEXTUM.

Deſcendit ad inferos, tertiâ die reſurrexit à mortuis.

LECTIO PRIMA.

I. Quid nobis credendum proponit hic articulus? *S. Thom. 3. p. q. 52.*

R. Habet hic articulus duas partes; realem ſcilicet deſcenſum Chriſti ad inferos, & ejus glorioſam reſurrectionem.

I. Quid igitur priori ejus parte nobis proponitur?

R. Hoc nimirùm, Chriſto jam mortuo, ejus animam ad inferos deſcendiſſe, ibique tamdiu manſiſſe, quamdiu ejuſdem corpus in ſepulchro fuit.

I. Quid hic *inferorum* vocabulo intelligendum eſt?

R. Inferorum nomen abdita illa ſubterranea receptacula ſignificat, in quibus animæ detinentur, quæ cæleſtem beatitudinem non ſunt conſecutæ.

I. Sed, quot ſunt ejuſmodi loca, quibus animæ extra beatitudinem conſtitutæ, poſt mortem detinentur? *Philip. 2. Act. 2.*

R. Ea receptacula ſunt quadruplicis generis, uno *inferorum* nomine appellata. *Quatuor loca ſubterranea Inferorum nomine*

I. Quis eſt primus inferorum locus?

R. Eſt teterrimus & obſcuriſſimus carcer, ubi perpetuò inextinguibili igne dā-

appellata. natorum. (id eſt qui extrà Dei gratiam
De inferno p.4.c.6. deceſſerint) animæ ſimul cum dæmonibus torquentur. Hic propriâ ſignificatione infernus vocatur.

I. Quis eſt ſecundus?

R. Limbus puerorum, qui exceſſerunt
C. Majores, de Baptiſmo & ejus effectu. S. Tho. in 4. d. 45. q. 2. anno 3. Infrà hac ead. p. c. 10. lect. 3. ex hoc mundo cum peccato originali, qui tametſi igne non torqueantur, ut multi Doctorum probabiliter opinantur, æternùm tamen Dei viſione privabuntur.

I. Quis tertius?

R. Eſt purgatorium, ſive locus, in quo igne purgatorio animæ ad certum & definitum à Deo tempus cruciatæ expiantur, ut eis in æternam patriam ingreſſus patêre poſſit, in quam nihil coinquinatum ingreditur.

I. Quis tandem quartus & poſtremus?

R. Limbus Patrum communiter dictus, in quo animæ Sanctorum ante Chriſti adventum excipiebantur; ibique ſine ullo doloris ſenſu, beatâ redemptionis ſpe ſuſtentati, quietâ habitatione fruebantur.

I. Quid in iſto loco agebant, aut in quo occupabantur ibi Patres iſti Sancti?

R. Toti erant in deſideriis adventûs Meſſiæ, qui eos è lacu iſto liberaret, & ſui viſione æternùm bearet. Hujus figuram habes in libr. Numerorum cap. 35. n. 25.

I. Ad quem iſtorum locorum deſcendit Chriſtus Dominus?

R. Ad Limbum Patrum, qui Abrahæ ſinus dicitur.

I. Quomodò iſthuc deſcendit?

R. Propriâ virtute.

I. Deſcenditne in corpore & anima?

R. Non, ſed ſecundùm animam Divinitati conjunctam.

I. Deſcenditne anima Chriſti potentiâ tantùm, an etiam reipsâ ad inferos?

R. Omninò credendum eſt ipſam animam re, & præſentiâ ad inferos deſcendiſſe: de quo extat firmiſſimum illud Da-
Pſal. 15. vidis teſtimonium: *Non derelinques animam meam in inferno.*

I. Ubinam ergò tunc temporis erat Sacrum Domini Salvatoris Corpus?

R. Jacebat in ſepulchro, uti articulo præcedenti declaratum eſt, divinitati etiam conjunctum.

I. Poteratne dici quòd Chriſtus ad inferos deſcendiſſet, cùm non integer Chriſtus, ſed ſolùm anima Chriſti deſcenderit?

R. Vide quæ ſuperiori articulo lect. 8. quæſtiunc. 2. diximus. Quorum ſumma eſt divinam perſonam Chriſti cum anima ad inferos deſcendiſſe, eandemque cum corpore in ſepulchro decubuiſſe; nam etſi mors tam fortis fuit, ut animam Chriſti à corpore ſeparaverit, non tamen potuit ab ejuſdem Chriſti ſive corpore, ſive animâ perſonam divinam ſeparare.

I. Poteratne Chriſti anima doloribus *Aug. ep. 99.*
inferni teneri, ſive pœnis torqueri?

R. Minimè, vid. c. 2. Actor. ipſe nimirùm fuit inter mortuos liber, uti cecinit David. Pſal. 87.

I. Cur deſcendit Chriſtus ad inferos?

R. *Primò* Ut eos qui in charitate mor- *Cur Chriſtus ad inferos deſcendit.*
tui ibi detinebâtur, à pœna abſolveret, ſeque vivorum, & mortuorum liberatorem oſtenderet. Ita S. Tho. in Compend. Theolog. c. 235.

Hoc ſignificare voluit Euſebius, quando dixit legem charitatis Chriſtum Dominum ad inferos evocaſſe. Nimirùm fuit Chriſtus tanquam Sol quidam divinus, qui non tantùm radios beneficentiæ ſuæ, ſed & ſeipſum ſparſit per omnes orbis partes, ſummas, medias, imas, ut omnes ſuâ luce & præſentiâ illuſtraret, lætificaret, vivificaret gratiâ; & gloriâ ſempiternâ donaret. *Secundò.* Ut ſanctis, piiſque animabus optatiſſimam beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit, impertiret, quo facto id comprobatum eſt,
quod latroni promiſerat iſtis verbis: *Ho- Luc. 23.*
die mecum eris in Paradiſo. Tertiò. Deſ- Ozeæ 13.
cendit ad inferos, ut de diabolo trium- Zach. 9.
pharet. Glorioſè ſanè triumphat aliquis Matt. 12.
de aliquo, quando non ſolù vincit eum in campo,

campo, ſed etiam invadit eum uſque in domum propriam ad ſpoliandum. Vid. Apoſtol. ad Coloſſ. 2. *Quartò. Vt his qui in carcere erant ſpiritibus prædicaret.* 1 Pet. 3. *Quintò* Deſcendit ad inferos, ut nos à deſcenſu ad inferos liberaret. Unde dicitur Oſeæ 13. *Ero mors tua, ô mors, morſus tu us ero inferne.*

I. Liberavitne Chriſtus Dominus omnes animas in purgatorio detentas, quando ad inferos deſcendit?

R. Certum eſt Chriſtum deſcenſu ſuo ad inferos, omnes animas juſtas conſolatum eſſe, eiſdem lucem clariſſimam, quæ mortis triumphatorem decebat attuliſſe, omnibus redemptionis, & futuræ propediem beatitudinis ſpe relictâ, uti declarant verba iſta: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Eccl. 24. Verùm, non eſt æquè certum omnes omninò animas purgatorii liberaſſe; etſi credibile ſit aliquas ex optimè diſpoſitis ſecum eduxiſſe, condonatâ eis liberaliter, quæ reſtabat ibidem luendâ pœnâ. Gregor. Nazianz. orat. 42. & l. 2. de Paſchate. Aug. epiſt. 99.

I. Quamdiu egit in Limbo Salvatoris noſtri anima beata?

R. Triginta ſex horis. Vide ſuprà init lect. 9.

I. Quo ſtipatus comitatu rediit ex inferis?

R. Magnâ Beatarum animarum coronâ, quas è Limbo eduxit, & in die aſcenſionis ejus captivam duxit captivitatem.

I. Quid egerunt per dies 40. qui interfluxerunt Paſcha inter & Aſcenſionem iſtæ beatæ animæ?

R. Contemplatæ ſunt Dei gloriam in ipſa perſona Redemptoris noſtri.

I. Deſcenditne etiamnum aliquis ad Limbum iſtum Patrum?

R. Non; ſed omnes animæ juſtæ plenè expiatæ vadunt rectà ad cœlum.

LECTIO II.

De Chriſti Reſurrectione S. Thom. 3. p. q. 53. uſque ad 57.

I. Quæ eſt altera pars articuli quinti?

R. *Tertia die reſurrexit à mortuis.*

I. Quid hoc ſibi vult: *Tertiâ die reſurrexit?*

R. Significat Chriſtum Dominum, qui die Paraſceves mortuus erat in cruce, & ſecundùm corpus quidem ſepultus, ſecundùm animam verò ad inferos deſcenderet; tertiâ tandem die, propriâ vi, ac virtute, corpore reſumpto redivivum appariuſſe. Igitur hæ duæ articuli quinti partes; *deſcendit ad inferos*; & ; *tertia die reſurrexit à mortuis*; nobis indicant plenarium Paſſionis, & Redemptionis Dominicæ effectum, qui eſt redemptio corporis, & animæ; animæ quidem in priori; corporis verò in poſteriori parte ſignificata.

I. Eſtne hic articulus magni momenti?

R. Maximi. Eſt enim graviſſimum hoc myſterium, & velut præcipuum Chriſtianæ Religionis fundamentum, quo à Judæis, & Paganis diſtinguimur, *qui facilè credunt Chriſtum Dominum mortuum fuiſſe, ſed reſurrexiſſe negant.* Auguſt. Pſ. 120. Et verò difficillimum iſtud Dominicæ Reſurrectionis myſterium ſemel admiſſum, & creditum, omnia alia myſteria Chriſtiana facilia & credibilia reddit. Cur enim difficile erit credere Chriſtum conceptum eſſe de Spiritu ſancto, natum de Virgine; paſſum, mortuum, patraſſe miracula, ſi credamus eum propriâ virtute ab inferis rediiſſe, & à morte reſurrexiſſe? Nam quòd homo vivens mortuum hominem divinitùs adjutus ſuſcitaverit, non erat novum apud Hebræos; ſed quòd homo mortuus excitaverit ſeipſum; inauditum erat ante Chriſti Reſurrectionem. Iſta enim Reſurrectio planè convincit eum qui reſurrexit virtute propriâ, non fuiſſe purum hominem, ſed verum Deum, qui infinitâ ſuâ virtute

potuerit animam ſuam ſuo corpori reſtituere, & corpus ipſum ita reformare, ut deinceps neque mori, neque pati poſſit.

Reſurrectionis Chriſti myſterium unum è præcipuis fidei noſtræ principiis.

I. Declara mihi, ſi placet, paulò ampliùs, quòd reſurrectionis myſterium ſit unum è præcipuis fidei noſtræ principiis?

1. Cor. 15.

R. Declaro ex Apoſtolo: *Quod ſi Chriſtus non reſurrexit*, inquit, *vana eſt fides noſtra; adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.* Rectè ſequitur, ſi Chriſtus non reſurrexit, quòd adhuc ſumus in peccatis. Nam *primò*, ſi Chriſtus non reſurrexit, ergò fides in Chriſtum reſuſcitatum, quæ juſtificationis eſt radix, falſa eſt: fides autem falſa non poteſt eſſe remiſſionis peccatorum, & veræ ſanctitatis initium, & fundamentum.

Secundò, quia mors Chriſti inefficax fuit ad remiſſionem peccatorum, ſi Chriſtus in morte manſit, ab eaque victus fuit. Si enim reſurrectione ſuâ nequivit vincere mortem, ergò nec peccatum; hoc enim vincere gravius eſt & difficilius, quàm vincere mortem, adeoque peccatum plenè non aboletur, niſi ejus effectus, id eſt, mors aboleatur. Ita Chryſoſtomus.

Tertiò, quia Reſurrectio Chriſti cauſa eſt juſtificationis noſtræ, ubi Apoſtolus dicit Rom. 4. v. ultimo, ſublatâ autem cauſâ, tollitur effectus; ſublatâ ergò Reſurrectione Chriſti, tollitur noſtra juſtificatio à peccatis, ac conſequenter adhuc ſumus & manemus in peccatis noſtris priſtinis. Quid ergò vos creditis, quid nos prædicamus. Vid. c. 10. Rom. v. 9. ubi Apoſtolus Chriſti Reſurrectionem velut præcipuum Doctrinæ Chriſtianæ caput in medium producit.

I. Haberuntne etiam Apoſtoli ipſi difficultatem circa fidem hujus articuli?

R. Ità, hoc oſtendit manifeſtè eorum credendi tarditas, quam Dominus ipſe

Marc. 16. increpavit: *Exprobravit incredulitatem*
Luc. 24. *eorum & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.*

I. Diligenterne laboraverunt Apoſtoli in prædicatione hujus articuli?

Apoſtoli diligenter annunciarunt mundo Chriſti Reſurrectionem.

R. Diligentiſſimè, uti eorum Acta c. 4. v. 33. teſtantur: *Virtute magnâ reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis* JESU *Chriſti.* Et B. Petrus ait ibidem Apoſtolos electos eſſe ad teſtimonium perhibendum Reſurrectionis Chriſti; & Matthiam, ut teſtis ejuſdem Reſurrectionis fieret, aſcitum ad Apoſtolatum.

I. Sed nunquid variè contradictum eſt huic de Reſurrectione doctrinæ?

R. Ita, tam à Judæis, quàm à Gentilibus. Patet hoc ex jam allegato loco Apoſtoli 1. Cor. 15. & toto libro Actorum, Quæ omnia arguunt myſterii, quam diximus, difficultatem.

I. Nunquid argumentis multis ipſe Deus & Dominus noſter hanc Eccleſiæ fidem præmunivit?

Multis argumentis fides Reſurrectionis Dominicæ præmunita.

R. Omninò. Nam reſurrecturum ſe tertio die, frequenter ante Paſſionem Apoſtolis inculcavit, & poſteà variis teſtimoniis, apparitionibus, vulnerum contactu, cibi ſumptione comprobavit. Ac ne Reſurrectionis Chriſti dogma velut commentum orbi obtruſum credi poſſet, ex Scripturis & Prophetarum oraculis idipſum confirmarunt ipſe Dominus Salvator, & ab eo miſſi Apoſtoli.

I. Affer mihi præcipuas, & maximè obvias de Chriſti Reſurrectione Scripturas?

R. Ecce tibi ex Pſalmo 3. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum: & reſurrexi.* Ex Pſ. 2. *Ego hodie genui te.* Quem locum Apoſtolus Act. 13. de Reſurrectione Chriſti intelligit. Ex Pſ. 15 *Non derelinques animam meam in inferno.* Quem Pſalmum non de Davide, ſed de Chriſto intelligendum eſſe, Petrus docet Act. 2.

Idipſum Dominus oris ſui teſtimonio confirmavit. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam: Et poteſtatem habeo ponendi eam, & iterum ſumendi eam.* Judæis etiam ad confirmandam hujus doctrinæ veritatem dixit:
Solvite templum hoc, & in tribus diebus Joan. 2.
excita-

Digitized by Google

excitabo illud. Et aliàs Reſurrectionem ſuam crebrò prædixit. Matth. 12. *Sicut Ionas, &c.* Matth. 13. *Oportet Filium hominis pati, & tertiâ die reſurgere.* Matt. 20. *Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertiâ die reſurget.*

Figura Dominicæ reſurrectionis.

I. Habeſne etiam illuſtres aliquas Dominicæ Reſurrectionis figuras?

Prima. Geneſ. 2.

R. Habeo. Adam è ſomno evigilans, ex cujus latere formata erat Eva, typum geſſit Chriſti in Cruce dormientis, de cujus latere fluxit Sanguis redemptionis, & aqua Baptiſmatis. Item Gen. 9. Noë dormiens & evigilans adumbravit Chriſtum in cruce dormientem nudum & illuſum, qui reſurgens experrectus eſt, & illuſores Judæos reprobravit. Gen. 22. Iſaac à loco ſacrificii vivus rediens, Chriſti poſt mortem ad ſuos reditum expreſſit. Gen. 42 Joſeph è carcere ad regnum evectus, gloriam Chriſti reſurgentis adumbravit. Gen. 49. catulus leonis dormiens, Exod. 4. Virga Moyſi in draconem converſa, & mox in priorem formam rediens. Judic. 16. Samſon mediâ nocte portas civitatis Gazam auferens, typum geſſit Chriſti, cum gloria è ſepulchro egreſſi Joan. c. 2. Jonas tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti, Chriſti ſepulturam, & tempus reſurrectionis ejus expreſſit, ſicut Dominus ipſe dignatus eſt exponere. Matt 12. & Luc. 11.

Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Vid. S. Greg. hom. 21. Octava.

I. Alienâne virtute, ut cæteri homines, an verò propriâ vi Chriſtus reſurrexit?

R. Reſurrectionis voce non ſolùm illud intelligendum eſt, Chriſtum à mortuis excitatum eſſe, quod multis aliis, ut Lazaro, Filio viduæ, &c commune fuit, ſed ſuâ vi, ac virtute reſurrexiſſe, quod proprium illi fuit & ſingulare. Neque enim natura patitur, neque ulli homini conceſſum eſt, ut ſeipſum poſſit virtute ſuâ à morte ad vitam revocare. Hoc verò ſummæ Dei poteſtati tantummodò reſervatum eſt, ut ex illis Apoſtoli verbis intelligimus: *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.*

2. Cor. 13.

Cur Chriſtus Dominus reſurgens cicatrices retinere voluit.

I. Cur voluit Chriſtus poſt reſurrectionem cicatrices retinere?

R. Ob varias cauſas. *Prima eſt*, ut ejuſdem corporis reſurrectionem futuram confirmaret, ut Cyrill. l. 12. in Joan. c. 18. Aug. Epiſt. 49. Leo ſerm. de reſurrectione, & alii obſervarunt. Illa enim ſtigmata clarè, luculenterque oſtendebant illud corpus, quod vivum aſpiciebatur fuiſſe idem numero, quod in cruce pependerat.

Secunda, ut Chriſti corpus glorioſum ſuæ victoriæ, triumphique perpetuum inſigne circumferret, ac ut per quæ ſibi gloriam pepeniſſet, omnibus conſtaret. Aug. epiſt. 49 & l. 22. de Civit. Dei c. 20. ubi addit in Martyrum corporibus ſigna eorum, quæ pro Chriſti nomine pertulerint, conſpicienda, vulnerumque cicatrices non habituras deformitatem, ſed dignitatem; quia non ad corruptionem vel defectum, ſed in virtutis teſtimonium ibi erunt. Ideoque credendum eſt Chriſti cicatrices eſſe velut gemmas ſingulari modo perlucidas, & perfectiſſimo colore imbutas, glorioſo Chriſti Corpori decorem quendam, & gloriam accidentalem conferentes, ut notat Beda in Luc. c. 97. Damaſc. l. 4. c. 18. S. Tho. 3 p. q. 45.

Vide inf. l. 2. c. 2. lect. 1. ultrà med.

Tertia, ut ad majorem fiduciam excitaremur ſcientes: *Chriſtum eſſe in cœlum ingreſſum, ut appareat vultui Dei pro nobis interpellans, ac exhibens humanæ ſalutis pretium, & obedientiæ donativum* ut habet Cyprian. lib. de Bap. & Beda proximè allegatus.

Quarta; ut ſuos cultores in ſui amorem & ad ſimilia perferenda inflammaret.

Quinta, ut ibi animæ pœnitentes refugium habeant, & mel miſericordiæ ſugant. *Ego* (inquit Bern.) *quidquid mihi deeſt uſurpo ex vulneribus Domini mei Ieſu Chriſti. Legimus de B. Ludgarde, quòd cùm corpore; & ætate tenerrima foret.*

Ser. 61. in Cant. Exemplũ.

Digitized by Google

foret, nocte quâdam circà Matutinas ſudor eam vehemens invaſit, & cùm abſentare ſe putaret, ut fortior poſteà ad obſequia divina redderetur; ecce vox ad eam: Quid jaces? ſurge; oportet ut pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in ſordibus jacent. Illa exterrita, inchoato jam officio, feſtinat ad Eccleſiam. Et in ipſo oſtio reperit obvium Chriſtum cruci affixum, & cruentatum, qui brachium è cruce deponens, & eam amplexans, os ejus vulneri lateris applicavit, unde tantam hauſit ſuavitatem, ut ex tunc in Dei obſequio fortior, & alacrior foret. Retuleruntque qui id ſciverunt, eâ revelante, ex eo tempore ſalivam ejus, mellis dulcedinem ſuperaſſe.

Poſtremò, vulnerum inſignia Chriſtus ſervavit, ut per ea impietatem Judæorum, & Chriſtianorum, qui tantam miſericordiam neglexerunt, in die judicii arguat, quaſi dicens; *Ecce hominem quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ inflixiſtis; agnoſcitis latus quod pupugiſtis, per vos, & propter vos apertum eſt, & intrare noluiſtis.*

Auguſt. S.Th.3. p.q.54. a.4.

I. Habeſne exemplum huc pertinens?

Exemplũ. R. Ita. *Alphonſus Portugaliæ Rex commiſſurus prælium adverſus quinque Saracenorum Reges, cum trepido eſſet animo, confirmatus eſt à Chriſto in ſomnis, juſſuſque eſt in aciem deſcendere, & vexillum erigere, cui quinque ipſius vulnera depicta forent; Fecit Alphonſus, & nobilem victoriam reportavit. Exinde Regibus Portugaliæ inſignia fuerunt quinque Plagis Chriſti ornatum vexillum.*

Inſignia Portugalliæ.

I. Quare voluit Deus tertiâ die reſurgere?

Jon. 2. R. Quia Jonas Propheta in ventre ceti delituerat tribus diebus; & tribus noctibus, qui in hoc ipſo figuram expreſſerat Chriſti Domini in triduo mortui jacentis in ſepulchro, & tertiâ die reſurgentis; oportebat autem figuratum figuræ conformari. 2. Idipſum prædixerat futurum Dominus ac Salvator noſter, cùm diceret: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* 3. Voluit Dominus triduum expectare, ut ſe verè mortuum oſtenderet. 4. Eſt magnum in hoc triduo ſolemni Sacramentum id eſt, in die Paſſionis, in die ſepulturæ, & in die Reſurrectionis. Ut enim caput noſtrum Chriſtus feriâ ſextâ paſſus eſt, in Sabbatho requievit, in die Dominico reſurgens ad vitam glorioſam, & immortalem tranſiit; ſic omnia membra ejus pati, & tribulari oportet feriâ ſextâ, id eſt, in præſenti ſæculo; deinde adveniente morte *dicet ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis*, in ſepulchris videlicet, quod eſt noſtrum Sabbathum. Poſtremò, in ultimo die, *inimica deſtruetur mors*, & regnabunt Sancti cum Deo, non ſolùm animo, ſed etiam corpore in ſæcula ſæculorum, atque hic erit dies Dominicus; verè *dies quam fecit Dominus, ut exultemus, & lætemur in ea.* Itaque prudentes Chriſtiani cùm in hac vita patiuntur calamitates varias, non mirantur neque dolent, quia conſiderant nunc earum rerum tempus eſſe; quomodò etiam ruſtici non mirantur, ſi in hyeme algeant nives, & glacies, quia hæc tempus illud poſtulat; Et quemadmodum iidem ruſtici moleſtè ferunt, ſi videant hyemes humidas, & calidas, quia ſterilitatis hæc ſigna ſunt: ſic prudentes, & pii Chriſtiani ſuſpectas habent hujus mundi proſperitates, neque in eis lætantur, quia valdè timent, ne in futuro ſæculo dicatur eis: *Recepiſti mercedem tuam.* Vel quod dictum eſt Epuloni: *Recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc verò hic conſolatur, tu verò cruciaris.*

Joan. 2. S.Th.3.p. q.53.a.2.

Apoc. 14.

Pſ. 117.

Simile.

Tempus hujus vitæ, tempus eſt afflictionis

Matt. 6.

Luc. 16.

I. Fuitne neceſſarium Chriſtum reſurgere?

R. Convenientiſſimum id fuit ob plures rationes.

Primò. Ut corpus Deo unitum, vivum & glorioſum reſurgeret; ut ſicut particeps fuerat Paſſionis & miſeriæ, ita conſors fieret gloriæ, juxta illud: *Nonne oportuit Chri-*

Cauſæ ob quas Chriſtus reſurrexit.

Digitized by Google

Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?

Secundò. Neceſſarium fuit Chriſtum reſurgere, ad commendandam Dei in promiſſis veritatem. Nam promiſſa erat Chriſto, ſi moreretur, reſurrectio; reddenda igitur ei fuit hæc merces. Profligatâ enim morte, reliquum fuit, niſi ut de ea triumphum ageret, & glorioſus in Reſurrectione ſua appareret?

Tertiò. Neceſſaria erat Chriſti Reſurrectio ad confirmationem fidei divinitatis ejus. Nam crucifixus erat ex infirmitate; itaque oportebat eum ex virtute vivere, teſtimonioque Reſurrectionis ſe Filium Dei comprobare.

Quartò. Id expoſcebat ordo divinæ juſtitiæ, cujus eſt exaltare humiles. Hanc rationem urget Apoſtolus, Philip 2. *Humiliavit, &c. propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Hinc Aug. *Humilitas Paſſionis, meritum eſt Reſurrectionis.*

Quintò. Reſurgere oportuit ad fidem noſtram fundandam. Non enim ſufficiebat Chriſtum eſſe pro hominibus mortuum; oportebat inſuper Paſſionis ejus meritum per fidem, & Sacramenta credentibus applicari; quod factum non fuiſſet, ſi Chriſtus non reſurrexiſſet. Juxta illud:
Pſal. 25. *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Et illud
Rom. 4. Apoſtoli: *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Unde poſt reſurrectionem miſit Spiritum Sanctum juſtificatorem, miſit & Apoſtolos, qui vi verbi ſui, & ſanctis Sacramentis à ſe inſtitutis, nos juſtificarent.

Sextò. Ad ſpei noſtræ corroborationem; nihil enim eſt quod nobis tantos addat animos ad hujus vitæ ærumnas, perſecutiones, & cætera omnia incommoda fortiter ſuperanda, quam beatæ immortalitatis
1. Cor. 15. expectatio. Immò, *ſi in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus*, inquit Apoſtolus in ſua, & Apoſtolorum perſona, *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Hinc patientiſſimus Prophetarum in hâc ſpe
in ærumnis ſuis ſeſe ſuſtentat: *Credo quod* Job. 19.
Redemptor meus vivit, &c. repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Quaſi dicat; ſuo capiti membra debent conformari, Redemptor meus, caput meum reſurrexit, indubiè etiam nos membra reſurgemus. *Chriſtus reſurgens regeneravit nos in ſpem vivam.* 1. *Petri* 1. Et hoc eſt quod acres ſtimulos ſuggerit ad patiendum æquo animo quidquid durum eſt

Septimò, ut ſuâ Reſurrectione typum quendam nobis præferret reſurgendi ad juſtitiam, ſeu vitæ novitatem, ut quemadmodum Chriſtus ſemel mortuus eſt, & re-
ſurrexit, nunquam ampliùs moriturus; ita Rom. 6.
& nos moriamur vitæ veteri, & in novitate vitæ perſeveranter ambulemus, ut ad Rom. 6. hortatur Apoſtolus.

Poſtremò, Chriſtum reſurgere oportuit *Præfat.*
ad complementum humanæ ſalutis, & re- *Paſch.*
demptionis tam ex parte corporis, quàm animæ, ut ſicuti mortem moriendo, deſtruxerat, ita reſurgendo vitam repararet, immortalis vitæ bona humanæ naturæ conferens; quæ, uti primogenitus mortuorum in ſe ipſo inchoavit, reliquis autem in ſpe dedit.

I. Quâ verò diei horâ ſurrexit Dominus?

R. Valde veroſimiliter ſurrexit circà medium noctis, primâ Sabbati, quæ nobis eſt Dominica. Ita ſentiunt S. Hier.
q. 4. ad Hedibiam, Greg. Nyſſ. orat. 1. Jud. 16.
de Reſurrectione. Theophilact Eutym. & alii. Hanc ſententiam confirmat typus Samſonis, qui, uti nuper diximus, portas Gazæ mediâ nocte ſurgens in verticem montis abſtulit; in argumentum quòd Redemptor noſter circà eandem
horam ſurgens, inferni clauſtra deſtrue- *Chriſtus*
ret, ſepulchrique januas reſeraret. Greg. *poſt me-*
hom. 21. in Evang. Rupert. l. 1. de di- *dium no-*
vin. Offic. c. 8. & l. 5. c. 24. l. 17. c. 16. *ctis reſur-*
Favet etiam quòd in benedictione Pa- *rexit.*
ſchalis cerei, & in Miſſæ Canone vocetur *ſacratiſſima nox*, in qua Dominus reſurrexit. Adſtipulari videtur ipſa Scri-

foret, nocte quâdam circà Matutinas ſudor eam vehemens invaſit. & cùm abſentare ſe putaret, ut fortior poſteà ad obſequia divina redderetur; ecce vox ad eam: Quid jaces? ſurge; oportet ut pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in ſordibus jacent. Illa exterrita, inchoato jam officio, feſtinat ad Eccleſiam. Et in ipſo oſtio reperit obvium Chriſtum cruci affixum, & cruentatum, qui brachium è cruce deponens, & eam amplexans, os ejus vulneri lateris applicavit, unde tantam hauſit ſuavitatem, ut ex tunc in Dei obſequio fortior, & alacrior foret. Retuleruntque qui id ſciverunt, eâ revelante, ex eo tempore ſalivam ejus, mellis dulcedinem ſuperaſſe.

Poſtremò, vulnerum inſignia Chriſtus ſervavit, ut per ea impietatem Judæorum, & Chriſtianorum, qui tantam miſericordiam neglexerunt, in die judicii arguat, quaſi dicens; *Ecce hominem quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ inflixiſtis; agnoſcitis latus quod pupugiſtis, per vos, & propter vos apertum eſt, & intrare noluiſtis.*

Auguſt. S.Th.3. p.q.54. a.4.

I. Habeſne exemplum huc pertinens?

Exemplũ. R. Ita. *Alphonſus Portugaliæ Rex commiſſurus prælium adversùs quinque Saracenorum Reges, cum trepido eſſet animo, confirmatus eſt à Chriſto in ſomnis, juſſuſque eſt in aerem deſcendere, & vexillum erigere, cui quinque ipſius vulnera depicta forent; Fecit Alphonſus, & nobilem victoriam reportavit. Exinde Regibus Portugaliæ inſignia fuerunt quinque Plagis Chriſti ornatum vexillum.*

Inſignia Portugalliæ.

I. Quare voluit Deus tertiâ die reſurgere?

Jon 2. R. Quia Jonas Propheta in ventre ceti delituerat tribus diebus, & tribus noctibus, qui in hoc ipſo figuram expreſſerat Chriſti Domini in triduo mortui jacentis in ſepulchro, & tertiâ die reſurgentis; oportebat autem figuratum figuræ conformari. 2. Idipſum prædixerat futurum Dominus ac Salvator noſter, cùm diceret: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* 3. Voluit Dominus triduum expectare, ut ſe verè mortuum oſtenderet. 4. Eſt magnum in hoc triduo ſolemni Sacramentum id eſt, in die Paſſionis, in die ſepulturæ, & in die Reſurrectionis. Ut enim caput noſtrum Chriſtus feriâ ſextâ paſſus eſt, in Sabbatho requievit, in die Dominico reſurgens ad vitam glorioſam, & immortalem tranſiit; ſic omnia membra ejus pati, & tribulari oportet feriâ ſextâ, id eſt, in præſenti ſæculo; deinde adveniente morte *dicet ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis*, in ſepulchris videlicet, quod eſt noſtrum Sabbathum. Poſtremò, in ultimo die, *inimica deſtruetur mors*, & regnabunt Sancti cum Deo, non ſolùm animo, ſed etiam corpore in ſæcula ſæculorum, atque hic erit dies Dominicus; verè *dies quam fecit Dominus, ut exultemus, & lætemur in ea.* Itaque prudentes Chriſtiani cùm in hac vita patiuntur calamitates varias, non mirantur neque dolent, quia conſiderant nunc earum rerum tempus eſſe; quomodò etiam ruſtici non mirantur, ſi in hyeme algeant nives, & glacies, quia hæc tempus illud poſtulat; Et quemadmodum iidem ruſtici moleſtè ferunt, ſi videant hyemes humidas, & calidas, quia ſterilitatis hæc ſigna ſunt; ſic prudentes, & pii Chriſtiani ſuſpectas habent hujus mundi proſperitates, neque in eis lætantur, quia valdè timent, ne in futuro ſæculo dicatur eis: *Recepiſti mercedem tuam.* Vel quod dictum eſt Epuloni: *Recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc verò hic conſolatur, tu verò cruciaris.*

Joan.2. S.Th.3.p. q.53.a.2.

Apoc.14.

Pſ. 117.

Simile.

Tempus hujus vitæ, tempus eſt afflictionis

Matt. 6. Luc.16.

I. Fuitne neceſſarium Chriſtum reſurgere?

R. Convenientiſſimum id fuit ob plures rationes.

Primò Ut corpus Deo unitum, vivum & glorioſum reſurgeret; ut ſicut particeps fuerat Paſſionis & miſeriæ, ita conſors fieret gloriæ, juxta illud: *Nonne oportuit Chri-*

Cauſæ ob quas Chriſtus reſurrexit.

Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?

Secundò. Neceſſarium fuit Chriſtum reſurgere, ad commendandam Dei in promiſſis veritatem. Nam promiſſa erat Chriſto, ſi moreretur, reſurrectio; reddenda igitur ei fuit hæc merces. Profligatâ enim morte, reliquum fuit, niſi ut de ea triumphum ageret, & glorioſus in Reſurrectione ſua appareret?

Tertiò. Neceſſaria erat Chriſti Reſurrectio ad confirmationem fidei divinitatis ejus. Nam crucifixus erat ex infirmitate; itaque oportebat eum ex virtute vivere, teſtimonioque Reſurrectionis ſe Filium Dei comprobare.

Quartò. Id expoſcebat ordo divinæ juſtitiæ, cujus eſt exaltare humiles. Hanc rationem urget Apoſtolus, Philip. 2. *Humiliavit, &c. propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Hinc Aug. *Humilitas Paſſionis, meritum eſt Reſurrectionis.*

Quintò. Reſurgere oportuit ad fidem noſtram fundandam. Non enim ſufficiebat Chriſtum eſſe pro hominibus mortuum; oportebat inſuper Paſſionis ejus meritum per fidem, & Sacramenta credentibus applicari; quod factum non fuiſſet, ſi Chriſtus non reſurrexiſſet. Juxta illud: *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Et illud Apoſtoli: *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Unde poſt reſurrectionem miſit Spiritum Sanctum juſtificatorem, miſit & Apoſtolos, qui vi verbi ſui, & ſanctis Sacramentis à ſe inſtitutis, nos juſtificarent. Pſal. 25. Rom. 4.

Sextò. Ad ſpei noſtræ corroborationem; nihil enim eſt quod nobis tantos addat animos ad hujus vitæ ærumnas, perſecutiones, & cætera omnia incommoda fortiter ſuperanda, quam beatæ immortalitatis expectatio. Immò, *ſi in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus*, inquit Apoſtolus in ſua, & Apoſtolorum perſona, *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* 1. Cor. 15.

Hinc patientiſſimus Propheta in hac ſpe in ærumnis ſuis ſeſe ſuſtentat: *Credo quod Redemptor meus vivit, &c. repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Quaſi dicat; ſuo capiti membra debent conformari, Redemtor meus, caput meum reſurrexit, indubiè etiam nos membra reſurgemus. *Chriſtus reſurgens regeneravit nos in ſpem vivam.* 1. *Petri* 1. Et hoc eſt quod acres ſtimulos ſuggerit ad patiendum æquo animo quidquid durum eſt. Job. 19.

Septimò, ut ſuâ Reſurrectione typum quendam nobis præferret reſurgendi ad juſtitiam, ſeu vitæ novitatem, ut quemadmodum Chriſtus ſemel mortuus eſt, & reſurrexit, nunquam ampliùs moriturus; ita & nos moriamur vitæ veteri, & in novitate vitæ perſeveranter ambulemus, ut ad Rom. 6. hortatur Apoſtolus. Rom. 6.

Poſtremò. Chriſtum reſurgere oportuit ad complementum humanæ ſalutis, & redemptionis tam ex parte corporis, quàm animæ, ut ſicuti mortem moriendo, deſtruxerat, ita reſurgendo vitam repararet, immortalis vitæ bona humanæ naturæ conferens; quæ, uti primogenitus mortuorum in ſe ipſo inchoavit, reliquis autem in ſpe dedit. *Præfat. Paſch.*

I. Quâ verò diei horâ ſurrexit Dominus?

R. Valde veroſimiliter ſurrexit circà medium noctis, primâ Sabbati, quæ nobis eſt Dominica. Ita ſentiunt S. Hier. q. 4. ad Hedibiam, Greg. Nyſſ. orat. 1. de Reſurrectione. Theophilact. Eutym. & alii. Hanc ſententiam confirmat typus Samſonis, qui, uti nuper diximus, portas Gazæ mediâ nocte ſurgens in verticem montis abſtulit; in argumentum quòd Redemptor noſter circà eandem horam ſurgens, inferni clauſtra deſtrueret, ſepulchrique januas reſeraret. Greg. hom. 21. in Evang. Rupert. l. 1. de divin. Offic. c. 8. & l. 5. c. 24. l. 17. c. 16. Favet etiam quòd in benedictione Paſchalis cerei, & in Miſſæ Canone vocetur *ſacratiſſima nox*, in qua Dominus reſurrexit. Adſtipulari videtur ipſa Scri- Jud. 16. *Chriſtus poſt medium noctis reſurrexit.*

tura Lucæ 24. ubi ſanctus Evangeliſta dicit: *Valdè diluculò mulieres inveniſſe lapidem revolutum ab oſtio monumenti*. Et Joannes addit Magdalenam veniſſe, *manè cùm adhuc tenebræ eſſent ad monumentum, & lapidem vidiſſe ſublatum à monumento*.

Joan. 20.

I. Fuitne tempus iſtud Reſurrectioni Chriſti congruum?

Congruò admodum ob tres potiſſimùm cauſas.

R. Ita. *Primò*, ad oſtendendum, quòd per ſuam Reſurrectionem nos ad lucem gloriæ perduceret, ſicut mortuus eſt die ad tenebras inclinante, ut intelligeremus, quòd ſuâ morte culpæ, ac pœnæ tenebras deſtrueret. Prudentius Hymno 1.

— Omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo Gallus exultans canit,
Chriſtum rediſſe ab inferis.

Secundò, ut Chriſtus ortum Solis præveniendo, ſe declararet Solem eſſe vulgari multò præſtantiorem, qui novam mundo diem, lucemque adferret.

Tertiò, ut fideles intelligerent ſe per Chriſti Reſurrectionem ex tenebris in lucem juſtitiæ quoque reſurrecturos. juxtà illud Apoſtoli: *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris*. Et alibi: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Hinc novi Teſtamenti tempore, diei à nocte ſumimus initium, & à tenebris ad lucem progredimur ad hominis reparationem per Chriſti Reſurrectionem ſignificandam; In creatione verò mundi prima dies computabatur à luce in noctem, propter futurum hominis lapſum, ut notat Auguſt. *lib. 4. de Trinit. c. 6.*

2. Cor. 4.
Ephеſ. 5.

LECTIO III.

De iis quæ poſt Reſurrectionem ſuam egit Chriſtus Dominus.

I. QUibuſnam apparitionibus voluit teſtatam facere Dominus reſurrectionem ſuam?

R. His ſequentibus: Ipſâ die reſurrectionis apparuit ſexies hoc ordine. *Primò*. Matri ſuæ. Ambroſ. *lib. 3. de Virginibus*. Sedulius *lib. 5. Carminum*. Anſel. *de Excell. Virginis c. 6.* Rupertus: & eſt communis omnium modernorum DD. & Fidelium ſenſus, idque ut credamus, ſuadet pietas, & ratio.

Apparitiones Domini poſt Reſurrectionem duodecim.

I. Sed quare ejus apparitionis non meminerunt Evangeliſtæ?

R. Quia B. Virgo non erat idonea ad confirmationem reſurrectionis Chriſti, ſuſpectum enim facilè poſſet in cauſa filii haberi teſtimonium Matris. *Secundò*. Ipſâ die Reſurrectionis apparuit S. Mariæ Magdalenæ, Marc. ult. verſ. 9. *Tertiò*. Mulieribus redeuntibus à ſepulchro, ut patet Matt. 28. v. 9. *Quartò*. S. Petro, Luc. 24. v. 34. *Quintò*. Duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus, ibid. *Sextò*. Apoſtolis, ibid. v. 36.

I. Cur apparuit Dominus mulieribus priùs quàm viris?

R. Ut ſicut fœmina viro primum detulerat mortis nuntium, ita quoque glorioſæ Reſurrectionis, vitæque immortalis deferret. Cyrill. *lib. 12. in Ioan. c. 11.*

Secundò, poſt diem Reſurrectionis octavam apparuit omnibus Diſcipulis etiam Thomæ Joan. 20. v. 26. & hæc eſt ſeptima apparitio. *Octavò*. Diſcipulis ſeptem piſcantibus in mari Galilææ, Joan. 21. v. 1. *Nonò*. In Monte Galilææ multis, imò, ut ait Paulus 1. Cor. 15. v. 6. pluſquam quingentis Fratribus, de quo Matt. 28. v. 16. *Decimò*. Apparuit Jacobo 1. Cor. 15. v. 7. *Undecimò*. Omnibus Apoſtolis in die Aſcenſionis. Denique poſt eam apparuit Paulo, Act. 9. v. 4. 17. & 27.

I. Omneſne exemplo Chriſti reſurgemus in corpore glorioſo?

R. Non omnes, ſed ii dumtaxat, qui fuerint ſocii paſſionum ejus; eſt enim paſſionis præmium reſurrectio in gloria.

I. Nul-

Digitized by Google

I. Nunquid ergò omnium erit reſurrectio?

Joan. 5.

R. Ita quidem, ſed cum differentia; Nam *qui bona fecerunt, procedent in reſurrectionem vitæ*, gloriâ & honore coronati, corpora circumferentes dotibus glorioſis prædita; *qui verò mala egerint, procedent in reſurrectionem judicii*, confuſione pleni circa corpora qualitatibus planè contrariis affecti.

Infrà ad r. Art. 11.

I. Quandonam celebramus feſtum, & ſolemnitatem glorioſiſſimi hujus myſterii reſurrectionis Domini.

R. In Paſchate.

Paſcha quid ſignificet.

I. Quid hoc eſt Paſcha?

R. Paſcha, id eſt; tranſultus, ſive tranſitus, primò & proximè Domini, id eſt, Angeli vaſtatoris in Ægypto, mediatè tamen & finaliter ſignificat tranſitum Hebræorum ex Ægypto; ad hunc enim quaſi finem dirigebatur hic tranſitus Angeli. Ita S. Hier. Secundò, Phaſe, ſive Paſcha ſignificat agnum Paſchalem, qui pro tranſitu Angeli percutientis immolabatur. Denique tertiò, Phaſe, ſive Paſcha ſignificat ipſum feſtum, quo Agnus hic immolabatur. Hoc Paſcha, feſtum celebre fuit apud Hebræos. Celebrius eſt apud Chriſtianos, qui eo non à ſervitute Pharaonis, ſed diaboli, & mortis per Chriſtum reſurgentem liberati ſumus.

I. Quandonam celebratur hoc feſtum Paſchæ?

De celebratione Paſchæ variis erroribus.

R. Varii olim fuerunt circà obſervationem Paſchæ errores: Aërius Paſcha celebrari noluit, quia Judaiſmum id ſaperet. Quem Epiphanius hæreſ. 75. refellit oſtendens non Paſcha Judæorum, ſed quod illo figurabatur, nos agere.

Tandem præcipuus, & qui maximè viguit, error fuit hæreticorum, *Quartodecimani* appellatorum, qui Paſcha ſemper decimâ quartâ lunâ cum Judæis voluerunt celebrari De his Tertul. lib. de Præſcr. Euſeb. l. 5. Hiſt. c. 15. 24. & 25. Epiph. hæreſ. 50. Aug. hæreſ. 59. Verùm huic errori ſeſe oppoſuerunt Romani Pontifices, Pius I. & Victor I. Euſebio teſte, libro citato c. 24 ac tandem à Concilio Niceno 1. condemnatus eſt; totiuſque Eccleſiæ decreto ſancitum, ut Paſchæ dies celebraretur Dominicâ proximâ Lunæ quartæ decimæ poſt æquinoctium vernum.

I. Approbavitne Deus tempus iſtud celebrando Paſchati deſtinatum aliquo miraculo?

R. Ita. Vide Annales Cæſar. Baronii anno Domini 417. & Bedam. l. 2. Hiſtoriæ Anglorum c. 2 ubi ſcribit Britonum errorem de die *Paſchatis* per miraculum, quo S. Auguſtinus Anglorum Apoſtolus cæcum illuminavit, confutatum eſſe.

I. Eſtne magnus valdè, & in primis ſolemnis Paſchæ dies?

Dies Paſchæ ſolemniſſimus.

R. Ita, ſolemniſſimus. Vid. infrà 3. p. c. 4. lect. 2.

I. Quid ita?

R. Quia hæc dies eſt quam fecit Dominus, in qua Dominus, & Salvator noſter de morte, & inferis triumphavit, plenuſque decore, & lumine tamquam Sol novus ſuper terram aſcendit, ejuſdem nos gloriæ participes effecturus, ſi ei compaſſi fuerimus.

I. Debetne hæc ſolemnitas Paſchæ cum magna lætitia & exultatione celebrari?

Et lætiſſimus varias ob cauſas.

R. Ita; quia Chriſto reſurgente fuit communis cœlo & terræ lætitia.

Primò, ergò lætitia fuit Angelis, qui in candidis veſtibus apparent, Reſurrectionis apud mulieres primi Præcones.

Secundò, lætitia fuit Patribus in Limbo, qui illuminantur in umbra mortis divinæ eſſentiæ viſione, & educuntur de lacu & carcere.

Tertiò, lætitia fuit ſumma Virgini, quia ſicut nemo dolorem, quem de Filii morte habuit, explicare poteſt, ita nec gaudium, quod nunc recipit. Chriſtus fuerat ei in Cruce *Benoni*, id eſt, *Filius doloris*.

nunc eſt ipſi *Benjamin*, id eſt, *Filius dextra*, & lætitiæ.

Quartò, lætitia Apoſtolis, qui ſummè triſtes erant ob mortem ſui Magiſtri, ob quem omnia reliquerant, & in quem omnem ſpem conjecerant.

Quintò, lætitia fuit ipſis elementis, quæ atrâ veſte, quam in morte Creatoris ſui induerant, poſitâ, induerunt ſe veſtimento jucunditatis & lætitiæ; ita ut dixerit B. Maximus: *In Reſurrectione Chriſti omnia elementa gloriantur, nam & ſolem ipſum arbitror in hac die clariorem ſolitò fuiſſe.* Hinc etiam Eccleſia in illo Paſchali præconio, *Salve feſta dies*, dicit totum mundum in hac Reſurrectione Chriſti velut applaudere & lætari.

Sermone de Paſchate.

De hac ergò die verum eſt: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Omnes dies fecit, ſed hanc ſpecialiter, quia excellentiſſimum opus in ea perfecit, ideò dies Domini dicitur, & per ſingulas Dominicas recolitur.

Ad hanc exultationem invitat nos Eccleſia toto tempore Paſchali multoties repetens *Alleluia*.

De voce exultationis Alleluia.

I. Quid ſignificat *Alleluia*?

R. Vide B. Hieronymum ad Marcellam epiſt. 137. De *Alleluia* plura apud Baron. in Notis ad Martyrol. Roman. ad 5. April. David pluribus Pſalmis hanc vocem triumphalem *Alleluia* pro titulo præfigit; unde in Pſalmo 17. qui eſt de reſurrectione, titulus eſt *Alleluia, Alleluia*; quaſi dicat iô triumphe, iô triumphe.

I. Cur Eccleſia toto tempore Paſchali frequentat hanc vocem *Alleluia* in divinis Officiis?

Tempore Paſchali in Eccleſia frequentata.

R. Quia tempore Paſchali Eccleſia repreſentat tempus æternitatis, in quo perennis laus & benedictio, perenne reſonabit *Alleluia*.

I. Quis hoc docuit?

Apoc. 15. v. 1.3.4.6.

R. Ipſe Evangeliſta, vel ſi mavis Propheta Joannes, qui hoc cæleſte Beatorum canticum, & jubilum audivit è cœlo omnes Sanctos reſonantes.

Exempla.

Beata Maria Oignacenſis cùm appropinquaſſet dies mortis ejus, fuiſſetque quinquaginta duobus diebus ſine cibo, nocte præcedente mortem ſuaviſſimâ voce cæpit cantare Alleluia, totamque illam noctem in quodam jubilo & exultatione peregit. Sequenti die apparuit ei Satan, intentans ei multas inſidias, & ita vexans eam, ut ipſa videretur aliquantulum trepidare, unde præſentium auxilium implorabat; ſed tamen firmam ſpem in Chriſtum convertens, munienſque ſe ſigno crucis, omnes has tenebras, & diaboli conatus diſpulit, & iterum repetens hanc vocem victoriæ & triumphi Alleluia, omnia devicit, ſpiritumque ſuaviter in manus Domini tradidit. Ita Jac. de Vitriac. in vita ejus.

Habemus de S. Germano Altiſiodorenſi, quod cùm Angliam ab hæreſi Pelagiana purgaſſet, etiam à tumultibus bellorum contra Saxones protegere voluit. Unde cùm Anglorum, & Saxonum exercitus jam parati eſſent ad committendum prælium, ad Anglos accurrens, & de victoria eos aſſecurans, jubet omnes milites ſimul forti, & lætabundâ voce inclamare Alleluia, Alleluia. Hacque vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis juſtorum tantum terroris Saxonibus incuſſit, ut cum mira totius exercitus confuſione terga verterent, relictis curribus, & totâ ſupellectili, ſicut ad vocem Gedeonis & ſociorum ejus, Madianitæ olim fugati fuerant. Vox ergò iſta *Alleluia*, vox eſt triumphalis, vox victoriæ, quam in hac militia vitæ noſtræ hoſtibus cunctis reſonare & ingeminare ſæpius juvat, non tam oris, quàm cordis voce ad triumphalem illam cœleſtem Eccleſiam, ad quam vocamur, toto pectore anhelando.

I. Illuſtravitne Deus hoc Feſtum Paſchæ magnis miraculis?

Dies Paſcha miraculis illuſtrata.

R. Ita. *Refertur in vita S. Marcellini Ebredunenſis Epiſcopi, cujus meminit A-*

de

Digitized by Google

Exempla, Greg. Turo. de gloria conf. c. 69.

do in Martyrologio 11. Kal. Maji Baptiſterium, quod ipſe juxta Ebredunum condidit, in ſacra Paſcha vigilia, Dei virtute, ſingulis annis, aquis ſubitis mundari, idque per ſeptem ejuſdem ſolemnitatis dies continuari ſolitum. Atque ex hoc miraculo collegerunt Paſcha non eſſe celebrandum ipſa decima quarta luna, uti volebant. Quartodecimani, ſed in Dominica ſequente, tunc enim contingebat hoc miraculum.

In vita Sancti Maurilii Andegavenſis Epiſcopi, qui fuit diſcipulus Sancti Martini, quinta Septembris, narratur de quodam, cui nomen erat Belgicus; hic die Paſcha mandaverat ſervis, ut ſegetes mundarent, replicant illi eſſe diem Paſcha; ipſe urget, & invitos cogit; ſed cum illi ſegetes ſarrire tentarent, mox Belgicus oculorum cæcitate percuſſus clamavit ut ceſſarent. Cùm autem tres annos in ea cæcitate permanſiſſet, tandem tangens Maurilii pertranſeuntis veſtes, ſanatus eſt.

In vita Sancti Mauritii narratur, ipſa nocte reſurrectionis tres ſervos ex ejus Monaſterio piſcationi vacaſſe, atque cepiſſe quidem piſcium copiam, ſed duos ex ipſis manuum, & pedum officio privatos toto corpore contractos fuiſſe, tertium verò, & claudum, & ſurdum effectum eſſe, qui tandem in nocte Reſurrectionis viſitans Monaſterium Sancti Bertini, eumque cum lachrymis invocans, ſanitati reſtitutus eſt.

I. Celebraruntne etiam Imperatores diem Paſchæ magnis privilegiis?

Per Imperatores privilegiis celebrata L. 8. de Indulgent. crim. Cod. Theod.

R. Ita. Anno Chriſti 367. Valentinianus, Valens, & Gratianus Auguſti ſanxerunt, & ad Lampadium urbis Præfectum ita reſcripſerunt: *Ob diem Paſcha, quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus aſtringit, carcer incluſit, clauſtra diſſolvimus, ubi primũ dies Paſchalis extiterit, nullum teneat carcer incluſum, omnium vincula ſolvantur.*

Eamdem indulgentiam reis eodem feſto dedit in Oriente Theodoſius Imperator, uti teſtatur Sanctus Chryſoſtomus, Orat. de Flaviano Epiſcopo.

I. Quænam ex Chriſti reſurrectione exempla ſunt ſumenda.

Exempla à Chriſti corporali reſurrectione petenda pro noſtra ſpirituali.

R. Duo præcipuè; unum eſt, ut poſtquam peccati maculas eluimus, novum vitæ genus inſtituamus, in quo morum integritas, innocentia, ſanctitas, modeſtia, juſtitia, beneficentia, humilitas eluceat. Alterum eſt, ut in eo vitæ inſtituto, ita perſeveremus, ut adjuvante Domino à juſtitiæ via, quam ſemel ingreſſi fuerimus, non excidamus, proponente nobis hoc ſpiritualis reſurrectionis exemplar ex Chriſti reſurrectione, Apoſtolo iſtis verbis: *Quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Et paucis interjectis, *ſcientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ulterà non dominabitur, quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto* JESU *Domino noſtro.* *Rom. 6.*

I. Quibus indiciis colligere poſſumus aliquem ſecundùm ſpiritum cum Chriſto reſurrexiſſe?

Col. 3. Duo indicia quibus ſpiritualis alicujus reſurrectio notari poteſt. Videndus S. Bern. ſer. 6. de Aſcenſione.

R. Spiritualis reſurrectionis iſta potiſſimùm ſigna obſervanda ſcribit Apoſtolus: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto,* inquit, *quæ ſurſum ſunt, quærite; ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Quibus verbis oſtendit eos qui vitam, honores, otium, divitias, ubi Chriſtus eſt, habere cupiunt, verè cum Chriſto ſurrexiſſe. Sed alteram etiam velut notam appoſuit, quâ perſpicere poſſumus, num verè cùm Chriſto ſurreximus; *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*: ut enim corporis affectionem, & valetudinem guſtus judicare ſolet, ita ſi quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta alicui ſapiant, iiſque cæleſtium rerum jucunditatem intimo mentis ſenſu perci-

Digitized by Google

percipiat, hoc maximo argumento eſſe poteſt eum, qui ita affectus ſit, ad novam & ſpiritualem vitam unà cum Chriſto JESU reſurrexiſſe.

DE VI. SYMBOLI ARTICULO.

CAPUT SEPTIMUM.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

LECTIO PRIMA.

S. Tho. 3. part. quaſt. 57. & 58. Marc. 16. Luc. 24. Actor. 1.

I. QUis eſt ſextus Symboli articulus?
R. *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

I. Quid ſibi vult hic ſextus articulus?

R. Myſterium affert glorioſæ Aſcenſionis Chriſti, ut qui poſt expletum Redemptionis humanæ opus ad Patrem tranſivit ex hoc mundo, & cœlos ſuâ virtute triumphator aſcendit, atque in ipſa æterna Patris gloria ſuper omnia eſt collocatus.

I. Qualiter aſcendit Chriſtus in cœlum?

Epheſ. 4. Philip. 2. Heb. 1. Pſal. 46. *Vide Greg. hom. 29. in Evangelia.*

R. Aſcendit *ſuâ*, ut modò diximus, *virtute*, non ab alio ſublevatus, cum magna exultatione, jubilo & triumpho in corpore & anima, naturâ ſcilicet humanâ in cœlum evectâ, qui ſecundùm quod Deus inde nunquam abfuerat, utpotè qui omnia loca ſuâ præſentiâ compleat, cùm ſit infinitus & immenſus.

I. Quomodò verò intelligis iſtud, *ſuâ virtute?*

R. Intelligo, & credo eum aſcendiſſe ſuâ virtute, non alienâ vi ſublatum; quemadmodum Helias, qui igneo curru in cœlum evectus eſt, vel Abacuc Propheta, vel Philippus Diaconus, qui divinâ virtute per aërem delati longinqua terrarum ſpatia permearunt. *Suâ*, inquam, *virtute* divinitatis, Chriſti humanitati hypoſtaticè unitæ. Id quidem veriſſimum eſt, ſed non ſufficit ad explicandum pleniè myſterium hoc: credimus enim eum uti jam præmiſſum eſt, quà hominem in cœlum aſcendiſſe, quandoquidem uti Deus, ab illo non receſſerat. Quamvis enim naturali vi id fieri non potuerit, tamẽ virtus illa quâ beata Chriſti anima prædita erat, corpus, ut lubuit, movere potuit; Corpus verò, quod jam gloriam adeptum erat, moventis animæ imperio facilè parebat. Atque hâc ratione ut Deus, & ut homo eſt, Chriſtum in cœlum ſuâ virtute aſcendiſſe credimus.

Chriſtus Dominus ut homo in cœlum aſcendit propriâ virtute, quomodò.

I. Libenter ſcirem qua de cauſa dicatur de Chriſto, quòd *aſcenderit ad cœlos* & de ejus ſanctiſſima Matre, quod *aſſumpta ſit in cœlum*?

Vide Th. 3. part. quaſt. 57. art. 3 in c.

R. Hujus cauſam jam dedimus, quia Chriſtus ut Deus & homo virtute propriâ cœlos penetravit: uti etiam virtute propriâ reſurrexit; Mater autem quia pura creatura erat; etſi omnium digniſſima, non virtute propriâ, ſed Spiritûs ſancti reſuſcitata fuit, & ad regnum cœlorum aſſumpta.

I. Sed verò etiam Chriſtus ipſe aſſumptus dicitur in cœlum tam in Evangelio quàm in Actis Apoſtolorum?

Marc. ult. Actor. 1.

R. Ita verè etiam Chriſtus ipſe aſſumptus eſſe paſſim dicitur; ſed aſcenſio non repugnat aſſumptioni in Chriſto. Siquidem virtus, quâ Chriſtus uſque ad ſummum cœlum aſcendit, in ipſo Chriſto eſt, & ideò rectiſſimè dicitur aſcendiſſe: ſed eadem virtus à divinitate deſcendit, quæ divinitas communis eſt Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; & ideò rectè etiam dicitur Chriſtus à Patre aſſumptus, vel exaltatus in cœlum: & poteſt etiam dici aſſumptus, vel exaltatus à Spiritu ſancto: & poteſt ipſe Filius dici aſſumpſiſſe, & exaltaſſe corpus ſuum ad cœlum. Tale etiam aliquid videmus in Reſurrectione, nam Chriſtus reſurrexit propriâ virtute, ut in ſuperiori capite habitum eſt; quia divinitas ejus corpus ſuum mortuum ſuſcitavit, atque

ad vitam revocavit; ſed quia divinitas eadem communis eſt tribus divinis perſonis; dicitur etiam tam Pater, quàm Spiritus Sanctus Chriſtum à mortuis excitaſſe: ſic enim loquitur Apoſtolus ad Romanos; *Quòd ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit* JESUM *à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit* JESUM *à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Rom. 8.

I. Quandonam aſcendit in cœlum, ſtatimne à ſua reſurrectione?

R. Non. Teſtantur enim S. Lucas poſt Reſurrectionem, Chriſtum Dominum apparuiſſe diſcipulis per dies quadraginta. Vide Auguſt. Epiſt. 119. cap. 15. Bedam ſuper cap. 1. Actor. Act. 1.

I. Quidnam egit tempore intermedio dierum, qui à die reſurrectionis fluxerunt uſque ad diem aſcenſionis?

R. In multis argumentis apparuit diſcipulis ſuis reſurrectionem ſuam probaturus. Vide S. Leonem ſerm. 1. de Aſcenſ. Domini.

I. Quibuſnam apparitionibus & argumentis confirmavit Chriſtus reſurrectionem ſuam?

R. Illis apparitionibus, quas capite præcedenti notavimus in lectione ultima, initio.

I. Sed quibus argumentis?

Multis apparitionibus & argumentis probavit Chriſtus ſuam reſurrectionem per dies 40.

R. Duplici argumento uſus eſt Chriſtus in adſtruenda ſua reſurrectione, nimirùm teſtimonio, & viſibili ſigno. Teſtimonium duplex adhibuit, ſcilicet ſcripturarum, & Angelorum, ut Evangeliſtæ commemorant. Alterum argumentum fuit in ſigno triplici, uno ex parte corporis oſtendendo ſe verum corpus, ſolidum ac idem numero habere. Lucæ ultimo, *Palpate, & videte quia ego ipſe ſum*; novas ejuſdem glorioſi ſui corporis qualitates, & dona ſupernaturalia diſcipulis pro re rata commonſtrando, & quando, quâve formâ ei libuiſſet, apparendo, ſuamque mox præſentiam ſubtrahendo. *Secundò*, ex parte animæ iteratò corpori unitæ. Quod quidem per opera triplicis vitæ oſtendit; nutritivæ, comedendo, bibendo; ſenſitivæ, audiendo, loquendo & reſpondendo; ac demum per opera vitæ intellectivæ, de ſcripturis & regni Dei myſteriis differendo. *Tertiò*, ſe Deum & hominem eâ potentiâ præditum, quæ ſoli Dei Filio conveniret, manifeſtè declaravit in captura piſcium, intrando ad diſcipulos januis clauſis, in cœlum illis videntibus aſcendendo.

I. Quo fine adhibere voluit Dominus hæc omnia argumenta?

R. Ut diſcipuli ad credendum tardi faciliùs reſurrectionem crederent: & ut oculatis teſtibus carnis reſurrectionem affirmantibus orbis promtiùs eorum teſtimonio acquieſceret, uti credidiſſe jam videmus. *Nos enim*, inquit Leo, *illorum inſtruxit aſpectus, nos erudivit auditus, nos confirmavit attactus, dubitatum eſt ab illis, ne dubitaretur à nobis.* *Serm. de Aſcenſ. & Greg. Hom. 8. Paſcha.*

I. Quidnam Chriſtus poſt reſurrectionem cum Apoſtolis ſuis collocutus eſt?

R. Sanctus Lucas dicit, quòd locutus ſit eis *de regno Dei*; & S. Leo: *Dies qui inter reſurrectionem & aſcenſionem fluxerunt non otioſo tranſiere decurſu, ſed magna in eis confirmata Sacramenta, magna ſunt revelata myſteria.* Actor. 1.

Quid locutus ſit Chriſtus cum Apoſtolis de regno Dei.

Locutus eſt ergò Dominus Apoſtolis ſuis per quadraginta dies *de regno Dei*, tum cæleſti, puta de gloria, & felicitate æterna in Eccleſia triumphante; tum terreſtri, quod ad cœleſte ducit, puta de Eccleſia militante. Nimirùm docuit Apoſtolos, quomodò Eccleſiam inſtituere, formare, & perficere deberent per prædicationem Evangelii in toto orbe, per varios Epiſcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, &c. Ordines; per varios populi fidelis gradus, & ſtatus; per Sacramenta quorum tradidit materias, formas, & ritus; & in illis, Euchariſtiam non tantùm Sacramentum eſſe, ſed etiam Sacrifi-

crificium pro vivis, & defunctis quotidiè Deo offerendum. Apoſtolis quoque per inſufflationem Spiritum ſanctum infudit? ſenſum eis, ut ſcripturas intelligerent, aperuit, poteſtatem remittendi peccata tribuit, ampliſſimoque Apoſtolatus munere donavit, mittens eos ad docendum omnes gentes, ad baptizandum, cum ſumma poteſtate Eccleſias fundandi, ferendi leges, corrigendi, puniendique transgreſſores divinarum, Apoſtolicarumque legum; ac in univerſum, ut pro eo legatione fungerentur. Et Beato Petro ſuprà cæteros Apoſtolos conſtituto, claves regni cœlorum, curamque totius Ovilis Dominici demandavit. Jejunium quadrageſimale, Baptiſmum parvulorum, aliaſque traditiones Apoſtolicas docuit; quas ab illo acceptas Apoſtoli Eccleſiæ, & poſteris, ac poſteri ſuis ſucceſſoribus per manus continuè, ſingulorum ſæculorum decurſu ad nos uſque tranſmiſerunt. Docuit rurſum fideles continuò luctari cum ſuis concupiſcentiis, cum mundo, & diabolo, ferre crucem, multa pati ut ad regnum cœlorum perveniant. Docuit virtutes Chriſtianas omnes, quibus ad cœlum tenditur, & pervenitur. Docuit inſtantes ipſis, & Eccleſiæ perſecutiones, eaſque continuas, quas mox poſt Chriſtum paſſa eſt Eccleſia per trecentos annos uſque ad tempora *Conſtantini*. &c.

Traditiones.

I. Qualiter aſcendit Dominus in cœlum, ſecretòne, an manifeſtè ſpectantibus hominibus?

R. *Omnibus diſcipulis cernentibus eſt elevatus in cœlum.* Præfat. Miſſæ diei Aſcenſionis.

I. Unde, ſive ex quo loco aſcendit Chriſtus in cœlum?

℟ R. Ex Monte Oliveti juxta Jeruſalem. Elegit verò Chriſtus hunc montem, quia ibi voluit triumphum gloriæ aſcendendo inchoare, ubi exorſus fuerat Paſſionis ſuæ humiliationem. *Secundò*, quia ibi frequenter fuerat pernoctans in oratione Dei. *Tertiò*, Olivæ ſignificant miſericordiam, & gratiam, quam nobis Chriſtus Paſſione ſua promeruit, & per Aſcenſionem in nos effudit.

Luc. 21. 22, 23.

I. Suntne in iſto loco ex hac Chriſti Aſcenſione ſecuta multa miracula?

R. Ita. Nam ultima Chriſti veſtigia humo ita impreſſa fuerunt, ut licèt terra à fidelibus devotionis gratia raderetur, ſemper tamen priſtinam recuperabant formam, de quibus veſtigiis videtur Zacharias olim vaticinatus. *Stabunt pedes ejus ſuprà montem Oliveti, qui eſt contra Jeruſalem ad Orientem.*

Hier. de locis Heb. Paulin. Epiſ. Nolanus epiſt. 11. ad Severum. Zach. 14.

Alterum eſt, quod cum ſupra eum locum ædificata eſſet Eccleſia, nunquam potuit cacumen claudi, vel concamerari, ut ſemper pateret locus unde Dominus in cœlum aſcenderat. Hujus rei graviſſimus teſtis eſt S. Hieronymus de locis Heb. Severus Sulpit. Beda.

Beda de locis ſanctis c. 7. Severus Sulpit. ſacr hiſt. cap. 2.

I. Numquid loca terreſtris Hieruſalem Chriſti Domini præſentiá ſanctificata, & veſtigiis calcata, cœleſti quodam odore corda hominum ad cœlos mirabiliter erigunt & inflammant?

Locus Aſcenſionis miraculis illuſtris.

R. Ita. Memorabile hujus rei exemplum prodidit Rudolphus lib. 4. Hiſtoriæ in hunc modum: *Contigit ut quidam à Burgundiæ partibus ex Auguſtodunenſi territorio, Lechbaldus nomine, cum cæteris Hieroſolymam pergens deveniret; qui perſpectis locis omnium ſacerrimis, cum ad illum locum Montis Oliveti deveniſſe contigit, ex quo Salvator ad cœlos aſcendens tot idoneis teſtibus, venturus inde judicare vivos & mortuos, eſt repromiſſus, projiciens ſe in crucis modum, toto proſtratus corpore, cum lachrymis inenarrabilibus mentis jubilo exultavit in Domino; reerigens ſe identidem palmis ad cœlum extenſis, niſu quo poterat corpus librabat in altum, ac in voce ejuſmodi aperiebat deſiderium, ajebat namque: Domine* JESU*, qui propter nos de ſede majeſtatis tuæ deſcendere dignatus es, ut humanum genus ſalvares, quique ex hoc loco, quem oculis intueor carne veſti-*

Exemplū.

Baron. to. 1. an. 34. Rudolphus 2 p. de vita Chriſti c. 82. Gretſer. in apol. pro cruciatis to. 3. de cruce.

tus

tus remeaſti ad cœlos unde veneras, obſecro tuam omnipotentiſſimam bonitatem, ut ſi hoc anno eſt mea anima ex hoc corpore migratura, non hinc recedam, ſed in conſpectu Aſcenſionis tuæ fieri contingat. Credo enim quoniam ſicut te ſecutus ſum corpore, qualiter ad hunc devenirem locum, ſic anima mea illæſa, & gaudens poſt te ſit ingreſſura ad Paradiſum. His peroratis, reverſus eſt cum ſociis ad hoſpitium. Erat autem jam hora prandii. Cæteris verò diſcumbentibus, converſus ipſe ad lectulum vultu alacris, ac veluti gravi ſopore paululum requieturus; illicò namque obdormiſcens, ignoratur quid viderit, proximus dormiens exclamavit: Gloria tibi, Deus. Socii quoque hæc audientes monebant eum, ut ſurgens comederet. Qui noluit, ſed vertens ſe in latus aliud, dixit ſe pati aliquid incommodi, recubanſque uſque ad veſperum convocatis ſui itineris ſociis, viviſica Euchariſtia requirens accepit viaticum, illuque dulciter ſalutatis emiſit ſpiritum.

I. Aſcenditne Chriſtus ſolus in cœlum?

R. Minimè ſolus, nam comitatus fuit multis legionibus Angelorum, cum ineffabili jubilo deducentibus Dominum gloriæ in regnum ſuum Pſalmo 46. & 67. nec non illis omnibus ſanctis animabus Patriarcharum, & Prophetarum, aliorumque juſtorum, qui in ſinu Abrahæ quieverant. In cujus myſterii figuram Jacob in Geneſi dicit: *In baculo meo tranſivi Iordanem, & ecce nunc cum duabus turmis regredior.* Chriſtus enim verè in baculo crucis ſuæ tranſivit Jordanem multimodæ paſſionis ſuæ, & cum duabus turmis Angelorum, & animarum ſanctarum ex hoc mundo regreſſus eſt ad Patrem.

LECTIO SECUNDA.

Ad Cœlos.

I. QUònam aſcendit Chriſtus Dominus?

R. *Aſcendit ad Cœlos.*

I. Quare *ad Cœlos* numero plurali, ſuntne igitur plures cœli?

R. Omninò. Nam ſcribit Apoſtolus in epiſtola poſteriore ad Corinthios, *raptum ſe fuiſſe uſque ad tertium cœlum.* Et 2. Cor. 12.
Chriſto poſt Baptiſmum, *aperti ſunt cœli.* Et dum lapidaretur S. Stephanus, *videt cœlos apertos, & JESUM ſtantem à dextris virtutis Dei*; cui conſonat quod Apoſtolus ſcribit: *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos JESUM Filium Dei.* Et alibi: *Aſcendit ſuper omnes cœlos.* Terminus ergo Aſcenſionis Domini eſt ſupremum cœlum, Empyreum dictum, in quo Beatorum ſedes, & ipſius Dei thronus (Iſaiæ 66) quatenus ibi ſeſe gloriamque ſuam peculari modo beatis manifeſtat.

Matt. 3. Act. 7. Heb. 4. Epheſ. 4.

I. Quo in loco cœli Empyrei, & quo ſitu eſt corpus Domini?

R. S. Auguſtinus reſpondet: *Credimus Chriſtum in cœlum aſcendiſſe, ſed ubi & quomodò ſit in cœlo corpus Dominicum, curioſiſſimum & ſupervacaneum eſt quærere. Tantummodò in cœlo eſſe credendum eſt. Non enim fragilitatis eſt noſtræ cœlorum ſecreta diſcutere: ſed eſt noſtræ fidei de Dominici Corporis dignitate ſublimia, & honeſta ſapere.* Lib. de fide & Symb. c. 6.

I. Quid pro moribus notandum eſt circa hanc Dominicæ Aſcenſionis ſublimitatem?

R. Impletum in ea eſſe, quod Dominus ipſe frequenter affirmare ſolebat: *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Ipſe enim qui ſe humiliavit uſque ad mortem, mortem autem crucis, & qui deſcendit uſque ad inferiores partes terræ, idem ipſe exaltatus eſt ſuper omnes

Angelos, & aſcendit ſuper omnes cœlos.

I Eſtne pretioſa, & valde amabilis domus illa, ſive civitas cœleſtis ad quam Chriſtus aſcendit?

Vide quæ nos infrà c. ultimo hujus partis.
Pſal. 83.

R. Facilè dignoſci poteſt ex multitudine & pulchritudine ſtellarum, quas ex hoc ſolo videmus; illæ enim ſunt, quaſi pars exterior pavimenti cœleſtis; & ſi pars exterior pavimenti tot gemmis pretioſiſſimis micat, quid erit pars interior domûs? quid aulæ? cubicula, atria, tecta? Meritò dixit Propheta: *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.*

I. Quantum verò temporis impendit in hoc itinere Chriſtus Dominus?

R. Etſi diſtansia ſit longè maxima, & omnem ferè ſuperans imaginationem à terra uſque ad cœlum Empyreum, expedivit nihilominùs Chriſtus Dominus iſtud iter tam velociter, ut uno momento ex aëre elevatus ſit uſque ad dextetam Dei Patris. Nihil ut ſimile habeat ferrea pila è tormento bellico vi pulveris evibrata, aut etiam fulgur, quod ſecretâ naturæ energiâ ab Oriente patet celerrimè uſque in Occidentem.

I. Quid egit in via?

Quid inter aſcendendum Chriſtus egerit.
Ephe. 4.

R. In aëre, & in omnibus cœlis quos aſcendendo pertranſiit, declaravit gloriam, & virtutem ſuam, indicans ſe imperium in omnes omninò creaturas habere, regniq; totius mundi plenam poſſeſſionem jam adire, & capeſcere, *implens omnia*, ſecundùm Apoſtolum, poteſtate, majeſtate, gloriâ, victoriâ, triumpho, poſſeſſione, regno, imperio, & quaſi inauguratione, quemadmodum Rex urbes omnes quaſi implet ſuâ potentiâ, comitatu, & pompâ, dum in eis inauguratur, aut eas triumphans ingreditur. *Quam mirifico myſterio noſter JESUS Chriſtus, vel tactu corporis ſui, vel tranſitu gloriæ ſuæ omnem ad momentum creaturam ſanctificat, vivificat, & illuſtrat? aquas enim conſecrat dum baptizatur; terram ſanctificat dum ſepelitur; mortuos ſuſcitat dum reſurgit; cœleſtia glorificat dum aſcendit ad cœlum, & ſedet ad dexteram Patris.* Vide Bern. ſerm. 2. de Aſcenſ.

Aug. ſer. 37. de tempore.

I. Cur aſcendit Chriſtus in cœlum?

Chriſtum in cœlum debuiſſe aſcendere. 12. rationibus oſtenditur.

R. *Primò*, ut legi ſuæ auctoritatem daret; oſtenderetque de cœlo allatam, quandoquidem de cœlis deſcenderat, ut eam mundo prædicaret; unde etiam in cœlum aſcendit. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Joan. 3.

Secundò quia terra hæc obſcura, & corruptioni obnoxia minimè congruebat Chriſto ad gloriam, & vitam incorruptibilem jam reſuſcitato; ſed altiſſimum, & ſplendidiſſimum cœli domicilium omninò conveniebat.

Tertiò, ſummæ Chriſti humilitati ſumma exaltatio debebatur: *Humiliavit ſemetipſum, &c. propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen* (Dei) *quod eſt ſuper omne nomen*; ut qui anteà Fabri Filius, & Filius hominis dicebatur, poſt ſuam exaltationem diceretur Deus, & omnibus innoteſceret, & manifeſtaretur, omneſque crederent Chriſtum eſſe verum Deum, Deique Filium. Hoc ſenſu dicitur Apoc. 5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem*, &c. id eſt, virtutis & divinitatis, &c. manifeſtationem.

Philip. 2.
Cyril. 9. in Ioan. cap. 20.

Quartò, ut nobis ibi locum pararet: quod etiam ſe facturum promiſerat, atq; omnium noſtrûm nomine, tanquam caput, ipſe JESUS Chriſtus venit in cœleſtis gloriæ poſſeſſionem. Nam cœli portas, quæ Adami peccato interclusæ fuerant, pateſecit. Joan. 14.

Quintò, ut ibi apud Patrem ageret Advocatum, & Mediatorem noſtrum; quia ſicut Summus Pontifex in veteri teſtamento intrabat in Sancta Sanctorum, &c. Heb. c. 7. & 9. 1. Joan. 2.

Sextò, quia eum, qui à Patre in mundum fuerat miſſus, legationis munere adimpleto, ad Patrem reverti decebat juxta illud: *vado ad eum, qui miſit me.* Joan. 16. Ibid. & Joan. 7.

Septi-

Septimò, ut inde nobis Spiritum Sanctum mitteret.

Chriſtus in cœlum debuit aſcendere 12. rationibus oſtenditur. Joan. 4.

Octavò, ut qui terræ, atque inferni poſſeſſionem acceperat, aëris quoque ac cœlorum ſe dominum eſſe comprobaret.

Joan. 18. *Nonò*, aſcendere in cœlum decuit, ut regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ſed cœleſte monſtraret, (Vid. Aug. ſerm. 175. de tempore) opibuſque, & divitiis non fluxis, & terrenis, ſed ſpiritualibus refertum.

Heb. 11. *Decimò*, aſcendere debuit, ut fides noſtra exerceretur. *Fides enim eſt argumentum non apparentium.* & benè poſt veritatem reſurrectionis ſufficienter confirmatam oportuit Chriſtum in cœlum provehi; *ut mirabilior fieret gratia Dei*, inquit S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſione, *cum remotis à conſpectu hominum, quæ meritò reverentiam ſui ſentiebantur indicere, fides non deficeret, ſpes non fluctuaret, charitas non tepêret.* Sanè quamdiu cum Apoſtolis hìc verſatus eſt Chriſtus Dominus, ſemper modicæ fidei extiterunt, ſed poſt ejus Aſcenſionem nulla tyrannorum, vel tormentorum vis eis prævalere potuit.

Philip. 3. Cyrill. in Joan. cap. 20.

Undecimò, Aſcendit Chriſtus; ut ſpes noſtra firmaretur, diſceremuſque contemptis præſentibus, perpetuò mentis oculos in cœleſtia bona attollere, juxta illud Coloſſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt, quærite, &c.*

Joan. 14.

Heb. 4. Leo ſerm. 2. de Aſcenſ. Bern. ſerm. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Vide Greg. hom. 29. & Bellarm. de Aſcenſ. mentis in Deum. Unde Michæas dicit: *Aſcendet pandens iter ante eos Rex eorum*; nimirùm in ſanguine ſuo omne impedimentum ſubmovit. Ipſe eſt qui habet clavem David, quâ cœlum aperiat. Ipſe eſt Joſuë, cui mandatum eſt, ut populum præcederet, & in terram promiſſionis introduceret. Itaque ſpes nobis eſt illuc quoque intrandi, quia

Joan. 3. Ibid. & Joan. 17.

quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis. Quod ipſe Dominus his verbis teſtatus eſt: *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum.* S. Leo. Joan. 17.

Duodecimò, Aſcendit Chriſtus, ne illum ut hominem dumtaxat ſpectaremus, & terrenâ quâdam benevolentiâ, imperfectoque amore proſequeremur, quemadmodum de præſente, humano ferè ſenſu judicabant Apoſtoli, quem poſt reſurrectionem ſpirituali, divinoque ſunt amore complexi, æqualem Patri credentes, qui poſſit omnia efficere, atque dare ſicut Pater, quem proinde oporteret non ſecùs atque Patrem venerari, diligere, colere. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*; quia Magdalena Patri æqualem non credebat, quem extinctum pietate fæmineâ plangebat. Fulgent. lib. ad Traſimum. Joan. 20.

I. Non erat ergò Chriſtus in cœlo, antequam illuc aſcenderet?

R. Ita quidem ſecundùm divinitatem; quia ubique Deus eſt immenſus, infinitus, omnia implens; non autem ſecundùm humanitatem.

I. Sed, an ita ille in cœlum aſcendit, ut nobiſcum jam omninò eſſe deſierit?

R. Ita, ſi de mortalis corporis præſentia, quæ ſub ſenſum cadat interrogas; alioquin nuſquam non ſuâ nobis ille adeſt benevolentiâ, & auctoritate.

I. Quid? ergone is non verè, ac reipſâ Sacramento Altaris continetur?

R. Omninò; ſed divinâ quâdam, & admirabili ratione, eùm ibi non ita ſit, ut ſub viſum cadat, aut ſub tactum veniat, qualis eſt inter nos aliquando diverſatus; tametſi, uti poſteà fuſiùs, veram ejus ibi naturam, atque ipſam corporis, ac ſanguinis ſubſtantiam reipſâ habeamus. Trident. ſeſſ. 14. Cap. 1 & Can. 1.

I. Firmiſſimè id credo; ſed utrum Chriſtus poſt aſcenſionem ſuam, quandoque ad

ad terram præſentiâ verâ, corporali, & viſibili deſcendat?

1. Cor. 15. Act. 9.

R. Ita. Apoſtolus teſtatur: *Noviſſimè autem omnium, tamquam abortivo, viſus eſt & mihi*; ſcilicet præſentiâ, ac viſione corporali non minus verâ, & reali, quàm aliis Apoſtolis. Alioquin non faceret ex ejuſmodi apparitione fidem certam reſurrectionis, neque foret æquè idoneus ejuſdem teſtis, ac reliqui Apoſtoli, qui ederant & biberant cum eo. Vide Chryſoſt. hom. 38. in Act. & Orig. lib. 1. contra Celſum. Hinc alibi dicit: *Nonne Chriſtum* JESUM *Dominum noſtrum vidi*? Apparuit etiam Petro Româ fugienti, dum eum rogavit: *Domine, quo vadis*? & reſponſum tulit, *ego iterùm venio crucifigi*. Quam hiſtoriam narrat Hegeſippus lib. 3. Excidii Hieroſolymitani c. 2. Amb. Epiſt. 31. & alii.

1. Cor. 9.

I. In ſimili aliquo caſu deſeritne Chriſtus dexteram Dei, ut in terra appareat?

R. Minimè: nam Sanctus Petrus verba ad populum faciens, ſic dicit: *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium.* Ex quo conficitur, nunquam Chriſtum cælum Empyreum deſerere, ut in terra corporalem ſuam præſentiam exhibeat, ſed duobus locis eodem tempore idem corpus collocare; ſicuti quotidie in Euchariſtiæ Sacramento fieri videmus, quamquam diverſo exiſtendi modo.

Act. 3.

I. Manifeſtavitne aliquando Dominus aliquo inſigni miraculo, diei iſtius Aſcenſionis Dominicæ feſtiva gaudia?

Feſtiva gaudia diei Aſcenſionis. Exemplum in vita ejus.

R. Ita. *Beatus Thomas de Villa-Nova cùm Horas Canonicas in Feſto Aſcenſionis Domini recitaret, & in eis hanc antiphonam: videntibus illis elevatus eſt, & ipſe elevatus eſt ſpiritu, & ab uſu ſenſuum avocatus, perſtititque in uno, eodemque loco immobilis, uſque ad horam quintam veſperi; undecim ſcilicet horis continuis. Cùmque jam ad ſe rediiſſet, & Sacellanus, qui cum eo horas recitarat, ſupplex eum rogaret, ut ſibi dignaretur indicare, quæ in raptu illo tam diuturno admiranda vidiſſet; reſpondit, quod quando antiphonam illam inchoarat, apparuiſſe ipſi Choros Angelorum, qui eam antiphonam à ſe inchoatam excepére, & proſecuti ſunt, eorumque harmoniâ ſuprà modum ſuavi, ita ſe oblectatum fuiſſe, ut à ſenſibus abductus ſit, & in ejus dulcedinis ſuavitate ad eam uſque horam inhæſerit, quod tempus ei non erat viſum media horula.*

Muſica cœleſtis quàm ſuavis.

I. Eſtne magnum, & ſolemne hoc Feſtum Aſcenſionis Dominicæ in Eccleſia?

R. Ita, planè magnum; nam jam olim Propheta Regius fideles in ſpiritu invitabat ad illud ſolemniter celebrandum, quando cantabat: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.* Sed quæ cauſa tanti jubili, tantæ exultationis? nimirùm quia *aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Invitat Propheta ad lætitiam animi vocibus, & geſtu demonſtrandam omnes gentes, quia gloria capitis Chriſti communis eſt toti corpori, id eſt, Eccleſiæ ex Judæis, & gentibus congregatæ. Lege cum magna attentione hunc Pſalmum.

Pſal. 46.

I. Contulitne aliquando Chriſtus Dominus aliquod inſigne privilegium amicis ſuis in iſta die?

R. Ita, uti ferè ſolent Reges in die inaugurationis ſuæ. Adſcribam hic præclarum exemplum. *In civitate Olyſſipi vulgò Lisbona, fuit quædam nobilis puella, ſed admodum tenuis, tacita, ſolitaria, devota, humilis, manſueta, & ſuis parentibus obediens, & propter hanc cauſam illis valde dilecta. In morbum incidit, quem per menſes novem ſummâ patientiâ pertulit, Deo ſemper gratias agens. Sæpè audita eſt ſola colloqui cum Crucifixo, quem manu geſtabat, & ſæpè ei dicebat; Domine quando me de*

Exemplum. 1528. *Ludovicus Granatenſis l. 2. Catechiſmi in Symb. Pag. 227. editione Veneta.*

hoc

Digitized by Google

hoc carcere educes? quando apparebo coram te, & præſentiâ tuâ & pulchritudine tuâ fruar? Quamobrem Dominus JESUS, qui virginalis puritatis, & animarum humilium, quæ eum in tribulationibus invocant, amator eſt, eam exaudivit, eique promiſit fore ut ſuæ glorioſa Aſcenſionis die eam votorum ſuorum compotem ad cœlum evehat. Hujus diei veſper advenerat, cùm benè per omnia ad mortem diſpoſita Matrem, & domeſticos vocari juſſit; uti meridiei hora advenit, crucifixum alterâ manu cepit, cereum alterâ, & ita moriendi iter ingreſſa eſt; cùm Mater id vidit, filia, inquit, ora Deum pro me. Faciam, inquit illa, & Deus miſerebitur tui: Hæc locuta, & devota verba crucifixo pronuntians, ſpiritum Deo reddidit; & ubi penitus animam efflavit, horologium horam poſt meridiem ſonuit, quâ Salvator noſter ad cœlos aſcendit. Quid memorem, quot per effigiem Christi aſcendentis in cœlum devotè habitam in corpore afflicti ſanati ſunt.

Musica cœleſtis quam ſuavis.

Pial. 46

I. Habeſne exemplum?

Exemplū. Thom. Boſius to. 1. de ſignis Eccl. l. 5 c. 2. ex Martine Ignatio Franciſ.

R. Habeo. *Nobilis quidam diuturna paralyſi decumbens in lecto, nulli idoneus operi jacebat, omnibus fruſtrà remediis tentatis. Chriſtianus inviſit illum, narravitque fore, ſi ſpem poneret in Chriſto, & ejus nomen ſupplex imploraret, ſanitatem reciperet; & ob id ipſi reliquit pictam Chriſti aſcendentis in cœlum effigiem. Ægrotus, hortante Chriſtiano, ſpe confirmatus oculos in Imaginem defigens, intimo, maximoque animi ſtudio Dei nomen imploravit, mirum dictu! multis aſpicientibus repentè ſanatus è lecto ſurrexit, & Chriſto nomen dedit. Hæc cùm certè cognoviſſet Imperator Conchinchina, jam vitâ Chriſtianus, Macenem, ſive Macaum, quæ eſt urbs Luſitanorum in littoribus Sinarum, legatos miſit, qui nomine ipſius orarent, ut ad ſua regna mitterentur, qui Chriſti doctrinam diſſeminarent.*

Exemplum. 1558. Lr dorum Granatenſis l. 1 Catechiſmi in Symb. Pag 15. editionis Venetæ.

LECTIO TERTIA.

Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

I. Quo ſenſu Chriſtus poſteriori articuli parte dicitur *ſedere ad dexteram Patris?*

S. Thom. 3 p. q. 58. a.

R. Sedere hoc loco, non ſitum, & figuram corporis ſignificat, ſed metaphoricè eam regiæ firmam, & ſtabilem poſſeſſionem, quam à Patre accepit, declarat, de quo ait Apoſtolus: *Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuprà omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus. Sedet ergò ad dexteram Patris;* Hoc eſt, Deus Pater magnificentiſſimè eum excepit, & eo honore affecit, qui decebat Unigenitum Patris *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, ſede à dextris meis?* ut nimirùm habeat cum Patre gloriam divinitatis, & beatitudinis ſtatum, atque judiciariam, regalemque poteſtatem, & hoc immutabiliter. Sacra Scriptura plus tribuere Filio videtur, quàm Patri, non quòd habeat plus, ſed ne minùs habere videatur. *Ambr. lib. 2. de Spiritu ſancto* cap. 12.

S. Thom. in compendio Theolog. c. 240.

Chriſtum ad dexteram Dei ſedere quid ſit.

Ad Eph. 1.

Hebr. 1. Aug. l. 2. de Symb. c. 7.

I. Habetnè igitur Deus Pater dexteram?

R. Minimè, ſed in hoc quoque vocabulo eſt metaphora, quâ in Scripturis beatitudo perpetua ſignificatur; ſicuti per ſiniſtram miſeria perpetua deſignatur, quæ impios manet.

Aug. de agone Chriſtiano.

I. Quandoquidem Chriſtus Deus, & homo eſt, cupio ſcire, num ad dexteram Dei Patris ſedeat, in quantum Deus ſolùm, an verò etiam in quantum homo?

R Chriſtus in quantum Deus, eſt æqualis ſuo Patri; & in quantum homo, eſt minor Patre; nihilominùs quia Deus,

Digitized by Google

& homo non ſunt duo Chriſti, nec duæ perſonæ, ſed tantùm unus Chriſtus. & una perſona, propterea dicitur, Chriſtum Deum, & hominem ſedere ad dexteram Dei Patris; & ſic humanitas Domini noſtri, id eſt, caro ejus & anima, ſedent in throno divino ad dexteram Dei Patris, non ex dignitate propria, ſed quia cum perſona veri, & naturalis Filii Dei unitæ ſunt.

Vid. S. Tho. 3. p. q. 58. art. 3.

I. Velim hoc mihi aliquâ ſimilitudine declarari?

Simile.

R. Accipe hanc: Quando Rex purpurâ amictus in regali ſolio ſedet, & omnes Principes regni in humiliori loco, quàm Rex conſident, purpura Regis in loco excelſiore eſt certè, quàm ipſi Principes, quia in ipſomet regali ſolio eſt. Quod ideò fit non quia purpura æqualis dignitatis ſit cum Rege, ſed quia cum Rege, ut proprius amictus unita eſt; ſic quoque ſedet corpus, & anima Chriſti ſuper omnes Cherubim & Seraphim in ipſiſſimo Dei throno, non propter dignitatem naturæ, ſed propter unionem cum Divinitate, & non ſolùm ut purpura cum Rege connexa eſt, ſed multò arctiùs, & conjunctiùs, nimirùm per unionem perſonalem, uti dictum eſt.

I. Utrùm Chriſtus, in cœlo ſecundùm corporis ſitum ſtet, an ſedeat?

Lect. ſuperi. ſub initium.

R. Sufficienter diximus ſedere Chriſtum ad dexteram Patris, intelligi debere Metaphoricè pro eo quod eſt quietâ regni, vel poteſtatis judiciariæ poſſeſſione frui, nihilominùs quandoquidem quæris quem ſitum habeat Corpus Chriſti in cœlis; Reſpondeo videri potiùs ſtare, quàm ſedere, ſitus enim ille eſt homini magis naturalis: nam ſedere eſt imbecillitatis, ut corpus quieſcat, & non defatigetur, quæ neceſſitas in corpora glorioſa non cadit. Ideoque S. Stephanus Chriſtum diſtinctè vidit ſtantem.

Act. 7.

Quod autem Apoſtolus dicit, nos *Chriſto in cœleſtibus conſeſſuros*, non de corporali ſeſſione, ſed de regni cœleſtis participatione loquitur. Adeò quòd Chriſtus *ſtat, ut benignitas oſtendatur, ſedet autem ut ejus auctoritas commendetur.* Vide Auguſt. lib. quæſt. novi Teſtamenti. Quæſt. 88. Ambr. lib. 3. de fide. Chryſoſtomum hom. 18. in Act. Gregor. hom. 29. in Evang.

Eph. 2.

Act. 7. Marc. 16.

I. Jucundum mihi foret audire, qualiter & quo apparatu exceptus fuerit in cœlo Chriſtus Dominus in hac ſua Aſcenſione?

R. Aliquid ejus indicat ex Pſalmo 23. Eccleſia in ſua cæremonia, quando in die Palmarum ſolemnem proceſſionem inſtituit, cum palmis victoriæ indicibus. Tunc enim Sacerdos, ſive celebrans, perſonam Chriſti gerens, Eccleſiæ fores pulſans baculo crucis, tertiò inclamat: *Attollite portas principes veſtras, &c* & intus tres chori à ſe invicem diſſiti, unus juxta januam, alter in medio Eccleſiæ, tertius juxta altare interrogans altiori ſemper voce: *Quis eſt iſte Rex gloriæ:* ubi ſignificantur tres Angelorum Hierarchiæ admirantes virtutem hujus Regis ſuper omnes Angelos aſcendentis, & choris Angelicis imperantis. Licet enim non ignorarent Chriſtum etiam ut hominem, Regem eſſe civitatis ſuæ, tamen indicant non fieri, ſine totius naturæ magna admiratione, quod ita terrenum corpus ſuprà omnes cœleſtes ſpiritus, cum imperio aſcendat, & ſic exaltetur admirabili modo terra ſuprà cœlum, homo ſuprà Angelum, pulvis uſque ad Deitatis ſolium.

Triumphalis Chriſti in cœlum introitus per Aſcenſionem.

Bellarm. in Pſ. 23.

Hic ergò Chriſto aſcendenti quatuor tituli eximii tribuuntur ob poteſtatem, quâ Satanam, mortem, & infernum profligavit.

Primò, dicitur *fortis*, quia ingentes labores fortiter toto vitæ tempore exantlavit, & acerrimos cruciatus toleravit toto tempore paſſionis, infracto animo omnia ſuſtinens, nemine adjuvante, nemine conſolante.

Secundò, dicitur *potens in prælio*, quia in ſua paſſione, fortem, id eſt, principem

ſeno-

Digitized by Google

tenebrarum devicit, vitibus ſpoliavit, & alligavit.

Act. 7. Marc. 16

Tertiò, dicitur *Dominus virtutum*, ſive, ut Hebræa, *Dominus Sabaoth*, ſive exercituum, quod nomen eſt proprium ſoli Deo Summo, non item Diis per participationem; quia ſolus innumeros, & potentiſſimos Angelorum exercitus habet; & quia omnes creaturæ ei militant, ſive in cœlis, ſive in terra, ſive ſub terra, cœli, aſtra, elementa, animalia, homines, ignis, grando, nix, glacies, &c. quæ faciunt verbum ejus, & pugnant contra inſenſatos ad imperium ejus; patet ex Pharaonis debellatione.

Triumphalis Christi cælum intrantis per Aſcenſionem.

Pſ. 148.

Quartò, dicitur *Rex gloriæ*, quia ſine ejus meritò, & gratia nulli obtingit gloria, & quia eam ipſe largitur quibus vult, & quia in ejus viſione gloria conſiſtit, & quia Rex eſt cœleſtis Jeruſalem, regionis illius lucidæ, beatæ, & glorioſæ. Ergò portis patentibus introductus Dominus.

I. Quomodo deductus? quo honore?

R. Tanquam bellator triumphans ad coronam gloriæ *Data eſt ei corona, &c.* Apocal. 6.

Tanquam David, qui cum jubilo deducitur revertens à cæde Goliath: *Percuſſiſti caput de domo impii, maledixiſti ſceptris ejus.*

Bellarm. in Pſ. 14. Abac. 3.

Tanquam Joſeph, qui clamante præcone, ſecundus à Rege declaratur: *Verè Filius accreſcens Ioſeph, &c.*

Gen. 49.

Tanquam Rex, qui inauguratur, & ad thronum deducitur: *Ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.*

Apoc. 3.

Tanquam Pontifex ſummus, qui magnificè intrat in Sancta Sanctorum: *Habemus Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, &c.*

Heb. 4.

Tanquam arca fœderis, cum jubilo ad templum ducta Salomonis: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Tanquam Judex ſupremus ad ſedem judiciariæ poteſtatis: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.*

Pſ. 131. Pſ. 109.

Tanquam ſponſus procedens ad thalamum æternæ feſtivitatis: *Veni, oſtendam tibi ſponſam uxorem agni.* Apoc. 21.

I. Quid autem ſecutum eſt?

R. Tunc Angeli, & turmæ Patrum, quas de captivitate adduxerat, annuntiaverunt, & obtulerunt Patri, dicentes: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & divinitatem, &c.* Deus verò Pater oblatione tam dignâ ſuſceptâ fecit illum, qui offerebatur ſuæ virtutis, & ſedis conſortem, dicendo: *Sede à dextris meis*; & Pontificem, ut paulò ante dicebamus, introductum inveſtivit, dicens: *Ponite cidarim mundam ſuper caput* JESU; ut ibidem ſederet juxta Deum, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Apoc. 5. Pſ. 109. Zach. 3. Heb. 7.

Nec in his partibus ſuis defuit Chriſtus Dominus, cùm enim hæc à Deo Patre ipſi præſtarentur, gratus, & ſibi gratulabundus dicebat illud Pſalmi: *Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.* Nam ſedes illa regia & Pontificalis Chriſti in ſæculum ſæculi permanebit. Ex quibus apparet quanta ſint Dominicæ Aſcenſionis myſteria, quantâ fide recolenda, quantâ celebritate memoranda. Ut meritò dixerit B. Cyprian. *ſerm. de Aſcenſ. Domini*, tantam eſſe hujus triumphi amplitudinem, ut nemo ejus magnificentiam valeat enarrare, ut quæ omnem ſuperet intellectum, &c. *Exaltare, Domine, in virtute tua, cantabimus & pſallemus virtutes tuas.*

Pſ. 40. Pſ. 20.

Hymn. Eccleſiæ.

Tu eſto noſtrum gaudium,
Manens olympo præditum;
Mundi regis qui fabricam;
Mundana vincens gaudia.
Vt cum repentè cœperis,
Carère nube Iudicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

DE

DE VII. SYMBOLI ARTICULO

Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos.

CAPUT OCTAVUM.

LECTIO PRIMA.

I. QUis eſt ſeptimus Symboli articulus?

S. Thom. 3. p. q. 59. o.

R. *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos.*

I. Quem ex hoc articulo ſenſum elicis: quidve in eo tibi credendum proponitur?

Pſ. 96. Act. 10. Iſa. 2. 27. Heb. 9. Zach. 14. 2. Pet. 3. Matt. 25. Luc. 21. Joan. 8. 1. Cor. 4. Eccl. 7.

R. Summo illo die Chriſtum Dominum de univerſo hominum, ſeu bonorum, ſive malorum genere judicaturum eſſe.

I. Debetne hæc extremi judicii materia ſæpiùs fidelis populi auribus inculcari?

R. Planè; quia hujus articuli veritas fide concepta maximam vim habet à peccatis homines abſtrahendi, atque ad frænandas animi cupiditates. *In omnibus operibus tuis*, monet Eccleſiaſticus, *memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Ac profectò vix quiſquam adeò præceps in ſcelera feretur, quem illa cogitatio ad pietatis ſtudium non revocet, fore aliquando, ut ei apud juſtiſſimum Judicem omnium, non ſolùm factorum, dictorumque, ſed occultiſſimarum etiam cogitationum ratio reddenda, & pro meritis pœna perſolvenda ſit. Juſtus verò ad colendam juſtitiam magis ac magis incitetur, ac ſummâ lætitiâ efferatur neceſſe eſt, quamvis etiam in egeſtate, infamia, cruciatibus, ac ærumnis vitam degat, cùm animum ad eum diem refert, quo poſt miſeræ hujus vitæ certamina victor cunctis hominibus audientibus declarabitur, & divinis, atque illis quidem æternis honoribus in cœleſtem Patriam receptus afficietur.

I. Solebantne olim Prophetæ, Apoſtoli, cæterique Prædicatores de extremo hoc judicio frequentem habere ſermonem?

Nihil frequentiùs olim annunciabant Prædicatores quàm judicium extremum.

R. Ita. Moyſes Deut. 1. verſ. 17. Joel. cap. 3. verſ. 2. & alibi Iſai. 13. verſ. 9. Jerem. 25. verſ. 9. Amos 9. verſ. 9. Sophon. 1. Malach. 4. Ezech. 32. verſ. 7. David Pſal. 34. v. 3. & 73. Salomon Eccl. 5 verſ. 7. Eccli. 7. verſ. 40. Machab. lib. 2. cap. 7. Apoc. 20. Apoſtolis nihil frequentiùs erat in ore, quàm extremi judicii ſermo. Vide Act. c. 10. verſ. 42. Rom. 2. 1. Corint. 15. 2. Corint. 5. 2. ad Theſſ. poſterioris Pet. 3. Apoc. 6. ſub finem, & 22. verſ. 12. & alibi. S. Clemens de beatiſſimo Apoſtolorum Principe ſcribit frequenter dicere ſolitum: *Quis peccare poterit, ſi ſemper ante oculos ſuos judicium ponat?*

Exempla.

Magnus ille Simeon Stilites è columna quotidiè bis docebat populum; tota autem ejus doctrina & concio erat de noviſſimis, jubens in cœlum ſuſpicere, & evolare, ac è terra diſcedere, & regnum quod exſpectatur, viſione apprehendere, & gehennæ minas timere, & terrena contemnere, & futura exſpectare, ait Theod. in hiſtoria Patrum c. 26.

De S. Iacobo Hieroſolymitano Epiſcopo ſuper pinnaculum templi poſito ſcribit Euſebius, quod rogatus à nonnullis Scribarum, & Phariſæorum, ut de ſublimi, & omnibus perſpicuus populo perſuaderet; ne erraret, clara voce dixerit: Quid me interrogatis de JESU Filio hominis? Ipſe ſedet in cœlo à dextris magnæ virtutis, & potentiæ Dei, & in nubibus cœli venturus eſt: *Clamantes ergò, & dicentes ô, ô, juſtus etiam erravit, eum præcipitem dederunt.* Vide Sanctum Hieronymum de Scriptoribus Eccl. c. 2. Adon. de Feſto Apoſtolorum. S. Cypr. docet ob oculos peccatoris ſtatuendum Chriſti judicaturi tribunal. De Sancto Petro Martyre Ord. Prædicatorum traditur, quòd cùm ſpeciali in verbo Dei annunciando vi polleret, ſolitum thema iſtud ſermonibus

Epiſt. 62.

bus

Digitized by Google

Jon. 3.

Nihil frequentius enunciabant Prædicatores quam diem extremum.

bus ſuis præfigere: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, & fortiter inclamabat: Audite populi; vos, vos eſtis altera Ninive, niſi quàm primùm pœnitentiam egeretis, videbitis propediem ſubverſionem veſtram. Imminet cervicibus veſtris nimis metuenda vindictæ divinæ romphæa, non tardat judicium ejus, convertimini igitur ad eum, & pœnitentiam agite. Mirum in modum hiſce ignitis ſuis concionibus proficiebat; multi enim peccatores ex iis, qui in profundo ſordium ſuarum cœno plures jam annos volutabantur, convertebantur ad pœnitentiam. Multi tollebantur abuſus, & publicè corruptelæ, & plurima pietatis inſtituta in Republica magno fidelium bono condebantur.

De vita ejus.

Exempla.

Divini judicii horrorem conceperant Sancti.

I. Conceperuntne Sancti ingentem divini judicii horrorem?

Job 9. & 36.

Heb. 12.

R. Ita. Audi Job Prophetam: *Verebar omnia opera mea; ſciens quòd non parceres delinquenti.* Et alibi: *Quid enim faciam, cùm ſurrexeris ad judicandum Deus?* Audi S. Paulum: *ſerviamus placentes Deo cum metu, & reverentia* (alii pudore) *etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.*

Exempla.

Ep. 3.

Audi Sanctum Hieronymum: *Ego peccatorum ſordibus inquinatus diebus, ac noctibus operior, cum timore reddere noviſſimum quadrantem, & quod mihi dicatur: Hieronyme, veni foras.* Et alibi: *Ego ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram.*

Ad Euſtoch.

De eodem refertur, quod dicere ſoleret: *Quoties diem illum conſidero, toto corpore contremiſco; ſive enim comedo, ſive bibo, ſive aliud aliquid facio, ſemper videtur mihi tuba illa terribilis ſonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium.*

Epiſt.

In vitis Patrum l. 3. tit. de compunct.

Abbas Ammon rogatus à Fratribus dicere verbum ſpiritualis alicujus ædificationis: *Cogita, inquit, quaſi reus in carcere, tibique dic: væ mihi, quomodò habeo aſtare ante tribunal Chriſti, & quomodò habeo actuum meorum reddere rationem? ſi ſic ſemper meditatus fueris, poteris ſalvus eſſe.*

Abbas Agatho tribus diebus ante mortem immobilis, & quaſi ab omni ſenſu abſens ſubſtitit; diſcipuli quaſi hominem expergefacturi vellicabant, dicentes: Pater, Pater, ubi es? At ille: adſto, inquit, ante tribunal Chriſti. Quid reſpondebant illi, ergòne times Pater? Ita, inquit, omnibus artubus contremiſco; laboravi quidem ſecundùm poſſe meum, & omnia Dei mandata conatus ſum adimplere; nihilominus homo ſum, & ignoro num placuerint Deo, & accepta fuerint opera mea. Dixerunt ei Fratres: Numquid confidis Pater, quod ſecundùm Dei beneplacitum actiones tuas inſtitueris? Reſpondit ſenior: nihil de me præſumere audeo, donec ad Deum judicem meum venero; alia enim ſunt judicia Dei, alia hominum.

Audi plangentem, immò horreſcentem Sanctum Bernardum ſerm. 26. in Cantic. *Paveo gehennam, paveo vultum judicis, ipſis quoque tremendum Angelicis Poteſtatibus. Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempeſtate valida, à voce Archangeli, & à verbo aſpero. Contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem, & ſulphur, & ſpiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores; unde ingemiſcens, ſubjicit: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium, & manuum, pedumque dura vincula, & pondus catenarum prementium, ſtringentium, urentium, nec conſumentium. Heu me! Mater mea, ut quid me genuiſti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis, & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, lactatus uberibus, natus in combuſtionem, & cibum ignis?*

I. Unde conceperant Sancti tantum judicii Dei horrorem?

R. Ex Sacris Scripturis, quæ de judicio formidinis plena tradunt. Sophonias, Joel, Malachias, Iſaias, & alii paſſim.

I. Fueruntne aliqui hoc judicii timore ad meliorem frugem converſi?

Exempla. Sur. 30. 1. ex Metaph. in vita S. Ioan. Eleemoſyn.

R. Ita. *Petrus Telonarius cùm opum copiâ redundaret, dubitatum eſt, utrum ditior, an avaritior eſſet. Hinc inter mendicos ortum eſt certamen: unus profitebatur ſe ab eo eleemoſynam eliciturum, cæteri id omninò fieri poſſe negabant. Qui ſe facturum promiſerat, acceſſit cum multo precum ambitu, & dum hominem avertentem ſe urgere cœpiſſet, in iram concitavit, ita ut furore ardens repentè arreptum panem (panes autem caſu ancilla è fornace domum coctos referebat) in faciem precantis intorqueret; qui cùm declinaſſet ictum ſublato pane diſcedens ſe tandem voti ſui compotem factum ſociis nunciavit. Petrus verò poſteà adverſâ valetudine agitatus, cùm poſtremò horis aliquot exanimis jacuiſſet, & revixiſſet, narravit ſibi interim viſum fuiſſe ſe ante tribunal Dei in cœlo ſiſti, ab aliis accuſari, ab aliis defendi; in altera libra lance peccata, quæ commiſerat, appendi; in altera unicum panem illum, quem ipſe quondam projecerat iratus; & cùm exæquatum utriuſque ponduis ſtaret, reverti ac pari aliquid ſupperaddere, quod præponderaret, ſi multi reatus ſupplicia cuperet evadere, ſibi juſſum. Itaque cùm convaluiſſet, quæ cupidè conflaverat, liberaliter cœpit effundere, neminem indigentem opu ſua expertem fieri paſſus.*

Multi horrore judicii ad meliorem frugem converſi.

Refert B. Vincentius natione Hiſpanus de quodam juvene, qui ſomniando fuit interrogatus à Chriſto in judicio, & ſubitò ex timore totus factus eſt canus.

Vincent. Concione 3. in Sexageſima.

Horribile exemplum habetur in vita S. Brunonis Carthuſianorum Fundatoris de judicato ad æternas pœnas damnato Doctore, quondam Pariſienſi, qui vulgò vir probu habebatur.

Bogaris Bulgarorum Rex homo venationi inſatiabiliter deditus, non modò cùm venatum ſe conferret, ea ſe oblectare ſtudebat, ſed etiam quando otioſus eſſet domi, ibique per animalium pictas figuras. Conſtructâ novâ domo Methodium quendam Monachum arte pictorem juſſit domum illam picturis ornare; verùm quaſi divina gratia quâdam providentiâ ductus non præſcripſit definitè quænam & qualia pingeret animalia, verùm quæcumque ipſe vellet, juſſit pingere, terribilia tamen, eſſent quæ pingerentur, ut ſpectantibus terrorem, & metum incuterent. Ille autem nihil terribilius noſcens ſecundo Chriſti adventu, hunc ibi deſcripſit. Cumque jam finita eſſet illa pictura, conſpicatur Princeps ex altera parte juſtorum cœtum coronari; ex altera verò impios puniri; & à pictore perceptâ picturâ mente ſtatim propriam ejurat religionem, imbutuſque à ſancto Epiſcopo divinis miſteriis intempeſtâ nocte ſacrum percepit Baptiſma.

In Curopalat. Ced. & alii Græci apud Baron. anno 845. 10.

Huc pertinet quod de ſeipſo fatetur Auguſtinus: *Nec me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri judicii tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen receſſit de corde meo.*

Lib. 6. confeſſ. c. 16.

I. Incutitne Deus aliquando hominibus terrorem per aliqua ſigna, quibus judiciorum Dei recordentur?

R. Ita; ſic enim ſcribit Uſuardus: *In Britannia depoſitio Sancti Ceadda Epiſcopi gentis Merciorum, & Lindis fannorum, quem Beda prædicat timoris Domini plenum, & noviſſimorum ſuorum aſſiduè memorem. Hic aëre commoto in Eccleſia ſollicitus orabat, donec ſerenitas aëris rediret. Movet enim, aiebat, aëra Dominus, ventos excitat, fulgura jaculatur, de cœlo intonat, ut terrigenas ad timendum ſe ſuſcitet, & corda eorum in memoriam futuri judicii revocet.*

In Martyrol. 2. Mart. Exemplum.

I. Quando veniet Dominus ad Judicium extremum?

R. In fine mundi, & conſummatione ſæculi; mundus enim finem accipiet per ignem, qui conſummet omnia. *Ignis ante ipſum*

2. Pet. 3. v. 10. Pſal. 92.

ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Pſ.98. Joel. 2. Iſai.66. Malac. 4. Sophon. 1.

I. Sed quando erit finis mundi, ſive conſummatio?

Matt. 24. v. 35 & ſeqq. R. Hoc nos latet, dicit enim Dominus: *de die autem, & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater; Sicut autem in diebus Noë, &c. Si ſciret Pater-familias, &c. Videte, vigilate, & orate; neſcitis enim*

Marc. 13 Act. c. 1. v. 7. *quando tempus ſit.* Et alibi: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Et Apoſtolus

1. Theſſ. 2. Paulus: *Quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet; cùm enim dixerint pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti, & non effugient.*

I. Cur igitur Scripturæ loquuntur de die judicii tanquam inſtante?

R. Quia omne tempus ſæculi; etſi nobis longum videatur, comparatum tamen cum æternitate, nihil eſt. Ita Sanctus Petrus 2. Epiſt. cap. 3 & Sanctus Joannes 1. Epiſt. c. 2. omne hoc tempus horam computat.

Ser. 49. de temp. & 16. de Verbis Dom. Adde ex Auguſtino: *Tunc veniet unicuique dies ille, cùm venerit illi dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus eſt illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus; imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum invenerit vitæ hujus ultimus dies.*

I. Pertinetne ad Chriſtum Dominum Deum & hominem judicare vivos, & mortuos?

R. Ita. Tria enim ſunt Domini noſtri JESU Chriſti ad ſuam Eccleſiam decorandam, & illuſtrandam inſignia officia, & munera; redemptionis, patrocinii, & judicii: de duobus prioribus in ſuperioribus dictum eſt; ejus autem judicium hoc capite declaratur. *Præcepit no-*

Act. 10. v. 42. *bis,* inquiunt Apoſtoli, *prædicare populo, & teſtificare, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum, & mortuorum.*

Quod autem, ut homo, mundum judicaturus ſit, manifeſto ipſius Domini teſtimonio confirmatur, qui inquit: *ſicut Pater* Joan. 5.
habet vitam in ſemetipſo; ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo: & poteſtatem dedit judicium facere, quia filius hominis eſt.

I. Quare decuit, ut ipſe conſtitueretur Judex vivorum, & mortuorum?

R. Plures ob cauſas. Filius enim eſt ſapientia æterna, & veritas à Patre procedens; ut ergò intelligamus, maximâ æquitate, & ſapientiâ hoc judicium peragendum, ideò *Pater omne judicium dedit filio;* non ſolùm ſecundùm divinitatem, & ſecundùm generationem æternam; ſed etiam ſecundùm humanitatem; juxtà id quod in eodem loco ſequitur, & paulò antè allegavimus: *poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt*, id eſt, ſecundùm quod homo eſt, ſcilicet, ut in ea carne judicet, in qua judicatus eſt.

Cur judicandi poteſtas filio attributa. Ratio 1.

Joan. 5.

2. Congruebat judicium univerſale de hominibus ei committi, qui cum eis affinitatem habens, compati poſſet; ne alioqui Dei judicium durius, Judexque implacabilis, aut ſuſpectus videri poſſet, ſi homo is non eſſet. Hanc rationem indicat Apoſtolus Heb. 4. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.*

3. Decebat judicium de hominibus committi Regi, Domino, Capiti, & Redemptori hominum; debuit ergò illud committi Chriſto Domino, qui eſt Rex noſter, caput Eccleſiæ, omniumque hominum Redemptionis jure Dominus. *In hoc enim mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum, & vivorum dominetur.* Rom. 14.

4. Æquiſſimum eſt, ut qui ab hominibus iniquè judicatus eſt, & pro eorum ſalute paſſus, de iis viciſſim judicet, juxta illud: *Cauſa tua quaſi impii judicata eſt; judicium, cauſamque recipies.* Job. 36.

5. Conveniebat ut judicandi Judicem

viderent; judicandi autem erant boni, & mali: reſtabat ergo, ut in judicio forma ſervi, bonis & malis oſtenderetur; forma verò Dei ſolis juſtis reſervaretur. *Auguſtinus ſer. 64. de verbis Domini.*

6. Veniet Chriſtus, ut hominum corpora ſuſcitet, ac cum animabus transferat in cœlum, aut mittat in ignem æternum: congruit ergò, ut tunc Chriſtus in viſibili, & ab omnibus ſpectabili humana forma ſe exhibeat, ſententiaque ejus voce ſenſibili prolata ab omnibus exaudiri queat. *Auguſtinus tract. 23. in Ioan. Fulgent. de fide ad Petr. c. 28.*

Rom. 8. 7. Id ita fieri convenit ad bonorum ſolatium, quorum Patronus futurus eſt Judex: *Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus* JESUS, *qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

8. Veniet Chriſtus homo judicaturus ad confuſionem impiorum, qui eum in nubibus cœli videbunt, cum poteſtate magna & majeſtate, quem priùs contempſerunt, cujus doctrinam, & præcepta ſpreverunt. Tunc implebuntur Scripturæ: *Aſpicient in eum quem confixerunt.* Et: *Amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* (Zach. 12. Joan. 19. Matt. 26.)

I. Cur dies illa judicii extremi ſolet in Scripturis *dies Domini* appellari?

R. Quia dies cæteri ſunt dies noſtri, in quibus Deo permittente, facimus quod volumus, juxta illud: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*: Deo ſilente, & quaſi non vidente; in die autem noviſſima, quæ *dies Domini* dicitur, faciet ipſe quod volet, & homines, quod nolunt cogentur pati vel inviti. (Malac. 4. Joel. 2. 1. Cor. 3. 1. Theſſ. 5. 2. Pet. & alibi. Luc. 19. *Dies Domini.*)

LECTIO SECUNDA.

De duplici Chriſti Adventu.

I. QUotuplex eſt Chriſti Adventus?

R. In Scripturis ſacris duo Chriſti Adventus celebrantur: prior, quando in infirmitate carnis noſtræ apparuit redempturus genus humanum, de quo ipſe Salvator Apoſtolis ſuis: *Multi Prophetæ, & juſti cupierunt videre, quæ vos videtis.* In hoc adventu Judæi *in propria venientem non receperunt*; quia perperàm priori huic adventui attribuebant gloriam, & majeſtatem, quæ juxta Scripturas poſteriori ejus adventui competunt; *qui erit in poteſtate manifeſtus.* Ut habet Cyprian. (Matt. 13. Joan. 1. *Lib. de vanit. Idol.*)

De hoc poſteriori Adventu Domini hic agimus, de quo B. Apoſtolus Paulus: *Abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo exſpectans beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei.* Et Symbolum: *Iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos.* Si iterùm, ergò jam alias venit; quando nam? niſi quando venit humilis, & manſuetus, & *verbum caro factum eſt.* De quo ſuprà ad articulum 3. (Ad Tit. 2. Joan. 1.)

I. Nunquid poſterior hic Chriſti Adventus viſibilis, & manifeſtus, totique mundo conſpicuus futurus eſt?

R. Omninò. Quemadmodum Sol Oriens tanto ſplendore ſuper noſtrum horrizontem coruſcus apparet, ut nemini dubium ſit, ipſiſſimum eſſe Solem, qui rutilat. Et: *ſicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem, ita erit adventus filii hominis.* (Matt. 24.)

Nolim te latere alterum ejus Adventum illuſtrem, & divinum, non humilitate contemptibilem, ſed gloriâ magnificum in exſpectatione eſſe atque imminere, cùm non ut patiatur rediturus ſit, ſed ut fructus ſuæ crucis omnibus retribuat; immortalitatem videlicet & reſurrectionem; (*Athan. de Incarnat. Verbi.*)

&

Digitized by Google

& incorruptibilitatem ; neque ut judicetur, ſed ut judicet.

Locus judicii extremi. I. Quò venturus eſt Chriſtus ad judicium?

R. Communis Patrum opinio putat omnes homines ad judicium congregandos in valle Joſaphat, quæ ſita eſt inter Montem Oliveti, & Jeruſalem, quam perluit torrens Cedron. Fundamentum hujus opinionis ſumitur ex c. 3. Joëlis, ubi dicitur: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, &c. Et verò vallis Ioſaphat* id eſt, *vallis judicii.* Supra quam vallem Chriſtus in aere ſublimi in throno ſedens omnibus apparebit.

I. Sumpſeruntne Sancti ex ipſomet loco occaſionem meditationis de judicio Chriſti futuro?

Exemplum. R. Ita. *Sancta Pelagia Pœnitens, quæ à vanitate mundi converſa per B. Nonnum Epiſcopum Heliopoleos, perpetua pœnitentiæ ſe addixit; ad eam peragendam hunc ſibi locum delegit. Nam in Monte Oliveti Tugurium erexit, ex quo in vallem Ioſaphat deſpectus eſt, ut jugiter Chriſti patientis æquè ac Iudicis venturi imaginem intueretur.*

I. Undè veniet Chriſtus Dominus ad judicandos omnes homines vivos & mortuos?

R. Ex altiſſimo cœlo, dicit enim Symbolum; *inde venturus eſt,* ſcilicet, *à dextera Dei Patris,* ubi ſedere dicitur in articulo præcedenti.

Iudicium in terra fiet, quare? I. Quare in terra futurum eſt extremum judicium, non autem in cœlo?

R. Quia in terra homines geſſerunt quidquid ab eis actum eſt, ſive bonum, ſive malum : ibi etiam injuſtè Chriſtus Dominus, cæterique Sancti per iniquos condemnati ſunt, & ludibrio habiti ; ubi ergò locus pugnæ, ibi initium erit & coronæ.

Apoc. 22. Certè, cùm dæmones, & damnati judicentur, non convenit eos in cœlum aſcendere. *Foris canes* (inquit S. Joannes) *& venefici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Et alio loco : *non intrabit in eam* (ſanctam civitatem) *aliquid coinquinatum ! aut abominationem faciens , & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.* *Ibid. 21.*

I. Venietne ſolus Filius judicare vivos & mortuos : an ſimul etiam Pater , & Spiritus Sanctus?

R. Indubiè judicandi poteſtas communis eſt omnibus Sanctæ Trinitatis Perſonis: præcipuè tamen Filio eam tribuimus ob rationes lectione præcedenti notatas. Nihilominùs *non videbit impius gloriam Dei,* eo modo ut indè voluptatem aliquam percipiat , ſed videbit cum horrore , & confuſione nimia Dei gloriam, potentiam, & majeſtatem minarum plenam , romphæam in manibus habentem, ut de inimicis ſuis pœnas ſumat æternas in gehenna. *Iſai. 26.*

LECTIO TERTIA.

De ſignis Adventûs Chriſti ad judicium.

I. Quamvis nuper docueris definitum adventûs ſui diem, & tempus Dominum revelare noluiſſe , nunquid tamen aliqua ejuſdem ſui adventûs ſigna expreſſit?

R. Imò, eaque ſunt duplicis generis: Quædam communia ſignificantia futurum aliquando Domini adventum ad judicium: Alia non tantùm fore, ſed imminere Chriſti adventum denuntiant.

I. Quæ ſunt iſta primi generis?

R. Hæc & ſimilia : Judæorum inter gentes diſperſio, earundem gentium ad Chriſti fidem converſio, hæreſeum ortus, bellorum multiplicatio, fames, peſtilentiæ, terræ motus, ſchiſmata, defectio à fide, Sacramentorum, Sacerdotum, & Sacrificii contemptus. *Cyril. Catechiſ. 1.*

I. Quodnam habes iſtorum communium, ſive remotorum ſignorum fundamentum?

Matt. 24.

R. Scripturam, quæ id aſtruit: *Audituri eſtis prælia, & opiniones præliorum, videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis: conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræ motus per loca; hæc autem omnia initia ſunt dolorum.* Et infrà: *Et multi Pſeudo-prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* Lege diligenter totum hoc caput. S. Paulus ſcribens ad diſcipulum ſuum Timotheum expreſsè meminit iniquitatis, quæ abundabit ante Chriſti adventum: *Hoc autem ſcito, inquit, quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, &c.* Et paulò inferiùs: *Quemadmodum autem Ioannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, &c.* Vid. c. 4. Oſeæ. v. 1. 2. 3.

I. Quæ ſunt ſecundi generis ſigna, ſive imminentis jam judicii?

R. Potiſſimum hæc tria: prædicatio Evangelii in omnes gentes, Matt. 24. Romani Imperii abolitio. 2. Theſſ. 2. *Niſi venerit diſceſſio primùm:* Quod de Romani Imperii ſubverſione intelligit Tertul. lib. de reſurrectione carnis. Et in apolog. c. 32. Ambr. & Chryſoſt. in comment. Lactant. lib. 7. cap. 25. Hieron. quæſt. 11. ad Algaſ. Cyrillus Catech. 15. Et tandem Antichriſti revelatio 2. Theſſalon. 2. Dan. 7. & 12.

I. Nondum ergò venit Antichriſtus?

R. Certum eſt, quòd non, uti patet ex capite ſecundo poſterioris ad Theſſal. ex cap. 7. Dan. ex cap. 13. & 17. Apoc. Vide Sanderum de Monarchia Eccleſiæ, & Bellarminum de Romano Pontifice.

I. Quid hominis erit Antichriſtus?

Antichriſtus.

R. Erit Judæus origine, probabiliter naſciturus ex Tribu Dan, ex illo, quod prophetice à Jacob dictum putant de eo: *Fiat Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita,* & ut hæc ad litteram de Samſone dixerit, & intellexerit Jacob; tamen allegoricè, vel potiùs etiam litteraliter de Antichriſto prædixiſſe potuit; ut ſit hic duplex litteralis (ſicut in pleriſque Scripturis) ſenſus unus de Samſone; alter, ad quem occaſione Samſonis aſſurgit Jacob, de Antichriſto.

Gen. 49.

Vid. Greg. lib. 31. Moral. c. 12.

Regnum ſuum auſpicabitur in Babylone. Zach. 5. n. ult. deindè ſedem Monarchiæ ſuæ conſtituet Jeroſolymis.

I. Qualiter ſe geret?

Quales mores Antichriſti.

R. Ut Coluber, ut Ceraſtes. Habebit enim Antichriſtus cornua, & mores Colubri, ac Ceraſtæ, quia ſuis dolis, artibus, blanditiis, hypocriſi, ſcientiâ, eloquentiâ, fictis miraculis, potentiâ, & tormentis plurimos hominum quaſi Coluber, & Ceraſtes decipiet, dejiciet, mordebit, & occidet. Ita S. Aug. Iren. Ambroſ. Proſper, Hippolitus, Rupertus, Aretas, Haymo, Richardus, & Anſelmus apud Pererium in Geneſim.

2. Theſſ. 2. v. 4. erit hypocrita.

Primò, ergò erit hypocrita, & totus politicus, ſimulaturus ſe valde humanum, & legis Moyſi zelatorem, ut Judæos alliciat, & decipiat.

Ambitioſus.

Secundò, erit gloriæ cupidiſſimus, omniaque ſua referet ad ſuam gloriam, honorem, imperium, & imperandi cupiditatem; & adepto imperio volet coli ut Deus.

Impudens.

Tertiò, impudens erit, ait Daniel, atheus inſuper & blaſphemus in Deum, & Sanctos. Apoc 13. n. 6.

Crudelis.

Quartò, erit tyrannus crudeliſſimus, maximè in Chriſtianos, ut patet Apoc. 13. nu. 15.

Luxurioſus.

Quintò, totus erit in libidinibus, & concupiſcentiis fœminarum, Dan. 11. n. 37.

Magus.

Sextò, erit magus, & magicis artibus à puero imbuetur, Dan. 11. n. 38.

Denique, adeò ſceleſtus erit Antichriſtus, ut in eo, inquit Iren. lib. 5. c. 29. *Futura ſit recapitulatio univerſæ iniquitatis, & omnis doli, in eumque confluat, & concludatur omnis virtus apoſtatica.*

I. Qua-

Doctrina Antichriſti.

I. Qualis erit doctrina Antichriſti?

R. Docebit JESUM non fuiſſe Meſſiam, nec Filium Dei, nec hominum Salvatorem, & conſequenter totam ejus religionem, & ſacramenta eſſe vanam ſuperſtitionem: ideò enim dicitur Antichriſtus 1. Joan. 2. n. 22.

II. Perſuadebit Judæis ſe eſſe Meſſiam, unde initio docebit circumciſionem, & legem Moyſis ſervandam eſſe, ut ita Judæos ad ſe trahat. Joan 5.

III. Factus Monarcha legem Moyſis, quin & naturæ abjiciet, & Deum verum à quo data eſt, negabit, Dan. 7. n. 25. ſeque ſolum eſſe Deum prædicabit 2. Theſſ. 2. n. 4. ac conſequenter negabit præmium in alia vita à Deo ſperandum, negabit infernum, ac animæ immortalitatem; hæc negant Athei.

IV. Fiet ut gulæ, libidini, & ſceleribus omnibus, quæ ſuæ gloriæ, & imperio non obſtabunt, ampliſſimam det licentiam.

V. Sibi volet dicari templa, ac fieri ſacrificia imperabit; volet enim coli ut Deus.

VI. Characterem ſuum quaſi ſuæ ſectæ ſignum volet ab omnibus ſuis in fronte, aut manu geſtari Apoc. 13. n. 16.

VII. Uſque adeò crudeliter perſequetur Chriſtianos, ut eorum major pars ei ceſſura ſit. Matt. 24. n. 22. auferet eis ſacrificium, & ſacramenta, unde.

In fine mundi multi futuri Martyres.

VIII. Tunc erunt plurimi, illuſtriſſimique Martyres. Apoc. 13. n. 10. occidet verò Eliam, & Enoch. Apoc. 11. & 13 qui ſe illi oppoſuerint, electoſque in atrociſſima perſecutione roboraverint, ac Judæos ad pœnitentiam, & converſionem ad Chriſtum ante judicium Dei invitaverint.

Finis & infelix Antichriſti deſtructio. 2. Theſſ. 2. n. 8.

I. Quid de Antichriſto fiet, & quis ejus finis?

R. Poſtquam tribus annis cum medio fideles pro ſuo arbitrio perſecutus fuerit, Dominus JESUS *eum interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui*, & præcipitabit in mortem æternam inferni, ita ut ab ipſa terra, & inferno vivus abſorbeatur. Ignis etiam de cœlo deſcendens devorabit alios perſecutores. Apoc. 2. num. 16. Tunc dabitur pluſculum temporis ac ſpatii ad pœnitentiam, & reſipiſcentiam iis qui circa fidem naufragaverint; & in unam Eccleſiam conjungentur Judæi & gentes, facto Chriſto lapide in caput anguli. Pſal. 117.

Controverſia de Antichriſto.

I. HÆretici non ceſſant plenis buccis clamitare Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum?

R. Quàm inſulsè partim ex jam dictis, partim ex dicendis apparebit.

1. Antichriſtus venturus eſt in fine mundi, Summus Pontifex jam ab annis mille ſexcentis nonaginta ſeptem Eccleſiæ gubernacula moderatur per continuam, & nullatenus interruptam ſucceſſionem à Petro nimirùm Chriſti Apoſtolo, uſque ad Innocentium XII. Papam modernum.

2. Antichriſtus erit unus ſingularis homo, ab Apoſtolo, homo peccati, & filius perditionis appellatus. 2. Theſſ. 2. Pontifices excedunt modò numerum ducentorum quadraginta, atque ex iis plerique Sancti. 2. Theſſ. 2. nn. 14. Joan. 5. n. 43. & Joan. 2. n. 22.

3. Antichriſtus venditabit ſe pro Chriſto, & Meſſia, ut ſuprà declaravimus; Pontifex dicit ſe Vicarium Chriſti.

4. Antichriſtus extollet ſe ſuprà omne, quod dicitur Deus; Pontifex nominat ſe ſervum ſervorum Dei.

5. Antichriſtus non veniet niſi poſt abrogatum Romanum Imperium à decem Regibus, ut patet 2. Theſſ. 2. num. 3. & Dan. 7. num. 24. juncto cum Apoc. 17. num. 12. & 16 Atqui necdum omninò everſum eſt Romanum Imperium, nec hactenus viſi ſunt decem Reges illud evertentes, ergò necdum venit Antichriſtus.

6. Antichriſtus tollet in Eccleſia juge ſacri-

ſacrificium (quod non poteſt aliud eſſe, quàm Miſſa, audis, hæretice?) omnemque Dei cultum, & cæremonias omnes, imò omnem Religionem, ut patet Dan. 12. num. 11. & 2. Theſſ. 2. num. 4. Atqui haĉtenus in Eccleſia Romana perdurat Miſſæ Sacrificium, cultus, & cæremoniæ, pro quibus adversùs hæreticos fortiter depugnant Pontifices Romani, ergo hactenus in Eccleſia Romana non eſt viſus Antichriſtus.

Apoc. 11. n. 8. 7. Sedem Monarchiæ ſuæ figet Antichriſtus Hieroſolymis, ibique in templo à ſe reſtaurato ſedebit, & adorabitur ut Deus, idque per annos tres cùm dimidio, ibique Heliam, & Enoch contra Antichriſtum prædicantes, aliosque Chriſtianos occidet, quis Pontificum Romanorum illa fecit?

8. Antichriſtus, ut docet Daniel c. 12. tantùm regnabit dies mille ducentos nonaginta; atqui Papa plures dies, immò annos regnavit: ergò Papa non eſt Antichriſtus. Nec evadunt hæretici novantes qui per dies mille, annos mille volunt debere intelligi; nam Sanctus Joannes Apoc. 11 num. 2. & 3 dies redigit ad menſes, numeratque menſes perſecutionis Antichriſti quadraginta duos, quibus calcabit Eccleſiam, & civitatem ſanctam. Rurſùm Daniel cap. 7. n. 25. docet Antichriſtum regnaturum per tempus, id eſt annum; ſic enim Daniel cap. 4. num. 29. dicit Nabuchodonoſorem cum beſtiis vixiſſe, *per ſeptem tempora*, id eſt, ſeptem annos (ut omnes exponunt) *& tempora*, id eſt, duos annos, *& dimidium temporis*, id eſt anni.

9. Antichriſti impetium erit ultimum mundi, eritque ſub finem mundi paulò antè judicium, ut patet Daniel. 7. 21. 22. 25. 26. Atqui Papa jam diu ante finem mundi, diemque judicii, ſcilicet mille ſexcentis nonaginta ſeptem annis regnavit, ergò Papa non eſt Antichriſtus.

10. Antichriſtus legem Moyſis reſtituet; hoc nullus Pontificum Romanorum fecit.

11. Antichriſtus edet ſigna, & prodigia falſa, quibus in errorem multi inducantur: multi Pontificum pro converſione populorum vera miracula patrarunt.

12. Tandem, quem Pontificum Romanorum interfecit Dominus JESUS ſpiritu oris ſui? *Filii hominum uſquequò gravi corde ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*: Nimirùm, livor mentes veſtras (ô novantes) excæcat: & durum eſt telum neceſſitas; Pontifex Romanus hæreſes veſtras, & aliorum quàvis ætate condemnavit, & condemnat. Quid ageris, ut Judicem hunc declinetis? Neceſſe eſt ut eum Antichriſtum faciatis; Si enim eum Chriſti eſſe, cum Chriſto, pro Chriſto, Chriſtique Vicarium fateremini, diceremus vobis; cur ergò ejus ſententia; imò Chriſti ſententiæ non ſubſcribitis, & acquieſcitis? Pſal. 4. *Hæreticorum fraudulenta conſilia.*

LECTIO QUARTA.

1. QUid porrò fiet extincto Antichriſto, finitaq; ejus perſecutione?

R. Illa omnia contingent, quæ Propheta Joël. cap 3. Matt. cap. 24. Luc. 21. Sanctus Joannes Apoc. 6. Sanctus Petrus poſterioris ſuæ epiſtolæ cap. 3. commemorant.

I. Collige in ſummam, quæ ſunt iſta?

R. Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis, ingens ubique pavor, areſcentibus hominibus præ exſpectatione, & intra montium concava conſertim ſeſe abdentibus. Tunc ignis inflammabit univerſum orbem, cunctaque depaſcet, & apparebit ſignum crucis in cœlo, & tandem tuba terribilis excitabit mortuos. Ad hæc ſuperveniet Chriſtus Judex, cum poteſtate magna & majeſtate. Apoc. 1. Joan. 5. Dan. 7. 1. Theſſ. 4.

I. Eritne illa tuba, adventuſque Judicis valdè formidandus?

R. Maximè, de die enim illo ſcriptum eſt in Sapientia: *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad ulcio-* Sap. 5.

ſionem inimicorum ; induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum ; ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem : acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Et in Pſalmo nonageſimo ſexto : *Nubes & caligo in circuitu ejus, juſtitia, & judicium correctio ſedis ejus. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota eſt terra ; Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini.* **Pſal. 96.**

I. Erit ergo horribile valde iſtud judicium?

Horribile valde erit judicium extremum. Matt. 24. 37.

R. Rectè infers. *Primò*, propter ſubitaneum, & inexſpectatum ejus adventum, quia ipſiſſima Veritas dicit : *Sicut in diebus Noë : ita erit & adventus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes uſque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes : ita erit & adventus filii hominis. Secundò, quia tunc anguſtiæ erunt viæ undique reprobis. Superiùs erit Judex iratus ; ſubtùs horrendum chaos ; à dextris, peccata accuſantia : à ſiniſtris, dæmonia ad ſupplicium trahentia. intùs urens conſcientia, foris mundus ardens. Miſer peccator deprehenſus quò effugies? latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. Si quæris quis te accuſabit : dico, quod totus mundus, quia offenſo Creatore, omnis creatura odio habebit offendentem, puta peccatorem.*

Hugo Card. ex S. Bern.

I. Cui nobis uſui venire debet hæc magni judicii meditatio?

Aug. ſolil. c. 24.

R. Ut vitæ noſtræ rationes benè inſtituamus: *Cùm hoc diligenter conſidero*, inquit Auguſtinus, *Domine Deus meus terribilis, & fortis, timore pariter, & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna indita eſt neceſſitas juſtè, rectèque vivendi, qui cuncta facimus antè oculos Judicis cuncta cernentis.*

I. Qualis futura eſt extremi judicii forma?

R. Sanctus Matthæus illam deſcribit cap. 24. & 25. ſui Evangelii his verbis: *Cùm venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſegregat oves ab hœdis, & ſtatuet oves à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt : venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, &c. Et his, qui à ſiniſtris erunt, dicet: Ite maledicti in ignem æternum. Eſurivi enim, &c.* ***Forma judicii.***

I. Quid agent ibi Angeli in judicio?

R. *Separabunt malos de medio juſtorum.* ***Angeli in judicio.*** Matt. 13.

I. Suntne etiam judicandi Angeli?

R. Ita. Et quidem per Sanctos. 1. Cor. 6.

I. Qualiter judicabunt Sancti Angelos?

R. Præcipui Sancti velut Apoſtoli, ſedentes ſuper ſedes Chriſto Judici aſſidebunt, ejuſque ſententiæ ſubſcribent ; & eos quidem qui ſuum principatum tenuerunt, Angelos palam laudabunt, eiſque decretam gloriam adgratulabuntur, & approbabunt. Illis verò, qui ſuo gradu per apoſtaſiam exciderint, pœnas æternas à Judice ſummo inflictas ſimiliter ſuffragiis ſuis comprobabunt.

I. Eruntne ergò etiam diaboli in judicio?

R. Ita. Et illi homines in multis accuſabunt. Vide S. Cyprianum, Serm. de Eleemoſyna, & Bellarminum lib. 2. de gemitu columbæ, cap. 12. ***Diaboli in judicio futuri.***

I. Suntne etiam diaboli judicandi?

R. Ita. Dicit enim Apoſtolus ſe cum Sanctis (Apoſtolis ſcilicet, & præcipuis aliis Chriſti aſſeſſoribus) Angelos judicaturum. Qualiter autem ipſi judicabuntur, jam diximus. **1. Cor. 6.**

I. Eruntne ibi plures Judices?

R. Unus erit ſupremus Judex, qui ſententiam feret. Is erit Chriſtus Dominus. ***Judices plures in***

extremo judicio futuri quomodo.

Illi autem, uti jam præmiſſum eſt, plures aſſeſſores aſſiſtent. Matth. 19. *Vos qui ſecuti eſtis me, &c.* Sap. 3. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Daniel. 7. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt.* Apoc. 4. *In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes;* Qui ſententiæ à Chriſto prolatæ rationem oculis cunctorum ingerant, ut omnibus pateat, quàm juſtè quilibet ſalvetur, aut damnetur.

Quænam diſcutienda ſunt in judicio? Sap. 1. 1. Cor. 4.

I. De quibus ratio exigetur in judicio?

R. De quacumque cogitatione, verbo, & opere commiſſo, vel omiſſo. *De cogitationibus impii interrogatio erit,* inquit Sapiens: & Apoſtolus Paulus ſcribit in quâ Dominus venerit ad judicium: *Illuminanda abſcondita tenebrarum, & manifeſtanda conſilia cordium.* Vide ad Hebr. 4. & Hierem. 16.

Matth. 12.

Quod ad verba attinet: *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

2. Cor. 5. verſ.

De operibus verò commiſſis ita docet Apoſtolus: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Matt. 25.

Et de omiſſis tradit Evangeliſta Matthæus judicandos reprobos: *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, Sitivi, &c. Ite maledicti in ignem æternum.*

I. Etiamne de operibus bonis inſtituetur examen in die judicii?

Job. 9.

R. Ita: penſabitur ibi quâ intentione, & quâ perfectione facta fuerint; an omnibus ſuis numeris abſoluta, & circumſtantiis neceſſariis adornata. *Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me.*

I. Si de his omnibus exigenda eſt ratio in die judicii, qui fit, quod in ſententia per Judicem proferenda ſola mentio fiat operum miſericordiæ, & omiſſionis eorum?

Vide Auguſt. l. de fide & operibus c. 15. 16. 4.

R. Ut ſciant homines in iſto tribunali inquirendum non de fide ſolùm, ſed etiam de charitate, & operibus. *Secundò,* ut ſciantur damnationi magis futuri obnoxii, qui poſitivè Deum in multis peccatis offenderint, quandoquidem illi damnentur, qui ſolùm opera miſericordiæ neglexerint. *Tertiò,* ut intelligamus nullum eſſe uſque adeò grave peccatum, quod charitas non operiat, ut proinde juſtè damnandi ſint, qui peccata ſua eleemoſinis, & operibus miſericordiæ non redemerint.

I. Quinam erunt in iſto judicio extremo accuſatores, qui teſtes?

Accuſatores & teſtes in judicio qui futuri.

R. 1. Peccatores ipſe Judex accuſabit, & adverſùs eoſdem teſtimonium proferet, juxta illud Jerem. 29. *Ego ſum Iudex, & teſtis.* Pſ. 49. *Exiſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Et Matt. 25. *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.*

2. Impii accuſabuntur ab Angelis ſanctis, quorum monitis, ac directioni acquieſcere noluerunt.

3. A dæmonibus, ut ex Cypriano ſuprà diximus. Vide S. Leonem ſermone 4. de collect.

4. Accuſabuntur peccatores à veteris, & novi teſtamenti libris, ex quibus patebit quid Deus fieri mandaverit, quid promiſerit, quid comminatus ſit: *Iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris.* Apoc. 20. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Dan. 7. S. Auguſtinus lib. 20. de civit. c. 14. de libris novi, & veteris teſtamenti intelligit, & poſt illum Beda in Apoc. Unde Dominus Joan. 5. *Eſt qui accuſat vos Moyſes in quo ſperatis.* Et Joan 12. *Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.*

5. Accuſabuntur à propria conſcientia, in qua tanquam in libro deſcripta erit uniuſcujuſque vita, uti lect. ſeq. dicemus.

Hor-

Hoc eſt, quod ait Apoſtolus Rom. 2. nu. 15. Gentes, quæ carent lege Dei ſcriptâ, *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus in die cùm judicabit Deus occultâ hominum.*

Sup. init. Aruius lect. qu. 3. & 4.

6. Accuſabuntur impii ab omnibus creaturis, quæ Creatori ſuo deſervientes exardeſcent in tormentum adverſùs injuſtos. Sap. 16. & ſuâ commotione oſtendent ſe indignari impiis, qui ipſis abuſi ſunt, & indignos ſe præbuerunt earum uſu.

7. Accuſabuntur ab his quibus fuerunt cauſa, ſive occaſio damnationis, quos ſcandalizando, aut negligenter regendo, aut non corripiendo, aut alio modo officium non impendendo ad perditionem traxerunt.

I. Habeſne pro confirmatione præmiſſorum exempla?

Exempla.

R. Habeo: *Refert Ioannes Climachus ſolitarium quemdam in Choreb habitaſſe. Hic cùm diu negligentiſſimè vixiſſet, non habens animæ curam, morbo tandem ad extrema deductus eſt; cumq; è corpore jam migraſſe videretur, poſt horam ad ſe rediit, rogans, ut inde abſcederemus. Cellæ verò aditum obſtruens manſit intus annis duodecim nihil præter panem, & aquam guſtans, & ſedens attonitus volvebat ſemper quæ viderat. & ita fixo cogitatu, ut nec vultum immutaret, vim; ſolùm lachrymarum profundens. Cùm jam morti foret vicinus, rupto aditu, ingreſſi ſumus; cumque ab illo doctrinæ verbum ſupplices requireremus, hoc tantùm audivimus:* Ignoſcite mihi, nemo qui mortis & judicii memoriam verè agnoverit, peccare unquam poterit; *Nos verò mirati ſumus talem in eo qui adeò negligens fuerat, beatiſſimam transformationem.*

Dueis peccat.

Refert Granatenſis defunctum quemdam poſt mortem apparuiſſe amico maximis oppreſſum doloribus, magnâ & lamentabili voce exclamantem; Nemo credit, nemo credit, nemo credit. Amicus expaveſcens rogat, quid ſibi velit talis exclamatio: Cui ille; nemo credit quàm strictè judicat Deus, & quàm ſeverè caſtigat.

In vitis Patrum narratur exemplum de Fratre quodam, qui volebat converti, & cùm retraheretur à Matre ſua non acquievit Matri, ſed dixit; volo ſalvare animam meam. Sicque tandem effectus eſt Monachus; ſed in Monachatu converſatus eſt negligenter. Cumque poſt obitum Matris ſuæ ipſe in gravi ægritudine conſtitutus factus eſſet quâdam die in mentis exceſſu, raptus eſt ad judicium Dei, invenitque Matrem ſuam cum his qui judicabantur. Quæ viſo filio ſuo obſtipuit, dicens: Quid eſt hoc, fili, quod & tu in locum hunc condemnatus veniſti? ubi ſunt verba quæ protuliſti? Salvare volo animam meam. Qui confuſus eſt verbis Matris præ dolore ſtupidus factus ſtetit attonitus, non habens quod Matri reſponderet. Poſteà Deo miſerante à ſua infirmitate curatus cogitavit factam eſſe ſibi divinitùs illam viſitationem, ac viſionem. Idcircò de cætero ſe incluſit ſedens, & ſollicitè cogitans de ſua ſalute, de priori ſua negligentia pœnitens, ac eam deplorans. Tanta autem ſerioſitas, & compunctio ejus fuit, ut multi eum rogarent quatenùs paululùm de rigore ſuo remitteret, ne ex nimio fletu, quem ſibi indixerat, aliquam ſibi vim, ac læſionem inferret. Ille autem nullam admittens conſolationem, dixit: Si improperium Matris meæ non potui ſuſtinere, qualiter in die judicii potero confuſionem, & exprobrationem Chriſti, & Angelorum adverſùm me tolerare.

LECTIO QUINTA.

Vivos & mortuos.

I. Quare dicis ſic: *Venturus eſt judicare vivos & mortuos?* nonne tùm omnes homines mortui erunt, & à morte ſuſcitati?

R. Per *vivos* intelligi debent, qui in illo die vivi invenientur, & nihilominùs

uno inſtanti morientur omnes, & in momento reſurgent ad vitam immortalem, ut propterea videri poſſint non mortui, ſed ſemper vivi: In quorum perſona dicit Apoſtolus: *Nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.* 1. Theſſ. 4.

Per *mortuos* verò intelligi debent, qui pridem fuerunt mortui, & inter mortuos jacuerunt ſepulti.

I. Erimuſne omnes ibi antè tribunal Chriſti mixtim, & abſque ordine?

R. Jam ante audiviſti, quòd Angeli ſeparabunt malos de medio juſtorum ad eum modum, quo piſcatores ſolent *ſagenam educentes, & ſecùs littus ſedentes eligere bonos piſces in vaſa, malos autem foras mittere*; vel quo Paſtor *ſegregat oves ab hœdis*, vel etiam ſicut *meſſores colligunt Zizania, & alligant ea in faſciculos ad comburendum; ſic erit in conſummatione ſæculi.* Matt. 13. Matt. 25. Matt. 13.

I. Qui ſunt homines malis piſcibus, hœdis, & zizaniis comparati?

R. Sunt præſertim mali Chriſtiani, qui cum fidelibus Dei ſervis mixti, ſicut cum tritico palea, fruſtrà participarint in iiſdem religionis Sacramentorumque bonis, in ejuſdem doctrinæ diſciplinis, ſub ejuſdem capitis magiſterio. Dico *præſertim malè Chriſtiani*; nihil enim ab aliquo ſeparatur niſi cum eo mixtum fuerit. Quoad hæreticos, qui luporum inſtar in medium ſe gregem ingerunt, non eſt quod ſeparentur, pridem enim ipſi ſe ſegregarunt, & communi hominum judicio à Catholicis ſegregati extiterunt.

I. Declara hanc ſeparationem, & differentiam, quæ erit bonorum à malis Catholicis familiari aliquâ ſimilitudine?

Simile. R. Tempore hyb[e]rno vix poſſis notare aliquam differentiam inter vivas & mortuas arbores, ſed accedente vere, licet videre quænam ex illis viteſcant, foliis, & floribus exornentur; quænam verò mortuæ maneant abſque ullo vigore, frondibus, floribus: Ita, &c.

I. Triſtis admodùm, & acerba erit ejuſmodi ſeparatio ab invicem.

R. Supra quàm dici poteſt. Nunquid enim pudendum erit eum, qui multis nominibus præcellere cæteros videbatur, ad ſiniſtram cum hœdis ſtatui, cæteros ad dexteram cum ovibus collocari? maritum ab uxore dividi, Filium à Patre, Matrem à natis, quos ingenti dolore peperit, ubere lactavit, amantiſſimè educavit; ipſum Parochum à ſubditis ſuis; ipſum Prædicatorem ab auditoribus; diſcipulos à magiſtris, à quibus eruditi ſunt, ſeparari æternùm; æternum ſeparari? Sacerdote, Parocho, Prædicatore, Magiſtro, Confeſſario, ad ſiniſtram poſitis eorum, quos ſpiritualiter paverunt, erudierunt, abſolverunt? Ibi contingit quod prædixit Dominus: *Tunc duo erunt in agro; unus aſſumetur, & unus relinquetur; duæ molentes in mola, una aſſumetur, & una relinquetur.* *Acerba admodum ſeparatio in judicio reproborum ab electis.* Matt. 24. Matt. 24.

I. Cunctis jam ſuo ordine, & gradu conſiſtentibus, quid fiet?

R. *Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Ergò erravimus à via veritatis, & lumen juſtitiæ non luxit nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis, quæ pertranſiit fluctuantem aquam: cujus, cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus, &c.*

Et

Et infrà: *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt: quoniam ſpes impii tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.* Tunc aperientur libri rationum, *ut reddatur unicuique ſecundùm vias ſuas, & ſecundùm fructum adinventionum ejus.*

Libri rationum in judicio.
Jerem. 21. n. 19.
Apoc. 20.

Lege librum Apoc. cap. 20. ubi ſanctus Propheta dicit: *Et vidi mortuos magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta ſunt in libris, ſecundùm opera ipſorum.*

I. Velim nonnihil latiùs de iſtis libris edoceri?

Libri aperti quid?

R. Advertere potuiſti in textu trium ut minimùm librorum mentionem factam: dicitur enim: *& libri aperti ſunt,* quod niſi de duobus ut minimùm intelligi debet, & ſequitur: *& alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.* Secundò, libri iſti non ſunt aliud quàm conſcientiæ, & memoriæ ſingulorum, in quibus quaſi in libris deſcripta ſunt cujuſque facta tam bona, quàm mala. De iis enim ſubdit: *Judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum.* Tertius verò liber, cujus frequens eſt in ſcripturis mentio, eſt liber prædeſtinationis Dei, in quo omnes, & ſoli conſcripti ſunt ii, qui deſtinati, & electi ſunt ad vitam æternam, idque diſtinctè, & abſque ullo periculo oblivionis: Imò efficaciter, & abſque periculo deletionis, utpotè jam vitâ peractâ, & operibus cujuſque per mortem conſummatis.

Libri vitæ, S. Tho. 1. p. q. 24. a. 1.

I. Qualiter aperientur iſti libri in judicio?

R. Aperiet Deus in die judicii hoſce libros, tum ſingulis ſuos proprios, ſcilicet conſcientiæ, & memoriæ cujuſque objiciendo ſua facta, tum omnibus aperiet aliorum omnium libros, & conſcientias, ut videant, & quaſi legant omnium, & ſingulorum facta, dicta, cogitata, Deo ipſo Judice ſupernaturale præbente lumen, ac concurrente ſupernaturaliter, cum quocumque, ut videat facta cujuſque in alterius conſcientia, & memoria, quaſi deſcripta. Vid. 1. Cor. 4. & 8. Tho. qu. 87. in Supplemento.

Aug. 20. de civit. c. 14.

I. Deus bone! quanta peccatoribus erit confuſio, nullumne ſuppetit remedium?

R. Audi, & fac quod ſuggero. Noli deinceps funeſtis iis, & infernalibus literis depingere libros tuos, id eſt, conſcientiam tuam, ſed, ſi quid jam tua peccata in eis deſcripſerint, tu lachrymis pœnitentiæ oblitera. Hoc eſt S. Bernardi conſilium ex Apoſtoli verbis: *Si noſmetipſos dijudicaverimus, non utique dijudicabimur. Bonum judicium, quod me illi diſtricto divinoque judicio ſubducit, & abſcondit. Prorſus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui iræ judicatus præſentari, non judicandus. Judicabo proinde mala mea, judicabo & bona; ſcrutabor vias meas, & ſtudia mea, quo it, qui ſcrutaturus eſt Hieruſalem in lucernis, nihil inſcrutatum in me, nihil indiſcuſſum inveniat.* Idem conſilium dat S. Aug. ſer. 181. de tempore.

Ber. 55. in Cant.
1. Cor. 11.

I. Magnum iſtud & univerſale judicium abſolveturne unico temporis momento?

1. Cor. 15.

R. Reſurrectio quidem mortuorum fiet in momento, in ictu oculi, ut Apoſtolus docet, & ibi Patres; ſed partes corporis reſuſcitandi à variis locis in unum colligentur modiciſſimo tempore per Angelos, qui corpora movent non in inſtanti, ſed tempore breviſſimo. Conſcientiarum verò diſcuſſio, peccatorum redargutio, juſtorum commendatio, ſententiæ prolatio, & totius judicii conſummatio, ſuam habebit alicujus temporis moram; præſertim cùm illa omnia à Chriſto Judice gerenda

V 3

Digitized by Google

da ſint ad homines accommodatè ad eorum naturam, & conditionem. Vide S. Greg. lib. 26. Moral. cap. 10.

LECTIO SEXTA.

De Sententiæ pronuntiatione.

I. Quis eſt actus ultimus extremi judicii.

Matt. 25.

R. Sententiæ pronunciatio.

I. Quid per hoc intelligis?

R. Intelligo, quòd Chriſtus Dominus Judex vivorum & mortuorum, ſingulorum meritis ritè diſcuſſis in favorem electorum hanc ſententiam dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* q. d.

Sententia in favorem electorum pronuntianda.

Venite de tenebris ad lucem, de ſervitute ad libertatem Filiorum Dei, de labore ad requiem perennem, de bello ad pacem, de morte ad vitam, de malorum ſocietate ad Angelorum conſortium, de agone ad triumphum, de ſolo & ſalo tentationum ad Solem gloriæ, & juge cœlum gaudiorum æternorum.

Electi auditâ definitivâ hâc ſententiâ in ſuum favorem indicibiliter lætabuntur.

I. Nunquid indicibili lætitiâ afficientur electi, audito hoc verbo?

R. Suavis planè & beata ipſis accidet hæc vox Chriſti invitantis ad regnum; Nec dubium quin profundiſſimâ reverentiâ ſe demittent, ac proſtrati, vel genuflexi illum adorabunt confitentes, & exultantes ſe ejus ſanguine, & meritis ad tantam felicitatem evectos, ut patet Apocal. 5. & 7. ubi videre eſt, & audire eorum jubilos, doxologias, & epicinia, quæ Deo & Chriſto pleno ore, & corde accinent.

I. Habeſne exempla ad rem hanc pertinentia?

Exempla.

R. Habeo. *Aprononianus Commentarienſis*, id eſt, carcerum cuſtos, *adhuc gentilis cum S. Siſinium è carcere educeret, ut Laodicio Præfecto præſentaret, vocemque è cœlo factam audiret: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi, credens baptizatur, & poſteà in confeſſione Domini finem vitæ capitali ſententiâ accepit.*

Martyrol. Rom. ad 2. Febr.

B. Mechtildis Virgo, Filia Comitis cujuſdam Germaniæ, ſponſa Chriſti ab ineunte ætate, tanto in his verbis deliciabatur affectu, ut cum feriâ quartâ poſt diem Paſchæ inchoaretur introitus Miſſæ per illa ipſa verba: venite benedicti Patris mei; Ipſa inſolitâ lætitiâ (noverat enim linguam Latinam) exultaret & Domino dixerit: O ſi eſſem una ex illis benedictis, qui hanc dulciſſimam vocem ſunt audituri: Tunc Dominus ad eam: Scias certò te ex illis eſſe, & ut nihil dubites: ecce tibi do cor meum in pignus amoris, & in domum refugii, ut ſemper & maximè in hora mortis ibi conſolationem, & requiem invenias. Ex eo ergò tempore facta eſt mira cordis Chriſti, & illius conjunctio, ſive ſpiritus creati, cum increato unio. Cùm verò jam in mortis agone eſſet conſtituta, nihil aliud dicebat, quàm hæc verba: JESU bone, JESU bone. *Hæc aſſiduè replicabat apertè demonſtrans illum cordi ſuo impreſſum, cujus nomen inter acerbos mortis dolores tam ſuaviter ruminabat, tam crebrò ingeminabat. Inſtante autem horâ, quâ migratura erat, Dominus eam lumine divinitatis ſuæ totam illuſtrans, ſuavi voce invitavit.* Veni benedicta Patris mei, poſſide regnum, quod tibi præparatum eſt à conſtitutione mundi, *commonefaciens eam doni illius, quo in pignus amoris cor ſuum Chriſtus illi dederat, dum illa verba in Miſſa cantarentur. Igitur illa beata anima in ipſum cor* JESU *ſuaviſſimè admiſſa, ſempiternis ejus gaudiis feliciter fuit ſociata.*

In vita ejus.

B. Petrus Alcantara Ordinis S. Franciſci abſoluto vitæ curſu, in extremis ruminans hanc Dei promiſſionem de regno, totus in ſpiritu exhilaratus, animam Deo reddidit hæc verba pronuntians: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.

Pſal. 121.

Similem vocē audivit S. Quintinus poſt

varia tormenta pro Chriſto fortiter tolerata, & tunc anima ejus in forma candidæ columbæ in cœlum viſa eſt conſcendere, ut regni foret particeps.

Sententia in reprobos pronuntianda. Matt. 25.

I. Quænam ſententia feretur contra reprobos?

R. Hæc: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.*

I. Quid indicat iſtud *diſcedite?*

R. Pœnam damni, id eſt, ſeparationem à Deo, & privationem gloriæ.

I. Eritne pœna iſta gravis, & acerba?

R. Graviſſima: Si enim dum quis in exilium extra patriam pellitur à domo paterna, & amicorum conſortio, tantus eſt luctus; quantæ hîc erunt lamentationes, dum ab illa patria reprobi abſcedere coguntur, quæ iis jure baptiſmi debita erat, & Chriſti Sanguine empta; à Deo Patre, à Virgine Matre, ab Angelis, à Fratribus Chriſtianis; & hoc non ad tempus, ſed in æternum ſeparati.

I. Quid ſibi volunt iſta verba: *in ignem æternum?*

Apoc. 9. v. 9. Lib. Moral. c. 39.

R. Deſignant pœnam ſenſus, pœnam, inquam, ignis, in quo vivi comburentur nec conſumentur, *deſiderabunt mortē, & fugiet ab eis.* Hinc Gregorius dicit: *Horrendo modo ſit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu; quia & mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit: mors perimit, & non extinguit.*

I. Miror Theologos dicere pœnam ſeparationis, ſive privationis viſionis Dei, quam vocant *damni*, graviorem eſſe pœnâ ignis; & totâ gehennâ, quam *pœnam ſenſus dicunt?*

Paræneſi I. ad Theodorum lapſum. Vide Bellarm. l. 2. de gemitu Columbæ c. 2.

R. Ratio eſt, quia cùm viſio ſit tota merces; privatio viſionis erit velut tota pœna, ſaltem principalis. Hinc Chryſoſtomus: *Multi timent ſolum ignis acerbitatem, ſed hæc pœna longè gravior erit, & acerbior. Ignis eſt intolerabilis, ſed ſi mille mihi ignes proponas non tanti æſtimo ac privari illâ beatitudine, gloriâ, præſentiâ Chriſti.* Similiter loquuntur alii Patres.

I. Horrendum igitur erit illud tonitru, quod aures impiorum percellet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum?*

Exod. 20. n. 9. Simile.

R. Ita maximè. Declaro hoc ſimili. Si populus Iſraëliticus non poterat terribiles, & ſonoras Domini, id eſt, Angeli Dominum repræſentantis, & legem vice Dei tradentis, voces æquis auribus audire, *ſed perterriti ac pavore concuſſi, ſteterunt procul; dicentes Moyſi: loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.*

Matth. 21. v. 12. Joan. 2. v. 14.

Si tanto imperio Chriſtus Dominus adhuc mortalis, redemptor, & mediator hominum, ejecerit è templo vendentes, & ementes.

Matt. 26. Leo ſer. 1. de Paſſione. Pſal. 138. Pſal. 10.

Si tantâ vi ad duo verba, *Ego ſum*, inimici ejus ſubverſi ceciderunt retrorſum; *Quid jam poterit majeſtas ejus judicatura, cùm hoc potuit humilitas judicanda?*

I. Poteruntne fugere reprobi?

R. Minimè, nam eorum Judex omnipotens eſt, & omnem implet locum; juxta illud Pſalmi: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; Si deſcendero in infernum, ades. Pluet ſuper peccatores laqueos*, quibus conſtricti projiciantur in tenebras exteriores. Et ipſi Cacodæmones, uti divinæ juſtitiæ executores, confeſtim terrâ hiante, & inferno os ſuum dilatante, eos in barathrum pertrahent. Imò flamma eos velut torrens abripiet, elementis omnibus cum cœlo quaſi militibus armatis ad ultionem inimicorum ſua tela vibrantibus. *Hic eſt fluvius igneus, rapidusque, qui egrediebatur*, vidente Daniele, *à facie Domini*. Tunc dicent *montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.*

Dan. 7. Apoc. 6.

Prius electi quàm reprobi judicantur quare?

I. Sed quare Judex priùs judicat præmiatque electos, quàm puniat reprobos?

R. 1. Quia electi digniores ſunt reprobis.

Digitized by Google

bis. 2. Quia Chriſti proprium eſt præmiare, alienum punire. 3. Ut reprobi acriùs doleant videntes quid amiſerint. *Bern. ſer. 8. in Pſal. 90.*

I. Operabiturne utraque ſententia æternum effectum? id eſt, merces à Deo juſtis reddita eritne æterna, ſimiliter & pœna reprobis inflicta?

Iudicii totius concluſio.

R. Ita Et hæc eſt totius judicii concluſio: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.*

Matt. 25.

I. Bone Deus! quàm acerbum, mœſtum, & funeſtum futurum eſt æternum hoc damnandorum à ſalvandis divortium?

Luc. 16. Num 26.

R. Benè dicis. *Firmatum eſt enim chaos magnum inter utroſque*, ut aiebat Abraham ad divitem Epulonem in inferno ardentem. Adeò quòd deinceps nunquam ampliùs, Sanctos; licet amicos, fratres, parentes, ſunt viſuri in æternum, in æternum.

Qui habet aures audiendi, audiat.

Qui ergò ſapis, quotidiè aſcende in cœlum, & deſcende in infernum, ut hinc tibi ſit ſtimulus ad fugam vitiorum, & illinc ad ſtudium virtutum.

I. Habeſne terribile aliquod exemplum, ex quo veritas appareat eorum, quæ de rigore Divini judicii dicta ſunt?

Exemplum. Ex Ioan. Climacho Carthuſ. de 4. noviſſ. artic. 34.

R. Ita. *Fuit in Monte Sinai habitans Monachus nomine Stephanus, ſolitariam & tranquillam diligens vitam, qui multis annis ſub obedientia vixit in jejuniis, & lacrymis, aliiſque operibus bonis. Qui tandem deſiderio pœnitentiæ arctoris Anachoreticam vitam (id eſt, omninò abſtractam & contemplativam) aſſumpſit, habitans in loco valdè remoto à clauſtro; in quò vixit multis annis in anguſtiſſima vita, & arctiſſima pœnitentia: nam & locus ille omni conſolatione humanâ carebat: & ferè inacceſſibilis fuit cunctis hominibus. Poſtmodum verò jam ſenex circà finem vitæ ſuæ rediit ad cellam ſuam in Monte hoc Sinai ſitam, & habuit duos diſcipulos multùm religioſos. Habitans autem in cella ſua paucis diebus infirmatus eſt infirmitate, quâ obiit. Qui ante unum diem mortis ſuæ factus in extaſi mentis, apertis oculis aſpiciebat ad dextram, & ad ſiniſtram lectuli ſui, & quaſi ad reddendam rationem, à quibuſdam exactus dixit aſtantibus, quos ipſe videbat, audientibus cunctis, qui aderant: utique verum eſt, quod in hoc culpabilis fui, ſed confeſſus ſum, & tanto tempore jejunavi pro remiſſione culpæ iſtius: aliquando verò dixit: Nequaquam, ſed mentimini, iſtud non feci. Et rursùs quandoque ait: ita verè iſtud eſt, ſed deflevi, & Deo miniſtravi: aliquando quoque reſpondit: calumnioſè accuſatis. Ad aliqua autem dicebat: verè ſic eſt, & ad hoc reſpondere non poſſum, ſed Deus miſericors eſt. Et erat horribile & horrendum ejuſmodi ſcrutinium, in his etiam quæ non fecerat, per inviſibiles hoſtes, qui eum accuſabant. Si vir tantus, qui per annos quadraginta circiter Monachus fuit, & lacrymarum donum habens de aliquibus culpis dixit: Ad hoc non ſcio, nec poſſum aliquid reſpondere, ut incertum nobis maneat, quod fuerit ejus judicium, aut quæ ſententia ejus, vel quis finis rationum exactarum, qualiter nos peccatores, & omni ex parte infirmi timere debemus, ne rationibus reddendis impares ſimus, & pro mille unum non reſpondeamus?*

Sancti adhuc in hac vita ſententiam definitivam extremi judicii valde timuerunt.

I. Certè ut videò, eſt quod nobis multùm timeamus, & ſalutem noſtram, cum timore & tremore operemur.

In Lament. orat. 26. & 29. to. 2 Biblioth. SS. Patrum.

R. Iſaias Abbas, qui crebrò ignem æternum, & Dei judicium meditabatur, hominum miſeriam deplorare non ceſſabat multis cum lacrymis: *Væ nobis*, inquiebat, *qui tenebroſum illud, & materiæ expers incendium, æternumque & amarum fletum, & ſtridorem dentium non conſideramus, &c*

Væ nobis, qui hic ſine timore nos peccatis abſtringimus, & quoniam nos illic æternus ignis excipiet, & tenebræ exteriores, & vermis qui non dormit, &c.

Væ

Væ nobis, qui cùm aſſiduos conſcientiæ reprehendentis ſtimulos ſentiamus, non erubeſcimus, nec rationem actionum noſtrarum reddituri Dei judicium formidamus.

Væ nobis, qui in hoc exiguo vitæ ſpatio, ut iniquæ, & brevi carnis cupiditati ſatisfaciamus, nos jucundiſſimo divinæ gloriæ ſpectaculo indignos conſtituimus.

Et iterùm alibi exclamat: Me miſerum! me miſerum! quia nondum à gehennæ igne ſum liber. Qui ad illam homines detrahunt adhuc in me operantur, adhuc in corde meo radices agunt, & peſſimos fructus ſuos proferre cupiunt, &c. Nondum video quæ mihi apud Iudicem poſſit eſſe fiducia, &c. Reus qui in carcere vinctus eſt non lætatur, qui ferreis obſtrictus eſt vinculis, voluntatem ſuam non facit, non quieſcit, non edit cùm voluptate, cujus collo injectus eſt laqueus; neque ampliùs cogitat quomodo alia ſcelera committat, ſed in luctu eſt ob illa propter quæ obſtrictus eſt. quî conſiderat extrema illa ſupplicia, quibus afficiendus ob peccata, is animum in cæteris non habet occupatum, cor ejus ſtimulat dolor tormentorum.

Exemplum. *Refert Theodoretus ſe vidiſſe Thalelæum, qui cùm maximè eſſet corpore, incluſit ſe rota, quæ alta erat cubitus duos; lata unum, ita ut collum non poſſet erigere, ſed ſemper incurvus faciem habebat annexam genibus; & ita ſederat decem annos continuos. Rogavit eum Theodoretus, cur ſeſe ita affligeret? Reſpondit; Ego multis peccatis ſum obnoxius, & audivi pœnas, quæ in futurum parantur: elegi ergò potiùs corpus hîc caſtigare pœnâ mediocri, quàm expectare pœnas longè graviores.*

Exempla plura ad hanc rem pertinentia lect. ſequenti.

Luc. 21. ***Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.***

LECTIO SEPTIMA.

De æternitate pœnæ, & remediis pro ſecuritate in judicio.

I. DEclara mihi paulìſper, atque, ut ſoles familiariter, quid ſit *æternitas*

R. Ingenuè fatebor, quòd æternitatem definire nequaquam poſſim, cùm reverâ nullam habeat definitionem, nullos terminos, circumſcriptionem nullam; utpotè quæ omni ex parte tranſcendat intellectûs noſtri vim atque operationem, nec limites ullos aut finem admittat; ut tamen aliquid ſecundùm modulum noſtrum de ea dicamus, aliquot ſubjicio puncta conſideranda.

1. Conſidera tot annorum millia, quot ſunt momenta in tempore à creatione mundi; quot guttæ in mari, quot arenæ in littore maris: nihil hactenus numerando profeciſti, plus enim reſtat, quàm numeraris, & æternitatis necdum habes principium. Hæc erit deſperatio damnatorum in ignem detrudi, non per myriades annorum, ſed totam æternitatem, durabunt nimirum illorum tormenta quamdiu cœlum erit cœlum, terra erit terra, Angelus erit Angelus, Deus erit Deus; quia *fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* *Apoc. 14.*

Æternitatis aliqualis declaratio. Vide infr. p. 4. §. 6. l. 4.

2. Si Deus diceret damnatis: Impleatur terra arenâ munitiſſimâ, ita ut totus orbis hiſce arenæ granulis repleatur à terra uſque ad cœlum Empireum; & milleſimo quoque anno veniat Angelus, dematque ex hoc arenæ cumulo unum granulum; cumque poſt tot millenarios annorum quot ſunt granula, ea exhauſerit, liberabo vos à gehenna: O quàm exultarent damnati! Nunc autem poſt omnes hos millenarios reſtant alii, & alii millenarii in infinitum, in æternum, & ultrà.

3. Quiſquis diem extremum in ſtatu peccati mortalis obierit, ſive peccatum il-

lud operis ſit, ſive locutionis, ſive ſolummodò cogitationis, pœnas æternas in gehenna ignis ſuſtinere cogetur. Hoc eſt fidei articulus.

4. Si pro quolibet peccato mortali oporteret ſolum annum unum integrum inferni igne comburi, & ibidem tot annos gehennam pati, quot mortalia commiſiſſes, tolerandum id foret; imò ampliùs dicam; ſi pro quolibet mortali oporteret iſto igne cremari tot millenos annorum, quot ſunt ſtellæ in cœlo, arenæ in littore maris, herbæ in univerſa terra, guttæ aquæ in toto Oceano, folia æſtivo tempore in ſingulis arboribus, &c. magna foret damnatis conſolatio, qui tandem aliquando finiendam ſciret damnationem ſuam, verùm non poſuit metam ullam divina juſtitia, nullum finem tormentorum; ſed voluit illa æternùm durare; ut ſicut miſericordiæ Dei, ita & juſtitiæ ejus perfecta ſint opera. *O Æternitas quàm longa! quàm acerba pœnarum infernalium æternitas! Sed; ſed quàm rarò verſaris in mentibus hominum! Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis.*

Ubi miſericordia Dei non eſt numerus, ita nec juſtitia ejus.

Iſai. 33.

5. Dum ad peccatum ſolicitaris, æternitatem cogita. Dum te titillat gula, libido, ambitio, dicito. Non ſum tam ſtultus, ut momento uno fœdæ voluptatis emam æternitatem dolorum, æternitatem pœnæ, & feræ, heu nimis! pœnitentiæ: quia non ſunt condignæ voluptates, deliciæ, & veneres, hujus temporis ad futuram pœnam, quæ revelabitur in damnatis. Quod enim momentaneum eſt, & leve voluptatis ebriorum, ſuperborum, libidinoſorum, æternum tormentorum pondus operatur in eis. Verè Sanctus Auguſtinus: *Quis, ait, nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?*

Serm. de S. Laurentio.

Venerandus Beda in hiſtoria Anglicana; refert ſenem quendam vita reſtitutum, infernum conceſſiſſe, ubi ſuper hominem auſteram & religioſam vitam duxit; Increpabant eum vicini, quod ſe enecaret, quibus ille in lacrymas ſolutus: O utinam vobis datum eſſet ea videre, quæ ego vidi! certò certiùs affirmo has pœnas nihil eſſe ad æternas illas, quas vidi.

Olympius Abbas cùm cellam perexiguam incoleret, quam & æſtus impetebat, & cyniphum aculeata turba, rogatus quî in ea tanto tempore moraretur; *libenter, inquit, iſta tolero, ut futuris cruciatibus eripiar. Cyniphes quippè perfero, ut immortalem effugiam vermem: æſtum verò, ignem ſempiterni ardoris perhorreſcens.*

Sophro. in prato ſpirituali. c. 141.

I. Retribuiturne juſtè pœna æterna peccato duratione momentaneo?

R. Ita, quia licet actio brevis ſit opere, longa tamen eſt pertinaci voluntate, quâ ab æterno ſummoque bono receditur. S. Auguſt. lib. 21. de civitate Dei, cap. 12. & 13. Bern. epiſt. 35. S. Thom. 1. 2. quæſt. 87. art. 3.

Peccatum duratione momentaneum juſtè æterna pœna punitur.

I. Quid nobis modò faciendum eſt, ut poſſimus adventantem magnum illum diem Domini majore cum ſecuritate animi expectare?

Vide ſup. circa fin. l. 5. quæ nos ibi ex S. Bern.

R. Sæpè nobis diſcutienda eſt conſcientia, rationeſque ſupputandæ dictorum, factorum, cogitatorum; *vias meas*, aiebat patientiæ illud exemplar, *in conſpectu ejus arguam, & ipſe erit Salvator meus.* Sanè cùm neſciamus qualis ſit in nos ſententia proferenda, & fortaſſe non longè abſimus ab illo momento, cùm judicio ſiſtemur, habemus magnam metuendi cauſam. Itaque conſcientiam noſtram perluſtremus, ubi fortaſſis plura inveniemus digna damnatione, quàm ſalute; plura, inquam, peccata, quàm bona opera; quippe qui quotidiè peccata peccatis addimus, de virtutibus colligendis nihil cogitamus; minora peccata venialia pro nihilo ducimus. De bonis operibus, quorum tibi conſcius es, noli eſſe abſque metu; ne ſi Deus illa mercede, & præmio temporali in hac vita compenſavit, tibi poſteà dicatur: *Recepiſti bona in vita tua; recepiſti mercedem tuam.*

Job. 13.

Remedium pro ſecuritate in judicio.

Luc. 16.
Matt. 6.

Ergò

Ergò bona tua opera, & virtutes, quas te habere putas, diligenter perſcrutare an in Deo ſint facta, an debitis omnibus circumſtantiis undequaque veſtita, &c. Ad hæc & ejuſmodi nos vigilare ſæpè Dominus, ſæpè monent Apoſtoli, ne imparatos, & ſomno deditos inopina dies illa comprehendat.

I. Multi profectò omni tempore improviſâ morte extinguuntur.

R. Verùm dicis. Nihil minùs quàm de interitu cogitabant Sodomitæ, quando de illo Deus cum Abrahamo colloquebatur. *Gen. 14.* Coré, Dathan, & Abiron animo, & cogitatione in peccato ſuo erant defixi, quando Moyſi Deus de inuſitata morte & punitione conſilium ſuum aperiebat. *Num. 16.* Metuas igitur ne te ſecuram in peccatis vitam agente, nihilque minùs quàm de futura ſententia cogitante, fortaſſe Deus in ſecreto ſuo conſilio de te in gehennam ignis ante veſperam demergendo cum ſuis communicet, ſententiamque formet. *Improviſa mors metuenda.* Sexcenta ſunt alia exempla, quæ mortis adeoque judicii repentini nos commonent. Abſalon arboris ramis curſim implicitus fatalem lanceam hauſit, cùm ad optimū Sanctiſſimumque parentem regno vitaq; exuendum furore & crudelitate raperetur. Quod, quàm triſte Patri acciderit, vide 2. Reg. 18.

De Onan Filio Judæ Patriarchæ, Geneſ. 38.

Multis accidit. Exempla.

De Oſa Levita, 2. Reg. 6.

De primogenitis in Ægypto. Exod. 11.

De 185. millibus in exercitu Senacherib Regis Aſſyriorum per Angelum ſublatis nocte unâ, 4. Reg. 19.

De Holoferne, Judith, 13.

De Aman, Eſtheris 7.

Sed progrediamur.

Secundò, per hunc ſalutarem judicii metum, & conſcientiarum perſcrutationes crebaſque diſcuſſiones ulteriùs progrediendum eſt ad diſſolvenda debita, faciendo dignos pœnitentiæ fructus: *Convertimini*, aiebat illi magni judicii Prædicator, *ad me in toto corde veſtro*, &c. *Joel. 2.* *quia benignus & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Et ſapiens: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius.* *Eccleſ. 5. & 17.*

Nota, duo potiſſimùm ſunt Christo Domino à nobis debita; primùm eſt progreſſus in virtutibus, & perfectione Chriſtiana; alterum ſi pro fragilitate noſtra aliquid admiſimus, tenemur ei pœnas dare. *Duo debita noſtra diſſolvenda quomodo?* Ita duo debita ante diem rationis maturè diſſolvamus; Et quidē pœnæ peccatis debitæ Sacramento pœnitentiæ crebrò expientur, voluntariiſque pœnis, & carnis afflictionibus deleantur; & ſi quæ ex theſauro Eccleſiæ Indulgentiæ conceſſæ fuerint, magno ſtudio, & demiſſione ad peccatorum condonationem ſuſcipiantur. Progreſſus in virtutibus, & cōpreſſio paſſionum ita curari poterit, ut peractâ confeſſione, cum animo tuo feriò conſideres, quibus potiſſimùm vitiis abūdes; tum illa ſibi expugnanda, & penitùs tollenda proponas; *Inſignis modus proficiendi in virtutibus.* quod propoſitum, ut manè quotidiè implorata ope divinâ eſt concipiendum, ita ſemel iterumque de die, præſertim veſperi de ejus obſervatione eſſet ab animo tuo exigenda ratio; ut quoties eo die lapſus fueris, quantum promoveris, clarè & perſpicuè intelligas. Ita ſenſim ſuperatis vitiis non erit difficile pulcherrimis virtutum ornamentis mentem illuſtrare, & in futuro examine Chriſto in virum perfectum occurrere, eique inſignis progreſſûs ſpecimen exhibere.

Tertiò, ſæpè communicandum eſt cum ſeria animi diſpoſitione. *Qui enim manducat hunc panem vivet in æternum*: *Joan. 6.* nec mirùm, cùm ſit Sacroſanctum hoc Sacramentum, *frumentum electorum*, *Zach. 9.* & à Sanctis Patribus *pharmacum immortalitatis & antidotum non moriendi, ſymbolum reſurrectionis, pignus felicitatis, & futuræ gloriæ* nuncupatum.

Quartò, juverit multis operibus bonis vitam locupletare, ut illorum multitudine peccata cooperta non conſpiciantur;

Pſal. 31. juxta illud: *Beati quorum tecta ſunt peccata.* Itaque nullus dies vacuus ab operibus bonus prætereat; & in veſpertina
Examen veſpertinum. oratione priuſquam cubitum concedas, actiones omnes diei percurras, & opera bona cum peccatis conferas, ut quo loco, & ſtatu ſint res tuæ, cognoſcas, more illorum qui frequenter rationes acceptorum expenſorumque ſubducunt; ne facultates decreſcant, ſed augeantur. Si enim multis operibus bonis auctus Chriſto Judici ſiſtaris, præſertim commiſeratione proximorum, & beneficentiâ in pauperes, faciliùs ignoſcentur leviora delicta;
Jacob. 2. *judicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam: ſuperexultat autem miſericordia judicium.* Hoc cantabat jam olim Pſaltes Regius:
Pſal. 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberat eum Dominus;* quando nimirùm amicâ voce illum invitabit ad regnum cum electis:
Matt. 24. *Venite benedicti,* &c. *Eſurivi enim,* &c.

Quintò, Beatæ Virgini, quæ eſt Mater miſericordiæ devotè ſerviendum eſt; dixit olim Rex Salomon Abiathar Sacerdoti:
3. Reg. 2. *Vir mortis es, ſed hodiè non interficiam te, quia portaſti Arcam Domini Dei.* Quod ſi nos vivam Dei Arcam JESU Chriſti Dei, & Domini Matrem in corde noſtro geſtaverimus, & ſinceræ devotionis affectibus amplexati fuerimus, faciet nobiſcum Deus miſericordiam.
Bern. ſerm. de Nativit. B. Mariæ. *Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia, eſt hæc tota ratio ſpei meæ.*

Exemplum. Sur. 27. Sept. *Gerſendis nobilis, & Sancta Matrona S. Elzearii Comitis nutrix, non ceſſabat inſtantiſſimis votis apud Deum contendere pro ſalute pueri; cui reſpondit divina vox: Quid vis ut amplius faciam, ecce tradidi ei Matrem meam, & ſufficit: nihil ulterà dubites.*

Sextò, attenta æternitatis, & noviſſimorum meditatio benè diſponit hominem ad futurum judicium, à malis enim, quæ tunc feciſſe nollent, abſtinet, & ad pietatis bonorúmque operum, quæ tunc illum ſequentur, ſtudium miro modo revocatur, cùm animum ad eum diem refert, quo eſt apud juſtiſſimum Judicem, omnium non ſolùm factorum dictorumque, ſed occultiſſimarum etiam cogitationum ratio reddenda, & pro meritis pœna erit perſolvenda.

Septimò, ſi res ſit integra, non parum faciet ad metum illum Judicii pellendum minuendumve, perfectioris alicujus vitæ genus capeſcere, quo tutiùs ſecuriuſque opera ſua deferantur in cœlum. Vide Hier. Plat. *de bono ſtatûs Religioſi.*

Contendite intrare per anguſtam portam. Luc. 13.

LECTIO OCTAVA.

I. ERitne ſententia in morte ſive judicio particulari cujuſque prolata conformis per omnia illi, quæ in hoc judicio generali pronunciabitur?

R. Planè.

Generale judicium particulari additur quare. I. Quid ergò neceſsè fuit privato judicio generale ſubjicere?

R. Pluribus de cauſis: 1. Propter honorem Dei, quia multi videntes felicitatem impiorum, & bonorum afflictionem, Deum non rectè mundum adminiſtrare judicant. Job. 22. Tales erant qui apud Job dicebant Deum circa cardines cœli ambulare, & non curare terrena; & hæc querela multorum etiam Sanctorum fuit deplorantium, & querelas deponentium, ut homines ſolent, cùm improbos valentes opibus, & honoribus florentes animadverterent. Nam Propheta David Pſalm. 72. *Mei, inquit, penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns;* Et paulò poſt: *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias; & dixi: ergò ſine causa juſtificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus totâ die, & caſtigatio mea in matutinis.* Sic Jeremias conqueritur & Abacuc. Par ergò fuit non ſolum bonis præmia, impro-

improbis ſupplicia in futuro ſæculo conſtitui, verùm etiam publico ac generali judicio decerni, ut clariſſimè appareat unicuique, Deum vidiſſe omnia, & ſubnotaſſe, & juſto judicio impiis temporariam felicitatem indulſiſſe, ut aliqua eorum bona opera breviuſculo tempore remuneraretur, æternam poſtmodùm pœnam illis ob peccata mortalia inflicturus; E contrario verò bonos temporalibus pœnis exercere, tum ut illos propter venialia peccata caſtiget, tum verò ut patientiæ illis materiam ſuppeditet, quandoquidem infinito illos gloriæ theſauro propter bona opera ſit donaturus. Itaque, 1.Cor.4. *nolite ante tempus judicare quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum.*

Secundò, propter honorem Chriſti, qui cùm injuſtè condemnatus eſſet, nec multi eum cognoviſſent & honoraſſent, ut par erat, rationabile in primis fuit diem unum Sup. l. 1. vid. Pſal. 109. conſtitui, in quo ſive coactè, ſive ſpontaneè totus mundus eum ut Regem ac Dominum univerſorum agnoſceret ac honoraret.

Tertiò propter gloriam Sanctorum, ut publicè appareret quanto honore exciperet illos Deus, quos mundus tantoperè Sap. 5. odio habuiſſet, & perſecutus fuiſſet: *Hi ſunt*, dicet mundus, *quos aliquando habuimus in deriſum.*

Quartò, ad ignominiam & confuſionem ſuperborum, omniumque Dei inimicorum.

Quintò, Divinæ juſtitiæ conſentaneum fuit, ut factâ generali hominum reſurrectione, completâ ſcilicet omnium rerum generatione, fiat univerſale judicium, in quo integer homo qui operatus eſt in anima, & corpore, bonum aut malum, judicetur, ut conveniens præmium, aut pœnam in anima & corpore recipiat.

I. Quæ ſumma eſt articulorum de ſecunda in Divinitate perſona?

R. Hæc ſumma eſt: Chriſtum verum Deum, & hominem eſſe, qui mirificum redemptionis humanæ opus ſit aggreſſus, atque perfecerit, ut idem ſit ipſe nobis via, veritas, & vita, per quem unum, cùm periiſſemus omnes, ſalvati & liberati, Deoque Patri reconciliati ſumus. De cujus quidem redemptionis beneficio ac vero uſu ſcriptum eſt: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti; qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Ad Tit. 2.
Et alibi: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* 2.Cor.5.

Quare cavendus eſt illorum error maximè, qui Chriſtum non integrè, ſed veluti mutilatum confitentur, dum ſolùm mediatorem illum, & redemptorem, cui fidamus, agnoſcunt: nec ſimul recipiunt eum, ut Legiſlatorem, cujus juſſis obtemperemus, & exemplar omnium quod imitemur, & juſtum Judicem, qui debitum cujuſque operi præmium, aut ſupplicium certò rependat. *Integra in Chriſtum fides qualis eſſe debeat.*

LECTIO NONA.

De iis quæ accident poſt judicium.

I. Finito jam Dei judicio, quid reſtat?

R. Nihil, niſi mundi innovatio, & regnum Chriſti glorioſum.

I. Quid per mundi innovationem intelligis? *Mundi innovatio.*

R. Id quod Scriptura pollicetur, novos cœlos, & novam terram, in conflagratione univerſi; quando *cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur.* 2.Pet.3.

I. Ego verò credidi cœlos incorruptibiles, & Philoſophia ita communiter docet ex Ariſtotele.

Cœli ſecundùm Scripturam corruptibiles

R. Philoſophia, & Ariſtoteles debent ex Scriptura & Apoſtolo addiſcere id quod dicimus. Cœli ſunt incorruptibiles hoc modo, quod naturaliter nec à ſe, nec à corruptibilibus ſibi ſubjectis, puta, ab elementis corrumpi poſſint: iidem tamen corrumpi poſſunt à virtute ſuperiori, & potentiori; ideoque corrumpentur à Deo ſub diem judicii per ignem conflagrationis mundi, qui à Deo de novo excitabitur ad hoc, eritque noſtro igne elementari ſuperior, efficacior, & ardentior.

I. Ergò dicendum eſſet varios eſſe rerum incorruptibilium gradus, & ordines alios aliis perfectiores?

R. Ita eſt. Angeli enim ſunt magis incorruptibiles quàm cœli: carent enim materiâ, ſuntque ſubſtantiæ planè ſimplices, incorporeæ & ſpirituales, ideoque planè incorruptibiles. Quare cœli reſpectu Angelorum ſunt corruptibiles, incorruptibiles verò reſpectu corporum inferiorum, & elementorum.

I. Ergòne cœli ipſi ſiderei per ignem conflagrationis ardebunt, & liquabuntur?

R. Ita; neque hoc uſque adeò mirum videri debet, cùm ſint ex aqua compacti, conſtricti, & quaſi conglutinati. Itaque ſolventur igne, ut ab omni ſorde, & fæce purgentur, fiantque puriores & ſublimiores. Hoc diſertè ait S. Petrus ſuprà, & Iſaias cap. 34. n. 4. ubi ait: *Et tabeſcet*, id eſt, inſtar ceræ liqueſcet, *omnis militia cœlorum, & complicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea, & de ficu.* Hoc eſt, uti explicat Chriſtus Matt. 24. *Stellæ cadent de cœlo.* Militia enim, ſive milites cœlorum non ſunt alii, quàm ſtellæ & ſidera.

Pſal. 101. **I. Eruntne ergò alii cœli, alii terra poſt iſtam conflagrationem, quàm modò ſunt?**

R. Erunt iidem cœli, eadem ſidera, eadem terra, quoad ſubſtantiam, quia eandem numero materiam, & formam ſubſtantialem retinebunt, ſed eâ ratione, ut utraque perficiatur, novamque unionem, doteſque, & qualitates illuſtriores recipiat, adeò ut videantur effici novi cœli, nova terra, novus mundus, juxtà id quod in Apoc. dicitur: *Ecce nova facio omnia.* Nam cùm lux ex ſubſtantia Solis & cœlorum naturaliter quaſi profluat, cùm tunc perfectior futura ſit lux, videtur perfectior quoque futura ſubſtantia Solis, & cœlorum. Quod autem perfectior futura ſit lux, ſic Iſaias diſertè aſſerit: *Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.*

Cœli novi & terra nova quid?

C. 21. V. Iſai. 65. n. 17. & 34. V. 4.

C. 30.

I. Quo fine nova hæc ad Solem, & Lunam luminis acceſſio?

R. 1. Ad amorem Dei in cœlis ſplendorem, utque magis enarrent cœli gloriam ejus. 2. Ad majus gaudium, & gloriam Beatorum, utque inter locum & locatum, id eſt, inter cœlum, & corpora glorioſa Beatorum decens, & congrua ſit proportio. 3. Ut Sol & Luna ſibi invicem oppoſita diviſim, ſed clarè & glorioſè totum utrumque hemiſphærium in omne ævum illuminent: nec enim tunc Solis, Lunæ, aut cœlorum ullus ampliùs erit motus. Huc alludere videtur idem Propheta, cùm dicit: *Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur.* C. 60. n. 20. Sol enim & Luna in die judicii, & reſurrectionis, & deinceps in æternum novâ luce conſpicuum eodem loco conſiſtent, nec ampliùs occident. Cùm enim ceſſaturus ſit cœlorum motus, & conſequenter tempus, quod motus cœlorum eſt numerus, & menſura, acquirent Sol & Luna per illam quietem, & vacationem à motu cœli ſtatum quendam ſimilem Deo, qui nimirùm mutationis eſt expers.

I. Poſſeſne mihi eorum, quæ hactenùs de purgatione cœli, & ſiderum aſſeris, ſimilitudinem aliquam afferre?

R. Ita

R. Ita aſſero dupliccem: prima. Sicut homo moriens reſurget idem numero, quoad ſubſtantiam, ſed jam perfectam, & gloriâ donatam, ideòque immortalem & incorruptibilem: ſic partret cœli, & ſidera per conflagrationem liquata, & purgata manente eâdem numero ſubſtantiâ, quaſi reſurgent ad ſuam gloriam cum majori luce, ſubtilitate, unione, indeque incorruptione, & æternitate donabuntur. Erit enim tunc reſurrectio, renovatio, regeneratio, & glorificatio non ſolius hominis, ſed totius mundi, qui hominibus electis ſervivit. Quare in præmium hujus ſervitutis cum homine reſurgent ad gloriam.

Regeneratio mundi.

Alteram ſimilitudinem videmus in metallis, ære, ferro, auro, argento. Sicut enim aurum igne liquatur, ut ex eo fiat pulcher ſcyphus aureus; ita ut manente eadem formâ & ſubſtantiâ auri, illa ipſa tamen per ignem, arte, & figurâ perficiatur & illuſtretur: ſic quoque cœli igne conflagrationis ſolventur, & liquabuntur inſtar glaciei & ceræ, ſed ita, ut manente eâdem formâ, & ſubſtantiâ ad novam perfectionem, & gloriam reformentur, & quodammodò reſurgant.

I. Quæ erit iſta major perfectio, & gloria quoad terram, & elementa cætera?

R. Elementa, depoſitâ permixtionis, mutationis, & corruptionis, viciſſitudine, adeoque à ſervitute liberata in ſtabilem & deputatam conditionem, nihil mutatâ eorum naturâ tranſmutabuntur. Nam, ut ait S. Paulus: *expectatio creaturæ* (quæ eſt appetitus perfectionis, & ſtabilitatis) *revelationem Filiorum Dei expectat*, q. d. omnis creatura alia ab homine, & Filiis Dei, de quibus in præcedentibus Apoſtolus, puta cœli, elementa, omniaque creata avidiſſimè naturali appetitu expectant tempus, quo Filii Dei gloriâ donabuntur in communi reſurrectione, ut cum eis, quibus ſervierunt quaſi dominis, ipſa quoque ſuam gloriam, renovationem ac perfectionem, tanquam famuli accipiant. *Vanitati enim*, defectu mutabilitatis, laboribus, paſſionibus & corruptionibus *creatura ſubjecta eſt non volens*, id eſt, non ſponte, hoc eſt, non ex naturali inclinatione, quæque enim creatura naturaliter amat ſuam perfectionem, & abhorret à corruptione, *ſed propter eum*, Deum, Deique ordinationem, *qui huic vanitati eam ſubjecit*, propter hominem ejuſque ſervitium, *in ſpe* liberationis, & commutationis in melius, in communi hominum rerumque omnium renovatione & reſurrectione. *Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem Filiorum Dei*, ad exemplum libertatis Filiorum Dei, ut ſimilem quandam libertatem, ſtabilitatem, incorruptionem, & immortalitatem creaturæ aliæ accipiant. Ex quibus colligi poteſt; quod jam ſuprà declaravimus, cùm etiam Soli, & aſtris ſit conditio ſervitutis, & ſubjectionis mundum quotidiè circumluſtrandi, & motu perpetuo in orbem rotandi, Solem tunc fixum locum nacturum, uti & Lunam, & univerſa aſtra.

Rom. 8.

Locus Apoſtoli exponitur.

I. Remanebunt igitur, uti ex tuis dictis colligo, terra & aqua poſt univerſalem reſurrectionem?

R. Ita eſt; terra & mare (cùm ad mundi conſtitutionem pertineant, tanquam ex principalibus ejus partibus) remanebunt. Quod verò dicitur ab Apoſtolo Petro ſuprà elementa ſolvenda eſſe, ſic intellige, quod vi ignis extenuabuntur; ut ab iis ſeparentur vapores, fæces, exhalationes, aliæque res craſſæ, & impuræ eis permixtæ; ſicut in conflatorio ſolvitur aurum, dum vi ignis liquatur, ut ab eo ſeparetur ſcoria, æs, omniſque alia impuritas ei commiſta, ut purum putum reſtet, & effulgeat. Ita DD. Scholaſtici in 4. diſtinct. 48. Et quod apud eundem Apoſtolum de terra in ſpecie dicitur; *terra autem & quæ in ea ſunt opera*, puta, mixta omnia, *exurentur*, hoc eſt, in cinerem, terramque con-

vertentur, ut in primigenium ſui elementum redeant. Cùm enim illa omnia ad uſum temporalis vitæ hominum condita ſint, ceſſante vitâ illâ, nulli erunt uſui, ac proinde reſolvenda ſunt in ſua principia ex quibus compacta, & ſuis elementis reſtituenda. Itaque in mundi conflagratione exuretur terra profundiſſimè, & omnia opera quæ in ea ſunt; exurentur montes, & montium fundamenta: diſſolventur omnia ſaxa, & metalla, & rupes inſtar ceræ liqueſcent: denique exuretur quicquid in aëre eſt materiæ inflammabilis.

Conflagratio mundi.

I. Deus bone! qualis tunc fragor, & ſtrepitus?

R. Horribilis planè. Saxa enim, & cineres in aërem altiſſime ejicientur, flamma fumo permixta uſque ad cœlum exibit, torrentes ſulphuris, & liquatorum vi ardoris ſaxorum paſſim decurrent.

I. Difficultas mihi reſtat quoad mare, dicit enim de eo S. Joannes: *Et mare jam non eſt.* Loquitur autem Apoſtolus, & Propheta de ſtatu univerſi, qui futurus eſt poſt diem judicii, & communem reſurrectionem? Apoc. 21.

R. *Mare jam non eſt*, ſive non erit, quia in aliam formam, & decorem commutabitur. Igitur mare non eſt, vel non erit, ſcilicet tale, quale fuit vetus illud, & priſtinum, nimirùm craſſum, mixtum, & turbidum, procelloſum, perpetuis agitatum fluctibus, æſtuans jugi fluxu & refluxu. Cum cœlo enim, & terra novis, etiam mare innovabitur, fietque ſubtile, purum, perlucidum, quietum, ſerenum, fulgidum, uti jam non videatur mare, ſed cryſtallus. Sicut ergò ex eo quod ibidem dicit Apoſtolus, *cœlum abiit*, non licet colligere: ergò cœlum quoad ſubſtantiam, materiam & formam abibit, & interibit; ſed tantùm licet colligere: ergò cœlum quoad qualitates, & conditiones præſentes peribit, novaſque, & meliores acquiret; uti ſuprà explicatum eſt: ita de mari ſimiliter colligas & concludas. Eſt enim mare quartum elementum ad perfectionem univerſi neceſſarium, quod terram (de qua ſcriptum eſt: *terra autem in æternum ſtat*) unit & conſervat. Eccleſ. 1.

I. Quomodo poterunt hæc omnia ſolvi & exuri?

R. Ignis ille conflagrationis, de quo hic nobis ſermo, aget non ſolùm vi naturæ, ſed ut inſtrumentum Divinæ potentiæ; ſicut ventus quo ſiccatæ ſunt aquæ diluvii. Gen. 8.

I. Sed quandonam erit hæc conflagratio?

Mundi conflagratio quando futura.

R. Quamprimùm Judicis ſententia prolata fuerit, raptis è veſtigio Beatis in cœlum, emerget ignis ille univerſalis, qui ſimul totum mundum exuret, & damnatorum turbam horrendo ejulatu ſuam infelicitatem deplorantem involvet, ac veluti torrens demerget in profundum abyſſi, ubi cum diabolo & Angelis ejus in æternum cremabuntur.

Regnum Chriſti glorioſum

I. Quid jam habes de regno Chriſti glorioſo?

R. Tunc demum complebitur, & omni ex parte erit perfectum, quando jam omnibus inimicis debellatis, & ſub pedibus ejus compreſſis, *omne genu in nomine* JESU *flectetur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Philip. 2. Quando factæ fuerint in cœlo voces magnæ dicentes: *Factum eſt regnum hujus mundi, Domini noſtri, & Chriſti ejus; & regnabit in ſæcula ſæculorum; amen.* Apoc. 11. Quando vox de throno exibit, univerſoſque ad laudes invitabit, dicens: *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus;* & chori Sanctorum toto cœlo exultantium reſpondebunt. *Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & uxor agni præparavit ſe.*

I. Quæ eſt iſta uxor agni?

R. Ec-

Digitized by Google

Uxor agni quæ? R. Eccleſia omnibus ſuis membris coagmentata, perfecta jam, & tota pulchra, non habens deinceps maculam neque rugam. Quæ enim ſponſa in hac vita mortali fuit, uxor erit juncta ſponſo in gloria.

Figura. I. Habeſne aliquam harum nuptiarum figuram ex Scriptura?

R. Habeo. Aſſuerus repudiatâ Vaſthi ducens Eſther in uxorem, *juſſit convivium præparari permagnificum cunctis Principibus, & ſervis ſuis pro conjunctione, & nuptiis Eſther*; ita & Deus Pater nuptias, id eſt, nuptiale epulum, idque perenne præparavit Chriſto, & Eccleſiæ, id eſt, fidelibus in cœlo. *Eſther 2. n. 18.*

1. Cor. 15. n. 24. & 25. *Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem Principatum & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.*

Exemplum. I. Occurritne aliquod ad hanc rem exemplum?

R. Ita Sancta Dorothea cùm poſt dira tormenta mortis ſententiam à Præſide acciperet, jubilans dixit: *Benedico te Domine, caſte amator animæ meæ, quod me immeritam ad nuptias Agni immaculati vocare, & ad thalamum tuum cæleſtem invitare dignatus ſis.* Dudum ſiquidem beatæ hujus amazonis aures impleverat, cor ad fortiter pro ſponſo dimicandum accenderat vox illa Apocalyptica: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* *In actis ejus.* *Apoc. 19.*

I. Nihilne ex hac lectione colligis ad mores?

R. Colligo primò, Si omnibus rebus creatis, quæ propter hominem ſunt, & conſervantur, talem indidit Creator naturalem appetitum, & inclinationem ad ſui perfectionem, ut ſecundùm Apoſtolum *omnis creatura*, quodammodò *parturiat, & ingemiſcat revelationem Filiorum Dei expectans*, ut ip'a perficiatur, novoque decore induatur, magno id certè exemplo tibi eſſe debet, ut & tu avidè, & ſollicitè exſpectes, & quod in te eſt, quotidiè adornes tui ipſius renovationem & perfectionem.

Colligo ſecundò, regnum Chriſti, & gloriam diligentibus Deum præparatam ingentem prorſus eſſe, & inæſtimabilem; quandoquidem etiam creaturæ inſenſibiles totæ ad illam in Filiis Dei revelandam, ex innato, & inſito ſibi à Creatore deſiderio anhelent. Anhelemus igitur, & nos Chriſtiani totis medullis ad illam, ſuſpiremuſque cum bona Matre noſtra Eccleſia, dicentes: O *quàm glorioſum eſt regnum in quo cum Chriſto gaudent omnes Sancti amicti ſtolis albis, ſequuntur agnum quocumque ierit.*

DE VIII. SYMBOLI ARTICULO

CAPUT NONUM.

Credo in Spiritum Sanctum.

LECTIO PRIMA.

I. Quis eſt octavus Symboli articulus? *Symboli pars tertia.*

R. *Credo in Spiritum Sanctum.*

I. Quid credis de Spiritu Sancto? *De perſona Spiritûs. Vid. S.Tho. 1.p. q. 36. 37. 38.*

R. Quod Spiritus Sanctus ſit tertia in Divinitate perſona, quodque ex Patre, & Filio procedat.

I. Spiritus Sanctus eſtne Deus.

R. Ita.

I. Debetne adorari uti Pater, & Filius?

R. Omninò. Nam eſt unus Deus cum Patre, & Filio, habens eandem cum utroque Divinitatem. Hoc diſertis, & perſpicuis verbis Symbolum Conſtantinopolitanum profitetur: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem; qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.*

Digitized by Google

S.Tho 1.p. q.27.a.1. in o. I. Docentne clarè, & dilucidè Scripturæ Sacræ; quòd Spiritus Sanctus ſit Deus?

R. Clariſſimè. Dicebat Sanctus Petrus Act. 5. ad Ananiam. *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Vide S. Hieron. ſup. cap. 63. Iſaiæ. S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto. cap. 10. Præterea ſolus Deus eſt ubique, & de Spiritu Sancto Pſal. 138. dicitur: *Quò ibo à Spiritu tuo?* Et: Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Solus Deus omnia novit; & de Spiritu ſancto dicit Apoſtolus: 1. Cor. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.* Solus Deus habet templum; & de Spiritu ſancto ſcribit idem Apoſtolus: 1. Cor. 6. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs Sancti: glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Vide S. Auguſt. Enchir. c. 56. 1. Joan. 5. *Tres ſunt*, inquit Joannes Apoſtolus, *qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.*

Et, ſi Spiritus Sanctus Deus non eſſet, & idem Deus cum Patre, & Filio, nunquam Dominus eum cum Patre, & Filio conjunxiſſet, dicens: Matt. 26. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Hinc enim intelligimus auctorem gratiæ, & juſtificationis eſſe Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio, qui ſunt tres perſonæ divinæ, & unus Deus, ſive tres perſonæ, unam & eandem habentes eſſentiam, & divinitatem. Denique in hoc Symbolo Apoſtoli, quemadmodò dixerunt: *Credo in Deum Patrem*, & *Credo in* JESUM *Chriſtum*; ſic etiam dixerunt: Aug. in Ioan. c. 14. *Credo in Spiritum Sanctum*; ut trium divinarum perſonarum demonſtraretur æqualitas. In aliis enim Articulis non dixerunt: Credo in Eccleſiam Catholicam, in Communionem Sanctorum, in remiſſionem peccatorum, ſed abſque particula IN. Credo Eccleſiam, credo Sanctorum Communionem, credo remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam.

I. Fuitne jam ab initio Eccleſiæ magni æſtimata hæc doctrina, & pro neceſſario fidei articulo habita?

R. Planè. Nam homini Chriſtiano non magis licet hanc partem ignorare, vel de ea minùs rectè ſentire, quàm de aliis ſuperioribus articulis. Quare Apoſtolus reperiens Epheſios quoſdam Spiritûs Sancti perſonam ignorare, à quibus cùm Act. 19. quæſiviſſet: An Spiritum Sanctum accepiſſent? cùm illi ne ſi Spiritus Sanctus quidem eſſet, ſe ſcire reſpondiſſent, ſtatim rogavit: *In quo ergò baptizati eſtis?* quibus verbis ſignificavit diſtinctam hujus Articuli cognitionem fidelibus maximè neceſſariam eſſe, quaſi dicat: Ipſa Baptiſmi forma expreſsè nominat tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas; & non confertur aliter Baptiſmus, quàm: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quæ eſt notitia, quam fideles neceſſariò habere debent Sanctiſſimæ Trinitatis, in qua Spiritus Sanctus eſt tertia perſona.

I. Quis eſt hujus articuli fructus?

R. Hunc præcipuè fructum ex illo capiunt Chriſtiani; quòd cùm attentè cogitant ſe quidquid habent, Spiritûs Sancti munere, & beneficio conſecutos eſſe; de ſeipſis modeſtiùs, & humiliùs ſentire, & in Dei præſidio omnem ſpem ponere incipiunt; qui primus homini Chriſtiano gradus ad ſummam ſapientiam, & felicitatem eſſe debet.

I. Quâ ratione intelligi poteſt, quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio procedat, ſitque Deus ipſemet, ejuſdem cum Patre, & Filio Divinitatis?

R. Diximus aliàs non eſſe neceſſarium, quòd myſteria fidei, præſertim Sanctiſſimæ Trinitatis arcana intelligamus, ſive comprehendamus; ſufficit quòd ea credamus. Et quidem quòd ad vulgus ſpectat, ſatis erit, ſi illa prout in Catechiſmo per Catholicos Paſtores traduntur, rudi modo addiſcat, & firmiſſimè credat abſque curioſa, periculoſave indagine eorum, quæ humanæ rationi ſunt impervia.

I. Ac-

Digitized by Google

I. Acquieſco per omnia iis, quæ dicis, verùm ſi grave non eſt, cuperem mihi idipſum aliquâ ſimilitudine oſtendi.

Similia. V. Aug. de Symbol. ad Catechum. l. 3. c. 9.

R. Fecero lubens, ſi tamen quod omninò certum eſt, ſuppoſueris res divinas perfectè oſtendi non poſſe rerum creatarum, & præſertim materialium exemplis. Similitudinem ergò maris ſeu lacûs accipe. Nam mare à flumine producitur, ut flumen à fonte prorumpit; quæ pura illa atque eadem aqua eſt. Sic ergo Pater æternus ut fons in Divinitate producit Filium ut flumen, & tandem Pater, & Filius ut fons, & flumen producunt Spiritum Sanctum, ut mare aliquod. Ubi nihilominus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non ſunt tres Dii, ſed unus Deus. Vel aliter: Pater eſt velut Sol æternus; Filius eſt Solis hujus æterni radius; Spiritus ſanctus eſt hujus Solis, & hujus radii ardor. Vel etiam ſic: Ex Adam protoplaſto formata eſt Eva, ex Adam & Eva productus Seth.

Tertul. contra Praxeam. Athan. ſer. 4. contra Arrianos. Nazian. orat. 3. de Theolog.

I. Eſtne tolerandum quòd idiotæ, & ſimplices homines Spiritum ſanctum columbam exiſtiment?

R. Minimè, ſed diligenter inſtruendi ſunt, verbiſque acribus redarguendi pravæ ejuſmodi opinionis. Blaſphemum quippè eſt, putare Spiritum ſanctum, qui Deus eſt, beſtiæ eſſe ſimilem, corpuſque & membra habere.

I. Quid igitur eis dicetur quamobrem Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie, præſertim ſuper Chriſti baptizati, ejuſque Matris annunciatæ effigie depingatur.

R. Nequaquàm hic putandum eſſe Spiritum ſanctum corpus habere, aut oculis corporalibus videri poſſe, ſed ideò ſic depingi, ut illius effectus, quos in hominibus operatur, explicentur. Ea quia columba ſimplex eſt, pura, zeloſa, & fœcunda; ideò ſuper Chriſto ac Diva virgine, ſic pingitur, ut Chriſtum ac Divam Virginem omnibus donis ac gratiis Spiritûs ſancti repletos fuiſſe intelligamus, & præſertim ſanctâ ſimplicitate, puritate, animarum zelo, ac ſpirituali fœcunditate, quibus infinitos filios, nimirùm fideles omnes, bonoſque Chriſtianos acquiſierunt. Vid. *Cypr. de unitate Eccleſiæ.*

Spiritus S. eſt tertia in Divinitate perſona.

I. Tenemurne abſque ulla hæſitatione credere, quòd Spiritus ſanctus non ſolùm ſit Deus, ſed etiam quòd ipſe ſit tertia in Divinitate perſona, à perſona Patris Filiique diſtincta?

R. Omninò, quòd jam antè, ſi advertiſti, declaravimus; nam ſi à Patre Filioque procedit, neceſſarium eſt, ut à ſuo principio diſtinguatur; & ipſa Baptiſmi forma ſuprà memorata clarè hanc veritatem oſtendit ex c. 28. Matthæi. Quod quidem teſtimonium maximi eſt faciendum, utpotè familiariſſimum, & nihilominùs certiſſimum; & à Domino Salvatore prolatum; qui conſtituit ut in primo fidei noſtræ Sacramento profiteamur clarè & diſtinctè fidem Sanctiſſimæ Trinitatis, quaſi primum, maximum, præcipuè neceſſarium religionis Chriſtianæ myſterium.

Joan. 14. & 19. Rom. 4. Gal. 4. Matt. 10. Joan. 15.

I. Quid ſibi vult quod Spiritus Sanctus interdum *Spiritus Patris*, interdum *Spiritus Filii* appellatur; modò à Patre, modò à Filio mitti dicitur; & quod habet, interdum à Patre, interdum à Filio, accepiſſe pronunciatur.

R. Hoc etiam eſt præcipuum aliquod in hac materia doctrinæ caput; ſcilicet Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, ut antè dixi, æterna proceſſione procedere. Id enim Eccleſiaſtica regula, à qua Chriſtiano non licet aberrare, credendum nobis proponit, & divinarum litterarum, & Conciliorum auctoritate confirmatur. Ad Neſtorium ſcripſit Cyrillus in hæc verba: *Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt: unde & ab iſto ſimiliter ſicut à Patre procedit.* Epiſtola iſta habetur in Concilio Epheſ. tom. 1. cap. 14. Vide Sanctum Thomam ſup. 1. quæſt. 36. art. 4. & Bellarm. lib. 2. de Chriſto. cap. 20.

I. Ita quidem, ſed antè docebas Spiri-

Digitized by Google

tum ſanctum unum eſſe Deum cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum; qui ergò fit quòd à Patre, & Filio procedat; ſi ab iis procedit, manetne igitur unus cum illis?

Spiritus S. ita procedit à Patre & Filio, ut unus cum illis maneat Deus

R. Planè. Nefas eſt de eo quidquam addubitare. Nône advertiſti, quod modò dixi, Spiritum Sanctum tertiam eſſe in Divinitate perſonam, à Perſona Patris, & à perſona Filii diſtinctam, quia ab utroque procedit; nam qui procedit ab alio, non poteſt eſſe una, & eadem perſona cum illo à quo procedit, cùm nemò à ſeipſo procedere poſſit.

I. Sed quomodò manet cum Patre, & Filio unus Deus?

R. Quia ab illis procedit perfectiſſimè unus in natura cùm illis, undè fieri nequit, ut Deus non ſit; & quamvis à Patre, & Filio procedat, non tamen Patris, & Filii naturam ullo modo egreditur, & ideò manet una eademque res cum utroque, una, inquam, natura divina, unus Deus. Hinc tua quæſtio videtur ex aliqua ſtolida ſuppoſitione manare, quaſi procederet Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ad eum modum quo ſolent res creatæ à ſuo creatore procedere; vel etiam res factæ à ſuo factore; quæ ab eo differunt non ſolo nomine, aut proprietate, ſed etiam totâ naturâ.

I. Pulchra ſunt iſta, nec dubito quin veriſſima; verumtamen video eſſe difficiliora quàm ut ea capiamus. Igitur, ſi habes aliquam Eccleſiæ vel Concilii Oecumenici definitionem in hac materia, profer? lubens audiam.

Conc. Lateranenſe

R. Concilium Lateranenſe celebratum ſub Innocentio III. ſic habet. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus verus Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis, omnipotens & incomprehenſibilis, & ineffabilis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Tres quidem perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, natura, ſimplex omninò. Pater à nullo, Filius à Patre ſolo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroq; abſque initio ſemper ac ſine fine. Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus ſanctus procedens; conſubſtantiales, omnipotentes, & coæterni.*

In decretal. tit. de ſumma Trin. & fide Cathol.

Concil. Lugdunenſe.

Concilium quoque Lugdunenſe celebratum ſub Gregorio X. ſic habet: *Fideli & devotâ profeſſione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione procedit.*

Cur Spiritus S. non poteſt dici Filius Patris, & Filii.

I. Cùm Spiritus Sanctus à Patre, & Filio in natura ſimilis, & conſubſtantialis utrique producatur, cur eorum Filius dici poteſt?

R. Reſpondet S. Thomas 1. part. quæſt. 27. art. 4 & de Potentia quæſt. 10. art. 2. ad 11 argumentum; *Verbum Dei proptereà Filium eſſe, quia ex vi, & natura ſuæ productionis procedit, ut ſimilitudo quædam, & imago producentis. Nam procedit per actum intellectûs, res autem non verè intelligitur, niſi notitia ſeu verbum internum producatur, quòd ſit rei, quæ intelligitur: ſimilitudo, & expreſſio; undè rem pleniùs intelligit, qui clariùs imaginem illius animo concipit. Ideò autem Spiritum Sanctum non eſſe Filium; quia licet Patri, & Filio ſimilis exiſtat, non tamen ex vi ſuæ productionis ſimilis procedit. Nam procedit per modum amoris: amor verò ex natura ſua non eſt rei amatæ ſimilitudo, ſed quidam in rem amatam impulſus.*

Proceſſio Spiritûs S. alia æterna, alia temporalis.

I. Eſtne præter hanc æternam Spiritûs ſancti proceſſionem, quâ ſine tempore procedit à Patre, & Filio, temporalis aliqua ejus proceſſio ſive miſſio?

R. Ita; & iſta proceſſio ſive miſſio eſt, quâ in tempore mittitur à Patre, & Filio ad ſanctificandam creaturam. Adeò quòd duplex Spiritûs ſancti miſſio in Scripturis demonſtretur; prior illa, quâ ab æterno communicatur, & ſimul procedit à Patre, & Filio: & poſterior hæc, quâ in tempore gratiæ communiter, & ſimul ab utroque mittitur, proceditque ad creaturam.

I. Quæ-

I. Quare tertia perſona in Sanctiſſima Trinitate Spiritus Sanctus vocatur, cùm etiam omnes Angeli, omneſque Animæ beatæ ſpiritus ſint, & quidem ſancti?

R. Solus Deus, ex natura ſua ſanctus & ſanctificans, quidquid ſanctum eſt; creaturæ verò per gratiam, & participationem quandam ſanctæ ſunt, & ſanctificatæ, non autem ſanctificantes. Hoc ſenſu dicebat Dominus: *Quid me interrogas de bono? unus eſt bonus Deus.* Cæteroquin omnia quæ fecit Deus ſunt valdè bona, participatione.

Matt. 19.
Geneſ. 1.

I. Non ſatisfacis mihi, nec ſolvis plenè petitam quæſtionem; ſi hoc nomen *Spiritus Sanctus* convenit Deo per excellentiam, & naturam, quâ ratione tertiæ duntaxat perſonæ attribuitur? Nonne etiam Pater, & Filius ſpiritus ſunt, & ſancti?

Cur hoc nomen Spiritus S. tertiæ in Divinitate perſonæ attributum?

R. Ita, omninò ſunt, Deus enim in tota ſua natura ſanctus & Spiritus eſt, pariterque ſingulæ perſonæ. Iſaiæ 6. Apoc. 4. At verò cùm prima perſona nomen proprium habeat, nempè Patris; & ſecunda perſona, nempè Filii; tertium hoc nomen commune, tertiæ perſonæ ceſſit, quo ab aliis duabus diſcerneretur; & ut ejus operatio, quæ eſt animarum ſanctificatio, intelligeretur.

I. Quis tertiæ in Divinitate perſonæ hoc nomen Spiritûs ſancti dedit?

R. Sacræ Scripturæ veteris, & novi Teſtamenti. In veteri quidem Teſtamento ſic orabat David: *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Et in libro Sapientiæ legimus: *Senſum tuum quis ſciet: niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis.* In novo autem Teſtamento jubemur baptizare *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Et docent Evangeliſtæ B. V. Mariam concepiſſe de Spiritu ſancto. Rurſumque Sanctus Joannes Baptiſta Chriſto teſtimonium perhibens dicit de eo: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto.* Et alibi teſtatur ſe vidiſſe Spiritum ſanctum deſcendentem, quaſi columbam de cœlo, poſt Baptiſmum à Chriſto ſuſceptum, & ſuper eum manſiſſe.

Pſal. 50.
Sap. 9.
Matt. 28.
Matt. 5.
Joan. 1.
Marc. 1.
& Luc. 3.

I. Quare tertia perſona Trinitatis non habet proprium nomen, quemadmodum Pater, & Filius?

R. Quòd tertia perſona habeat nomen commune Spiritûs ſancti non proprium aliquod, ſicut prima perſona quæ dicitur Pater, aut ſecunda quæ Filius nominatur, non oritur ex imperfectione ipſius tertiæ perſonæ, ſed ex ignorantia noſtra. Nos enim de rebus divinis loqui non poſſumus, niſi per omnia noſtra, quæ habeant aliquam proportionem, aut ſimilitudinem ad res divinas; & quia apud nos qui generat, dicitur Pater, & qui generatur, dicitur Filius, & in Deo eſt generatio quamvis non corporalis, ſed intellectualis, & puriſſima, atque eminentiſſima; ideò prima perſona quæ generat ſecundam, dicitur Pater; & ſecunda quæ generatur, dicitur Filius, tertia verò quæ procedit à prima, & ſecunda, non per generationem, ſed per aliam productionem nobis incognitam, non habet proprium nomen, ſed relinquitur ei nomen commune, Spiritûs ſanctus

S. Aug. l. 3. contra Maxim. c. 14.

I. Nunquid habet etiam plura alia nomina Spiritus ſanctus?

Spiritûs S. diverſa nomina in ſcripturis.

R. Ita, dicitur enim aliquando *Paracletus*, quod latinè redditur conſolator vel advocatus: quoniam conſolatur pavidas, & afflictas mentes eorum, qui inter ſpem, & metum velut anheli extendunt ſe ad futura; ſe ad futura; Et patrocinatur iis, qui proſequuntur jus ſuum ſibi Chriſti ſanguine quæſitum, tanquam advocatus eorum. Interdum dicitur *Spiritus rectus*, *Spiritus principalis*, *Spiritus bonus*, ratione Divinitatis ſuæ; aliquando vocatur *Spiritus Patris, & Filii*, quia à Patre Filioque procedit, aliquando etitam vocatur *unctio*, propter lætitiam, & charitatis ardorem, quem in nobis ſuſcitat, inquit Auguſt. ſup. Pſalm. 108, dicitur etiam *fons vivus*,

quia mundat nos à peccatis noſtris, & irrigat ariditatem animæ noſtræ ad fructificandum, & proficiendum in virtutibus, eodem Auguſtino interprete. Ecce S. Petrus Spiritu ſancto plenus primo die 3. millia ad Chriſti fidem ſuâ prædicatione perducit; ſecundo quinque millia, ut videatur cæptum impleri illud Iſaiæ: *Lætabitur deſerta, & exultabit ſolitudo, germinans germinabit, & quæ erat arida, & ſitiens, erit in fontes aquarum.* Adde quod Spiritus Sanctus tore gratiæ ſuæ ardorem libidinis extinguit, & ſitim animæ explet, Joan. cap. 4. Apellatur *ignis* Matt. 3. Luc. 3. quia excoquit ſcoriam, & immunditiem veteris vitæ; inflammat inſuper, & illuminat.

Iſai. 35.

Nuncupatur quoque *digitus Dei.* Exod. 8. & 31. Luc 11. Matt. 12. ut unius eſſe cum Patre eſſentiæ, ac ab utroque procedere intelligatur, quemadmodum digitus à corpore per brachium, quo Dei Filius ſignificatur, ut notat Didymus lib. 1. de Spiritu Sancto, & plures alii Patres. Sanctus verò Auguſtinus lib. 2. quæſtionum Evangelicarum c. 17. & lib. de Catechiſ. rudibus cap. 20. obſervat congruenter Dei *digitum* appellari, propter variorum donorum diſtributionem; Nam & digiti plures, & diverſæ ſunt menſuræ, atque quantitatis.

Amb. l. 3. de Spiritu S. c. 23. & in c. 11. Luc. S. Hier. in in c. 12. Matt. Cyrill. lib. 13. Theſauri. c.

I. Quare Spiritum Sanctum *donum Dei altiſſimi*, dicimus, cùm dicat Scriptura de tota Sanctiſſima Trinitate; *veniemus & manſionem apud eum faciemus*; ſi tota Trinitas ſeſe nobis donat, & communicat, cur Spiritum Sanctum particulariter *donum* appellamus?

Joan. 14.

R. Nomen *doni*, quatenus eſt perſonale, proprium eſt Spiritûs ſancti, quia ex vi ſuæ proceſſionis ſolus ut amor emanat: amor verò, primum eſt quod donatur. Nam per Spiritum ſanctum diffunditur in nobis charitas, & per charitatem tota nos inhabitat Trinitas.

S. Tho. 1. p. q. 38. art. ult.

I. Utrùm creaturæ rationali detur Spiritûs ſancti perſona, an tantùm creata ejus munera?

R. Dicendum eſt Spiritum ſanctum verè quoad perſonam quoque dari amore eſſentiali, omnibus divinis perſonis communi, ac proinde à ſeipſo etiam dari; juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Ubi Spiritus ſanctus à ſuis donis diſtinguitur, & tam ipſe, quàm ejus dona dari aſſeruntur. Licet enim ante in anima fuerit per eſſentiam, potentiam, præſentiam: datur tamen rurſum animæ dum illa juſtificatur, ut ſit in ea novo modo, ſcilicet; quaſi in templo ſuo, eamque per charitatem ſanctificet, & faciat participem ſui amoris.

Reipſa & phyſicè donari nobis ipſam perſonam Spiritus S. cum ſuis donis, atque adeò totam Trinitatem. S. Bonav. in 1 diſt. 14. a. 2. q. 1. S. Tho. 1. p. q. 43. a. 3. & 6. & q. 38. a. 8. & Suar. l. 12. de Deo trino & uno 5. n. 8. 11. 12. & alii.

I. Habes ne exempla quibus mirabiles Spiritûs ſancti operationes in iis comprobes, in quibus inhabitavit.

R. Ita. *Lubet*, inquit Sanctus Gregorius, *oculos fidei in virtute opificis hujus attollere, atque ſparſim Patres novi ac veteris Teſtamenti conſiderare; & apertis oculis fidei. David, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, &c. poſt pauca: Implet namque citharædum, & Pſalmiſtam facit: Implet Paſtorem vellicantem Sycomoros, & Prophetam facit, implet abſtinentem puerum; & Iudicem ſenum facit; implet piſcatores, & Prædicatorem verbi facit; implet perſecutorem, & Doctorem gentium facit; implet publicanum, & Evangeliſtam facit.*

Exempla.

Hoc eodem Spiritu animati ſunt Martyres ad quælibet tormenta, pueri & Virgines magno numero, quibus dum latera incendebantur, ubera avellebantur, rotæ & ignes parabantur, exultabant quaſi ad epulas invitati, ipſoſque tyrannos irridebant.

Nota eſt B. Luciæ animi fortitudo. Vide Breviarium Romanum ad 13. Decembris.

I. R.

LECTIO SECUNDA.

De Donis Spiritus Sancti.

Septem dona Spiritus S. Haiæ.11. Joan.1.

I. QUæ ſunt Spiritûs ſancti dona?

R. Septem illa quæ ſuper Chriſtum requieviſſe Propheta teſtatur; & quæ ab ipſo ceu fonte omnis gratiæ in alios derivantur: *ut donum Sapientiæ, donum intellectûs, conſilii, ſcientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini.*

I. Sed cur hæc dona Spiritûs ſancti ſpecialiter dicuntur?

R. Propter rationem jam ſæpiùs allegatam, quia etſi omnia Sacro-ſanctæ Trinitatis, quæ fiunt extrinſecus, opera, toti Trinitati ſint communia; ex eis tamen illa Spiritui ſancto appropriantur, quæ ex Dei ſumma charitate in nos emanant.

I. Nunquid omne bonum à Dei bonitate & miſericordia, id eſt, à Spiritu ſancto, ad nos profluit?

1. Cor. 4.

R. Ita quidem: *quid enim habes, quod non accepiſti*; veruntamen quædam per excellentiam dicuntur Spiritûs ſancti dona, quia ex ſpeciali miſericordia Spiritus Sanctus in nobis aliquando operatur quoſdam inſignes virtutum effectus, qui ſunt hæc ſeptem dona.

I. Quorſum hæc ſeptem Spiritûs ſancti dona?

R. Ut eorum ope faciliùs, & majori cum guſtu benè operemur, iiſque velut gradibus ad Chriſtianæ perfectionis faſtigium aſcendamus.

I. Quid eſt timor Domini?

De timore Dei.

S. Cypr. de lapſis.

R. Eſt Spiritûs ſancti donum, quo peccator divinæ juſtitiæ timore ſalubriter concutitur ad converſionem tali vel conſimili ratione: *Deus quantum Patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum Iudicis majeſtate metuendus.*

I. Cur incipis à timore Dei, Spiritûs ſancti dona declarare?

R. Quia *initium ſapientiæ timor Domini*. Neque refert quòd Propheta enumeret illa incipiens à ſapientia, & finiens in timore Domini; quia id agit, ut à ſummo deorſum ad nos deſcendens, oſtendat qualiter nos aſcendere oportet. Fingas ergò hæc ſeptem Spiritûs ſancti dona, eſſe inſtar ſcalæ ſeptem graduum, in qua primus gradus undè aſcenditur, ſit timor Domini; ſupremus verò ad quem pervenitur, ſit ſapientia, ſive donum ſapientiæ. Pſal. 110.

I. Quotuplex eſt *timor Domini*?

R. Duplex, ſervilis & filialis; Servilis eſt, quo gehenna timetur, & ideò peccare reformidatur; filialis eſt, quo quis amore Dei, ne ejus bonâ gratiâ excidat, deſiſtit à peccato, & hic dicitur caſtus vel ſanctus timor, *permanetque* etiam cum ſapientia, *in ſæculum ſæculi*. Pſal. 18.

I. Eſtne bonus, & utilis timor ſervilis?

R. Omninò, nam adnumeratur inter primas partes, quibus ſe peccator ad juſtificationem diſponit. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. vide ibi, Can. 8. & ſeſſ. 14. cap. 4. & Can. 5. Et Dominus ipſe illum ſuis auditoribus prædicabat: *Timete eum*, inquiebat, *qui poteſt, & animam & corpus perdere in gehennam.* Et hic fuit acerrimus ſtimulus Apoſtolis, & Martyribus, ad generosè ſuperandum equuleos, ignes, leones, omniaque tormenta. Quin & Machabæis ſeptem. 2 Machab. 7. Vide S. Ambroſium in Expoſitione Pſalmi 118. ſer. 21. Matt. 10.

I. Habuitne Chriſtus timorem Domini?

R. Ita. Nam Iſaias dicit, quod timor Domini requieverit ſuper eum: verùm hic timor in Chriſto Domino planè filialis erat, ex intimo amore, & reverentia Dei procedens.

Quibus mediis ad Dei timorem pervenitur.

I. Quibus potiſſimùm mediis pervenitur ad Dei timorem?

R. Primum medium eſt, cognitio ſui; quod tradit Bernardus in Cantica. *Volo*, inquit,

Ser.36. & 37.V.ſup. lect.2.præ lud.

quit, *animam primmùm ſcire ſeipſam, quod id poſtulet ratio, & utilitatis, & ordinis. Ordinis, quia quod nos ſumus, primum eſt nobis: utilitatis verò, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat. Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione ſui, cùm ſe perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, carnalium deſideriorum face infectam, cæcam, curvam, implicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis*, &c. *Tali itaque ordine ſalubriter innoteſcit Deus, cùm prius homo ſenſerit in neceſſitate poſitum, & clamabit ad Dominum, & exaudiet eum. Sed jam demum adverte, quomodo utraque cognitio Dei, & tui, ſit tibi neceſſaria ad ſalutem. Nam ſi ignoras te, non habebis timorem Dei in te, non humilitatem. An verò ſine timore Dei, & ſine humilitate de ſalute præſumas, tu videris*, &c.

V.ſup.c. præced. lec.4.5.6. 7. Et infr.p. 4.c.6.lec. 4.

Secundum medium eſt, meditatio frequens noviſſimorum, maximè judicii, & inferni, quod tradit S. Ephrem ſermone de patientia: *ſemper mente*, inquit, *timorem Dei ſumito, memor ſemper noviſſimi, atque tremendi illius diei, quando cœli ardore ignis ſolventur, & terra cum omnibus operibus quæ in ea ſunt, comburetur, quando aſtra tanquam folia decident, Sol & Luna tenebris obſcurabuntur, neque dabunt lumen ſuum. Quando apparebit Filius Dei, & de cœlis in terram deſcendet, cœlorumque virtutes commovebuntur. Quando Angelorum diſcurſiones, voceſque tubarum ſupervenient, ignis in conſpectu ejus ardens atque comburens totum orbem. In circuitu ejus tempeſtates maximæ, terræque motus horribiles ac fulgura, qualia nunquam evenerunt, ut vel ipſæ virtutes cœlorum tremore magno corripiantur.* Vide ſimilia apud Sanctum Baſilium in Pſalmum 33. Quomodò tamen rationabilis, & ſecundùm ſcientiam debeat eſſe hic timor, docet Sanctus Ambroſius ſerm. 5. Pſalm. 118.

Epiſt. ad Philip.

Tertium medium, ſemper habere Deum præ oculis. Ita conſulit Chryſoſt. hom. 8. in Epiſt. ad Philip. cùm tractat verba Apoſtoli, *cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini. Talem timorem*, ait, *habebat Paulus, quapropter dixit. Metuo ne quo pacto cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Si enim temporalia ſine timore comparari, & diſponi nequeunt, quantò minùs ſpiritualia? dic enim mihi, quis litteras abſque timore didicit? Quis artis cujuſquam peritus factus eſt, abſque timore? Quomodò verò comparabitur iſte timor? Si cogitaverimus Deum ubique præſentem eſſe, omnia audire, omnia videre, non ſolùm quæ opere fiunt, & quæ dicuntur, ſed & quæ in corde ſunt omnia, & quæ in profundo ſunt animi: Iudex eſt enim cogitationum, & conſiliorum cordis. Dic mihi ſi tibi ſemper proximè Principem ſtandum eſſet, non cum timore aſtares? Quando comedis, cogita præſentem eſſe Deum, adeſt enim. Quandò dormiturus es, quandò iraſceris, quandò rapis, quando delitiaris & quicquid tandem feceris, cogita adeſſe Deum, & nunquam in riſum incides, nunquam ad iram accenderis.*

Præſentia Dei meditatio timorem generat.

Simile.

Artifex, etiamſi peritus ſit, cum timore tamen, & tremore ſtat metuens ne ab ædificio decidat, & tu credidiſti, multa bona patraſti, in ſublime aſcendiſti, cautè teipſum contine, oculumque vigilantem habe, ne inde excidas. Sunt enim multæ nequitiæ ſpirituales, quæ te dejicere conantur. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

I. Eſtne magnum hoc Dei donum, timor Domini?

Greg.l.6. Moral c. 27. Lib de cultu fœr. c. 2. Eccl.27.

R. Maximum. *Eſt enim*, ut dicit Gregorius, *anchora cordis, pondus timoris.* Et Tertullianus: *Timor fundamentum eſt ſalutis, cavendo ſalvi erimus, qui ſollicitus eſt, is verè poterit eſſe ſecurus.* Quod mirè quadrat cum eo, quod dicit Scriptura: *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, ſubitò ſubvertetur domus tua.*

Digitized by Google

I. Sed quâ ratione poterit quis ſe continere in timore Domini?

Modus ſe continendi in timore Dei. R. Si conſideret attentè inſtabilitatem humanam, & quod ignoret quid ſibi tandem accidet. 2. Cautiores nos eſſe convenit exemplo Angelorum, qui ſuo gradu exciderunt. *Job. 4.* *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem; quantò magis qui inhabitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum?* Conſumentur velut à tineâ: & rurſum capite 15. *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis & cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus.* 3. Eorum exemplo qui lapſi ſunt ex nimia præſidentia & ſecuritate, atque ex occulta quadam ſuperbia, quâ ſuæ virtuti, & ſanctitati nimis innixi & confiſi ſunt: *Vidimus*, inquit auctor ſoliloq. cap. 29 tom. 9. operum S. Auguſt. *Vidimus*, inquam, *multos, Domine, ex Patribus noſtris* (tales fuerunt Origenes, Tertullianus, & Lucifer Calaritanus) *Exempla.* *quod uſque ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor, aſcendiſſe primitus quodammodo uſque ad cœlos, & inter ſidera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodum autem cecidiſſe uſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cœlo cecidiſſe ab impetu ferientis cauda draconis, & eos qui jacebant in pulvere terræ, à facie ſublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus vivos morientes, & mortuos à morte ſurgentes, & eos qui inter Filios Dei ambulabant, in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe. Vidimus lucem obtenebraſſe, & de tenebris lucem proceſſiſſe, quia publicani, & meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum, Filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores.* Vis exempla antiquiora? Noti ſunt lapſus, heu infelices nimis! Protoplaſti, Samſonis Salomonis, Apoſtolorum, &c.

Pietas. I Quid eſt *donum pietatis*?

R. Eſt donum Spiritûs ſancti, quo is, qui timore Domini jam correptus, & gehennam, quam peccatoribus minatur Deus, perhorreſcens, ſtatuit deinceps voluntatem Dei, & mandata ejus adimplere. Ubi Nota, per timorem Dei fugit peccator à caſtris diaboli, per pietatis donum accedit ad partes Dei; vel, timor jugum diaboli abjicit; pietas jugo Dei ſe ſubjicit.

I. Quid eſt *donum ſcientiæ*? *Scientia.*

R. Eſt Spiritûs ſancti donum, quo quis ſcientiam nanciſcitur rerum divinarum, & humanarum, ad iis rectè utendum ad ſalutem animæ. Vid Bern. ſerm. 36. & 37. in Cant. & Thom. a Kemp. lib. 1. c. 1, 2. 3, de Imit. Chriſti. Et quæ nos ſuprà lectione 1. & 2. præludiali, ubi de Dei & ſui ipſius cognitione.

Ad ſcientiam pertinet cognitio Sacramentorum, Scripturarum, rerum ad fidem, fideique confirmationem ſpectantium; & quamvis earum rerum ſcientiam ſpeculativam per Theologicæ facultatis principia conſequi poſſimus, At certè practicam conjunctam cum Dei cultu, timore, obedientia, & amore à Deo nobis donari neceſſum eſt; unde dicit Pſal. *qui docet hominem ſcientiam.* *Pſal. 93.* Sanè quid prodeſt homini ſcire rerum ſingularum definitiones, diviſiones, proprietates, quid juverit Theologiæ ſubtiliſſimas, & reconditiſſimas quæſtiones acutiſſimè diſputare, denique Eximium Dominum, & Doctorem irrefragabilem nominari, niſi illa omnia ſciverit ad benè & piè vivendum? *Vani enim ſunt omnes homines*, ut aliàs diximus, *Sap. 13.* *in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.*

Qui Chriſtum noſcit, ſat ſcit, ſi cætera neſcit;
Qui Chriſtum neſcit, nil ſcit, ſi cætera noſcit.

I. Quis in hoc genere ſcientiæ Doctor eximius fuit?

R. Sanctus Paulus, qui dicit: *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi JESUM Chriſtum, & hunc crucifixum.* *1. Cor. 2.* *Simile.* Sicut uter vel follis vino vacuus, ſed vento turgidus vanus eſt, quia nihil in ſe habet ſolidi; ſic Philoſophus, Orator, Theo-

Theologus. Dei practicâ cognitione, gratiâ, & amore deſtitutus, & inani ſcientiæ vento faſtuque inflatus, vanus eſt & ſtultus. Bulla eſt vento tumida, quæ mox ab aëre difflabitur, vapor eſt, fumus eſt, qui mox.

——— *tenues vaneſcet in auras.*

I. Quis ergò eſt finis, uſus rectus, & modus ſcientiæ?

ſer. 36 in Cant. R. Illum tradit Sanctus Bernard. explicans locum Apoſtoli 1 Cor 8 v. 2. his verbis: *Vides, quoniam non probat multa ſcientem, ſi modum ſciendi neſcierit: modus eſt ut ſciat quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat: Quo ordine? ut id prius quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio? ut id ardentius quod vehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad ædificationem tuam vel proximi.*

Rectus modus ſcientiæ quis?

Sunt namque qui ſcire volunt eo fine tantum ut ſciant, & turpis curioſitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur & ipſi, & turpis vanitas eſt, qui profectò non evadent ſubſannantem Satyricum.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt ut ædificent, & charitas eſt: & item ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt.

Idem l. de conſc. cap. 2. *Multi, ait, quærunt ſcientiam, pauci conſcientiam. Si verò tanto ſtudio, & ſollicitudine quæreretur conſcientia, quanto quæritur ſæcularis, & vana ſcientia, & citiùs apprehenderetur, & utiliùs retineretur.*

Fortitudo.

I. Quid eſt *donum fortitudinis?*

R. Eſt donum Dei, quo, qui reſolvit deinceps ſtrenuè Domino Deo ſervire, ejuſque voluntatem perficere, confortatus omnem difficultatem ſuperat, quæ in exercitiis pietatis occurrit.

Qualiter fortitudinem conſequi poſſumus.

I Qualiter hoc donum fortitudinis conſequi poſſumus?

R. Si ferventi illud aſſiduâque oratione petierimus. In hujus rei figuram levante Moyſe manus ad Dominum, Filii Iſraël vincebant Amalec, & illo ruiſùm deprimente, vincebantur ipſi. Secundò Spiritus ſanctus ſolet hoc fortitudinis donum iis impertiri, qui lumbos præcingunt, & carnis luxuriam per continentiam coarctant. *Cùm infirmor*, inquit Apoſtolus, *tunc potens ſum*, tunc potens, fortis, & validus fio, gratiæ, magnanimitatis, humilitatis, ſpei, ipſiuſque Dei viribus, qui tunc adeſt, ſuaſque vires exerit, ac mihi ſuggerit, quando ſecundùm carnem infirmor, quando patientiâ, carnis inſolentiam domo, & ſupprimo. Tertiò, qui inceſſanter & ſeriò exercent ſe in virtutibus, fortitudinem quodammodò ipſi acquirunt. Ruſticani homines (inquit Bern. quotidiano labori aſſuefacti, vires, robur & fortitudinem quaſi per habitum ſibi comparant; ita & tu per quotidianum Chriſtianarum virtutum exercitium, & continuam contra vitiorum lernam, dimicationem, labori aſſueſce. *Exod. 17.* *2. Cor. 12.*

Sanctus Dominicus Loricatus, rogatus quomodo ad tantam vitæ auſteritatem perveniſſet: ſicut ſomnus, inquiebat, ſomnum adeſcat, ſic vigiliæ vigilias pariunt, labor laborem, pœnitentia pœnitentiam allicit, & invitat. Quartò, exempla ipſa non parum nos juvāt, neque vulgares ſtimulos ſubjiciunt ad fortiter, & magno animo vitiis reſiſtendum. Vide Aug. l. 8. Conf. c. 12. & Martyrologium, vitaſque Sanctorum, è quibus paſſim ſuppetent exempla. *Exempla.*

I. Nunquid iſta fuit fortitudo ingens, quâ Samſon catulum leonis ſævum, & rugientem accurrentem ei dilaceravit, quaſi hœdum in fruſta diſcerpens, nihil omninò habens in manu ſua. *Judic. 14.*

Et rurſum, quando mandibulam aſini arripiens, interfecit in ea mille viros? *C. 15.*

Et iterùm, quando circa medium noctis conſurgens apprehendit ambas portæ fores Gazæ cum poſtibus ſuis & ſerâ, impoſitaſque humeris ſuis portavit ad verticem montis? *Fortitudinis corporalis exempla* *1. Reg. 17.*

Non-

Digitized by Google

Nonne etiam David fortiſſimus cenſeri poſſit, qui Leonis, & Urſi mentum apprehendebat, & ſuffocabat, interficiebatque eos, & quando prævaluit adverſùm Goliath Philiſtæum in funda, & lapide?

R. Minimè gentium. Samſon uſque adeò enervis fuit, ut meretricula eum dormire fecerit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, quæ vocato tonſore, & raſis ſeptem crinibus ejus, cœpit abigere eum, & à ſe repellere: & ſtatim ab eo fortitudo diſceſſit. De Davide autem quid dicam, neſciit tantùm frænare oculos, ſed vidit deambulans in ſolario domûs regiæ mulierem lavantem, ex adverſo ſuper Solarium ſuum pulchram valdè, & miſſis nuntiis tulit eam, vetanaque libidine victus dormivit cum ea. Non igitur hic nobis de fortitudine aliqua corporali ſermo, ſed de ea quæ eſt Spiritûs ſancti donum, quæque eſt vigor mentis ſeu virtus, quæ in infirmitate perficitur.

Judic. 16.

2. Reg. 11.

I. Dic igitur paucis, in quo ſita ſit hæc fortitudo?

Prov. 16.

R. In eo, ut teipſum vincas. *Qui dominatur animo ſuo, fortior eſt expugnatore urbium.* Itaque vis Chriſtiana, ſive fortitudo Chriſtianorum in eo cernitur, ſi non iræ, triſtitiæ, acediæ, cenodoxiæ, ſuperbiæ tantùm, verùm etiam libidinis, omniumque pariter ex ſtirpe ſervitutem vitiorum. Pulchrè Sanctus Gregorius. *Fortitudo juſtorum eſt, carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, hujus mundi aſpera pro æternis præmiis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, adverſitatis metum in corde ſuperare.*

Fortitudo Chriſtiana in quo ſita.

Lib. 8. Moral.

I. Donum autem *conſilii* quid?

R. Eſt Spiritûs ſancti donum, quo Deus nos illuminat ad detegendas technas, & fraudes diaboli, qui ſæpè ſub ſpecie boni incautos decipit. Nimirùm ſub apparentia, & honeſto prætextu œconomiæ ad avaritiam inducit, ſub ſpecie honeſtæ & licitæ recreationis ad illicitos jocos impellit, &c.

Conſilium.

Si ergò hæres in dubio, fluctuas, neſcis quid agendum, quid eligendum ſit, adi magni conſilii Angelum.

Si parvi es animi, depreſſæ mentis, & conſilii, invoca magni conſilii Angelum. Si de ſtatu vitæ delibeias, & ignoras quis tibi ſit ſalutaris, quis capeſcendus; implora magni conſilii Angelum. is tibi inſtar columnæ Hebræorum in deſerto viam oſtendet, & præibit in cœlum. Si in periculis, in perſecutionibus, in ærumnis, in arctis poſitus exitum non vides, obſecra magni conſilii Angelum, dicito cum Joſaphat Rege ſiti preſſo, & ab hoſte obſeſſo: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Exempla plura habes Eſth. 14. Judith 9. 4 Reg. 19. Ubi quid Ezechias obſeſſus à Sennacherib egerit. Vide v. 15.

Exempla.

2. Paral. 20.

Denique illuſtre exemplum eſt in vita Joſaphat apud Damaſcenum c. 30. cùm enim ipſe fraudulenter à fœmina gentili inſtinctu Patris tentaretur, ut ſecum unâ nocte cubaret, adderetque illa ſponſionem, ſi id faceret, ſe futuram Chriſtianam; videret ergò ne animam perderet, quam tam parvâ re lucrari poſſet. Hæſit ille perplexus, ſed converſus ad orationem cognovit fraudes ſerpentis, tentationemque ſuperavit, & aſtum Patris ac mulieris, ſuâ ſapientiâ & conſtantiâ diſcuſſit.

Exemplum.

I. Quid *donum intellectûs*?

Intellectus.

R. Eſt donum Spiritûs ſancti; quo is, qui jam in vita activa, & in conflictibus contra dæmones ſeſe exercuit, ſuſtollitur deinceps ad contemplationem, & intelligentiam myſteriorum Dei. *Da mihi intellectũ, ut diſcam mandata tua.* Sæpè identidem repetit David Pſal. 118. Atque ut declaret quanti ſit hoc donũ, adgratulatur ſibimet de eo obtento in Pſal. 50. *Incerta* (inquiẽs) *& occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.*

I. Quâ ratione impetrare poterit homo pretioſum hoc donum intellectûs?

Digitized by Google

Pſal. 118. R. Primò, oratione: *Da mihi intellectum*, &c. Secundò fide: *Niſi credideritis, non intelligetis*. Fidei enim merces eſt intellectus, inquit Proſper. Tertiò, munditiâ cordis, & vitæ bonæ conſcientiâ. Sent. 128. Pſal. 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Pſal. 31. Et: *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*. Quare, i. e. ſui ipſius demiſſione homo diſponit ſe ad recipiendum hoc donum, juxta illud: Pſal. 118. Matt. 11. *intellectum dat parvulis*, &: *revelaſti ea parvulis*.

I. Habueruntne Philoſophi illi celebres & toto orbe famoſi, Ariſtoteles, Plato, Socrates, hoc ſacrum donum intellectûs?

R. Minimè, nam de iis conqueritur Apoſtolus, Rom. 1. quòd cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Vide ad hanc rem caput 13. Sap. 1.

I. Quibus ſimiles erant iſti Philoſophi?

R. Similes pueris, qui characteres quidem mirantur, verùm non capiunt, neque intelligunt quidnam ſub illis lateat. Ità nimirùm ſapientes illi hujus ſæculi accuratè diſputabant de rerum natura, & earum proprietatibus, aptè definientes, & dividentes non ſine auditorum applauſu; ſed non intelligebant naturæ ipſius conditorem, hærentes circa caracteres & literas, id eſt, circa creaturas, quæ ſunt Dei Sup. lect. 1. præludial. ter maximi, & bonitatis, ſapientiæ, potentiæ, cæterorumque ejus attributorum veluti quædam veſtigia, & expreſſi characteres; dicente Sancto & patiente Propheta: Job. 12. *Interroga jumenta & docebunt te, volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris*.

I. Quinam igitur dono intellectûs prædìti fuerunt?

R. Antonii, Pauli, Franciſci, & ejuſmodi viri præſtantes ſimplicitate, humilitate, fide, vitæ ſanctitate; qui cùm litteras non didicîſſent, probè litterarum ſenſum callebant, Spiritu ſancto eos docente, & hoc ſuo intellectûs dono illuminante.

Præclarum eſt in hac materia exemplum S. Thom. Aquin. in Brev. Roman. 7. Martii, & S. Bonav. in vita ejus.

I. Quid eſt *donum ſapientiæ*? Sapientia.

R. Sapientia (quaſi ſapida ſcientia, inquit Divus Bernard.) eſt donum Spiritûs ſancti, quo, qui Deum cognoſcit, & per donum intellectûs abdita myſteriorum ejus penetrat, omnes ſuas actiones in Deum dirigit tanquam ad finem ſuum, jungens affectum intellectui, quod abſque charitate fieri non poteſt; *Anima enim* Sap. 7. *juſti ſedes eſt Sapientiæ*. Undè benè infert Serm. 63. S. Bern. in Cant. Igitur *is ſapiens eſt, qui juſtus eſt*. Cognitio ergò quæ habetur per intellectum, eſt quaſi cognitio per viſum: cognitio verò quæ habetur per donum Sapientiæ, eſt quaſi cognitio per guſtum. Hinc illud Pſal. *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*.

I. Eſtne magnum & pretioſum hoc Sapientiæ donum?

R. Eſt pretioſiſſimum, & longè maximum. Vide quid de Sapientia dicat Job c. 28. v. 11. Salomon Prov. 3. v. 13. & c. 8. v. 11. ac rursùm in libro Sapientiæ præſertim c. 7. v. 7. & Eccl. c. 37. v. 27.

I. Habeſne exemplum alicujus Sancti, qui ſapores illos, & affectus ſapientiæ interdum guſtaverit?

R. Ita. De ſe confitetur Auguſtinus: Exemplum. *aliquando intromittes me in affectum multum inuſitatum introrsùm ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis, & teneor, & multùm fleo, ſed multùm teneor. Tantum conſuetudinis ſarcina degravat. Hic eſſe valeo nec volo; illic volo, nec valeo, utrobique miſer.*

L E-

Digitized by Google

LECTIO TERTIA.

De fructibus Spiritûs ſancti.

12. Fructus Spiritûs ſancti.

1. **Q**Uot ſunt fructus Spiritûs ſancti?

R. *Duodecim. Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.*

I. Quid ſunt fructus Spiritûs ſancti?

R. Sunt opera Spiritûs, per Apoſtolum oppoſita operibus carnis, id eſt, ſunt effectus diverſi variarum virtutum, quos virtutes in anima pariunt operante principaliter, & producente Spiritu ſancto, ut iis Dei regnum mereamur & conſequamur, à quo opera carnis ſuos operantes excludunt. In quibus primo loco, ponitur *Charitas*, quia fructus eſt primus & nobiliſſimus, ac cæterorum parens: reliqui enim ſequentes, charitatis ſunt fructus.

I. Quare ſic appellantur fructus Spiritus ſancti?

R. Quia ſuavitatem quandam homini ex illis operanti in anima conferunt; quemadmodum fructus arboris in ore comedentis. 2. Sicuti ex fructibus arborem cognoſcimus; ita ex his Spiritûs ſancti fructibus cognoſcere licet, boni an mali ſint homines.

Charitas.

I. Quid eſt *Charitas*?

R. Eſt virtus diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, quâ Deum amamus ſuper omnia, & proximum ſicut nos ipſos. De Charitate in 3. parte infrà. Vide S. Tho. 2. 2. q. 23. & ſequent.

Gaudium Spiritûs ſancti fructus.

I. Quid eſt *gaudium*?

R. Eſt fructus Spiritus ſancti, qui oritur ex conſcientia ſerena, ſancta, purgata à peccatis, vitiis, animi perturbationibus. De hoc dicit Scriptura, quod ſecura mens ſit quaſi juge convivium. Et Apoſtolus Philippenſes vult ſemper gaudere. *Gaudete, inquit, in Domino ſemper.* — Prov. 15. — Philip. 4.

I. Qui fieri poteſt, ut homo ſemper gaudeat?

R. Si ſemper benè vixerit, id poſſibile eſt. *Cognovi*, inquit Salomon, *quod non eſſet melius, niſi lætari, & facere benè in vita ſua.* Et Eccleſiaſticus: *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.* 2. Contemnat vana gaudia ſæculi; *voluptatem enim viciſſe voluptas maxima eſt: neque enim ulla eſt major victoria, quàm quæ de voluptatibus refertur.* — Eccl. 3. — Eccl. 1. — *Cypr. l. de Diſci. & bono pudic.*

I. Gaudium ergò mundanorum hominum, qui ſuis voluptatibus laxant habenas, non eſt verum, & ſolidum gaudium quod eorum animas implere poteſt?

R. Minimè; ſic enim de illo Job: *hoc ſcio à principio quòd laus impiorum brevis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Et S. Chryſoſt. *ut homines ægri*, inquit, *cum multis febribus aguntur, ſi in aquas ſemetipſos frigidas immerſerint; ad præſens ſibi aliquid quidem videntur quæſiiſſe ſolatii; multiplicatas verò flammas febrium ſibi reparant: ita & nos agimus, cùm conſcientiæ ſtimulis agitamur, ſi merè externas gaudii, & lætitiæ cauſas quæramus.* Et alibi docet, mundi gaudia parere triſtitiam, gaudium verò ſpiritûs durare, & creſcere: *Bona*, inquit, *eſt talis lætitia, omni mundanâ major lætitiâ; ita lugentem omnibus gaudentibus præpono.* Et infrà: propterea gaudio lætamur inutili, quod eſt mundi, quod ſtatim extinguitur, & infinitos parit mœrores. Triſtemur potiùs triſtitiâ gaudii genitrice; non autem lætitiâ triſtitiæ genitrice gaudeamus: lachrymas fundamus multam ſeminantes voluptatem: neque riſu rideamus, dentium ſtridorem nobis pariente, affligamur tribulatione, ex qua indulgentia naſcitur: neque delitias quæramus, ex quibus multa tribulatio paritur, & anguſtia. Idem Chryſoſt. alibi: *Impura voluptas ſimilis eſt voluptati, quâ afficiuntur ſcabioſi, cum ſe ſcalpunt; huic enim voluptati, quæ brevis eſt, ſuccedit longior dolor, & moleſtia. Extrema*, ſcilicet, (ut dixit Eccleſiaſtes) *gaudii luctus occupat.* — Job. 20. — *Hom. de compunc.* — *Simile.* — *Gaudium mundanorum.* — *Hom. 61. ad pop.* — C. 11.

Elegans eſt; & ad id quod tractamus appoſitus verſus Boëtii: *Boët. l. 3. met. 7.*

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

I. Eſtne periculoſum paſſim, & nullo delectu cum ſæcularibus delectari, & gaudere?

R. Ita: nam quid in fine talibus accidet, declarat Eccl. *Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* *Eccl. 11.*

I. Qualiter differt gaudium ſpirituale à mundano?

Gaudium ſpirituale differt à mundano qualiter.

R. Mundani homines gaudium ſuum conſtituunt in creaturis, quod cum illis citò finem accipit; juſti autem gaudent in Domino, qui mutationem aliquam aut finem neſcit. Audi Sanctum Bernardum: *Revera illud verum & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur, & quod cùm poſſederis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror eſt, omnis ſuavitas dolor eſt, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne poſtremò quodcumque aliud delectare poſſit, moleſtum.* *Eph. 114.*

I. Habeſne exemplum alicujus mundani, qui è ſæculari, & momentanea lætitia exciderit in æterna lamenta?

R. Ita. Vide hiſtoriam divitis Epulonis, Luc. 16.

Exempla.

I. Habeſne etiam exempla, quibus comprobes Sanctos verè in Domino gaviſos eſſe vel in mediis tormentis conſtitutos?

R. Habeo. SS. Savinus, & Cyprianus Brixiani Martyres, cùm atrociter cæderentur, in ignitam fornacem projicerentur, ſuper rotas extenderentur & dilacerarentur, gratias agentes Deo, jubilanteſque dicebant: *Quam dulcis eſt dilectio tua, Domine!* ita Ferrar. in Catal. SS. Italiæ ad 2. Julii.

Sanctus Marcus, & Marcellianus ſtipiti clavis affixi, cùm Judex diceret: reſipiſcite miſeri, & vos ab his cruciatibus liberate: alacres reſponderunt: numquam tam jucundè epulati ſumus, quàm libenter hæc Chriſti cauſâ perferimus, in cujus amore nunc fixi eſſe cœpimus, utinam nos hæc tamdiu pati ſinat, quamdiu corruptili hoc corpore veſtiti erimus. *Ad 18. Julii.*

I. Habeſne rurſum exempla Sanctorum, qui in omni vita ſua læti, & hilares erant? *Exempla.*

R. Ita: de S. Antonio teſtatur Athan. in ejus vita, quòd læto ſemper, & hilari vultu animæ puritatem internam teſtabatur.

De S. Romualdo vide Breviarium Romanum ad 7. Feb.

Magnus ille Apollo apud Palladium in Lauſiaca c. 54. ſuos in eremo Fratres licet ſolitariè, & auſterè admodùm viventes excitabat ad perennem lætitiam ſpiritûs, ut de iis dicat Palladius: *Licebat eos videre exultantes in ſolitudine, adeò ut nullam ejuſmodi exultationem videre liceat, nec lætitiam corpoream, neque enim erat inter eos aliquis mœſtus aut triſtis.* Addit deinde modum, & rationem, quâ eis Apollo hanc lætiam ingerebat. *Si quis*, inquit, *videbatur præferre triſtitiam, ſtatim Pater Apollo ex eo rogabat cauſam; & quæ erant in occulto uniuſcujuſque cordis, renuntiabat. Dicebat autem: non oportet nos eſſe triſtes propter ſalutem cum futuri ſimus hæredes regni cœlorum: triſtes erunt Gentiles, flebunt Judæi, lugebunt peccatores, juſti autem lætabuntur, & qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis; nos autem qui tantâ ſpe digni ſumus habiti quemadmodum non lætamur perpetuò! cùm nobis Apoſtolus ſuadeat ut ſemper lætemur & oremus ſine intermiſſione.*

I. Qui

Fieri poteſt ut juſtus hic ſemper gaudeat quomodo.

I. Qui fieri poteſt, quòd hic ſemper juſtus gaudere poſſit, qui tantò plus ab infidis, & impiis hominibus perſecutionem patitur, quantò ipſe virtuti majus ſtudium impendit?

R. Sic reſpondet S. Baſil. anima quæ ſemel ſe modis omnibus deſiderio aſtrinxit ſui Conditoris, jamque inſuevit oblectare ſe tantæ illius pulchritudinis contemplatione: prorſus non ſinet vehemens illud gaudium, animique ſui jucundiſſimam diffuſionem intercipi aut immutari, per multiplicem, & ſuccedaneam carnalium affectionum mutationem, quin ea potiùs quæ aliis mœrorem afferunt & triſtitiam, in cumulum ſibi vertet, & acceſſionem lætitiæ; cujuſmodi erat Apoſtolus dum ſibi probè admodum complacet in infirmitatibus, in tribulationibus, in perſecutionibus, in neceſſitatibus, egeſtatem ſuam in gloriam, & exultationem permutans.

Dicet aliquis, oportet ſaltem triſtari, quando de peccatis conterimur, & pœnitemus? Reſp. vera peccatorum contritio & pœnitentia delectat cor, conſolatur, & ad omne bonum animos addit; ratio eſt, quia à Spiritu ſancto, cujus proprium eſt conſolari, & gaudio perfundere, procedit, ut idcircò Concil. Trid. docuerit

Seſſ. 14. c. 3.

tem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliationem eſſe cum Deo, quàm interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi Spiritûs conſolatione conſequi ſolet.

Pax fructus Spiritûs S.

I. Quid eſt *Pax*?

R. Eſt fructus Spiritûs ſancti, quem illis impertitur, qui ab animi perturbationibus liberi ſentientes ſe errore peccatorum, & pœnarum liberatos, mirâ animi pace, & tranquillitate perfruuntur facti participes gratiæ & amicitiæ Dei.

I. Eſtne ſuavis admodùm hic Spiritûs ſancti fructus?

R. Planè, ut dicat Apoſtolus, quod exuperet omnem ſenſum, ſive omnem intellectum, ſic ut intelligi non poſſit qualis, & quanta ſit hæc pax; pax (inquit Ambr.) quam habet anima ſancta cum Deo, quæ eſt tranquillitas conſcientiæ; adeoque licet nullam aliam Deus virtuti poſuiſſet mercedem, quàm pacem hanc, præmium digniſſimum fieret, quod meritò omnes excitaret ad quoſvis etiam arduos virtutis labores ſubeundos, ut pace hâc fruerentur. *Omnis nobis vilis eſt pœna*, (ajebat S. Tiburtius in mediis ipſis tormentis) *ubi pura comes eſt conſcientia.*

I. Non ergò gaudent hâc pace qui ſibi malè conſcii ſunt?

R. Minimè, *quia non eſt pax impiis.* Ipſi enim ſequuntur ſuas cupiditates, quæ mille bella, & in ipſa anima, & in rebus publicis generant, atque juſto Dei judicio, dum ſeminant iniquitates, metunt dolores. Præclarè S. Greg. in Pſ. 7. pœniten. *Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum moleſtias, nulla eſt major afflictio, quàm conſcientia delictorum. Supereſt itaque ut in tribulatione poſitus peccator, ad Deum recurrat, in quo ſolo Chriſtiana eſt conſolatio.* Iſai. 48.

Patientia.

I. Quid eſt *patientia*?

R. Eſt fructus Spiritûs ſancti, quo adverſa quæque hujus vitæ, & maximè mores aliorum difformes ſæpè & inconditos, præſertim cholericos, & faſtuoſos prudenter, & patienter ferimus.

Nota, patientiâ nobis opus eſt, non ſolùm ut mereamur gloriam fortiter dimicantibus promiſſam, verùm etiam ut pacem, de qua modò dicebamus, habeamus, & cum aliis Deo ſerviamus. Chriſtianorum enim pax non tam in hoſtium internecione cernitur, quàm in conflictu, obniſu, continuaque de perturbationibus animi victoria; quæ frequenter in trophæis ſuis non oſtentat aliud quàm patientiam, & tentationum generoſam tolerantiam. Uti docent

Ter-

Digitized by Google

Tertul, & Cyp. l. de pat. Si de modo vincendi inimicos, qui nos læſerunt, agitur, nullus modus efficacior ipsâ patientiâ Nam ſi læſus ab aliquo doleas, & impatienter agas, te ille vicit: ſi hilariter ſuſtineas, ſi benefacias, tu viciſti. *Nempè idcircò quis te lædit* (inquit Tertul. l. de pat.) *ut doleas, quia fructus lædentis in dolore læſi eſt. Ergo cùm fructum ejus everteris non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructûs ſui: tunc tu non modo illæſus abibis, ſed inſuper & adverſarii tui fruſtratione delectatus & dolore defenſus.*

Tertul.

Exempla.

I. Habeſne exemplum pro commendanda patientia?

R. Ita. Chriſtiana illa Virgo ſanctitate illuſtris apud D. Taulerum moriens, rogata, quomodò ad tantam ſanctitatem perveniſſet, reſpondit. *Primò* afflictiones meas nullo niſi Deo queſta ſum, & ſtatim aut conſolabar, aut confortabar à Domino. *Secundò*, corde ſemper fui liberaliſſimo; & ſi quando opere non poteram, animo ſaltem dabam. *Tertiò*, iis à quibus læſa fui, beneficium ſingulare rependi: quod non feciſſem, niſi læſa ab eis fuiſſem. Inſtit. c. 31.

Tria media ad inſignem ſanctimoniam.

Excelluit in hac virtute ſanctus Ignatius de Loyola. Ille enim compilatorem pecuniæ ſuæ Rothomagi ægrotantem, & ab omnibus deſertum, Pariſiis advolans, toto triduo nec comedens, nec bibens adiit, eleemoſynis à ſe conquiſitis juvit, ſanitati reſtituit, & in Hiſpaniam cum litteris commendatitiis miſit.

Ribad. in vita Ignatii.

I. Quid eſt *benignitas?*

Benignitas fructus Spiritûs ſancti.

R. Benignitas eſt fructus Spiritûs ſancti, qui hominem comem, ſuavem, benignum efficit, tam in converſando & benefaciendo, quàm in loquendo & reſpondendo. Undè poteſt aliquis eſſe bonus, & beneficus, qui non ſit benignus; cujus ſcilicet natura, & modus agendi eſt rudior, ruſticior, aſperior, contra quæ militat benignitas, ut naturam & converſationem flectat ad comitatem, civilitatem, & dulcedinem verborum & morum. Hæc magnum eſt indicium ſanctitatis, & Spiritûs ſancti, qui, ut dicitur Sap. 7. v. 22. ſanctus eſt, ſuavis, benignus, humanus. In benignitate excelluit Abraham, qui Gen. 13. ſic loquebatur Nepoti ſuo Loth: *Non ſint jurgia inter me, & te, fratres enim ſumus, &c.*

Benignitas magnum indicium ſanctitatis.

Exemplum.

LECTIO QUARTA.

I. Quid eſt *bonitas?*

Bonitas.

R. Eſt fructus Spiritûs ſancti, ſive bonus & benevolus affectus ad benefaciendum proximo, à Spiritu ſancto procedens. Bonitas ergò idem eſt quod beneficentia.

I. Habeſne exemplum alicujus, qui hoc Spiritûs ſancti fructu copioſè inſignitus fuerit?

Exemplũ.

R. Ita. Chriſtus ipſe Sanctus Sanctorum; de quo ſanctus Petrus: *Vos ſcitis* JESUM *à Nazareth, quando unxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.*

Act. 10.

I. Quid eſt *manſuetudo?*

Manſuetudo.

R. Eſt fructus Spiritûs ſancti, quo quis manſuetus, quaſi manu aſſuetus dicitur, tractabilis, ductilis, flexilis; tractari, duci, pati, facere, ferre aſſuetus & facilis. Opponitur iræ & animoſitati, quæ nihil vult pati, nullius jugum, aut mores ferre, ſed ſtatim ſe vindicare.

I. Habeſne exempla?

R. Ita Deus ipſe ter maximus *donavit nobis in Chriſto*, & faciillimè condonavit noſtras contra ſe offenſas & peccata; & ille Solem oriri facit ſuper bonos & malos; ita debemus nos proximis condonare ea, quæ in nos peccaverunt; & bonitatem in omnes effundere, *ut ſimus Dei imitatores ſicut filii chariſſimi.*

Eph. 4.

Exempla.

Secundò, *Moyſes fuit vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Et ideò amicus Dei familiariſſimus fuit, inquit ſanctus Dionyſius Epiſt. 8. ad Demophilum.

Num. 12.

Tertiò, talis etiam fuit *David*, de quo teſta-

Digitized by Google

Act. 13. Pſal. 131. teſtatur Dominus: *Inveni virum ſecundùm cor meum.* Et ipſe in Pſal. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus* Lege librum ſecundum Regum.

Aug. ſer. 10. de verbis Domini. Matt. Quartò, Chriſtus Dominus virtutum omnium adæquatiſſimum exemplar de ſeipſo dicit invitans nos ad imitationem. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Et Apoſtolus de eo: *non habemus Pontificem qui non poſſit condolere infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia.* Vide initium cap. ſequentis ad Hebr. & Jeremias de eodem atteſtatur, Heb. 4. Jerem. 11. quod *quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, non aperuit os ſuum.* Et Apoſtolus Petrus: 1. Pet. 2. *qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* Atque hoc (inquit S. Dionyſius ſuprà) eximiæ in ſe dilectionis argumentum capit Chriſtus, ſi oves ejus modeſtiſſimâ gubernatione paſcamus; & nequam appellat eum, qui conſervo non dimiſerat debitum. Vide S. Thomam opuſc. 92. de divinis moribus, in quo pulchrè docet, quos mores Dei, & quomodo imitari debeamus, quos non.

Prælati manſuetè regere ſubditos debent.

Viſio quædam ſancto Carpo oſtenſa eſt, quâ Chriſtus Carpi indignationem, & vindictæ appetitum contra Gentiles quoſdam, qui duos à fide Chriſti abduxerant, redarguens, eidem dixit: *Percute adverſùm me, paratus enim ſum etiam iterum pro ſalvandis hominibus pati: gratum mihi illud eſt, dum non alii homines peccent.* Apud S. Dionyſium ſuprà.

Viſio S. Carpi.

Sanctus ille ſenior apud Caſſ. exagitatus ab infidelibus Alexandrinis, rogatuſque, ecquæ mira Chriſtus ſuprà naturam feciſſet: *Hæc*, inquit, *quod ego conviciis, & injuriis veſtris laceſſitus, ad indignationem non commovear.*

L. 5. c. 16. nu. 16. In vitis Patrum Monachus poſt convicia alapâ cæſus à Philoſopho, mox aliam maxillam ei præbuit, tum ille adoravit eum, dicens: *Verè Monachus es.*

Alius non arguebat injuriantem, ſed ſe, dicens: *Quia propter peccata mea contingunt mihi hæc.* L. 7. c. 7.

I. Quid eſt *fides?*

Fides.

R. Eſt fructus Spiritûs ſancti, quo quis fidelis & verax invenitur in ſuis verbis, & promiſſis. Opponitur hæc fides fraudi, & mendacio. Spiritus enim ſanctus ut dicitur Sap. 7. eſt ſtabilis, certus, ſecurus, ac conſequenter fidelis, ſuoſque ſtabiles, veraces, fideles, hoc eſt, ſui ſimiles facit.

I. Quid eſt *modeſtia?*

Modeſtia.

R. Eſt fructus Spiritûs ſancti, ſive virtus, quæ modum ponit, & moderatur omnes actiones exteriores, ſcilicet inceſſum, veſtitum, ſermonem, riſum, luſum, ac totum hominem exterius componit, provenitque ex interna mentis, & paſſionum moderatione. Hinc Sapiens: *Amictus corporis & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo.* Et S. Ambr. *Ex actibus exterioribus ſtatus cordis noſtri abſconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut gravior, aut conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur.* Rectè præcipit S. Auguſt. in regula 3. In omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

I. Habeſne exempla aliquorum SS. qui in virtute modeſtiæ excelluerunt?

R. Ita: S. Bernardus ſuâ ſpecie, & morum compoſitione omnes ad Dei amorem & vitæ puritatem invitabat. Nam apparebat in carne ejus gratia quædam ſpiritualis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena, ſed cœleſtis: in oculis angelica quædam puritas, & columbina ſimplicitas radiabat; tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibuſdam inditiis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ, copiosè perfuſus homo quoque exterior videretur.

Exempla. *S. Bernardi modeſtia.*

S. Bernardinus Senenſis puer ita erat moribus compoſitus, ut ſenex videretur; adeò ut eo viſo, condiſcipuli ejus omnes

S. Bernardini. L. 5. c. 2.

Digitized by Google

omnes ad modeſtiam, & gravitatem ſe componerent, dicentes: tacete, Bernardus adeſt. Uti habes in ejus vita.

Hâc modeſtia excelluit quoque Sanctus Malachias Epiſcopus Hiberniæ: *Qui nullum membrum ſine ratione movebat,* inquit S. Bernardus in ejus vita.

Et S. Lucianus Presbyter & Martyr, qui ſolo ſuo aſpectu modeſto, hilari & pio, multos ad Chriſti fidem convertit. Tanta enim erat in eo vultûs ſerenitas, ſuavitas, lux, ut radios vibrare videretur; tanta morum ſanctitas & decor, ut Angelus videretur non homo; nemoque eum intueri poſſet, quin fidei, & Chriſti amore incenderetur: adeò ut Galerius Maximianus Imp. acerrimus Chriſtianorum hoſtis non auderet eum coram intueri.

[illegible] vita ejus apud Baron. an. Domini 311. Sur. 7. Ian.

I. Quid eſt *continentia?*

Continentia.

R. Eſt fructus Spiritûs ſancti ſive generalis virtus, aut potiùs complexio virtutum, quâ continens vitiorum omnes illecebras, & tentationes frænat ac cohibet, cerniturque non ſolùm in caſtitate, ſed etiam in potu & cibo; in ira quoque & vexatione mentis, in linguæ refrænatione, & detrahendi libidine. Adeò quòd hæc virtus ſit veluti compendium, & uti dixi, complexio virtutum omnium; quâ homo à vitiis, & peccatis abſtinet.

S.Tho. 2. 2. q. 151. a. 1. O. & ad 4.

I. Quid eſt *caſtitas?*

Caſtitas.

R. Eſt virtus per rationem concupiſcentiam caſtigans, quæ per modum pueri refrænanda eſt. Habet rationem virtutis in quantum ſecundùm rationem eſt operans; in quantum autem habet delectationem in ſuo actu connumeratur inter fructus Spiritûs ſancti.

I. Eſtne caſtitas magni apud Deum pretii?

R. Maximi, pronuntiantur enim beati mundo corde, ex eo quòd Deum ſint viſuri; & caſtæ animæ tanquam Sponſæ Angelorum, Domino copulantur. Unde dicit Sap. *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Quia caſtitas ipſis caſtis, & puritatem mentis, & munditiam corporis affert; & ſenſibus ordinem, & motibus modum ſecundùm modeſtiam confert.

Eccl. 26.

LECTIO QUINTA.

I. QUid amplius reſtat circa hunc octavum Symboli articulum, qui eſt de Spiritu ſancto?

R. Nihil aliud quàm de ejus Feſto, & apparitionibus.

I. Quod eſt Feſtum Spiritûs ſancti?

R. Eſt ſolemniſſimum Feſtum Pentecoſtes, quod Eccleſia decimo poſt Aſcenſionem die quotannis celebrat, in commemorationem ejus, quod Spiritus ſanctus ſuper Diſcipulos effulſit, in modum ignis, diſpertitis linguis; qui primus fuit, & eximius Aſcenſionis Dominicæ fructus.

Feſtum Spiritûs S. ſive Pentecoſtes.

I. A quo inſtitutum fuit Feſtum Pentecoſtes?

R. Ab Apoſtolis ſub prima Eccleſiæ incunabula, ut colligitur ex S. Luca, Actorum 2.

I. Quid vox iſta *Pentecoſte* ſignificat?

R. Perinde eſt ac ſi dicas, quinquageſima dies, ſcilicet à Paſchate, & Reſurrectione Chriſti.

I. Quodnam myſterium latet ſub iſto numero?

R. Numerus quinquaginta in Scripturis ſanctis eſt numerus Jubilæi. Vide Levit. 25. Eſt igitur Pentecoſte Feſtum proprium Spiritûs ſancti, ejuſque Jubilæum. Sicut enim annus quinquageſimus erat Jubilæum, in quo ſervi fiebant liberi, omneſque redibant ad avitas hæreditates, etiamſi millies fuiſſent divenditæ; ita per Spiritum ſanctum redimus ad gratiam & amicitiam Angelorum, ad libertatem gloriæ Filiorum DEI, ad hæreditatem, & regnum cœleſte.

I. Nunquid etiam Pentecoſte celebrarunt Judæi?

R. Ita. Judæis indictum fuit Feſtum

Penteco-

Pen-

Digitized by Google

ſum cur celebrarunt Iudæi. Pentecoſtes duplici de cauſa. Prior fuit in memoriam datæ eo die legis per Moyſem in Sina Exod. 19. Poſterior, in gratiarum actionem pro novis illius anni frugibus, quas tum metere incipiebant: unde earum primitias, puta duos panes ex frugibus illius anni piſtos Deo offerebant in Pentecoſte. Hæc fuerunt typus, & umbra Chriſtianæ Pentecoſtes, in qua promulgata eſt Lex nova à S. Petro, & Apoſtolis, Spiritu ſancto apparente in linguis igneis: unde in ea pariter primitiæ fidei, ſcilicet tria millia animarum oblata, & dicata ſunt Chriſto. *Cur Chriſtiani eam celebrant.*

I. Qualiter deſcendit Spiritus Sanctus in Apoſtolos in die Pentecoſtes?

R. Deſcribit id fusè S. Lucas Act. 2. quem conſule.

I. Quare Spiritus ſanctus apparuit in linguis igneis?

R. Linguæ igneæ ſignificant eloquentiam, ſapientiam, & charitatem, quam Deus per illapſum Spiritûs ſancti Apoſtolis repentè donavit, ad converſionem totius orbis.

Linguæ igneæ quid ſignificent. Siquidem figura linguæ eloquentiam, ſplendor ignis ſapientiam, ardor ejuſdem ignis charitatem ſignificat. Vide S. Leonem ſerm. 1 Pentec.

Secundò, convenienter in ſpecie ignis apparuit, quia ignis eſt Symbolum Divinitatis, & ſæpè per illum Deus gloriam ſuam manifeſtavit. Exod. 24. *Erat ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens in vertice montis.* Hinc etiam Moyſes dicit Deut. 4. *Ignis conſumens Dominus Deus tuus.* Daniel. 7. *Thronus ejus flamma ignis.* *In ſpecie ignis Spiritus S. convenienter apparet.*

Tertiò, ut ſignificaret legem Chriſti per Apoſtolos prædicandam eſſe legem ignis, id eſt, charitatis, & zeli, juxta illud Deut. 33. *In dextera ejus ignea lex.*

Quartò, ut ſignificaret effectum, quem Spiritus ſanctus operaturus erat in cordibus Apoſtolorum cæterorumque fidelium: nimirum, quod in eis torporem, timorem, concupiſcentias, & vitia combureret, & conſumeret, quaſi ignis, eoſque igneos, id eſt, zeloſos, efficaces, & agiles ad omne bonum efficeret. Hinc S. Gregorius: *In linguis igneis*, ait, *apparuit Spiritus ſanctus, quia omnes quos repleverit, ardentes pariter, & loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam & otioſus eſt ſermo Doctoris, ſi præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipſo veritatis ore conceperant, qui dicebant: nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Hom. 30. in Evang. Luc. 24.

Exempla. Ita Apoſtoli omnes ignito eloquio vehementer ignem miſerunt in omnem terram, & frigida corda inflammaverunt, immò & ſaxea contriverunt, ut illis conveniret illud: *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus; & quaſi malleus conterens petram?* Hoc ipſo igne inflammata erat lingua ſancti Petri in die Pentecoſtes, & verba ejus omnes præſentes inflammarunt. Hoc igne etiam inflammati fuerunt Apoſtolici viri, qui in quaſcumque terrarum partes tranſeuntes mirè in eis Dei amorem accenderunt verbo & prædicatione. Jer. 23.

Sic Beatus Vincentius, qui obiit anno 1418. Ord. Prædic. ignem hunc ſacrum circumferens, ab Hiſpania per Gallias in Belgium uſque, octo Saracenorum, & viginti quinque millia Judæorum convertit; publicorum verò, & infamium peccatorum, ſive homicidarum, prædonum, uſurariorum, meretricum quadraginta millia ad publicam pœnitentiam induxit; aliorum verò peccatorum pluſquam centum millia ad Confeſſionis Sacramentum perduxit. *Ignitis & variis linguis Apoſtoli, Apoſtolicique viri orbem incenderunt, & Evangelio imbuerunt.*

Quocumque ibat, ſequebatur eum multitudo copioſa, etiam ſæpiùs ad decem millia. Donum ei linguarum Deus conceſſerat, ita ut cùm loqueretur Valentinâ ac maternâ linguâ, qui aderant, ita ſingula verba perciperent, ac ſi ſingulorum idiomate locutus fuiſſet. *Sur. in ejus vita.*

Digitized by Google

Ex l. hiſt. Seraph.

Sic Beatus Antonius de Padua plurima millia convertit, cui velut ignea lingua data erat. Cùm verò annis triginta duobus poſt mortem transferretur ejus corpus, præſente Beato Bonaventurâ Miniſtro generali, inventa eſt ejus lingua integra, & perfecti coloris, quaſi hominis viventis, quam in manus ſumens Bonaventura, cum cordis devotione plorans, dicebat: O benedicta lingua, quæ ſemper Deum laudavit, & cauſa fuit cur alii laudarent. Jam manifeſta ſunt merita tua coram illo, qui te formavit, ut nobili adeò officio prædicationis verbi ſui fungereris.

Ex Actis Canonizationis.

Sanctus Franciſcus Xaverius diverſarum gentium linguas quas non didicerat, cùm eas Evangelii cauſâ adiret, ita eleganter, & expeditè loquebatur, ac ſi ibi natus, & educatus eſſet: & contigit non rarò, ut eum concionantem diverſarum nationum homines, ſuâ quiſque linguâ planè, & politè loquentem audiverint: id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum non ſolum auxit venerationem Xaverii, ſed multos etiam ad fidem convertit.

I. Nonne Spiritus ſanctus aliàs variè in variis figuris pro varietate operationum, & ſignificationum apparuit?

R. Ita. Nam primò, apparuit in Chriſti Baptiſmo in ſpecie columbæ, ad ſignificandam innocentiam, & fœcunditatem bonorum operum, quæ Chriſto, & baptizatis facienda ſuggerit. Secundò, in transfiguratione apparuit tanquam nubes reſplendens ad ſignificandam pluviam doctrinæ, quam tradit; & protectionem, quam accipit ſuorum fidelium. Tertiò, in cœnaculo à Chriſto fuit datus tanquam aſpiratio ad ſignificandam ſpiritualem vitam, quam per Sacramenta nobis confert: Unde & Diſcipulis inſufflans Chriſtus, dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Joan 20. Quartò, in Pentecoſte datus eſt in ſpecie tum ignis, quia inſtar ignis mentes purificat, illuminat, accendit, & ad res cœleſtes elevat: tum ſpiritûs vehementis, ad ſignificandam efficaciam prædicationis Apoſtolorum eis inditam à Spiritu ſancto. Ita S. Thom. 1. p. q. 43. a. 7. ad 6.

I. Quæ tandem eſt ſumma eorum, quæ in hoc articulo octavo declarata ſunt?

R. Quod Spiritus ſanctus ſit tertia in Sanctiſſima Trinitate perſona, unus Deus cum Patre & Filio, ſimul adorandus, & conglorificandus, ex utroque procedens, totius ſanctitatis ac juſtitiæ fons & origo, cæterorumque omnium donorum largitor.

I. Qui hunc articulum ex Romanæ adeoque Catholicæ Eccleſiæ ſenſu ſic explicatum recipere noluerunt, ſuntne etiam in hoc mundo graviter puniti?

Exempla.

R. Ita. Manes, à quo Manichæorum Hæreſis, qui docebat Spiritum ſanctum non per Apoſtolos, ſed per Manichæum ad nos veniſſe, impietatis & inſaniæ ſuæ meritas pœnas dedit, cùm à Rege Perſarum vivus excoriatus eſt, eo quod ejus filium ægrum, quem ſe ſanitati reſtituturum promiſerat, pro vivo mortuum ſtiterit.

Cyril. Hieroſol. catech. 6. Epiphan. hæreſ. 66. Socrat l. 1. hiſt. c. 7.

Græci negantes Spiritum ſanctum à Patre, & Filio procedere, ſed à ſolo Patre procedere affirmantes, cùm de hoc errore ſæpiùs, & ultimò in Concilio Florentino à Latinis reprehenſi fuiſſent, perſtiterunt tamen in illo. Undè in Conc. Florentino prædixit illis Nicolaus Quintus Pontifex per litteras fore, ut triennio exacto in Turcarum poteſtatem venirent, quod ità planè eveniſſe teſtatur Gennadius eorum Patriarcha; & ne quis dubitaret eos ob blaſphemiam in Spiritum ſanctum hâc pœnâ mulctatos, capta eſt Conſtantinopolis à Turcis, occiſus Conſtantinus ultimus eorum Imperator & deletum penitus Orientale Imperium anno 1453. die tertia Pentecoſtes.

V. Baſ. de ſignif. Eccleſ. l. 6.

DE

Digitized by Google

DE IX. SYMBOLI ARTICULO,

Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

CAPUT DECIMUM.

LECTIO PRIMA.

I. QUis eſt nonus Articulus?

R. *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem.*

I. Quare poſt articulos præcedentes de una Divinitate, & perſonarum Trinitate ſubjunxerunt Apoſtoli hunc articulum de Eccleſia?

R. Quia rectus confeſſionis ordo poſcebat ut Trinitati ſubjungeretur Eccleſia tamquam habitatori domus ſua, & Deo templum ſuum, & conditori civitas ſua; Vel, quia myſteria fidei, quæ continet Symbolum nobis per ipſam Eccleſiam proponi debent, quam auſcultare; & cui parere omnes fideles tenentur.

I. Quæ eſt ergò Eccleſia illa, cui tanquam veræ Eccleſiæ, & Chriſti ſponſæ myſteria fidei proponenti adhærere nos oportet?

R. Primò, ſcias non plures eſſe Eccleſias, dicimus enim Credo ſanctam Eccleſiam, non ſanctas Eccleſias; & in alio Symbolo dicimus, & profitemur expreſſiùs *unam ſanctam Eccleſiam.*

Vni Eccleſiæ Romanæ adhærere oportet.

Secundò, hæc ipſa, quam quæris, vera Eccleſia non eſt alia, quàm Catholica, Apoſtolica, Romana.

I. Conſentiuntne SS. Patres & Doctores in hanc, quam tradis de Eccleſia, doctrinam?

R. Quàm maximè, ut nullam præterea agnoſcant aut recipiant. Agnovit Hieronymus, cujus hæc ſunt verba: *Qui Petri Cathedræ jungitur, meus eſt.* *Ep. 58. ad Damaſ.* Agnovit Optatus Afer, qui Petri Cathedram inter primas Eccleſiæ notas primam eſſe teſtatur. Agnovit Auguſtinus, qui apertè ſcribit in Romana Eccleſia *ſemper Apoſtolicæ Cathedræ primatum viguiſſe.* *Lib. 2. cont. Donat. & ep. 162. 90. 92. 163 & 165.* Agnovit Cyprianus, qui omnium hæreſium, & ſchiſmatum pullulantium cauſam in eo ſtatuit, quod uni & ſummo Sacerdoti ac Judici vice Chriſti non obtemperatur. *Cypr. ep. 55. & 69.* Similiter Hieron. contra Lucifer. Leo ep. 84. ad Anaſtaſ. Agnovit Ambroſius, ut dixerit ſe in omnibus cupere Romanam ſequi Eccleſiam. Lubet hîc attexere quæ ſcribit Hieronymus ep. 11. ad Geront. c. 4. *Erunt duo in carne una non in duabus; nec in tribus, propter quod relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ: certè, non uxoribus.* *L. 3. de Sacra. c. 1. & de obitu Satyr.* *Quod teſtimonium Paulus ediſſerens refert ad Chriſtum & Eccleſiam: ut primus Adam in carne, ſecundus in ſpiritu monogamus ſit. Sit una Eva Mater cunctorum viventium: & una Eccleſia parens omnium Chriſtianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas diviſit uxores: ſic hanc Hæretici in plures lacerant Eccleſias, quæ juxta Apocalypſim Ioan. Conciliabula, & Synagoga diaboli appellandæ ſunt, non Eccleſia Chriſti.* Epheſ. 5. His autem omnibus antiquior, & Apoſtolicorum temporum vicinus, verèque Apoſtolicus vir Irenæus tale tribuit elogium Eccleſiæ Romanæ: *Ad hanc, inquit, Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles: in qua ſemper ab iis qui ſunt undique conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* *L. 3. c. 3.* Vid. Tertul. lib. de Præſcript. Hæret. Cypr. ep. 42. & 46. Theodoret. l. Hiſt. c. 4. Bern. ep. 190. ad Innoc. & l. 2. de conſid. c. 8. Concil. Calced. art. 3. Anaclet. ep. 1. & 3. & alios.

I. Eſtne igitur neceſſè illi ſe Eccleſiæ adjungere, relictis quibuſvis aliis Hæreticorum, ſive ſchiſmaticorum conventiculis?

Digitized by Google

Aug. ep. 50. & 152. Cyp. l. de unit. Ecc. Greg. l. 25. Moral. c. 7

R. Planè. Nam ſicuti durante diluvio extra arcam Noë nullus emerſit, ita nec extra Eccleſiam Catholicam, Apoſtalicã, Romanam quiſquam ſalvari poteſt. *Si quis extra Eccleſiam inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum. Nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.* S. Aug l. 4. de Symb ad Catech. cap. 13.

I. Eſt ergò, ut mihi quidem videtur, hujus articuli admodùm neceſſaria cognitio?

Conc. 2. in Pſal. 30.

R. Ita planè. Idcircò, teſte S. Auguſt. Prophetæ planiùs, & apertiùs de Eccleſia, quàm de Chriſto locuti ſunt; nam ſi hanc veritatem firmo animo conceptam habueris, facilè horrendum hæreſis periculum fugies, Eccleſia enim ipſa de omnibus citra errandi periculum docebit: Et Hæreticus non eſt, niſi qui auctoritate Eccleſiæ neglectâ, impias opiniones pertinaci animo tuetur, uti alibi dicemus.

Cur poſt articulum de Spiritu S. ſubjungitur hic de Eccleſia.

I. Cur poſt articulum de Spiritu ſancto immediatè ſubſequitur hic de Eccleſia.

R. Quia Spiritus ſanctus Eccleſiam regit, docet, ſanctificat, vivificat. Adde, placere quibuſdam reliquos iſtos quatuor Symboli articulos ad Spiritum ſanctum pertinere, qui, uti dicimus, Eccleſiam ſanctificat, regit, docet, & vivificat, ut hic ſit nonus articulus; ſanctificat, inquam, & vivificat conceſſâ eidem remiſſione peccatorum, quod eſt ſummum pro ſalute, & incolumitare animi donum Eccleſiæ attributum, & hic eſt articulus decimus, ſanctificat rurſùm, & vivificat generali carnis reſurrectione, quod eſt principale corporis bonum, & hoc ad undecimum articulum ſpectat: vivificat tandem, & glorificat in vita æterna, quæ eſt ultima, & omnimoda perfectio totius hominis, quando Eccleſia deinceps non habebit rugam aut maculam aliquam, ſed ad nuptias Agni introducta velut uxor Agni, & *Regina aſtabit à dextris in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Et hæc eſt extrema Symboli periodus; adeoque articulus duodecimus. Etſi enim reſurrectio carnis futura eſt omnibus hominibus communis; *tamen reſurrectio ad vitam,* ſolis Eccleſiæ filiis convenit: cæteris enim *reſurrectio erit ad judicium, & mortem ſempiternam.*

Tres dotes Eccleſiæ Chriſti ſponſæ per Spiritum S. collata.

Sup. c. 9. loc. ult.

2. Macha, 7.

In hac beatiſſima Eccleſiæ dedicatione canitur Hymnus ille:

Hymnus Eccleſiæ.

Vrbs Ieruſalem beata
Dicta pacis viſio;
Quæ conſtruitur in Cœlis
Vivis ex lapidibus,
Et Angelis coronata
Vt ſponſata comite, &c.

1. Cor. 12. 1. Pet. 5. Joan. 21. Matt. 16. & 18.

I. Quid eſt igitur illa, quam dicis ſolam veram, & legitimam Eccleſiam?

R. Eſt omnium baptizatorum Chriſti fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ ſub uno, & ſummo poſt Chriſtum capite, & Paſtore, Romano, inquam Pontifice, in terris gubernatur.

I. Quid iſtud eſt *congregatio*?

R. Eſt fidelium omnium in Eccleſia congregatio, & cœtus, quos Deus per miſericordiam ſuam, & Prædicatorum, & Doctorum operam convocavit ad ſuum cultum, & ad veram cognitionem rerum æternarum; fide quidem, in hoc ſæculo, Dei autem ipſius beatificâ, & clarâ viſione in altero.

1. Tim. 3. Pſal. 22. Joan. 10.

I. Magnine refert eſſe in Eccleſia?

R. Maximi: Hanc enim conſtituit Deus eſſe domum ſuam, in qua omnes filii ejus foventur, docentur & exercentur.

I. Habeſne exempla eorum, qui id magni fecerunt, ut inter Eccleſiæ alumnos recenſerentur?

R. Ita. Vide ſuprà lect. 3. præludiali.

I. Si Eccleſia eſt congregatio, & cœtus fidelium, quâ ratione dicuntur iſtæ Fabricæ templorum, in quibus divina celebrantur, Eccleſiæ.

Templorū fabrica tur Eccleſiæ dicta.

R. Quia iſtuc conveniunt, & congregantur fideles ad orationem, ad Sacrificium, ad Sacramentorum perce-

ptio-

Digitized by Google

ptionem, ad audiendum Verbum Dei, &c.

Igitur nota, Eccleſiæ nomine aliquando ſignificari congregationem, ſive convocationem hominum; aliquando locum ubi fit illa congregatio, ſive convocatio. Quando enim dicimus: *Eccleſia Romana eſt Mater omnium Eccleſiarum*, per Eccleſiam intelligimus congregationem fidelium, qui ſunt Romæ; quando verò dicimus *Eccleſia S. Petri Romæ ædificata, ſplendore, & pretio ſuperat omnes Eccleſias urbis, & orbis*; per Eccleſiam intelligimus templum ſeu Baſilicam S. Petri, ad quam populus Romanus convenire ſolet. Cùm igitur in Symbolo dicimus nos credere, *Sanctam Eccleſiam*, ſub Eccleſiæ nomine non intelligimus templum, ſeu Baſilicam, ſed congregationem, ſeu convocationem fidelium.

I. Cur dicis quod Eccleſia ſit *Congregatio omnium baptizatorum*.

R. Quia, ut in lectione noſtra tertia præludiali dictum eſt, Chriſtiani non naſcimur, ſed efficimur per lavacrum regenerationis ſalutaribus undis tincti.

I. Non ſunt ergò in Eccleſia, qui Baptiſmum non receperunt?

R. Non, quia Baptiſmus eſt veluti janua, per quam intratur in Eccleſiam. Unde Catechumeni nondum baptizati ad
1. Cor. 5. Eccleſiam non pertinent: *Nihil ad me de iis qui foris ſunt, judicare*; inquit Apoſtolus, quem locum de Catechumenis intel-
L. de Symb. lexit Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. Hinc S. Auguſt. Catechumenos vult eſſe ſimiles fœtui concepto in utero materno, nondum nato.

I. Qui fit igitur, quod Catechumeni interdum per Baptiſmi votum ſalventur, cùm non intraverint Eccleſiam?

Enchir. c. 65. R. Reſpondet S. Auguſtinus Catechumenos inviſibiliter in Eccleſiam intraſſe per ſinceram voluntatem, quam habebant intrandi in illam per Baptiſmum. Ita vi-
Simile. demus interdum è naufragio emergere, qui navim ſaltem extrinſecùs arripuerint etſi in illam non intraverint.

I. Cur dicis in diffinitione Eccleſiæ, *omnium fidelium baptizatorum*, peccatores ergò, & qui malè vivunt, ſuntne in Eccleſia? *Mali Catholici etiam ſunt de Eccleſia, ſi præciſi non ſunt.*

R. Ita ſunt in Eccleſia, & manebunt in ea (ſi per excommunicationem ejecti non ſint) uſque ad diem judicii; tunc enim ſeparabuntur omnes mali à bonis, Gen. 7.
uti nuper diximus. In arca Noë concludebantur animalia munda & immunda. Matt. 13.
Ita ſagena miſſa in mare ex omni genere piſcium congregat bonos, & malos. Ita fert ager zizaniam, & triticum.

Ita in loco convivii invenitur, qui non habet veſtem nuptialem. C. 22.
Et certè Chriſtiani non à charitate, ſed à fidei Chriſtianæ profeſſione dicuntur.

Ita in area Patris-familias inveniuntur grana, & paleæ. C. 3.

Ita in regno cœlorum, quod eſt præſentis Eccleſiæ ſtatus, inveniuntur ſimul congregatæ Virgines prudentes, & fatuæ. C. 25.

Ita in vite ſunt palmites aliqui ferentes fructum; aliqui aridi, & infrugiferi. Joan. 15.
Præterea Eccleſia eſt ovile, in quo ſunt oves, & hœdi. Matt. 25. Rom. 9.
Eſt domus in qua ſunt vaſa in honorem, & vaſa in contumeliam.

I. Quid tu dicis de excommunicatis?

R. Ipſi ſunt præciſi ab Eccleſiæ corpore, & Chriſtianis hominibus; ſunt ſicut Ethnici, & Publicani. *Tollatur de medio veſtrûm* 1. Cor. 5.
(inquit S. Paulus, præcipiens ut excommunicetur) *qui hoc opus fecit*. De illis poſteà latiùs.

I. Quare iſtud addis: *Chriſti fidem atque doctrinam profitentium*?

R. Ut ſignificem Hæreticos non eſſe in Eccleſia, quia ab illa per hæreſim exierūt; 1. Joan. 2.
Sicuti transfugæ ad exercitum non pertinent, à quo defecerunt.

LECTIO SECUNDA.

De Hæreticis.

I. Qui dicendi ſunt hæretici?

R. Qui baptizati cum pertinacia tuentur errorem ab Eccleſia Catholica damnatum.

I. Quid ſi quiſpiam rejiciat pertinaciter unum ac alterum articulum fidei Catholicæ ab Eccleſia Romana receptum, negans v.g. Euchariſtiæ veritatem, aut ſuffragia vivorum mortuis impenſa prodeſſe, dicendusne erit hæreticus, & infidelis?

Qui vel unum articulum fidei Catholicæ rejicit, hæreticus eſt. Hæreſis quid ſit.

R. Ita. Immò prorſus nullam habet talis verè Chriſtianam ac Catholicam alicujus articuli fidem. Ratio eſt clara: quia non innititur communi atteſtationi Eccleſiæ, quæ eſt regula infallibilis cognoſcendi revelationem Dei, ſed innititur privato, proprio, aut alicujus judicio. Quapropter illius fides non poteſt dici vera fides, aut Chriſtiana, aut Catholica fides, ſed eſt proprii judicii electio, adeoque hæreſis.

Quibus nominibus in Scriptura appellati hæretici?

I. Quibus nominibus appellat Scriptura ſacra hæreticos?

R. Aliquando fures, & latrones, Joan. 10. perditores & mactatores animarum: interdum lupos rapaces, Act. 20. Vide S. Ambr. l. 7. in c. 10. Luc. ad illud verſ. 3. *Mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Nonnunquam falſos Prophetas, qui veniunt in veſtimentis ovium, Matt. 7. & 24. Aliàs Magiſtros mendaces inducentes ſectas perditionis 2. Pet. 2. Subinde vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Cant. 2.

Iudæ epiſtola.

Lubet audire quibus epithetis deſcribat vel coloribus depingat hæreticos S. Judas in ſua Catholica: ſunt inquit, *nubes* ob tumorem & faſtum, quòd inſtar nubium ſe extollant, ſuamque doctrinam è nubibus, & cœlo venire jactitent. Hinc ex adverſo de Apoſtolis, ait Iſa. c. 60. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant?* ſed Hæretici ſunt *nubes ſine aqua*, nubes ſteriles, & infœcundæ, quæ videntur aquam ad hominum refrigerium promittere, ſed eam non præſtant; imò mundum caligine, hoc eſt, deteſtabilibus documentis obducunt, offuſcant, & obtenebrant. Ita Gnoſtici nomen inane ſcientiæ, & doctrinæ præferebant, ſed eam non præſtabant, ait Didymus, juxta illud Prov. 25. *Nubes & ventus, & pluvia non ſequentes, vir glorioſus & promiſſa non complens.*

Hæretici ſunt nubes ſine aqua, quomodo.

Secundò Beda: ſicut nubes ſteriles, aït, à ventis circumferuntur, ita hæretici ventis, id eſt, flatibus, & ſuggeſtibus dæmonum in diverſos vitiorum raptantur errores.

Tertiò, ſicut nubes à vento, inſtar fumi diſpellitur & evaneſcit, ita & hæretici ſuo vanitatis ſpiritu diſſipantur, & evaneſcunt. Sic volavit Simon Magus inſtar nubis vento agitatæ per aërem raptatus à dæmone, ſed precibus S. Petri proſtratus ſibi crura confregit.

Ita S. Athanaſius de Juliano Apoſtata jam regnante, & infideles graſſari incipiente; *ſecedamus*, ait, *paululum, ô amici, eſt enim nubecula quæ citò prætereit, & evaneſcit.* Verus fuit vates, anno enim ſequente occiſus fuit Julianus. *Socrat. l. 3. c. 12.*

Hæretici arbores autumnales.

Proſequitur Apoſtolus: *Sunt*, inquit, *arbores autumnales*, quæ Autumno florent, ſed corruptum tantùm fructum, marcidum & acerbum producunt ob ſupervenientem hyemem; ita hæretici nulla bona opera, aut pietatis fructus edunt, etſi ſapientiæ, ſcientiæ, vel eloquentiæ, folia, & ſpeciem piæ ſe ferant. Pergit Apoſtolus: Hæretici, inquit, ſunt *arbores bis mortuæ*, id eſt, penitùs, & omninò mortuæ, ſic hæretici non tantùm ſibi ſunt mortui, ſed & mortiferi, quia non tantùm ſua, ſed & aliorum bona opera, & pietatis fructus extirpant, imò peſtifero hæreſis veneno inficiunt, & intoxicant: vel, *bis mortuæ*, id eſt eradicatæ, uti explicando ſubdit S. Judas, ſicut paulò antè *Autumnales* explicuit per

Hæretici arbores bis mortuæ.

Digitized by Google

Per *inſtructuoſas*. Arbor enim in ſe primò moritur dum areſcit, ſed vivit adhuc in radice, ex qua in Vere rurſum pullulat, & & reviviſcit: ſecundò verò moritur in radice, dum illa eradicatur, & tunc plenè planeque moritur, ut nulla ei vitæ ſpes ſuperſit. Simili modo moritur anima hæretici; primò per peccatum mortale: per hoc enim amittit charitatem, & gratiam, quæ eſt vita animæ. Deinde moritur per hæreſim, per hanc enim amittit fidem quaſi radicem, quæ eſt initium vitæ ſpiritualis. Præterea arbores illæ teſte Apoſtolo ſunt *eradicatæ*, quia hæretici per ſchiſma, & hæreſim eradicati ſunt à fide, Eccleſia, Chriſto, & Deo, quaſi excommunicati, omni vitæ ſpe, & fructu carentes, omni ſalutifero communicationis Sanctorum influxu privati, Solis ignibus & combuſtioni gehennæ apti. Ulterius, hæretici ſunt *fluctus feri maris*; quia inſtar fluctuum inquieti, tenebroſi, amari & tumidi ſunt, ac per ſuperbiam attolluntur, ut cœlum ſuâ maledicentiâ, & blaſphemiâ attingant. Juxta illud: *impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt*. Secundò, quia uti fluctus feri navim; ita ipſi turbulenti, ſeditioſi & tumultuoſi, Eccleſiam perſecutionibus concutiunt, exagitant, perdere tentant. Tertiò, quia ſicut fluctus licet tumentes, & altiſſimi, littus, & ſaxa verberantes, ab iis repulſi diſſiliunt, abeuntque in ſpumas, & evaneſcunt; ſic & impetus, faſtus, furoreſque hæreticorum verberantes Eccleſiam in ſeipſos diſſiliunt, & evaneſcunt. Ita Beda. Inhæret Apoſtolus tropis ex maris ferocis commotione petitis, & dicit: *deſpumantes ſuas confuſiones*: notat hic Apoſtolus pudendas Gnoſticorum crapulas, & portentoſas libidines, adeò ut ſuum ſemen Deo offerrent ac Euchariſtiæ miſcerent ac comederent, uti ait Epiphanius hæreſi 26. Hæc enim ſunt effectus & pœnæ ſuperbiæ, Rom. 1. v. 24. Hinc hæreticis omnibus familiaris eſt, & propria libido. q. d. Superbiunt & attolluntur inſtar fluctuum; ſed hæc ſuperbia detumeſcit, abitque in ſpumam pudendæ libidinis. Pergit deindè Apoſtolus: *ſidera errantia*, id eſt, planetæ, ſive ſtellæ erraticæ. Planetæ enim, ut Mars, Venus, Luna, Mercurius in cœlo curſu vario, vagoque oberrant. Sic & hæretici à vera fide in errores alios & alios aberrant, alioſque in errorem ducũt. Secundò, & meliùs *ſidera errantia* ſunt, non Planetæ cœleſtes (hi enim conſtantes habent motus) ſed, meteora & exhalationes igneæ ſtellæ diſcurrentes in aëre. Tales ſunt hæretici, qui tametſi lumen aliquod præ ſe ferre videantur veritatis apparentis, & doctrinæ, maximè in corona ſimplicium hominum; nihil tamen aliud ſunt quàm ſidera errantia, ſive ſtellæ erraticæ, qui nuſquam fixi conſiſtant, ſed per varias hæreſes oberrent, & ab una in aliam, & aliam, ac tandem in Atheiſmum dilabantur. Nec id mirum, cum à firmamento fidei Catholicæ exciderint.

Arbores eradicatæ.

Hæretici ſunt fluctus feri maris. *Beda.* Iſa. 57.

Hæretici ſunt ſidera errantia.

Cajetanus.

Undè Bellarminus appoſitè Lutherum comparat ſtellæ cadenti è cœlo in terram; immò in tartara Apoc. 8. Lapſus eſt enim è ſtatu Religioſo, qui eſt imitatio, & inchoatio vitæ cœleſtis, in terreſtres cupiditates & ſordes, ac infernales errores, ac blaſphemias.

Orat. tomo ultimo Præfixa.

Nota hic primò, quòd ſicuti nautæ curſum navigationis ſuæ non dirigunt ad ſtellarum errantium prætenſam facem; ita nobis ſummoperè cavendum eſt ne erraticas hæreticorum novitates ſequamur.

Secundò, quemadmodum ſidera errantia non ſunt veræ ſtellæ, ſed apparentes tantùm; nimirùm ſunt vapores quidam à terra elevati ignientes, vel exhalationes quæ accenſæ inſtar ſtellarum è cœlo cadere videntur; ſic hæretici non ſunt in Eccleſia, ſed per morum corruptionem in hæreticos mutati audent ſe pro Doctoribus, Magiſtris, & Prophetis venditare ad prædicandum (ut ipſi jactitant) purum Verbum Dei. Cavete ab ignibus iſtis fatuis, & errantibus; qui viatores in avia, flumina, vel præcipitia deducunt.

Tertiò, ſidera errantia, ſtellæ erraticæ, meteora ignita, ignes fatui, & omnes ejuſmodi umbratiles ſtellæ citò evaneſcunt, decidunt, & in craſſam neſcio quam & viſcoſam materiam deſinunt; ita hæreſes omnes in fumos, in tenebras, in confuſiones abeunt. Plura vide in ep. 2. Petri c. 2. & 3.

I. Quibus nominibus Scriptura ſolet hæreſim appellare?

1. Tim. 4. 2. Pet. 2.

R. Modò vocat ſpiritum erroris, & doctrinas dæmoniorum; modò ſectas perditionis. Vide quæ nos infrà circa primum Decalogi præceptum tradimus.

I. Poſſuntne hæretici compelli, ut ad Eccleſiam redeant?

Hæretici Eccleſiæ judicium ſubterfugere non poſſunt.

R. Omninò poſſunt. Pertinent enim ad Eccleſiæ judicium, adeoque ab ea puniuntur, & Annathemate damnantur; per Baptiſmum enim ſeſe Eccleſiæ obſtrinxerunt, ſolemnique Sacramento eidem nomen dederunt. Quis neſcit oves errantes per Paſtorem cuſtodem ad Ovile Virgâ paſtorali retrahi? Dixit jam olim Tertul. *Hæreticos compelli, non illici dignum eſt. Duritia vincenda, non ſuadenda.*

Scorpiaci c. 2.

I. Quid ſi pertinaces fuerint, poſſuntne dari neci?

Hæretici in pertinacia ſua manentes poſſunt neci tradi.

R. Planè; id volunt Scripturæ Sacræ, id tradiderunt Patres Orthodoxi, id ſuis legibus Principes ſanxerunt. Vid. S. Tho. 2. 2. q. 11. a. 3. & 4.

I. Ubinam docet Scriptura hæreticos eſſe morte mulctandos?

Ex Scriptura.

R. Lege caput decimum tertium, decimum quartum, & decimum octavum libri Deuteron. decimum, & vigeſimum quartum; Levit. caput trigeſimum octavum libri tertii Regum; ubi falſi Prophetæ morti addicuntur; ſanè hæreticos eſſe falſos Prophetas, & cavendos, imò lupos docuit ipſe Chriſtus Matt. 7. & Paulus Act. 20. Quis autem non tollat de medio lupos, ſi aliter gregis ſaluti conſuli nequit?

Ex Patribus.

I. Produc in medium Patres, qui cenſuerunt ferro ſuccidendos, vel flammis abſumendos hæreticos?

R. Vide Aug. de Pœn. hæret. & ſuper Joan. multis locis, præſertim in tractatu 6. & l. 2. cont. litt. Petil. c. 92. 97. 99. & 100. & rurſum in ep. 48. ad Vincent. Donatiſtam. S. Hieron. ep. cont. Pelag. & Theſiphont. ſcribit Priſcillianum hæreticum ipſo orbe conſentiente morti fuiſſe adjudicatum; docetque putridas carnes ferro ſuccidendas, ovemque ſcabie vitiatam à caulis repellendam, ne corpus reliquum, ne grex ſanus luem contrahat; *Quæ eſt, inquit, iſta miſericordia, uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere?* Hæreſis (inquit B. Ambroſ.) eſt velut quædam hydra fabularum: vulneribus ſuis crevit, & dum ſæpè reciditur, pullulavit, igni incendioque peritura.

I. Quid habent Principum ſanctiones?

Ex Principum Edictum.

R. Vid. quid Theodoſ. ſuper his ediderit Cod. de Hæret. & Manich. l. Arriani. refertur 23 q. 4. c. ipſa pietas 23. q. 3. c. Imperatores, & diſt. 9. eod. Juxta quæ Joannes Hus, & W.clef. flammis dati ſunt in Conc. Conſtan. Vide rursùm Cod. de Hæret. L. ſtatuimus, & L. ſi verò, & alias ſimiles, quibus ſtatuitur, ut morte damnentur, qui illicita docent, eorumque libri flammis tradantur. In magno Lateran. Conc. ſub Innoc. III. conſtitutum eſt, ne qui hæreſeos condemnati fuerint, brachio ſæculari plectendi committantur, eorumque bona fiſco addicantur. Vide edicta Cæſarea, & Regales Conſtit. Caroli V. Imp. & Philip. II. Regis Catholici Rubricâ 7.

Seſſ. 2. n.

Ex jure Pontificio.

I. Sed fortaſſis ejuſmodi Leges, & decreta plus æquo ſeveritatis habent?

Ex ratione.

R. Minimè verò. Nam ſi ex medicinæ præſcripta lege, ferro licet amputare gliſcentem in humana carne cancrum, ne ſerpat ulteriùs; quanto jure potiori licebit hæreticos ferro, flammiſque interimere, quorum ſermo velut cancer ſerpit, & intra animarum illos auſcultantium abdita pau-

Simili.

paulatim ſeſe inſinuat, earum evidenti pernicie. *Parva ſæpè ſcintilla neglecta* (ut dici ſolet) *magnum excitavit incendium.* Sic Arrius, inquit Hieron. una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem ejus flamma populata eſt. Et rurſùm; ſi Leges æquiſſimè decernunt morte plectendos, qui monetas falſificant, quidni majori etiam æquitate de medio tollantur ii, qui toti in id incumbunt, ut Scripturas, & Sacro-ſanctum JESU Chriſti Evangelium falſificent, & ad pravos erroneoſque ſenſus detorqueant? Vide S. Thom. alleg. ſup. Quòd ſi prudenter manus ferro obarmas, ut ſpinas illæſus contrectes, ignique cremandas eradices; quidni pari conſilio, & conſimili prudentiâ coneris hæreticos convellere, hæreſes extirpare, earumque Profeſſores flammis abſumere? Certè Calvinus ipſe Servetum Hiſpanum valdè impiè de Sacro-ſancta Trinitate ſentientem, extremo ſupplicio affici curavit Genevæ anno 1553. *Surius in brevi comment. rerum in orbe geſtarum ad iſtum annum.*

Exemplum.

I. Quid cum hæreticis agitur poſt mortem?

R. Ipſi gehennæ infernalis ignibus æternis addicuntur, uti ſuprà declaratum fuit; & S. Judas hâc ipsâ lectione allegatus ſubinfert, dicens: *Quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum*

Hæretici damnati poſt mortem. P. 1. c. 1. l. 2.

I. Licetne cum hæreticis diſputare ſuper materiis fidei controverſis?

R. Eſt ut plurimùm res plena periculi, & abſque utilitate; hinc laicis prohibita. *C. Quicumque de hæret. 6. & l. penult. Cod. de ſumma Trinit. vid. ep. ad Rom. c 16. n. 17. & 2. ad Tim. 2, n. 14.*

Non eſt diſputandum cum hæreticis.

I. Quid ergò cum eis agendum, vel quomodo ſe gerendum?

V. S. Aug. ep. 137. & Tert. l. de præſc.

R. Fugiendi ſunt nobis, & execrandi non minùs quàm peſtes quædam exitiales ad Tit. 3. Rom. 16. Si enim diligenter & ſedulò fugimus peſtiferorum halitus, timentes nobis à corporum infectione: quantò magis timendum nobis eſt à peſtifero hæreticorum contagio, quod certum exitium animabus præſertim incautorum, præſentiſſimamque perniciem affert?

Nota hic fontem hæreſeos eſſe malam conſcientiam, & vitam. Nunquam enim hæreſis eſt primum peccatum, ſed oritur, vel ex ambitione, vel ex avaritia, vel ex libidine; ac conſequenter, ut viri ſapientes cenſuerunt, contra hæreticos non tam argumentis agendum eſt, quàm puritate vitæ: ut nimirùm inducantur ad vitæ puritatem, morum honeſtatem, caſtitatem, humilitatem, & opum contemptum, ſublatâ enim radice hæreſeos, tolletur & ipſa hæreſis.

Puritate vitæ ſunt potius convincendi.

I. Dicis ergò, quod mala vita tendat, & deſinat in hæreſim?

R. Ita, plerumque. Cujus ratio eſt, primò, naturalis antipathia, & contrarietas quæ eſt inter fidem, & malam vitam: hanc enim fides ſemper carpit ac redarguit. Secundò, naturalis lapſus, & ruina: qui enim ex una vitio in aliud, & aliud, tandem profundiſſimè in hæreſim ruit, & prolabitur. Sunt enim hæ foſſæ vitiorum ſibi invicem ſubordinatæ, ut gradatim ex una in aliam, & aliam, ac tandem in barathrum, id eſt, in hæreſim deſcendas, & corruas. Tertiò, eſt punitio Divina, Deus enim perditam vitam caſtigat per ſubſtractionem ſui luminis, veritatis & fidei, perditoſque homines tradit in reprobum ſenſum, docet Apoſtolus Rom. 1. v. 22. & 24. Quartò, quia ut docet S. Chryſ. Hi corrupti homines, ut liberè ſuis vitiis, & voluptatibus indulgeant, negant futura bona, & mala, aliaque dogmata fidei, quæ Dei metum, & peccati horrorem eis injicere ſolent.

Mala vita, gradus ad hæreſim.

I. Quâ ratione cognoſcemus, & diſcernemus hæreticos?

R. Dominus & Salvator noſter dicit ex eorum fructibus hæreticos cognoſcendos.

Matt. 7.

Digitized by Google

LECTIO TERTIA.

I. QUi ſunt igitur hæreticorum fructus?

Fructus hæreticorum.

R. Sunt plurimi, noxii, peſtiferi. Ridere Sacros Eccleſiæ ritus, Sacerdotes perſequi, & ludibrio habere, ut maledictus Cham Patrem ſuum irriſit, auctore S. Auguſt. lib. 16 de Civit, cap. 22. ſuggillare in omnibus ſummum Eccleſiæ Sacerdotem, eidemque obmurmurare uti Core, Dathan, & Abiron Moyſi obſtrepebant; profanare templa, & altaria, imagines Sanctorum confringere, omnemque fundationem piam convellere; Sacramenta conculcare; Sacrificium Miſſæ proſcribere, pro prædicantibus ſuis Apoſtatas Monachos ſuſcipere, & turpiſſimos Sacerdotes ab Eccleſia Catholica ſcelerum damnatos, & punitos; Scripturas adulterare, & ad ſenſus ab omni veritate alieniſſimos diſtorquere; blaſphemare B. Virginem, omneſque Sanctos, imò Deum ipſum, quem omnis mali auctorem faciunt; voluptati laxare habenas; libertatem conſcientiæ, quam Evangelicam appellant, plenis buccis concrepare, populorum in Principes rebelliones excitare, Virgines Deo ſacras polluere; Monaſteria expilare, bona opera exſibilare, impietati & omni impuritati patrocinari.

Exempla. L. 3. c. 3.

I. Docuerũtne Sancti ſuo exemplo diligenter fugiendos eſſe hæreticos?

R. Ita. Irenæus de Apoſtolis eorumque diſcipulis agens: *Apoſtoli, inquit, eorumque diſcipuli tantoperè hæreticos exhorruerunt, ut nec verbo cum eis communicare voluerint, qui veritatem adulteraſſent.* Certè dilectus Domini Diſcipulus hæreticos in domum recipi non vult, nec Ave eis dici; & quod verbo docuit, etiam monſtravit exemplo; nam ingreſſus balneum, mox ut in eo Cherintum conſpexit, ex eo ſe proripuit, dicens ſuis: *Fugiamus ocyùs, ne balneum in quo eſt Cherintus veritatis adverſarius exemplò corruat.* Additque S. Hieron. Dial. cont. Lucifer. poſt Joannis diſceſſum, illicò Cherinthum cum ſociis balneo ruente fuiſſe oppreſſum. S. Joannes ergò uti ingenti amore proſequebatur Chriſtum Chriſtique fidem, ita immani odio averſabatur hæreticos juratos Chriſti, & fidei hoſtes.

Ep. 2. v. 10.

Sancti hæreticos vehementer execrati.

Sanctum Joannem magiſtrum ſecutus eſt Sanctus Policarpus diſcipulus, qui ep. ad Philip ſic ſcribit: *Abſtinentes à ſcandalis & falſis fratribus, qui in vanum portant nomen Domini, qui oberrare faciunt inanes homines: omnis enim qui non confitetur* JESUM *Chriſtum in carne veniſſe, hic Antichriſtus eſt, & qui non confitetur myſterium crucis, ex diabolo eſt, & qui detraxerit eloquia Domini ad ſua deſideria, & dixerit neque reſurrectionem, neque judicium eſſe, hic primogenitus ſathanæ eſt; propter quod relinquentes vanitates multorum, & falſas doctrinas, ad illud quod traditum eſt nobis à Principio verbum revertamur.* Ita ſcripſit ſanctus Policarpus, ita & fecit: occurrens enim Marcioni hæretico, ab eo rogatus, num ſe agnoſceret; agnoſco, ait, te primogenitum diaboli. Refert ex Iren. Euſeb. lib. 4. c. 12.

Sic & Sanctus Ignatius æquè Sancti Joannis diſcipulus ep. ad Trallianos: *Fugite, ait, impietates & Deum abnegantes hæreſes: diaboli enim ſunt adinventiones ſerpentis malorum auctoris qui per mulierem ſeduxit Adam.* Similia habet Clemens Romanus Conſt. Apoſtolic. l. 8. c. 18.

Exempla.

S. Martialis ep. ad Toloſ. S. Iren. l. 3 c. 3. S. Hilar. l. cont. Auxentium. S. Cypr. de lapſis. S. Chriſ. Hom. de fide, ſpe, & charitate. S. Bernard. ſerm. 66. in Cant. S. Hier. ep. ad Demet. Vide eundem l. 2. contra Pelagianos, & ad Ruffin. ubi ſcribit: *In uno tibi conſentire non potero ut parcam hæreticis, & me Catholicum non probem. Si iſta eſt cauſa diſcordiæ, mori poſſum, tacere non poſſum.*

De Sancto Antonio Abbate ſcribit hunc

Digitized by Google

in modum S Athanaſ. in vita. Manichæis aut aliis hæreticis nunquam ſalutem aut amicabilia verba largitus eſt, denuntians talium amicitiam atque ſermones perditionem eſſe animarum. Sic etiam deteſtabatur Arianos, ut omnibus diceret nequidem juxta eos eſſe accedendum. Et

V. Baro. an. 318. to. 3. ipſe jam moriturus: Hæreticorum, inquit, & Schiſmaticorum venena vitate, meumque circa eos odium ſectamini. *Scitis ipſi, quod nullus mihi nec pacificus quidem ſermo cum eis unquam fuerit propter pravam eorum voluntatem, & pertinax contra Chriſtum bellum.*

Io. Moſchus. Evirat. prati. ſpiritualis. c. 40. Valde mirum eſt, quod etiam mortui cum hæreticis communicare refugiunt. Sanè Coſmas ſingularis fidei, & Religionis Abbas, cùm diem obiiſſet extremum, juſſit Patriarcha Antiochenus pretioſas illius reliquias in monaſterio ſuo ſepeliri, ubi & poſitus erat quidam Epiſcopus hæreticus; audituſque fuit Abbas per noctes multas inclamare: *Noli me tangere, hæretice, noli me appropinquare inimice Eccleſiæ ſanctæ Dei.*

Euſebius Vercellenſis captus ab Arianis malebat fame mori, quam ab iis cibum ſumere, uti habet ejus vita.

Liberius Pont. rejecit munera, quæ Euſebius Conſtantii Imperatoris Ariani legatus offerebat Sancto Petro, teſte S. Athan. ep. ad ſolitarios.

Quàm cives Samoſateni execrati ſint Eunomium hæreticum, adeò ut pueri ludentes pilâ, cùm illa caſu mulam Eunomii tetigiſſet, in luſu pergere noluerint, niſi illam quaſi hoc tactu contaminatam, priùs trajiciendo per flammas expiaſſent, narrat Theodor. l. 4. Hiſtor. c. 12. & Baron. anno Chriſti 370.

Meliori loco eſt, nequiſſimus Catholicorum quolibet hæretico. I. Nunquid igitur ſatiùs eſſet Catholicum eſſe, & in Eccleſia manere, quamvis plurimis peccatis onuſtum, quàm hæreticum extra Eccleſiam ejectum?

R. Indubiè. Non eſt ruina major, non eſt naufragium deſperatiùs, quàm circa fidem. Etenim *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; ad quem deſperatiſſimi quique in Eccleſia Catholica interdum revertuntur per pœnitentiam, Sacramentorum ſuſceptionem, aliaque auxilia quæ eis fides ſuggerit. Certè cùm dictum ſit Eccleſiæ: *Gens & regnum, quod tibi non ſervierit, peribit*: Et Præpoſitis ejus (cùm de excommunicatione fieret mentio) *quæ ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*: Facilè patet, quantum malum ſit eſſe extra Eccleſiam, alienum eſſe ab illa columba, per cujus gemitus peccata ſolvuntur, à cujus pace alienati tenentur. Heb 11. v. 16. Iſa. 60. Matt. 16. & 18. Aug l. 1. cont Donatiſt. c. 18.

Quiſquis, ait Cypr. ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur, nec perveniet ad Chriſti præmia, qui Chriſti Eccleſiam relinquit. Habere non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem. Extra Ovile Domini poſitus, ſathanæ traditur, periculis omnibus exponitur, devorandis luporum dentibus atque vexandus. Plura Innoc. I. ep. 91. inter epiſtolas Auguſtini. Cyp. de ſimpl. Prælat. Aug. ep. 204.

His adde hæreſim profeſſores ſuos facere admodum blaſphematores in Deum, Beatam Virginem, & Sanctos; eoſque conſtituere mille ſacrilegiorum, & cujuſlibet impietatis reos. Hinc SS. Patres tantoperè hæreſim, & hæreticos inſectati ſunt, ut ſanctus Hieronymus dicat: *Hæretici vincunt omnes impietate.* Et alibi Idololatris pejores pronunciet. Sanctus Ambroſius damnatos, & reprobatos pluſquam dæmones. ſerm. 92. Vide eundem l. 3. de fide. Sup. Iſai. 18. ſup. Ezech. 9.

I. Numquid Sancti quamlibet contumeliam leniùs paſſi ſunt, quàm ut hæreſes notarentur?

Exemplum. R. Ita, Abbas Agatho (uti refert Evagrius) tantâ pollebat humilitate, ut quodlibet ſibi impactum delictum leviſſimè ferret. Conveniebant frequenter Fratres cum tentaturi, & dicebant: Ecce audivimus quod ſis ſuperbus, hypocryſi plenus, ſcortator, helluo, &c. cuncta ille ſubmiſſo vultu & animo admittebat, & ſinceræ humilitatis ſpecimen omnibus

 præ-

præmonſtrabat, aſſerens ſe omnium mortalium miſerrimum. Proſequebantur illi, & addebant, etiam audivimus de te, quòd de fide non benè ſentias: ad hæc audita exiliebat, illiſque ſuccenſens, minimè, ajebat, hoc eſt verum, ignoſcite, & abſit hoc à me, hæreticus non ſum: quærentibus verò quamobrem tam diligenter ſe iſtâ calumnia liberaret, cùm cæteras omnes non gravatè in ſe ſuſcepiſſet, dicebat: cætera omnia de quibus me hactenus accuſaſtis, facinora, ab infirmitate, ſive fragilitate hominis proficiſcuntur, & hominem ſecundùm aliquid ſaltem per fidem Deo conjunctum relinquunt; hæreſis verò à pertinacia, & perverſæ mentis extraordinaria malitia ortum habet, noſque omni modo à Deo avellit, ipſum primum vinculum quo ei religati erámus, id eſt, fidem, exinaniens.

I. Eſtne illicitum legere, vel penes ſe retinere libros hæreticos?

Libri hæreticorum prohibiti, & abdicandi.

R. Ita, eſt grave peccatum; idque partim, quia Eccleſia graviter inhibet; partim quia jus naturale non permittit, ut quis ſe exponat periculo erroris, & imbibendæ hæreſis. Conſtantinus magnus ſub pœna mortis juſſit libros Arianorum exuri. Ita tripart l. 1. c. 15. Idem ſanxit ſub eadem pœna Theodoſ. Cod. Theod. l. 16. Sic Manichæorum libros cremari juſſit S. Leo teſte ſancto Proſpero in Chronico. Tulit Julius III. generalem legem quâ ſine ullo diſcrimine omnibus prohibetur lectio quorumcumque librorum hæreticorum, idque ſub pœna temporali, & ſpirituali, quæ in hæreticos conſtituta eſt. Poſt Julium idem fecerunt Paulus IV. & Pius IV. & cæteri ſubſequentes Pontifices in Bulla cœnæ Domini.

Leges civiles & Canonicæ prohibent libros hæreticos.

I. Diligenterne hæreticorum libros à ſe abdicaverunt Sancti?

R. Diligentiſſimè, non minùs quàm ſi intus virus, peſtis, aut lepræ contagium delituiſſet, Vid Cypr. ep. 40. Theodoret. ſup. Pſalm. S. Auguſt. l. 2. quæſt. Evang. c. 40. Greg. 18. Moral. c. 9.

Oſtendit Deus evidenti miraculo hæreticorum libros minimè eſſe retinendos.

I. Oſtenditne Deus aliquo evidenti miraculo hæreticorum libros minimè domi eſſe retinendos?

In prat. ſpir. c. 46. apud Baron. to. 5. ad an. Dom. 429.

R. Oſtendit: Acceſſimus (inquit Joan. Moſchus) ad Abbatem Cyriacum Presbyterum Lauræ Calamonis juxta Jordanem, narravitque nobis, dicens: die quâdam vidi per ſomnium mulierem honeſtâ facie, purpurâ indutam; & cum ea viros duos, & ipſos venerando habitu, & aſpectu præclaro. Arbitratus ſum autem mulierem illam eſſe Dominam noſtram ſanctam Dei genitricem, eoſque qui cum ea erant, duos viros S. Joannem Baptiſtam, & S. Joannem Theologum, & Evangeliſtam. Egreſſuſque de cellula orabam illam, ut ingrederetur.

Exemplũ.

B. Virgo non vult intrare cellam Abbatis in qua erat liber hæreticus

Quæ non conſenſit; permanſi ergò diutiùs orans, & obſecrans, ac dicens: ne quæſo avertatur humilis factus confuſus, & alia plurima ejuſmodi. Illa igitur ut me vidit inſtare precibus, eandemque poſtulationem orare, ſeveriùs mihi reſpondit dicens: Habes intra cellam tuam inimicum meum, & vis ut ingrediar? & his dictis; abſceſſit. Evigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam num aliquod in mente peccatum, contra illam admiſiſſem, neque enim erat alius aliquis in cella mea, niſi ego ſolus. Diutiùs igitur meipſum diſcutiens, nihil inveni quod in illam peccaſſem. Cùm verò vidiſſem me nimio mœrore abſorberi, ſurgens accepi librum ut legerem, quo per hujuſmodi lectionem, dolorem unâ, cogitationeſque repellerem. Librum autem ipſum acceperam mutuo à B. Heſychio Presbytero Hieroſolymit. Eccleſiæ. evolvenſque librum, inveni duos impii Neſtorii libros in fine voluminis ſcriptos. Moxque agnovi hunc eſſe ſanctæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ inimicum. Tunc ſurgens abii, librumque illi qui mihi eum accommodaverat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum, Frater, neque enim ex eo tantùm utilitatis cepi quantùm detrimenti. Cùm verò ille detrimenti ipſius

can-

Digitized by Google

cauſam ſuſcitaretur, omnem illi rei ordinem retuli. Qui Dei zelo ſuccenſus protinùs duos illos Neſtorii libros ex volumine præcidit, eoſque igni tradidit, dicens; Non manebit in cella mea Dominæ noſtræ ſanctæ Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ inimicus.

LECTIO QUARTA.

De Schiſmaticis.

I. CUr tandem in definitione Eccleſiæ addis: *Quæ ſub uno, & ſummo poſt Chriſtum capite, & Paſtore Romano Pontifice in terris gubernatur?*

Schiſmatici. R. Ut ab Eccleſia ejuſque definitione excludam Schiſmaticos; qui ſeipſos ab Eccleſiæ corpore præciderunt, nolentes ejus capiti ſummo Pontifici obedire, aut ſubeſſe.

I. Non poſſunt ergò illi eſſe de Eccleſia, qui in rebus ſpiritualibus ſummo Pontifici ſubdi nolunt?

Lib. 4. ep. 9. R. Minimè. Dicit enim Cypr. *Eccleſia grex eſt ſuo Paſtori adunatus; qui cum Epiſcopo* (Romano Eccleſiæ Catholicæ capite) *non ſunt, in Eccleſia non ſunt; extra eam ſunt, qui ſe ab ejus unitate diviſerũt.*

Similia. I. Declara hoc aliquibus ſimilibus!

R. Profero ex eodem Cypriano plura.

1. Manus truncata non eſt ampliùs de corpore.

2. Ramus præciſus ab arbore, non eſt ampliùs pars arboris.

3. Fluvius à flumine diviſus ſiccabitur.

4. Radius ſi à Sole ſeparetur, deficiet.

De ſimplic. Prælatorum. Ibid. *Ita ſcire debet* (verba ſunt Cypriani) *Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe, & fruſtrà ſibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt.*

Idem Cypr. l. 1. ep. 6. *cùm Eccleſia quæ Catholica una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa ſed utique connexa, & cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata. Deus unus eſt, & Chriſtus unus eſt, & una Eccleſia, & cathedra una ſuper Petram voce Domini fundata.*

I. Animadvertitne graviter aliquando Deus in Schiſmaticos?

R. Ità. Id oſtendit Cyprianus loco proximè allegato, ex novo ſupplicio iis irrogato Num. 16. Vid. Aug. Tract. 27 in Joan. ante medium, & l. 3. cont. Donatiſtas c. 18.

De Græcorum Imperio per Turcas occupato in pœnam Schiſmatis, & diſceſſionis ab Eccleſia Romana toties repetitæ diximus capite ſuperiori lect. ult. in fine. *Exempla.*

Fredericus II. Eccleſiæ hoſtis, & flagellum, circà Annum Domini 1240. quaſi Propheta prædixit, & intentavit Eccleſiæ Romanæ, idque Gregorio Nono, ac poſt eum Innocentio Quarto, aliiſque Pontificibus, à quibus exauctoratus fuerat, excidium, ſcribens ei hoc carmine.

Fata volunt, ſtellaque docent, aviumque volatus,
Quòd Fredericus ego malleus orbis ero.

Reſcripſit ei totidem antiſtrophis Pontifex.

Fata volunt, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Verum prædixit Pontifex; ſtetit enim ipſe, ſtat, ſtabitque Eccleſia Romana, & Orthodoxa: Fredericus verò Anno Domini 1250. à proprio Filio Monfredo ſtrangulatus fuit. Ita ex Alberico refert Criſpinianus, Pontificum licet hoſtis, atque ex iis Bozius ſigno 19 & alii.

Deſiderius Longobardorum Rex, hoſtis ſedis Apoſtolicæ infeſtiſſimus nõ tam lapſus, quàm præcipitatus ex aſtris, ampliſſimus fortunis dejectus, nudus ab opibus, vitâ ſpoliatus, regnum, nomen, ſe ac ſuos æternâ ac inextricabili ruinâ oppreſſum amiſit. *Lud Richeom. in Apolog. pro Soc. JESU.*

Vuritus quidam J. U. D. & Archidiaconus Oxonienſis, qui fidem Catholicam frigidè *Sur. in Com-*

ment. ad an. Dom. 1571.

frigidè amplexus, cùm nollet poſt ſtatum Religionis Catholicæ in Anglia mutatum dignitate ſuâ carere, dum quodam die apud Presbyteros ſuæ olim juriſdictioni ſubjectos concionem haberet, incidit in ea Divi Pauli verba, quibus ait: *Chriſtum in ædificationem Eccleſiæ dediſſe quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios autem Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*; Quibus recitatis, de ſuo, ut tempori nimirùm ſerviret, intulit dicens: *De Papa hic nullum verbum audit is.* Quod cùm in extrema concione prolocutus eſſet, mox gravi morbo correptus, atque adeò quaſi mutus effectus, à ſuggeſtu non ad prandium, ut conſtituerat, ſed ad lectum delatus, octavo poſt die è vita exceſſit. Hæc Sanderus.

Eph. 4.

Ultio divina in ſummi Pontificis obtrectatores.

Proſpiciant ſibi novi Evangelii buccinatores, qui libenter laxant linguas, & acuunt ſtylos ſuos ad proſcindendum conviciis ſummum Pontificem Chriſti Vicarium, & S. Petri ſucceſſorem, atque in eo ipſo gloriantur, cùm meritò deberent formidare ne quid tale, vel etiam deterius quidpiam iis contingat. *Cathedra*, inquit S. Aug. *tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, in qua hodiè Anaſtaſius*, (nos poſſumus fidenter addere, in qua, hodiè Innocentius XII *ſedet*, *cui nos in Catholica unitate connectimur*. *& à qua vos nefario furore ſeparaſtis?*

Cont. Petilian.

I. Quid neceſſe eſt ut ſis de Eccleſia, quod Romano Pontifici te ſubmittas: nonne ſatis eſſet, quòd JESU Chriſto adhæreas, qui eſt ſummum Eccleſiæ caput, & fundamentum primum?

R. Hoc minimè ſufficit; nam cùm hactenùs verſemur in Eccleſia militante, neceſſe eſt aliquod eſſe conſtitutum iſtius militiæ viſibile caput, quod ſub ſummo, & inviſibili capite JESU Chriſto vicarias partes agat. Eſto, ſit Chriſtus Dominus, Salvator noſter primum & ſupremum Eccleſiæ caput, & fundamentum, prout eſt primus, principalis, & ſupremus Sacramentorum miniſter, eorum effectus, in animabus noſtris intimè operans; at, poſuit in Eccleſia viſibili viſibiles quoſdam rectores, & Paſtores, qui ejus nomine; & pro eo legatione fungerentur, Eccleſiamque gubernarent; ut ſcilicet corpus viſibile capiti etiam viſibili adunaretur, ipſo interim ſummo angulari lapide (qui eſt caput inviſibile) Chriſto JESU totam Eccleſiæ Fabricam ſuſtentante, vitam & ſpiritum per ſingula ejus membra diffundente, & ad beatum finem, & cœtum Angelorum eam deducente.

De Eccleſia non eſt, qui ſummo Pontifici non adhæret.

I. Quid modò audivi à te de Eccleſia militante, ſuntne igitur plures Eccleſiæ?

Unica Chriſti Eccleſia ſunt duæ partes principales.

R. Minimè; nam unica eſt Eccleſia, unica columba, unica amica, unica perfecta, unica ſponſa Chriſti, unum corpus Chriſti. Sunt verò ejus potiſſimùm duæ partes, una triumphans, altera militans. Triumphans, eſt cœtus eorum, qui de mundo, de carne, de iniquiſſimo dæmone triumpharunt, & ab hujus vitæ moleſtiis liberi ac tuti æternâ beatitudine fruuntur. Militans verò Eccleſia eſt cœtus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt: quæ ideò militans vocatur, quòd illi cum immaniſſimis hoſtibus Mundo, Carne, Sathana perpetuum ſit bellum. Et illa quidem nobis inviſibilis; hæc verò ſemper viſibilis extitit. Vid. Aug. l. 22. de Civit. c. 9.

I. Quando igitur ſuprà Eccleſiam definiiſti, quamnam Eccleſiæ partem, militantemne, an triumphantem intellexiſti?

R. De hac intellexi, quæ in terris conſtituta adhuc in caſtris deſudat; nam de altera, ſuprà ultimum Symboli articulum, dicemus.

I. Quandonam cœpit hæc militans Eccleſia?

Eccleſia Chriſti militans quo tempore ſumpſit exordium.

R. Verum quidem eſt, quod jam ab initio mundi non deſtitit Deus uti Paterfamilias, operarios conducere in vineam ſuam, id eſt, convocare in Eccleſiam, & fidelium cœtum; illa tamen de qua hic

nobis

nobis ſermo, quæ eſt novi teſtamenti Eccleſia, ſub Evangelii tempus exordium ſumpſit, ſtatim, poſt Domini Aſcenſionem in die Pentecoſtes. Vide & expende diligenter c. 2. Act. Apoſt.

I. Quo in loco?

Iſai. 2. R. In Jeruſalem, prout prædictum erat per Prophetas: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.*

Vide Aug l. 18 de Civit. c. 54.

Unica Chriſti Eccleſia ſunt duo partes principales. I. Eſtne ſuccedentibus ſæculis ad Eccleſiam notabilis acceſſio facta?

R. Omninò, pleni ſunt ſacri libri, plenæ hiſtoriarum ſeries, fidelium multiplicatione, gloriâ, opibus, ſpirituali jactantiâ, & magnificentiâ Eccleſiæ, converſione hujus ſæculi Principum, & populorum. Vid. Iſa. potiſſimùm cap. 60. & S. Joannem Chryſ. hom. 4. de verbis Iſai. S. Auguſt. tract. 1. ſuper. ep S. Joan. Vide etiam Pſal. 47. & 71. & alios. Card. Baron. in Annalibus totus eſt in hoc articulo.

Eccleſia Chriſti maximè viſibilis. I. Quæ modò commemoras de ipſa Eccleſiæ infantia, deque ejus incrementis, fuêruntne taliter orbi conſpicua, ut ipſa Eccleſia Chriſti omni tèmpore ſpectabilis, & viſibilis fuerit?

R. Ita; non minùs quàm Sol in firmamento, lux in mundo, civitas in monte poſita; imò non minus quàm mundus ipſe, quàm nos ipſi: *Nam Eccleſia* (inquit *Enchir. c. 61.* Auguſtinus) *quæ à cœleſti peregrinatur in terris, eò nobis notior eſt, quòd in illa ſumus, & quia hominum eſt, quod & nos ſumus.* Vide eundem l. 1. contra Creſcent. c. 23. cont Fauſt. l. 3. c. 13. & 14. l. de unit. Eccleſ. c. 14. & alibi frequenter.

I. Qui fit ergò quòd Hæretici audeant affirmare veram Chriſti Eccleſiam inviſibilem eſſe?

Eccleſia Chriſti militans quo tempore ſumpſit exordium. R. Per hoc oſtendunt ſe noctuas, & bubones malitiâ ſuâ excæcatos, qui Solem intueri neſciunt, aut non videre ſe ſimulant, ut difficultates quas eis Catholici movent ſuper doctrina nova, hoc pacto excutiant. Si enim ex ipſis quæras; ubinam hactenùs delituit Eccleſia veſtra, veſtra fides, Apoſtoli veſtri, ubi religionis veſtræ comitia, & exercitia; dicent: nunquam hæc defuiſſe, verùm in abdito clancularìter latuiſſe. Sed, amabo, quibus ea vidit Calvinus oculis? Et, ſi res veſtræ tantis fuerunt hactenùs involucris obtectæ, certè non pertinuerunt ad vos, aut ad veſtram iſtam malefeciatam Eccleſiam, magnifica Prophetarum promiſſa de ſplendore, & amplitudine Eccleſiæ. Rurſum, ſi inviſibilis olim aut aliquando fuit Eccleſia, ad quem tandem accedere licuit, ut peccatoris contumacia deferretur, juxta Chriſti Domini monitum; *Dic Eccleſiæ*? Atque, *Matt. 18.* ut verbo abſolvam; ſi majorum ſuorum ſtemmata, nomina, arma gentilitia ſciunt Principes evulgare; ſi Judæi genealogias ſuas ſubducere; ſoline Chriſtiani neſcient Patres aut majores ſuos? Verè, verè inviſibilis olim fuit Lutheri, & Calvini Eccleſia, ac utinam ſemper inviſibilis manſiſſet, in tenebris ſtygiis ſepulta?

Eccleſia Catholica Romana deficere non poteſt. I. Dic age, potuitne Eccleſia illa quam facis adeò viſibilem, & conſpicuam ullo unquam tempore aut ætate deficere?

R. Minimè. Nam in privilegiis, quæ Romanæ viſibili, Catholicæ, veræ Eccleſiæ conveniunt, hoc cenſetur, ut ipſa deficere non poſſit, per Dominum Redemptorem noſtrum protecta, à quo dictum eſt, *quòd portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et quòd ipſe ſit *cum fidelibus ſuis uſque ad conſummationem ſeculi.* Vid. Aug. epiſt. 60. & S. Leon. epiſt 31. qui locum hunc exponunt de Eccleſiæ perpetua duratione. *Matt. 16.* *Matt. 28.*

I. Quid intelligit Dominus per portas inferi, quando dicit, quòd *portæ inferi adverſùs Eccleſiam non prævalebunt*?

Portæ Inferi quid. R. Per portas inferi, intelligi debet Civitas inferorum, puta, totus infernus, cum omni ſuo dæmonum exercitu, cumque omni potentia Regis ſui Luciferi; quæ ſunt peccata, ſchiſmata, perſecutiones, fraus,

fraus, impietas, hypocryſis, proditiones, vis, minæ, carceres, equulei, tota tormenta dæmonum, mors, tyranni, & quævis laniena; maximè tamen per portas inferi intelliguntur hæreſes, & hæreſiarchæ: hi enim fidem Petri, & Eccleſiæ ex profeſſo oppugnant, prodeuntque ex inferno & ſuſcitantur à diabolo. *Ita S. Epiphanius in Ancorato non longè poſt init.* Quæ portæ, & quæcunque hactenùs diximus, non prævalebunt adversùs Eccleſiam, quia *veritas Domini* id aſſerentis *manet in æternum.*

I. Valdè mirabile eſt, quòd nec immaniſſimæ perſecutiones contra Eccleſiam prævalere potuerint?

In vita S. Malchi.

R. Immò, *perſecutionibus crevit Eccleſia* (verba ſunt S. Hieron.) *martiriis coronata eſt.*

Apologet. c. ult.

Plures efficimur quoties metimur à vobis (aiebat Tertul.) *ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum, grana multiplicata in agro Domini reſurgunt.* Simile accidit in machinationibus Iudæorum contra Chriſtum caput Eccleſiæ, de quo ita Gregorius l. 6. Moral. c. 15. *Intulerant ei mortem, ut ab eo abſconderent fidelium devotionem: ſed fides indè crevit, unde ſe hanc extinguere infidelium crudelitas credidit.* Certè nunquam illuſtrior fidei confeſſio, nunquam Scriptorum tanti, tamque eruditi in Eccleſia commentarii, nunquam Sacerdotum, & Prædicatorum erectiores animi, diſertiores linguæ, quàm perſecutionum, & enatarum hæreſeum temporibus. Ecquandò tanta pietas, innocentia, fortitudo, charitas, tantus tormentorum, & mortis contemptus, tantus ardor patiendi pro Chriſto emicuit, quàm primis iiſque difficillimis Apoſtolorum, & Martyrum temporibus, dicam an tempeſtatibus? Sed verò quandonam majora fidei, & religionis Chriſtianæ incrementa, quando uberiores Evangelicæ Prædicationis progreſſus, quando plus lucis, & acceſſionis ad res noſtras, & Eccleſiæ? videbant nimirùm Gentiles hæc omnia digito Dei fieri, & cuncta ſuprà naturæ vires eſſe; unde ad Chriſtianorum fidem, & vitam capeſcendam rapiebantur. Vide Cyprianum ſerm. de lapſis.

Perſecutiones & hæreſes lucem & incrementa attulerũt Eccleſiæ.

More ſuo eleganter admodum S. Leo, *Nullo crudelitatis genere*, inquit, *deſtrui poteſt Sacramento crucis Chriſti fundata religio. Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur; & Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur:* Et Bernard. *Nec verboſitate Philoſophorum, nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis perſecutorum potuit Eccleſia, vel aliquando poterit ſuperari.* Imò verò, *improbatio hæreticorum facit eminere quid Eccleſia tua ſentiat Domine, & quid habeat ſana doctrina.*

Ser. 1. in Natali SS. Petri & Pauli.

Ser. 79. in Cant.

Aug. l. 7. conf. c. 69.

CONTROVERSIA.

Quòd vera Chriſti Eccleſia omni tempore conſpicua fuerit, & viſibilis.

I. LUtherus lib. de abroganda Miſſa, & Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 1. §. 7. dicunt Eccleſia aliquando viſibilem fuiſſe, at deficiente illâ invisibilem manſiſſe?

R. Reſpondeo 1. quo aſtu id agant hæretici, in lectione præcedente notavimus.

Reſpondeo 2. eſſe ſtultum duas diſtinguere Eccleſias, quandoquidem illa unica ſit, ſicut *unus eſt Deus, una fides, unum Baptiſma*, quod jam etiam ſuprà diximus. Eſt enim Eccleſia *regnum Dei.* Dan. 20. quod unum eſt; Eſt ſponſa Chriſti de qua ipſe Cantic. 6 dicit: *Una eſt columba mea, perfecta mea.* Eccleſia eſt Chriſti ovile Joan 10: *Unum ovile, & unus Paſtor.* Ratio manifeſta eſt; nam omnes in Eccleſia congregati unanimi conſenſu tendunt ad eundem finem, iiſdem mediis principalibus, quæ ſunt fides, ſpes, charitas, Sacramenta: non poſſunt igitur eſſe duæ Eccleſiæ; alioquin dicendum eſſet duos eſſe fines ultimos planè diſtinctos, & duorum

me-

mediorum principalium genera ad illum attingendi.

Reſpondeo 3. Valde eſt ſui immemor Calvinus, nec ſatis conſequenter mentitur; admittit enim pro duabus principalibus veræ Eccleſiæ notis, Sacramentorum adminiſtrationem, & Prædicationem. Quæro igitur ex illo, miniſtranturne Sacramenta rebus inviſibilibus; prædicantne miniſtri gregi inviſibili?

Ser. 1. in Natali SS. Petri & Pauli.

Reſpondeo 4. Chriſtus Dominus remittit nos ad Eccleſiam ut ejus judicium ſubeamus, Matt. 18. Nunquid hoc eſt, veſtra quidem ſententia, Reformati, nobis illudere (Ubi enim illam Eccleſiam, in aëre fortè, & umbris latitantem reperiemus?

Ser. 79. in Cant.

Aug. l. 7. conf. c. 69.

Sed veniamus ad argumentum eorum: fides, & prædeſtinatio ſunt res inviſibiles; Eccleſia componitur ex ſolis fidelibus, & prædeſtinatis; ergò Eccleſia eſt inviſibilis, q. d. intellectus, & voluntas hominis, imo anima ipſa eſt inviſibilis, ergò homo eſt inviſibilis. Vel ſic: Chriſti Divinitas eſt inviſibilis, ergò Chriſtus eſt inviſibilis.

Interim ne quid diſſimulare videar, ſuper eorum propoſitione minore dico. Miniſtri veſtri, Calveniſtæ, ſuntne prædeſtinati, an non? Vos, id, procul dubio, ignoratis: Solus enim Dominus novit, qui ſint ejus; at, ſi prædeſtinati non ſunt, abſque dubio non ſunt ex veſtra Eccleſia, adeoque eorum miniſterium nullum eſt, quid vobis videtur?

LECTIO QUINTA.

De Notis Eccleſiæ.

I. NUnquid ſunt aliquæ notæ, quibus Eccleſia Chriſti à quibuſvis aliis ſatanæ conventiculis diſcerni liquidò poſſit?

R. Ita, ſunt plures eæque valde illuſtres notæ, quibus, ab aliis hominum cœtibus diſcerni, & perſpicuè agnoſci poſſit Eccleſia Dei; attamen eas ad quatuor in Symb: Conſtant. aſſignatas revocabimus, videlicet; quod ſit *una ſancta, Catholica, & Apoſtolica.*

Vid. Aug. in Pſ. 147.

Eccleſiæ notæ valde illuſtres quatuor Eccleſia eſt una

I. Quomodo eſt una Chriſti Eccleſia, cùm tam copioſam hominum multitudinem includat?

R. Quia in omni loco, ubicumque reperitur Eccleſia, unam eandemque tenet fidem, eadem Sacramenta, eoſdem ritus, unumque totius ovilis verum & legitimum Paſtorem Romanum Pontificē qui *idcircò unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Vide Apoſtolum Epheſ. c. 4. *à prima enim ſui origine Eccleſia per ſortes miniſtrorum, & populorum in ea, quàm primùm accepit, religione decurrit*, ut ait S. Ambr. in Luc. c. 11.

Hier. l. 1. cont. Iovin.

I. Quâ ratione pertinet ad Eccleſiæ unitatem, ut ſub uno capite conſtituatur, & regatur?

R. Quia unio membrorum Eccleſiæ inter ſe invicem potiſſimùm ex unius ſupremi capitis auctoritate dependet. Idcircò manifeſtum eſt ad Eccleſiæ unitatem inprimis requiri, ut quis ſupremo ejuſdem capiti ſeſe ſubjiciat, ei connectatur, cohæreat, communicet, ſuoque loco, in corpore myſtico (non ſecùs ac quodvis membro in corpore humano) conſiſtat, alterius membri functionem non invadens, aut aliquo modo impediens. Quod Apoſtolus ſimilitudine corporis humani eleganter illuſtrat loco proximè allegato.

Regimen Eccleſiæ ſub uno ſummo Paſtore ejus unitatem plurimum commendat.

Epheſ. 4

I. Si Eccleſia Chriſti una eſt, igitur ad illam non pertinent, qui per varia ſchiſmata, & hæreſes eam in multas partes diſtrahunt, & diſcindunt?

R. Rectè dicis, & hoc ipſum jam docuimus ſub initium lectionis præcedentis.

I. Quiſnam Pontificem Romanum toti Eccleſiæ præfecit, & Chriſti vicarium eſſe voluit?

R. Ipſemet Salvator noſter Chriſtus Dominus, qui Petro, ejuſque in Cathedra Ro-

Summus Pontifex à Chriſto Domino toti Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ præfectus ne vicarius ejus partes agat.

Joan. 21.

Romana ſucceſſoribus tam oves fœtas, & parientes (id eſt Epiſcopos, & Paſtores) quàm agnos (id eſt, laicos fideles cujuſcumque generis) ſubjecit, eique obedire mandavit illis verbis. *Paſce agnos meos, paſce oves meas.*

I. Sed nunquid poſſet dici, quòd Petro mortuo extinctum ſit, & ſublatum Eccleſiæ caput?

Matt. 16.

R. Minimè. Nam Dominus conſtituens S. Petrum caput Eccleſiæ, ædificabat ſuper eo Eccleſiam ſuam, ſicut eidem promiſſum fuerat per iſta verba: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram* (id eſt ſuper te, qui es petra fundamentalis) *ædificabo Eccleſiam meam*; ita ut tu ſis Eccleſiam, tuo & ſucceſſorum miniſterio ſuſtentaturus, aucturus, confirmaturus, & uſque ad ſæculi finem gubernaturus, ac in unitate conſervaturus. Igitur ſi caput Eccleſiæ ſuſtuleris, quale deinceps corpus erit? ſi fundamentum, quale vel quomodò ſubſiſtet ædificium? ſi Monarcham, quale regnum? ſi Patrem, qualem habebis familiam? Hinc l. de unitate Eccleſiæ Cypr. *Ut Dominus unitatem manifeſtaret, unitatis originem ab uno incipientem auctoritate ſuâ diſpoſuit.*

I. Scio unitatem familiæ ex ſucceſſione capitum ſibi invicem ſuccedentium ſolere oſtendi; ſed quid ad rem noſtram?

R. Pari modo unitas Eccleſiæ ſucceſſione Romanorum Pontificum ſibi invicem continuè in B. Petri Cathedra ſuccedentium evidenter comprobatur. Illi enim plenitudinem juriſdictionis ſortiuntur, quæ legitimos hæredes poteſtatis Apoſtolicæ ad regendum univerſalem Chriſti Eccleſiam decet.

I. Cenſueruntne SS. Patres, & Doctores, ad Eccleſiæ unitatem magnoperè pertinere, quod ſupremum aliquod ejus caput conſtitutum ſit?

SS. Patres plurimùm ad Eccleſiæ

R. Planè. Optatus l. 2. cont. Parmen. dicit Petrum Apoſtolorum primum in Epiſcopali Cathedra Romæ ſediſſe, in quo uno Cathedræ unitas ab omnibus ſervaretur. Unde Eccleſiam illam Cypr. l. 2. ep. 3. *Vocat principalem.* l. 4. ep. 2. *Unum Epiſcopatum multorum Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſum.* Ab hac Sacerdotii unitate originem à Chriſto per Petrum habente docet idem Cypr. Eccleſiam *unam* dici. Et Leo ep. 84. & ſerm. 3. de ſua ordinatione: *Licet univerſa Eccleſia diſtinctis ordinata ſit gradibus, ut ex diverſis membris ſacrati corporis integritas ſubſiſtat; nos tamen omnes, ſicut ait Apoſtolus, in Chriſto* JESU *unum ſumus, nec quiſquam ab alterius ita diviſus eſt officio, ut non ad connexionem pertineat capitis cujuslibet humilitas portionis.* Item S. Leo exortem eſſe divini myſterii ſcribit eum, qui auſus ſit à Petri ſoliditate recedere. Et Hieron ep. ad Damaſ. *Si quis Cathedra Petri jungitur, meus eſt; beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, conſocior.* Et in epitaphio Marcellæ ſcribit Romam eſſe tutiſſimum contra hæreſes refugii portum. Iren. l. 3. cont. hæreſ. cap. 3. Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem omnem Eccleſiam debere convenire aſſerit. Quid, quod S. Bernardus ſcribere non dubitavit, ita hîc ſub uno ſummo Pontifice Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros, vel Abbates, reliquoſque in hunc modum ordinatos, quomodò Cherubim, & Seraphim, cæterique uſque ad Archangelos, & Angelos ſub uno capite Deo ſunt ordinati?

unitatem pertinere cenſuerint unum ejuſdem Eccleſiæ caput.

Ep. 87.

L. 3. ad Eugen.

I. Habeſne exemplum ad rem pertinens?

Ep. 23. & 29.

Exemplum.

Anno Dom. 252.

R. Habeo. In cauſa lapſorum, quæ in Eccleſiis Africanis agitabatur, & quid in re dubia agendum eſſet, viſum eſt Cypriano, eò in re magni momenti Apoſtolicam ſedem, tametſi Paſtore vacantem conſulere: eamque de omnibus quæ acciderent, pleniſſimè certiorem reddens, quid poſthac in his agendum eſſet, ab ea regulam accipere, quâ oblatrantium ora compeſceret. Iis autem acceptis, Clerus Romanus, maturâ conſultatione habitâ,

Digitized by Google

bitâ, cum quibuſdam Epiſcopis vicinis, aliiſque quos ex aliis Provinciis perſecutionis ardor Romam ejecerat; Cypriani ſententiâ geſtiſque confirmatis, de cætero nihil ante creationem Epiſcopi Romani innovandum decreverunt, ſed lapſorum curam interim ita ex antiqua diſciplina Eccleſiæ Romanæ temperandam eſſe, ut eorum causâ, qui moras poſſent, dilationis ſuſtinere, in ſuſpenſo habitâ, infirmis in exitu conſtitutis, ſi verè pœnitentis animi ſigna proderent, pax concederetur. Quæ omnia idem Romanus Clerus gravibus firmata aſſertionibus, per litteras eidem Cypriano ſignificavit; teſtatus inſuper eadem ſe ad alios ubique Epiſcopos decreta direxiſſe: quæ quidem per totum mundum miſſa eſſe, & in notitiam Eccleſiis omnibus, & univerſis fratribus perlata, ipſe Cyprianus alibi aſſerit. Unde certiſſima fuit majoribus noſtris nota, & teſſera ad hæreticos, & Schiſmaticos dignoſcendos, ſi cum B. Petro, & Romano Pontifice ejus ſucceſſore communione jungerentur, aut ab eo diviſi alteri ſocietati ſe adjungerent. *Cypr. ep. 30. & 31.*

I. Habeſne vetuſtiſſimum ab ipſiſmet Apoſtolis exemplum? *Exemplum. Gal. 2.*

R. Habeo. *Apoſtolus Paulus poſt annos 14. à ſua converſione ſecundùm revelationem aſcendit Hieroſolymam, ut cum Petro Evangelium quod gentibus prædicabat, conferret, ne fortè Paulo Eccleſia non crederet, ſi eum à Petro diſſentire putaret.* Quare & nunc velut ad lydium lapidem examinanda eſt omnis doctrina, utrum cum B. Petri, & Romanæ Eccleſiæ traditione conſentiat.

I. Eſtne iſta unanimis Patrum doctrina, quam hic tradis?

R. Ita. Irenæus adverſus hæreſes l. 3. cap 3. Cypr. l. de unit. Eccleſiæ ſæpè citatus, & l. 1. epiſt. 6. Tertull. l. de præſcription. Ambr. oratio. de obitu Satyri. Hieron ad Damaſ. ſupra colleg Optatus l. 2. cont. Donatum. Auguſt. ep. 165. paſſim ad Romanorum Pontificum ſibi invicem ſuccedentium ſeriem hæreticos provocant.

Numerate (inquit idem Auguſt.) *Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede; & in ordine illa Patrum quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt petra quam non vincunt ſuperba Inferorum portæ, &c.* Idem cont. ep. Manichæi, quam vocant fundamenti c. 4. *Vt omittam ſinceriſſimam ſapientiam, multa ſunt alia quæ in Catholicæ Eccleſiæ gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa ſede Petri, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum, &c.* *Cont partem Donati.*

Non poſſum præterire quod idem Auguſt. l. 2. cont. litteras Petiliani Donatiſtæ c. 51. ſcribit: Veruntamen ſi omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris; Cathedra quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodiè Innocentius ſedet. Quare appellas Cathedram peſtilentiæ, Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines quos putas legem loqui, & non facere, nunquid Dominus JESUS Chriſtus propter Pharisæos, de quibus ait: *Dicunt, & non faciunt*, Cathedræ in qua ſedebant, ullam fecit injuriam? Nonne illam Cathedram Moyſi commendavit, & illos ſervato Cathedræ honore redarguit? Ait enim: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: Omnia ergò quæcumque dixerint vobis ſervate & facite: ſecundùm verò opera eorum nolite facere: Dicunt enim, & non faciunt.* Hæc ſi cogitaretis (vos Donatiſtæ, imò vos Calviniſtæ) non propter homines quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis: Sed quid eſt aliud quàm neſcire dicere, & tamen non poſſe niſi maledicere? *Inſignis Aug. locus pro auctoritate Rom. Pontificis.* *Notent hæc Novantes.*

I. Non pertinet ergò ad Chriſti ovile,

Qui cum ſummo Pontifice non communicat, de Eccleſia non eſt.

vile, id eſt, ad Eccleſiam, qui cum Romano Pontifice communicare non vult?

R. Non magis quàm Simon Magis, qui ſe à Petro cunctarum Chriſti ovium univerſali Paſtore ſejunxit. Propterea Apoſtolus Paulus, ut vidimus, poſt annos 14. aſcendit Hieroſolymam, ut cum Petro & Apoſtolis Evangelium conferret, ne in vacuum curreret, id eſt, ne Pſeudo-apoſtolis jactantibus doctrinam ejus ab Apoſtolis reprobari, ejus Prædicationi, & fidei non crederent, & ſic omnis ejus labor caſſus redderetur. Ita cum multis aliis S. Auguſtinus l. 28. cont. Fauſt. c. 4. ubi ex hoc Apoſtoli facto docet Verbum Dei etiam ſinceriſſimum, omneſque ejus præcones opus habere teſtimonio, & auctoritate hominum.

Verbi Dei præcones ab hominibus mitti debent.

Ita *Polycarpus S. Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smyrnæ in Aſia Epiſcopus ordinatus propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones Eccleſiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit.*

Exempla. Brev. Ro. ad 28. Ian.

Et Theodor. epiſt. ad Leonem Papam: *Si Paulus, inquit, præco veritatis, tuba Sancti Spiritus, ad magnum Petrum concurrit, ut iis qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem; multo magis nos, qui abjecti ſumus, & puſilli, ad Apoſtolicam veſtram ſedem currimus, ut Eccleſiarum vulneribus medicinam à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primatus convenit.*

I. Cætera quæ ad Eccleſiæ unitatem ſpectare dicebas, uti ſunt eadem Sacramenta, idem illa miniſtrandi ritus; per Dei cultus, & religio, h ſque ſimilia non mihi videntur habere difficultatem?

R. Planè, nullam habent. Mira populorum conſenſio omnium ſæculorum in rebus fidei, in doctrina, in iiſdem cæremoniis, in eadem Sacramentorum adminiſtratione, in conſimili legum obſervantia manifeſtiſſimè declarat hanc, de qua dicimus, Eccleſiæ unitatem; & quod in rei veritate, *unum corpus, & unus Spiritus ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus, & Pater omnium.*

Ephes. 4.

Un Dieu, une Foy?
Un Roy, une Loy.

Hoc ideò fit, quia Petri Cathedra, ad quam univerſa Eccleſia convenit, eſt Cathedra unitatis. Quamcumque in partem te converteris, inibi cum ſancta ſede Apoſtolica communicatur, ab omnibus pariter, & ſimiliter oratur, jejunatur, ſacrificatur; ut facilè notaveris cor unum, & animam unam eſſe omnium, in iis quæ ad religionem pertinent. E contrà verò, quid videbis in iis qui ſeſe ab hujus Cathedræ communione ſubduxerunt, niſi quod de iis pridem per modum imprecationis prædixit David: *Præcipita Domine, diviſe linguas eorum, quia vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.* Volunt ipſi (inquit ſuper illo Pſalmo Aug.) labio uno, unaque linguâ eoſdem eloqui ſermones? ad Eccleſiam revertantur; in qua, tametſi cunctarum ſint diverſitates linguarum, una tamen eſt lingua, una fides cordis. Pſ. 54.

LECTIO SEXTA.

I. Quomodò Eccleſia Chriſti dicitur Sancta?

R. Plures ob cauſas: Primò appellatur *ſancta*, quod Deo conſecrata dedicataque ſit: & hoc ſenſu ſancti dicuntur fideles, qui populus Dei effecti ſunt, quique ſe fide, & baptiſmate ſuſcepto, Deo conſecrarunt. Hâc ratione Corinthios Apoſtolus Paulus ſanctificatos, & ſanctos appellat: in quibus nonnullos fuiſſe perſpicuum eſt, quos ut carnales, & gravioribus etiam nominibus acriter objurgat; quemadmodum etiam qui artem aliquam profitentur, etſi artis præcepta non ſervent, nomen tamen artificum retinent. Secundò *ſancta* dicitur Eccleſia, quia caput ejus Chriſtus, ſanctus eſt, imò Sanctus Sanctorum, omniſque ſanctitatis fons, & origo, eamindies Spiritûs ſancti donis,

1. *Multis modis Eccleſia dicitur Sancta.*

Simile.

2.

Digitized by Google

donis, & gratiis mundans, & ſanctificans, *ut exhibeat ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata.* (Epheſ. 5.) Simili ratione inter mortales, qui habet pulchram faciem dicitur pulcher; quamvis in aliquo alio membro ejus fœditas aliqua inveniatur: ſic Eccleſiæ corpus dici poteſt abſolutè ſanctum, quia caput habet ſanctiſſimum quamvis aliqua membra ſanctitate careant. (*Simile.*)

Præclarè S. Auguſt. interpretans verba illa Prophetæ; *Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum. Pſalm.* 85. (*Sup. Pſ. 85.*) Audeat, inquit, & Corpus Chriſti, audeat & unus ille homo clamans à finibus terræ cum capite ſuo, & ſub capite ſuo dicere, *Sanctus ſum*: accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam baptiſmi, & remiſſionis peccatorum. *Ac paulò poſt*: Si Chriſtiani omnes, & fideles in Chriſto baptizati ipſum induerunt, ſicut Apoſtolus dicit: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis* (Gal. 3.); ſi membra ſunt facti corporis ejus, & dicunt ſe ſanctos non eſſe: capiti ipſi faciunt injuriam, cujus membra ſancta ſunt. Dicat ergò unuſquiſque fidelium, inquit *Sanctus ſum*: non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati, dic Deo tuo: *Sanctus ſum, quia ſanctificas me.*

3. Tertiò, *ſancta* dicitur Eccleſia, quia in ea ſola reperitur verus Dei cultus, verum ſacrificium, & Sacramenta, quibus tanquam inſtrumentis operatur Deus in animis fidelium veram ſanctitatem. Adeò quòd extra Eccleſiam ſanctitatis quidem, & pietatis ſpecies (quæ ſunt ovium veſtimenta) reperiatur, non autem vera ſanctitas.

4. Quartò, dicitur Eccleſia *ſancta*, quia leges habet ſanctiſſimas, conſilia optima, & omnes veras virtutes amplectitur, vitia nulla probat. Adeò quòd omnis ejus profeſſio ſancta ſit, nihil falſi aut injuſti continens, quantum ad fidei aut morum doctrinam; nimirum, *lex Domini immaculata convertens animas* (Pſ. 18.). In quo Eccleſia multùm differt à congregationibus, & ſectis omnium Paganorum, Hæreticorum, Judæorum, Schiſmaticorum, quarum nulla eſt, quæ non contineat exploratos errores, quoad mores vel doctrinam; ut proinde ex eorum principiis nullus ſit veram ſanctitatem conſecutus, ut Ambroſius l. 4. & ſequentibus contra Gentes, & Aug. l. 7. de Civit. ex profeſſo demonſtrant.

I. Quare Eccleſia non dicitur impia potiùs quàm ſancta; quandoquidem major pars eorum qui ſunt in Eccleſia, videatur eſſe talis?

R. Quia gratia, & charitas eſt ei propria dos, ornatus & decor qui fluit, & emanat ex eſſentia Eccleſiæ, quæ in nexu fidei, & fraternæ ſub uno capite concordiæ conſiſtit. Impietas verò ei non ex natura, ſed aliunde quaſi ab extrinſeco advenit. 2. Quia non per impietatem, ſed per ſanctitatem, utpote ſibi propriam, diſtinguitur ab Eccleſiis malignantium. 3. Quia ea qualitas præſtantiſſima eſt, unde Scriptura: *Melior eſt unus timens Deum quàm mille filii impii.* (Eccl. 16.)

I. Quomodò ſanctitas in anima latens, Eccleſiæ nota conſtitui poteſt? (***Sanctitas in anima latens prodit ſe extrinſecus: quomodo?***)

R. Quemadmodum hominis anima per ſe inviſibilis ex motu, actionibus, & operationibus externis ſe prodit, ita Eccleſiæ ſanctitas in externis virtutum actibus, & officiis cernitur, *Sicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat; ita Dominus Deus germinare faciet juſtitiam, & laudem coram univerſis gentibus.* (Iſai. 55.) Et: *ſic luceat lux veſtra coràm hominibus, ut videant opera veſtra bona, &c.* (Matt. 5.) Scribit S. Petrus de Gentilibus notantibus ſanctam fidelium converſationem, quod *mirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem.* (1. Pet. 4.) Vide S. Auguſt. l. de moribus Eccleſiæ. cap. 31. & 34.

Secundò, prodit ſe ipſa Eccleſiæ Catholicæ ſanctitas miraculis, quæ ſunt teſtimonia ſanctitatis. Vid. ſupra cap. 2. lib. 2. Illa nunquam ab Ethnicis, Turcis, Ju- (***Miracula ſiunt in Catholica Eccleſia ſola.***)

Judæis vel hæreticis facta eſſe conſtat. Quantam vim habuerint miracula ad retinendum Sanctum Auguſtinum in Eccleſia Catholica, ſcribit ipſe cont. ep. fund. cap. 4 & 5. l. de util. credendi cap. 14. & 17.

V. ſup. c. 2. lect. 2.

Spiritus Prophetiæ nunquam ei defuit.

Tertiò, ſemper in Eccleſia enituit in maximis quibuſque Sanctis Prophetiæ donum etiam extremis hiſce ſæculis.

Soli Catholici caſtitatem colunt & Virginitatem illibatam ſervant.

Quartò; nihil æquè teſtatam facit Eccleſiæ Catholicæ ſanctitatem, ſicut caſtitas, quæ illibata à pleriſque noſtris uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſervatur. Hæc eſt Angelica virtus, quæ Eccleſiam mirè illuſtrat, ſuoſque etiam adverſarios in admirationem rapit. Solis ſanè Catholicis fide verâ, Deique gratiâ præditis poſſibilis eſt caſtitas; hinc apud hæreticos non eſt invenire Virgines, & Virginum contubernia, nec Monachos, & Monaſteria, imò nec cœlibes miniſtros, uti habuit omni ætate Eccleſia Catholica Romana.

I. Quâ ratione dicitur Eccleſia *Catholica* ſeu univerſalis?

Tripliciter Eccleſia dicitur Catholica.

R. Triplici ratione: Primò, quia recipit omnis conditionis, & ſtatûs homines. Non enim eſt Eccleſia ulli particulari familiæ alligata, ſicut olim familiæ Jacob erat alligata Eccleſia veteris Teſtamenti; non eſt, inquam, hic diſtinctio Judæi, & Græci. Poteſt enim membrum Eccleſiæ per Spiritum Chriſti effici, quicumque accedere voluerit, & per januam Chriſti ingredi: nihil refert, nobilis ſis an ignobilis, dives an pauper, maſculus an fœmina, ſervus an liber. *Quicumque enim crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Idcircò jubetur Evangelium prædicari omni creaturæ. Undè in Eccleſia triumphante, ad quam nemo transfertur niſi primò fuerit ſub vexillo Chriſti in militante, vidit S. Joannes *Turbam ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis.*

Matt. 28.
Marc. 16.
Luc. 24.
Act. 1.
Apoc. 7.
Iſai. 60. & 61.
Pſ. 46. 65. 71.

Secundò, *Catholica* dicitur, quia per totum orbem diffuſa eſt, extendens ſe ad omnia loca, regna, provincias, & gentes, uſque adeò, *ut hæretici ipſi, velint, nolint, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam non aliter quàm Catholicam vocent; non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab univerſo orbe nuncupatur.*

Aug. de vera relig. c. 7.

Sunt quidem ſectæ erroneæ ferè ubique, ſed non eædem; aliæ enim ſunt in Oriente, aliæ in Occidente; aliæ in Meridie, aliæ in Septentrione; & in iiſdem quidem Provinciis multæ ſectæ ſunt ita inter ſe diſſectæ, ut una aliam hæreticam vocet, & nihil inter ſe commune habeant.

Tertiò, quia quocumque tempore viguit eadem doctrina, eadem fides in Eccleſia, idem ritus, iidem modi agendi, & regendi.

Vide Aug. l. de unit. Eccl. c. 2. 3. & 6. ep. 48. 50. 161. 170 & cont. ep. fund. c. 4.

Nobis ſanè in promptu eſt demonſtrare continuationem Eccleſiæ ab Abel uſque ad Chriſtum, & à Chriſto uſque ad tempora noſtra, Ita ut ab Apoſtolis uſque ad hæc tempora poſſint deſignari quinam quolibet tempore, & ſæculo præfuerint, & doctrinam Eccleſiæ noſtræ tenuerint. Paganiſmus certo tempore exortus legitur, & multis in locis extinctus invenitur: hæreſes quoque plurimæ poſt Chriſti adventum certis, & notis temporibus exortæ ſtatim poſt aliquod tempus evanuerunt, vel non diu poſt evaneſcunt. Ideò pulchrè eas comparat S. Auguſtinus torrentibus hiemali tempore cum ſtrepitu decurrentibus, ſed paulò poſt nihil niſi arenam, & ſordes relinquentibus, explicans illum verſum, *ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Non vos terreant (inquit) Fratres, quidam fluvii qui dicuntur torrentes; hiemalibus aquis implentur, aqua ad tempus perſtrepit, mox ceſſant, diu ſtare non poſſunt. Multæ hæreſes jam mortuæ ſunt; cucurrerunt in rivis ſuis quantum potuerunt, ſiccati ſunt rivi, vix memoria eorum reperitur. *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.*

In Pſ. 57.

Pulchra comparatio.

Aug. de vera rel. c. 7. At Eccleſia Romana eſt velut fluvius magnus habens vivam ſcaturginem, & perennes aquas, ſemper decurrens ſucceſſione non interruptâ. Nulla ætas ab Apoſtolorum ævo, nullum ſæculum deſignari poteſt, quo non fuerit celebrata Miſſa pro vivis, & defunctis, Feſta, & jejunia obſervata, invocati Sancti, honoratæ Reliquiæ, vota Religioſa frequentata, &c. ut conſtat ex omnium ætatum Scriptoribus.

Quis Catholicus ſit dicendus? Vincent. Lirinen. adverſ. profan. hæreſ. novitates ſub princip. *Vide Aug. l. de unit. Eccl. c. 13. [illegible] ep. 48. 50. 161. [illegible] contra ep. fund. c. 4.*

I. Quem ergo hominem Catholicum appellas?

R. Is verè eſt Catholicus, qui in ipſa Catholica Eccleſia id tenet quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè, proprieque *Catholicum*, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè univerſaliter comprehendit. Ille itaque (ait ille) eſt verus, & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit; non hominis cujuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philoſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus, & ſtabilis permanens, quidquid univerſaliter antiquitùs Eccleſiam Catholicam tenuiſſe, cognoverit, id ſolum ſibi tenendum, credendumque decernit. Quidquid verò ab aliquo deinceps uno, præter omnes, vel contra omnes ſanctos, novum, & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere.

In Pſ. 57. *Pulchra comparatio.*

Sup. lec. 1. ſub init. I. In qua ergò, omnibus benè conſideratis, Eccleſia permanendum eſt?

In ſola Catholica Romana Eccleſia permanendum eſt. R. Reſpondet S. Hieronymus in Dial. adverſùs Luceferianos, & dicit: *Brevem tibi, apertamque animi mei ſententiam proferam: in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata uſque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino* JESU *Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, utputa Marcioniſtas, Valentianos, Montenſes, ſive Campitas,* (addo Lutheranos, Calviniſtas) *ſcito, non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. Ex hoc enim ipſo quod poſteà inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiavit.* Chriſtiani eſſe deſierunt (inquit Lactant. lib. 4. cap. 39.) qui Chriſti nomine amiſſo, humana, & externa vocabula induerunt. *A Chriſto Chriſtiani ſumus & nuncupamur* (ait S. Athanaſ.) *qui aliunde fidei ſuæ originem deducunt, meritò auctorum ſuorum nomina præſeferunt.* *Ser. 2. cont. Arianos.*

LECTIO SEPTIMA.

I. Cur Eccleſiam *Apoſtolicam* appellas?

R. Eſt quarta Eccleſiæ nota, quòd ſit Apoſtolica, id eſt, Apoſtolorum miniſterio fundata, & Apoſtolorum Principi B. Petro, ejuſque ſucceſſori Romano Pontifici adhæreat. Apoſtolica enim propriè dicitur propter originem, ſucceſſionem, & Apoſtolicam ſedem. In hac enim ſola Eccleſia, uti nuper diximus, reperitur Epiſcoporum ab Apoſtolis uſque ad nos deducta ſucceſſio. *Sup. lect. 5.*

I. Miror te adeò magni facere Pontificum in Apoſtolica ſede ſucceſſionem continuam?

Magni æſtimanda eſt ſummorum Pontifi. cum in Apoſtolica ſede ſucceſſio non interrupta. R. Oportet nos eam magni æſtimare, prout æſtimarunt omnes Patres, hac ſucceſſione tanquam evidentiſſimo argumēto ad veram Chriſti Eccleſiam diſcernendam utentes, quando cum hæreticis negotium eis fuit. Iren l. 3. c. 3. à Petro uſque ad Eleutherium Romanos Epiſcopos recenſet, per quam ſucceſſionem omnes hæreſes cōfundi ſcribit. Lib. 4. c. 42. illis Sacerdotibus adhærendum docet, qui ſucceſſionem ab Apoſtolis habent, quibus ſolis veritas tradita ſit.

Lib. de præſc. c. 32. *Edant hæretici* (inquit Tertullianus) *origines Eccleſiarum ſuarum evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis* vel

Digitized by Google

vel Apoſtolicis viris habuerit auctorem, & anteceſſorem. Vide Epiphan. hæreſ. 27. Optatum Milevit. l. 2. cont. Parmen. Donatiſtas alloquentem: *Vos*, inquit, *Cathedra veſtra originem oſtendite, qui vultis vobis Sanctam Eccleſiam vendicare.*

Ep 17. ad Damaſum. *Cathedra Petri* (inquit Hieron.) *communione conſocior; Super illam petram Eccleſiam ædificatam ſcio; Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.* Vid. Aug. Ambr. Cypr. & alios ſuprà allegatos. Lect. 5.

I. Cenſes ergo Apoſtolicam potiſſimùm dici Eccleſiam ab ipſo Apoſtolo Petro, ſuper quem ædificata eſt?

R. Planè ſic cenſeo. Adhuc enim hodie retinet Cathedram inconcuſſam, de qua olim Dominus eidem Apoſtolo promiſerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Leo ep. 89. S. Tho. opuſ. de Symb. Ad hanc Apoſtolicam Cathedram recurramus, quicumque in Eccleſia Chriſti ſumus, & per ſucceſſionem non interruptam legitimorum ſuccedentium Epiſcoporum ad Petram, id eſt, ad originem pertingimus, ſicuti recurri, & deveniri ſolet per rivulum ad fontem, per ramos arboris ad radicem, per radios ad Solem. Ex hactenus dictis collige ejuſmodi ratiocinationem: Illa Sola hominum congregatio haberi debet pro vera, & legitima Chriſti Eccleſia, quæ eſt Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica; ſed ſola congregatio fidelium ſub Romano Pontifice adunata eſt talis, uti jam oſtenſum eſt; ergò illa ſola eſt vera, & legitima Chriſti Eccleſia. Ratiocinatio.

LECTIO OCTAVA.

Sanctorum Communionem.

S. Tho. 1 p. q. 21. a. 6. I. QUid intelligis per *Communionem Sanctorum?*

R. Quod mutua ſit omnium, qui in Eccleſia Dei velut in una familia verſantur, ſocietas, & communicatio bonorum ſpiritualium ad eam pertinentium. Idcircò dicebat David quaſi unus ex illis: *Particeps ego ſum omnium timentium te, Domine.* Vid. S. Ambr. ſuper illo Pſalm.

I. Quænam ſunt bona illa ſpiritualia, quorum participes ſunt Eccleſiæ alumni?

R. Bona ſpiritualia, & communia hujus corporis ſunt Sacramenta, ſacrificia, orationes, indulgentiæ; item bona cujuſvis fidelis in particulari opera, pœnitentiæ, mortificationes, &c.

I. Eſtne magni facienda ejuſmodi *Communio Sanctorum*; ſive: magnine refert, ſi particeps fias omnium ſpiritualium Eccleſiæ bonorum? *Magni refert eſſe de Communione Sanctorum.*

R. Maximi. Nam ideò nobis hoc fidei Symbolum tradiderunt Apoſtoli tanquam breve quoddam compendium rerum fide credendarum; ideò in univerſum mundum profecti prædicaverunt Chriſti Evangelium; ideò Scripturas nobis commendarunt, ut omnes in hanc ſanctam, amplam, & beatam ſocietatem Sanctorum admittamur, admiſſique conſtantiſſimè perſeveremus, *cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.* Colоſ. 1. Et verò S. Joan. Evangeliſta, cum de divinis myſteriis ad fideles ſcriberet; cur eos in illis erudiret, hanc rationem attulit: *Vt & vos*, inquit, *ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus* JESU *Chriſto.* 1. Joan. 1.

I. Iſtud punctum de Communione Sanctorum, efficitne unum per ſe, & diſtinctum ab aliis, fidei & Symboli Apoſtolici articulum?

R. Non, ſed eſt præcedentis velut appendix quædam, & explicatio: nam unitas ac ſimplicitas Spiritûs Sancti Eccleſiam gubernantis id efficit, ut quidquid bonorum in commune ad ejus corpus ſpectat, ſingulorum ejus membrorum fiat veluti proprium. Unde videmus Sacramentorum fructus, uti & reliqua ſpiritua-

lia

Digitized by Google

lia bona, merita, ſuffragia ad omnes in hac communione ſeu ſocietate Sanctorũ per unum ſpiritum vinculo pacis & charitatis colligatorum pertinere. Quæ ratio eſt, cur Patres in Symb. Conſtant. addiderint: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*; idque ſtatim, & immediatè poſt articulum de Eccleſia; quod autem illi dé baptiſmate, hoc de Euchariſtia, hoc de reliquis Sacramentis, ad quæ per baptiſma datur acceſſus, debet intelligi.

1. Cor. 12. *Apta ſimilitudo ad declarandam Sanctorum Communionem.*

I. Habeſne ad hanc rem explicandam, aptam aliquam ſimilitudinem?

R. Habeo illam paſſim in Scripturis inculcatam: In corpore humano, ſi gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra; ſi patitur unum membrum, compatiuntur reliqua; *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Quemadmodum igitur inter unius corporis membra, cunctorum officiorum communicationem fieri conſpicimus; ita in Eccleſia Dei invenitur ſocietas, communicatio, & unio in eadem fide, in doctrinæ conformitate, in eorundem Sacramentorum pariformi uſu, in mutuis officiis, in participatione meritorum, orationum, ſatisfactionum, gaudii, & triſtitiæ. Nam, licet in corpore diverſa ſint membra, unum tamen corpus conſtituunt, in qua ſingula proprio, non autem eodem funguntur officio. Et quamquam diſparitas ſit muneris, & dignitatis (nec enim æquè utiles aut decoras functiones omnia exequuntur) nulli tamen ſuum privatum tantummodò commodum, ſed totius corporis propoſita eſt utilitas. Ita omninò ſe res habet in Eccleſia; in qua variæ ſunt nationes, puta, Judæi, Græci, Latini, &c. variæ quoque hominum conditiones; ſcilicet, divites, pauperes, principes, & ſubditi; variique quoque ſexus, & ætates; ingeniorum inſuper varietates, diverſa ſtudia, & vitæ ſtatus plurimi; alii enim ſunt Eccleſiaſtici, alii verò Laici; & inter utroſque diſtincti ſunt ordines, diverſiſſimæque functiones; & cum in hac membrorum diverſitate, etiam diverſa ſint officia, diverſa talenta, diverſa ad ſuum cujuslibet officium aptitudines, communio tamen eſt functionum, & officiorum, quâ quodque non ſibi ſoli, ſed & aliis operari debet; idque quia membra ſunt unius corporis, uno fidei nexu, unoque baptiſmate colligata, & coadunata. In hoc nimirùm Sacramento Chriſtianam hanc affinitatem, & unionem contrahimus, cùm ab eodem Patre regenerati, eodem Spiritu vivificati, eidem corpori inſerimur, ſub eodem capite ſubjicimur, uni Deo Redemptori, & Mediatori noſtro JESU Chriſto adhærentes. Quid igitur mirum, ſi omnium, & ſingularum ſpiritualium influentiarum participes efficimur, quas in corpus ſuum quod eſt Eccleſia, depluit & ſuperinfluit. *Aug. tract. 32. in Ioa.*

I. Conſtat igitur eos qui in hac ſancta communione ſunt, quâdam felicitate perfrui.

R. Planè ita eſt; ut meritò dicere poſſint: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Et. *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* *Pſal. 83.*

I. Pertinetne ad Judæos in Judaiſmo, aut Gentiles in infidelitate perſeverantes hæc *Sanctorum Communio*?

R. Minimè, neque enim ſunt in Eccleſia, cùm in eam per Baptiſmum nondum introierint.

I. Hæretici, & Schiſmatici ſuntne iſtius Communionis participes?

R. Nullo modo, eum ipſi ſeſe ab Eccleſia ultrò ſubduxerint, extra quam nulla eſt *Sanctorum Communio*.

LECTIO NONA.

I. An mali Catholici ab Eccleſia tamen non præciſi, participes ſint Communionis Sanctorum?

R. Certum eſt quod ſic, cùm Eccleſiæ membra eſſe non deſierint; ſed cum ſint mortua, fructum ſpiritualem qui ad ju- *Mali Catholici non præ-*

 ſtos,

[..]iſ ſunt participes Communionis Sanctorum.

ſtos, & pios homines pervenit, non percipiunt, tametſi cùm in Eccleſia ſint, ad amiſſam gratiam, vitamque recuperandam ab iis adjuventur, qui ſpiritu vivunt.

Sup. lect. 3. quæſtione. 3.

I. Plurimùm igitur, meo quidem judicio, intereſt, ſi in Sanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ gremio foveariſ, & conquieſcas Communionis Sanctorum particeps?

R. Omninò, plurimùm. Sed verò is rei ſummam attigit, qui in ejuſdem Eccleſiæ gremio deliteſcens vitam ſanctam vivit, adeoque Deum meretur habere Patrem, & protectorem, ipſam verò Eccleſiam Matrem, & nutritiam.

Communio Sanctorum commendat nobis mutuam charitatem.

I. Videtur mihi ex hac ipſa materia rationi valde conſentaneum, ut ejuſdem Matris Filii, hoc eſt Chriſtiani, ſe mutuò diligant, & foveant?

R. Rectè, nam cur æmulationes, ſectæ, aut invidiæ eos inter qui unum Patrem, qui in cœlis eſt, nacti ſunt, unaque Matre gaudent almâ Eccleſiâ; qui in eadem familia, & domo ſunt enutriti, eadem percipiunt Sacramenta, iiſdem militant ſtipendiis, eundem ſibi finem propoſitum habent, eâdem hæreditate ſimul potituri.

Epheſ. 4. 26.

Si verò de temporalibus ſubſidiis, quibus Frater indigens adjuvatur, ſermo eſt, quid magni hac in parte ei cenſebimus impenſum, cùm ejus bonis ſpiritualibus quotidie per *Sanctorum Communionem* fruamur? Vide hoc argumentum à S. Paulo tractatum 2. Cor. 8. & Commen. ſuper eo B. Anſelmi.

I. Inveniturne etiam iſta *Sanctorum Communio* inter cœlites, & homines in terris degentes?

R. Ita planè, nam qui in cœlum recepti ſunt, pro his orant, qui in terris adhuc peregrinantur; hinc in Litaniis Sanctos invocamus, dicentes: *S. Petre, S. Paule, ora pro nobis.*

Communio SS. eſt inter mortales fideles, defunctos in Purgatorio exiſtentes, & cœlites.

I. Quinam potiſſimùm Sanctorum patrociniis adjuvantur?

R. Illi qui eorum virtutes, & piæ ſanctæque vitæ exempla magno ſtudio conſectantur. Vid. Aug. ſerm. 181. de tempore c. 13 & Enchir. c. 56.

I. Aliquidne etiam emolumenti accipiunt SS. ex bonis noſtris operibus?

R. Ita; nam ſi eorum veſtigiis inhærendo, aut etiam eorum ſcripta lectitando mores noſtros rectè compoſuerimus, non eſt dubium quin eis magna fiat gloriæ accidentalis acceſſio.

I. Inveniturne etiam hæc eadem communio inter animas fidelium in Purgatorio exiſtentes, & nos adhuc ſuper terram repentes?

R. Ita, oramus enim pro eis, offerimus pro eis Miſſæ Sacrificium, bonis operibus in eorum commodum damus operam. Vid. S. Aug. Enchir. c. 56. 109. & l. 10. de Civit. c. 9. Quod ad ipſos ſpectat, ſuis nobis opitulantur precibus, uti ex facto Jeremiæ 2. Machab. 15. evidentiſſimè patet. Sanè quod nobis opitulari poſſint, patet ex capite 40. l. 4. Dial. S. Gregorii: Ubi Dalmatica Paſchaſii Diaconi in Purgatoriis pœnis detenti miraculum operatur.

I. Orantne etiam Beati in Cœlo pro animabus defunctorum in Purgatorio degentibus?

R. Ita.

I. Qui fit quod illa *Sanctorum Communio* extendat ſe uſque ad cœlum, uſque ad Purgatorium, & ad omnes omninò qui in toto orbe verſantur fideles?

R. Jam id ſuperius declaratum eſt ſimili. Totum humanum corpus nec non ſingulæ ejus partes communicant bona ſingulorum membrorum ejus, ab iiſque commodum accipiunt, v. g. ſi cum manu proſperè agitur, ſuppetias fert illa capiti, pedibus, &c. pro cujuslibet indigentia & neceſſitate, *Vid. S. Tho. opuſc. de Symbol.* Similiter contingit in Eccleſia, quæ eſt Corpus Chriſti myſticum. Hujus corporis una pars jam triumphat in cœlis coronata; pars altera adhuc militat ſuper terram; tertia verò igne expiatur tor-

nes

Digitized by Google

nes illæ partes ſeſe mutuò adjuvant, & cui in terris adſcripti fuerant, Sanctorum Communioni etiamnum inhærentes, quantùm poſſunt propria commoda in alios derivant.

I. Si ita eſt, quemadmodum expoſuiſti; ſi, inquam, ratione Communionis Sanctorum, omnia ſint communia; non video cur pro aliquo in particulari orandum ſit, vel etiam Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium pro hac vel illa anima offerendum?

R. Imò ſanè. Sacrificium enim, orationes, & bona opera, etſi quidem aliquâ ratione ob Sanctorum Communionem communia ſint omnibus qui ad eam pertinent; at verò majorem omninò utilitatem conferunt his, pro quibus in particulari fiunt, & applicantur. Vide quæ ſolent tractari *in Summa Sancti Thomæ p.3.q.83.de valore Miſſæ.*

I. Spectatne ad Sanctorum Communionem, quòd pro invicem oremus tam vivis quàm mortuis?

Indulgentia ad communionem SS. pertinent.

R. Omninò, etiam quod pro invicem ſatisfaciamus; Imò verò in hac *Sanctorum Communione* fundamentum habet praxis in Eccleſia recepta, remiſſiones, & Indulgentias elargiendi, prout infrà lect.12.

LECTIO DECIMA.

De Excommunicatione.

I. SUntne Chriſtianorum aliqui hâc Communione privati?

R. Omninò, & illi dicuntur excommunicati; quod ſint extra Communionem Sanctorum, & cum cæteris fidelibus in eorum bonis ſpiritualibus communibus non participent.

Excommunicandi poteſtas eſt penes Eccleſiæ Prælatos.

I. Quis eſt qui Chriſtianos poteſt ab hac Communione præſcindere, & ab Eccleſia excludere?

R. Prælati, penes quos eſt Communium Eccleſiæ bonorum adminiſtratio.

I. Quiſnam contulit Prælatis Eccleſiæ poteſtatem excommunicandi?

R. Ille ipſe qui iiſdem tradidit claves Eccleſiæ, ſive poteſtatem ligandi, atque ſolvendi quodcumque ſuper terram; mandavitque inſtar Ethnici, & Publicani habendum eum qui Eccleſiam non audierit. Joan.21. Matt.16. & 18.

I. Eſtne illa excommunicandi poteſtas congruo Eccleſiæ regimini conveniens, & ſalutaris?

Excommunicandi poteſtas eſt Eccleſiæ regimini admodum conveniens. Similia. 1.Cor.6.

R. Eſt convenientiſſima, & ſaluberrima. Solent enim interdum Patres-familias immorigeros filios domo expellere, ut iſtâ ratione reſipiſcant, & ad meliorem frugem redeant; ſimili modo agunt Prælati cum rebellibus Eccleſiæ filiis, quos anathematis mucrone feriunt. 2. Ovium Paſtores ſcabie vitiatum pecus ſtabulis arcent, prædæque lupis eſſe permittunt, ut convaleſcant, ad eum modum contumaces tantiſper ſatanæ tradunt Prælati, *ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini.* 3. Habent Principes, & civilis Reip. Magiſtratus certos quoſdam modos coërcendi, & comprimendi eos qui jugum ſubire, & legum directionem pati nolunt; ita planè Eccleſiæ Principes (Epiſcopi, & Prælati) acceperunt à Deo excommunicationis gladium, qui eſt *nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ,* non quidem ad occidendum, ſed ad medendum, reſecando ab ipſo corpore Eccleſiæ, ejuſque ſpiritualibus influentiis eos, qui jam ſuâ culpâ à ſuavi Dei jugo, & Eccleſiæ obedientia ſeſe ſubduxerant.

Excommunicationis cenſura in Eccleſia antiquiſſima.

I. Eſtne excommunicationis pœna in Eccleſia valdè antiqua?

R. Eſt antiquiſſima. Vid. Apoſtolum Paulum 1. Cor.5. & 1. Timot. 1. & Concilia omnia poſteriora, necnon Epiſcoporum Acta ſacræ hiſtoriæ conſignata. Vid. Baron. in Annal. an Chriſti 57.

Exemplum. Petri Dam. Card. ad Deſide-

I. Habeſne exemplum quo probes ratam fuiſſe in cœlo, quæ in terris lata erat, excommunicatio?

R. Ita. Robertus Gallorum Rex propinquam ſibi copulavit uxorem, ex qua

Digitized by Google

ſuſcepit filium, anſerinum per omnia collum & caput habentem. Quos etiam, virum & uxorem, omnes ferè Galliarum Epiſcopi, communi ſimul excommunicavêre ſententiâ. Cujus Sacerdotalis edicti tantus omnem ubique populum terror invaſit, ut ab ejus ſocietate universi recederent, nec præter duos ſervulos ad neceſſarium victûs obſequium illi remanerent, qui tamen & ipſi omnia vaſa, in quibus Rex edebat, & bibebat, percepto cibo abominabilia judicantes, pabula ignis exhibebant. His autem Rex coarctatus anguſtiis, ad ſanum conſilium rediens, divortium fecit, initque legale connubium.

rium Ab. Caſſin. apud Baron an. 998 to. 10.

I. Debetne magni æſtimari excommunicatio?

R. Indubiè. Magnum enim eſt, culpâ ſuâ ejici extra ſocietatem Chriſti & Eccleſiæ, ejuſque bonis privari; ſcilicet, orationibus, ſuffragiis, Sacramentis, Dei protectione, curâ Paſtorali, tyrannidi, & incurſibus diaboli, cujus regnum eſt extra Eccleſiam, ita exponi, ut in eos magis quàm ante graſſetur, & in omne malum impellat. Quid? quod etiam olim corporaliter vexaret? Vide in vita ſancti Ambr. per Paulinum.

C. nihil ſic debet. 11. q. 3.

C. audi &c. omnis. ead.

I. Habetne aliquod exemplum ejus qui excommunicationem magni æſtimarit?

R. Habeo. Theodoſius Imp. ob cladem Theſſalonicenſem ab Ambroſio repulſus eſt ab Eccleſia. Res porrò ita ſe habuit. Theſſalonicenſes Bothericam apud Illiricum militum Præfectum ſeditione facta interfecerunt, quòd noluiſſet aurigam ſuum ejus artis peritiſſimum, ob facinus aliquod in vinculis detentum, dimittere ad ſolemnem equeſtrem concertationem. Quâ re nunciatâ excandeſcens Imp. ab Ambroſio tamen aliiſque Epiſcopis Mediolani agentibus placatus Indulgentiam Theſſalonicenſibus promiſit. Sed Comitibus ſecretò, cum Imperatore agentibus de vindicta tanti facinoris, in ejus executionem ad Circenſes ludos invitatus populus, à circumfuſis militibus ſine diſcrimine nocentes, & innocentes obtruncati ſunt: muxque ab iiſdem per urbem divagantibus, obviorum quorumcumque ſive civium, ſive etiam peregrinorum tanta eſt edita ſtrages, ut ſeptem millia hominum, ſpatio trium horarum cæſa fuerint. Hâc autem immani clade Mediolani Ambroſio, aliiſque Epiſcopis qui Synodi cauſa convenerant, nunciatâ, idem Ambroſius pro omnibus Theodoſium ſeverioribus primò litteris appetens, ſignificavit ipſum ob patratas Theſſalonicenſium cædes, indignum ſe Eccleſiaſticâ communione penitus reddidiſſe. Poſteà verò cùm idem Imp. magnoperè perculſus animo, Mediolanum acceſſiſſet remedium ſalutis petiturus, inconcuſſo ipſum Sacerdotali robore ab ingreſſu Eccleſiæ publicè repulit; quouſque poſt octo menſium pœnitentiam publicam, eundem in eam admiſit in Feſto Natalis Domini: hoc inſuper ei injuncto, ut legem conſcriberet, quâ deinceps executiones ſententiarum de cæde, & publicatione bonorum ad 30. dies differentur, ut illo temporis ſpatio maturè examinari poſſent. Hæc Baron ad ann. 390 ex Ruffino, Theodoret. Paulino, Sozomeno, Auguſtino, Ambroſio. Refertque Paulinus, quòd, cùm Theodoſius ſe excuſaret exemplo Davidis, qui homicidium quoque perpetraſſet; Ambroſius illicò reſponderit: *Qui ſecutus es errantem, ſequere corrigentem*. Quod & ipſe adeò humiliter adimplevit, ut (quod ait Theodoretus) cùm ab Ambroſio in Eccleſiam receptus eſſet, minimè auſus Deum ſtans aut genibus flexis precari; pronus humi abjectus cum multis lachrymis veniam petens verſum illum Davidis recitavit: *Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundùm verbum tuum.*

Exemplum.

Habetur l. 13 Cod. Theod. & l. 20. Cod. Iu.

Pſ. 118.

I. Non poſſunt igitur excommunicati à peccatis abſolvi?

R. Non, præterquam in articulo mortis, in quo *omnes Sacerdotes quoslibet pa-*

Trid ſſ. 14. c. 7.

niten-

nitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.

I. Quid ergò agere debent excommunicati, dum adhuc ſani cupiunt remiſſionem ſuorum peccatorum obtinere?

R. Debent ſe humiliare, & Eccleſiæ parere; ſatisfacere parti læſæ; petere ab eo excommunicationis abſolutionem, qui eam dare poteſt; & tandem cum intimo cordis dolore apud Sacerdotem approbatum peccatorum ſuorum exomologeſim facere.

Excommunicati ſepulturâ ſacrâ privantur.

I. Quid fit de excommunicatis in excommunicatione morientibus?

R. Non donantur ſacrâ ſepulturâ, ſicut cæteri Chriſtianorum; ſed privantur omnibus ſuffragiis, & bonis ſpiritualibus, quæ in defunctos fideles ſolent conferri.

Anno 1034. n. 17. 10. 11.

Exemplū.

Refert Baronius ex actis Concilii Lemovicenſis quod ſequitur exemplum: Tunc Epiſcopus Caturcenſis cœpit enarrare dicens: Nuperrimè poſt Concilium Bituricenſe, quidam de excommunicatis Eques in noſtra Diœceſi interfectus eſt, quem ego rogantibus amicis, & propinquis ejus nullatenus ſolvere volui, ut cæteri metum haberent: gravem enim culpam prædantis habuerat. Itaque ſine Sacerdotis obſequio à militibus apud quandam Eccleſiam S. Petri, non me jubente, ſepultus eſt; manè autem facto, corpus ejus longè extra cœmeterium projectum, & nudum ſuper faciem terræ inventum eſt: tumulus autem ubi ſepultus fuerat intactus, & ita ut dimiſſus fuerat, repertus eſt. Quem iterum milites aperuêre, & nihil in eo amplius niſi veſtes, quibus involutum corpus fuerat, invenerunt. Rursùs cadaver ibidem ſepelierunt, & diligenter tumulum ſub enormi pondere terræ, & lapidum claudunt: ſed die altero projectum cadaver, & tumulum intactum ut ſuprà aſpiciunt. Quinquies ſepeliunt: toties ejectum eodem tenore conveniunt. Tanto demum victi ſtupore corpus longè à cœmeterio Eccleſiæ terrâ obruunt. Poſt pauca: ad hæc reſpondit Concilium. Quid hoc aliud eſt niſi ſub oculis hominum arbiter hominum affirmat Eccleſiæ ſuæ auctoritatem, quia excommunicati à ſepultura Chriſtianorum juſtè ab Epiſcopis ſegregantur? tales enim negant fidem, dum latrocinia potiùs quàm pacem ſectantur, &c.

Notent hæc milites noſtri.

I. Quare excommunicati in excommunicatione ex hac vita decedentes Eccleſiaſticâ ſepulturâ privantur?

R. Quia fideles ſolent Sacræ ſepulturæ mandari eo fine, ut participes fiant omnium orationum, & ſuffragiorum, quæ in Eccleſia fiunt; excommunicati autem æquè poſt mortem ac in vita privantur omnibus illis; quantumvis ſeriò contriti diem extremum obiiſſent.

I. Nunquid igitur vergunt iſta in certam animarum perniciem?

C. cum medicinalis de ſent. ex com. in 6.

R. Minimè. *Medicinalis enim eſt excommunicatio non mortalis: diſciplinans non eradicans.* Adeò quod non intendat aliud Eccleſia hac in parte, quàm ut peccator à contumacia ſua converſus redeat ad Eccleſiam, & *Sanctorum Communionem.*

Matt. 18.

I. Sed quid ſi pœnitens, & contritus obierit in excommunicatione, non poterit ad cœlum evolare, & viſione beatificâ frui?

R. Non, donec fuerit abſolutus; & hoc expreſsè dixit Chriſtus: *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.*

I. Poſſuntne igitur abſolvi mortui in excommunicatione?

C. A nobis de ſent. excom. poſſunt excommunicati abſolvi à cenſura etiam poſt mortem.

R. Poſſunt. De qua re Joan. Viguerius ſcribit tale exemplum: Noſtrâ ætate contigit in Diœceſi S. Pontii de Thomeris de quodam Clerico excommunicato ab Epiſcopo Ruthenenſi de Rhodez, qui poſt biennium ab obitu revelavit ſocio ſuo, ut exhumaretur è loco ſacro, donec habitâ abſolutione iterùm ſepeliretur. Cumque abſolutus eſſet iterumque ſepeliretur in loco ſacro, coram toto popu-

Exempla. S. Greg. in vit. S. Bened. l. 2. Dial. c. 23.

populo audita eſt vox clara, & perceptibilis ab omnibus qui aderant, gratias agentis, & dicentis, tunc cœlum illi parere. Ex publicis Actis ipſius Diœceſis Ruthenenſis. *Viguerius de Sacramento Ordinis v. 16.*

Quædam fœminæ, ut ajunt, moniales nimis effræni linguâ religioſum quemdam virum ſæpiùs vellicabant. Quocircà S. Benedictus hæc de illis audiens, eis protinùs mandavit dicens: corrigite linguam veſtram, alioquin excommunico vos. Illæ nihil meliores factæ, intra paucos dies defunctæ ſunt, atque in ædibus ſacris ſepultæ. Cumque in iiſdem Miſſarum ſolemnia celebrarentur, & Diaconus ex more clamaret: *Si quis non communicat det locum*; nutrix earum, quæ pro eis oblationem offerre conſueverat, eas de ſepulchris ſuis progredi, & exire videbat: quod dum ſæpiùs cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Eccleſiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis viventibus mandavit, Eas quippè ſe communione privare dixerat, niſi mores ſuos, & verba corrigerent. Tunc ſervo Dei cum magno mœrore indicatum eſt; qui manu ſuâ protinùs oblationem dedit, dicens: Ite, & ulteriùs excommunicatæ non erunt; quæ oblatio dum fuiſſet pro eis immolata, & à Diacono juxta morem clamarum, ut non communicantes ab Eccleſia exirent, illæ exire ab Eccleſia ulteriùs viſæ non ſunt.

LECTIO UNDECIMA.

De Indulgentiis.

I. Quid ſunt Indulgentiæ?

R. Id hoc modo declarant Theologi. Eſt in Eccleſia theſaurus quidam, primariò, & principaliter ex Chriſti meritis, & ſatisfactionibus conflatus; ſecundariò ex meritis, & ſatisfactionibus Sanctorum. Concedere igitur Indulgentiam, nihil eſt aliud quàm remittere pœnam temporalem, ob culpam actualem remiſſam, Deo debitam, auctoritate Eccleſiaſticâ, extra Sacramentum, per applicationem meritorum, & ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, quæ in dicto Eccleſiæ theſauro reconditæ ſunt.

Extrav.

Vigentius de pœn. & remiſſ. & Bulla Leo. damnationis articulorum Lutheri.

I. Maximus ſit oportet hic theſaurus, quandoquidem non ceſſent in dies ſummi Pontifices plenarias omnium peccatorum Indulgentias fidelibus elargiri.

R. Planè ita eſt, nam Chriſti merita, & ſatisfactiones ſufficiunt pro peccatis totius mundi, tam ſecundùm pœnam, quàm ſecundùm culpam, modò applicentur; ſi enim omnes crederent, & baptizarentur, Chriſti ſatisfactio applicata per Baptiſmum tolleret omne debitum omnium pœnarum. Adeò quod ſola Chriſti (qui eſt perſona in omni genere perfectionis infinita) merita, & ſatisfactiones conflent theſaurum undequaque maximum, & nullâ ratione exhauribilem. Ex Sanctorum verò ſatisfactionibus, non modica fit ad hunc theſaurum acceſſio, magno etiam Eccleſiæ commodo; nam etſi opera Sanctorum quoad vim meritoriam ſint plenè remunerata per gloriam æternam, non tamen quoad ſatisfactoriam; quia non omnes Sancti debebant tantùm pœnarum quantùm perſolverunt. Quis enim credat Beatiſſimam Virginem, quæ nunquam peccavit: B. Joannem Baptiſtam qui ſanctiſſimè vixit: Apoſtolos, Martyres, aliosque ſine numero, qui graviſſimâ perpeſſi ſunt, omnem ſuam afflictionem ex debito ſubiiſſe? huc pertinet quod de ſeipſo Job dicebat: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in ſtatera. Quaſi arena maris hæc gravior appareret.* Et iſte cumulus ad Chriſti Domini ſatisfactiones, & merita appoſitus congerit theſaurum, quem diximus Eccleſiæ. Hoc eſt, quod aliquando dixit Origenes: *Sanctorum etiam ſanguis effuſus eſt ad expianda peccata populi*; ut poſſint ſecundùm

Theſaurus Eccleſiæ unde Indulgentiæ deſumuntur, eſt maximus & inexhauſtus.

Job c. 6.

Sancti etiam redempto-

Digitized by Google

res noſtri, quæ ſenſus? dùm debitum pœnæ temporalis, idque ſub Chriſto, dici noſtri redemptores; ſicut eleemoſynis & aliis bonis operibus dicuntur redimi peccata: nam hanc virtutem acceperunt ex gratia Chriſti, quæ merito Paſſionis ejus illis collata eſt; undè ubique cenſetur is cauſa principalis.

In ſola Eccleſia Romana invenitur poteſtas conferendi indulgentias. I. Ubinam invenitur poteſtas diſpenſandi hunc theſaurum?

R. Non alibi quàm in Eccleſia, quandoquidem Indulgentiæ uti præmiſſum eſt, fundentur in *Communione Sanctorum*, quæ nullibi extra Eccleſiam reperitur.

I. Qualiter hoc intelligis, in Eccleſia poteſtatem eſſe erogandi hunc theſaurum, ſive concedendi Indulgentias?

R. Quia in omni Republica eſt poteſtas diſpenſandi bona communia; cùm igitur Chriſtus reliquerit Eccleſiæ poteſtatem diſpenſandi ſua merita ad remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ per Sacramenta, idque in ſuos inimicos, & peccatores; cur non multò magis reliquit eidem Eccleſiæ poteſtatem diſpenſandi ſuas ſatisfactiones, idque in ſuos filios, & viva membra pro remiſſione pœnæ temporalis?

I. Fundaturne hæc doctrina in Scripturis?

R. Ita, Maximè. Dicit enim Chriſtus Dominus Apoſtolis, & in ipſis, omnibus Eccleſiæ Prælatis: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*; Et: *Quomodo remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Propriè enim etiam dicitur quis ſolvi, & peccata ei remitti, quando à debito pœnæ temporalis abſolvitur; nam nomine remiſſionis peccatorum in Scripturis non ſolùm ſignificatur remiſſio culpæ, ſed etiam pœnæ temporalis. Et verò quid ſibi vult aliud quod dicit David: *Amplius lava me Domine ab iniquitate mea*; His adde, quod Prælati Eccleſiæ in perſona Petri acceperunt claves regni cœlorum ad illud aperiendum, id eſt, ad tollenda impedimenta ingreſſus in illud; quale etiam eſt obligatio pœnæ, cujus peccator, remiſsâ culpâ, debitor manet.

Matt. 18. Joan. 20. Pſ. 50. Matt. 16.

I. Verùm, ſemper mihi perſuaſi per claves à Chriſto Domino Prælatis Eccleſiæ traditas, ſignificari & dari poteſtatem abſolvendi à culpa in foro pœnitentiali?

R. Hoc verùm eſt, ſed & aliquid ampliùs. Nam pœnâ æternâ plerumque non remiſsâ in totum, ſed commutatâ in temporalem, hæc adhuc impedit quo minùs liberè poſſimus in cœlum ingredi, donec integrè eidem ſatisfactum fuerit; & hoc eſt unum ex impedimentis, quæ Prælati removent vi clavium ad patefaciendum nobis regnum cœlorum.

I. Valdè benè; ſed quomodo iſta fiunt extra Sacramentum?

R. Intelligo, quod reſcire cupis, eſt, qui fiat quod culpa æquè, ut pœna non remittatur etiam abſque Sacramento? Ideò, quia conditio culpæ eſt, ut nequeat remitti ſine interna aliqua renovatione, (cùm ſit deformitas quædam, & macula animæ inhærens) quam Miniſter Eccleſiæ ex Chriſti inſtitutione facere non poteſt niſi mediante Sacramento; pœna autem, ut tollatur non poſtulat ullam internam mutationem, ſed fit per condonationem extrinſecam, puta, per Indulgentias, quas Eccleſiæ Prælati nobis erogant.

Apoſtoli contulerunt Indulgentias. I. Apoſtoli contuleruntne Indulgentias?

R. Ita; Quid enim aliud vult Paulus, dicens: *Cui aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi aliquid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Quo loco Apoſtolus abſolvit Corinthium fornicarium ab excommunicatione, & ſimul donavit Indulgentiam plenariam illius inceſtûs, ſcilicet, remiſſionem omnis pœnæ ei debitæ; idque *in perſona Chriſti*, id eſt, vice, & auctoritate Chriſti.

2. Cor. *Ambr. Theod. S.Tho. Primaſ. Oecumen.*

Indulgentiarum uſus in Eccleſia I. Eſtne Indulgentiarum uſus antiquus in Eccleſia.

R. Ita antiquiſſimus, uti patet hîc ex facto Pauli, & ex antiqua conſuetudine, de qua Tertul. ad Matt. l. 1 & Cypr. ep. 11. 21. & 22. quæ talis erat: Lapſi in perſecutio-

Digitized by Google

antiquiſſimæ.

curione, quibus gravis, & longa pœnitentia ob Apoſtaſiam, & ſimilia graviora delicta agenda erat, adibant Martyres, & Confeſſores qui pro fide Chriſti multa e-rant perpeſſi, vel adhuc in vinculis detinebantur, ut ab eis impetrarent litteras ad Epiſcopos, quibus in gratiam Martyrum condonarent illis pœnas graves, & longas injunctas. Vid. Baron. an. 253 n. X. & XII & Conc. Nic. c. 11. & 12. ubi permittitur Epiſcopis humaniùs agere, circa eos, qui aliquod tempus ferventer pœnitendo expleverint.

S. Sylveſter dedicavit Romæ Capellam ſive Eccleſiam S. Crucis in Jeruſalem, quam exornavit maximis reliquiis, & Indulgentiis. Greg. de Valent. tom. 4. diſ. 7. q. 20. de Indulg. punct. 2.

Leo Papa III. anno Domini 803. veniens in Gallias, & Germaniam in comitatu Caroli Magni, plurimas ubique elargitus Indulgentias, Eccleſias, & altaria conſecrabat, uti ex litteris S. Lutgeri primi Epiſcopi Monaſterienſis, apud Sur. 1. Mart. in appendice vitæ S. Swit-berti c. 9.

Sergius II. circa annum Domini 844. poſtquam reſtauraſſet Eccleſiam S. Sylveſtri, & Martini, in ea Reliquias inſignes collocavit conceſſis Indulgentiis, ut etiamnum apparet ex marmore ibidem inciſo; Indulgentiæ illæ ſunt trium annorum, & trium quadragenarum, ſtatis diebus Eccleſiam illam devotè viſitaturis conceſſæ. *Bellarm. l. 1. de Indulg. c. 3.*

Joannes VIII. anno 878. litteras dedit ad Epiſcopos, qui ſub dominio Ludovici Francorum Regis agebant, conferendo eis Indulgentiam in omnes qui jam deceſſiſſent, aut deceſſuri eſſent in defenſione Eccleſiæ.

Urbanus II. Pontifex Romanus in Conc. Claramontano plenariam conceſſit Indulgentiam omnibus cruce ſignatis, qui adversùs infideles Orientales arma ſumebant ad recuperandam terram ſanctam, circa annum 1095.

Eugenius III. quoque qui Pontificatum geſſit anno 1145. per litteras generales conceſſit eandem crucem accipientibus, & proficiſcentibus ad bellum iſtud ſacrum Indulgentias plenarias, injunxitque S. Bernardo ut eas populis prædicaret, eoſque ad illud bellum accenderet.

Plures aliæ Indulgentiæ per ſubſequentes Pontifices conceſſæ ſunt, uti Alexandrum III. Bonif. VIII. Clem. VI. & alios uſque in hodiernum diem. Ex quibus omnibus patet uſum Indulgentiarum non eſſe recentem neque exortum, ut calumniantur Novatores, à quadringentis annis, ſed extitiſſe à temporibus etiam Apoſtolorum, & per ſingula ſæcula ad nos uſque perſeveraſſe.

Indulgentiæ non fuerunt ſemper æquè liberaliter conceſſæ.

Verum quidem eſt, non ſemper æquè liberalem fuiſſe earum profuſionem, ut aliquot retrò ſæculis; cujus ratio eſt, quia extremis his temporibus valdè ſe remiſit antiquus devotionis fervor, & charitate refrigeſcente, cœptum eſt abhorreri ab illa pœnitentiæ aſperitate, cui ſe olim fideles ultrò addicebant, ut proinde conſultò cœperit Eccleſia apertè liberaliùs theſaurum Indulgentiarum, ut hâc benignitate allecti ſtudium Religionis Chriſtianæ, & ſuam ſalutem homines non negligerent, dum ſpe Indulgentiarum excitantur ad Sacramentorum frequentationem, ad viſitanda Apoſtolorum limina, ad honorem ſacris Reliquiis impendendum, ad hæreſes deteſtandas, ad preces pro refrigerio defunctorum fundendas, &c.

Cur modò ſint copioſiores.

I. Ediſſere mihi penes quem ſit in Eccleſia poteſtas conferendi Indulgentias?

R. Papa habet plenitudinem poteſtatis jure divino conferendi quantamcumque Indulgentiam pro prudenti ſuo arbitrio. Concilium generale habet poteſtatem concedendi Indulgentiam plenariam; Eſt enim ejus ſub Pontifice ſumma in univerſam Eccleſiam auctoritas.

Conferre Indulgentias quibus competit.

Similiter Epiſcopi habent jure divino poteſtatem conferendi Indulgentiam in

ſuis

Digitized by Google

ſuis Diœceſibus, quamquam reſtrictam illam, & determinatam, prout ſummis Eccleſiæ Moderatoribus placuerit.

I. Quotuplices ſunt Indulgentiæ?

Indulgentia Plenaria. R. Aliæ ſunt plenariæ ſive pleniſſimæ, aut per modum Jubilæi, ſive in Jubilæo conceſſæ, quæ quidem quoad ſubſtantiam omnes idem ſunt, & per illas remittitur omnis pœna quæ ſecundùm Dei judicium in Purgatorio erat exſolvenda; *Alia non plenaria.* aliæ ſunt non plenæ, certorum videlicet dierum vel annorum, per quas aliqua tantum pars ejuſmodi pœnæ relaxatur.

I. Quomodò dicis quòd Indulgentiæ plenariæ idem ſint, & tantùm valeant quoad ſubſtantiam, quantùm illæ quæ per modum Jubilæi, vel in Jubilæo conferuntur; cùm ſoleant fideles maximi ſemper facere Jubilæum?

Jubilæum. R. Verum eſt quod Jubilæum quantùm ad remiſſionem, ſive pœnarum relaxationem tanti, & non pluris valeat quanti plenaria, ſive pleniſſima Indulgentia; conceduntur nihilominùs in illo aliqui alii favores & gratiæ, quæ non ſolent concedi in ordinaria Plenaria Indulgentia, *Soles Jubilæum à fidelibus magni æſtimari & meritò.* ob quas fideles meritò Jubilæum præ cæteris Indulgentiis magni æſtimant. Tales ſunt, facultates eligendi Confeſſarium, qui ab omnibus etiam graviſſimis delictis, & exceſſibus quantumvis aliàs reſervatis, & cenſurà notatis abſolvere, nec non vota commutare poſſit. Adde Sanctiſſimo Domino ſemper cauſas quaſdam publicas, eaſque graviſſimas ſuppetere pro Jubilæo.

I. Quid intelligit ſummus Pontifex quando confert v.g. Indulgentiam mille annorum, & ſex aut ſeptem quadragenarum?

R. Per hoc intelligit Pontifex fidelibus tantum pœnæ ex Chriſti, & Sanctorum meritis, & ſatisfactionibus relaxare, quantum olim relaxatum fuiſſet iis, qui tanto tempore v.g. centum vel mille annorum pœnitentiàs à Canonibus taxatas ſubiiſſent, *& tot quadragenas*, id eſt, toties quadraginta dierum, quibus ex dictorum Canonum præſcripto auſteriorem pœnitentiam v.g. jejunando in pane, & aqua feciſſent, & tantam iſtâ ratione pœnarum remiſſionem promeruiſſent.

I. Quis è Pontificibus primus mandavit Jubilæum celebrari?

R. Bonifacius VIII. anno Domini 1295. indixit Jubilæum in annum 1400. *in Extrav. com. c. antiquorum.* Sed Clemens VI. attendens quòd plerique hominum ætatem illam non attingerent, reduxit ad annum 50. & celebratum eſt anno 1350. *c. unigenitus.* Tandem Paulus II. ad 25. *Extrav. etſi Dominici*; quam reductionem, & abbreviationem Sixtus IV. confirmavit, & approbavit. *Quemadmodum.* *Jubilæum quando & per quos Pontifices celebrari mandatum.*

LECTIO DUODECIMA.

I. Eſtne differentia aliqua inter Indulgentias vivis aut defunctis conceſſas.

R. Ita.

I. Quæ illa?

R. Nimirum confertur vivis Indulgentia *per modum abſolutionis* ſummo Pontifice judiciariam poteſtatem vi clavium acceptam exercente: defunctis verò applicatur non per modum abſolutionis, (quia, uti diximus, collatio ejuſmodi ſupponit judiciariam in conferente poteſtatem, quæ nulla eſt in terris reſpectu defunctorum) ſed *per modum ſolutionis*, vel, ut communiùs loquuntur, *per modum ſuffragii.* *C. Legatur 24 q. 2.* Per modum ſuffragii idem eſt, ac tanquam opus ſuffragatorium ſeu opitulatorium. Id fit quando Pontifex ex theſaurò pro defunctis ſufficientem ſatisfactionem Deo offert pro pœnis debitis in Purgatorio. Satisfactiones enim Chriſti, & Sanctorum applicantur defunctis tanquam ea quibus poſſumus illis opitulari. *Innoc in c. Quod autem. n. 7. de pœnit. & remiſſ. Navar. Comment. de Indulg. not. 22. n. 5. & 7. 8. Thom. in 4. di-* *Indulgentia pro defunctis.*

Digitized by Google

ſtinc. 45. qu. 2. art. 3. S. Bonav. d. 20. p. 2. a. 1. q. 5. Durand. ibid. q. 4. Suar. diſp. 53. ſect. 2. n. 4.

I. Declara hoc paulò ampliùs?

R. Vivorum ſuffragiis, orationibus, ſacrificiis defunctos juvari poſſe certum eſt ex Scriptura luculentiſſimè. 2. Machab. 12. & aliis, quæ vivos pro defunctis oraſſe, jejunaſſe, Sacrificium obtuliſſe teſtantur. Definita eſt hæc doctrina in Concilio Trid. ſſ. 25. & Florent. in decret. unionis; & proinde merita & ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum iis proſunt & ſuffragantur, dummodò applicentur; idque vi *Communionis Sanctorum*, de qua nuper diximus. Poſſunt verò, imò debent ejuſmodi ſuffragia mortuis impendi, cùm eorum capaces ſint, & membra corporis noſtri indigentiſſima. *Vid. Aug. 20. de Civit. c. 9.*

I. Eſtne antiqua in Eccleſia conſuetudò, ut Indulgentiæ pro fidelibus defunctis concedantur?

R. Omninò, nam Paſchalis I. circa annum 912. & alii ipſum ſequentes Pontifices conceſſerunt pro defunctis Indulgentias; vide quæ lectione præcedenti de Joanne VIII. retulimus, quod in capella S. Mariæ liberatricis Romæ juxtà Capitolium habetur Altare Privilegiatum, in quo quiſquis celebrat, Sylveſtri I. Papæ conceſſione, animam unam è pœnis ignis Purgatorii liberat, de quo vetera monumenta, quæ inibi adhuc reperiuntur, & communis traditio luculentam fidem faciunt?

I. Illæ Indulgentiæ quæ pro defunctis conceduntur, certonè ſuum effectum obtinent; ut illas infallibiliter animas adjuvent, in quarum gratiam impenduntur?

R. Ita: nullus iis poteſt error ſubeſſe; nam merita, & ſatisfactiones Chriſti, quas applicat ſummus Pontifex in ſubſidium defunctorum, & pœnarum, quibus aſtringuntur, exſolutionem, valent ex condigno, ut loquuntur, id eſt eo modo, ut infallibilem conſequantur effectum, ſive liberationem animæ è Purgatorio.

I. Si pro cujuſpiam anima in particulari, v. g. pro anima Patris mei defuncti applicem Indulgentiam, certonè illà liberabitur?

R. Ita. Vide S. Aug. *l. de cura pro mortuis c. 4. & Bellarm. l. 1. c. ult. in fine.*

I. Eſtne conſultum, quòd demus operam lucrandis quamplurimis Indulgentiis?

Conſultum eſt bonam operam dare lucrandis Indulgentiis.

R. Ita conſultiſſimum; qui enim id agit dato fortè nomine confraternitati alicui, oſtendit ſe ſalutis ſuæ bonam curam habere.

Exemplum.

I. Habeſne exemplum aliquod, quo probes Indulgentiarum uſum compendioſam eſſe ad ſalutem viam?

R. Ita S. Brigita mandatum à Deo accepit peregrinandi Romam, ubi olim Martyrum cruore plateæ defluxerant, eamque aſſerebat planam, & brevem eſſe ad cœlum viam.

Sur. to. 4. S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 11.

I. Quibus ſimiles ſunt, qui occaſiones lucrifaciendarum Indulgentiarum prætermittunt?

R. Similes illis ſunt, qui debita ſua cùm poſſint facilè diſſolvere ex ærario Regis aperto, & in conſpectu poſito, id negligunt.

I. Qui ſic?

R. Quia dum lucramur Indulgentias, diſſolvimus pœnas, quibus per peccatum obnoxii eramus, ex publico Eccleſiæ ærario ſive theſauro, uti ſuprà oſtendimus.

I. Stultitia igitur magna foret ejuſmodi occaſiones permittere elabi?

R. Planè, nam ſi in hoc ſæculo per modiciſſimam pœnitentiam, quæ in exercitio operis boni in Indulgentiis præſcripti invenitur, ſatisfacere pro peccatis non ſatagimus, graviſſima nobis erit ſubeunda pœna in Purgatoriis flammis.

I. Quæ potiſſimùm Indulgentiæ æſtimari, & in magno pretio haberi debent?

R. Illæ

Digitized by Google

R. Illæ quæ plenariæ dicuntur; potiſſimùm autem quæ in Jubilæo dantur? idque ob rationes præcedenti lectione notatas.

Indulgentia de Portiuncula. Chron. Minor. l. 2. c. 1. 2. 3. S. Antonin. 3 p. tit. 24. c. 7. §. 4. Spec. vit. S. Franc. c. 88. & ſeqq.

I. Audivi datam olim Sancto Franciſco Indulgentiam Plenariam ab ipſomet Domino Deo, hoc ego maximè miror?

R. Res ſic ſe habet. Anno Domini 1223 menſe Januario cùm B. Franciſcus oraret noctu in ſuo tuguriolo vicino capellæ Dominæ noſtræ Angelorum ſive de Portiuncula, divinitùs admonitus fuit, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cum ſanctiſſima ejus Matre, nec non Angelorum cœtu maximo in Eccleſiam adventaſſe; ſurrexit ille nullâ interpoſitâ morâ, templum adiit, ubi magnâ animi corporiſque demiſſione divinam Majeſtatatem in throno ſedentem pronus adoravit. Chriſtus Dominus eum benignè affatus: pete tibi, ait, Franciſce, aliquid à nobis donari & quod hominum ſaluti utile, & proficuum ſit futurum. B. Franciſcus à piiſſima miſericordiæ Matre, cui ſe commendaverat, adjutus petiit omni cum humilitate condonationem, ſive Indulgentiam peccatorum impertiendam omnibus qui iſtam Eccleſiam contriti, & confeſſi ſubirent. Annuit Dominus, mandavitque ut Vicarium ſuum ea de cauſa adiret, à quo Indulgentiam hujuſcemodi impetraret.

Mane facto Franciſcus cum F. Maſſæo Peruſium, ubi per id tempus agebat ſummus Pontifex Honorius III. profectus eſt, adventûs ſui causâ declaratâ, expoſitiſque divinis mandatis, humillimè rogavit; ne quod Chriſto Domino placuerat, ejus Vicario diſpliceret. Summus Pontifex rem difficilem poſtulari ratus, nonnullas in contrarium rationes oppoſuit, idemque fecere, qui ei à conſiliis adſtabant Cardinales. Videbatur eis Indulgentia largior, liberalior, & non juxta ſtylum Curiæ. Addebant fore, ut occaſione talis Indulgentiæ, raræ deinceps fierent peregrinationes in ſanctam Civitatem Jeruſalem, & ad Apoſtolorum limina. Tandem intelligens Pontifex eam eſſe Domini voluntatem, conceſſit ei Indulgentiam Plenariam poſtrid. Cal. Sextiles, quæ eſt anniverſaria iſtius Eccleſiæ Dedicationis dies, lucrandam omnibus qui ad eum locum à primis Veſperis ejuſmodi diei uſque ad occaſum Solis confeſſi acceſſiſſent.

Pontifex concedit Indulgentiam Plenariam pro die anniverſaria Dedicationis Eccleſiæ de Portiuncula quæ eſt 2. dies Auguſti.

I. Miror vehementer, quòd Dominus Deus ad Vicarium ſuum remittit?

R. Hoc ideò facit, ut ejus poteſtatem teſtatiorem faciat, indicetque, quòd in hac materia Indulgentiarum ipſe Pontifex fecerit, ratum id & firmum fore. Unde noli ampliùs mirari quod dixi ſuprà, omnes Indulgentias Plenarias quoad ſubſtantiam pares eſſe, ſive quidem illæ immediatè à Deo, ſive ab ejus Vicario ſummo Pontifice datæ ſint. Quamquam inficiari non poſſim, in hac Indulgentia de Portiunculâ, notatu digna quædam inveniri, quæ etſi Indulgentiam in ſe non augeant, at certè devotionem fidelium plurimùm excitent.

I. Quænam diſpoſitio requiritur in eo qui intendit lucrari Indulgentiam?

Diſpoſitio ejus qui intendit lucrari Indulgentiam.

R. Requiritur, ut ſit in gratia, & adimpleat quæ per Bullam Indulgentiarum præſcribuntur.

I. Quomodò dicis quod debeat eſſe in gratia, id eſt, abſque peccato qui lucrari vult Indulgentiam, cùm ipſamet Indulgentia ſit remiſſio peccati?

R. Jam antè ſæpiùs docui Indulgentiam non eſſe culpæ condonativam, ſed reſtantis pœnæ remiſſivam.

CONTROVERSIA HÆRETICORUM.

De Indulgentiis.

I. DIcunt Hæretici Indulgentias non aliud eſſe, quàm Pontificum frau-

Digitized by Google

animæ illæ, dum adhuc in hoc ſæculo verſarentur iiſque ſunt oblectatæ; ita par eſt, ut per eas puniantur, juxta illud Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

I. Quo in ſtatu ſunt animæ in Purgatorio, & quid ibi rerum agunt?

Qualiter ſe habeant animæ in Purgatorio.

R. Animæ in Purgatorio ſunt in charitate, amant & laudant Deum, & patienter ferunt ſupplicia. Vid. c. 5. Apoc. ſup. alleg. & S. Aug. 21. Civit. c. 26. Virtutes enim in anima ſeparata non poſſunt eſſe otioſæ cùm nihil habeant impedimenti, & naturâ ſuâ propendeant in ſuas actiones, tormẽta verò non impediunt niſi turbando organa corporea, quæ ibi non ſunt. Undè etiam in inferno perfectè utuntur ratione. Uti colligitur ex Luc. 16.

I. Suntne animæ in Purgatorio certæ de ſua ſalute?

Eccl. 11. *Sunt ibi certæ de ſua ſalute.*

R. Sunt. Nam ſtatim poſt mortem recipiunt ſuam ſententiam. *In fine hominis denudatio operum illius.* Hæ autem vident ſe non eſſe damnatos, igitur, cognoſcunt ſe non hebere culpam lethalem, ac ſciunt eum qui non habet culpam mortalem vel originalem poſt hanc vitam, non poſſe damnari. Undè in Canone Eccleſia dicit eas *dormire in ſomno pacis, & quieſcere in Chriſto*; id eſt, frui ſecuritate, & ſolatio, quod habent ex certitudine ſuæ ſalutis. Vide Gabr. in Can. Lect. 56.

I. Poſſuntne ibi animæ mereri, aut demereri?

Etiam impeccabiles. *Sap. 3.*

R. Non, quia ſunt in termino, & ſub Dei protectione; undè de illis dictum eſt: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Vid. Aug. de Prædeſt. Sanctorum c. 14. Etſi igitur animæ illæ quia Deum non vident, non amant neceſſariò quoad exercitium actûs, & proindè ab intrinſeco non ſint impeccabiles ſicut beati; habent tamen ab extrinſeco, ut non poſſint peccare, ſcilicet à protectione Divina, ut ſuprà proximè.

LECTIO DECIMA-QUARTA.

De Suffragiis animarum Purgatorii.

I. POſſuntne vivorum ſuffragiis animæ poſt mortem adjuvari?

R. Ita, animæ in Purgatorio adjuvantur oratione, eleëmoſynis, jejuniis, peregrinationibus & quibuslibet operibus pœnalibus, & ſatisfactoriis; Indulgentiis etiam, & maximè ſacratiſſimo Miſſæ Sacrificio; uti jam ſuprà hoc eodem capite quando *de Communione Sanctorum.*

Animæ in Purgatorio vivorum ſuffragiis adjuvantur.

I. Eſtne hoc omninò certum?

R. Certiſſimum. Vide quid in hac materia egerit ſtrenuiſſimus Dux Judas Machabæus, qui multâ ſollicitudine & devotione obtulit Deo non ſolùm preces, ſed etiam ſacrificia pro defunctorum militum ſalute, mittens in hanc rem duodecim millia drachmas argenti Jeroſolymam, ubi quoque videre licet: *quod ſancta ſit, & ſalubris cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* 2. Macha. 12.

Verùm ſi hæc antiqua tibi videntur, ſuccurrit etiam iſtis traditio quæ ab initio Eccleſiæ non ſolùm id docuit, ſed facto ipſo obſervavit, ſicut ab Apoſtolis acceperat, Miſſæ Sacrificium pro animabus fidelium defunctorum offerendo. Et, ſi adhuc ampliorem hujus antiquiſſimæ traditionis cautionem exigis, præter ea quæ ob oculos ſunt, ſcilicet ſepulturæ, exequiæ, Sacrificia, Miſſæ anniverſariæ, cantus funerales, qui in Eccleſia pro defunctis fiunt; Vide Concilia, & in iis communem Patrum, & Eccleſiæ Doctorum ſenſum, & conſenſum; in Concil. Carthag. IV. can. 79. & 95. in Concil. Tolet. 11. n 12. Tribur. can. 31. Braccar. 1. can. 34. Florent. & Trident. jam alleg. Prætereà vide Cypr. ep. 52. & 66. Orig. Homin. 12. ſupr. Jerem. S. Dionyſ. Hierarch. Eccl. c. 7. S. Clem. epiſt. 1. & Conſtitut. Apoſtol c. 30. Tertull. de

Digitized by Google

de corona mil. S. Auguſt. pluribus in locis. Chryſoſt. hom. 3. in ep. ad Philip. & alibi.

I. Affer mihi, ſi placet unum, atque alterum ſanctorum Patrum ad hanc rem teſtimonium.

Lib. de cura pro mortuis gerenda c. 1.

R. Fecero libenter. *In Machabaeorum libris legimus* (inquit Auguſtinus) *oblatum pro mortuis Sacrificium: ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva eſt univerſa Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Et alibi: *neque negandum eſt*, inquit ſanctus

In Enchir. ad Laurent. c. 110

Doctor, *defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed iis hæc proſunt, qui cùm viverent, ut hæc ſibi poſteà prodeſſe poſſent, meruerunt.*

Lib. de verb. Apoſt. ſer. 34. vel ſecundum alios 32.

Pulcherrimum eſt, quod ex eodem ſubjicio: *Pompa funeris, agmina exequiarum ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio, vivorum ſunt qualiacumque ſolatia non adjuteria mortuorum. Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleëmoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cũ eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis qui in Corporis, & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendatorũ cauſa opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis, ſed talibus, &c.*

L. 1. ep. 9.

Accedit ſanctus Cyprianus: *Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes, & ſalubriter providentes conſuerunt, ne quis Frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac ſi quis feciſſet, non hoc offerretur pro eo; nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & miniſtros voluit avocare.* Vide eundem l. 4. epiſt. 2. Sexcenta ſunt ejuſmodi teſtimonia, quæ volens omitto.

I. Sed quis conſuetudinem illam ſive traditionem in univerſa Eccleſia (uti audivimus) receptam primum evexit?

R. Indubiè ipſi Apoſtoli, teſtatur hoc S. Joannes Chryſoſtomus *Non fruſtrà ab Apoſtolis ſancitum eſt, ut in celebratione venerandorum myſteriorum memoria fiat eorum qui hinc diſceſſerunt.* Ejuſdem Apoſtolicæ traditionis teſtes irrefragibiles ſunt S. Clem. l. 6. Conſtitut. Apoſtol. c. cap. 30 & epiſtol. 1. ad. Jacob Fratrem Domini. Dionyſ. Areopag. l. de Eccl. Hierarch. cap. 7. Iſidor. l. 1. de offic. Eccl. c. 18. *Sacrificium*, inquit, *pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum hunc orbem cuſtoditur, credimus quod ab ipſis Apoſtolis traditum ſit.* Idem totidem verbis Rabanus Maurus l. 2. de Inſtit. Cleric. c. 44.

Hom. 3. in ep. ad Philip.

I. Habeſne exemplum alicujus Sancti, qui adhuc in vivis exiſtens rogarit pro ſe Miſſam celebrari dum ex hac luce emigraſſe contigiſſet?

R. Ita, præclarum eſt exemplum ſanctæ Monicæ Matris Sancti Auguſtini, de qua ita ſcribit ipſe ſanctus Eccleſiæ Doctor: *Cùm ægrotaret, quodam die defectum animæ paſſa eſt, & paululùm ſubtracta à præſentibus. Nos concurrimus, ſed citò reddita eſt ſenſui, & aſpexit aſtantes, me, & Fratrem meum, & ait nobis quaſi conquærenti ſimilis: ubi eram? Deinde nos intuens mærore attonitos: ponetis hic, inquit, Matrem veſtram. Ego ſilebam, & fletum frænabam. Frater autem meus quiddam locutus eſt, quo eam non peregrè, ſed in patria defungi tanquam feliciùs optaret. Quo audita illa*

Aug. lib. 6. Confeſſ. c. 11.

Exempla.

Digitized by Google

Exempla. S. Greg. in vit. S. Bened. l. 2. Dial. c. 23.

populo audita eſt vox clara, & perceptibilis ab omnibus qui aderant, gratias agentis, & dicentis, nunc cœlum illi parere. Ex publicis Actis ipſius Diœceſis Ruthenenſis. *Viguerius de Sacramento Ordinis v. 16.*

Quædam fœminæ, ut ajunt, moniales nimis effræni linguâ religioſum quemdam virum ſæpiùs vellicabant. Quocircà S. Benedictus hæc de illis audiens, eis protinùs mandavit dicens: corrigite linguam veſtram, alioquin excommunico vos. Illæ nihil meliores factæ, intra paucos dies defunctæ ſunt, atque in ædibus ſacris ſepultæ. Cumque in iiſdem Miſſarum ſolemnia celebrarentur, & Diaconus ex more clamaret: *Si quis non communicat det locum*; nutrix earum, quæ pro eis oblationem offerre conſueverat, eas de ſepulchris ſuis progredi, & exire videbat: quod dum ſæpiùs cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Eccleſiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis viventibus mandavit. Eas quippè ſe communione privare dixerat, niſi mores ſuos, & verba corrigerent. Tunc ſervo Dei eum magno mœrore indicatum eſt; qui manu ſuâ protinùs oblationem dedit, dicens: Ite, & ulteriùs excommunicatæ non erunt; quæ oblatio dum fuiſſet pro eis immolata, & à Diacono juxta morem clamatum, ut non communicantes ab Eccleſia exirent, illæ exire ab Eccleſia ulteriùs viſæ non ſunt.

LECTIO UNDECIMA.

De Indulgentiis.

I. Quid ſunt Indulgentiæ?

R. Id hoc modo declarant Theologi. Eſt in Eccleſia theſaurus quidam, primariò, & principaliter ex Chriſti meritis, & ſatisfactionibus conflatus; ſecundariò ex meritis, & ſatisfactionibus Sanctorum. Concedere igitur Indulgentiam, nihil eſt aliud quàm remittere pœnam temporalem, ob culpam actualem remiſſam, Deo debitam, auctoritate Eccleſiaſticâ, extra Sacramentum, per applicationem meritorum, & ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, quæ in dicto Eccleſiæ theſauro reconditæ ſunt.

Extrav. Unigenitus de pœn. & remiſſ. & Bulla Leo. damnationis articulorum Lutheri.

I. Maximus ſit oportet hic theſaurus, quandoquidem non ceſſent in dies ſummi Pontifices plenarias omnium peccatorum Indulgentias fidelibus elargiri?

R. Planè ita eſt, nam Chriſti merita, & ſatisfactiones ſufficiunt pro peccatis totius mundi, tam ſecundùm pœnam, quàm ſecundùm culpam, modò applicentur; ſi enim omnes crederent, & baptizarentur, Chriſti ſatisfactio applicata per Baptiſmum tolleret omne debitum omnium pœnarum. Adeò quod ſola Chriſti (qui eſt perſona in omni genere perfectionis infinita) merita, & ſatisfactiones conſtituunt theſaurum undequaque maximum, & nullâ ratione exhauribilem. Ex Sanctorum verò ſatisfactionibus, non modica fit ad hunc theſaurum acceſſio, magno etiam Eccleſiæ commodo; nam etſi opera Sanctorum quoad vim meritoriam ſint plenè remunerata per gloriam æternam, non tamen quoad ſatisfactoriam; quia non omnes Sancti debebant tantùm pœnarum quantùm perſolverunt. Quis enim credat Beatiſſimam Virginem, quæ nunquam peccavit; B. Joannem Baptiſtam qui ſanctiſſimè vixit: Apoſtolos, Martyres, alioſque ſine numero, qui graviſſima perpeſſi ſunt, omnem ſuam afflictionem ex debito ſubiiſſe? huc pertinet quod de ſeipſo Job dicebat: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in ſtatera. Quaſi arena maris hæc gravior appareret.* Et iſte cumulus ad Chriſti Domini ſatisfactiones, & merita appoſitus congerit theſaurum, quem diximus Eccleſiæ. Hoc eſt, quod aliquando dixit Origenes: *Sanctorum etiam ſanguis effuſus eſt ad expianda peccata populi*; ut poſſint ſecundùm

Theſaurus Eccleſia unde Indulgentiæ deſumuntur, eſt maximus & inexhauſtus.

Job c. 6.

Sancti etiam redempto-

Digitized by Google

res noſtri, quo ſenſu?

dùm debitum pœnæ temporalis, idque ſub Chriſto, dici noſtri redemptores; ſicut eleemoſynis & aliis bonis operibus dicuntur redimi peccata: nam hanc virtutem acceperunt ex gratia Chriſti, quæ merito Paſſionis ejus illis collata eſt; undè ubique cenſetur is cauſa principalis.

In ſola Eccleſia Romana invenitur poteſtas conferendi indulgentias.

I. Ubinam invenitur poteſtas diſpenſandi hunc theſaurum?

R. Non alibi quàm in Eccleſia, quandoquidem Indulgentiæ uti præmiſſum eſt, fundentur in *Communione Sanctorum*, quæ nullibi extra Eccleſiam reperitur.

I. Qualiter hoc intelligis, in Eccleſia poteſtatem eſſe erogandi hunc theſaurum, ſive concedendi Indulgentias?

R. Quia in omni Republica eſt poteſtas diſpenſandi bona communia; cùm igitur Chriſtus reliquerit Eccleſiæ poteſtatem diſpenſandi ſua merita ad remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ per Sacramenta, idque in ſuos inimicos, & peccatores; cur non multò magis reliquit eidem Eccleſiæ poteſtatem diſpenſandi ſuas ſatisfactiones, idque in ſuos filios, & viva membra pro remiſſione pœnæ temporalis?

I. Fundaturne hæc doctrina in Scripturis?

R. Ita, Maximè. Dicit enim Chriſtus Dominus Apoſtolis, & in ipſis, omnibus Eccleſiæ Prælatis: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*; Et: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Propriè enim etiam dicitur quis ſolvi, & peccata ei remitti, quando à debito pœnæ temporalis abſolvitur; nam nomine remiſſionis peccatorum in Scripturis non ſolùm ſignificatur remiſſio culpæ, ſed etiam pœnæ temporalis. Et verò quid ſibi vult aliud quod dicit David: *Amplius lava me Domine ab iniquitate mea*; His adde, quod Prælati Eccleſiæ in perſona Petri acceperunt claves regni cœlorum ad illud aperiendum, id eſt, ad tollenda impedimenta ingreſſus in illud; quale etiam eſt obligatio pœnæ, cujus peccator, remiſſâ culpâ, debitor manet.

Matt. 18.
Joan. 20.
Pſ. 50.
Matt. 16.

I. Verùm, ſemper mihi perſuaſi per claves à Chriſto Domino Prælatis Eccleſiæ traditas, ſignificari & dari poteſtatem abſolvendi à culpa in foro pœnitentiali?

R. Hoc verùm eſt, ſed & aliquid amplius. Nam pœnâ æternâ plerumque non remiſſâ in totum, ſed commutatâ in temporalem, hæc adhuc impedit quominùs liberè poſſimus in cœlum ingredi, donec integrè eidem ſatisfactum fuerit; & hoc eſt unum ex impedimentis, quæ Prælati removent vi clavium ad patefaciendum nobis regnum cœlorum.

I. Valdè benè; ſed quomodo iſta fiunt extra Sacramentum?

R. Intelligo, quod reſcire cupis, eſt, qui fiat quod culpa æquè, ut pœna non remittatur etiam abſque Sacramento? Ideò, quia conditio culpæ eſt, ut nequeat remitti ſine interna aliqua renovatione, (cùm ſit deformitas quædam, & macula animæ inhærens) quam Miniſter Eccleſiæ ex Chriſti inſtitutione facere non poteſt niſi mediante Sacramento; pœna autem, ut tollatur non poſtulat ullam internam mutationem, ſed fit per condonationem extrinſecam, puta, per Indulgentias, quas Eccleſiæ Prælati nobis erogant.

Apoſtoli contulerunt Indulgentias.

I. Apoſtoli contuleruntne Indulgentias?

R. Ita; Quid enim aliud vult Paulus, dicens: *Cui aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi aliquid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Quo loco Apoſtolus abſolvit Corinthium fornicarium ab excommunicatione, & ſimul donat ei Indulgentiam plenariam illius inceſtûs, ſcilicet, remiſſionem omnis pœnæ ei debitæ; idque *in perſona Chriſti*, id eſt, vice, & auctoritate Chriſti.

2. Cor. *Ambr. Theod. S.Tho. Primaſ. Oecumen.*

Indulgentiarum uſus in Eccleſia

I. Eſtne Indulgentiarum uſus antiquus in Eccleſia?

R. Ita antiquiſſimus, uti patet hic ex facto Pauli; & ex antiqua conſuetudine, de qua Tertul. ad Mart. l. 1. & Cypr. ep. 11. 21. & 22. quæ talis erat: Lapſi in perſe-

Digitized by Google

antiquiſſimus.

cutione, quibus gravis, & longa pœnitentia ob Apoſtaſiam, & ſimilia graviora delicta agenda erat, adibant Martyres, & Confeſſores qui pro fide Chriſti multa erant perpeſſi, vel adhuc in vinculis detinebantur, ut ab eis impetrarent litteras ad Epiſcopos, quibus in gratiam Martyrum condonarent illis pœnas graves, & longas injunctas. Vid. Baron an. 253 n X. & XII & Conc. Nic. c. 11. & 12. ubi permittitur Epiſcopis humanius agere, circa eos, qui aliquod tempus ferventer pœnitendo expleverint.

S. Sylveſter dedicavit Romæ Capellam ſive Eccleſiam S. Crucis in Jeruſalem, quam exornavit maximis reliquiis, & Indulgentiis. Greg. de Valent. tom. 4. diſ. 7. q. 20. de Indulg. punct. 2.

Leo Papa III. anno Domini 803. veniens in Gallias, & Germaniam in comitatu Caroli Magni, plurimas ubique elargitus Indulgentias, Eccleſias, & altaria conſecrabat, uti ex litteris S. Lutgeri primi Epiſcopi Monaſterienſis, apud Sur. 2. Mart. in appendice vitæ S. Swiberti c. 9.

Sergius II. circa annum Domini 844. poſtquam reſtauraſſet Eccleſiam S. Sylveſtri, & Martini, in ea Reliquias inſignes collocavit conceſſis Indulgentiis, uti etiamnum apparet ex marmore ibidem inciſo; Indulgentiæ illæ ſunt trium annorum, & trium quadragenarum, ſtatis diebus Eccleſiam illam devotè viſitaturis conceſſæ. *Bellarm. l. 1. de Indulg. c. 3.*

Joannes VIII. anno 878. litteras dedit ad Epiſcopos, qui ſub dominio Ludovici Francorum Regis agebant, conferendo eis Indulgentiam in omnes qui jam deceſſiſſent, aut deceſſuri eſſent in defenſione Eccleſiæ.

Urbanus II. Pontifex Romanus in Conc. Claramontano plenariam conceſſit Indulgentiam omnibus cruce ſignatis, qui adversùs infideles Orientales arma ſumebant ad recuperandam terram ſanctam, circa annum 1095.

Eugenius III. quoque qui Pontificatum geſſit anno 1145. per litteras generales conceſſit eandem crucem accipientibus, & proficiſcentibus ad bellum iſtud ſacrum Indulgentias plenarias, injunxitque S. Bernardo ut eas populis prædicaret, eoſque ad illud bellum accenderet.

Plures aliæ Indulgentiæ per ſubſequentes Pontifices conceſſæ ſunt, uti Alexandrum III. Bonif. VIII. Clem. VI. & alios uſque in hodiernum diem. Ex quibus omnibus patet uſum Indulgentiarum non eſſe recentem neque exortum, ut calumniantur Novatores, à quadringentis annis, ſed extitiſſe à temporibus etiam Apoſtolorum, & per ſingula ſæcula ad nos uſque perſeveraſſe.

Verum quidem eſt, non ſemper æquè liberalem fuiſſe earum profuſionem, ut aliquot retrò ſæculis; cujus ratio eſt, quia extremis his temporibus valdè ſe remiſit antiquus devotionis fervor, & charitate refrigeſcente, cœptum eſt abhorreri ab illa pœnitentiæ aſperitate, cui ſe olim fideles ultrò addicebant, ut proinde conſultò cœperit Eccleſia aperire liberaliùs theſaurum Indulgentiarum, ut hâc benignitate allecti ſtudium Religionis Chriſtianæ, & ſuam ſalutem homines non negligerent, dum ſpe Indulgentiarum excitantur ad Sacramentorum frequentationem, ad viſitanda Apoſtolorum limina, ad honorem ſacris Reliquiis impendendum, ad hæreſes deteſtandas, ad preces pro refrigerio defunctorum fundendas, &c.

Indulgentiæ non fuerunt ſemper æquè liberaliter conceſſa.

Cur modò ſint copioſiores.

I. Ediſſere mihi penes quem ſit in Eccleſia poteſtas conferendi Indulgentias?

R. Papa habet plenitudinem poteſtatis jure divino conferendi quantamcumque Indulgentiam pro prudenti ſuo arbitrio. Concilium generale habet poteſtatem concedendi Indulgentiam plenariam; Eſt enim ejus ſub Pontifice ſumma in univerſam Eccleſiam auctoritas.

Conferre Indulgentias quibus competit.

Similiter Epiſcopi habent jure divino poteſtatem conferendi Indulgentiam in

ſuis

Digitized by Google

ſuis Diœceſibus, quamquam reſtrictam illam, & determinatam, prout ſummis Eccleſiæ Moderatoribus placuerit.

I. Quotuplices ſunt Indulgentiæ?

Indulgentia Plenaria.

R. Aliæ ſunt plenariæ ſive pleniſſimæ, aut per modum Jubilæi, ſive in Jubilæo conceſſæ, quæ quidem quoad ſubſtantiam omnes idem ſunt, & per illas remittitur omnis pœna quæ ſecundùm Dei judicium in Purgatorio erat exſolvenda; aliæ ſunt non plenæ, certorum videlicet dierum vel annorum, per quas aliqua tantum pars ejuſmodi pœnæ relaxatur,

Alia non plenaria.

I. Quomodò dicis quòd Indulgentiæ plenariæ idem ſint, & tantùm valeant quoad ſubſtantiam, quantùm illæ quæ per modum Jubilæi, vel in Jubilæo conferuntur; cùm ſoleant fideles maximi ſemper facere Jubilæum?

Jubilæum.

R. Verum eſt quod Jubilæum quantùm ad remiſſionem, ſive pœnarum relaxationem tanti, & non pluris valeat quanti plenaria, ſive pleniſſima Indulgentia; conceduntur nihilominùs in illo aliqui alii favores & gratiæ, quæ non ſolent concedi in ordinaria Plenaria Indulgentia, ob quas fideles meritò Jubilæum præ cæteris Indulgentiis magni æſtimant. Tales ſunt, facultates eligendi Confeſſarium, qui ab omnibus etiam graviſſimis delictis, & exceſſibus quantumvis aliàs reſervatis, & cenſurâ notatis abſolvere, nec non vota commutare poſſit. Adde Sanctiſſimo Domino ſemper cauſas quaſdam publicas, eaſque graviſſimas ſuppetere pro Jubilæo,

Solet Jubilæum à fidelibus magni æſtimari & meritò.

I. Quid intelligit ſummus Pontifex quando confert v.g. Indulgentiam mille annorum, & ſex aut ſeptem quadragenarum?

R. Per hoc intelligit Pontifex fidelibus tantum pœnæ ex Chriſti, & Sanctorum meritis, & ſatisfactionibus relaxare, quantum olim relaxatum fuiſſet iis, qui tanto tempore v.g. centum vel mille annorum pœnitentias à Canonibus taxatas ſubiiſſent, *& tot quadragenas*, id eſt, toties quadraginta dierum, quibus ex dictorum Canonum præſcripto auſteriorem pœnitentiam v.g. jejunando in pane, & aqua feciſſent, & tantam iſtâ ratione pœnarum remiſſionem promeruiſſent.

I. Quis è Pontificibus primus mandavit Jubilæum celebrari?

R. Bonifacius VIII. anno Domini 1295. indixit Jubilæum in annum 1400. *in Extrav. com. c. antiquorum.* Sed Clemens VI. attendens quod plerique hominum ætatem illam non attingerent, reduxit ad annum 50. & celebratum eſt anno 1350. *c. unigenitus.* Tandem Paulus II. ad 25. *Extrav. etſi Dominici*; quam reductionem, & abbreviationem Sixtus IV. confirmavit, & approbavit. *Quemadmodum.*

Jubilæum quando & per quos Pontifices celebrari mandatum.

LECTIO DUODECIMA.

I. EStne differentia aliqua inter Indulgentias vivis aut defunctis conceſſas.

R. Ita.

I. Quæ illa?

R. Nimirum confertur vivis Indulgentia *per modum abſolutionis* ſummo Pontifice judiciariam poteſtatem vi clavium acceptam exercente: defunctis verò applicatur non per modum abſolutionis (quia, uti diximus, collatio ejuſmodi ſupponit judiciariam in conferente poteſtatem, quæ nulla eſt in terris reſpectu defunctorum) ſed *per modum ſolutionis*, vel, ut communiùs loquuntur, *per modum ſuffragii.* Per modum ſuffragii idem eſt, ac tanquam opus ſuffragatorium ſeu opitulatorium. Id fit quando Pontifex ex theſauro pro defunctis ſufficientem ſatisfactionem Deo offert pro pœnis debitis in Purgatorio. Satisfactiones enim Chriſti, & Sanctorum applicantur defunctis tanquam ea quibus poſſumus illis opitulari. *Innoc in c. Quod autem. n. 7. de pœnit. & remiſſ. Navar. Comment. de Indulg. not. 22. n. 5. & 7. S. Thom. in 4. di-ſtinc.*

C. Legatur 24 q. 2.

Indulgentia pro defunctis.

Digitized by Google

ſtinc. 45. qu. 2. art. 3. S. Bonav. d. 20. p. 2. a. 1. q. 5. Durand. ibid. q. 4. Suar. diſp. 53. ſect. 2. n. 4.

I. Declara hoc paulò ampliùs?

R. Vivorum ſuffragiis, orationibus, ſacrificiis defunctos juvari poſſe certum eſt ex Scriptura luculentiſſimè. 2. Machab. 12. & aliis, quæ vivos pro defunctis oraſſe, jejunaſſe, Sacrificium obtuliſſe teſtantur. Definita eſt hæc doctrina in Concilio Trid. ſſ. 25. & Florent. in decret. unionis; & proinde merita & ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum iis proſunt & ſuffragantur, dummodò applicentur; idque vi *Communionis Sanctorum*, de qua nuper diximus. Poſſunt verò, imò debent ejuſmodi ſuffragia mortuis impendi, cùm eorum capaces ſint, & membra corporis noſtri indigentiſſima. *Vid. Aug. 20. de Civit. c. 9.*

I. Eſtne antiqua in Eccleſia conſuetudò, ut Indulgentiæ pro fidelibus defunctis concedantur?

R. Omninò; nam Paſchalis I. circa annum 912. & alii ipſum ſequentes Pontifices conceſſerunt pro defunctis Indulgentias; vide quæ lectione præcedenti de Joanne VIII. retulimus, quod in capella S. Mariæ liberatricis Romæ juxtà Capitolium habetur Altare Privilegiatum, in quo quiſquis celebrat, Sylveſtri I. Papæ conceſſione, animam unam è pœnis ignis Purgatorii liberat, de quo vetera monumenta, quæ inibi adhuc reperiuntur, & communis traditio luculentam fidem faciunt.

I. Illæ Indulgentiæ quæ pro defunctis conceduntur, certonè ſuum effectum obtinent; ut illas infallibiliter animas adjuvent, in quarum gratiam impenduntur?

R. Ita: nullus iis poteſt error ſubeſſe; nam merita, & ſatisfactiones Chriſti, quas applicat ſummus Pontifex in ſubſidium defunctorum, & pœnarum, quibus aſtringuntur, exſolutionem, valent ex condigno, ut loquuntur, id eſt eo modo, ut infallibilem conſequantur effectum, ſive liberationem animæ è Purgatorio.

I. Si pro cujuſpiam anima in particulari, v. g. pro anima Patris mei defuncti applicem Indulgentiam, certonè illa liberabitur?

R. Ita. Vide S. Aug. *l. de cura pro mortuis c. 4. & Bellarm. l. 1. c. ult. in fine.*

I. Eſtne conſultum, quòd demus operam lucrandis quamplurimis Indulgentiis?

Conſultum eſt bonam operam dare lucrandis Indulgentiis.

R. Ita conſultiſſimum; qui enim id agit dato fortè nomine confraternitati alicui, oſtendit ſe ſalutis ſuæ bonam curam habere.

I. Habeſne exemplum aliquod, quo probes Indulgentiarum uſum compendioſam eſſe ad ſalutem viam?

Exemplum.

R. Ita S. Brigita mandatum à Deo accepit peregrinandi Romam, ubi olim Martyrum cruore plateæ defluxerant, eamque aſſerebat planam, & brevem eſſe ad cœlum viam.

I. Quibus ſimiles ſunt, qui occaſiones lucrifaciendarum Indulgentiarum prætermittunt?

Sur. to. 4. S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 11.

R. Similes illis ſunt, qui debita ſua cùm poſſint facilè diſſolvere ex ærario Regis aperto, & in conſpectu poſito, id negligunt.

I. Qui ſic?

R. Quia dum lucramur Indulgentias, diſſolvimus pœnas, quibus per peccatum obnoxii eramus, ex publico Eccleſiæ ærario ſive theſauro, uti ſuprà oſtendimus.

I. Stultitia igitur magna foret ejuſmodi occaſiones permittere elabi?

R. *Planè*, nam ſi in hoc ſæculo per modiciſſimam pœnitentiam, quæ in exercitio operis boni in Indulgentiis præſcripti invenitur, ſatisfacere pro peccatis non ſatagimus, graviſſima nobis erit ſubeunda pœna in Purgatoriis flammis.

I. Quæ potiſſimùm Indulgentiæ æſtimari, & in magno pretio haberi debent?

R. Illæ

Digitized by Google

R. Illæ quæ plenariæ dicuntur; potiſſimùm autem quæ in Jubilæo dantur? idque ob rationes præcedenti lectione notatas.

Indulgentia de Portiuncula. Chron. Minor. l. 2. c. 1. 2. 3. S. Antonin. 3 p. tit. 24. c. 7. §. 4. Spec. vit. S. Franc. c. 88. & ſeqq.

I. Audivi datam olim Sancto Franciſco Indulgentiam Plenariam ab ipſomet Domino Deo, hoc ego maximè miror?

R. Res ſic ſe habet. Anno Domini 1223. menſe Januario cùm B. Franciſcus oraret noctu in ſuo tuguriolo vicino capellæ Dominæ noſtræ Angelorum ſive de Portiuncula, divinitùs admonitus fuit, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cum ſanctiſſima ejus Matre, nec non Angelorum cœtu maximo in Eccleſiam adveniſſe; ſurrexit ille nullâ interpoſitâ morâ, templum adiit, ubi magnâ animi corporiſque demiſſione divinam Majeſtatem in throno ſedentem pronus adoravit. Chriſtus Dominus eum benignè affatus: pete tibi, ait, Franciſce, aliquid à nobis donari & quod hominum ſaluti utile, & proficuum ſit futurum. B. Franciſcus à piiſſima miſericordiæ Matre, cui ſe commendaverat, adjutus petiit omni cum humilitate condonationem, ſive Indulgentiam peccatorum impertiendam omnibus qui iſtam Eccleſiam contriti, & confeſſi ſubirent. Annuit Dominus, mandavitque ut Vicarium ſuum ea de cauſa adiret; à quo Indulgentiam hujuſcemodi impetraret.

Mane facto Franciſcus cum F. Maſſæo Peruſium, ubi per id tempus agebat ſummus Pontifex Honorius III. profectus eſt, adventûs ſui causâ declaratâ, expoſitiſque divinis mandatis, humillimè rogavit; ne quod Chriſto Domino placuerat, ejus Vicario diſpliceret. Summus Pontifex rem difficilem poſtulari ratus, nonnullas in contrarium rationes oppoſuit, idemque fecere, qui ei à conſiliis adſtabant Cardinales. Videbatur eis Indulgentia largior, liberalior, & non juxta ſtylum Curiæ. Addebant fore, ut occaſione talis Indulgentiæ, raræ deinceps fierent peregrinationes in ſanctam Civitatem Jeruſalem, & ad Apoſtolorum limina. Tandem intelligens Pontifex eam eſſe Domini voluntatem, conceſſit ei Indulgentiam Plenariam poſtrid. Cal. Sextiles, quæ eſt anniverſaria iſtius Eccleſiæ Dedicationis dies, lucrandam omnibus qui ad eum locum à primis Veſperis ejuſmodi diei juſque ad occaſum Solis confeſſi acceſſiſſent.

Pontifex concedit Indulgentiam Plenariam pro die anniverſaria Dedicationis Eccleſiæ de Portiuncula quæ eſt 2. dies Auguſti.

I. Miror vehementer, quòd Dominus Deus ad Vicarium ſuum remittit?

R. Hoc ideò facit, ut ejus poteſtatem teſtatiorem faciat, indicetque, quòd in hac materia Indulgentiarum ipſe Pontifex fecerit, ratum id & firmum fore. Unde noli ampliùs mirari quod dixi ſuprà, omnes Indulgentias Plenarias quoad ſubſtantiam pares eſſe, ſive quidem illæ immediatè à Deo, ſive ab ejus Vicario ſummo Pontifice datæ ſint. Quamquam inficiari non poſſim, in hac Indulgentia de Portiunculâ, notatu digna quædam inveniri, quæ etſi Indulgentiam in ſe non augeant, at certè devotionem fidelium plurimùm excitent.

I. Quænam diſpoſitio requiritur in eo qui intendit lucrari Indulgentiam?

Diſpoſitio ejus qui intendit lucrari Indulgentiam.

R. Requiritur, ut ſit in gratia, & adimpleat quæ per Bullam Indulgentiarum præſcribuntur.

I. Quomodò dicis quod debeat eſſe in gratia, id eſt, abſque peccato qui lucrari vult Indulgentiam; cùm ipſamet Indulgentiâ ſit remiſſio peccati?

R. Jam antè ſæpiùs docui Indulgentiam non eſſe culpæ condonativam, ſed reſtantis pœnæ remiſſivam.

CONTROVERSIA HÆRETICORUM.

De Indulgentiis.

I. Dicunt Hæretici Indulgentias non aliud eſſe, quàm Pontificum fraudes,

des, vivis & defunctis inutiles, dum Pontifices iſti plumbo, & membranæ gratiam JESU Chriſti includunt?

R. Reſpondeo & dico 1. eſſe poteſtatem in Eccleſia conferendi Indulgentias, ſive condonandi pœnas peccatorum extra Sacramentum. Satis id probavimus in lectione præcedenti, ubi etiam oſtendimus Indulgentiarum uſum eſſe in Eccleſia antiquiſſimum.

Reſpondeo igitur & dico 2. Indulgentiæ utiles ſunt vivis, & defunctis. Hoc quoque ſufficienter ſuprà proximè declaratum eſt. Repete, ſi placet, quæ dicta ſunt à nobis de *Communione Sanctorum.*

Solum hîc expungam objectionem vulgarem Hæreticorum, quæ talis eſt: *Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis?* ergò ſolus Chriſtus, non Paulus, non Apoſtoli, non Martyres, non ulli Sancti debitum peccatorum noſtrorum ſolverunt: Ergò Indulgentiæ Papiſtarum ſunt figmenta. 1. Cor. 1.

Reſpondeo, Chriſtus ut cumulatiſſimus Redemptor, (non Paulus, non alii Sancti) pro nobis eſt crucifixus, & ſatisfecit, tamen ea Chriſti ſatisfactio, ſuum etiam piorum ſatisfactioni relinquit locum, ſive pro ſe, ſive pro aliis: non propter inſufficientiam crucifixionis, & ſatisfactionum Chriſti, ſed ut per noſtram & ipſorum ſatisfactionem tanquam per medium quoddam, ſatisfactionis Chriſti fructus nobis applicetur. Hoc eſt quod ipſe S. Paulus clarè dicit Coloſſenſibus, ſcribens: *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia,* q. d. Patiendo in carne mea, adimpleo ea quæ deſunt paſſionibus quæ paſſus eſt Chriſtus in carne ſua. Ita Ambroſ. Chryſoſt. Theophylac. Oecumenius, Anſel. & alii paſſim. Quæ generalia Apoſtoli verba non malè DD. Catholici extendũt ad theſaurum Eccleſiæ, ex quo ipſa dare ſolet Indulgentias: hunc enim theſaurum voluit Deus conſtare meritis, & ſatisfactionibus non tantùm Chriſti, ſed & Apoſtolorum, omniumque Chriſti Sanctorum, uti definivit Clemens VI. Extravag. *Unigenitus* Idque fecit Deus duabus de cauſis; prima, ut hâc ratione Sanctos honoraret, dum eos adſciſcit in conſortium ſatisfactionis Chriſti, quâ Chriſtus pro aliis ſatisfecit; ſicut Rex honorat ſuos Duces dum eos Provinciis præficit, & in regni gubernandi conſortium admittit. Secunda, ut eſſet perfecta communicatio bonorum inter membra Eccleſiæ, id eſt inter nos, & Sanctos, ſicut eſt inter cives ejuſdem Reipublicæ, & inter Fratres ejuſdem familiæ. Sic enim Sancti propriè adimplent pro Eccleſia ea quæ deſunt, ſcilicet huic theſauro jam dicto, & conſequenter adimplent ea quæ deſunt paſſionibus Chriſti: quia ſine his, paſſiones Chriſti non complerent hunc theſaurum, prout à Deo inſtitutus eſt; nimirùm, ut non tantùm è Chriſti, ſed & aliorum Sanctorum paſſionibus, & ſatisfactionibus compleretur. Huic expoſitioni plurimùm favet Textus Græcus.

Duas ob cauſas voluit Deus etiam SS. ſatisfactionibus theſaurum Indulgentiarum conſtare.

LECTIO DECIMA-TERTIA.

De Purgatorio.

I. Eſtne aliquod Purgatorium? *V. ſ. 22. c. 2. de Sacrif. Miſſa.*

R. Planè. Id docet fides Catholica tanquam indubitatum. Definitum eſt in Concilio Tridentino ſ. 6. can. 3 & ſ. 25 init. & in Florent. ſ. ultimâ, ubi Græci teſtati ſunt ſe ſemper credidiſſe Purgatorium. Probant clarè iſtam veritatem Scripturæ: 2. Machab. 12. Matt. 12. 1. Cor. 3. Philip. 2. Apoc. 5. Vide Card. Bellarmin. in Controverſiis.

I. Quid eſt Purgatorium?

R. Eſt locus quidam ſubterraneus, inferno damnatorum vicinus, in quo animæ juſtorum non planè in hac vita expiatæ perpurgantur. Ita ſentit Eccleſia dum orat in hunc modum: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Vide Scripturam ſuprà

à proximè allegatem ex Apoc. 2.5. & Greg l.4. Dial. c.42.

Sup c. 6. lect. 1. Nota ex communi ſententia Doctorum quatuor eſſe loca animarum ſubterranea, quæ communi nomine vocãtur *Infernus*: primus eſt, qui abſolutè dicitur *Infernus*, ſcilicet damnatorum. Secundus eſt, *Purgatorium*, de quo hic tractamus. Tertius, *Limbus puerorum* morientium abſque Baptiſmo. Quartus, *Limbus Patrum* veteris Teſtamenti.

I. Quænam eſt ratio ſtatuendi tot loca ſive receptacula animarum?

R. Ratio eſt, quia ſunt quatuor genera pœnarum poſt hanc vitam: 1. Pœna eſt damni, & ſenſus æterna, pro hac, eſt Infernus damnatorum. 2. Eſt pœna damni, & ſenſus temporalis, & pro hac, eſt Purgatorium. 3. Eſt pœna damni tantùm æterna, & pro hac eſt puerorum Limbus. 4. Pœna damnati temporalis, pro hac eſt Limbus Patrum. Hanc doctrinam videre licet in Supplemento Sancti Thomæ q.69. a.7.

I. Cur ſingula iſta loca, *Infernus* appellantur.

Omnia loca pœnarum ſubterranea Infernus dicta. R. Quia ſunt infimus, & profundiſſimus locus totius mundi, id eſt, centrum univerſi, atque ideò in multis locis Scriptura opponit Inferno cœlum, velut locum altiſſimum loco infimo. Cæterùm in illa abyſſo ſubterranea inveniuntur quatuor illæ cavernæ, ſeu receptacula quæ diximus; etſi omnium profundiſſimum, & quod proprio nomine *Infernus* dicitur, ſit receptaculum damnatorum. Sic enim convenit ut ſuperbi diaboli, & homines eorum ſequaces ſint in loco profundiſſimo, & maximè à cœlo empyreo remoto; ibique per creaturas, quibus in hoc ſæculo inordinatè adhæſerunt, torqueantur; juſtis interim mercedem laborum ſuorum Creatoris ſui (cui fideliter ſervierunt) manifeſtâ viſione ſuper altiſſimum cœlum percipientibus.

I. Quam igitur pœnam tolerant animæ in Purgatorio?

R. Ultrà pœnam damni, id eſt, ultrà quod privantur viſione Dei, patiuntur etiam pœnam ſensûs, id eſt, combuſtionem ignis.

I. Pœna damni quam ſuſtinent, eſtne gravis?

R. Etiam, graviſſima. Æſtimari id poterit ex comparatione pœnæ, quâ affligebatur Abſalon, eò quòd prohiberetur videre faciem Regis Patris ſui David. *2 Reg. 14. 32.*

I. Pœna ſensûs quâ torquentur animæ in Purgatorio, eſtne etiam admodum acerba?

R. Ita tantæ acerbitatis ſunt pœnæ illæ, ut nullæ hujus ſæculi illis comparari valeant. Ita tradunt SS. Patres magno conſenſu. S. Aug. in Pſal. 37. Lib. de vera & falſa pœnitentia c.17. Enchir. c.112. Greg. in Pſalm 2. pœnitentialem. Beda in Pſalm. 37.

Exemplum. Teſtis eſt miles ille qui cùm per horam tantùm unicam fuiſſet in Purgatorio, putavit ſe ibi fuiſſe annos plurimos. De quo S. Anton. 4. p. tit. 4. cap. 10. §. 4. Adeò quod ſecundùm communem opinionem patiantur eundem ignem, eaſdem pœnas quas ipſi damnati in inferno. Vide ad hoc propoſitum mirabilem hiſtoriam apud Bedam lib. 5. hiſtor. Angl. cap. 13. & apud Sur. in vita S. Chriſtinæ mirabilis c.3.

I. Quænam urget ratio, ut duplicem illam pœnam *damni & ſensûs* conſtituas in Purgatorio.

R. Præter id quod Scriptura, traditio, & communis Eccleſiæ ſenſus tradit: advertere reperiri in peccato per animam in Purgatorio patientem quodam commiſſo, unum quaſi formale, ſcilicet averſionem à Deo, quâ Deum ſuum quodammodò poſt tergum ſuum aversâ ab eo facie, projecit; & huic averſioni reſpondet *pœna damni*. Alterũ quaſi materiale in peccato eſt cõverſio ad creaturas, v.g. quando avarus pecuniâ, guloſus potu, & cibo abuſus eſt; & huic reſpondet *pœna ſensûs*; quia ſicut ſe inordinatè ad creaturas converterunt

animæ

animæ illæ, dum adhuc in hoc ſæculo verſarentur iiſque ſunt oblectatæ; ita par eſt, ut per eas puniantur, juxta illud Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

I. Quo in ſtatu ſunt animæ in Purgatorio, & quid ibi rerum agunt?

Qualiter ſe habeant animæ in Purgatorio.

R. Animæ in Purgatorio ſunt in charitate, amant & laudant Deum, & patienter ferunt ſupplicia. Vid. c. 5. Apoc. ſup. alleg. & S. Aug. 21. Civit. c. 26. Virtutes enim in anima ſeparata non poſſunt eſſe otioſæ cùm nihil habeant impedimenti, & naturâ ſuâ propendeant in ſuas actiones, tormēta verò non impediunt niſi turbando organa corporea, quæ ibi non ſunt. Undè etiam in inferno perfectè utuntur ratione. Uti colligitur ex Luc. 16.

I. Suntne animæ in Purgatorio certæ de ſua ſalute?

Eccl. 11.

Sunt ibi certæ de ſua ſalute.

R. Sunt. Nam ſtatim poſt mortem recipiunt ſuam ſententiam. *In fine hominis denudatio operum illius.* Hæ autem vident ſe non eſſe damnatos, igitur, cognoſcunt ſe non hebere culpam lethalem, ac ſciunt eum qui non habet culpam mortalem vel originalem poſt hanc vitam, non poſſe damnari. Undè in Canone Eccleſia dicit eas *dormire in ſomno pacis, & quieſcere in Chriſto*; id eſt, frui ſecuritate, & ſolatio, quod habent ex certitudine ſuæ ſalutis. Vide Gabr. in Can. Lect. 56.

I. Poſſuntne ibi animæ mereri, aut demereri?

Etiam impeccabiles.

Sap. 3.

R. Non, quia ſunt in termino, & ſub Dei protectione, undè de illis dictum eſt: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Vid. Aug. de Prædeſt. Sanctorum c. 14. Etſi igitur animæ illæ quia Deum non vident, non amant neceſſariò quoad exercitium actûs, & proindè ab intrinſeco non ſint impeccabiles ſicut beati; habent tamen ab extrinſeco, ut non poſſint peccare, ſcilicet à protectione Divina, ut ſuprà proximè.

LECTIO DECIMA-QUARTA.

De Suffragiis animarum Purgatorii.

I. POſſuntne vivorum ſuffragiis animæ poſt mortem adjuvari?

Animæ in Purgatorio vivorum ſuffragiis adjuvantur.

R. Ita, animæ in Purgatorio adjuvantur oratione, eleëmoſynis, jejuniis, peregrinationibus & quibuslibet operibus pœnalibus, & ſatisfactoriis; Indulgentiis etiam, & maximè ſacratiſſimo Miſſæ Sacrificio; uti jam ſuprà hoc eodem capite quando *de Communione Sanctorum.*

I. Eſtne hoc omninò certum?

2. Macha. 12.

R. Certiſſimum. Vide quid in hac materia egerit ſtrenuiſſimus Dux Judas Machabæus, qui multâ ſollicitudine & devotione obtulit Deo non ſolùm preces, ſed etiam ſacrificia pro defunctorum militum ſalute, mittens in hanc rem duodecim millia drachmas argenti Jeroſolymam, ubi quoque videre licet, *quòd ſancta ſit, & ſalubris cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.*

Verùm ſi hæc antiqua tibi videntur, ſuccurrit etiam iſtis traditio quæ ab initio Eccleſiæ non ſolùm id docuit, ſed facto ipſo obſervavit, ſicut ab Apoſtolis acceperat, Miſſæ Sacrificium pro animabus fidelium defunctorum offerendo. Et, ſi adhuc ampliorem hujus antiquiſſimæ traditionis cautionem exigis, præter ea quæ ob oculos ſunt, ſcilicet ſepulturæ, exequiæ, Sacrificia, Miſſæ anniverſariæ, cantus funerales, qui in Eccleſia pro defunctis fiunt; Vide Concilia, & in iis communem Patrum, & Eccleſiæ Doctorum ſenſum, & conſenſum; in Concil. Carthag. IV. can. 79. & 95. in Concil. Tolet. 1. n. 12. Tribur. can. 31. Braccar. 1. can. 34. Florent. & Trident. jam alleg. Prætereà vide Cypr. ep. 52. & 66. Orig. Homin. 12. ſupr. Jerem. S. Dionyſ. Hierarch. Eccl. c. 7. S. Clem. epiſt. 1. & Conſtitut. Apoſtol c. 39. Tertull. de

Digitized by Google

de corona mil. S. Auguſt. pluribus in locis. Chryſoſt. hom. 3. in ep. ad Philip. & alibi.

I. Affer mihi, ſi placet unum, atque alterum Sanctorum Patrum ad hanc rem teſtimonium.

Anima a Purgatorio eruitur ſuffragiis orantium.

Lib. de cura pro mortuis gerenda c. 1. R. Fecero libenter. *In Machabaorum libris legimus* (inquit Auguſtinus) *oblatum pro mortuis Sacrificium: ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva eſt univerſa Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Et alibi: *neque negandum eſt*, inquit ſanctus Doctor, *defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed iis hæc proſunt, qui cùm viverent, ut hæc ſibi poſteà prodeſſe poſſent, meruerunt.*

In Enchir. ad Laurent. c. 110

2. Macha. 12.

Lib. de verb. Apoſt. ſer 34. vel ſecundum alios 32. Pulcherrimum eſt, quod ex eodem ſubjicio: *Pompa funeris, agmina exequiarum ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio, vivorum ſunt qualiacumque ſolatia non adjutoria mortuorum. Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleëmoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cũ eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis qui in Corporis, & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendatorũ cauſa opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis, ſed talibus, &c.*

L. 1. ep. 9. Accedit ſanctus Cyprianus: *Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt, ne quis Frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: acſi quis feciſſet, non hoc offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & miniſtros voluit avocare.* Vide eundem l. 4. epiſt. 2. Sexcenta ſunt ejuſmodi teſtimonia, quæ volens omitto.

I. Sed quis conſuetudinem illam ſive traditionem in univerſa Eccleſia (uti audivimus) receptam primum evexit?

R. Indubiè ipſi Apoſtoli, teſtatur hoc S. Joannes Chryſoſtomus *Non fruſtrà ab Apoſtolis ſancitum eſt, ut in celebratione venerandorum myſteriorum memoria fiat eorum qui hinc diſceſſerunt.* Ejuſdem Apoſtolicæ traditionis teſtes irrefragibiles ſunt S. Clem. l. 6. Conſtitut. Apoſtol. c. cap. 30 & epiſtol. 1. ad. Jacob Fratrem Domini. Dionyſ. Areopag. l. de Eccl. Hierarch. cap. 7. Iſidor. l. 1. de offic. Eccl. c. 18. *Sacrificium*, inquit, *pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum hunc orbem cuſtoditur, credimus quod ab ipſis Apoſtolis traditum ſit.* Idem totidem verbis Rabanus Maurus l. 2. de Inſtit. Cleric. c. 44. *Hom 3. in ep. ad Philip.*

I Habeſne exemplum alicujus Sancti, qui adhuc in vivis exiſtens rogarit pro ſe Miſſam celebrari dum ex hac luce emigraſſe contigiſſet?

R. Ita, præclarum eſt exemplum ſanctæ Monicæ Matris Sancti Auguſtini, de qua ita ſcribit ipſe ſanctus Eccleſiæ Doctor: *Cùm ægrotaret, quodam die defectum animæ paſſa eſt, & paululum ſubſtracta à præſentibus. Nos concurrimus, ſed citò reddita eſt ſenſui, & aſpexit aſtantes, me, & Fratrem meum, & ait nobis quaſi conquærenti ſimilis: ubi eram? Deinde nos intuens mœrore attonitos: ponetis hic, inquit, Matrem veſtram. Ego ſilebam, & fletum frænabam. Frater autem meus quiddam locutus eſt, quo eam non peregrè, ſed in patria defungi tanquam felicius optaret. Quo audita illa* *Aug. lib. 6. Confeſſ. c. 11.* **Exempla.**

 vultu

vultu anxio reverberans eum oculis quod talia ſaperet, atque inde me intuens, videat, quid dicit: & mox ambobus, ponite, inquit, hoc corpus ubicumq; volueritis, nihil vos ejus cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis.

I. Declara mihi etiam, ſi placet, qualiter animæ fidelium à pœnis Purgatorii per Miſſæ Sacrificium liberentur?

In vita ejus apud Sur. 7. Mart. to. 2.

R. *Cùm quodam tempore S. Thomas Aquinas in preces incumberet Pariſiis, ſoror ejus apparuit, ſeque in locis Purgatoriis cruciari dixit, orans ut ſacrificia, & preces pro ipſa Domino offerret. Curavit vir Sanctus, ut Fratres pro ea facerent, ut petierat. Interjecto inde aliquanto temporis ſpatio Romæ illi rurſus ſe viſendam obtulit indicans ſe à pœnis liberatam vivere in beata vita. Interroganti autem S. Thomæ de duobus Fratribus ſuis reſpondit illa, Landulphum quidem adhuc teneri in pœnis Purgatorii, Arnoldum verò habitare in cœlis: addiditque: tu quoque Frater brevi nobis jungeris, ſed major te gloria exſpectat quàm nos, ob ſuſceptos pro Eccleſia labores.*

S. Ber. in vita S. Malachiæ c.6. apud Sur. 5 Novemb. to. 6.

S. *Malachias Epiſcopus Hyberniæ carnalem ſororis ſuæ exhorreſcebat vitam, & tanto zelo, ut ſe devoverit non viſurum eam in carne viventem. At illa carne ſoluta, ſolutum eſt votum: & cœpit videre in ſpiritu quam in corpore noluit. Quadam nocte audivit per ſomnium vocem ſibi dicentis, ſororem ejus ſtare foris in atrio, & eam per totos triginta dies nihil guſtaſſe. Qui evigilans citò intellexit cujus eſca inedia marceſceret. Et diligenter diſcuſſo numero dierum, quem audierat, ipſum eſſe reperit, ex quo pro ea panem de cœlo vivum non obtuliſſet. Tum ille qui ſororis non animam oderat ſed peccatum, beneficentiam, quam intermiſerat, rurſum adoritur. Neque id fruſtrà. Non multò poſt viſa eſt illi perveniſſe uſque ad limen Eccleſiæ, needum tamen poſſe intrare: apparere etiam in veſte pulla. Cùmque ille perſeveraret curans ne qua die ſolita ſtipe fruſtraretur: ſecundò vidit eam in veſte ſubcandida admiſſam quidem intra Eccleſiam, ſed altare contingere non permitti. Tertiò tandem viſa eſt gregari cœtui candidatorum, & in veſte candida.* Vides Lector, quantum valeat deprecatio juſti aſſidua. Vid. S.Greg. l.4. Dial. c.55.

I. Quare certis diebus, puta diebus Lunæ, fiunt Miſſæ pro omnibus fidelibus defunctis in communi?

Commemoratio defunctorum feria 2. cujuslibet hebdomada.

R. Hoc ideò fit, ut juventur animæ Pontificum, & Sacerdotum, qui fuerunt Patres noſtri ſpirituales, Fratrum quoque & parentum noſtrorum ſecundùm carnem, necnon benefactorum, & omnium fidelium defunctorum, eorum præſertim, qui cùm à nemine opem ſentiant, indigentiſſimi ſunt communium Eccleſiæ ſuffragiorum.

I. Eſtne magni meriti animabus fidelium defunctorum opitulari precibus eleëmoſynis, ſacrificiis, quibuſvis aliis bonis operibus?

R. Maximi. Vide hujus rei mirabile exemplum apud Cæſarium l.2. c.2.

Exemplum.

B. Liebertus Epiſcopus Cameracenſis cùm aliquando in cœmeterio S. Nicolai ejuſdem Civitatis, pro defunctis animabus, quarum corpora ibi quieſcebant, orationes funderet, tum vox *Amen* intelligibiliter audita eſt.

I. Habeſne in promptu aliquod exemplum quo declares Sacroſancto Miſſæ Sacrificio animas defunctorum à pœnis Purgatorii liberari?

In vita ejus apud Sur. t.3. 10. ſ.

R. Habeo præclarum quod ſubjicio: *S. Nicolaus Tolentinas Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Religioſus, Sacerdotio initiatus ad eremum Vallimanenſem quæ eſt juxta Piſas à Provinciali tranſmittitur, ubi eximiâ pietate, & devotione promptus, & ſollicitus manè quotidiè Miſſam celebrat. Cùm verò nocte Dominicæ proximè ſequentis, quo die pro hebdomadario erat ſummum ſacrum facturus, in lecto parumper obdormiſſet, ſpiritus quidam voce magnâ, & lugubri ejulatu vocat eum dicens: Frater Nicolae vir Dei reſpice in me.*

Exempla.

Ille

Digitized by Google

ille reſpiciens in eum, & quia viventem noverat, agnoſcere eum ſtudens ſed non valens, ocyùs percunctatur quiſnam ſit? Reſpondit ſpiritus; ego ſum anima peregrini Auxinienſis, quem viventem noviſti ſervum tuum, cruciorque in hac flamma. Deus enim non deſpiciens contritionem meam, non pœnis ſempiternis, quas ut homo fragilis commerueram, ſed locis Purgatoriis pro ſua miſericordia me addixit. Te igitur impenſiùs oro, ut pro mortuis Miſſam celebres, ut eripiar ex his flammis. Cui vir beatus: adjuvet te Salvator meus cujus ſanguine redemptus es; ego enim qui ad ſummum ſacrum ſolemniter celebrandum, hoc præſertim Dominico die deputatus ſum, Miſſam pro defunctis dicere non poſſum. Tum ille: veni, inquit, Venerande Pater, & vide, num te deceat precibus tantæ multitudinis à qua miſſus ſum, aſſenſum negare, meque miſerum tam inhumaniter repellere. Duxit ergò eum ad alteram eremi partem, parvamque illam apud Piſas planitiem ei oſtendit: & ecce videt promiſcui ſexûs, diverſæ ætatis, & ordinis magnam multitudinem hunc in modum ipſum deprecantem: Miſerere Pater, miſerere turbæ tuum auxilium expectantis. Si enim dignatus fueris pro nobis Miſſas celebrare, maxima pars noſtrûm ex his tormentis atrociſſimis eripietur. Evigilans autem vir ſanctus magnâ commiſeratione permotus, cum multis lacrymis pro illis omnibus Salvatorem hominum deprecabatur. Manè verò corã Priore loci illius proſtratus illorum importunas preces expoſuit, orans ut ipſius bonâ veniâ liceret ei tota illa hebdomada, pro mortuis Miſſam facere. Victus Prior ejus precibus, alium loco ejus ſubſtituit. Ita ille totâ hebdomadâ, & Sacrificium obtulit pro defunctis, & die ac nocte pro multitudine quam viderat, cum lacrymis inſtantiſſimè Dominum rogavit. Itaque eâ hebdomadâ tranſactâ rurſus ei apparet ſpiritus peregrini ſupradicti, & pro impetrata miſericordia gratias agit, aſſerens bonam illius multitudinis partem cum ipſo Divinâ miſericordiâ, & ipſius Sacrificiis precibuſq; ac lacrymis à pœnis acerbiſſimis liberatam in cœlos feliciter evolaſſe.

I. Affer mihi, ſi habes, etiam aliquod exemplum, quo probes illos qui negligentiùs ſe habent in orando pro mortuis, interdum apparitionibus deterreri.

R. *Frater Bertrandus Ordinis S. Dominici Religioſus, vir ſanctus, ſolebat ferè quotidiè Miſſam pro peccatoribus celebrare. Sciſcitante autem ex eo Fratre Benedicto viro prudente, cur rarò pro defunctis, frequentiſſimè pro peccatoribus celebraret, ille reſpondit: vita defuncti de ſua ſalute certi ſunt; nos in periculis fluctuamus. Ait illi frater Benedictus: ſi ſint duo mendici, alter membris ſanis, alter iis carens, utri potiſſimùm opitulaberis? Reſpondit: illi ſanè qui ſe minùs juvare poteſt. Tum Benedictus: nimirum, inquit, ſi ſunt defuncti, quibus nec os eſt ad confitendum, nec manus ad operandum: ſed noſtram opem poſtulant. Vivi autem peccatores, & os, & manus habent, & poſſunt iis ſibi conſulere. Sed cùm à ſententia ſua non deduceretur Bertrandus, ſequenti nocte quidam terribilis defunctus apparuit ei, & faſce lignorum mirè eum compreſſit, atque deciès, & eo ampliùs eum eâ nocte excitans perterruit, & vexavit. Igitur prodeunte Aurorâ Fratrem Benedictum ad ſe vocat, narrat totius noctis hiſtoriam: inde religiosè, & lacrymabundus ad aram accedens, pro defunctis Sacrificium obtulit, idemque deinceps ſæpiùs fecit.* Chro. S. Domin. l. 1. c. 27. apud Sur. 6. Aug.

I. Iſta mihi plurimum arrident, ſed agedum, quid de commemoratione omnium fidelium defunctorum, quæ in Eccleſia fieri conſuevit poſtridie ſolemnitatis omnium Sanctorum.

R. Ut una eademque die univerſalis ageretur memoria omnium fidelium defunctorum, omnes id in primis acceptum ferunt ſancto Odiloni Abbati Cluniacenſi, qui florebat circa annum 1040. & diem extremum obiit Calend. Januar. 1048. Clemente II. Roman. Pontifice. Henri- *Baron. in not. ad Martyrol. 2. Nov. & in Annal. ad an. 1048.*

Commemoratio omnium fidel. defunctorum 2. Novemb.

co etiam II. Imperat. Res ita ſe habet. *Cùm ex pluribus diverſiſque revelationibus Dei famulis Divinitùs oſtenſis, innotuiſſet complures animas orationibus potiſſimùm Cluniacenſium Monachorum, in id præ cæteris, incumbentium à pœnis Purgatorii liberari: ſanctiſſimus eorum Abbas Odilo propenſiori ſollicitudine cœptum pietatis opus proſequi curans præter alia plura quotidiana ſuffragia, quibus animabus defunctorum jugiter conſueverant ſubvenire, anniverſarium ſtatuit diem quâ pro omnibus Deo Sacrificia per omnia ſibi ſubdita Monaſteria offerrentur. Quem ritum, Eccleſiam univerſalem recipientem comprobaſſe ſcribit* Petrus Damiani.

Apud Sur. 2. Ian.

Ut autem ſtatuta ad id fuerit dies ſequens à Commemoratione omnium Sanctorum, ex ordine Officii Eccleſiaſtici ratio ſemper ſumpta videtur. Nam qui ducentis ferè antè hæc tempora vixit annis Amalarius Fortunatus Treverenſis Epiſcopus in libris ſuis de Officiis Eccleſiaſticis, ait, ſe poſt Officium Sanctorum inſeruiſſe Officium pro mortuis, quod multi tranſeant de præſenti ſæculo, qui non illicò Sanctis conjungantur, pro quibus ſolito more Officium agi debeat.

Florebat tempore Ludovici Pii.

I. Præter hæc quæ de Monachis Cluniacenſibus attuliſti, non habes aliud etiam exemplum alicujus, qui in hac commemorationis generalis omnium defunctorum die ſedulò incubuerit in preces, & ſuffragia pro mortuis?

R. *Ioannes de Alverne Ordinis Minorum Sacro-ſanctum Miſſæ Sacrificium tanto pietatis affectu Deo pro defunctorum refrigerio libabat, ut totus in devotionis lacrymis ſolvi videretur. Dum ergò ſacram Hoſtiam in Miſſa elevaret, ſanctum Chriſti Corpus Deo Patri offerens, ut ejus gratia qui pro totius mundi redemptione in ara crucis pependerat, animarum defunctorum miſereri, eaſque de pœnis inferni, & de profundo lacu liberare dignaretur, vidit innumeram animarum multitudinem quaſi ſcintillas è fornace exilientes, ad cœli beatiſſimam requiem tranſire, acceptabili Sacrificio Corporis & Sanguinis Chriſti expiatas.*

Exemplum.

Chron. *Antonin. 3. p. tit. 24. c. 8. §. 15. ex* Chron. *Minorum*

I. Quibus rationibus voles hominibus perſuaſum, ut libenter pro defunctis preces fundant?

R. His ſequentibus: Mortui in Purgatoriis pœnis verſantes ſunt ejuſdem nobiſcum corporis, id eſt Eccleſiæ membra; membrorum autem eſt ſeſe invicem juvare.

Rationes inductivæ ad libenter orandum pro defunctis.

2. Supplicium quo ibi torquentur, eſt graviſſimum, manus enim juſtiſſimi Judicis Dei tangit illos. *Salvus erit* (inquit Apoſtolus) *ſic tamen quaſi per ignem.* Quia dicitur, *ſalvus erit,* inquit Aug. contemnitur ille ignis. Ita planè, quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis quàm quicquid poteſt homo pati in hac vita. Hæc Auguſtinus: *Qui viderit Fratrem ſuum neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

1. Cor 3.

Aug. in Pſ. 37.

1. Joan. 3.

3. *Clamat porcus, & cum eo clamare alii non ceſſant: cadit aſinus, & omnes eum ſublevare feſtinant, ſed clamat in tormentis fidelis, & non eſt qui reſpondeat.* Erat magna crudelitas Fratrum Joſeph eum in ciſterna ejulantem relinquere; unde locuti ſunt ad invicem: *Meritò hæc patimur quia peccavimus in Fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius dum deprecaretur nos, & non audivimus; idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.*

Ser. 44. ad Fratres in eremo inter opera Auguſtini.

Gen. 42.

Major crudelitas Chriſtianorum, qui miſerandas parentum, & amicorum voces inclamantium: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei,* non exaudiunt.

Quod ad nos attinet, qui adhuc in hac miſeriarum valle verſamur, vitam noſtram ita componamus, ut hæc Purgatoria incendia evitare poſſimus. Amen.

CON-

Digitized by Google

CONTROVERSIA HÆRETICORUM.

De Purgatorio, & Suffragiis pro defunctis.

I. ANtiqua praxis orandi pro mortuis, quam nuper è lib. 2. Machab. audivimus, hæreticis non placet, quòd liber ille in Judæorum canone minimè reperiatur?

R. Nihil quod pium eſt, impiis placet. Tota ab initio Chriſti Eccleſia librum hunc pro canonico habuit: Judæi nos non ſumus, ſed Chriſtiani: at verò quid hæreticos juvat, ut deſertis Eccleſiæ caſtris ad Judæos transfugiant? Dicat tamen Calvinus, ſi poſſit, vel quiſquis eſt ejus ſectator, quis iſtius Canonis ſit auctor, quo tempore vixerit, à quo confirmatus exiſtat? Sanè nos digito demonſtrare poſſumus auctores omnium ſæculorum, qui hunc librum cum tota Eccleſia Catholica in ſacrarum Scripturarum canonem repoſitum agnoverunt. Sed ut his non immoremur, umoque iſto nos contentos ariete arbitrentur adverſarii, legant lectionem noſtram præcedentem, ibique attendant quid tota antiquitas de hoc controverſiæ puncto ſenſerit. Et, ſi more ſuo, quia hæretici ſunt, tantùm recipiunt Scripturam, non Patrum ſcita, non ſapientum unanimem conſenſum, non Conciliorum definitiones, non Eccleſiæ venerandam auctoritatem recipiunt, lubet ſimilibus armis congredi, & illos ad Sacrum Bibliorum Codicem provocare. Sumant igitur in manus Paulinas Epiſtolas, & interpretentur quid velit Apoſtolus, dum ait: *Si quis ſuper ædificat ſuper fundamentum hoc, &c. uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit.* Et

1. Cor. 3. Et 15.

in cap. 15. n. 29 quid ſit *baptizari pro mortuis.* Diſcutiant etiam locum Evangeliſtæ Matthæi c. 12. n. 32. Sed, ut video, intorquere ipſi malunt, quas ad rem ſuam facere exiſtimant, Scripturarum arietationes.

I. Objiciunt 1. ex Apoſtolo: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

R. Iſte locus non terruit Auguſtinum, reſpondet enim defunctos qui ſunt in Purgatorio accipere prout geſſerunt, qui meruerunt in hac vita, ut ſuffragia vivorum poſſint ſibi prodeſſe. Eandem reſponſionem ſignificat Dionyſ. l. de Eccl. Hierarch. c. 7. quem videre eſt operæ pretium. Et, quia verba Auguſtini mirabiliter illuſtrant Doctrinam, & modos agendi Catholicorum in hac materia, placuit illa hic ſubjicere? *Non iſta*, inquit, *quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt adverſa ſententiæ, quâ dictum eſt: Omnes enim ſtabimus ante tribunal, &c. quia etiam hoc meritum ſibi quiſque, cùm in corpore viveret, comparavit, ut ei poſſent iſta prodeſſe. Non enim omnibus proſunt. Et quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ quam quiſque geſſit in corpore? Cùm ergò ſacrificia ſive altaris* (Notent hic Novantes propriè dicta ſacrificia, nam de ſacrificiis Metaphoricè dictis ſequitur) *ſive quarumcumque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valdè malis propitiationes ſunt: pro valdè malis etſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcumque conſolationes vivorum ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa Purgatio.* Habet ſimilia l. 21. de civit. cap. 24. Enchi. c. 110.

I. Objiciunt 2. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini Filii, merces fructus ventris.* Ergò inquiunt dilecti Dei poſt ſomnum, id eſt, poſt mortem ſtatim accipiunt hæreditatem.

R. Locus iſte tantùm dicit, quod hæ-

ditas juſtis nonniſi poſt mortem exſpectanda ſit, non autem quod illa poſt mortem è veſtigio detur. Senſus ergo eſt, cùm ô dilecti Dei in Domino mortui eritis, adibitis Dei hæreditatem, quæ eſt merces Filii Dei, quia ejus meritis vobis acquiſita: & proinde eam adibitis tanquam gratiam Filiis Dei (ut loquitur Trident. ſſ. 6. cap. 16.) per JESUM Chriſtum miſericorditer promiſſam. Et eſt ſimul fructus ventris, id eſt, proventus illius laboris, quo peperiſtis vobis ſpiritum ſalutis, deinde Chriſto & Eccleſiæ complures Filios in vitam æternam. Et ob id hæreditas Domini erit merces veſtris laboribus debita, eam proinde Duplici titulo acquiretis.

I. Dicit Apoſtolus 1. ad Theſſ. 4 *Nolumus vos ignorare Fratres de dormeentibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent.*

R. Non prohibet Apoſtolus omnem triſtitiam in morte defunctorum amicorum; hæc enim naturalis eſt: ſed eam tantùm quam habent gentes, & impii qui, ut ipſe ait, ſpem non habent. *Contriſtamur nos* (inquit Auguſtin.) *in noſtrorum mortibus, neceſſitate amittendi, ſed cum ſpe recipiendi, inde triſtamur, hinc conſolamur; inde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana conditio, hinc ſanat divina promiſſio.*

De Verb. Apoſt. ſer. 32.

Baſil. ho. 4. Monet Apoſtolus, inquit Baſil. ne intemperatè, & inconſolabiliter lugeant mortem ſuorum, ſicut faciunt gentiles, qui non habent ſpem reſurrectionis, & cantilenis neſcio quibus abutuntur ad ciendum in auditorum animis lamentabilem dolorem, dantque in hoc non ſegnem operam, quo carminibus quærulis anima eorum intabeſcat.

I. Eccleſiaſtes tantùm duo loca commemorat poſt caſum, id eſt, poſt mortem in illis verbis: *Si ceciderit lignum ad auſtrũ, aut ad aquilonem, ibi erit*: quæ duo loca ſunt cœlum, & infernus; ergò non eſt medius inter hæc duo locus, ſcilicet Purgatorium.

C. 11. v. 3.

R. Nego conſequentiam: qui enim nominat duo extrema, media quæ inter extrema intercurrunt, non excludit, ſed potiùs includit: ſicut hic ſub auſtro, & aquilone Eccleſiaſtes includit Orientem, & Occidentem, qui medii ſunt inter auſtrum, & aquilonem: nominat autem hos duos potiùs quàm Orientem, & Occidentem, quia hi duo reſpiciunt duos mundi polos, ſcilicet aquilo polum arcticum, auſter antarcticum. Illi ergò qui ſunt in Purgatorio pertinent ad auſtrum, quia certi ſunt peractâ purgatione ſe ituros in cœlum. Sic pariter Patres qui tempore Salomonis erant in limbo, pertinebant ad auſtrum, qui exſpectabant reſerationem cœli per Chriſtum. Rurſum auſter & aquilo ſignificant duo loca ultima in quæ poſt mortem concedunt animæ ibi perpetuò manſuræ. Talia autem ſunt tantùm duo, cœlũ & infernus; nam Purgatorium non eſt locus ultimus, ſed mediatus, quia ex eo omnes animæ tranſeunt ad cœlum. Vid. Bellarm. l. 2. de Purgator. cap. 8.

I. Quidquid ſit, Evangelium docet tantùm duo loca animarum poſt hanc vitam, unum beatitudinis in cœlo, alterum damnationis in inferno: *ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Matth. 25. v. 46.

R. Poſt diem judicii erunt tantùm duo iſta loca pro adultis, ut patet ex cit. textu; at nunc, ſicut etiam in veteri Teſtamento, plura ſunt. Et certè ſi duo tantùm eſſent, dicant adverſarii ubi fuerint animæ eorum qui poſt mortem iterùm reſuſcitati ſunt ad vitam? Ab Elia reſuſcitatus eſt filius viduæ Sareptanæ, ab Heliſæo Filius Sunamitidis: à Chriſto Filius viduæ in Naim; Filia Jairi Principis Synagogæ: Lazarus in Bethania: ab Apoſtolo Petro Tabitha: ubi, inquam, animæ horum fuerunt antequam reſuſcitarentur; non in inferno, quia ibi nulla redemptio, nec in cœlo, quia alioqui non fuiſſet beneficium ſed pœna, ſi ex cœleſti beatitudine debuiſſent redire ad hanc vitam mortalem: ſupereſt

ergo fuiſſe in alio loco, qui ab utroque diſtinguebatur.

I. Scriptura docet juſtos poſt hanc vitam ſtatim admitti ad cœleſtem gloriam, nullâ factâ mentione Purgatorii: *Hodie mecum eris in Paradiſo?*

Luc.23. v. 43.

R. Scriptura non loquitur de omnibus juſtis, ſed de aliquibus. Nam qui nihil purgandum habent, ſtatim poſt hanc vitam admittuntur ad cœlum: Qui habent aliquid expiandum admittuntur ſuo tempore, ſed *quaſi per ignem*, ut ex Apoſt. & Aug. in lect. antecedente tradidimus. Nec obſtat Scriptura allegata, quia fuit privilegium ſpeciale à Chriſto moriente conceſſum Latroni, cui Chriſtus Pontifex noſter per modum Indulgentiæ plenariæ ſive Jubilæi liberaliſſimè condonavit omnia peccata ſine ulteriore obligatione pœnæ temporalis poſt mortem, quod non omnibus conceditur.

Latronis privilegium particulare, & Indulgentia Plenaria.

DE X. SYMBOLI ARTICULO:

Credo Remiſſionem peccatorum.

CAPUT UNDECIMUM.

LECTIO PRIMA.

S.Tho. 2.2. q.20. a. 1. in c. & ad 3.

I. Eſtne hic articulus ad ſalutem comparandam neceſſarius?

R. Ita planè; unde ſibi perſuadere debent Parochi, cùm cætera quæ ad religionem pertinent fidelibus tradenda ſint; tum verò præcipuè hujus articuli diligenter explicandi magnam eis à Domino neceſſitatem impoſitam eſſe, juxta illud: *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hieroſolyma.*

Luc.24.

Matth.5. v.46.

I. Quid eſt igitur, quod nos credere oportet in hoc articulo?

R. Duo principaliter; videlicet non ſolùm remiſſionem peccatorum in Eccleſia Catholica reperiri: ſed etiam poteſtatem peccata remittendi in ea eſſe: quâ ſi ritè, & ſecundùm leges à Chriſto Domino præſcriptas Sacerdotes utantur, verè peccata remitti, & condonari credendum eſt.

Poteſtatem peccata remittendi verè eſſe in Eccleſia.

I. Quid eſt igitur remiſſio peccatorum?

R. Eſt venia ſeu condonatio peccatorum, quam nobis Paſſione, & morte ſuâ promeruit Salvator noſter, & per Sacramenta ab eodem inſtituta, præſertim Baptiſmum, & Pœnitentiam nobis ordinariè applicatur.

I. Cur dicis, quòd remiſſionem peccatorum Chriſtus Dominus Paſſione, & morte ſuâ nobis promeruit? non poterat igitur ſeipſum homo lapſus à peccatis expedire & liberare?

R. Minimè: eſt enim omnis homo peccator, qui quotidiè offendit Deum, & proinde non poterat ſic Deo placere, ut infinitæ malitiæ culpas tolleret: imò nulla pura creatura, quantumlibet Deo grata id poterat, quia merita ſaltem exæquate deberent culpam. Vide quæ ſup. c. 4. lect. 3. tradidimus.

I. Quorum peccatorum credis remiſſionem eſſe in Eccleſia?

R. Omnium omninò peccatorum.

I. Eſtne igitur in Eccleſia remiſſio tam originalis quàm actualis peccati?

R. Omninò.

I. Quomodò obtinetur remiſſio tam originalis quàm actualis peccati?

R. Per Baptiſmum. Hoc eſt quod Patres in Concil. Conſtant. addiderunt Symbolo dicentes: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Subintellectis tamen ſub hoc Baptiſmi Sacramento (quo venia peccatorum adeò cumulatè nobis datur, ut nihil aut culpæ delendum, ſive ea origine contracta, ſive quid propriâ volũtate commiſſum, vel omiſſum ſit; aut pœnæ perſolvendum relinquatur) aliis etiam in effectu minùs univerſalibus peccatorum remediis, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ.

Quomodò obtinetur remiſſio peccati originalis.

Quomodò actualis.

I. Quomodò obtinetur remiſſio peccati actualis?

R. Peccata in quæ poſt Baptiſmum homo relapſus eſt, remittuntur per Sacramentum Pœnitentiæ.

I. Quoties in Eccleſia obtinetur remiſſio peccati originalis?

R. Semel tantùm. Baptiſmo enim (qui ſine ſacrilegio iterari non poteſt) obtinetur plena, & perfecta remiſſio peccati originalis. *Nihil enim damnationis eſt iis qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem: qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt.*

Rom. 8. *Conc. Trid. ſeſſ. 5. decret. de pec. orig.*

I. Quoties obtinetur in Eccleſia remiſſio peccati actualis poſt Baptiſmum commiſſi?

R. Quotieſcumque, & quâcumque horâ peccator ingemuerit, & ad pœnitentiam acceſſerit; rejiciendum non eſſe docuit Salvator noſter, cùm Principi Apoſtolorum interroganti quoties peccatoribus ignoſcendum eſſet, an ſepties; reſpondit; *non ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.*

Matt. 18.

I. Licetne omnium etiam graviſſimorum peccatorum veniam, & remiſſionem ſperare in Eccleſia ex Sacramento Pœnitentiæ.

Omnia etiam graviſſima peccata remittis Sacramentum Pœnitentia.

R. Nullum tam nefarium facinus vel admitti, vel cogitari poteſt, cujus remittendi poteſtatem ſancta Dei Eccleſia non habeat: quemadmodum etiam nemo adeò improbus, & ſceleſtus fuerit, quem ſi erratorum ſuorum verè pœniteat, certa ei veniæ ſpes propoſita eſſe non debeat.

I. Poteſtne aliquis certò ſibi promittere remiſſa eſſe peccata?

R. Nullo modo abſque ſpeciali Dei revelatione. *Si quis dixerit omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, ut credat certò, & abſque ulla haſitatione propria infirmitatis, & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, anathema ſit.*

Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 13.

I. Habeſne exempla eorum, quibus revelatum eſt remiſſa ſibi fuiſſe peccata?

Exempla.

R. Ita. S. Mariæ Magdalenæ, Luc. 7. Latronis Luc 23.

Beati Eleutherii fama excitatus Clodoveus Francorum Rex Tornacum venit, cumque frequentioribus Eleutherii concionibus plurimùm delectaretur, vir ſanctus divinitùs admonitus Regi cauſam ſui adventùs aperuit, peccatum ſcilicet grave, poſt ſuſceptum à ſancto Remigio Baptiſmum, ab ipſo commiſſum, quod confiteri verecundiâ prohiberetur. Crimen profuſis lachrymis Rex faſſus, Eleutherium obſecravit, ut immaculatam victimam offerens, divini Numinis iram placaret, & Præſul annuit, & totam noctem in vigiliis pro Rege precibus traducens ſub auroram propitiatorium Deo ſacrificium obtulit: cùm ecce inter ſacra, tota Eccleſia collucente, affuit Angelus qui preces exauditas, & peccatum remiſſum nuntiavit. Unde Rex Eccleſiam, & Eleutherium multis affecit muneribus, latuſque ad interiora regni ſe recepit.

Ex Archivis & offic. Eccl. Cathedralis Tornac.

Pulchrum inſuper ad eandem hanc rem exemplum habes in vita ſancti Joannis Eleemoſynarii per Leontium, apud Surium 23. Januarii.

I. Quis eſt qui peccata dimittit?

R. Ab uno Deo peccata hominibus condonantur, neque ad alium auctorem, quàm ad ſummam ejus bonitatem, & potentiam tam mirificum opus eſt referendum. *Ego ſum,* inquit ipſe Dominus per Prophetam, *ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas.* Quaſi dicat: à nemine niſi à creditore pecunia quæ debetur, remitti poteſt: ita cùm uni mihi Deo peccatis tuis obſtrictus ſis (ſiquidem quotidie oras, *dimitte nobis debita noſtra*) perſpicuum eſt à nemine præter me, debita tibi condonari poſſe. Neque id mirum videri debet; nam ſi majus eſt beneficium (teſte Auguſtino) juſtificare impium quàm

Iſa. 43.

Tract. 52. in Joan. quàm mundum ex nihilo creare; quidni ad illius unius omnipotentiam remiſſio peccati referetur, qui de nihilo cuncta creavit?

I. Nunquid ergo Sacerdotes in Eccleſia Dei remittunt peccata?

R. Ita quidem, ſed hoc non à ſeipſis habent, ſed ex Dei commiſſione, *qui dedit* tanquam miniſtris ſuis *talem poteſtatem hominibus.* Matt. 16. & 18. Joan. 20. 2. Cor. 3. ꝑ 5. & 6 quod beneficium omninò inexplicabile eſt, & tranſcendens omnem intelligentiæ noſtræ facultatem Cypr l. 1. ep. 2. Chryſoſt. l 3. de Sacerd. Ambroſ. l 1. de pœniten. cap 2. Bernar. l. 2. de conſider. cap. 8.

Hæc in 4. parte pluribus ſuo loco.

I. Soliſne Sacerdotibus eſt attributa poteſtas remittendi peccata?

R. Dominus non promiſcuè omnibus, ſed Epiſcopis tantùm, & Sacerdotibus tam ſancti muneris poteſtatem dedit. Ipſi enim ſoli ſunt diſpenſatores Myſteriorum Dei; & ad ipſos ſolos pertinent Scripturæ in reſponſione proxima allegatæ.

I. Quid ſi quilibet apud ſe pœnitentiam agat, nolens Sacramento uti, aut Sacerdoti adgeniculari?

R. Nihil prodeſſet. *Nemo ſibi dicat, occultè pœnitentiam ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoſcit, quid in corde ago: ergo ſine cauſa dictum eſt: quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo, ergò ſine cauſa ſunt data claves Eccleſiæ Dei; Fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti; promittimus quod ille negat.* Vid. Catech. Rom, hic §. 4.

Aug ho. 49. c. 3. l. 50. ho.

I. Si quis ergo perfectam habens ſui peccati contritionem confeſſoris copiam non haberet, non poſſet talis remiſſionem peccatorum obtinere?

R. Immò, per actum veræ perfectæque contritionis, quæ Sacramenti defectum in hoc caſu ſupleret. Vid. Inf. p. 4. de Sacram. Pœnit.

Fructus ex articulo decemo excerpendi.

I. Quem fructum nos capere oportet ex hoc articulo?

R. Magnam nos habere oportet confidentiam in Dei miſericordia, qui voluit omnium omninò peccatorum in Eccleſia ſua obtineri remiſſionem, & de tanto beneficio inceſſanter gratias agere.

I. De miſericordia Dei libentiſſimè audio, & eſt ſermo nobis miſeris omni acceptione dignus, dic mihi, quanta eſt miſericordia Dei?

R. Reſpondeat pro me Eccleſiaſticus: *Secundùm magnitudinem ipſius; ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt.* Vis ergo ſcire quanta ſit miſericordia Dei, vide quanta ſit ejus magnitudo, potentia, immenſitas, majeſtas: tanta enim eſt menſura miſericordiæ, quanta majeſtatis: eadem enim eſt utriuſque. Imò ex magnitudine majeſtatis, & potentiæ oritur magnitudo divinæ miſericordiæ, & beneficentiæ, & clementiæ: magni enim animi, & celſæ indolis eſt iræ dominari, injuriis non moveri, peccantibus parcere; imò benefacere; quo fit, ut immenſa Dei magnitudo, & omnipotentia maximè ſe exerat, & oſtendat per immenſam clementiam, juxta id quod orat Eccleſia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas, &c.* Pulchrè S. Fulgentius epiſt. 7. ad Venantium c. 4. *Deus*, inquit, *multus eſt ad ignoſcendum: in hoc multo nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors. Tanta eſt autem benignitas omnipotentia, & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil ſit, quod nolit aut non poſſit relaxare converſo.* Hoc eſt quod ait Sapiens cap. 11. v. 24. *Misereris omnium quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* q. d. omnipotentia tua tibi eſt quaſi cauſa, & ratio omnis miſericordiæ; imò verò miſereri peccatoris, eique pœnitenti peccata condonare, eſt opus ſummæ potentiæ, ac majoris quàm ſit creare cœlum, & terram, ob rationes quas ex S. Auguſtin. recenſet S. Thom. 1. 2. q. 113. a.

C. 2. v. 23. Commendatio miſericordiæ Dei.

Oratio Eccleſiæ.

Tract. 52. in Joan.

Admonendi tamen ſunt fideles, ne tam amplâ veniæ facultate propoſitâ vel ad peccandum faciliores, vel ad reſipiſcendum tardiores reddantur. De Miſericordia rurſùs p. 2. cap. 1. l. 1. poſt init.

I. Quem præthereà fructum capis ex hoc decimo articulo?

R. 2. Quòd dignè vocatione noſtrâ converſari nos oportet in Eccleſia Dei, in qua ſola invenitur peccatorum remiſſio, ſanctitas, & juſtitia.

R. 3 Magnus Sacerdotibus honos deferendus, quibus tradidit Deus claves regni cœlorum, ut apperiant illud iis qui digni ſunt, per miniſterium Sacramentorum, præſertim pœnitentiæ.

I. Nihilne eſt reliquum?

R. 4. Hinc diſcimus quanti facere nos opportet Sacramenta Eccleſiæ, & qualiter diſponere nos oportet ad illa dignè recipienda, quàm poterimus ſæpiſſimè: per illa enim diſpenſatur omnis energia, & pretium ſanguinis Chriſti, ut proinde infallibiliter illa ipſa tanquam divina medicamenta Samaritani noſtri, imò uti divinæ omnipotentiæ inſtrumenta ſanent omnes omninò infirmitates ſpirituales, quæ ſunt peccata.

I. Declara hoc ipſum aliquo ſimili?

R. Si grata & jucunda medicamenta videri ſolent, quæ nobis medicorum arte & induſtriâ, cùm gravi aliquo morbo laboramus, parantur, quanto jucundiora eſſe debent ea remedia, quæ Dei ſapientia ad animarum curationem, atque adeò ad vitam reparandam inſtituit? cùm præſertim non dubiam ſalutis ſpem, ut medicinæ illæ, quæ corporibus adhibentur, ſed certiſſimam iis qui ſanari ex animo cupiunt ſalutem afferant. *Simile.*

I. Numquid per hanc poteſtatem remittendi peccata, Eccleſia valdè honorata eſt?

R. Omninò. Uſque adeò, ut eam (ait ſanctus Joannes Chryſoſtomus loquens de poteſtate remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ) Angelis aut Archangelis datam eſſe noluerit. *Habens & terreſtres*, inquit, *Principes poteſtatem vinculi, verum corporum ſolum: id autem quod dico, Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit; uſque adeò, ut quæcumque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac ſervorum ſententiam Deus confirmet.* *L. 3. de Sacerdotio.*

CONTROVERSIA

De fide ſpeciali, ſive inani fiducia hæreticorum.

I. NUllus, inquit hæreticus, *poteſt eſſe de numero aures ſalvandorum, qui non crediderit certâ, & abſque ulla heſitatione ſibi ob imputatam Chriſti juſtitiam remiſſa eſſe peccata, ſe juſtum eſſe, ad æternam vitam prædeſtinatum, adeoque infallibiliter regni cœleſtis hæreditatem conſecuturum*; quæ repugnant ex diametro doctrinæ, quam modò tradidiſti de remiſſione peccatorum? *V. Conc. Trid. ſſ. 6. c. 9. & can. 12. & 13. Luthe. art 10. 12. & 12. Calvin l. 3. Inſtit. c. 2. § 16. 17. &c.*

R. Scriptura, SS. Patres, ipſaque ratio ex adverſo docent neminem de ſua prædeſtinatione certum eſſe, aut ſecurum, cui non fuerit ſpecialis de eo facta revelatio, ſicut nec de peccatorum ſuorum remiſſione, uti ſup. ex ſenſu Catholico docui.

Primò quidem quod ad Scripturam ſpectat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Quorſum caſtigare corpus, quorſum timere? Sanè non eſt hoc Calviniſticè fidelem eſſe. Et ad Romanos: *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time: ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate,* *1. Cor. 9.* *Rom. 11.*

alio-

alioquin, & tu excideris. Et poſtmodum exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientia, & ſcientia Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus; & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?*

Philip. 2. Et ad Philippen. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* Super qua Scriptura conſtruo tale argumentum: ubi eſt certa, & indubitata fides, non poteſt aliquis timor ſubeſſe. Exempli gratiâ: Credo quòd Chriſtus Dominus pro nobis mortuus eſt; hinc fidei nullus timor, nulla dubitatio ſubeſſe poteſt; ſed omni ex parte certum me facit quòd Chriſtus Redemptor noſter revera mortuus ſit. Atqui ſecundùm Apoſtolum debemus ſalutem noſtram cum metu, & tremore operari; ergo ejus non habemus, nec habere poſſumus certam, & indubitatam fidem.

2. Pet. 1. Idem docet ſanctus Petrus: *Quapropter Fratres* (inquit) *ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Et Eccleſiaſtes:

Ec. *Neſcit homo utrùm amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta.*

I. Produc modò teſtimonia Patrum Græcorum, & Latinorum?

R. S. Chryſoſtomus in c. 3. ep. ad Philip. Ipſe (Paulus) poſt tot pro Chriſto perpeſſos labores tanquam nondum ſecurus dicit:

Philip. 3. *Si quo modo occurram ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis:* Et peccator neſcio quis, audet credere tanquam certum Dei Verbum ſe perventurum ad illam gloriam?

L. 1. de correp. & grat. l. 13. & alibi ſæpè. Vel l. 12 de civit. c. 12. 2. de bono perſev. c. 10. Licet enim Sancti (inquit Auguſtinus) de ſuæ perſeverantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamen perſeverantia ſua reperiuntur incerti. Quis enim hominum ſe in actione profectuque juſtitiæ perſeveraturum uſque in finem ſciat, niſi ab illo aliquâ revelatione fiat certus, qui de hac re juſto latenti que judicio, non omnes inſtruit, ſed neminem fallit?

Hier. l. 2. cont. Pelag. Prov. 27. Eccli. 11. *Ne glorieris in craſtinum; Neſcis enim quid adveniens pariat dies.* Unde ſcriptum eſt: *Ne beatum dixeris quempiam ante mortem.* Quamdiu enim vivimus, in certamine ſumus: quamdiu in certamine, nulla eſt certa victoria, quæ etiam Apoſtolo fortiſſimè prælianti in futuro demum ſæculo reſervatur.

I. Quibus modò rationibus vanam iſtam hæreticorum fiduciam refellis?

R. Rationes illæ quas allegant Catholici, ſunt evidentiſſimæ: Nemo aliquid certè certitudine fidei credere poteſt, niſi idipſum à Deo fuerit revelatum, atqui in particulari, juſtum me eſſe juſtitia habituali nuſquam eſt revelatum, fieri proinde nequit, ut id tali fide credam, imò impoſſibile eſt, ut credam. 1.

Salvator noſter dixit Matt. 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Sed nemo certus eſt, quod in finem uſque perſeverabit; ergo non habet certitudinem ſalvationis, ſive prædeſtinationis ſuæ. 2.

Dum aliquis reformatæ religionis fit Catholicus, vel erat de numero prædeſtinatorum, vel non; ſi erat de prædeſtinatis, quomodò excidit fide ſuâ? ſi non erat, quâ ratione obligabatur id credere? 3.

Securum facere quempiam de ſua prædeſtinatione, nunquid perinde eſt ac ſi perſuadeas ei; ut quidquid peccaverit, & quibuſcumque flagitiis conſpurcatam vitam duxerit, bono ſit animo, quia futurum, ut infallibiliter ſalvetur? 4.

Imò perinde omninò eſt ac ſi dicas: vis ſemper vivere, & nunquam mori? fac ſis ſemper in ſtatu peccati mortalis, & extra Dei gratiam, impoſſibile enim eſt prædeſtinatum qualis tu es, in peccato mortali mori. Quis unquam ſimiles ineptias audivit? 5.

Si ſecuri ſumus, & in ſpeciali hac fiducia conquieſcimus, quid ſibi volunt Scrip- 6.

1.Cor. 10. Apoc. 3. Pſ. 2. turæ ſuprà citatæ? quid Apoſtolus nos monet, dicens: *Qui ſtat, videat ne cadat.* Et S. Joan. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam?* Cur David jubet nos *ſervire Domino in timore, & exultare ei cum tremore?* Apage hæretici cum veſtra fide ſpeciali quæ ſicut fucatam, & peſtifero veneno plenam conſcientiis veſtris tranquillitatem propinat; ita ex diametro Sacris Litteris, SS. Patrum Doctrinæ, & ipſi rectæ rationi reclamat, uti vidimus. Ita nimirùm ſimplicibus imponitis, & infidam hanc obtruditis fidem, ut carnis libertatem, quæ vobis omni ſalute charior eſt, tueamini.

LECTIO SECUNDA.

De peccatis.

I. QUo maximè pacto cernitur magnitudo hujus beneficii, quod in poteſtate clavium offertur?

R. Si animum ad peccati, præſertim mortalis, naturam, & conditionem paulisper conſiderandam convertamus.

I. Quid igitur eſt peccatum?

Aug. l. 22. cont. Fauſt. c. 27. Amb. l. de Paradiſo c. 8. R. *Eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Aug. teſte Ambr. verò: *Quid eſt peccatum,* inquit, *niſi legis divinæ prævaricatio, & cæleſtium inobedientia præceptorum?* Vid. S. Thom. 1. 2. q. 71.

I. Cur dicis: *Dictum factum, vel concupitum?*

R. Ut comprehendam omne genus peccatorum, quæ inſtrumentaliter fiunt vel corde, id eſt, cogitatione; vel linguâ, id eſt verbo; vel manu, id eſt opere: & hâc parte definitionis declaratur materiale peccati; nam per reliquam partem: *Contra legem æternam,* declaratur id quod eſt formale peccati, id eſt, legis tranſgreſſio, in tali vel tali actione, verbo, vel cogitatione, ſive eorum omiſſione.

I. Quæ eſt igitur iſta lex, & cur illam appellas legem æternam, & non potiùs legem divinam?

R. Quia lex æterna eſt radix, & regula cæterarum legum; ab hac enim omnis lex poſitiva, ſive divina; ſive humana, ſive civilis, ſive Eccleſiaſtica, quaſi rivulus à fonte derivatur, & deſcendit. Lex enim æterna (ait S. Thom.) 1. 2. q. 91. a. 1. eſt ſumma ratio in mente divina exiſtens, ſecundùm quam dirigit omnes creaturarum actiones, & motus in ſuos fines. Sicut enim in Deo eſt ratio rerum creandarum, quæ dicitur idæa; ita etiam eſt ratio rerum gubernandarum, quæ dicitur lex æterna. Et ſicut *Lex æterna.* illa ratio rerum creandarum non eſt aliud quàm conceptus divinæ mentis, quo concipit rem, & judicat quomodò illa ſit facienda; ita hæc ratio quæ eſt lex æterna, non eſt aliud quàm conceptus ille, quo concipit, & judicat quomodò quælibet creatura debeat ſuas functiones obire, adjunctâ ſimul voluntate eam obligandi, vel imprimendi inclinationem ad eam regulam ſequendam.

I. Quæ eſt differentia inter vitium, & *Peccatum & vitium quomodò differunt.* peccatum?

R. Quòd vitium ſit habitus, peccatum verò actus quem habitus producit. Hîc definimus peccatum, non verò vitium.

I. Eſtne peccatum ſubſtantia, qualitas, aut alia quævis creatura?

R. Minimè: Nam in ſuo formali non eſt aliud quàm quædam rectitudinis legi conformis privatio: ac proinde actus moralis pravus dicitur peccatum à privatione actui conjuncta: ideoque peccatum non eſt res aliqua ſubſiſtens, ſed mera privatio, & nihil.

Hinc B. Petrus Damiani ep. 4. c. 4. oſten- *Peccator magis non eſt, quàm eſt.* dit impium, etiam dum exiſtit, videri potiùs non eſſe, quàm eſſe, magiſque pertinere ad nihilum, quàm ad ens, eò quòd longiſſimè ab eo qui verè eſt, & per quem omnia ſunt, puta à Deo recedat & diſtet.

Ma-

Magis enim diſtat peccator à Deo, quàm non ens ab ente: hujus enim finita, illius infinita eſt intercapedo & diſtantia.

I. Quo fundamento dicunt Calviniſtæ Deum eſſe peccati auctorem?

R. Horrenda eſt iſta blaſphemia, & pernicioſiſſimum commentum. Sanè in hoc pejus ſentiunt antiquis hæreticis Gnoſticis, & Marcioniſtis, qui duos ponentes Deos, unum bonum, alterum malum, peccata non bono, ſed malo Deo adſcribebant. *Apud Iren. l.3 c. 43.*

I. Quid profitentur Catholici?

R. Sub initium Symboli docemus Deum cauſam efficientem eſſe *viſibilium omnium, & inviſibilium*; omneſque creaturas, & univerſa quæ fecit Deus, eſſe valde bona. Sed hîc notandum, creaturas rationales, cùm immutabiliter non eſſent bonæ, potuiſſe errare, & de facto erraſſe; qui error ſive defectus eſt ipſum peccatum; cujus cauſa non efficiens, ſed deficiens eſt ipſa voluntas creaturæ rationalis. Et certè ſi Deus nullo modo deficere poſſit, cùm ſit omnis perfectionis inexhauſtum pelagus; quo pacto poſſit peccare? Verùm relinquamus iſta Doctoribus qui cum hæreticis de controverſiis diſceptant. *Gen. 1.*

I. Hoc unum audire velim, qualiter Deus ſe habeat, dum homines peccant; An (uti Calvinus dicit) ut otioſus ſpectator?

R. Deus certâ ſuâ providentiâ vult peccata permittere ob bonos fines, quos inde novit elicere, illa benè ordinando, juſtèque puniendo; *Melius judicans de malis bene facere, quàm nulla mala eſſe permittere*, ut habet Auguſtinus. *Enchir. c. 27.*

LECTIO TERTIA.

De Peccato originali.

I. HActenus definiviſti peccatum, aſſigna modò aliquam ejus diviſionem?

R. Primò dividitur peccatum in *originale, & actuale*? *Peccatum aliud eſt originale, aliud actuale.*

I. Quid eſt peccatum originale?

R. Originale vocamus, quod à primo generis noſtri parente Adamo transfuſum, nobiſque in ipſo ortu congenitum eſt.

I. Quo pacto obtinetur remiſſio peccati originalis?

R. Reſpondimus ſup. lect. 1. hujus cap. quòd per Baptiſmum. *Aug. ep. 28 Fulg. de Incarn. & grat. Chriſti c. 16.*

I. Declara id (ſi places) paulò fuſiùs?

R. Peccatum hoc originis, neque per humanæ naturæ vires, neque per aliud remedium tollitur, quàm per meritum unius Mediatoris Domini noſtri JESU Chriſti, qui nos Deo reconciliavit in ſanguine ſuo, factus nobis juſtitia, ſanctificatio, & redemptio: hujus verò meritum per Baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum, tam adultis quàm parvulis applicatur: quia *non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri* Undè illa vox: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* *Act. 4.* *Joan. 1.*

I. Contrahuntne omnes homines peccatum originale?

R. Omnes omninò ab Adam deſcendentes per viam generationis humanæ.

I. Quare addis hoc, *per viam generationis humanæ*?

R. Ut excipiatur Chriſtus Salvator noſter, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto.

I. Quid ergò de B. Virgine in hac materia?

R. Dico nullam eſſe regulam tam ge-

 nera-

neralem, quæ ſuam non patiatur exceptionem; undè eam hoc loco, ubi de peccato originali agitur, non comprehendimus. Vid. Conc. ſſ. 5. *in fine decreti de pecc. Orig.*

I. Qualiter fuit Beata Virgo, naturali propagatione Adæ Filia, ab originali culpa immunis?

B. Virgo Maria à peccato originali immunis, quomodò?

R. Doctores Catholici communiter dicunt, Beatiſſimam Virginem in Adam peccaſſe, & neceſſitatem contrahendi peccatum originale incurriſſe: ſed peccatum ipſum originale de facto in ſe non contraxiſſe, nec habuiſſe: quia gratia Dei fuit præventa primo conceptionis ſuæ inſtanti, quæ peccatum omne ab ea excluſit.

I. Quæ nobis mala invexit peccatum originale?

R. Alia quidem hujus vitæ temporalia; alia verò futuri ſæculi æterna.

I. Quæ ſunt hujus vitæ temporalia iſta mala?

R. Potiſſimùm eſt privatio juſtitiæ originalis.

Juſtitia originalis.

I. Quid vocas *juſtitiam originalem*?

R. Juſtitia originalis erat donum quoddam ſupernaturale, inditum à Deo Adamo, pro ipſo, & pro poſteris ejus, quod vires inferiores ſubjiciebat ſuperioribus, & ſuperiores Deo, harmoniam quamdam miram conſtituens; cui per peccatum amiſſæ ſucceſſit diſcordia, & rebellio deploranda inferiorum partium adversùs ſuperiores.

I. Advertitne Adam, commiſſo peccato, ſe perdidiſſe juſtitiam originalem?

Gen. 3.

R. Ita; vidit enim ſe eſſe nudum, & erubuit.

I. Omneſne etiam poſteri Adam amiſerunt juſtitiam originalem?

R. Non amiſerunt eo ſenſu, quaſi illam aliquando habuerint, uti primus parens, qui & ſibi, & poſteris acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam perdidit; ſed ejus occaſione factum eſt, ut nullus poſterorum eâ gaviſus ſit, ſalvo in omnibus Beatiſſimæ Virginis privilegio, de quo alibi.

I. Poſſetne in hoc mundo ſtatus innocentiæ, & juſtitia originalis recuperari?

Exemplũ.

R. Minimè, & ad id contendere, eſſet inaniter laborare.

Iac. de Vitr. in vit. S. Maria Ogniac. l. 2. c. 3. Vincent. Beluac. Spec. hiſtor. l. 30. c. 34.

Monachus quidam Ciſtercienſis inſtituti, immoderato quodam innocentiæ, & puritatis zelo impulſus, præ ſpiritûs fervore ad ſtatum primi parentis Adæ pertingere nitebatur. Suſcepit eâ causâ laboris plurimum, affligebat ſe inediâ, vigiliis, & precibus: ſed cùm hæc omnia fruſtrà eſſent, nec poſſet ad illam innocentiam pervenire, primò incidit in tædium & acediam. Volebat ille cibum ita ſumere, ut nullam inter edendum ſentiret delectationem. Primos ſenſualitatis motus conabatur non ſolùm reprimere, ſed etiam extinguere penitus. Contendebat abſque ullo veniali peccato vitam in perfecta puritate tranſigere. Erat ea tentatio dæmonii meridiani ad impoſſibilia eum inſtigantis. Unde fiebat immemor illius Scripturæ Sapientis: Noli eſſe juſtus multum. *Laborabat multum, ſed nullo fructu. Itaque præ mœrore tandem in deſperationis foveam prolapſus eſt, cùm perſuaſum haberet ſe in eo corruptionis ſtatu, in quo eſſet, ſalutem nullâ poſſe ratione adipiſci. Veniales enim culpas, quas in hac vita omnes vitare non poſſumus, ille mortiferorum criminum loco habebat: nec volebat propterea ſumere corpus Chriſti etiam illis diebus, quibus id monaſticus canon vult percipi. En ad quam calamitatem, quam horrendam, & miſerabilem ruinam ſub ſpecie boni, hoſtis ille teterrimus ſimplicem hominem perduxit, ita ut infirmus reſpueret medicinam, & jugum obedientiæ à ſe repelleret, qui propriæ voluntati ſemel nuntium remiſerat. Ejus autem animi morbum pius quidam Abbas ubi cognovit, cum multis aliis Dominum pro illo deprecabatur; ſed prævaluit inimicus, & quem laqueo forti conſtrinxerat, cum ſine intermiſ-*

Eccli. 7.

En quo abduxit ſimplicem hominem ſtultus conatus!

ſione

ſione vexabat. Tandem Abbas ille, quod non ſolùm ancillæ Chriſti (Beatæ Mariæ Ogniacenſis) eſſet amicus, ſed etiam virtutem ejus, quam in ſeipſo expertus erat, non ignoraret, Monachum illum ad ſe curavit adduci. Et ecce orante illâ pro Monacho, cum lacrymis, & ſuſpiriis, cùm ille ante Miſſæ Introitum Confiteor diceret; & illâ inſtantiùs pro eo oraret, quaſi atri quidam lapilli ad ſingula confeſſionis verba ex ore Monachi decidere videbantur. Tum illa animadvertens in hac viſione obſtinationem deſperationis, & triſtitiæ nigredinem à Monacho receſſiſſe, Domino gratias egit, qui non vult mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant. Monachus verò peracto Sacrificio, tanquam è longinqua regione ad ſe reverſus Chriſti Corpus accepit; & eâ ſalutari perceptâ medicinâ, perfectè curatus eſt.

I. In aliane etiam mala hujus ſæculi impegit peccato ſuo primus parens Adam?

R. Planè, nam ejectus fuit è Paradiſo voluptatis, obnoxius neceſſitati moriendi, & multa hujus vitæ incommoda tolerandi.

I. Quid verò pro futuro ſæculo?

R. Iram & indignationem Dei, ac mortem ſempiternam incurrit, adeoque in diaboli poteſtatem, qui deinde mortis imperium habuit, incidit; demumque totus Adam per illam prævaricationis offenſam ſecundùm corpus, & animam in deterius commutatus fuit.

I. Obtinuitne Adam remiſſionem ſui peccati?

Sap. 10. R. Ita: *Eduxit* enim *illum Dominus* (inquit Sapiens) *à delicto ſuo*, per pœnitentiam quam egit de ſuo inobedientiæ peccato, quâ pomum à Deo vetitum comedit. Imò Veteres ex communi Eccleſiæ traditione, & conſenſu tradunt Adamum eſſe ſalvatum. Hæc omnia docet ſanctus Augustinus epiſt. 99. ad Exod. ubi ſic ait: *De illo primo homine patre generis humani, quod Chriſtus, cùm deſcendit ad inferos, inde eum liberaverit, Eccleſia ferè tota conſentit: quod eam non inaniter credidiſſe, credendum eſt, undecunque hoc traditum ſit, etiamſi canonicarum Scripturarum hic expreſſa non proferatur auctoritas.* Idem tradunt cæteri Patres.

Iren. l. 3. c. 24. Epiph. hæreſ. 46.

S. Hilar. in Pſ. 119. & can 8. in Matt. S. Hier. in Pſ. 98. & in c. 20. Matt. Nazian. in S. Cyp. & aliis.

I. Incurreruntne etiam ejus poſteri pœnam mortis, & hujus vitæ incommoda?

R. Ita. Adami prævaricatio non ſibi ſoli, ſed toti propagini, & poſteritati nocuit, uti jam ſuprà diximus; adeò ut non mortem tantùm, & pœnas corporis, verùm etiam peccatum (quod mors eſt animæ) in omne genus humanum transfuderit: id quod Apoſtolus confirmans dixit: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Audi Auguſt. poſt peccatum exul effectus (loquitur de Adamo) ſtirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis, & damnationis obſtrinxit; ut quidquid prolis ex illo, & ſimul damnata, per quam peccaverat conjuge, per carnalem concupiſcentiam, in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt, naſceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, doloreſque diverſos, ad illud extremum cum deſertoribus Angelis vitiatoribus, poſſeſſoribus, & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium. *Sic per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c.* Mundum quippe appellavit eo loco Apoſtolus univerſum genus humanum.

Quid peccatum Adæ operatum ſit quoad poſteros.

Rom. 5.

Aug. Enchir. ad Laurent. c. 26.

Similia diverſis locis habet idem Eccleſiæ Doctor eximius.

Conc. Arauſican. II.

Et Concil. Arauſic. II. *Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & ejus propagini aſſerit nocuiſſe, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus*

huma-

Digitized by Google

humanum tranſiiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit contradicens Apoſtolo dicenti: per unum hominem peccatum intravit in mundum,&c.

I, Debentne ergò Filii Adam etiam parvuli portare iniquitatem Patris ſui poſt mortem?

L.1. de peccatorum merit. & remiſſ. R. Ita, ſi non fuerint Baptiſmo regenerati, manent æternæ damnationi obnoxii. De hoc dicit Auguſtinus: *Ex hac inobedientia carnis, ex hac lege peccati, & mortis quiſquis carnaliter è regenerari ſpiritualiter opus habet, ut non ſolùm ad regnum Dei perducatur, verùm etiam ut à peccati damnatione liberetur. Simul itaque peccato, & morti primi obnoxii naſcuntur in carne, & ſimul juſtitiæ vitæque æternæ ſecundi hominis ſociati renaſcuntur in Baptiſmo.*

I. Quare manent tales æternæ damnationi obnoxii?

R. Quia non ſunt hactenus gratiæ Chriſti participes, ſine qua impoſſibile eſt ad conſortium regni cœlorum pervenire.

Non enim poſſunt vitam habere (inquit idem Auguſtinus) niſi habeant Chriſtum, quem procul dubio habere non poſſunt, niſi induerint eum, eo modo quo ſcriptum eſt: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Non ergò eos habere vitam niſi habeant Chriſtum Joannes Evangeliſta teſtatur, dicens in Epiſtola ſua: *Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium, vitam non habet.* Meritò ergò intelliguntur mortui qui non habent vitam, pro quibus eſt Chriſtus mortuus ut habeant. *Unus enim pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt.* Ideò autem mortuus eſt, ſicut legitur ad Hebræos, *ut per mortem ejus evacuaret eum qui poteſtatem habebat mortis,* id eſt diabolum. Quid ergò mirum, ſi parvuli quamdiu mortui ſunt, antequam incipiant eum habere, qui mortuus eſt pro mortuis, ſub eo ſunt qui poteſtatem habet mortis.

L.6. cont. Iulian. c.4.

Gal.3.

1.Cor.5.

Hebr.2.

I. Quare verò debet tota Adæ poſteritas luere pœnas ejus quod ipſe deliquit? *Rom.6.*

R. Quia in Adam omnes peccaverunt?

I. Quomodò hoc?

R. Quia Adam erat caput generis noſtri & omnium hominum quaſi maſſa, cui mandatum dederat Dominus Deus pro ſe & toto genere ſuo obſervandum; vel ſi ita contingeret, uti reverà contigit, etiam pro ſe totaque propagine infringendum.

Qualiter omnes homines in Adam peccaverint.

I. Declara hoc, ſi placet, paulò latiùs;

R. Declaro ſic. Actus inobedientiæ Adami, quo pomum vetitum comedit, partim perſonalis fuit & proprius, ac inhærens ipſi Adamo, & hic eſt ei remiſſus per pœnitentiam uti ſuprà notavimus ex Sap. 10. partim generalis fuit, & communis totius naturæ humanæ, omniumque Adæ poſterorum. Hi enim illo actu Adamo actualiter peccante, in eo, quaſi capite, fonte & ſeminario contenti, & quaſi concluſi originaliter idem peccatum commiſerunt: quod enim Adam egit & comedit, nos cenſemur egiſſe & comediſſe; quia voluntas noſtra poſita fuit à Deo ſummo omnium Domino in voluntate Adami, tanquam communis omnium parentis: ſic ergò Adam peccans omnes nos eodem peccato infecit. Et ſic peccatum originale nobis voluntarium eſt voluntate alienâ: dicitur tamen & proprium; tum quia Adæ voluntas cenſebatur noſtra & propria, tum quia cuiq; propriè inhæret ejus macula habitualis; quam poſt ſe reliquit; & tranſfudit actus Adami.

I. Si confitendum eſt reatum originalis peccati per JESU Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, remitti; qui fit quod ejus effectus etiam poſt Baptiſmum remaneat, ut putà, privatio juſtitiæ originalis, mors, morbi, ærumnæ, &c.

Sublato per Baptiſmum originali peccato, manent plures ejus effectus in renatis.

R. Certiſſimum eſt in Baptizatis totum id

id quod veram & propriam peccati rationem habet, tolli. In renatis enim nihil odit Deus, *quia nihil damnationis eſt iis qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem*, uti nuper ex Apoſtolo docuimus: nihil prorsùs quod eos ab ingreſſu cœli remoretur. Ac interim fateri oportet, manere in Baptizatis concupiſcentiam vel fomitem (aliaſque permultas hujus vitæ ærumnas peccati originalis, velut pediſſequas) quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per JESU Chriſti gratiam repugnantibus non valet, quinimò *qui legitimè certaverit, coronabitur.*

Sup. lect. 1. *Conc. Trid. ſſ. 5.* *2. Tim. 2.*

I. Nullumne ergò peccatum eſt ſentire in membris ſuis, ſeu in parte inferiori rebellionem & motus rectæ rationi repugnantes?

R. Minimè, ſi nullus voluntatis conſenſus, nulla ve negligentia conjuncta fuerit. Concupiſcentia enim in renatis manens non per ſe peccatum eſt, ſed fomes peccati ad agonem relictus, ut baptizati hâc occaſione vigilantiùs Dei gratiam quærant, virtutes ſtudioſiùs exerceant, fortiuſque certando majorem ſibi gloriam parent.

Fomes peccati propriè peccatum non eſt.

I. Quid eſt peccatum actuale?

R. Quod propriâ noſtrâ voluntate & operatione perficitur.

Peccatum actuale.

LECTIO QUARTA.

De peccato mortali.

I. Habeſne aliam peccati diviſionem?

R. Ita. Secundò dividitur peccatum actuale, *in mortale & veniale.*

I. Undè habes hanc peccati diviſionem?

DD. in 2. diſt. 42. S. Tho. 1. 2. q. 85. a. 1.

R. Ex Scripturis, & communi Eccleſiæ ſenſu.

I. Affer mihi aliquas Scripturas huc pertinentes?

R. Apoſtolus quando de peccato mortali differit. *ſtipendia* (inquit) *peccati mors. Iniqui regnum Dei non poſſidebunt.* Vide Gal. 5. nu. 20. & 21. Apoc. 21. nu. 8. Sap. 1. n. 15 & 16. Omnes iſtæ Scripturæ loquuntur de peccato mortali, dicuntque eos qui illud admittunt, mortem animæ incurrere, à regno cœlorum excludi, fierique damnationis æternæ obnoxios.

Rom. 6. 1. Cor. 6.

De veniali (ſic dicto quod ei venia facilè concedatur) aliter Scriptura loquuntur, & manifeſte oſtendunt, differentiam quâ à mortali diſtinguitur, v. g. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Iſta Scriptura haud dubiè non poteſt verificari de mortali, quaſi omnes, nemine excepto, haberent aliquod peccatum mortale, cùm certum ſit plurimos probos, quales erant Apoſtoli, & nominatim ſanctus Joannes, Dei adjutorio, à mortali culpa immunes fuiſſe. Ergò debet iſta Scriptura cum Eccleſia & Patribus intelligi de veniali peccato, ſine quo nec ipſi Sancti vivunt in hoc mundo, exceptâ unâ beatâ Virgine. Licet enim Apoſtoli confirmati eſſent in gratia, ut non peccarent mortaliter, poterant tamen peccare, & peccabant aliquando venialiter. Accedit ſanctus Jacobus quic. 3. ep. ſuæ dicit; *In multis offendimus omnes.* Hoc eſt quod ait Eccleſiaſtes c. 7. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Et Prov. 24. n. 16: *Septies cadet juſtus & reſurget.* Sanè Dominus Apoſtolos omneſque juſtos orare docuit: *Dimitte nobis debita noſtra.* Matt. 6.

1. Joan. 1. *Vide Con. Trid. ſſ. 6. can. 23. Milevit. can. 6. S. Aug. de perfec. juſtit. c. 21. S. Hier. dial. 3. cont. Peleg. S. Baſil. hom. de pœnit. Cyp. l. 3. ad Quirin. c. 54. Greg. 8. mor. c. 4. Ambr. de fuga ſæculi c. 1. & alii.*

Hanc mortalis & venialis peccati diſtinctionem & differentiam viſus eſt Chriſtus Dominus inſinuare; conſtituens tres iracundiæ gradus, quibus tres reatus correſpondent; Judicii, Conſilii & gehennæ ignis. Convitio enim reatum gehennæ aſſignat; iracundiæ compreſſæ, reatum Conſilii; iracundiæ verò nullo externo ſigno foras erumpenti, reatum judicii.

Matt. 5.

Peccatum mortale.

I. Quid eſt peccatum mortale?

R. Mortale ſic dictum, quia mortem animæ præſentem adfert, ſecundùm illud: ***anima quæ peccaverit, ipſa morietur***, eſt peccatum quo inimici Dei conſtituimur, privando nos gratiâ ipſius, quæ eſt vita animæ noſtræ, adeoque nos morti æternæ addicens.

Vita ſpiritualis animæ eſt gratia Dei.

I. Quoniam ejus, quod dicis, frequens eſt uſus, velim explices mihi paulò latiùs, qualiter gratia Dei ſit vita ſpiritualis animæ; ejuſque privatio mors ejuſdem.

R. Declaro ſic: homo dum naturali vitâ vivit, videt, audit, loquitur, ambulat, ſubſiſtit, robuſtus eſt, formoſus eſt, & amabilis, quoniam anima in eo eſt: & poſt mortem non videt, non audit, non loquitur, non movetur, ſed jacet deformis, inutilis, & inviſus, quia anima receſſit, à qua bona iſta omnia derivabantur; pari modo, dum anima per gratiam Dei ſpiritualiter vivit, videt quæ fides oſtendit, audit quid loquatur in ſe Dominus, ambulat per viam mandatorum Dei ad cœleſtem patriam, loquitur in oratione ad Deum, & in ſancta exhortatione ad proximum, & ſubſiſtit perſeverando in bonis operibus, & robuſta eſt in acie adversùs hoſtes inviſibiles, & formoſa in oculis Dei & Angelorum ejus. Recedente autem per peccatum mortale gratiâ Dei ab anima, ſtatim accidit omnis privatio eorum quæ recenſuimus, & niſi reſurgat per pœnitentiam, rapitur ad mortem ſecundam, ex qua non reſurgitur.

Eximia ſpecies animæ quæ eſt in gratia Dei.

I. Ergò, ut video, magni facienda eſt, & ſollicitè retinenda gratia Dei.

R. Optimè dicis, nam ſi mentis oculos nobis aperiret Deus, & ſpeciem eximiam, ac ſplendorem nimium intueri poſſemus, quo prædita eſt anima quæ eſt in gratia Dei, & perveram charitatem ei conjuncta, & quibus oculis eam reſpiciat Deus, quæ munera ei præparet, & quanto ipſa deſiderio expectetur ab Angelis in cœlo: certè ferre non poſſemus, ut tanta pulchritudo vel aliquâ levi maculâ fœdaretur. Et, ſi eâdem ratione intueri poſſemus quanta ſit fœditas animæ peccatricis: quàm tetrum odorem ſpiret, quaſi putrefactum cadaver; & quàm refugiat Deus & Angeli ejus eam reſpicere, quamvis fortè in corpore formoſo & hominibus amabili habitet: ſine dubio ita horreremus, ut nullâ ratione pateremur non tales fieri, aut in eo ſtatu diutiùs permanere.

Magna fœditas animæ peccatricis.

I. Quis poteſt vivificare animas per peccatum mortuas?

R. Ille qui ad mortuos ſuſcitandos venit, dicente Paulo: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis; & illuminabit te Chriſtus.*

Aug. ſer. 44. de verbis Apoſtoli. Epheſ. 5.

Veniale.

I. Quid eſt veniale peccatum?

R. Eſt peccatum quod etſi nos Dei inimicos non conſtituat, neque privet omnimodè ejus gratiâ; attamen ei diſplicet, minuitque charitatis fervorem ejus qui peccat, obſtringendo illum alicui pœnæ temporali.

I. Poſſeſne afferre mihi aliquod ſimile, quo poſſit utcumque intelligi illa ipſa mortalis & venialis differentia?

Simile.

R. Poſſum, videmus in naturalibus, quòd quando contingit in corpore humano talem fieri humorum diſproportionem, ſive inordinationem, ut ipſum vitæ principium totaliter deſtruant, mortem ſequi; ſin verò, ſalvo illo principio, contingat ſolùm aliqua intemperies, ſeu humorum antedictorum indiſpoſitio, tum ſubſequitur, non quidem mors ipſa, ſed languor quiſpiam, & corporis quædam debilitas; quæ, ſi principiis obſtiteris, facili negotio curabitur. Sic agitur cum anima diverſimodè pro diverſitate peccati mortalis & venialis; illo quidem mortem inferente; hoc verò triſtitiam, languorem & infirmitatem.

I. Eſtne peccatum mortale ſollicitiùs vitandum?

R. Planè, cùm ſit malorum omnium peſſi- Sap. 16.

peſſi-

Digitized by Google

peſſimum. *Homo* quippè *per malitiam occidit animam ſuam.* Nihil autem eâ morte infelicius, quâ homo à Sanctorum omnium conſortio, ab Angelorum & cœlitum gaudio, atque ab ipſo ſummo & æterno bono, in cujus cognitione ac fruitione omnis ſalus & perfecta hominis beatitudo conſiſtit, in æternum ſeparatur. Neque ſolùm à Deo, Deique gratia & gloria peccatum nos excludit, ſed præterea etiam in poteſtatem tradit dæmonum, ut cum his torqueamur, & malis omnibus in gehenna ignis inextinguibilis addicamur. Atque id eſt demum verè mori ac damnari morte ſecunda; ſcilicet in ſempiternum.

Peccati mortalis malitia.

I. Numquid peſtis, fames, bellum, tormenta, mors ipſa pejora ſunt peccato mortali?

R. Minimè; nihil poteſt eo deterius excogitari; imò hæc omnia in ſimul adunata, & compoſita, non habent cum peccato aliquid comparabile.

I. Numquid igitur infernus, & pœna gehennæ ignis ſempiterna, horribiliores ſunt mortali peccato?

R. Non, quia peccatum eſt cauſa gehennæ, & damnationis ſempiternæ.

I. Saltem diaboli ſunt peccato pejores?

R. Imò verò peccatum unum mortale eſt pejus omnibus diabolis.

I. Qui fieri poteſt?

R. Hoc patet ex eo quod per peccatum mortale, qui erant Angeli formoſiſſimæ lucis, omnique ex parte pulcherrimi, facti ſunt ſpurciſſimi dæmones.

Unum peccatum mortale pejus omnibus dæmonibus ſimul ſumptis.

I. Eſtne peccatum mortale pejus omnibus antedictis etiam ſimul junctis, peſte, fame, morte, inferni gehennâ, omnibuſque dæmonibus?

R. Ita, hæc omnia vincit peccatum malitiâ ſuâ.

I. Declara igitur in ſumma, quantam homini perniciem inferat peccatum mortale?

R. Primò, peccatum mortale procul ab anima abigit ipſam ſummam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, paratque locum diabolo, eum in poſſeſſionem admittens. Secundò, privat hominem gratiâ Dei, quæ omnibus mundi gazis & ſuper aurum & topazion pretioſior eſt; eâdemque ratione occidit animam, uti ſuprà habitum eſt; cùm gratia ſit animæ vita, quemadmodum corporis ipſa anima. Tertiò, ex Filio Dei facit diaboli filium ei per omnia ſimilem, fœtidiſſimum, turpiſſimum, nigerrimum, omnique ſpectro horribiliorem, quod ore Salvatoris noſtri expreſſum eſt cùm diceret: *Unus ex vobis diabolus eſt.* De Juda loquebatur, qui ob proditionis immane flagitium diabolo aſſimilabatur crudelitate, deformitate, infamia, abominatione. Peccatum ergò mortale vel unicum, adeò fœdum & horrendum eſt, ut aſſerat ſanctus Anſelmus: *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & neceſſariò uni illorum haberem immergi, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me admitterem.* Additque: *Mallem purus à peccato gehennā intrare, quàm peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere.* Quartò, hominem ſpoliat omni merito bonorum operum quæ ante hac fecerat: *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* Efficitque ut quidquid in tali ſtatu operatur, inutile ſit ad meritum vitæ æternæ; adeò ut quidquid congeſſerit bonorum operum jejuniis, vigiliis, eleëmoſynis, nihil ipſi profuturum ſit, & nullam pro iis mercedem in cœleſti regno ſit accepturus. Vide quid dicat Apoſtolus 1. Cor. 13. de eo qui charitatem non habet. Imò quaſi corpus mortuum exſors erit à Communione Sanctorum, de qua ſuprà. Quintò, ratione peccati mortalis deletur peccator de libro vitæ, relatus in numerum reproborum. Sextò, quodcumque lethiferum peccatum exulare facit hominem à patria ſua, qui eſt Paradiſus, & ad ignem inextingui-

Effectus peccati mortalis in homine.

Joan. 6.

L. de ſimilit. c. 190.

Eccli. 9.

Exodi. 32. n. 33.

bilem gehennæ infernalis amandat, niſi dignos pœnitentiæ fructus fecerit, & faciem juſti Judicis in lacrymoſa confeſſione præoccupaverit. Septimò, peccatum eſt cauſa omnium malorum quæ ſub cœlo ſunt & quæ in abyſſo; belli, peſtis, famis, jacturæ bonorum, infirmitatum, mortis, diaboli, inferni, damnationis ſempiternæ.

I. Fueruntne aliqui damnati ob unicum peccatum mortale?

R. Ita plurimi. Lucifer enim & cæteri Angeli apoſtatici unicum peccatum cogitationis commiſerunt, & æternis ignibus traditi ſunt.

I. Animadvertitne aliquando Deus in peccatores etiam in hac vita?

R. Planè, & quidem ſuppliciis graviſſimis. Exempla plurima habes in ſcripturis, quæ facilè erit depromere.

Primi Parentis noſtri. Gen. 3.

Totius orbis per diluvium Gen. 7.

Exempla. Pentapoleos ob peccatum Sodomiticum, Gen. 19.

Uxoris Loth, in ſalis ſtatuam mutatæ ob inobedientiam. Ibid.

Murmuratorum Coræ, Dathan, & Abiron. Num 16

Collectoris lignorum in die Sabbathi, Num, 15.

Furis Achan Joſue 7.

Ozæ temerè Arcam contingentis 2. Reg 6.

Davidis adulteri. 2. Reg. 12.

Ægyptiorum Exodi 7 8. 9.

Iſraëlitarum Deut. 32. Num. 16.

In novo Teſtamento Ananias & Saphira ſubitaneâ morte ob mendacium percuſſi ſunt Act. 5.

I. Punitne etiam Deus peccatores flagellis temporalibus?

R. Ita plerumque.

I. Quibus modis?

R. Alios quidem bonorum jacturâ, alios corporalibus morbis, aliòs etiam morte ſubitaneâ, alios denique aliis modis, ſecundùm modum menſuramve delictorum. Nimis, proh dolor! experimur quod dixit Propheta: *Multa flagella peccatoris.* Pſ. 31.

I. Habeſne aliquod mirabilis Dei vindictæ exemplum huc pertinens?

R. Habeo. *Palladius ipſe narravit nobis: Audivi, inquit, nauclero quodam enarrante tale quid: quod die quodam cùm navigaret, vectores habens viros & mulieres, veniſſetque in altum, cæteris omnibus, benè navigantibus, aliis quidem Conſtantinopolim, aliis verò Alexandriam, & aliis alio vento illis afflante proſpero, ipſe ſolus navigare non poterat. Et manſimus, inquit, quaſi dies quindecim, nihil ex eo loco, ubi eramus, moti. Verſabamur igitur in magna mœſtitia, & deſperatione, neſcientes quidnam illud ſibi vellet. Egò verò ut nauclerus, cui cura navis incumbebat, & omnium qui in ipſa erant, cœpi rogare Deum pro hac re. Quodam verò die venit ad mè vox dicens: mitte foras Mariam & benè navigabis. Cœpi ergo cogitare quidnam hoc eſſet, & quæ eſſet Maria. Cùm autem hæſitarem de hoc, venit vox ſecundò dicens: Dixi tibi, mitte foras Mariam, & ſalvi eritis. Tunc ergo cogitans quid illud eſſet, exclamavi continuò: ô Maria! Neſciebam enim, quæ eſſet Maria. Illa verò jacens in loco ſuo, ut audivit, reſpondit dicens: quid jubes Domine mi? Tunc ego ad illam: fac charitatem, veni huc uſque. Exurgens autem continuò, venit. Cùm ergo veniſſet ad me, accepi eam ſeorſum, & dixi ei: vides Maria ſoror, quot peccata tua ſunt cauſá, ut propter te nos omnes pereamus? Illa verò altius ingemiſcens, ait: verè Domine mi nauclere ego peccatrix ſum. Et dixi illi: quæ peccata habes mulier? & illa: Væ mihi, inquit, quia non eſt peccatum, quod ego non fecerim, & propter peccata mea vos omnes in periculo conſtituti eſtis. Tunc enarravit mihi mulier quæ circa ſe erant, dicens: Profectò Domine nauclere infelix ego virum habui, ex quo duos filios genui. Cumque ad ætatem perveniſſent unus annorum novem, alius quinque, mortuus eſt maritus meus, & remanſi vidua.*

Sophr. prati ſpirit. c. 76.

Exemplum notabile.

Milos

Miles autem quidam habitabat juxta me, quem ego maritum accipere volui, miſique ad ipſum quoſdam. Ille autem non acquievit, dicens: non accipio uxorem qua habeat ex alio viro filios; ego autem videns quod propter filios nollet me accipere uxorem, inducta amore ejus occidi duos filios meos, indicavique illi dicens: Ecce modò nullum habeo filium. Miles autem cùm audiſſet quod egiſſem de filiis, ait: vivit Dominus qui in cœlis habitat, quia te non accipiam. Vnde ego metuens ne hoc manifeſtum fieret, & mererer, fugi. Hac ego audiens ex ore mulieris, ne ſic quidem in mare projicere volui, ſed differens dixi ad illam rurſus: ecce ego aſcendo in carabum, & ſi ambulaverit navis, ſcito quia peccata mea in navi operantur. Vocavique continuò ſcapharium, & dixi: produc ſcapham. Cumque aſcendiſſem in illam, nihilo magis vel navis vel ſcapha mota eſt. Tunc aſcendens navim dixi mulieri: deſcende & tu in ſcapham. Qua mox ut deſcendit, ſcapha ſe continuò quinquies gyrans in profundum cum muliere ſubmerſa eſt. Navis autem poſt hac tantâ velocitate cucurrit, ut tribus diebus ac dimidio navigationem peregerimus, quam diebus quindecim peracturi eramus.

I. Omnibus igitur benè conſideratis, ſummo ſtudio fugiendum eſt nobis peccatum?

Eccli. 21. R. Ita planè, & ad hoc vehementer adhortatur ſcriptura: *Fili peccaſti? non adjicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur. Quaſi à facie colubri fuge peccata: & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Dentes Leonis; dentes ejus interficientes animas hominum. Quaſi romphaa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non eſt ſanitas.*

Vid. Bel. larm. l. 2. de gemit. columba ſub init. I. Mirum eſt quomodo poſſit homo vel unicum peccatum mortale committere?

R. Benè dicis, & iſta eſt ſumma vecordia & inconſideratio peccatoris, qui peccati deterrimam ſtragem non expendit, non remanſurus vel ad momentum in tam miſero ſtatu, ſi conſideraret quòd per peccatum interficiatur anima, omnia bona pereant, & irruat in hominem innumerabilis turba malorum.

I. Credo potiſſimam hujus miſeriæ cauſam in eo eſſe, quòd noviſſima peccator non provideat?

R. Planè ita eſt; dicit enim Scriptura: *memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis.* *Vid. ſup. c. 8. & inf. p. 4. c. 6. l. ult*

I. Erantne Sancti æquè faciles in admittendo peccato ſicut nos?

Exempla. R. Minimè: *Sanctus Edmundus dicere ſolebat ſe priùs in fornacem ardentem deſcenſurum, quàm unum peccatum mortale committeret.* Sur. in vita ejus 16. Novemb.

Vid Hebr. 12. n. 4. *Omnes Martyres maluerunt fortunis omnibus, imò vitâ exui, quàm peccati ſuavitate ad momentum frui.*

Sancti magnopere peccatum deteſtati. *Ludovicus Gallorum Rex ab ineunte atate hoc perſuaſum habebat potiùs mori, quàm peccare. Nec mirum: is enim fuit in omni ſapientia rerum Divinarum ac bonorum morum à devotiſſima Regina Domina Blancha Genetrice ſua inſtructus, qua in annis puerilibus docebat eum timere Deum, & abſtinere ab omni peccato, ſic ut aliquando jam adoleſcenti cordaliter diceret: quod potiùs vellet eum mori corporaliter, quàm Deum ſuum aliquo peccato mortali offendere.* Sur. in vita.

Alii dicebant malle ſe in medio ſerpentum, ſtruthionum & draconum cubare, quàm vel unâ nocte dormire in mortali peccato.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ad Monachum à diabolo poſſeſſum ſcribens dicit: tolerabilius eſſe à damone quàm à peccato poſſideri. Vide Spec. exempl. d. 8. §. 32. 26.

I. Cur minùs pertimeſcenda ſunt quæcumque dixiſti, quàm peccatum lethiferum?

R. Ratio eſt, quia iſta quidem carnem

& corpus affligunt, animam autem, quæ ſub Dei immediata protectione eſt, non contingunt, imò hæc omnia magis eam exornant, perficiunt, & mundant dicente Apoſtolo: *Omnia cooperantur in bonum his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Et ſanè nullus magis affligitur in hoc mundo quàm vir juſtus; uti dicemus ſuo loco; quod ipſe in lucrum computat, tanquam id quod calcar addit, ad celeriùs currendum in via mandatorum Domini, in qua non deſinit cantare ſuum conſolatus laborem. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? anguſtia? an fames? an nuditas, an periculum? an perſecutio? an gladius?*

Rom. 8.

Ibid.

I. Ergò nihil propriè timendum homini Chriſtiano, niſi peccatum?

R. Rectè dicis, exemplo ſancti Chryſoſtomi. *Eudoxiâ Imperatrice Arcadii conjuge per ſuos nuntios ac legatos minas & terrores ſancto Ioanni Chryſoſtomo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano intentante, eò quod cupiditatibus ejus iniquis ſeſe opponeret, reſponſum eſt à ſuis quos miſerat legatis: Fruſtrà illum hominem terres; nihil enim ille niſi peccatum timet.*

Homini Chriſtiano nihil timendũ niſi ſolum peccatum.

Exempla.

Cum Theodoſium Imperatorem de ſua excommunicatione triſtem & ſollicitum valde, ut bono eſſet animo hortaretur Ruffinus Magiſter militum, curaturum ſe, dicens ut Epiſcopus Ambroſius etiam ſuâ ſpõte vincula ei laxaret, reſpondit Theodoſius: novi ego conſtantiam Ambroſii, & quod nullo regiæ majeſtatis terrore Divinam legem tranſgreditur.

Simeon Metaphraſt. in vita S. Chryſ. Theodor. l. 5. c. 18. hiſt. Eccle.

I. Fitne anima peccans deformis per peccatum mortale?

R. Ita, ut poſſit illud Jeremiæ dici de illa: *denigrata eſt facies ejus ſuper carbones.* Exemplum vide in Speculo d. 5. §. 107.

Thren. c. 4.

I. Manifeſtavitne aliquando Deus, quòd peccatum vehementer odiſſet?

R. Ita, quando Filium ſuum unigenitum, in quo ſibi benè complacuerat, tradidit in mortem, ut è medio tolleret peccatum, de quo jam olim prædixerat Propheta: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.*

Iſa. 53.

I. Quid agunt reipſa, qui mortale peccatum committunt?

R. Rursùm crucifigunt Filium Dei, uti S. Brigittæ declaratum fuit, ſup. ad art. 4. Symboli §. *Crucifixus.*

I. Solebantne acriter olim Concionatores invehi contra peccata?

R. Acerrimè. Exemplo ſunt omnes Prophetæ, qui minas & onera magna intentant peccatoribus. Apoſtoli item Apoſtolici; viri omni ſtudio inſectati ſunt peccata, ut S. Stephanus Act. 7. Vide quid in hoc genere ſanctus Vincentius Ferrerius Ord. Prædicatorum ſui ævi Paulus præſtiterit.

Iſai. c. 1. 2. 3. & 10. Jer. c. 22. & 23. Ezech. c. 2. 3. 8.

I. Quis Concionum iſtarum fructus?

R. Ut vera peccati pœnitentia & dolor e mordens in animis auditorum excitetur. Vid. Catech. Rom. p. 4 c. 14. §. 4. & 5.

I. Quandoquidem, uti jam multis declaraſti, peccatum mortale adeò eſt deteſtandum, abominandum, execrandum, animæque pernicioſum, omnibus votis deſidero (ſi quâ ratione fieri poſſit) totâ vitâ immunem me ab eo reddere, obſecro, doce quibus modis?

R. Planè, hoc unuſquiſque ante omnia perſuaſum habeat fieri poſſe, imò debere, ut ab omni mortali peccato, ſuffultus ope Divinâ abſtineat, id enim jam inſtar primi remedii erit contrà lapſum.

Remedia contra peccatum mortale.

Secundò, ſingulis mane & veſperi proponat firmiter nolle ſe peccatum admittere, & ad id gratiam humiliter à Deo petat.

Tertiò, vitandæ ſunt diligenter occaſiones, uti ſunt conſortia mala, &c.

Quartò, ubiq; meminiſſe oportet præſentiæ Dei. Vide quæ infr. p. 2. ſub initium Orationis Dominicæ.

Quintò, ſummoperè deteſtari peccatum

tum ob rationes jam allegatas, & maximè quia Deo eſt contrarium, & ei infinitè exoſum.

Sextò, recordari noviſſimorum.

Septimò, principiis peccati, ſive incentivis ad peccatum fortiter obſtare, uti ſcintillam à ſtramine ſtatim tollimus, ne incendium neglecta excitet. Vide Ambr. ſup. Pſ. 1. Chryſ. l. cont. Gent. Hier. in c. 9. Eccleſ.

I. Quo pacto poteſt peccati initiis reſiſti?

Qualiter initiis dum ad peccatum ſollicitamur reſiſtendum.

R. Hæc eſt praxis admodùm commoda & utilis: ſtatim ubi peccandi appetitus te invaſerit, ſtatue tibi ob oculos Salvatorem noſtrum JESUM Chriſtum in Cruce ſuſpenſum, vulneribus cruentum, & ſanguine undique reſperſum, te oculis multo lacrymarum imbre madidis reſpicientem, & ad eum converſus ex intimo cordis affectu ejus miſericordiam implora his aut ſimilibus verbis: *Abſit à me bone* JESU, *longè abſit à me ut te offendam; vel ut in hoc aut iſtud peccatum conſentiam; adjuva me gratiâ tuâ.*

In ſumma nullum eſt efficacius aut facilius remedium contra peccatorum illecebras, quàm elicere actus contritionis, aut amoris, ſi eorum aliquem uſum habueris.

I. Quis eſt iſtius uſus?

R. De hoc agetur poſteà, ubi de Charitate in 3. p. & de Pœnitentia in 4. Interim ſi viſum fuerit uſurpa id quod ſubjicio. Imaginare quod in conſpectu Salvatoris tui in Cruce affixi, & toto corpore cruenti, necnon ſuper te magno commiſerationis ſenſu illacrymantis conſiſtas, & intimis cordis medullis dic ei: *Domine mi* JESU *Chriſte, verus Deus & homo, Creator & Salvator meus, doleo ex toto corde meo quod te offenderim, quia tu Deus meus es, & te amo ſuper omnia, firmiterque ſtatuo ac propono nunquam poſt hâc peccare, ſed omnes peccandi occaſiones evitare. Propono quoque peccata mea confiteri, pœnitentiam quæ injuncta fuerit, exſolvere, & ſi quid alicui debeam, reſtituere. Amore etiã tui remitto injuriam omnem à quocumque mihi illatam. Inſuper ad expianda peccata mea offero Majeſtati tuæ vitam, labores, & bona opera mea univerſa. Vt verò humillimè peccatorum meorum remiſſionem efflagito, ita confido ab infinita bonitate tua, per merita ſanctiſſimæ Paſſionis, Sanguinis, & Mortis tuæ, ea mihi remittenda & præſtandam etiam gratiam quâ vitam meam emendem, & in ſanctiſſimo ſervitio tuo in finem uſque perſeverem. Amen.*

Actus Contritionis.

Vel ſic.

O Bone Deus, amo te ſuper omnia, diligo te, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis, ac firmiſſimè propono omnia mandata tua implere, omniaque te aſpirante peccata vitare, idque non aliam ob cauſam quàm ob immenſam perfectionem, incomprehenſam potentiam, altiſſimam ſapientiam, infinitam bonitatem tuam, ſive propter teipſum, & quia omni amore es digniſſimus; O Pater, ô Fili, ô Spiritus Sancte, ô Sanctiſſima Trinitas, ô Deus meus & omnia!

Actus amoris.

Breviùs.

Amo te Deus meus, quia dignus es, toto corde meo, & toto amore meo.

Vel ſic.

O amor Deus meus, diligo te ex toto corde meo, ſolùm propter te.

LECTIO QUINTA.

De peccato veniali.

I. OPortetne etiam peccata venialia fugere?

R. Omninò.

I. Quare hoc?

R. Quia, etſi lethalia non ſint, neque hominem Dei inimicum conſtituant, tamen Deo diſplicent; ſeu, ut Paulus loquitur, *contriſtant Spiritum Sanctum*; ob Epheſ. 4.

tuſ-

Digitized by Google

fucant conſcientiam, charitatis fervorem minuunt, virtutumque profectum remorantur, & ad graviora ſæpè vitia periculaque pertrahunt. Unde ſcriptum eſt: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.*

Eccli.19.

I. Suntne etiam pœnæ poſt mortem conſtitutæ pro peccatis venialibus?

1.Cor.3.

R. Sunt, eæque graviſſimæ, & acerbiſſimæ ignis Purgatorii. Qui quidem ignis, etſi perpetuus non ſit, tamen, ſi Auguſtino credimus, gravior eſt quàm quidquid homo in hac vita poteſt perpeti. Vid. quæ ſup. c. præced. lect. 13. tradidimus.

Aug. in Pſ.37. & ſerm.41. de SS.

I. Punienturne omnia & ſingula peccata venialia unâ & eâdem pœnâ?

R. Minimè, nam majora graviori, minora leviori pœnâ mulctabuntur.

De conſec. d.3. de multis & de pœnit. d.3. c. de quotidianis de conſec. d.3. c. aquam.

I. Non poſſunt igitur hæ leviores labes ſive quotidiana peccata in hac vita expiari?

R. Poſſunt. Humili ſui accuſatione, Dominicâ precatione, pectoris tunſione, aquæ luſtralis aſperſione, Indulgentiarum ſuſceptione. Sacro-ſancti Miſſæ Sacrificii applicatione, & aliis id genus piis in Deum, ac etiam erga proximum exercitationibus, corporiſque afflictionibus ſpontè ac religioſè ſuſceptis; Item benedictione Epiſcopali acceptâ. Vide Sylvium verbo peccatum. n.7. Dummodò tamen hæc fiant, aut ſuſcipiantur cum aliquo motu pœnitentiæ actualis aut virtualis, quem Eccleſia iis imperat, qui ea religioſè uſurpant. Vide S. Thom. 3.p. q.87 a.3. ad 1. & 3. & S. Aug. ep. 108.

I. Quod eſt præſentiſſimum, efficaciſſimumque remedium pro peccatis venialibus diluendis?

R. Sacramentum ipſum pœnitentiæ.

Ad Sacramentum pœnitentiæ etiam pro peccatis venialibus utiliter recurritur.

I Quare?

R. Quia Sacramenta ſemper & infallibiliter operantur effectum ſuum in homine diſpoſito; hic autem proprius eſt hujus Sacramenti effectus, remittere ſcilicet peccatum, & gratiam conferre.

I. Eſtne igitur operæ pretium ad ſacram confeſſionem accedere pro declaratione venialium peccatorum duntaxat?

R. Planè. Loquor de iis qui nullius ſibi lethalis criminis ſunt conſcii, & hoc ob rationem proximè allatam; & quia videmus homines timoratos, qui cordis munditiei ſtudent frequenter confiteri, etſi nullum peccatum mortale admiſerint. Multi etiam Sacerdotes non priùs ad altare Miſſam celebraturi accedunt, quàm peccata quotidiana & leviora ſacrâ confeſſione expiarint; nec immeritò, cùm deceat omninò magnâ animi puritate fulgere Sacerdotes qui tremenda altaris myſteria exequuntur.

I. Habeſne exempla Sanctorum qui magno ſtudio ſeſe à venialibus per confeſſionem expiabant?

Exempla.

R. Ita. *Poſtquam B. Maria Oegniacenſis evacuaſſet ea quæ ſunt pueri, tanto cum timore animam ſuam, tanto ſtudio ſenſus ſuos, tantâ puritate cor ſuum cuſtodire nitebatur, ſemper illud præ oculis habens: qui modica negligit, paulatim decidet; ut ne verbum quidem ullum, aut aſpectum inordinatum, nec indecentem vel indecorum corporis geſtum in ea unquam aut certè rarò advertere potuerimus: quamquam plerumque præ immenſo cordis gaudio, dum ſeipſam vix poſſet capere, aliquando liberius exhilarato vultu, externo corporis geſtu mentis jubilum prodere cogebatur, utpote vel riſum modeſtum ex cordis ſerenitate edendo &c. Cùm autem ad ſe tanquam à mentis quadam ebrietate rediſſet, & veſperi omnes actus ſuos ſeveriter commemoraret & examinaret, ſi vel in minimo modum ſe exceſſiſſe deprehenderet, cum admiranda cordis contritione id confe-*

ſſe-

ſitebatur, & à ſeipſa pœnas exigebat: non raro etiam illic trepidans, ubi nullus erat timor. Jacob. de Vitriaco in vita ejus l. 2. c. 6.

S. Catharina Suedica ex quo tempore adhuc cum matre viveret diebus ſingulis ſemel, non raro etiam pluries confitebatur, quem uſum etiam in extremo morbo ſervavit In vita ejus.

I. Exegitne etiam Deus aliquando graves pœnas in hoc ſæculo luendas pro veniali?

Exempla R. Ita, graviſſimas. *Moſes Abbas ob reprehenſionem unius ſermonis, quem contra Abbatem Macarium diſputans paulò durius protulit, quâdam ſcilicet opinione præventus, tam diro confeſtim traditus eſt dæmoni, ut humanas egeſtiones ori ſuo ſuppletas ingereret. Quod flagellum purgationis gratiâ ſe Dominus intuliſſe, ne ſcilicet in eo vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis ejus, atque auctore remedii demonſtravit Nam continuò Abbate Macario in oratione ſubmiſſo, dicto citius nequam ſpiritus ab eo fugatus diſceſſit.* *Caſſian. collat. 7. c. 27.*

Alius quoque Monachus quòd in perſolvendis precibus diſtractior fuiſſet (voluntariè ſcilicet) ſimiliter à dæmone vexatus corporaliter fuit. In vita S. Bernard. l. 2. c. 1.

I. Egeruntne Sancti pœnitentiam in hoc mundo pro venialibus?

Theodoret in hiſt. SS. PP. ſer. 4. R. Ita. *Magnus ille Euſebius, cùm ſemel ab auditione lectionis Evangelicæ aſpectu quorumdam agricolarum diſtraheretur, qui in ſubjecto campo terram excolebant, ita ſeipſum punivit, ut per quadraginta annos & eo ampliùs, quibus poſteà vixit, nec agrum aſpiceret, nec in cœlum & aſtra oculos attolleret; ſed ſemper, injecto in collum collari ferreo, quod cum zonâ quâ lumbos cingebat, alio ferro conjunxit, inclinatus cogeretur aſſiduè in terram aſpicere. Interrogatus autem quàm ob cauſam ſe tam ſeveriter ob modicum defectum caſtigaret, reſpondit digniſſimam ſanctiſſimo viro ſententiam. Ne, dixit, adverſarius de rebus magnis bellum gerat, conor illum ad hæc parva traducere.*

Scribit Ioannes Climacus de quodam ex antiquis illis monachis, quòd pro unico peccato in quod inciderat, licentiam à ſuo Abbate poſtularit recludendi ſe in loco qui pœnitentiam acturis deſignatus erat, vulgò carcer dicebatur, ut ibi dignas & commeritas uti cenſebat, pœnas de delicto ſumeret; quam quidem licentiam à ſuperiore ſuo non tam obtinuit quàm extorſit, æſtimante illo levem, & venia dignam commiſſam culpam. Igitur tantâ cordis contritione tactus fuit intrinſecùs, tantumque concepit dolorem, quòd optimum maximumque Dominum offendiſſet, ut intra octiduum fuerit cor ejus doloris gladio tranſverberatum, quem fortis ut mors dilecto in carnis interitum acuerat. Ecce quâti æſtimabant Sancti peccata venalia.

Vide in vita ſanctæ Matris Tereſiæ, & B. Aloyſii Gonzagæ, & S. Elzearii Comitis Ariani in Galliis apud Sur. 27. Sept. ad hanc ipſam rem aliqua exempla.

I. Quî fit igitur quòd vulgus tam parvi faciat peccata venalia?

R. Hæc eſt magna cæcitas. Nullus ſanè cuperet in corpore ſuo tot plagas, aut in veſte tot maculas vel ſciſſuras contrahere, quot venialibus peccatis animam ſuam lædit & conſpurcat, & tamen venialia hæc peccata plus animam incommodant, quam vulnera aut ſordes corpus, aut veſtes *Aug. ſer. 244. de temp.* *Similes.*

I. Poſſuntne peccata venialia multiplicata unum mortale adæquare?

R. Non poſſunt, quia ſpecie differunt, & charitatem quæ vita eſt animæ, nunquam tollunt; ſed tamen, ſi contemnantur & negligantur, paulatim hominem ad crimina perpetranda diſponunt, uti notat S. Greg. *Si curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, etiam majora perpetramus*; juxta quod ſcriptum eſt; *qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Hoc eſt quod vult Aug. *L. 10. moral c. 14. Eccli 19.*

Digitized by Google

Talia habet tract. 12. in Ioan & alibi ſæpè.

ep. 108. quando dicit, multa peccata p arva in unum collecta nos gravare inſtar unius grandis, ſicut aqua per negligentiam contempta paulatim navim ſubmergit.

Qualiter autem venialia peccata ſenſim diſponant hominem ad mortale, vid. S. Th. 1. 2. q. 88. a. 3.

I. Quâ ratione differt mortale à veniali?

Differentia inter mortale & veniale.

R. Differt ſanè multis modis. 1. Quidem peccatum mortale occidit animam, hoc eſt, privat omninò gratiâ Dei, & charitatem funditus deſtruit, veniale verò ejus dumtaxat fervorem minuit. 2. Peccatum mortale pœnam æternam meretur; veniale temporalem tantùm. 3. Mortale relinquit in anima maculam, quæ eam miro modo deturpat, & diabolo ſimillimam efficit; veniale ſolummodò ejus ſplendorem offuſcat. 4. Mortale intellectum excœcat, & voluntatem obdurat; veniale non, cùm ſimul cum gratia conſiſtat. 5. Mortale impedit meritum bonorum operum; veniale minimè. 6. Mortalium peccatorum non poteſt unum abſque altero dimitti, veniale verò unum abſque alio condonatur. 7. Per mortale conſtituimur Dei inimici, non item per veniale. 8. Qui facit peccatum mortale, ſervus efficitur diaboli; non qui veniale tantùm committit. 9. Veniale comparatur feſtucæ, mortale trabi. 10. Mortale quoad culpam non remittitur in futuro ſæculo, veniale remittitur. 11. Mortale ſecundùm legem ordinariam remittitur tantùm per Sacramentum pœnitentiæ; veniale verò multis aliis modis.

Matt. 7.

I. Qualiter diſcerni poterit, an aliquid ſit mortale, an veniale peccatum?

R. Etſi certiſſimum ſit alia quidem eſſe mortalia, alia venialia, uti præmiſſum eſt, attamen de ſingulis in particulari definire velle, num levia, num ſint graviora, uti difficillimum, ita & periculoſiſſimum eſt. *Ego certè* (inquit Auguſtinus jam ſenex) *uſque ad hoc tempus cùm inde ſatagerem ad eorum indaginem pervenire non potuì.* Et Enchir. c. 79. *Sunt quædam quæ leviſſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinionibus graviora. Quis enim dicentem Fratri ſuo, fatue, reum gehennæ putaret, niſi veritas diceret?* undè concludit ſanctiſſimus Doctor c. 78. *quæ ſunt ergò levia & quæ gravia peccata, non humano, ſed divino ſunt penſanda judicio.* Vide eundem ſerm. 41. de Sanctis.

L. 21. de civit. c. 27.

Simile.

Quemadmodum periti Medici in aliquibus quidem morbis dijudicare poſſunt, ſintne lethales & mortiferi, aut qui medicaminibus facilè ſedari & expelli queant; de omnibus verò quo in genere ſint, affirmare neque poſſunt, neque audent; Ita Theologi nonnullorum quidem peccatorum diſcrimen noverunt; ac de omnibus in particulari an mortalia & venialia ſint, judicare difficulter poterunt.

I. Veriſſimum hoc eſt; oportet nihilominùs Confeſſarios ad manum habere regulas aliquas, ad diſcernendum inter mortale & veniale peccatum, quantum quidem id fieri poteſt.

Conſilium ſalubre pro Confeſſariis.

R. Statui aliquas ejuſmodi regulas in medium afferre. Interim non debet præceps eſſe Confeſſarius, ut leviter deſtinat hoc & iſtud eſſe mortale aut veniale, ne conſcientiis laqueos injiciat, cùm ſæpè minimâ circumſtantiâ varientur caſus, & peccata: ſufficit quòd pœnitentibus ob oculos ponatur peccati gravitas eo fine, ut illud ſeriò deteſtentur & pro modò delicti ſatisfactio imponatur. Ad quæſita prudenter, ſedatè, & paucis reſpondeat, exploſa pœnitentium, qui ſæpè curioſa magis indagare, quàm ſalubriter pœnitere ſatagunt, vanitate.

I. Quæ ſunt igitur iſtæ regulæ?

R. Mox illas ſubjicio: Tantùm adverte triplex eſſe veniale peccatum: unum ex ſuo genere, alterum ex levitate materiæ, tertium ex indeliberatione actûs: Unde tres regulas aſſigno: primam ex obligatione præcepti; ſecundam ex quantitate

mate

Digitized by Google

materiæ; tertiam ex perfecta vel imperfecta deliberatione.

Regula quibus diſcernas peccatum mortale à veniali.

Prima Regula. Vis & obligatio præcepti, contra quod peccatum committitur, poteſt duobus modis cognoſci. 1. Ex Scriptura, 2. ex ratione naturali, ſi in Scriptura non continetur. Primò igitur ponderanda ſunt verba Scripturæ: nam ſi dicat peccatum aliquod eſſe dignum morte, vel excludere à regno Dei, vel eſſe execrandum & abominabile, ſatis indicat eſſe prohibitum ſub mortali, juxta illud Rom. 1 *Qui talia agunt, digni ſunt morte.* Et Gal. 5 *Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Et Epheſ. 5. *Omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Dei.* Plures ſimiles ſcripturas vid. Prov. 6, Ezech. 18 Levit. 24. Matt. 5. & alibi. Quando autem Scriptura utitur mitioribus verbis, ſignum eſt eſſe veniale, ut cum de verbo otioſo dicitur Matt. 12. *De omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.* Et de ſtultiloquiis Epheſ. dicit Paulus ea ad rem non pertinere. Hanc regulam tradit nobis S. Aug. Ench. c. 78. & 79.

Quod ſi præceptum contra quod peccatur, non continetur in Scriptura divina vel humana, tunc ratione naturali utendum eſt: ac primò conſiderari debet dignitas materiæ, quæ præcipitur vel prohibetur, an per ſe multum vel parum proſſe ad charitatem Dei vel proximi conſervãdam. Deinde ſpectandum, an aliqua virtus ex iis quæ homini maximè neceſſariæ ſunt, graviter lædatur per peccatum necne; quod ſi nec materiæ dignitas tanta ſit, nec grave nocumentum alicujus virtutis, cenſendum eſt peccatum eſſe veniale. Atque hoc eſt primum genus peccati venialis, quod dicitur *veniale ex genere ſuo.*

Secunda Regula: ſi vel ex ſcriptura vel ex ratione naturali conſtet præceptum aliquod obligare ſub mortali, tunc ulterius conſideranda eſt quantitas materiæ; quia licet præceptum grave ſit, & in re magni momenti, tamen leviter ab eo deficere perinde eſt ac leve præceptum tranſgredi; Atque hoc eſt alterum genus peccati venialis, quod dicitur *veniale ex levitate ſeu parvitate materiæ.* Hinc ſequitur, cùm aliqua peccata damnantur in ſcriptura tanquam mortalia, hoc ita intelligendum eſſe, quòd ſint mortalia ex genere ſuo, poteſt autem fieri, ut quæ ſunt mortalia ex ſuo genere, ſint venalia ex parvitate materiæ, uti dictum eſt. Quæ autem materia ſit gravis vel levis, pro qualitate rei prudenter penſandum eſt.

Tertia Regula. Si & præceptum obligat ſub mortali, & etiam materia ſit gravis, tunc ulteriùs conſiderandum eſt, an conſenſus hominis fuerit deliberatus, necne. Et hinc oritur tertium genus peccati venialis, quod dicitur *veniale ex ſubreptione, vel ex indeliberatione actûs*; & difficillimè omnium cognoſci poteſt, præſertim ſi reliqua adſint, quæ ad peccatum mortale ſufficere ſolent, id eſt, obligatio præcepti ſub mortali, & materiæ gravitas. Hinc pœnitentes in ſimilibus diligenter & exactè ſe accuſent apud Confeſſarium, ejus judicio peccata qualia ſint, ſubjicientes.

LECTIO SEXTA.

De remediis contra venialia.

I. SI quæ ſunt contra veniale peccatum remedia, ediſſere illa.

R. Ediſſero breviter. 1. Peccatum veniale eſt Dei offenſa *In multis*, teſte Jacobo Apoſtolo, *offendimus omnes.* Quem autem pœnitere non debeat ſummum Deum, Creatorem potentiſſimum, Redemptorem optimum, vel in minimo offendiſſe?

2. Peccata levia; quotidiana, ſive venialia igne Purgatorii excoqui & expiari debent, juxta illud Apoſtoli: *Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, &c.* Expoſitum per Ambr. ſerm. 20. in 1. Cor. 3.

pſ.118. Hier l.2. cont. Jovin. Aug. l.21. de civit. c.26. Greg. in 4. dial. c.39. Quis autem ignea iſta tormenta, quæ omnem hujus ſæculi pœnam (uti nuper diximus) multis modis excedunt, tolerare vel ad horam poſſit?

3. Quòd ſi non ſedulò caveas peccata leviora, te in periculum conjicies admittendi graviora & lethalia. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccli. 3. Periculi autem hujus cauſa potiſſimum eſt duplex: prima conſuetudo peccandi. *Qui enim ſpernit modica* (ait idem) *paulatim decidet*: C.19. Nam ſi curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus, inquit Greg. 10. moral. c.14. Similia habet 3. p. Paſtoral. admonit. 34. Secunda cauſa eſt natura peccati; peccatum enim naturâ ſuâ grave eſt, & ideò pondere ſuo ſemper ad graviora trahit. Pſ. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Et B. Greg. l. 25. moral. c. 12. peccatum quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad illud trahit.

4. Sæpè contigit quod peccatum minimum velut ſcintilla parva magnum excitet incendium; præſertim in verbis. De quo B. Jacobus: Jacob. 3. *Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat: Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit. Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis.* Hac de cauſa Chriſtus prohibuit iram etiam corde tantum conceptam, ne ab ea, ut fit, in contumelias & homicidia rueretur. Prohibuit aſpectum mulierum, Vid. Chryſ. hom. 12. ne inde lapſus eſſet in mæchiam. Prohibuit juramentum, ne procederetur ad perjurium.

5. Uſurpa frequenter antidota à SS. PP. aliiſque Eccleſiæ Doctoribus præſcripta. Ea ſunt oratio Dominica, in qua quotidie dicimus: *dimitte nobis debita noſtra.* Vid. Auguſt. epiſt. 108 & ſerm. 42. de Sanctis. Tunſio pectoris à Publicano & aliis uſurpata. Luc. 18. Dicebat ille: *Propitius eſto mihi Deus peccatori.* Eleemoſyna & quilibet affectus fervens charitatis; Jejunium, & aliæ caſtigationes corporis; pœnitentia, vel dolor animi, gemitus, lacrymæ, Confeſſio, examen conſcientiæ, aquæ luſtralis aſperſio, benedictio Epiſcopi, & id genus ſimilia. Vide Chryſoſt. hom. 60. in cap. 35. Geneſ. & quæ nos tradidimus ſub initium lectionis præcedentis.

6. Conſideranda nobis ſunt exempla SS. qui ſeduli fuerunt in cavendis peccatis venialibus, & fortè lapſi, graviter in ſe ea vindicarunt, uti notavimus lect. præced. Quibus addo exemplum. S. Paulæ Romanæ, quam Hier. ep. ad Euſtoch. af- Ep. 27. firmat *levia peccata ita planxiſſe, ut illam graviſſimorum criminum crede-* Exemplum. *res ream.* Eam quoque dicere ſolitam, *quod inter ſæculi homines leve putatur, vel nihil, hoc in Monaſteriis graviſſimum delictum eſſe.* Nota quod dicit, *vel leve putatur, vel nihil,* non verò, quod nihil eſt vel leve, nam veniale peccatum regulariter & ordinariè, tantum eſt, & tam grave in ſæcularibus, quàm in Religioſis; quod ſubmoneo ob quorumdam regularium, præſertim Monialium ſcrupulos, quæ cum ſimilia exempla legerint, vel fortè è ſuggeſtu referri audierint, ſibi perſuadent peccatum quod in ſæcularibus leve & veniale eſt, fore in ipſis mortale, eo quod majorem profeſſæ ſunt perfectionem: quod abſolutè loquendo falſum eſt, cùm veniale peccatum intra fines venialis manens, ſpecie differat à mortali, uti ſup. oſtenſum eſt. Dico, abſolutè loquendo, quia tales poſſent adeſſe circumſtantiæ, ut quod reverà veniale dumtaxat eſt in ſæcularibus, poſſet mortale cenſeri in regularibus.

I. Velim mihi aliquem modum ſuggeri elicienda contritionis de peccatis venialibus?

R. 1. Ante omnia exue omnem affe- Praxis eliciendæ contritionis de venialibus. ctum quem fortè habes ad hoc & iſtud veniale, & omnes ejus occaſiones amputa; Chriſti Domini miſericordiam ferventiùs implora, ut illâ auxiliante poſſis

certæ

corde intimo dolere, & pravos omnes affectus ad res quaſcumque viſibiles & vanas deponere, apertiſque oculis omnes technas & inſidias mundi, carnis, diaboli videre.

2. Converte oculos ad Chriſtum Dominum Salvatorem noſtrum, uti limpidiſſimum ſpeculum omnis puritatis & ſanctitatis, cui nihil ut peccatum etiam veniale, diſplicet, pro quo tollendo ſanguinem fudit, *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam.*

Ephe. 5.

3. Redi ad teipſum, & vide quot vitiis ſcateas, non ſolum propriis, ſed etiam alienis; & quanta fuerit hactenus ſocordia tua in cavendis quotidianis peccatis; imò quantâ temeritate & libertate ingeſſeris te in illa, parvi pendens tantas & tam frequentes animi tui noxas, idque contra conſcientiam, & ſanctas inſpirationes, quibus te divina bonitas prævenit, ultra plurima auxilia, quæ tibi extrinſecus ſuccurrebant vitæ feliciter beatæque actæ Sanctorum, prædicationum, monitionum, &c.

4. Acrius in teipſum ſtultitiamque tuam inveharis, qui toties & tam inverecundè optimum Dominum & Deum tuum offendiſti poſt infinita beneficia ab eo accepta; tu, inquam, viliſſimum mancipium mandatis ejus non obedivisti, ut ires poſt tuas concupiſcentias; & ſi quidem peccatum veniale charitatem non tollit ab anima, uti nuper diximus, at certè negari non poteſt, quin Deo optimo, maximo, verè diſpliceat, ad eum ferè modum, quo Patri diſpliceret, ſi filius candidam veſtem in ejus præſentia continuò ſordibus & ſpurcitiis inſpergeret, veſtem dico quam Pater mandaſſet omni ex parte mundam diligentiùs conſervari. Quibus omnibus conſideratis.

Simile.

5. Rurſum convertas te, & reſpice in Dominum Salvatorem tuum cum maxima confuſione & erubeſcentia, ſciens quòd huc uſque tam ignaviter te habueris, & tam parum proceſſeris; accuſa vehementer ſocordiam & ingratitudinem tuam; deprecare cum lachrymis ejus miſericordiam pro peccatis tuis, quibus toties pravum exemplum ipſi mundo præbuiſti, & divinam in primis Majeſtatem graviter offendiſti; obſecra eum, ut gratiam pro emendatione vitæ tribuat, & te ſollicitiorem faciat in rebus ſalutis; interpone etiam Sanctiſſimæ Virginis Mariæ Patrocinium, nec non cæterorum Sanctorum ſuffragia; meliora propone, & recita actum Contritionis ut ſup. in fine lect. 4. hujus cap. *Domine mi Ieſu Chriſte, &c.*

I. Hæc mihi plurimum placent, eorum recordabor, quando ad ſacram confeſſionem accedam, & aliàs. Verùm non deſunt qui querantur non poſſe ſe vel unicum veniale reperire in anima ſua, factâ etiam diligenti diſcuſſione, quando ad confeſſionem ſeſe diſponunt; proinde ſi placet, affer hic aliqua venialia in diverſis materiis.

R. S. Auguſtinus tradit, quòd *quotidiana ſive venialia peccata per linguam facilè committuntur, ut eſt,* inquit, *verbum durum, aut cùm labitur aliquis in riſum immoderatum, aut in hujuſmodi nugas quotidianas,* &c. His adduntur ab eodem: *Si vir cum propria uxore coëat voluptatis explendæ cauſa, & pluſquam neceſſitas procreandorum liberorum cogat. In ipſis etiam alimentis, quæ utique ſunt, ſi excedis modum, & amplius accipis quàm neceſſe eſt, peccas. Quotidiana ſunt iſta, ait, quæ dico, ſed tamen peccata ſunt, & non levia, quia plura.* Idem in ſer. 4. de animabus fidelium defunctorum: *Quæ autem minuta ſint peccata, opus eſt ut ex eis, aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut in potu plus accipit quàm neceſſe ſit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit. Quoties pauperem importunè petentem exaſperat. Quoties cùm corpore ſit jejunus, aliis jejunantibus, prandere voluerit, aut ſomno deditus ad*

L. de decem chordis c. 11.

Peccatorum quotidianorum ſive venialium exempla producuntur.

Eccleſiam tardiùs ſurgit. Si pauperibus eſurientibus cibum non dederit, aut nimiùm delitioſa aut ſumptuoſa ſibi convivia præpararit. Si ſe in Eccleſia aut extra Eccleſiam fabulis otioſis, de quibus in die judicii reddenda eſt ratio, occupaverit. Et cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, vel cùm aliquid ſuſpicamur temerè, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, probatur, ſine ulla deliberatione delinquimus.

DE XI. SYMBOLI ARTICULO

Carnis Reſurrectionem.

CAPUT XII.

LECTIO PRIMA.

S.Th. 3.p. q.53.a.10.& q.56.a.10. Job.19.1. 1.Cor.16. Joan.5. Dan.12. Matt.25. 2.Cor.5. *S.Th. in ſupplem. q.75.& ſeq.* *Connexio & ſequela hujus articuli poſt præcedentem.*

I. QUid habet undecimus Articulus?

R. Carnis Reſurrectionem quæ in noviſſimo die bonis maliſque continget, quando ante Chriſti tribunal in carne redivivi omnes apparebimus, *ut recipiat unuſquiſque prout geſſit in ſuo corpore, ſive bonum, ſive malum.*

I. Eſtne recta hujus articuli poſt præcedentem conſecutio.

R. Ita planè. Nam cùm in præcedenti articulo de remiſſione peccatorum actum ſit, quæ eſt animæ quædam ad vitam ſpiritualem reſurrectio, hic opportunè de carnis reſurrectione ſequitur.

Nota igitur, quòd ſicut Adæ peccatum duplicem nobis mortem invexit, corporis ſcilicet & animæ; ita gratia Chriſti, redemptio & reſurrectio etiam duplicem nobis attulit reſurrectionem: prior eſt animæ dum à morte peccati excitamur & juſtificamur, quam in præcedenti articulo profeſſi ſumus, affirmando peccatorum remiſſionem: pòſterior eſt corporis, ſive carnis, quam hic aſſerimus.

Nota ulteriùs utriuſque reſurrectionis auctorem eſſe Spiritum ſanctum Apoſtolo teſte, qui dicit: *Quòd ſi Spiritus ejus qui ſuſcitavit* JESUM *à mortuis habitat in vobis: qui ſuſcitavit* JESUM *Chriſtum à mortuis vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.* Rom. 8.

I. Qui ergo non habuerint inhabitantem ſpiritum in ſe, eruntne reſurrectionis expertes?

R. Omnes citra exceptionem à mortuis reſurgent, ſed non omnium par futura eſt conditio; *nam procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* Et quia illi qui non habent inhabitantem ſpiritum *evigilabunt* (ut loquitur Daniel) *in opprobrium* non in vitam æternam, eorum reſurrectio & vita mors potiùs dicenda eſt quàm vita. Et hoc eſt quod Apoſtolus ait: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, ad gloriam ſcilicet & vitam beatam, ſed illis tantum hæc beata ſors obtinget, qui peccatorum remiſſione acceptâ, vivificantem ſpiritum inhabitantem habuerint. Joan. 5. Dan. 12. 1.Cor. 15.

I. Eſtne præcipui alicujus momenti hujus articuli doctrina?

R. Omninò, nam *reſurrectio mortuorum ſpes eſt Chriſtianorum, & quaſi baſis & fundamentum religionis noſtræ.* Et proindè divinæ litteræ non ſolùm credendam hujus articuli fidem nobis propòunt, ſed multis etiam rationibus confirmant. Vid. ſup. c. 6. l. 1. quæſtiunc. 3. *Tertull. de reſurr.*

I. Qui ſunt fructus, quæ vita & converſatio eorum qui reſurrectionem non credunt?

R. In omnia flagitia effrenes ruunt. Vide latè id proſequentem Sapientem: *Exiguum* (inquiunt infideles illi) *& cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ*, &c. Sap. 2. v. 1.

I. Cur ponitur reſurrectio carnis tantùm, numquid non totus homo reſurget?

R. Imò totus homo, animâ corpus ſuum rurſùs ſubeunte, reſurget.

I. Cur

Cur in materia reſurrectionis ſolius carnis fit mentio.

I. Cur igitur potiùs dicimus *carnis*, quàm hominis, *reſurrectionem*.

R. Ut ſciamus ſolam carnem interire & corrumpi. Voluerunt igitur Apoſtoli hâc loquendi formâ docere animam eſſe immortalem & incorruptibilem; Ne quis fortè eam ſimul cùm corpore interiiſſe, utrumque verò in vitam revocari exiſtimaret, ob eam rem carnis tantùm ſuſcitandæ mentio in articulo facta eſt. Et verò cùm id ſolum quod cecidit reſurgat, anima propriè non dicitur reſurgere. Carnis quoque mentio facta eſt, illius hæreſis confutandæ cauſa, quæ aſſerebat, cùm de reſurrectione in ſcripturis ſacris agebatur, non de corporea, ſed de ſpirituali, quâ à morte peccati ad vitam innocentem reſurgitur, accipiendum eſſe. Itaque his verbis planum ſit eum errorem tolli, & veram corporis reſurrectionem confirmari. Vid. Apoſt. 1. Tim. 1. & 2 Tim 2.

I. Reſurgemuſne in eodem ipſo corpore, aut in eadem ipſâ carne, qua modò circumdamur?

R. Ita, in hac ipſiſſima, & non in alia carne, eiſdem oſſibus & nervis, eadem pelle, eiſdem manibus, pedibus, oculis, & reliquis eiſdem planè membris. Hæc Apoſtoli eſt ſententia cùm inquit, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*, eâ voce (*Hoc*) proprium corpus apertè demonſtrans. Job etiam clariſſimè de eo vaticinatus eſt: *Et in carne mea*, inquit, *videbo Deum Salvatorem meum quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius*. Hoc idem colligitur ex ipſius reſurrectionis definitione. *Eſt enim reſurrectio ad eum ſtatum unde ceciderit revocatio.*

1. Cor. 15.

Job. 19.

Damaſc. l. 4. de fide orthod. c. 28.

Accedit quòd ideò ſtatuenda ſit reſurrectio, ut unuſquiſque recipiat prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum; debet ergò illa ipſa caro in individuo, quæ fuit animæ inſtrumentum ad virtutis laborem etiam particeps fieri ſalutis & præmii. Vid. Sanct. Hieronym. *epiſt. ad Pammach. cont. errores Ioannis Ieroſolymitæ.*

I. Quomodo poſſibilis eſt reſurrectio? Sive: Quomodo poſſibile eſt v. g. ut exuſtum corpus reviviſcat, cujus cineres aut vento abrepti, aut in flumen ſunt projecti?

R. Per Dei omnipotentiam, quâ ex nihilo creavit cœlum & terram. Vid. Apoſt. ad Philip. c. 3. v. ult. & S. Aug. l. 22. de civit. c. 20.

Si recolamus primum articulum hujus Symboli, in quo firmâ fide credimus Deum eſſe omnipotentem, & ex nihilo feciſſe quidquid nunc eſt in rerum natura, & in momento ſine labore, ſine adjutorio, ſine inſtrumentis, ſolo imperio ſuæ voluntatis omnia feciſſe, facilè in animum inducemus ut credamus poſſe eundem Deum Creatorem omnes omninò defunctos ad ſua corpora revocare, cùm faciliùs videatur credere illum ad priorem ſtatum hoc poſſe reducere quod aliquando fuit, & in favillas redactum eſt. Vide Hieremiæ 18. verſus primos qui anagogicè benè aptantur morti & reſurrectioni per S. Hilarium in pſ. 2. & Ruffinum in Symb. expoſitione.

I. Poſſetne aliquibus miraculis oſtendi poſſibilis carnis reſurrectio?

R. Maximè, Oſtendit id Deus 1. conſervando Sanctorum corpora incorrupta. *Tempore Theodoſii Imp. anno Chriſti 430. cùm ut multi referunt, magna Conſtantinopoli eſſet de reſurrectione mortuorum diſſertatio, Deus miraculo rem definivit. Nam in lucem quaſi redivivos produxit ſeptem fratres, ſanos, inquam, & vegetos, qui Epheſi ſub Decio fugientes perſecutionem in ſpelunca latuerant & dormierant à Decio uſque ad Theodoſium, id eſt, annos 181. Vidit Theodoſius ut eos videret, Epheſum profectus eſt. Horum ſeptem dormientium quaſi ſanctorum exſtat memoria in Martyrol. Rom. ad 27. Iulii.*

1. Exempla. Metaphraſt. Niceph. Cedrenus. Greg. Turonenſis Sigebertus & alii.

S. Edmundi Regis Anglorum & Martyris corpus ita ſanum & incolume poſt multa tēpora repertum eſt, ut non dicam caput redintegratum & cōpaginatum corpori.

Digitized by Google

pori, ſed omninò in eo nihil vulneris, nihil cicatricu aparuerit, ut viventi eſſet ſimillimus: tantum in ejus collo ob ſignum Martyrii rubebat tenuiſſima riga in modum fili coccinei? quin & ſuccreſcebant ei ungues & capilli, quos præcidere quotannis ſolebat Matrona quædam pia. quæ ad ejus tumulum multos annos commorata eſt. Ita refert Abbo Abbas Floriacenſis in ejus vita, qui & addit: *Cùm beato Martyri caput eſſet amputatum, & ab impiis ſatellitibus in ſentibus occuleretur, nec quæſitum reperiretur, caput ipſum vocem edidiſſe, ſignificans inquirentibus, quonam loco eſſet. Denique lupum à Deo miſſum eſſe cuſtodem, qui illud ſacrum caput inter brachia complexus procumbebat humi; exequias impendens Martyri, nec permittens illud ab aliqua beſtiarum lædi.*

Apud Sur. to. 6.

Teſtatur Metaphraſtes in vita ſancti Antonomi Epiſcopi & Martyris ſe vidiſſe ejus reliquias in ſepulchro integras & vividas poſt ducentos à morte annos, adeò ut etiam coma capitis eſſet illæſa, & forma character conſiſteret integer, pelle firma & extenſa, no amiſſis quidem pilis labri ſuperioris, figura quoque corporis ſuam conſervabat compagem, ſine ulla partium à ſe invicem disjunctione.

Anno 771.

S. Huberti Epiſcopi Leodienſis corpus, dum decimo-ſeptimo anno ab ejus morte elevaretur, integrum illæſumque cum cæſarie, & mirificè flagrans repertum eſt, ut habet ejus vita 3. Novembris.

Ita *S. Claudii Archiepiſcopi Biſuntini corpus uſque in præſens in S. Eugendi Eccleſia cunctis admirantibus incorruptum & integrum monſtratur, innumeris coruſcans miraculis,* ut habes ejus vita *die 6. Iunii.*

Ita *S. Ferreolus Martyr ſepultus Viennæ in Gallia, poſt multos annos inventus eſt integer, & illæſus, ut videretur dormire, neque faciei color demutatus, neque capillorum deciſione turpatus, neque ullâ putredine reſolutus,* inquit Greg. Turon. *de mirac. S. Iuliani c. 2.*

Secundò, oſtendit Deus reſurrectionem futuram apparitionibus Chriſti in corpore glorioſo, & Sanctorum poſt mortem. De Chriſti apparitionibus vide textum Evangelicum.

2. Oſtendit Deus reſurrectionem futuram per apparitiones Sanctorum.

S. *Acholius Epiſcopus Theſſalonicenſis apparuit S. Ambroſio dicens ſe in cœlo requieſcere,* uti ipſe refert l. 3. ep. 22.

Exempla.

S. Eugenia Matri mœſtæ apparens habitu ſplendidiſſimo cum multis Virginibus, *Noli ait flere ſed lætare: nam ego & Pater Philippus vivimus in quadam ineffabili Martyrum lætitia, unà cum Chriſto verſantes & conregnantes, qui te etiam poſt non multos dies ad hanc vitam evocabit. Meis autem Fratribus conſerva firmum & ſtabile, quod eſt in Chriſto ſignaculum, & aſſiduè hortare ut ſint etiam mihi Fratres animis, ut ſic totum genus offeramus pulchrum donum Domino.* Ita habet ejus vita c. 37. apud Surium 25. Decemb.

S. Agnes poſt mortem apparuit parentibus, dicens; *Ne me quaſi mortuam lugeatis; nam unà cum his Virginibus vivo apud illum in cœlis, quem in terris totâ mente dilexi.* S Ambr. ſer. 90.

Tertiò, per unionem membrorum abſciſſorum ad corpus, vel eorum geſtationem.

3. Per re unionem membrorum abſciſſorum. Exempla.

Scribit S Greg. 3. dial. cap. 13. S. Herculani Epiſcopi & Martyris caput, quo à Totila truncatus erat, quadrageſimo poſt die in ſepulchro inventum fuiſſe ita unitum corpori, ac ſi nulla ferri inciſio illud tetigiſſet.

Memorabile & penè inauditum eſt quod legimus in vita ſancti Stanislai Epiſcopi Cracovienſis; *Nimirum Boleslaum Regem, trucidaſſe ſanctum Stanislaum, mox miniſtros Regis ex rabie corpus Sancti in partes 72. diſſecuiſſe, eaſque canibus & avibus devorandas projeciſſe: verùm cælitus advolantes aquilæ Sancti corpori cuſtodes & tutores ſe præbuere. Poſt biduum Clerus animos reſumens Epiſcopi ſui membra requiſivit & compoſuit. Res mira! Dei virtute factum eſt,*

In Brev. SS. Poloniæ.

ut

Digitized by Google

ut illico, ita ſimul concreſcerent ac coaleſcerent; ac ſi nunquam divulſa fuiſſent. Digitus unus deerat, ſed ne iſtum quidem diu latere paſſus eſt Deus. Lucerna cæleſtis eum in vicinam piſcinam conjectum, & à piſce devoratum demonſtravit, quem exenterantes digitum exemerunt, ſuoque loco reſtituerunt. Hoc eſt quod vidit Ezechiel. c. 37. oſſa oſſibus, membra membris, carnem carni ſociari; utique aperto Symbolo & argumento reſurrectionis futuræ.

Non minus mirabile, magis etiam evidens reſurrectionis argumentum, imò teſtimonium eſt quod ſubjicio. *Idem S. Stanislaus cùm à Boleslao Rege urgetur proferre tabulas vel teſtes venditionis agri, quem à Petro quodam, ante triennium defuncto pro Eccleſia emerat, nec quiſquam auderet pro eo teſtimonium ferre, omnibus iram Regis metuentibus, ipſe ſpiritu zeloque Dei correptus.* Quoniam, inquit, diminutæ ſunt veritates à Filiis hominum, de terra veritas oriatur, & juſtitia de cœlo proſpiciat. In nomine JESU Chriſti cui ſervio, & cujus Eccleſiam tueor, recipio me abhinc tertio die ipſum Petrum vivum teſtem veritatis & æquitatis cauſæ meæ ad hoc tribunal adducturum. *Inde tres dies orationi & jejuniis vacans, adit Petri ſepulchrum, eumque nomine Dei omnipotentis compellans:* Exi, inquit, foras Petre, & ſepultæ à vivis veritati, mortuus de ſepulchro perhibe teſtimonium. *Prodit ille triennalis mortuus, quem dextra apprehenſum Stanislaus ad tribunal Regis adducit. Tum ille:* Ego ſum, inquit, Petrus, qui teſtimonium veritatis redditurus ex quietis ſedibus huc venio. Huic ego rus meum juſto pretio vendidi & addixi: *Regem deinde ac heredes ſuos increpat, quòd ſancto viro negotium abſque cauſa faceſſant.* Ita habet ejus vita & Brev. Polonicum die 13. Maii. Ecce hic in Petro redivivo, non tantum caro carni, & oſſa oſſibus copulata fuerunt; *ſed & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt,* quod ait ibidem Ezechiel. C. 37.

S. Dionyſius Areopagita capite plexus ſurrexit, & reſumptum caput ad duo ferè milliaria portavit. Refert Hilduinus in ejus vita.

De Sanctiſſimo Patre noſtro Albano Martyre, qui fortiſſimè contra Arianos in partibus Moguntinis dimicavit, ſimilis eſt traditio, & teſtantur ejus imagines.

Anno Domini 306. ſub Daciano, Sanctus Lambertus ob Chriſti fidem ab hero capite truncatus eſt, qui mox reſumpto capite ultra quatuor paſſuum millia profectus eſt ad locum, ubi multi jacebant Martyres occiſi, tum dixit: *Exultabunt Sancti in gloria;* reſponderunt illi: *Et lætabuntur in cubilibus ſuis.* Ita Valæus.

I. Hæretici qui reſurrectionem carnis negare voluerant, fueruntne egregiè à SS. Patribus confutati?

R. Ita. Vide Apoſtolum Paulum toto cap. 15. prioris ad Corinth. hoc argumentum ex profeſſo tractantem contra quoſdam qui reſurrectionem negabant.

S. Gregorius Magnus Conſtantinopoli Eutychium Patriarcham, qui ſcripſerat contra veram ac tractabilem corporum reſurrectionem, ita convicit, ut ejus librum Conſtantinus Imperator in ignem injiceret. Quare Eutychius paulò poſt cùm in morbum incidiſſet, inſtante morte, pellem manus ſuæ tenebat multis præſentibus, dicens: Confiteor quia omnes in hac carne reſurgemus. Breviar. Rom. 12. Martii.

LECTIO SECUNDA.

I. Habeſne etiam ſimilitudines aliquas, quibus poſſit aliquo modo carnis reſurrectio illuſtrari? *Similitudinibus declaratur reſurrectio futura.*

R. Ita. Quotidie lux Solis in occaſu quodammodò occumbit & moritur, dum ſupervenientibus noctis tenebris ab ocu-

 lis

Digitized by Google

lis noſtris ſubſtrahitur; & quotidie quaſi reſurgit, dum in ortu Solis lux reparatur. *1. Greg 24 moral c. 30.*

Cernimus etiam arbores ornatum ſuum & viriditatem foliorum in hyeme amittere, & à fructuum productione ceſſare; & ecce appetente vere, exareſcenti ligno, velut quâdam reſurrectione adveniente erumpunt folia, flores germinant, totamque arborem redivivo colore veſtiunt, & tandem fructus grandeſcunt. *2. Greg. hom. 26. in Evang.*

3. Denique videmus parva arborum, herbarum, & ſegetum ſemina in terram projecta putreſcere ac veluti emori, rurſuſque germinando in arbores, herbas, & ſegetes exurgere, folia, flores, fructus producere. *Niſi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quid ergo mirum ſi carnem noſtram in tenuiſſimum pulverem redactam Deus, cùm voluerit, in hominem reformat. Simili exemplo uſus eſt Apoſtolus Paulus dicens: *Quod ſemin as non vivificatur niſi prius moriatur: & quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum; ut puta tritici aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus ſicut vult*, puta arboris vel ſpicæ, quod ſuo culmo, floribus, ariſtis, & granis è terra renaſcens inſtruitur & ornatur. Hinc tacitè infert Apoſtolus: Si Deus poteſt addere quod non erat in novo ſemine, multo magis poteſt in reſurrectione reparare, quod erat in hominis corpore. *Joan. 12. — 1. Cor. 15 — Aug. ep. 146. Vid. eund. tract 8 & 24. in Ioan*

I. Habeſne exemplum quo rem illam adhuc magis declares?

R. Ita. S. Gregor. Turon. de glor. Confeſſ. c. 50. refert S. Severinum, cùm equitans à meſpilo arbore percuteretur, ei maledixiſſe, eamque areſeciſſe. Poſt aliquot dios rediens, videnſque eam aridam, cœpit orare, dicens: *Tu Domine qui corpora noſtra facies reſurgere, præcipe ut reviviſcat hæc arbor*: moxque revixit & revixit. *Exemplum.*

I. Nunquid etiam aliquibus rationibus doctrina hæc de carnis reſurrectione ſtabiliri poteſt? *Declaratur eadem reſurrectio rationibus*

R. Omninò. Primùm quidem, cùm animæ immortales ſint; & tanquam pars hominis ad humana corpora naturalem propenſionem habeant, eas à corporibus ſejunctas perpetuò manere, præter naturam exiſtimandum eſt. Quoniam verò quod naturæ adverſatur, ac violentum eſt; diuturnum eſſe non poteſt, conſentaneum fore videtur, ut denuò cum corporibus jungantur: ex quo etiam ſequitur, quod corporum reſurrectio futura ſit. Quo quidem argumentandi genere Salvator ipſe noſter uſus videtur, cùm adverſus Sadducæos diſputans, ex animarum immortalitate corporum reſurrectionem concluſit. *1. Ratio. — Matt. 22.*

Deinde cùm malis ſupplicia, bonis præmia à juſtiſſimo Deo ſint propoſita; ex illis verò quàm plurimi antequam debitas pœnas perſolvant, ex his magna ex parte nullis affecti virtutis præmiis è vita decedant: neceſſe eſt iterum animas cum corporibus conjungi, ut pro ſceleribus, aut rectè factis corpora, quibus veluti peccati ſociis homines utuntur, unà cum anima pœnâ aut præmio afficiantur. Hunc locum diligentiſſimè tractat S. Chryſoſt. hom. 1. ad populum Antioch. Quare cùm Apoſtolus de reſurrectione diſſereret ait: *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autem* &c. *2. Ratio. — 1. Cor. 15.*

Tertiò adde, non poſſe homines quamdiu anima à corpore ſejuncta eſt, plenam felicitatem & bonis omnibus cumulatam adipiſci: ut enim quælibet pars à toto ſeparata imperfecta eſt, ita etiam quæ corpori non eſt adjuncta: ex quo ſequitur, ut illi ad felicitatem nihil deſit, corporis reſurrectionem neceſſariam eſſe. *3. Ratio.*

Poſtremò, corpora noſtra ſunt hîc corporis Chriſti myſtici membra, ſuo capiti aliquando configuranda: *Conſepulti enim* *4. Ratio. — Rom. 6.*

enim ſumus (inquit Apoſtolus) *cum illo per Baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Ad hoc etiam beata & vivifica Chriſti carne paſcimur:

Joan 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ad hoc in nobis habitat Spiritus ejus, ut in lect. præced. oſtendimus. Vid. S. Dionyſ. *l. de Eccl. Hier. c. 7.* Iren. *l. 5. cont. hæreſ. c. ult.* Hieron. *ep. ad Pammac. ſup. cit.* Damaſ. *l. 4. de fide c. 28.*

I. Quandonam fiet reſurrectio mortuorum?

Quando fiet reſurrectio mortuorum. R. In noviſſimo die, quando Chriſtus in tuba Dei deſcender de cœlo excitaturus mortuos.

I. Omneſne omninò ad vitam ſuſcitandi ſunt?

R. Jam diximus ſub initum lect. præced. quod citra aliquam exceptionem omnes omninò reſurgent.

1. Cor. 15. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & omnes in Chriſto vivificabuntur.*

I. Eritne par omnium reſurgentium conditio?

Ibidem. Dan. 12. & Joan. 5. R. Minimè, quia ut ſup. habuimus. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, ſcilicet in melius.

LECTIO TERTIA.

I. Cujuſmodi dotibus beatorum corpora poſt reſurrectionem erunt ornata?

De dotibus corporum glorioſorum. R. Rediviva Sanctorum corpora ejuſdem erunt cujus anteà naturæ, ſed nobilioris planè conditionis & gloriæ.

I. In quo ſita eſt ejuſmodi gloria & nobilior conditio?

R. In quatuor præcipuis eorum ornamentis, quæ dotes nuncupantur, & à Patribus ex Apoſtoli doctrina traduntur. Sunt iſtæ: *impaſſibilitas, claritas, agilitas, ſubtilitas.* 1. Cor. 15.

I. Unde habebunt Sanctorum corpora iſtas glorioſas dotes?

R. Redundabunt illæ ex gloria ipſius animæ ad eum ferè modum quo videmus lumen candelæ translucere per laternam.

I. Quid appellas impaſſibilitatem?

R. *Impaſſibilitas* eſt dos prima corporis glorioſi, quæ efficiet ne moleſti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici queant: *Seminatur*, inquit Apoſtolus, *in corruptione, ſurget in incorruptione.*

I. Cur Patres & Scholaſtici hanc dotem impaſſibilitatem potiùs, quàm incorruptionem dixerunt?

R. Ut proprietatem corporis glorioſi deſignarent: non enim impaſſibilitas illis communis eſt cum damnatis, quorum corpora licet incorruptibilia ſint, æſtuare tamen poſſunt atque algere, variiſque cruciatibus affici. Apoc. 7. & 21. Iſai. 49.

I. Quæ eſt ſecunda corporis glorioſi dos ſive ornamentum?

R. Eſt *claritas* quâ Sanctorum corpora fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum. Ac ne quis de eo dubitaret, ſuæ transfigurationis exemplo declaravit. Hujus dotis meminit Apoſtolus. *Seminatur*, inquit, *in ignobilitate, ſurget in gloria.* Et: *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Matt. 13. & 17.

I. Habeſne in Scripturis ſanctis hujus rei aliquam imaginem?

R. Ita. Hujus gloriæ imaginem quamdam vidit populus in deſerto, cùm facies Moyſis ex colloquio & præſentia Dei ita collucerer, ut in eam Filii Iſraël oculos intendere non poſſent. Exod. 34.

I. Sed quæ cauſa tantæ claritatis in corporibus beatorum?

R. Eſt ipſa animæ felicitas in corpus redundans, ut jam ſuprà diximus, ſive eſt quædam communicatio illius beatitudinis quâ anima fruitur.

Digitized by Google

I. Non erit ergo omnium æqualis claritas?

R. Rectè infers; Nam ut teſtatur Apoſtolus: *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia ſtellarum, ſtella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* 1.Cor.15.

I. Quæ eſt tertia dos corporis glorioſi?

R. Tertia dos eſt *agilitas*, quâ corpus onere nunc aggravante liberatum pro animæ nutu citiſſimè movebitur, ut ibi puncto temporis ſit, ubi anima eſſe volet, eritque tanta obediendi facilitas, quanta regnandi vivendique facilitas, ut docuerunt S. Aug. l.20. de civit. c. 8. & l.13. cap. 18. & 20. & Hieron. in c.40. Iſai. *Iuſti* nimirum *tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*. Quare ab Apoſtolo dictum eſt: *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute*. Sap.3.

I. Quæ eſt quarta dos?

R. Eſt *ſubtilitas*: cujus virtute corpus animæ imperio omninò ſubjicietur, eique ſerviet, & ad nutum præſto erit: quod ex illis Apoſtoli verbis oſtenditur: *Seminatur*, inquit, *corpus animale, ſurget corpus ſpirituale* 1.Cor.15. Vid. Joan. 20. & Luc. 24.

I. Qualia verò erunt damnatorum corpora in reſurrectione?

R. Deformia planè, & contrariis affecta qualitatibus.

I. Unde ſortientur hanc deformitatem damnatorum corpora?

R. Partim quidem ex ſuppliciis quibus afficientur, partim verò ex animà, quæ cacodæmonum, turpiſſimorum, inquam, hoſpitum receptaculum fiet.

I. Quomodò reſumentur oſſa, ut rurſum in unum corpus compaginentur.

R. Angelorum miniſterio collectis undequaque cineribus, corporibuſque reſtitutis, divinâ virtute animæ infundentur.

I. Quæſo dic mihi, an utriuſque ſexûs reſurrectio erit; id eſt, an viri ad eſſe viri, & fœminæ ad eſſe fœminæ ſint redituræ, num verò omnes idem eſſe eundemque ſexum ſint habituri?

R. Nonnulli occaſione verborum Apoſtoli ad Ephes. 4. *In virum perfectum*, opinati ſunt ſexum fœmineum in virilem tempore reſurrectionis commutandum, ut ibi ſolùm viri ſint, quemadmodum ab initio Deus ſolum virum creavit, & quoniam tunc nulla futura ſit generatio, quia *erunt omnes conformes imagini Filii Dei*. Rom. 8. Vid. S. Aug. *l. 22. de civit. Dei* cap. 17. Verùm contrarium ibidem docet S. Aug. æquè ac S. Chryſoſt. *in Matt. 22.* Tertul. *l. de reſur. carnis*. Hier. ep. 6. ad Pammach. cont. errores Joan. Jeroſolym. & paſſim Scholaſtici in 4. d. 44. Ratio à priori eſt, quia ſexus fœmineus non eſt vitium ſed natura, & naturalis conditio, unde erat etiam in ſtatu innocentiæ, puta in Paradiſo. In reſurrectione autem eadem omninò natura in quolibet homine reſurget, eadem, inquam, numero ſive in individuo: ad hoc autem multum facit ſexûs diverſitas & proprietas; ergo illa tunc remanebit, ne aliud individuum, & alius homo ab eo, qui in hac vita fuit, reſurgere videatur. *Quilibet homo in ſuo ſexu reſurget.*

Objicies: Chriſtus dicit Matth 22. *In reſurrectione neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Ergo poſt reſurrectionem in cœlo non erit ſexus fœmineus, ſicut non eſt in Angelis, ſed omnes in viros commutandi ſunt, & reſurgent in ſexu virili. Confirmatur, quia ſexûs diverſitas nullum tunc habet uſum. Reſpondeo, Chriſtus Dominus futuras in cœlo nuptias, non fœminas negat; Imò eas ibi futuras ſupponit: nemo enim (inquit Hier.) dicit de rebus quæ non habent membra genitalia, *non nubent, neque nubentur*. Quod dicit: *erunt ſicut Angeli Dei*, intellige non quoad naturam, vel ſexûs privationem, ſed quoad puritatem, vitam ſpiritualem, immortalem & beatam, in qua deinceps nuptiis opus non erit ad perpe- *In cœlo neque mariti neque uxores erunt, quia deſinet ge-*

Digitized by Google

neratio filiorum, ſed erunt viri & fœminæ.

perpetuandam ſpeciem, cùm ſicut Lucas ſubdit: *Neque mori poterunt, & ſunt Filii Dei, cùm ſint Filii Reſurrectionis.* Quod autem Apoſtolus dicit occurſuros nos in virum perfectum, viri nomen pro homine ponit. Auguſt. l. 18. de civit. c. 22. Et tametſi uſum nuptiarum non ſit habitura in cœlo iſta diverſitas ſexûs, nihilominus diſtinctio ſexuum erit, ut quilibet præmio virtutum propriarum fruatur, quas in ſexu ſuo exercuit.

Luc. 20. Ephеſ. 4.

Et quemadmodum in Paradiſo elegans ſpectaculum erit gloriam Martyrum ac Confeſſorum intueri; ſic quoque non minus erit elegans gloriam virginum, elegantiſſimum verò gloriam & venuſtatem Sanctiſſimæ Matris Domini noſtri videre, de qua fas mihi ſit illud Poëtæ canere:

——— micat inter omnes
Virginis ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

I. Perge porrò mihi dicere in qua ætate & ſtatura reſurgemus, cùm alii in pueritia, alii in juventute, alii in ſenectute decadant?

Aug. l. 22. de civit. c. 15.

R. Omnes reſurgemus in illa ætate ac ſtatura quam habueramus aut habituri eramus in trigeſimo tertio aut quarto ætatis noſtræ anno, in quo Chriſtus Dominus noſter reſurrexit.

In qua ætate & ſtatura reſurgemus.

Quare pueri in ea reſurgent magnitudine quam habuiſſent, ſi ad trigeſimum tertium ætatis ſuæ annum pertigiſſent: & ſenes in flore ætatis ſuæ reſurgent, quo cùm triginta trium annorum eſſent, fruebantur. Et ſi quis in hac vita ſive cæcus, aut claudus, ſive nanus aut alio modo deformis fuerit, ſanus, integer, omnique perfectione præditus reſurget, *quia opera Dei perfecta ſunt*, ideoque in reſurrectione, quod opus ei proprium eſt, vitia omnia ac defectus naturæ emendabit.

Deut. 32.

I. Erimuſne omnes in reſurrectione ejus magnitudinis & ſtaturæ in qua Chriſtus reſurrexit?

R. Non, ſed ſinguli in ea corporis ſtatura reſurgent, quam in juvenili ætate triginta trium aut circiter annorum habere debuerint, promiſit enim electis ſuis Dominus quòd de capite eorum capillus non cadet: quod verum non eſſet ſi omnes ad æqualem ſtaturam reſurgerent, cum plurimi ſint, qui proceſrioris aut brevioris ſtaturæ extiterunt quàm fuit Chriſtus Dominus. Quibus tamen ex naturæ vitio nimia proceritas aut immodica brevitas obtigiſſet, reſurrectionis beneficio deformitas omnis auferetur. Unde gigantes & pigmæi decentem ſtaturam recipient (quamquam rationabiliter inæqualem) Deo ſic materiam modificante, ut nec ex ea aliquid pereat, & quod alicui defuit, ille ſuppleat, qui de nihilo potuerit facere quæ voluerit.

I. In qua tandem effigie reſurgemus?

R. Unuſquiſque in ſua effigie reſurget habiturus evidentem & diſcernibilem perſonæ ſuæ proprietatem: Deus enim idem numero corruptum reproducet & reſtituet; unde talis ibi quiſque erit, ut dignoſci liquidò poſſit, quod idem ſit qui hic vixit.

I. Quando erit noviſſimus dies in quo fiet iſta reſurrectio?

R. Id voluit Deus nobis incognitum. Vid. ſup. c. 8. lect. 2.

I. Quem fructum capiunt fideles ex hoc articulo *Carnis reſurrectionem?*

Multiplicem fructum capiunt fideles ex carnis reſurrectione futura.

R. Primò ex hac fide impelluntur ad honorificè ſepelienda defunctorum corpora quæ ſuo Creatori non pereunt, ſed vivunt. Vide quæ ſup. tradidimus de ſepulturis cap. 5. lect. 8. 9. 10.

Secundò diſcunt Sanctorum oſſa & reliquias dignè & reverenter habere & devoto affectu venerari, quas credimus in reſurrectione magnâ gloriâ afficiendas.

Tertiò, ex hac fide corpora ſua incontaminata beatæ immortalitati reſervant, ut ſplendoris ibi capaciora inveniantur.

Quartò, ſeipſos & alios in eorum morte qui neceſſitudine aut benevolentiâ ſibi conjuncti ſunt, conſolantur, ſcientes ſe non debere *contriſtari de dormientibus ſicut cæteri qui ſpem non habent*: cùm ſeparentur ab iis tantum momento, uti docet latiùs Apoſtolus 1. Theſſal. 4.

Jac. 5. Quintò hac ſpe ſuffulti omnia præſentis vitæ incommoda æquo animo tolerant; imo mortem ipſam (ſi opus ſit) leniter ferunt: ut patet 2. Machab. 7. *Patientes eſtote Fratres* (inquit Apoſtolus Jacobus) *uſque ad adventum Domini. Ecce agricola exſpectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra; quoniam adventus Domini appropinquavit, &c.* Ita dicebat, & ſeipſum animabat Propheta Abacuc: *Ingrediatur*

Abac. 3. *putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis, ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum.* Vide Apoſtolum in fine cap. 15. 1. ad Corinth.

I. Habeſne exempla ad propoſitum?

Exempla. R. Mirus fuit in hoc genere S. Job, quem vide cap. 19. *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit*, &c. Lege 2. Machab.

2. Macha. 7. c. 6 & 7. ubi Eleazarus, & Machabæi *diſtenti ſunt* (ſecundùm Apoſtolum ad Heb. 11. n. 35) & modis omnibus afflicti, *ut meliorem invenirent reſurrectionem*. Et verò unus ex illis dicebat: *E cœlo iſta* (corporis membra) *poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hac ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero.* Huc ſpectabant omnes Martyres qui vitam & ſanguinem profuderunt, meliorem reſurrectionem ſperantes.

DE XII. SYMBOLI ARTICULO

Vitam æternam.

CAPUT XIII.

LECTIO PRIMA.

I. Quare ultimo loco, ſive extremo Symboli articulo proponitur credenda vita æterna?

R. Sancti Apoſtoli Symbolum, quo fidei noſtræ ſumma continetur, æternæ vitæ articulo claudi & terminari voluerunt; tum quia poſt carnis reſurrectionem, de qua in præcedenti articulo, nihil aliud fidelibus expectandum eſt, niſi æternæ vitæ præmium: tum verò ut finis ultimus hominis in quem omnes actiones, omnia ſtudia, & cogitationes defigere debet, ſemper ante oculos ejus verſaretur. Sanè, ad hunc finem, ut perfecta illa, & omnibus bonis cumulata felicitate frueretur, Deus Pater hominem condidit; Filius redemit; Spiritus Sanctus ſanctificavit: adeò quod omnia & ſingula Sanctiſſimæ Trinitatis opera in ſuperioribus articulis commemorata ad illum unum ſcopum & finem tendant & colliment? Inf. p. 2. c. 5 lect. unic.

I. Quid igitur complectitur ultimus articulus?

R. Quod credere nos oporteat poſt hanc vitam ſupereſſe aliam longè diverſam vereque ſecuram ac beatam, quæ credentibus, & optemperantibus Chriſto promiſſa ſit.

I. Non morientur igitur amplius, qui hâc æternâ vitâ fruentur?

R. Certiſſimum eſt quod non; *Iuſtorum enim animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Sap. 3.

I. Morienturne igitur reprobi in inferno?

R. Minimè. Patientur verò combuſtionem & tormenta æterna cum dæmonibus

ribus numquam morituri. *Mors fugiet ab eis.*

Apoc. 9. I. Cur ergò hoc vitæ genus non ſimiliter appellatur *vita æterna*?

Cur damnati in inferno non dicuntur eſſe in vita æterna.

R. Quia tametſi minimè morituri ſint, erit tamen iſta vita uſque adeò miſera in æternis ſuppliciis, ut ſemper mori potius, quàm vivere dicendi ſint. Hinc ejuſmodi infeliciſſima vita in Scripturis vocatur mors; immò *mors ſecunda*. Et verò quid aliud eſt mori, quàm extrema pati?

Apoc. 20. I. Declara hoc ſi placet, paulò fuſius?

Mors ſecunda quæ?

R. Illa dicuntur vivere quæ ſeipſa movent; illa dicuntur eſſe mortua; quæ ſe movere non poſſunt; hinc aquæ fluminum vivæ, aquæ paludum mortuæ dicuntur. Sic igitur beati vitam habent, quia non ſolùm vitam gratiæ poſſident, ſed etiam liberè diſcurrunt quocumque voluerint, & vident, audiunt, loquuntur, intelligunt, amant, lætantur, atque alia peragunt officia vitæ ſine ullo impedimento. Reprobi miſeri atque infeliciſſimi dicuntur mortem habere ſempiternam, quia vitâ gratiæ carent, quæ eſt vita ſupernaturalis animæ; neque ſe ipſi movere poſſunt ad officia vitæ illius, cùm nec orare, nec Deum laudare, nec in Domino gaudere valeant. Dicuntur etiam mortui, quia ligatis pedibus ac manibus in tenebris jacent, & in tenebris jacebunt tanquam mortui in ſepulchris. Et, ſi quem motum intelligentiæ, voluntatis & ſenſuum habent, eum habent, ſolummodò ut patiantur, non ut agant, intelligunt enim infelicitatem ſuam, deplorant calamitatem ſuam, ſentiunt ardorem ignis urentis, & ſulphuris bullientis, & vermis corrodentis. Denique ſic vivunt, ut mortem ſemper exoptent. *Quærent* enim *mortem, & non invenient*.

Apoc. 7. R. Habetne in Scripturis Sacris hunc dicendi morem uſurpatum *vitam æternam*?

R. Ita pluribus in locis Matt. 9 dicitur: *vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.* Et interroganti in Evangelio, *quid faciendo vitam æternam poſſidebo*: reſponſum eſt à Domino: *ſerva mandata*. Luc. 18.

I. Cur *vita æterna* nomine ſumma illa beatitudo deſignatur?

Cur beatitudo nomine vita æterna deſignata.

R. Illud certè ideò factum eſt, ne quis exiſtimaret eam in rebus corporeis & caducis, quæ æterna eſſe non poſſunt, conſiſtere; neque enim defuerunt homines inanis cujuſdam ſapientiæ opinione inflati, qui ſummum bonum ſive beatitudinem in iis rebus ponerent, quæ percipiuntur ſenſibus. Contra quas ab omni veritate alienas opiniones dicitur hic quod beatitudo, ſummum ſcilicet bonum noſtrum & finis noſter ſit *vita æterna*. Agedum igitur, *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Mundus* enim *tranſit & concupiſcentia ejus*. Omnia terrena veteraſcunt & pereunt, beatitudo verò, nullo temporis definienda eſt termino; æterna eſt, & *vita æterna*.

Prima ratio. 1. Joan. 2.

Secundò ex vi hujus nominis, *vitam æternam*, percipimus ſemel adeptam felicitatem amitti nunquam poſſe, ut falsò nonnulli ſuſpicati ſunt: nam felicitas, ex omnibus bonis ſine mali admiſtione cumulatur: quæ cum hominis deſiderium expleat, in æterna vita neceſſariò conſiſtit. Vid. S. Tho. 1.2. q. 5. a. 4. *Quid enim* (inquit Auguſtinus) *illâ beatitudine fallacius, ubi nos futuros miſeros aut in tanta veritatis luce neſciamus, aut in ſumma felicitatis arce timeamus?*

Secunda ratio. *L. 11. de civit. c. 20. & l. 83 quæſt. q. 35.*

Tertiò beatitudo noſtra appellatur *vita æterna*, ut ſignificetur illo ſtatu nihil jucundius, nihil homini optabilius, qui omnium malorum liberatione, omniumque bonorum adeptione conſtat. Nam ſi caducâ iſtâ vitâ (quæ mors potius continua dicenda eſt) nihil magis amatur, quo tandem animi ſtudio ad *æternam vitam*, beatam, ſtabilem, & omni deliciarum genere plenam contendendum eſt.

Tertia ratio. *Aug. l. 19. de civit. c. 11. Enchir. 84.*

I. Num-

I. Numquid etiam aliis nominibus hanc beatitudinem appellant ſacræ litteræ?

Beatitudo multis nominibus appellata. R. Omninò. Vitæ enim iſtius bonorum amplitudo unâ voce ſatis explicari nequit. Dicitur enim aliquando.

Regnum cœlorum, proptereà quod ibi ſancti libertate, gloriâ, potentiâ, rerumque omnium affluentiâ, ceu Reges, ſummique Regis Filii perfruentur, nec ab ullo hoſte impugnabuntur, non à carne quæ animæ imperio per omnia parebit: non à mundo, qui jam pedibus eorum erit ſubjectus; non à diabolo, qui ad tartara detractus æternis deinceps carceribus claudetur. *De regno cœlorum plura p.2.c.5. loc. unica.*

Beatitudo etiam vocatur.

Regnum Dei, Regnum Chriſti, quia ibi Chriſtus Dominus pacatiſſimè regnabit proſtratis undequaque hoſtibus, & poſitis inimicis pro ſcabello pedum ejus in æternum. Aliquando appellatur.

Pſ.109. *Domus Patris*, quia filiorum tantum ibi erit habitatio & incolatus ſempiternus. Aliquando etiam vocatur

Paradiſus, & cœlum, propter loci amœnitatem, ubi fixa eſt curia Regis gloriæ; ubi præparatum eſt regnum in quo cum Chriſto regnant ſancti, & triumphant ſine fine.

Inf. lect. ſeq. poſt med. *Civitas ſancta*, ob ſanctorum, adeoque nobiliſſimorum civium jucundiſſimam ſocietatem. Unde etiam *Ieruſalem nova* appellatur ex lapidibus pretioſis conſtructa ob animorum corporumque admirabilem & undequaque perfectam innovationem. De qua Tobias ſenior: *Luce ſplendida fulgebis &c.* Et infrà: *portæ Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus ſternentur: & per vicos ejus* Alleluja *cantabitur.* Et ſanctus Joannes. *Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa verò civitas aurum mundum ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata, &c.* uſque ad finem capitis. Ut meritò vocem & oculos in ſublime tollens Pſaltès cecinerit: *Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei.* Pſ.86.

Tob.13. Apoc.21.

I. Quid eſt igitur vita æterna, beatitudo, & finis hominis?

R. Eſt ſtatus omnis mali expers, & omnium bonorum aggregatione perfectus. *Ibi* (inquit Aug.) *nullum erit malum, nullum latebit bonum.* *L.22. de civit.c.30.*

I. Declara ex Scriptura, quòd in vita æterna nullum erit malum?

R. Scriptum eſt in Apoc. *Non eſurient, neque ſitient ampliùs: neque cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus* Et: *Abſterget Deus lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* C.7. Apoc.21.

I. Unde habes quòd ibi abundabit omne bonum?

R. Ipſe Salvator & Dominus noſter hoc ipſum declaravit, cùm diceret: *Serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Quibus verbis oſtendit quàm immenſa gloria beatæ & æternæ vitæ ſit futura; quæ in beatorum animos penetrare nullo modo poſſit; ut neceſſe ſit illos in eam, id eſt, in gaudium Domini intrare: ut eo circumfuſi omne deſiderium cumulatiſſimè expleant. Ad eum modum quo invitatus ad nuptias ingreditur in aulam nuptialem, deliciis, muſicâ, tapetibus, ſuavibus odoramentis, amicis ad omnem hilaritatem compoſitis, omnique re delectabili ita inſtructam & refertam, ut videatur in ipſa mera introire gaudia. Matt.25. *Simile.*

I. Quomodò hoc fiet?

R. Viſione, amore, & fruitione Dei, cum jam *non per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem videbimus eum ſicuti eſt.* Erumpat hîc Catechiſta in exclamationem, & dicat: *O clariſſimi Filii mei, quid hoc eſt videre Deum, frui Deo, æterni amoris glutino adhærere Deo? Quid eſt, ô quid eſt poſſidere vitam æternam?* 1.Cor.13. 1.Joan.3. *Affectus.*

I. Poſſeſne aliquo ſaltem rudi modo decla-

Digitized by Google

declarare, quòd viſio beatifica tam jucunda erit, tam glorioſa, tamque ineffabilis, ut ab ea Sancti plenè ſint ſaturandi, & inebriandi tanquam à torrente voluptatis & gaudii?

Declaratur viſionis beatificæ quanta ſit futura jucunditas ex viſione corporali.

R. Ita. Hoc declaro ex viſione, cui non erit difficile ſingulos alios ſenſus applicare, proportione eiſdem competenti. Sume igitur hoc à Philoſophis fundamentum: Ex debita unione potentiæ cum objecto convenienti ac benè proportionato oritur delectatio; & quantò objectum fuerit convenientiùs & amœniùs, tantò major delectatio generatur in potentia ipſum apprehendente. Sic enim viſus oblectatur pulchritudine, auditus ſymphonia, guſtus delicatis cibis & potibus, tactus objectis ſibi proportionatis, odoratus ſuavi odore. Hoc poſito, ſic ratiocinare pro viſu. Si oculis meis viderem Abſalonem, quàm jucundus foret mihi ejuſmodi aſpectus ob ejus ſpeciem & pulchritudinem? Si Samſonem ob fortitudinem; ſi Salomonem, ob ſapientiam; ſi S. Petrum ob ſanctitatem & miraculorum gloriam? Ulteriùs progrediendo, ſi quempiam viderem qui haberet ſolus Abſalonis pulchritudinem, Samſonis fortitudinem, Salomonis ſapientiam, S. Petri mirabilium operationem, quale ſpectaculum, quam ſpecioſum & jucundum oculorum objectum! Progredior ulteriùs. Si quiſpiam nobis offerretur centies Abſalone pulchrior, Samſone fortior, Salomone ſapientior, S. Petro ſanctior, nonne relicto quolibet alio in hunc unum omnem oculorum aciem curioſiſſimè intenderemus? Regina Saba cùm audiſſet famam Salomonis, venit à finibus terræ audire ſapientiam ejus; quò non cucurriſſet ut talem & tam perfectum hominem, quem deſcripſimus, vidiſſet? Dico ampliùs, ſi occurrat alius centies millies iſtis prioribus pulchrior, fortior, ſapientior, perfectior, Bone Deus! Deſineremus protinus illos mirari, totique in ultimum hunc obtutu & conſideratione defigeremur. Sed quid tandem, hoc totum eſſet in uno homine? abſque dubio finita & anguſtis finibus circumſcripta omnia, & non forent niſi modica participatio divinæ perfectionis omni ex parte infinitæ & incomprehenſibilis.

3. Reg. 10. Matt. 12.

Quid verò erit Deum ipſum glorioſum in ſeipſo clarè, & ſicuti eſt, immediatè cernere, qui eſt omnis pulchritudinis, potentiæ & fortitudinis, ſapientiæ, omnis denique perfectionis & Majeſtatis pelagus immenſum? Verè beati qui venient & videbunt oculis ſuis, & probabunt quòd media pars eis nunciata non fuerit, & quòd major eſt ſapientia & perfectio Dei, quàm rumor, quem audierunt. Beati, Domine, ſunt ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam, & vident gloriam tuam. O quàm rectè ſibi conſulunt, qui ad hanc miram & ineffabilem Dei viſionem multis bonis operibus viam ſibi parant! Si Moyſes mandatum accipit calceamentum ſolvendi de pedibus ſuis antequam appropinquet, ut videat viſionem magnam, Dominum videlicet in flamma ignis de medio rubi qui ardebat, & non comburebatur; quantò digniùs eſſet, non dicam ſolvendi calceamentum, ſed totum ſe rebus caducis & terrenis exuendi, pro adipiſcenda hac magna & mirabili Dei ſummi, & ſuper omnia benedicti viſione & fruitione in gloria cœleſti? O quàm dignum eſſet extrema quæque pati & agere pro viſione lucis inacceſſibilis, & boni prorſus infiniti, quod in ſe continet omne bonum.

Exod. 3.

Quicquid igitur *poteſt manus tua inſtanter*, inſtantiùs, inſtantiſſimè, *operare; eſt enim merces operi tuo*, Deus ipſe, ipſiſſimus.

Eccli. 9.

Exemplum.

Sancta Liduvina omnium tormentorum obliviſcebatur recreatâ viſione Angeli Tutelaris; O quæ voluptas videre novem Angelorum Ordines, immò Regem ipſum Angelorum in decore ſuo!

Digitized by Google

I. Sed quomodo poterit homo videre Deum facie ad faciem, & ſicuti eſt?

Quâ ratione videbitur Deus in cœlo.

R. Ipſemet Deus lumine gloriæ (quod vocant) hominis intellectum fortificabit & elevabit ad viſionem hanc, ut tantæ rei ſit capax, tam ſublimis, tantis ſupra ſe intervallis poſitæ. *In lumine tuo*, dicebat Propheta, *videbimus lumen*. Et alius: *Claritas Dei illuminabit eam*, cœleſtem Jeruſalem.

Pſal 35.
Apoc 21.

I. Quid iſta illuminatio claritatis Dei ſive lumen gloriæ operabitur in homine?

R. Jam diximus, quod intellectum ejus confortabit, & elevabit ad videndum Deum; addo, & efficiet eum ſimilem ei, ut jam non homo, ſed Deus quodammodo videatur, dicente Apoſtolo: *Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes; in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu.* Tunc verè *ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Similes, inquam, non tantùm ut ad imaginem & ſimilitudinem ejus creati; ſed ſimiles in gloria, in beatitudine, in claritate.

2. Cor. 3.
1. Joan. 3.

I. Habeſne aliqua ſimilia, quibus id explices?

Similia.

R. Ita. Simile eſt de ferro ignito in fornace, quod etſi revera & à parte rei ferrum ſit, & ferrum maneat in ſubſtantia, apparet tamen magis ignis quàm ferrum: ita homo abſorptus in gloria, & lumine gloriæ ad videndum Deum elevatus, quamvis propriam ſubſtantiam non dimittat, admirabilem tamen quandam & propriè divinam formam induit, ut Deus magis vel deificatus videatur, quàm homo.

2\. Alterum ſimile, eſt de Sole apparente in ſpeculo, quem verò Soli ſimillimum dixeris. *Cyprian. de ſingul. Cleric.*

3\. Tertium de Luna, quæ dum plena eſt, tantùm lucis accipit à Sole, ut ipſa Sol quodammodo nocturnus appareat.

LECTIO SECUNDA.

Dic mihi, ſi placet, in particulari, quæ ſint bona vitæ æternæ?

R. Iſta bona ſunt in duplici differentia: nam alia eſſentialia, alia acceſſoria.

Bona vitæ æternæ duplicis generis.

I. Quænam ſunt bona eſſentialia?

R. Voco bona eſſentialia vitæ æternæ Deum ipſum, Sanctiſſimam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum; quæ eſt primarium & principale gloriæ beatorum objectum; in cujus cognitione, amore, & poſſeſſione omne eorum bonum, omnis felicitas conſiſtit, juxta illud: *Ego ſum merces tua magna nimis.* Et illud: *Oſtendam tibi omne bonum.*

Deus ter maximus principale beatitudinis objectum.
Gen. 15.
Exod. 33.

I. Cur dicis quòd Deus ipſe ter maximus ſit primarium, & principale beatitudinis objectum?

R. Ut innuam aliud ſecundarium, videlicet beatiſſimam humanitatem Domini noſtri JESU Chriſti, ſecundùm illud: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* In hujus ſanctiſſimæ humanitatis contemplatione, & clariſſima cognitione maximi doni mortalibus à Deo in Incarnatione collati ineffabiliter gaudebunt, & gloriabuntur Sancti, animis in admiratione ſuſpenſi, in Dei laudes toti effuſi, & lætitia inenarrabili omni ex parte repleti. Apoſtolorum Princeps Petrus in transfiguratione vidit Chriſti reſplendentem faciem inſtar Solis, & veſtimenta ejus alba in modum nivis, & ita abſorptus fuit, ut neſciens quid diceret, & præ gaudio apud ſe non exiſtens, ibi remanere optaret, *Præceptor*, inquiens, *bonum eſt nos hic eſſe.* In quas modò extaſes eum, cæteroſque ſanctos rapi credendum eſt, dum *revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, à claritate vultus ejus irradiantur.*

Joan. 17.
Secundarium humanitas Domini noſtri.
Luc. 9.
2. Cor. 3.

I. Ultra claram Dei viſionem, quam dixiſti eſſe beatitudinem eſſentialem ſanctorum, quibus aliis bonis fruentur in cœlo?

R. Ta-

1. Cor. 2.

R. Tametſi fieri non poteſt, ut de iis dignè quicquam loquamur, juxta Apoſtolum qui dixit: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe;* Poſſumus tamen ex comparatione & ſimilitudine rerum temporalium, in aliqualem cœleſtium devenire. Dicamus ergo de illis aliquid prout poterimus.

Alia bona quæ beatitudini eſſentiali accedunt.

Primò, *per negationem*; itaque non erit in cœlo teterrimum belli flagellum, nullus metus, nulla anxietas; non erit ibi calor urens, non frigus, non alia quævis aëris intemperies; nullus morbus, indigentia nulla, &c.

Bona corporis inſ æternæ beatitudine.

Secundò, *per affirmationem*; Deſiderant homines in hac vita corpus ſanum, agile ac robuſtum, omnibus ſuis membris benè proportionatum, ac in omnibus elegans & venuſtum; age verò, in vita æterna corpus hoc quoad ſanitatem habebit immortalitatem & impaſſibilitatem, ſanam æternitatem, & æternam ſanitatem, adeò quòd ſine potu, ſine cibo mortali, ſine ſomno, aut alia quavis reſocillatione, ſpiritui per omnem æternitatem vacare poterit in omnibus quæ ei erunt neceſſaria: quoad pulchritudinem, *fulgebunt juſti ſicut Sol*; quoad agilitatem; tantâ claritate præditum erit, ut uno momento ab una mundi parte in aliam, immò à terra uſque in cœlum ſine defatigatione poſſit ſe movere: *ſicut ſcintilla in arundineto diſcurrent*; verbo uno, *ſimiles erunt Angelis Dei.* Vid. quæ nos ſup. cap. præced. lect 3.

Sap. 3.

Menſæ & convivia in cœlo.

Interim (quòd homines valdè appetunt in hoc ſæculo) non deerunt ibi menſæ benè inſtructæ, & fercula delicatiſſima cùm cœleſti nectare, quæ omnem planè dulcedinem vincent, & quæ nec cogitatione quidem fingere poſſumus. Quid? quod & Angeli ipſi ſuum etiam cibum & potum habent; dicente uno ex illis Raphaële: *Ego cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* De cibo verò & potu omnium cœleſtium civium in communi, habes in Apoc. *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ ſplendidum tanquam cryſtallum procedentem de ſede Dei & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.*

Tob. 12.

Apoc. ...

De hoc ligno vitæ meminimus ſuprà p 4. c 4 lec. 27. in principio.

Addo quæ magis mireris. Verè triclinium eſt in domo Domini; ubi Sancti omnes non ſolùm menſâ regiâ veſcuntur, ſed, quod omnem excedit fidem, & nemo ſibi perſuaſerit, niſi Spiritus ſanctus ipſe nos doceret, Rex ipſiſſimus præcinctus miniſtrat. Sic enim loquitur Dominus apud Luc. *Beati ſunt ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* C. 12.

Quis unquam audivit ſimilia? Dominus ſtat, ſervus recumbit. Dominus præcinctus tranſit diſcurrens & cibos afferens; famulus diſcinctus quietè comedit, & fruitur cibis regiis. Scio parabolicè iſta intelligenda, neque ſum tam groſſus ut epulas corporales in cœlo requiram; dicit tamen Chriſtus ſub iſtis verbis longè gratiſſima.

Primò, ſe inuſitatum præ omnibus bonis dominis, ac infinities majorem, fidelibus ſervis ſuis honorem in cœlo exhibiturum, ut eos quaſi faciat dominos, quibus adminiſtret nuptiale æternæ felicitatis ac beatitudinis epulum.

Secundò, ſe id facturum cum multiplicibus, ſemper novis ac indeſinentibus ferculis, id eſt, voluptatibus & deliciis ſanctis tam animæ, quàm corporis, ejuſque ſingulorum ſenſuum, loco tamen & ſtatui beatorum & immortalium congruentibus, quæ ſine faſtidio ſatiabunt, & ſine ſatietate deſiderium replebunt.

Tertiò, ſe pro meritis cuique alias & alias delicias appoſiturum. Iſtud enim tranſiens ſignificat cœnam pro meritis cujuſque fore variam, & lautiſſimam: vox verò, *miniſtrabit*, fore honorificentiſſimam: denique, *faciet illos diſcumbere,*

æternam fore repletionem ac fruitionem bonorum omnium, quibus referta eſt domus Dei. *Beatus planè qui manducabit panem in regno Dei.* Luc. 14.

Salvator noſter ſuos aliquando conſolatus dixit: *Ego diſpono vobis regnum ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Luc. 22. Has menſas, hæc cœli gaudia à longè demiratus Propheta exclamat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te? inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Pſ. 30. 35. Si tam ſuave fuit Prophetæ deſiderium, quàm erit jucunda ipſa fruitio? Verè, verè anima mea, *tunc ſatiabimur cùm apparuerit gloria ejus.*

Veſtes pretioſæ in cœlo.

Jam, quid de veſtibus pretioſis, aut de regalibus ornamentis dicemus? Omnes immortalitate & lumine ſicut veſtimento amicti erunt, & ſempiternæ gloriæ diademate redimiti.

Magnifica Palatia.

Si amplæ etiam & magnificæ domûs poſſeſſio ad humanam fęlicitatem putatur pertinere, quid cœlo ipſo, quod Dei claritate undique colluſtratur vel ampliùs, vel magnificentiùs excogitari poteſt? capere ſanè non poſſunt humanæ mentis anguſtiæ. Quare idem Propheta, cùm ſibi ejus domicilii pulchritudinem ante oculos poneret, & ad beatas illas ſedes perveniendi cupiditate arderet: *Quàm dilecta*, inquit, *tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini: cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum!* Pſal. 83. Et alius Propheta: *O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus!* Baruc. 3.

Horti amœni & nemora.

Neque deerunt in cœlo horti amœni & immarceſſibiles, de quibus piè & figuraliter ita meditatur ſanctus Auguſtinus:

Hyems horrens, æſtas torrens, nunquam illic ſæviunt?
Flos perpetuus roſarum ver agit perpetuum:
Candent lilia, rubeſcit crocus, ſudat balſamum. In medit. c. 26.
Virent prata, vernant ſata, rivi mellis influunt.
Pigmentorum ſpirat odor, liquor & aromatum.
Pendent poma floridorum non lapſura nemorum.

Hactenus de bonis corporis.

Bona animæ in cœlo.

Quoad animam, *Intellectus* erit plenus ſapientiâ; cauſam etiam rerum omnium, quæ Deus eſt, manifeſtè videbit: *voluntas* adeò plena erit charitate & bonitate, ut non poſſit vel unum committere peccatum veniale; ut de anima tali juſtitiâ exornata, vel ſi malis, tali veſte induta dici poſſit illud: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. 4. *memoria*, ex recordatione beneficiorum Dei in omni vitâ, ſpiritualium & corporalium, naturalium & ſupernaturalium, temporalium & æternorum incredibilem animæ gaudiorum materiam repræſentabit, cùm juſtus recordabitur ſe tam multis modis præventum in benedictionibus dulcedinis.

Si bona externa quæruntur.

Bona externa.

Divitiæ Beatorum tantæ erunt, ut nullis omninò rebus indigeant, in Deo ſolo omne bonum poſſidentes, & omnem ſufficientiam habentes.

Honor eorum erit, quòd non amplius ſervi, ſed Fratres ac Filii Dei vocentur; ut meritò liceat exclamare: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum?* Pſ. 138. Certè in ipſo totius mundi theatro à Deo laudari, & tanquam victores coronari; imò in ipſo Chriſti throno tanquam regni particeps collocari, omnem dignitatem vincit. Apoc. 3. Ad hanc honoris ſublimitatem convocat electos ſuos Dominus, dicens: *venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Matt. 25. De hoc ipſo regno diſertiſſimè S. Jacobus: *Deus*, inquit, *elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni quod repromiſit Deus diligentibus ſe.* Ep. c. 2. Denique:

Con-

Digitized by Google

Jucundiſſimum Sanctorum conſortium in cœlo.

Gaudium eorum ineffabile erit, quia omnes potentiæ tam corporis quam animæ maximè ſuis objectis convenienter attemperabuntur, ut inde perfecta delectatio, & pax inenarrabilis, gaudium item perpetuum, ac jubilus naſcatur.

His adde jucundiſſimum & gratiſſimum Sanctorum conſortium. Ibi erunt omnes Principes nobiliſſimi, ſapientiſſimi, ſanctiſſimi, nobiſque intimè conjuncti, qui de noſtra fælicitate æquè ac de ſua nobis applaudent, & Deum cum maxima cordis exultatione concorditer laudabunt. Hic novem Angelorum ordines, hic turba magna quam dinumerare nemo poteſt, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, &c. Ecquid, putas, erit tot ſpecioſos Angelos, tot præclaros homines fælicitatis ejuſdem, & amicitiæ Dei participes videre cominus & alloqui; quanta fælicitas cum tantis & talibus converſari, & æternum habere contubernium? Sed quid erit videre magnificentiam Reginæ cœli, Dei Genitricis, Dominæ noſtræ ſuper omnes Angelorum Choros exaltatæ? *ſup. c. præc. lect. ultima*

Aug. ſer. 1. de verbis Apoſtoli.

In ſumma, *Qualis ſit gloria futura, & quibus divitiis floreat, laudare poſſumus, explicare non poſſumus, quia legimus.* Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcendit, quæ præparavit Dominus diligentibus ſe. *Quis eſt igitur ipſe Deus, qui talia & tanta præparavit? quid, niſi inæſtimabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, ultra omnia, extra omnia, præter omnia? Si quæras magnitudinem, major eſt; ſi pulchritudinem, pulchrior; ſi dulcedinem, dulcior; ſi ſplendorem, ſplendidior; ſi juſtitiam, juſtior; ſi fortitudinem, fortior; ſi pietatem, clementior? in cœlo ergò, ut ait Iſaias,* Erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.

1. Cor. 2.

c. 60.

II. Sed quid agent negotii, aut in quo per æternitatem totam occupabuntur ſuperni illi cœlorum cives?

Inf. p. 2. c. 9. lect. unic.

Negotium & occupatio Beatorum in cœlo.

R. Non erit aliud eorum negotium quàm inceſſanter laudare Deum. Et quid jucundius, quidve honorificentius aut dignius, quam ſine intermiſſione in Conſilio Sanctorum confiteri & benedicere Domino, ejuſque miſericordias in æternum cantare? O terque, quaterque *beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Pſal. 83.

Procidebant, ait ſanctus Joannes, *viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, honorem & virtutem.* Et c. 15. *Vidi*, inquit, *tanquam mare vitreum; & cantantes Canticum Moyſi ſervi Dei, & Canticum Agni.* Hoc unicum eſt negotium, hæc tota occupatio Beatorum cœli Civium. Sicut enim ad beatitudinem pertinet ſemper videre & amare ſummum bonum; ſic ad exercitium beatitudinis pertinet ſemper admirari, & laudare pulchritudinem ſummi Boni.

Apoc. 5.

Hinc in dedicatione Eccleſiæ decantamus:

Hymnus Eccleſiæ.

Omnis illa Deo ſacra,
Et dilecta civitas
Plena modulis, in laude
Et canore jubilo,
Trinum Deum unicumque
Cum fervore prædicat.

Aug. l. 22. de civit. c. 30.

Quid aliud agetur, ubi nulla deſidia ceſſabitur, neque ulla indigentia laborabitur? Ipſe Deus finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, ſicut ipſa vita æterna, communis. Ibi ergo vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine ſine fine. Nam quis alius eſt noſter finis, niſi pervenire

Digitized by Google

Medit.c. 25. ad regnum, eujus nullus eſt finis? *Felix ergò, & verè in perpetuum felix* (inquit idem alio loco Sanctus Doctor) *ſi poſt reſolutionem hujus corpuſculi audire merueris illa cantica cœleſtis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni ab illis ſupernæ patriæ civibus.*

I. Eruntne omnes Sancti pares in gloria?

R. Etſi omnes futuri ſint beati, plenèque contenti, quandoquidem omnes Deum videbunt; attamen *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ait Dominus, in quibus majora & minora præmia, ut quiſque promeritus fuerit, reddentur. *Qui enim parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Et, ſi alius alio fortior, alius alio ſapientior, alius alio juſtior, alius alio ſanctior, *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

Ioan 14. *2.Cor.9.* *Aug.tract. 67.in Ioan.*

Nullus alienabitur ab illa domo, ubi manſionem pro ſuo quiſque eſt accepturus merito.

Nulla in cœlo erit invidia.

Neque tamen idcircò ulla invidia, aut diſplicentia erit in eis, quia juxta capacitatem ſuam ſinguli replebuntur: & quo majora merita acquiſiverint, eo majorem gloriam obtinebunt. Audi Sanctum Gregorium: *In multis manſionibus erit retributionum diverſitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos ſociat, ut quod in ſe quiſque non acceperit, hoc ſe accepiſſe in alio exultet. Unde & non æquè laborantes in vinea, æquè cuncti denarium ſortiuntur. Et quidem apud Patrem manſiones multæ ſunt; & tamen eundem denarium diſpares laboratores accipiunt, qui unà cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una omnium ſublimitas vitæ.* Has manſiones multas, magnitudine lucis plenas Stephano cuidam oſtenſas narrat idem S.Doctor, l.4. Dial.c 36.

Greg.l.4. moral.c.31

I. Declara mihi quod dicis, nullam ſcilicet, ibi futuram invidiam, aut diſplicentiam, ob majorem aliorum Sanctorum gloriam, per aliqua ſimilia?

R. Si Pater quiſpiam multos filios inæqualis & diverſæ ſtaturæ haberet, eiſque veſtem ex aurea tela contextam uniuſcujuſque ſtaturæ adæquatam & proportionatam donaret, non eſt dubium, quin majores præ minoribus veſtem majorem & pretioſiorem haberent, & nihilominus omnes contenti futuri eſſent, quia minor majoris veſtem non deſideraret, utpotè ſtaturæ ſuæ non convenientem. *Simile.*

Secundò, digitus annulo aureo ornatus non invidet capiti diademate redimito; uti nec contrà caput invidet digito, quia quod uni convenit, alteri minimè quadrat.

Tertiò, ſoror Epiſcopi non invidet fratri ſuo mitram, quia ejus ipſa incapax eſt?

I. Habeſne exempla, quibus probes majoribus quorundam Sanctorum meritis majorem retribui gloriam?

R. Ita. Aliqua adferemus ſequenti lectione.

Finiamus modò cum Oratione Eccleſiæ:

Deus qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum: ut te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. *Dominic. 5 poſt Pentec.*

LECTIO TERTIA.

De aureolis.

I. QUid vocas aureolas?

R. Aureolas voco dotes quaſdam accidentales beatitudinis præmio eſſentiali ſuperadditas, quas participant Martyres, Doctores, & Virgines, qui virtute quâdam excellenti, & præcipuo animi robore diabolum, mundum, carnem communes & conjura- *Suppl. S. Tho. q 96.* *Exod.25. n.25.& gloſſa ibi.*

jura-

Digitized by Google

juratos humani generis hoſtes ſubegerunt.

Tres aureola.

I. Suntne igitur tres aureolæ.

R. Ita, tot nimirum ſunt aureolæ, quot hoſtes; ſive potiùs quot præcellentes quædam victoriæ rationes, quas conſequuntur præmia ſpecialia & gaudia, de hoſte in conflictu difficili proſtrato.

I. Qui ſunt iſti conflictus & victoriæ, quibus attribuit Dominus Deus aureolas?

R. In Martyribus quidem mors fortiter ſuſcepta pro Chriſti nomine; in Doctoribus fidei Doctrinæ expoſitio & doctrina, quâ veluti micanti jubare mundum hæreſibus & aliis tenebris expurgant, colluſtrantque; in Virginibus denique eſt ſingulare quoddam animi propoſitum & robur, continuè contrà carnem ejuſque oblectamenta ex amore Dei pugnandi, ut cor immaculatum, & corpus impollutum ſuo ſponſo exhibeant.

Aureola Martyrum.

I. Jam, quæ eſt illa aureola, ſive excellens dos, & gloria ſpecialis, quam obtinebunt Martyres ex eo quòd mundum, ejuſque tormenta fortiter dimicando ſuperarunt?

Dominic. Soto in 4. diſt. 49.

R. Coronam auream (inquit Auguſt. ſerm. 1. de Sanctis, & canit Eccleſia in eorum Officio) geſtabunt in capite, eritque corpus eorum amictum lumine ſuprà quàm dici poteſt, micante admodum purpurei, ſive roſacei coloris; in ea præſertim corporis parte, in qua ſupplicia pertulerunt, ſigna virtutis pulcherrima & venuſtiſſima geſtaturi, uti docet S. Auguſt. lib. 22. de civit. cap. 20. *Vide quæ de Salvatoris noſtri cicatricibus diximus ſup. cap. 6. lect. 2 ratione 2.* In anima verò habebunt propriam & ſpecialem gloriam, quâ probabuntur, & omnibus manifeſtabuntur mundum viciſſe, tollentes crucem ſuam, & Chriſtum Ducem uſque ad mortem ſequentes.

Hymnus Eccleſiæ.

Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu Martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido ſanguine laureis
Dicantur bene fulgidis.

I. Quæ eſt Doctorum aureola?

Doctorum aureola.

Dan. 12.

R. Secundùm corpus quidem. *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Qui fulgor ex opinione Soti, fortè erit viridis coloris, & verò roſæ Martyribus, lilia Virginibus, laurus attribuitur Doctoribus. Secundùm animam autem Doctorum aureola erit ſplendor quidem demonſtrans omnibus in cœlo Doctores illos ad juſtitiam erudiiſſe multos, mundumque fugatis ignorantiæ tenebris illuminaſſe.

I. Qui ſunt quos tu Doctores appellas?

Trid. ſeſſ. 5. c. 2. de ref. & ſeſſ. 24. c. 4.

R. Illos Doctorum nomine imprimis appellandos cenſeo, qui populis doctrinæ ſalutaris pabulum impendunt. In illis primum] ſibi locum vendicant Epiſcopi, *quorum præcipuum munus eſt prædicare;* ideòque traditur eis in ordinatione liber Evangeliorum, & dicitur: *Accipe Evangelium, vade, prædica populo tibi commiſſo.*

Idem ſeſſ. 5. c. 2. alleg. de ref.

Deinde Archi-Presbyteri, Paſtores, Plebani, qui Doctrinam Chriſtianam ex officio, & ſacrorum Conciliorum decretis *plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcunt ſalutaribus verbis, docendo ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: annunciandoque eis cum brevitate & facilitate ſermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant.*

Doctores Academici.

I. Sed numquid Doctores noſtros academicos ob hæc aureolarum gloria vis excludere?

R. Nequaquam, illi enim *primò* legem Dei, in qua eruditi ſunt, in praxim ipſi dedu-

Digitized by Google

deducunt & obſervant, hacque ratione ſimul cum doctrina ad juſtitiam erudiunt multos.

Secundò, ab illis in Eccleſiam Dei plurimus ſplendor emanat, ad depellendam ignorantiæ caliginem, & ad profligandam multorum capitum hydram, hæreticarum, dico, novitatum profanas opiniones, quas mendaces Magiſtri in imperitam multitudinem ſpargunt: ut non dicam Epiſcopos, & cæteros antedictos Doctores, ab his academicis Magiſtris ſumere quòd plebes ſuas doceant, eorumque publico teſtimonio (quod pro Epiſcopis exigit. Concil. Trident.) debere idoneos ad alios docendos oſtendi.

C. fin. de Magiſtris.

Seſſ. 23. c. 2.

1. Quæ eſt Virginum aureola?

R. In Virginibus aureola, ſi corpus ſpectes, erit fulgor quidam candidus ad inſtar liliorum, qui in cœlo magnum eis conciliabit honorem; quoad animam verò, erit propria, eaque excellens gloria, quam ſibi comparaverint ſanctitate & munditiâ corporis & ſpiritûs, contemptis pro amore ſponſi ſui Domini noſtri JESU Chriſti ex propoſito, ſive etiam ex voto omnibus carnis illecebris, omni carnali connubio. Et iſta quidem aureola Virgines in præcipuo honore conſtituet, non ſolum apud cæteros Sanctos, ſed etiam apud Dominum noſtrum agnum ſine macula, quem ſequentur quòcumque ierit cantantes canticum novum, ſibique applaudentes & Deum laudantes de ſua duplici integritate, mentis ſcilicet, & corporis.

Virginum aureola.

Iſai. 56.

Apoc. 14.

Gloſſ. interlin.

Undè meritò de ſanctis Virginibus canit Eccleſia ad hanc aureolam cum ſponſo eas invitans: *Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.* Magna certè gloria eſt ſervire Regi Regum; major inter amicos & domeſticos ejus connumerari; maxima Filium Dei & Chriſti fratrem nominari: ſed ſponſam poſſe dici Dei, conſortem throni, conſortem thalami, conſortem coronæ, conſortem titulorum & bonorum omnium, pluſquam maxima, ſi ſic loqui licet, gloria & ſuavitas eſt. Perpendant Virgines, præſertim quæ ſacræ religionis velamen acceperunt, dignitatem ſuam. Audiant Tertul. de velandis Virginibus c. 16. *Nupſiſti*, inquit, *Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi deſponſaſti virginitatem tuam. incede ſecundùm ſponſi tui voluntatem.*

Virginum quàm ſpecialis gloria.

1. Habeſne aliqua exempla gloriæ ſpecialis, ſive aureolæ Virginibus & Martyribus conceſſæ.

Exempla.

R. Habeo. Narrat Euſebius Potamiam Virginem illuſtrem æquè ac Martyrem, cùm à Baſilide ſatellite ad Martyrium duceretur, & ab eo à petulantia populi defenderetur, promiſiſſe ſe poſt mortem gratiam peculiarem à Deo pro mercede impetraturam. Ergò tertio poſt Martyrium die noctu ei aſſiſtens coronam capiti Baſilidis impoſuit, dixitque ſe pro eo gratiam à Domino poſtulaſſe, poſtulatam obtinuiſſe: & Dominum poſt breve tempus eum ad ſuam gloriam recepturum. Quare Baſilides Chriſtianum ſe profeſſus & baptizatus, poſtero die ſecuri percuſſus præclara Martyrii corona donatus eſt.

L. 6. hiſt. c. 4. & 6.

Baron. to. 2. an. 205. Martyrol. Rom. 28. Iunii.

Vide ad hanc eandem rem Breviarium Romanum 9. Martii *de 40. militibus Martyr.*

S. Agapitus Martyr anno Domini 275. Virgas, nervos, ignes, fumum, aquam bullientem, aliaque graviſſima tormenta perpeſſus, cum in caput ejus congererentur carbones ardentes, gratias agens Deo dicebat: parva res eſt, ſi caput coronandum in cœlo, comburatur in terra: quam decorabit corona gloriæ plagas & vulnera excepta pro Chriſto! Paſſus eſt ſub Aureliano ætatis anno 15.

S. Dorothea ſub annum Domini 304. Cæſareæ in Cappadocia ab Apricio præfecto torta, cùm ad capitale ſupplicium duceretur: *Gaudeo, ait, me ad ſponſum perge-*

Martyrol. Rom. & alii die 6. Feb. apud Sur. eod.

Digitized by Google

pergere, cujus Paradiſus omnium pomorum, omniumque florum ferax amœnius vernat, quàm dici poſſit. Undè & ex hoc Paradiſo poma & roſas poſcenti Theophilo advocato per puerum miſit in Februario, itaque eum ad Chriſtum convertit exclamantem: *Verè Deus Chriſtus eſt, & non eſt ſimulatio in eo.* Undè captus, equuleo tortus, & gladio cæſus Martyr ad Dorotheam evolavit in Paradiſum. Ita habet ejus vita.

22. *Nov.* Similiter Angelus offerens S. Cæciliæ & Valeriano ejus ſponſo duas coronas è roſis & liliis contextas, eos invitavit ad virginitatem & ad Martyrium, uti habent acta S. Cæciliæ.

Ita apparuit S. Agatha S. Dignæ, eique porrigendo roſam & lilium, eam ad Martyrium, & Virginitatis bravium invitavit; Immò in tantum accendit, ut in perſecutorum manus tormentorum ſitibunda ultrò irrueret.

Vid. Baron. anno 853. Ser. 1. de omnibus Sanctis. Hiſtoriæ illæ ſpalàm id verum eſſe aſtruunt quod olim prædicabat Auguſtin. *Floribus cœli nec roſa nec lilia deſunt Certent ſinguli ad utroſque honores, ampliſſimas accipere dignitatum coronas,* (aureolas) *vel de Virginitate candidas, vel de Paſſione purpureas; in cœleſtibus caſtris pax & acies ſuos habent flores, quibus milites Chriſti coronantur.*

De his aureolis pulchrè luſit Poëta in S. Urſulam, ejuſque Sodales hoc verſu:

Urſula, nectendis pro te que, tuiſque corollis,
Crediderim Angelicas obriguiſſe manus.

I. Habeſne etiam exempla eorum, qui Doctoralis aureolæ coronâ redimiti fuerunt?

R. Habeo. Nam ut omittam quod Eccleſia pro duodecim Apoſtolis totius orbis Doctoribus apparuerit S. Joanni quaſi mulier habens in capite coronam ſtellarum duodecim. Apoc. 12.

Exempla. F. Albertus de Brixia Ordinis Prædic. diu deſideraverat ſcire gloriam S. Thomæ Aquinatis in cœlis; & quodam die ante Altare beatæ Mariæ hoc ferventiùs & attentiùs exorabat, cùm ecce vigilanti cum lacrymis in oratione apparuerunt duæ reverendæ perſonæ mirabili cum ſplendore & ornatu; quarum una erat in Pontificali habitu mitram habens in capite: altera in habitu Fratrum Prædicatorum, quæ coronam auream habebat in capite, lapidibus pretioſis intextam, & circa collum duas aureolas, quaſi torques, unam argenteam, & aliam auream: in pectore verò geſtabat quaſi lapidem pretioſum, qui ſplendore mirabili plures radios emittens, irradiare totam Eccleſiam videbatur: in cappa verò per totum inſerti erant lapides pretioſi; tunica & ſcapulare nimio ſplendore fulgebant. Qui ſtupens ad eorum pedes ſe proſtravit, petens ſuppliciter declarari, quæ eſſent illæ perſonæ, quæ apparuerunt. Tunc ille qui mitram geſtabat in capite, dixit: quid miraris, Frater Alberte, Ego ſum Auguſtinus Doctor Eccleſiæ, qui ſum miſſus ad declarandum gloriam S. Thomæ. Is eſt, qui mecum eſt, qui doctrinam meam & Apoſtolicam in omnibus ſecutus eſt, & Eccleſiam Dei ſuâ doctrinâ illuſtravit. *S. Thomas doctrinam B. Auguſt. in omnibus ſecutus.* Lapis pretioſus in pectore tanto ſplendore coruſcans ſignat rectiſſimam intentionem, quam habuit ad declarationem & defenſionem fidei. Lapides plures pretioſi ſunt libri quos edidit. Ipſe igitur par eſt mihi in gloria, virginali me excellens munditiâ, & ego illum Pontificali excellentiâ. Sicque diſparuerunt. *Antonin. 3 p. Chron. tit. 23. c. 7. §. 12.*

Similia de aureolis docent Palud. in 4. diſtinct. 49. quæſt. 8. a. 4. S. Antonin 3. p. tit. 30. cap. 8. S. Bonavent. in Breviloq. cap. ult. Henriquez tract. de fine hominis cap. 27. §. 8. Major. in 4. diſtinct. 49. q. 23. in fine.

Digitized by Google

LECTIO QUARTA.

I. QUandonam ibunt electi in vitam æternam?

R. Animæ ſtatim ut corpus egreſſæ fuerint, ſi plenè purgatæ fuerint, evolabunt in cœlum; ſin autem quidpiam remanſerit purgandum, deducentur ad purgatorium quouſque plane fuerint purgatæ. In judicio generali animæ Juſtorum, corpus reſument glorioſum, ut deinceps ſimul gloriæ participes exiſtant, qui olim in labore & merito fuerant ſocii.

I. Eſtne igitur certum & indubitatum, quod animæ Juſtorum beatitudinem conſequentur ante communem & univerſalem reſurrectionem etiam abſque reſumpto corpore?

Animæ Juſtorum ante communem reſurrectionem beatæ.

R. Eſt certum & indubitatum fidei punctum, definitum in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. & clarè evincitur ex Scripturis: Philip. 1. n. 23. 2. Cor. 5. n. 8 Apoc. 14. & aliis.

I. Etiamne ſancti Patres hanc doctrinam tradiderunt?

R. Ita. S. Joannes Chryſoſtomus ſer. 3. & 4. ſup. epiſt. ad Philip. S. Auguſtinus ſup. illo verſiculo Pſ. 119 *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* Et in quæſt. ſup. Gen. q. 118. S. Bernardus ſer. 4. de omnibus Sanctis. S. Ambroſius c. 11. & 12. de bono mortis.

I. Habeſne exempla quorumdam Sanctorum, qui adhuc in hac vita degentes viderunt gloriam quæ eos manebat in cœlo?

Exempla. Act. 7.

R. Ita S. Stephanus Martyrum primus clarè pronunciat: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.*

Sur. in vita.

Sanctus Antonius de Padua agens animam cecinit: *O glorioſa Domina, excelſa ſuper ſidera, &c.* Deindè ſublatis oculis, eos in cœlum fixè intendit. Rogatus quidnam aſpiceret? Video, inquit; Dominum meum. Ac mox feliciter in Domino obdormivit anno Chriſti 1231.

S. Elizabetha Hungarorum Regis filia oculis in cœlum intentis vidit Chriſtum, ab eoque audivit: *Bono animo eſto filia, ego ſum tecum.* Cui illa: *Ita Domine tu mecum & ego tecum.* Eidem poſt vitam multis annis religioſè tranſactam Chriſtus apparuit, dixitque: *Veni ſponſa, cœleſti thalamo potire.* *Sur.*

S. Tarſilla amita S. Gregorii, ut ipſe refert l. 4. dia c. 16. moriens, *ſurſum reſpiciens* JESUM *venientem vidit, & cum magna animadverſione cœpit circumſtantibus clamare dicens: recedite, recedite,* JESUS *venit. Cumque in eum intenderet quem videbat ſancta illa anima à corpore egreſſa eſt. Tantaque ſubitò fragrantia miri odoris aſperſa eſt, ut ipſa quoque ſuavitas oſtenderet illuc auctorem ſuavitatis veniſſe.*

Idem S. Greg. eod. l. 4. dial. c. 47, narrat Merulum ſpiritu ferventem vidiſſe delabi ſibi è cœlo in caput candidam coronam. Nec mora, ait, morbo correptus obiit ad Dominum hilaris: ejuſque è ſepulchro, poſt annos 14 cùm circumfoderetur, tanta odoris fragrantia manavit, ac ſi omnis illic florum aromatumque copia collecta eſſet.

S. Dunſtanus vidit aliquando in mortali adhuc corpore exiſtens aliquem lucis æternæ radium, & tanto ejus amore incenſus fuit, ut deinceps præter animarum ſalutem, & modum eas ad cœlum deducendi, cogitaret nihil.

I. Declarantne aliquando Sancti vivis ſe æternâ gloriâ in cœlo frui? *Sup. c. 12. l. 2.*

R. Ita. Vide quid de Acholio Theſſalonicenſi Epiſcopo ſcribat S. Ambroſius l. 3. ep. 22. edit Pariſ 1603.

Exempla.

Animam beatiſſimi Monachorum Patriarchæ Benedicti euntem in cœlum viderunt duo Monachi pallio ornatam pretioſiſſimo, circum eam fulgentibus lampadibus, & clariſſimâ & graviſſimâ ſpecie virum ſtantem ſuper caput dicentem audierunt: *Hæc eſt via quâ dilectus Domini Benedictus in cœlum aſcendit.*

Brev. Rom 21. Mart. Idem 28. Ianu.

B. A-

Digitized by Google

B. Agnes parentibus ad ejus ſepulchrum aſſiduè vigilantibus quâdam nocte choro Virginum comitata cùm apparuiſſet, ſic ad eos locuta dicitur: *Ne me parentes mortuam lugeatis, nam unà cum his Virginibus vivo apud illum in cœlis, quem in terris totâ mente dilexi.*

Maffeus & Ribad. in ejus vita. Dum Sanctus Ignatius Loyola pro ſalute Baccalaurei Hozii, quem graviter ægrotare cognoverat, Domino ſupplicaret, repentè vidit in ſpiritu animam ſocii luce clariſſimâ radiantem deducentibus Angelis in ſublime ferri, atque ipſa demum cœli beatiſſima regna conſcendere. Idem Ignatius paulò poſt, cùm rei ſacræ daret operam, & in generali confeſſione, quæ ante Miſſam præmittitur, ad illa verba perveniſſet, *& omnibus Sanctis*, magnum Sanctorum numerum fulgentem gloriâ ante oculos vidit, inter quos & Hozius aderat ſplendidiore quàm reliqui habitu, gloriaque multò illuſtriore, non quod ſanctior ille cæteris, aut beatior eſſet, ſed quòd Deus gloriam hominis per inſigniorem hanc formam compertam Ignatio (ut ipſemet referebat) teſtatamque eſſe voluiſſet.

Non eſt hoc loco prætermittenda de Alexandro S. Mechtildis Virginis filiæ Regis Scotiæ fratre, hiſtoria. *Thom. Cantiprat. l. 2. Apum. c. 20. §. 4.* *Cùm Monachus quidam fiſtulatum ex ulcere pedibus haberet, oraretque ad tumulum jam defuncti, apparuit Frater Alexander Sole lucidior, coronam geſtans in manibus, & coronâ in capite inſignitus. Cùm ergo Monachus quæreret, quid corona duplicata ſignaret; corona, inquit, quam geſto manibus, corona ex titis temporalis, quam pro Chriſto deſervi: illa verò quam geſto in capite, corona eſt quam communem cum Sanctis accepi: & ut tibi fidentius in hac viſione credatur, ſecundùm fidem tuam ſanus eris omni incommodo quo torqueris.*

Circa hoc ultimum exemplum obiter nota coronam pro Chriſto derelictam non amitti, ſed duplicari.

Fructus ex hoc artic. colligendi. I. Quem fructum excerpis ex hoc articulo?

R. Quod ſi tanta eſt gloria quam exſpectamus in cœlo, profectò reſtat ut de ſecura ad eam via capeſſenda ſeriò cogitemus.

Secura & recta ad cœlum via. I. Quæ igitur eſt ſecura & recta ad cœlum via?

R. Primò, ſtate ſuper vias antiquas Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ fidei exploſis omnibus omninò hæreſeon novitatibus. Deinde fundamento illi ſuperædificate aurum & lapides pretioſos, id eſt, charitatis opera, in quibus Chriſtianus diligenter ſe exercere debet, non ſecus quàm miles in armis. Et verò abſque bonis operibus ſperare ſalutem temeraria nimis eſt præſumptio. Vide cap. 15. epiſt. ad Rom. cap. 21. Apoc.

I. Pro vita æterna & pro gloria cœleſti, quis non velit bonum facere, & à peccato declinare, pati & abſtinere?

R. Benè dicis, & hic erat fructus alter quem colligendum volebam ex articulo finali Symboli *de vita æterna.* Audi quid dicat Auguſtinus: *L. 3. de lib. arbit. c. 25.* *Tanta eſt pulchritudo juſtitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc eſt incommutabilis veritatis, atque ſapientiæ, ut etiamſi non liceret ampliùs in ea manere quàm unius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni hujus vitæ pleni delitiis & circumfluentia bonorum temporalium, rectè meritoque contemnerentur. Non enim falſo; aut parvo affectu dictum eſt: Quoniam melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.* Vide ſerm. Vener. Bedæ in Breviar. Roman. ad 4. Novemb. & Auguſt. iterùm in Manuali c. 14. & 15.

I. Huccine ſtimulum ſibi ſubjecerunt Sancti ut excitarent ſe ad fortiter in tormentis dimicandum, vel aliàs ad heroica virtutum opera patranda?

Digitized by Google

Exempla. R. Ita planè. Vide Sancti Adriani paſſionem 8. Septemb. & Sancti Symphoriani 22. Auguſt. & plurium aliorum Martyrum. Vide 2. Machab. 7. Nec non diſcurſum Sancti Pauli Apoſtoli ad Hebr. cap. 12. *Rom. 8.* *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis* (dicebat alio in loco Apoſt.) *ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

Hoc quoque ſtimulo vehementer ſuos pungebat magnus ille Seraphici Ordinis Inſtitutor Franciſcus, cùm diceret:

Magna promiſimus: majora promiſſa ſunt nobis.
Servemus hæc: aſpiremus ad illa.
Voluptas brevis: pœna perpetua.
Modica paſſio: gloria infinita.
Multorum vocatio: paucorum electio.
Omnium retributio.

Sulpit. in ejus vita. S. Martinus moriturus ſupinus oculis in cœlum intentis orabat, cumque diſcipuli peterent, ut converſo corpore tantiſper, dum remitteret vis morbi, pronus conquieſceret: *Sinite me,* inquit, *cœlum potiùs quàm terram aſpicere, ut ſuo jam itinere iturus ad dominum ſpiritus dirigatur.*

S. Magdalena non tantùm oculis, ſed & corpore toto quotidie ſepties ab Angelis elevabatur in cœlum; ibique cœleſtis melodiæ muſicam audiebat, ut habet ejus vita.

Affectus Infrà p. 2. c. 5. lect. unic. in fine Locus eſt hic aptus ad exclamandum: *O filioli mei, quid eſt Paradiſus? quid eſt vita æterna? quid cœlum? quid eſt finis hominis?* &c. Pro affectibus in hac materia excitandis idoneum eſt caput 35. ſeqq. & 24. Manual. S. Auguſtini.

LECTIO QUINTA.

De numero ſalvandorum.

I. Miror an magnus futurus ſit ſalvandorum numerus.

R. Indubiè. Nam S. Joan. Apocal. 7. verſ. 9. poſtquam recenſuiſſet ex populo Iſraël 144. millia, ſubdit: *Poſt hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.*

Porrò turbam Beatorum magnam fore colligere licet ex ingenti numero ſolorum Martyrum, qui tamen cæteris Sanctis minor eſt. Nam ſub uno Diocletiano quolibet menſe cæſa ſunt 17. millia Martyrum, multiplica hunc numerum per decem annos quibus ea perſecutio duravit, invenies vicies centum millia, ſive duos milliones Martyrum ſub uno Imperatore. De Sanctis verò Confeſſoribus, ſi cum Martyribus conjungantur, penè fidem excedit, quod in lib. revelationum S. Brigittæ legitur: *Si menſurares terram centum pedum in* C. 27. *longitudine, & totidem in latitudine, ut ſeminares eam plenâ granis tritici, quodlibet verò granum daret fructum centuplum, adhuc eſſent plures Martyres & Confeſſores Romæ à S. Petri tempore uſque ad Cæleſtinum,* nempe illius ætatis ſummum Pontificem. Quid igitur erit ab Adam uſque ad noſtra tempora, & non in una tantùm urbe Romana, ſed in univerſo terrarum orbe, non unius tantùm ordinis aut chori Sanctos recenſere, ſed omnes Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, omnis generis, ætatis, ſexûs, & conditionis juſtos & electos!

Suſpice cœlum (dixit Abrahæ Deus) *&* Gen. 15. 5. *numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum. Benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris.* Hæc au- Gen. 22. 17. tem Divina promiſſio non tam ad carnalem, quàm ad ſpiritualem referenda eſt eſt propagationem, uti cenſet S. Auguſtin. lib. 16. de civitat. Dei cap. 23. *Illa enim reſpectu comparatione cæleſtium ſtellarum*

Digitized by Google

larum, inquit, *mihi magis promiſſa videtur poſteritas cœleſti felicitate ſublimis.*

P. Franciſcus Arias è Societate JESU l. 3. de Imit. Chriſti c. 32. & ſeqq. per ſingula ſæcula, Provincias, & perſecutiones, diſcurrendo, oſtendit ingentem fuiſſe numerum Martyrum, ac tandem in fine c. 35 concludit facilè quolibet die annumerari & coli poſſe triginta millia Martyrum; quæ ſi per ſedecim ſæcula huc uſque elapſa multiplices, efficient undecim milliones Martyrum. Idem cenſent alii apud Genebrardum in Pſalm. 98. verſ. 4. Ex quibus omnibus æſtimare licet quòd in fine mundi omnium omninò Sanctorum & electorum, qui quovis ſæculo, ubivis gentium vixerunt, numerus aliquot centenos milliones conficiet; quæ eſt turba maxima, & quam reverà nemo dinumerare poteſt.

I. Eritne etiam magnus reproborum numerus?

R. erit ſanè longè major reproborum numerus, qui plures non tantùm centenos, ſed etiam millenos milliones efficiet. Sæpè enim ex mille hominibus, imò ex decem millibus vix unus ſalvatur.

I. Poſſeſne hoc probare aliquibus revelationibus?

Exempla. R. Poſſum. Cùm D. Bernardus Abbas Clarevallenſis ab hac vita migraſſet, quod contigit ann. Domini 1153. Indict. 13. Kal. Septemb. horrenda viſio Epiſcopo Lingonenſi facta eſt.

Paucitas ſalvandorum mira. Apparuit ei namque Eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui divino timore compunctus, ante aliquot annos, cùm eſſet Decanus dives & nominatus omnia contemnens, Eremitorium pro Chriſti amore intravit. Quem cùm de ſtatu ſuo, & divini judicii diſtrictione interrogaſſet, ille reſpondit: *Eâ horâ in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce tranſierunt, quibus Bernardus Clarevallenſis Abbas, qui eâdem horâ obiit, unà mecum ad cœlos evolavit, tres alii ad Purgatorium miſſi ſunt, cæteri omnes per ſententiam juſti judicis condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi deſcenderunt.* *Ioa. Trith. in chron. Monaſterii Hirſaug. ad an. 1160.*

S. Simeon & ex eo S. Nilus Abbas apud Baron. tom 10. anno Chriſti 976. aſſerunt ex decem millibus vix unam animam ſalvari. Ex Annalibus Franciſcanorum refert Platus Franciſcanum quendam nomine Bertholdum Concionatorem inſignem vi & ſpiritu dicendi mulierem peccatricem eò contritionis adegiſſe, ut in concione mortua ceciderit. Hæc poſteà precibus ejus reſuſcitata dixit: *Cùm apparui ad Dei tribunal, adducta ſunt eò ſexaginta animarum millia, quæ toto orbe è vita exceſſerant, atque ex his tres tantum adducta fuerunt Purgatorio, reliqua omnes ad ignem æternum damnata.* *L. 1. de bono ſtatûs Relig. c. 5.* *Vid. de hac materia apud Bellarm. in opuſ. de æterna felicit. l. 3. c. 6. 7. 8. 9.*

Quàm denſi ergò flocci nivis hyeme cadunt ex aëre, tam denſa hominum turba quotidie deſcendit ad tartara.

Heu filioli mei quis hæc audiens non expaveſcat? Quis toto corpore non contremiſcat? Quis, inquam, non decernat piè & ſanctè vivere, ſuæque ſaluti conſulere? præſertim cùm audit illud Chriſti: *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam?* Et iterùm: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Mat. 7. 13. Matt. 20.

I. Quæram cum veſtra bona venia rurſùm unam quæſtionem: An videlicet numerus ſalvãdorum non ſit futurus major numero damnatorum, loquendo de ſolis Catholicis?

R. Quæſtio hæc non minus eſt utilis quàm curioſa; Cenſent nonnulli plures ex eis ſalvari; non modò parvulos (hi enim omnes penè ſalvantur, cùm omnes penè baptizentur) ſed & adultos, eò

quòd plerique omnes in fine vitæ ſuæ ſuſcipiant Sacramenta, quibus peccata omnia expiant, itaque expiati in ſtatu gratiæ & ſalutis decedunt: ſuſcipiunt, inquam, Sacramenta, ſi unquam, at certè tunc cum ſeria & exacta præparatione. Favet parabola nuptiarum regni cœleſtis à quibus unus ſolus ex invitatis excluſus fuit; eò quòd non haberet veſtem nuptialem. Matt. 22 ubi unus ille repræſentat totam multitudinem reproborum.

Ita Suarez de Deo trino & uno l.6.c.3.

Plures etiam à Catholicis damnandi quàm ſalvandi.

Verùm ex adverſo plures ex Catholicis adultis damnari quàm ſalvari, ſuadere videtur ratio & auctoritas luculentiùs fundata in Scripturis & ſanctis Patribus.

1. *Ratio* 1. Quia longè plures fuêre damnati tam in ſtatu legis naturæ; utpotè in quo omnes periêre per diluvium, ex quo ſolus Noë juſtus cum ſuis filiis, eorumque uxoribus evaſit: quàm in ſtatu legis Moſaicæ; utpotè in quo omnes egreſſi ex Ægypto, putà ſexcenta hominum millia & ampliùs ob murmur & peccata perierunt in deſerto, tantùm duo, putà Joſue & Caleb ingreſſi ſunt terram promiſſam: Filii autem pereuntium qui ingreſſi ſunt eandem, non fuêre meliores parentibus.

2. *Ratio* 2. Quia longè major pars Chriſtianorum vivit in ſtatu peccati mortalis: juxta regulam autem S. Auguſtini, ſicut quis vixit, ita & moritur; ut rarò qui malè vixit, benè moriatur, & vice verſâ.

I. Sed omnes recipiunt Sacramenta in fine vitæ.

Multi etiam in morte malè ſuſcipiunt Sacramenta.

R. Certè non omnes: nam quàm multi in præliis, in navibus, in montibus peregrè moriuntur abſque Sacramentis? Rurſum ex iis qui ſuſcipiunt, multi ea malè ſuſcipiunt, ac proindè peccata non expiant: multi enim laborant ignorantiâ craſsâ articulorum fidei, quos explicitè ſcire & credere tenentur, æquè ac Sacramentorum: præſertim ignorant efficax propoſitum abſtinendi à peccatis requiri, ut quis ſit capax abſolutionis: & neſciunt quàm fortis & conſtans reſolutio animi requiratur, ut propoſitum cenſeatur eſſe abſolutum & efficax: qui eſt eheu! multis lapis offenſionis & petra ſcandali. Alii, eſto ſciant neceſſaria ſalutis, tamen vivunt incurii ſuæ ſalutis, toti intenti colligendis divitiis, & dignitatibus, fabricandis domibus, parandis hortis & vineis, &c. ut rarò vel nunquam de Deo & vita æterna, deque conſcientia ſua cogitent, niſi in Paſchate, quando coguntur præcepto Eccleſiæ confiteri, & communicare. Alii irretiti ſunt uſuris, ſimoniis, bonis injuſtis, quæ reſtituent nunquam, neque intendunt reſtituere. Alii habent pellices, vel impliciti ſunt obſcœnis amoribus, ut iis ſe expedire nequeant, quia ſeriò ſe expedire nolunt. Alii fovent lites, rixas, & odia immortalia, quibus tandem immoriuntur.

3. *Propoſitum efficax emendationis vitæ, res ardua & difficilis.*

Denique multi, eſto ſciant propoſitum efficax requiri ad abſolutionem; tamen illud procurare & habere non ſatagunt, ſed habere ſe ſimulant; imò ſibi ipſi falsò perſuadent. Eſt enim propoſitum hoc arduum, res ſeria, ardua, ſublimis, & difficilis: multi autem nolunt vim ſibi adhibere, & ad rem tam arduam totis viribus conniti, præſertim in morbo & articulo mortis, cùm ratio, judicium, ſenſus, & vires hominis debilitantur, & ſopiuntur: undè ex habitu tot annorum in morte formant propoſitum tale quale ſolent in Paſchate, ſcilicet ſuperficiale, verbale & inefficax. Et interim plerique Catholicorum, qui vitam diſſolutam & in peccatis mortalibus ferè duxerunt huic ultimæ actioni, tamquam certæ & ſecuræ ad vitam æternam diſpoſitionis præſidentes in utramque aurem dormiunt. *Hæc enim juſtâ animadverſione punitur peccator, ut qui vivens oblitus eſt Dei, moriens obliviſcatur & ſui.* Et Sanctus Auguſtinus libr.3. de liber. arbitrio. *Illa eſt pœna peccati juſtiſſima, ut qui rectum fa-*

cere

Digitized by Google

dere cum poſſit, nolit, amittat poſſe cùm velit.

Multis deeſt propoſitum ſerium emendandi ſe.

I. Ut video, hoc quod dicis de propoſito efficaci emendationis, quod multis deeſt, res eſt magni momenti; propterea velim ſcire quibus indiciis colligas multos carere hoc ſerio propoſito?

R. Hoc colligo ex tribus potiſſimùm indiciis: primum eſt, quòd hoc propoſitum obiter ſemel eliciant in Paſchate, ad hoc ut confiteantur; quia ad hoc à Paſtoribus coguntur: unde hoc propoſitum magis extortum eſt & coactum, quàm liberum & ſpontaneum; hinc mox à Paſchate & confeſſione ad ſuas cupiditates, & vitia, & ſcelera redeunt, uti multi redeunt ad eadem poſt confeſſionem in periculo mortis peractam, ſi periculum hoc evadant, & convaleſcant: qui reditus ſignum eſt propoſitum illud fuiſſe coactum, & metu mortis extortum, non ſincerum & ſerium.

Secundum, quia multi malos habent habitus inebriandi ſe, fornicandi, &c. rixandi, pejerandi, maledicendi, quos deponere nolunt, aut ſi volunt, non adhibent remedia ad rem tam aſſuctam defricandam neceſſaria. Porrò præ reliquis vitiis in hominibus dominatur luxuria & ſuperbia: Hæc duo ut frequentiſſima, ita potentiſſima ſunt, implentque infernum.

Tertium, quia multi habent principia politica aut vitioſa, propoſito huic directè contraria, in quibus à puero enutriuntur, adoleſcunt, vivunt, & in ultimam ſenectutem pertrahuntur, à quibus puderet eos ob mundi reverentiam vel latum unguem diſcedere. v.g.

Principia politica.

Injuriam tibi & tuis factam talione eſſe vindicandam: Inglorium, vilem, & infamem eſſe qui id non faciat: Duellum, ſi offeratur, eſſe acceptandum, ne honor perdatur: In conviviis cuilibet ad æquales hauſtus propinanti eſſe reſpondendum, adeoque inebriandum.

Ante omnia conſulendum eſſe ſtatui, prolibus, familiæ: Ut ſtatum honoremque retineas, vel augeas, omni modo enitendum, nec curandas leges Eccleſiæ vel Dei, ſi obſtant: Imò Eccleſiam, Eccleſiaſticumque ſtatum, quia honore & ſplendore, quem ipſi ambiunt, ſuperior eſt, deprimendum, eorum privilegia, immunitateſque convellenda: Vitam & fortunas tuendas eſſe præ omnibus, etiam cum diſpendio legis Dei.

Fines regnorum cum aliquali detrimento fidei & Religionis Catholicæ ampliandos eſſe.

Servile eſſe & probroſum tolerare ignominias & calumnias.

Hæc autem dictamina & principia, oblatis occaſionibus, ſæpiùs actu cogitant, deſtinant, confirmant, ac nunquam deponunt, ne in confeſſione quidem, adeò ut ſi à Confeſſario de iis præcisè rogentur, reſpondeant ſe in iis perſtituros: quia ubi agitur de honore, lucro, aut commodo, non curant conſcientiam, nec Deum, nec infernum. Porrò hæc propoſita habitualiter, imò virtualiter ſemper in iis manentia ex diametro repugnant propoſito ſerio cavendi omnia peccata, Deique legibus per omnia obediendi.

I. Si ita eſt, cur ergò Concionatores ſæpè hæc non docent, non explicant, non inculcant?

R. Indè eſt quòd urbes, populi, Principes manent in iiſdem malis legibus, conſuetudinibus, propoſitis, vitiis.

Væ propterea & ipſis Concionatoribus, qui communem tramitem explicandi Evangelii ſequuntur, peccatoribus commendant Paſſionem Chriſti, miſericordiam Dei, largitionem eleemoſynarum, cultum B. Virginis, quòd illa ſui cultores non ſinat perire, aliaſque ſimiles plauſibiles materias prædicant: nec deſcendunt unquam ad vitia huic illive loco propria, ut contra ea to-

nent

Digitized by Google

uent & fulmineut, eâque extirpent. Væ etiam Confeſſariis qui non medicos, ſed palpones pœnitentibus ſuis ſe exhibent.

I. Habeſne adhuc plures rationes aſſertionis tuæ principalis, quâ dicis plures è Catholicis damnandos, quàm ſalvandos?

4. R. Ita, ſequitur 4. Eſto aliqui in morte confitentes concipiant verum propoſitum emendationis, tamen poſt confeſſionem, ſi pluribus diebus, ut fit, decumbant, recurrit memoria priſtinarum cupiditatum, quæ animum iis ſe paſcere ſolitum ad conſenſum flectunt, ut in pravam cogitationem & delectationem moroſam præteritæ & ſolitæ voluptatis illicitæ conſentiat; præſertim quia dæmon tunc eandem menti objicere & refricare ſolet, graviſſimeque hominem tentare in ultimo illo duello: permittit enim id dæmoni Deus juſto judicio in pœnam ſcelerum & negligentiæ quâ ſani & vegeti cupiditates illas mortificare non curarunt, ſed eis indulſerunt quaſi equus & mulus: quare tunc multi ſuccumbunt, & pereunt. Cujus rei plura extant funeſta exempla.

5. Ratio 5. virtus, ſalus, & gloria cœleſtis eſt res ſublimis & ardua, ſuperans omnes naturæ vires: ex altera parte, hominis natura per peccatum corrupta, & planè ad res terrenas depreſſa eſt, tamque vivi ſunt in ea affectus terreni & cupiditates opum, honorum, commoditatum & delitiarum, ut vix apprehendat aut capiat res cœleſtes, multò minus ad eas ſe erigat, & totis viribus connitendo aſſurgat.

I. Numquid ergo fortis & efficax eſt gratia Dei?

Gratia Dei in homine lapſo qualis. R. Ita quidem, ſed in homine lapſo perinde ſe habet ac medicina in homine infirmo & proſtrato, ut illum vix erigere queat; &, ſi erigat, facilè rursùm collabatur & corruat. Undè concludo facilè eſſe cuilibet in hac generali corruptione, inter tot occaſiones carnis, mundi, & dæmonis labi in aliquod peccatum mortale: ex eo autem reſurgere per pœnitentiam & propoſitum efficax, arduum eſſe & perdifficile. Atque hæ ſunt duæ cauſæ, & quaſi duo poli, in quibus vertitur hujus quæſtionis cardo, puta damnandorum multitudo & ſalvandorum paucitas.

Quod autem ab initio dixi hanc ſententiam in Scripturis & Patribus habere fundamentum, probo: Primò ſacra Scriptura dicit: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Ubi paſſim Interpretes docent plures Chriſtianos damnari, paucos ſalvari. Ita Orig. Euthym. Beda, Haymo, S. Thom. Lyran. Abulen. Dionyſ. Arias Montan. & alii. Matt. 20. n. 16.

Inſuper clara ſunt verba Chriſti ſup. allegata ex Matth. 7. *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, ſpatioſa eſt via,* &c. Vide Bellarm. in opuſc. de æterna beatitudine libr. 3. cap. 6. & ſeq.

Accedit auctoritas Patrum. S. Auguſtinus l. 3. cont. Creſcen. c. 66. *Ipſi*, ait, *boni verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, comparatione malorum falſorumque itidem pauci ſunt. Sic multa grana quibus horrea multa complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* S. Gregorius hom 19. in Evang. *Ad fidem plures veniunt, ſed ad cœleſtia regna pauci perducuntur.* Quod, quid eſt aliud quàm *multi vocati, pauci electi?* Sed ut finem huic diſputationi imponamus, lubet audire aureum eloquentiæ Græcæ flumen S. Chryſoſt. hom. 46. ad populum. *Quot*, inquit, *putatis eſſe in hac civitate noſtra* (Antiochia) *qui ſalvi fiant? infeſtum eſt quod dicturus ſum, dicam tamen: non poſſunt inveniri in tot millibus centum qui ſalventur, quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus malitia, quantus in ſenibus torpor?* &c.

Hæ rationes & hæc ſententia magnum nobis de ſalute injiciũt metum, ſanctumque timorem. Conſcientiam ſuam ſeriò quiſque indaget, & dicat: ſi tantus eſt dam-

Digitized by Google

damnandorum Chriſtianorum numerus, eheu! Numquid fortè unus ero ex illis? Quis non timeat? quis non inter paucos eſſe ſatagat? quis non ſalutem ſuam aſſecurare conetur? quis non ejus pericula ſtudioſè devitet? Si animam perdimus, totum perdimus, ſi beato fine, qui eſt vita æterna, excidimus, irrevocabiliter, eheu! in omnem æternitatem excidimus. Actum eſt. Ex adverſo ſi animam ſalvas, ſalva tibi ſunt omnia, quia in æternum feliciter vives. Et hæc eſt utilitas hujus quæſtionis quam dicebam initio.

LECTIO SEXTA.

Amen.

I. Quid ſibi vult, & cur adjicitur iſta concluſio *Amen?*

R. Ut fidei & confeſſionis Chriſtianæ teſtimonium apud nos indubitatum eſſe ac ſolidum demonſtretur. Tantumdem enim eſt, ac ſi dicas: hæc veritas eſt, id eſt, omne id quod dictum eſt, verum eſt, certum eſt, indubitatum eſt: Ità credo & profiteor.

I. Quid in ſumma complectitur Symbolum in duodecim articulos partitum?

Fiat hic ſummaria recapitulatio Symboli. R. Complectitur breviter & dilucidè veram Dei & rerum divinarum cognitionem ad ſalutem neceſſariam; tradit enim Dominum Deum (quo nihil majus, aut ſapientius, aut melius poteſt excogitari) unum in eſſentia ſeu natura divina, & trinum in perſonis eſſe, utpotè Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ita ut hi tres unum ſint, verus, æternus immenſus, & incomprehenſibilis Deus.

Huic ſanctiſſimæ & individuæ Trinitati reſpondent partes Symboli tres præcipuæ.

Prima agit de prima in Divinitate perſona & de admirabili opere creationis, & hoc in primo articulo.

Secunda de ſecunda perſona & de ineffabili Incarnationis Verbi, & redemptionis humanæ myſterio in ſex articulis ſequentibus.

Tertia tandem quæ uſque ad finem Symboli protenditur de tertia ſanctiſſimæ Trinitatis perſona, qui eſt Spiritus Sanctus fons & origo omnis ſanctitatis, à quo accepta peccatorum remiſſione, Eccleſia ſanctificatur, & deinceps glorioſam præſtolatur reſurrectionem, & vitam æternam.

I. Eſtne ſatis Chriſtiano ea ſola credere, quæ expreſſè complectitur Symbolum?

R. Primùm ea quidem quæ Symbolo traduntur, cuivis credenda & apertè confitenda ſunt. Secundò & illa quæ ſimul universa Scriptura Divina ſeu Canonica complectitur. Tertiò itidem quæ partim ex Scripturis eiſdem, velut fontibus ritè deducuntur. Quartò & illa pro Sacroſanctis habenda, firmiſſimaque fide retinenda ſunt, quæ Spiritus Sanctus credenda nobis revelat, pronunciatque per Eccleſiam, quæ *columna eſt & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. v. 15.

Finis primæ partis Catechiſmi.

SECUNDA PARS CATECHISMI, DE SPE ET ORATIONE.

CAPUT PRIMUM.

LECTIO PRIMA.

I. QUæ eſt ſecunda Pars Doctrinæ Chriſtianæ, ſive Catechiſmi?

R. Illa quæ de Spe tractat & Oratione.

I. Quis ordo & quæ connexio hujus ſecundæ partis cum prima?

Connexio hujus 2. partis cum prima.

R. Ex fide, quæ propriam nobis imbecillitatem, Deique omnipotentiam & miſericordiam demonſtravit, oritur ſpes & fiducia non in propriis viribus, ſed in Deo, ex qua homo ad Deum orandum accedit, & ideò quæ ſperanda ſunt, optimè oratione explicantur, de qua in conſequentibus dicetur.

Spes.

I. Quid eſt ſpes?

R. Spes eſt virtus à Deo infuſa, per quam certa cum fiducia noſtræ ſalutis & æternæ vitæ bona expectantur.

S. Tho. 1. 2. q. 17. a. 1. 0

I. Cur dicis quòd Spes ſit *virtus*?

R. Quia illa dat nobis robur & fortitudinem, ut inter præſumptionem & deſperationem medii, firmo veſtigio conſiſtamus.

Præſumptio.

I. Quid eſt igitur *præſumptio*?

R. Eſt præfidentia temeraria, quâ peccatores non obſtante peccatorum ſuorum ingenti multitudine certò ſibi perſuadent vitam æternam ſe conſecuturos; aut ſi vitam quandoque in melius mutare proponant, id nihilominùs ita de die in diem differunt, atque ſi certi forent & ſecuri de dono pœnitentiæ ſemel accipiendo.

S. Tho. 2. 2. q. 20. & 21. c.

I. Eſtne magnum hoc præſumptionis peccatum?

Præſumptionis peccatum magnum eſt.

R. Ita, maximum. Quemadmodum enim Deo Optimo. Maximo miſericordiam & bonitatem attribuere neceſſum eſt, ita juſtitiâ, quæ ei ſimiliter eſſentialis eſt, nullo modo privari poteſt.

I. Quinam ſunt illi qui peccant hoc peccato præſumtionis?

R. Illi maximè qui abblandientes ſibi in peccatis ad quæ affectum retinent, jactant Dei miſericordiam eſſe infinitam, quòd nos non fecerit ad perdēdum; quòd cœlum non ſit pro capris aut anſeribus. Et hoc præcipue locum habet in iis qui vitiis carnalibus detinentur irretiti; necnon in modernis hæreticis, quibus ſpiritus (ut ipſi volunt) teſtimonium reddit ſpiritui eorum, quòd ſint filii Dei, & quidem teſtimonium tale, cui non poſſit ſubeſſe falſum.

Sup. p. 1. a 11. poſt. lect. 1.

I. Cujus potiſſimùm rei ſubmonendos putas ſecutos illos homines?

R. Ejus quod Sapiens dicit: *Ne dixeris peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum.* Et ne dicas:

Cujus rei præſumptuoſi monendi. Eccli. 5.

dicat: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Et quod Apoſtolus prædicat: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Rom.2.

Præſumptuoſi animas ſuas magno diſcrimini exponunt.

I. Exponuntne magno diſcrimini animas ſuas qui pœnitentiam uſque ad extremum vitæ differunt?

Exemplum.

R. Ita. *Impœnitens quidam & ſceleſtus homo, qui per totam vitam nequiter vixerat, jactare ſolebat ſe in ultimo articulo, tribus tantùm verbis recitatis, ſalvum fore. Hic tandem necdum adeo ſenex, equo pontem diffractum tranſiens, titubante equo, cum illum erigere conaretur, nec poſſet, ſed neceſſariò ſe in aquas caſurum præcipitem videret, laxatis habenis cadens exclamat: auferat omnia dæmon, atque cum his tribus verbis ſuis immerſus periit.*

S.Th.2.2. q.18.ar.4.o.

I. Quid eſt ergò hoc quod dicis in definitione ſpei, *certa cum fiducia*?

R. Certitudo hæc non eſt fidei, uti ſibi perſuadent hæretici, de quibus ſuprà, ſed ſpei, ſcilicet cum timore noſtræ infirmitatis & inſtabilitatis conjuncta, quamvis ex parte Dei certiſſima ſit. Vide ep.22 l.6.S. Gregor. quæ eſt ad Cubiculariam Auguſtæ.

Deſperatio.

I. Quid eſt *deſperatio*?

R. Eſt diffidentia de miſericordia Dei, quâ peccator ſibi perſuadet non remittenda peccata; vel quòd ea majora ſint, quàm ut veniam conſequi poſſint.

I. Habeſne exemplum alicujus qui deſperavit taliter ut dicis;

R. Ita, Cain qui fratrem ſuum occiderat, dicebat: *major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Gen.4.

I. Quid deſperabundis proponendum eſt?

Deſperabundis proponenda Dei miſericordia

R. Miſericordia Dei, de qua nos ſup. p. 1.0 11 l. 1. ejuſq; bonitas infinita, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut cõvertatur & vivat. Declaretur eis; quòd *miſericordia Domini plena ſit terra*: quòd hanc loquantur & commendent paſſim Scripturæ ſanctæ, præſertim Evangelicæ, omnia Incarnationis Dominicæ myſteria, omnia Sacramenta & remedia pro peccatis à Chriſto Domino Redemptore noſtro inſtituta; Denique quod nullum peccatum Deo magis exoſum ſit quàm deſperatio.

I. Habeſne iſtius rei exemplum?

Exemplũ.

R. Habeo: *Deus loquens S. Virgini Catharinæ Senenſi ait: Peccatores, qui in mortis extremitate deſperant de miſericordia mea, multò graviùs me offendunt, & magis mihi diſplicent hoc uno peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiſerunt: qui enim deſperat, contemnit apertè ipſam miſericordiam meam, & perversè exiſtimat iniquitatem ſuam majorem eſſe, quàm ſit eadem miſericordia & bonitas mea. Vnde detentus hujuſmodi peccato, non dolet de offenſa in me admiſſa, ſed dolet de irremediabili ſuo malo. Qui ſi in veritate doleret quòd me offendiſſet, atque contempſiſſet, & in miſericordia mea fideliter ſperaret, ipſe eam certiſſimè inveniret: quoniam in infinitum major eſt ipſa miſericordia mea, quàm ſint omnia peccata, quæ unquam fuerunt commiſſa vel quæ committi poſſunt ab aliqua creatura.* Bloſ. Monil. ſpirit. c.1.

I. Numquid variè peccatur peccato deſperationis?

Peccato deſperationis variè peccatur.

R. Ita. Primò quidem peccant illi omnes qui magnitudine ſcelerum ſuorum territi veniam à Deo obtinere deſperant (de quibus proximè diximus) ita ſe gerentes cum fratricida Cain, & Chriſti traditore Juda, tanquam major eſſet iniquitas eorum, immenſâ Dei bonitate;

Digitized by Google

SECUNDA PARS CATECHISMI,

DE SPE ET ORATIONE.

CAPUT PRIMUM.

LECTIO PRIMA.

P. QUæ eſt ſecunda Pars Doctrinæ Chriſtianæ, ſive Catechiſmi?

R. Illa quæ de Spe tractat & Oratione.

I. Quis ordo & quæ connexio hujus ſecundæ partis cum prima?

Connexio hujus 2. partis cum prima.

R. Ex fide, quæ propriam nobis imbecillitatem, Deique omnipotentiam & miſericordiam demonſtravit, oritur ſpes & fiducia non in propriis viribus, ſed in Deo, ex qua homo ad Deum orandum accedit, & ideò quæ ſperanda ſunt, optimè oratione explicantur, de qua in conſequentibus dicetur.

Spes.

I. Quid eſt ſpes?

R. Spes eſt virtus à Deo infuſa, per quam certa cum fiducia noſtræ ſalutis & æternæ vitæ bona expectantur.

S. Tho. 1. 2. q. 17. a. 1. & 2

I. Cur dicis quòd Spes ſit *virtus*?

R. Quia illa dat nobis robur & fortitudinem, ut inter præſumptionem & deſperationem medii, firmo veſtigio conſiſtamus.

Præſumptio.

I. Quid eſt igitur *præſumptio*?

S. Tho. 2. 2. q. 20. & 21. a.

R. Eſt præfidentia temeraria, quâ peccatores non obſtante peccatorum ſuorum ingenti multitudine certò ſibi perſuadent vitam æternam ſe conſecuturos; aut ſi vitam quandoque in melius mutare proponant, id nihilominùs ita de die in diem differunt, atque ſi certi forent & ſecuri de dono pœnitentiæ ſemel accipiendo.

Præſumptionis peccatum magnum eſt.

I. Eſtne magnum hoc præſumptionis peccatum?

R. Ita, maximum. Quemadmodum enim Deo Optimo. Maximo miſericordiam & bonitatem attribuere neceſſum eſt, ita juſtitiâ, quæ ei ſimiliter eſſentialis eſt, nullo modo privari poteſt.

I. Quinam ſunt illi qui peccant hoc peccato præſumtionis?

R. Illi maximè qui abblandientes ſibi in peccatis ad quæ affectum retinent, jactant Dei miſericordiam eſſe infinitam, quòd nos non fecerit ad perdēdum; quòd cœlum non ſit pro capris aut anſeribus. Et hoc præcipuè locum habet in iis qui vitiis carnalibus detinentur irretiti; necnon in modernis hæreticis, quibus ſpiritus (ut ipſi volunt) teſtimonium reddit ſpiritui eorum, quòd ſint filii Dei, & quidem teſtimonium tale; cui non poſſit ſubeſſe falſum.

Sup. p. 1. a. 11. poſt. lect. 1.

I. Cujus potiſſimùm rei ſubmonendos putas ſecuros illos homines?

Cujus rei præſumptuoſi monendi.

R. Ejus quod Sapiens dicit: *Ne dixeris peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum.* Et ne

Eccli. 5.

[illegible]

dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Et quod Apoſtolus prædicat: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus.*

Rom. 2.

Præſumptuoſi animas ſuas magno diſcrimini exponunt.

I. Exponuntne magno diſcrimini animas ſuas qui pœnitentiam uſque ad extremum vitæ differunt?

R. Ita. *Impœnitens quidam & ſceleſtus homo, qui per totam vitam nequiter vixerat, jactare ſolebat ſe in ultimo articulo, tribus tantùm verbis recitatis, ſalvum fore. Hic tandem necdum adeo ſenex, equo pontem diffractum tranſiens, titubante equo, cum illum erigere conaretur, nec poſſet, ſed neceſſario ſe in aquas caſurum præcipitem videret, laxatis habenis cadens exclamat: auferat omnia dæmon, atque cum his tribus verbis ſuis immerſus periit.*

Exemplum.

S. Th. 2. 2. q. 18. ar. 4. o.

I. Quid eſt ergò hoc quod dicis in definitione ſpei, *certa cum fiducia*?

R. Certitudo hæc non eſt fidei, uti ſibi perſuadent hæretici, de quibus ſuprà, ſed ſpei, ſcilicet cum timore noſtræ infirmitatis & inſtabilitatis conjuncta, quamvis ex parte Dei certiſſima ſit. Vide ep. 22 l. 6. S. Gregor. quæ eſt ad Cubiculariam Auguſtæ.

Deſperatio.

I. Quid eſt *deſperatio*?

R. Eſt diffidentia de miſericordia Dei, quâ peccator ſibi perſuadet non remittenda peccata; vel quòd ea majora ſint, quàm ut veniam conſequi poſſint.

I. Habeſne exemplum alicujus qui deſperavit taliter ut dicis;

R. Ita, Cain qui fratrem ſuum occidetat, dicebat: *major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.*

Gen. 4.

I. Quid deſperabundis proponendum eſt?

Deſperabundis proponenda Dei miſericordia

R. Miſericordia Dei, de qua nos ſup. p. 1. 0 11 l. 1. ejuſq; bonitas infinita, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut cõvertatur & vivat. Declaretur eis; quòd *miſericordia Domini plena ſit terra*: quòd hanc loquantur & commendent paſſim Scripturæ ſanctæ, præſertim Evangelicæ, omnia Incarnationis Dominicæ myſteria, omnia Sacramenta & remedia pro peccatis à Chriſto Domino Redemptore noſtro inſtituta; Denique quod nullum peccatum Deo magis exoſum ſit quàm deſperatio.

I. Habeſne iſtius rei exemplum?

Exemplū.

R. Habeo: *Deus loquens S. Virgini Catharinæ Senenſi ait: Peccatores, qui in mortis extremitate deſperant de miſericordia mea, multò gravius me offendunt, & magis mihi diſplicent hoc uno peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiſerunt: qui enim deſperat, contemnit apertè ipſam miſericordiam meam, & perversè exiſtimat iniquitatem ſuam majorem eſſe, quàm ſit eadem miſericordia & bonitas mea. Unde detentus hujuſmodi peccato, non dolet de offenſa in me admiſſa, ſed dolet de irremediabili ſuo malo. Qui ſi in veritate doleret quòd me offendiſſet, atque contempſiſſet, & in miſericordia mea fideliter ſperaret, ipſe eam certiſſimè inveniret: quoniam in infinitum major eſt ipſa miſericordia mea, quàm ſint omnia peccata, quæ unquam fuerunt commiſſa vel quæ committi poſſunt ab aliqua creatura.*

Bloſ. Monil. ſpirit. c. 2.

I. Numquid **variè peccatur peccato** deſperationis?

Peccato deſperationis variè peccatur.

R. Ita. Primò quidem peccant illi omnes qui magnitudine ſcelerum ſuorum territi veniam à Deo obtinere deſperant (de quibus proximè diximus) ita ſe gerentes cum fratricida Cain, & Chriſti traditore Juda, tanquam major eſſet iniquitas eorum, immensâ Dei bonitate;

& quaſi mors unigeniti Filii Dei non ſufficeret ad exſolvendum quæ ipſi rapuerunt.

Inſuper & illi peccant in ſpem, qui conſideratâ vehementiâ pravæ cupiditatis ſuæ, & ad benè agendum imbecillitate, ſuperare eam per Dei gratiam deſperant; de quibus dicit Apoſtolus: *Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, &c. qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum* q. d. Vos hoc non ita didiciſtis in Chriſti ſchola, in Chriſtianiſmo, ſcilicet ita luxuriari ſicut gentes faciunt, quæ ſpem vitæ æternæ non habent; ſed potiùs didiciſtis in Chriſto, ſive in Chriſtianiſmo, concupiſcentiis veſtris fortiter reſiſtere, ſcientes & bene rationabiliterque confidentes, quòd Deus gratiâ ſuâ non deerit iis, qui imbecillitatis ſuæ conſcii eum magna animi demiſſione ad eum pro auxilio recurrunt, ſicut in Chriſtianiſmo docetur. Epheſ.4.

Tertiò, huc accedunt illi, qui expensâ magnitudine cœleſtis gloriæ & utilitate humanæ conditionis tanti animi non ſunt, ut ad æternam gloriam audeant aſpirare; quia videlicet omnipotentiam & immenſam bonitatem Dei non ſatis conſiderant. Contra quos deſperantes dicit Sapiens: *Omnis miſericordia facit locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum, & ſecundum intellectum peregrinationis ipſius. Non dicas: à Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur. In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura?* Eccli.16.

I. Quid ejuſmodi deſperabundis allegandum eſt pro eorum conſolatione?

R. Quod olim diſcipulis ſuis Dominus: *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergò timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Matt.10. Et apud Lucam: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Luc.12. Vide hom. 2. S. Joannis Chryſoſt. ſuper Matth. ante medium.

Nec illi ſatis bonæ ſpei ſunt, qui culicem excolantes (hoc eſt minima peccata magnifacientes) ita cum bono Deo agere volunt, ac ſi Pater noſter non eſſet, ſed rigidus aliquis tyrannus, & tanquam ſophiſta quiſpiam vocularum per inſidias captator, qui non animum noſtrum, ſed calcaneum obſervaret. Illi, inquam, meritò inter deſperabundos reponendi ſunt, propterea quòd non ſentiant de Domino in bonitate, nec habeant illam opinionē, & illum ſenſum de infinita ejus miſericordia, quem debent, & quem vult Deus illos habere.

I. Et quis eſt ille ſenſus, quem vult Deus nos habere de divina bonitate & miſericordia?

R. Ille ipſe eſt quem exprimit Pſaltes. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.* Pſal.102. Et: *Tu Domine ſuavis & mitis, & multa miſericordia omnibus invocantibus te.* Pſ.85.

I. Undè oriuntur communiter ſcrupuli?

R. Non tantùm ex ſpei defectu, ſed ex imperitia hoc malum oritur, & tunc eruditione Chriſtianâ ſanandum eſt, quandoque verò ex mala corporis habitudine, & tunc Hypocratis fomenta applicanda. *Scrupuli undè?*

Quinto loco veniunt inter deſperabundos cenſendi negotioſi illi venatores rerum temporalium, qui nimiâ ſollicitudine hujus vitæ ſubſidia conquirentes, metuunt etiam in abundantia hæc ſibi defutura, quaſi nulla eſſet in cœlo. Numinis providentia; cùm tamen illa præbeat fœnum jumentis, & eſcam pullis corvorum invocantibus eam. Sanè conſiderandum illis eſſet, quòd *primum quærentibus regnum Dei & juſtitiam ejus, omnia neceſſa-* Vide c.6. Matt.

Digitized by Google

neceſſaria hujus vitæ adjicientur, ſecundùm Chriſti Domini promiſſum.

Sextò, illi in Deum ſperare non aſſueſcunt, qui carnalibus cupiditatibus immerſi, vel certè magnis aliis facinoribus implicati, promiſſiones Dei, quibus ſpes erigenda eſt, rarò aut nunquam veraciter expendunt: & idcircò cùm ad vitæ extrema devenerint, facillimè de Dei bonitate deſperant.

Extremum tandem deſperatorum agmen claudant qui arma & clypeum abjiciunt, id eſt; ad orationem pigriores ſunt, ſpem deponentes, quòd in longum differri videatur, id obtinere ſperant. Contra quos dicitur ab Apoſtolo, quòd *Abraham longanimiter ferens adeptus eſt repromiſſionem*. Hebr. 6.

LECTIO SECUNDA.

I. QUid nos agere convenit, ut in ſpe bona perſeveremus.

R. Hoc ipſum quod agere vellemus, ſi omnimodam ſecuritatem capeſſendi regni cœleſtis haberemus.

I. Poſſeſne exemplo aliquo declarare, quòd hoc aliquem interdum juverit?

Exemplum. R. Ita. *Quum enim quidam anxius inter ſpem & metum frequenter fluctuaret, & quâdam vice mœrore confectus, in Eccleſia ante quoddam altare ſeſe in oratione proſtraviſſet, hæc inter ſe revolvit, dicens: O ſi ſcirem quòd adhuc perſeveraturus eſſem: ſtatimque audivit intus divinum reſponſum: Quid, ſi hoc ſcires, facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, & benè ſecurus eris. Moxque conſolatus & confortatus, divinæ ſe commiſit voluntati, & ceſſavit anxia fluctuatio, noluitque curioſè inveſtigare, ut ſciret quæ ſibi eſſent futura, ſed magis ſtuduit inquirere, quæ eſſet voluntas Dei beneplacens, & perfecta ad omne opus bonum.* *Th. o. à Kemp. de Imitat. Chriſt. l. 1. c. 25.*

Quid agendum ut rectè ſperemus. I. Dic verò magis in ſpecie quod eſt opus bonum, quod facere debemus, ut bonâ ſpe freti eſſe poſſimus?

R. Sæpè confiteri, ut puram & mundam habeamus conſcientiam, cum firmo & efficaci propoſito vitæ melioris; Nimirum ſapienter dixit Gregorius. *De omnipotentis Dei miſericordia ordinatè confidit, qui hoc quod peccando deliquit, pœnitendo, & non repetendo corrigit.* *In l. 1. Reg. c. 3.*

Secundò, frequenter etiam communicare, ut virtute iſtius Sacramenti fortes ſimus ad malo reſiſtendum, & amplectendum omne bonum.

I. Cur in hac materia ſpei tam ſtudioſè mentionem continuam ingeris operis boni?

R. Reſpondet & addit conſequenter & præcedentia Greg. *Quiſquis aliter, non ſpe, ſed temeritate impellitur.* Noteut hæc temerarii noſtri hæretici, & deſinant de ſua fide ſpeciali ſibi abblandiri.

I. Affer mihi exempla Sanctorum, qui in hac ſpe bona excelluerunt? *Exempla.*

R. Habes in primis Tobiam ſeniorem, cujus cùm vitam & ſimplicitatem irriderent, eique inſultarent parentes & cognati, dicentes: *Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleëmoſynas & ſepulturas faciebas: Tobias increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: quoniam filii Sanctorum ſumus, & vitam illam exſpectamus, quàm Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Tob. 2.

Secundò, Prophetam Job, qui tantis tentationum procellis pulſatus, velut cautes immobilis ſpe inconcuſſa ſtat, & animum totum in corpore lacero geſtans loquitur quod mens ſuggerit, & dicit: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Job. 13.

I. Perpaucos his ſimiles repereris.

R. Verum eſt, & ideò paucos ſanctos invenies, qui ad finem uſque in exercitio bonorum operum perſeverent cum ſpe bona; & conſequenter pauci ſunt, etiam ex Catholicis, ut nuper diximus, qui ſalvabuntur.

I. Ergòne pro deſperatis habendi ſunt multi, quos timore Dei poſthabito videmus in flagitia quævis pronos ruere?

Nn 3 R. Mi-

R. Minimè verò; ſed magis oportet pro iis orare, & quod in nobis eſt, ad rectam vitæ ſemitam ſaluraribus monitis reducere. *De quocumque peſſimo in hac vita conſtituto non eſt utique deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur.*

Aug. l. 1. retract. c. 19.

I. Poſſumuſne etiam aliud ſperare, quàm vitam æternam?

Quæ ſperare liceat.

R. Ita, ſalutis noſtræ auxilia, ut putà gratiam Dei & virtutes, quibus quaſi mediis vitam æternam conſequemur.

S. Tho. 2. 2 q. 7. a. 2 ad 2. & 2. 2. q. 17. a. 2. o.

I. Nihilne temporale ſperare licet?

R. Imò: neceſſaria etiam hujus vitæ ſubſidia ſperare licet.

I. Quo pacto obtinebimus ea quæ ſperamus?

R. Oratione.

CAPUT II.

De Oratione.

LECTIO PRIMA.

I. QUid eſt Oratio?

R. Eſt mentis in Deum elevatio, per quam vel mala à nobis averti deprecamur, vel bona nobis aliiſque petimus, vel Deo benedicimus.

S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 1. in c. Ex Io. Damaſc.

I. Quonam pacto refertur oratio ad ſpem?

R. Quia oratione tanquam expreſſione deſiderii noſtri ad Deum accedimus poſtulaturi quod ſperamus.

I. Quis orandus eſt?

R. Deus Opt. Max. quem agnoſcimus omnis boni perfecti collatorem, ut ipſa etiam loquitur naturæ vis inſita in mentibus hominum. Vide Jonæ Prophetiam c. 1. Ipſe ſolus eſt ſupremus rerum omnium Dominus, qui facit omnia quæcumque vult in cœlo & in terra; qui nullo indiget, ſed uti dives in omnes qui invocant illum effundit omnipotenti dexterâ gratiæ & gloriæ munera petentibus

Quis oratione interpellandus. S. Tho. 2. 2 q. 83. a. 4. o.

I. Ergo à diabolo, ab idolis, à magis nihil petendum eſt?

R. Optimè dicis. Nam ſi à Deo ſolo bona cuncta procedunt, ſi ſolus negotia ſalutis noſtræ poteſt promovere, uti Creator & Salvator noſter, quid juvat ad eum recurrere, qui in noſtram pridem conjuravit ruinam, cujus beneficia ſunt nocentiora omni, quod poſſit nobis inferri, detrimento?

I. Nunquid etiam Sancti cum Christo regnantes à nobis rectè invocantur?

R. Hoc ita certum eſt in Eccleſia Dei, ut piis nulla de eo dubitatio poſſit accedere. Invocamus autem Sanctos, ſive homines, ſive Angelos, non ut vota noſtra per ſe adimpleant, ſed ut preces noſtras comprecando, & pro nobis intercedendo adjuvent. Deus enim bona quæ petimus, largitur, & à malis liberat per ſe immediatè & independenter à quolibet; Sancti verò uti Deo amici, & domeſtici familiares patrociniumm noſtri ſuſcipiunt, ſuaque ſuffragia noſtris adjungunt, ut faciliùs quod petimus, impetremus.

Sancti invocandi. Vide Catec. Rom. p. 4. c. 6. §. 3.

I. Poteſtne ejuſmodi precationum diverſitas notari in ipſis publicis Eccleſiæ orationibus?

R. Clariſſimè. Ecce tibi inſtar omnium oratio, ſive collecta in feſto ſancti Georgii Martyris: *Deus, qui nos B. Georgii Martyris tui meritis & interceſſione latificas; concede propitius: ut qui tua per eum beneficia poſcimus, dono tua gratia conſequamur. Per Dominum noſtrum, &c.*

Et in Litaniis, cùm Deum compellamus, hâc aut ſimili formâ utimur:

Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus, } Miſerere
Spiritus Sancte Deus. } nobis.
Exaudi nos Domine.
Libera nos Domine.
Parce nobis Domine.
Dona nobis pacem, &c.

Quando autem Sanctorum ſuffragia imploramus, dicimus: *Orate pro nobis, intercedite, adjuvate nos, &c.*

San-

Digitized by Google

Quotidiana Eccleſiæ precatio ad Primam.

Sancta Maria, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum: ut nos mereamur ab eo adjuvari & ſalvari, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum.

Quæ, quàm ſint diverſa, quis non videt?

I. Suntne iſtæ Litaniæ in Eccleſia antiquæ?

R. Etiam, antiquiſſimæ, uti videre eſt in Concilio Aurelianenſi ſub Clodovæo anno 507 & in Tolet. V. anno 736.

I. Sciuntne Sancti ſe à nobis orari?

S. Greg. 12. mor, c. 13. & 4. dial. c. 33.

R. Indubium eſt, quin Sancti per claram Dei viſionem omnia & ſingula quæ ad eos quoquo modo pertinent, reſciant; nam cum Chriſto regnant in cœlo, curam gerunt Eccleſiæ militantis, uti vicarii & proreges ſub eodem. *Vid. præfat. de Apoſtolis in Miſſali Rom.*

I. Optantne etiam nobis cuncta proſpera?

Luc. 16.

R. Planè. Nam ſi dives Epulo ſollicitus erat in inferno, naturali ſaltem propenſione pro fratribus, ne fortè ob flagitioſam quam ducebant vitam, ad eaſdem pœnas devenirent; quid nobis par erit cenſere de Sanctis in cœlo, qui ſincerâ charitate, intimoque benevolentiæ affectu nos proſequentes, unicè deſiderant nos eorum bonorum conſortes fieri, quorum æternâ ſecuriſſimâque poſſeſſione perfruuntur.

I. Rectène agimus, Sanctorum patrocinia implorando?

R. Omninò, nam dum id agimus, profitemur eos Dei amicos & familiares, quòd apud Deum in cœlo gratiam invenerint, & quòd ejuſdem nobiſcum corporis ſint membra. Quid? Si Apoſtolus Paulus in epiſtolis ſuis efflagitat ſuffragia Romanorum, Epheſiorum, Theſſalonicenſium, Coloſſenſium, Hebræorum adhuc viventium, qui pro ſe etiam tum indigebant miſericordiâ Dei; quid dubitamus Sanctorum preces & auxilia rogare, qui jam de ſua immortalitate ac beata æternitate ſecuri, pleni ſunt charitate, gloriâ, poteſtate, ac favore cœleſti? præſertim cùm habeamus illius fundamentum in Scriptura, Patribus, & continuo Eccleſiæ uſu ad nos uſque derivato. Vide inf. p. 3. c. 2. l. 12.

I. Manifeſtaruntne aliquando Sancti aliquo miraculo, Deo placitum eſſe & ſancitum, quòd eorum patrocinia invocemus?

R. Ita ſæpenumero. Vide Theodoret. l. 5. c. 4. & l. 8. ad Græcos, S. Ambr. ſerm. 60. S. Auguſt. l. 22. de civit. c. 8. S. Greg. l. 3. dial. c. 12. Greg. Turon. l. de gloria martyr. & paſſim vitas Sanctorum; necnon hiſtoriam Lauret. per Turſelin. Miracula B. Mariæ Hallenſis & Aſpricolenſis per J. Lipſium. *Exempla.*

Sur. to. 6. 4. Decemb.

Martino V. Pontifice anno Domini 1448. accidit ſtupendum miraculum cujuſdam nomine Henrici Kock Trajectenſis viri in Hollandia degentis, cujus domus cum incendio abſumeretur, ille effugiens nudus, primo motu periculum animadvertens, deinde ſuam pecuniam incendio abſumi poſſe, rediit intra incendia etiam pecuniam extracturus, ſe crucis ſigno muniens, & D. Barbaram invocans, licet ab imo pedum uſque ad verticem fuerit aduſtus, nec minus intus quàm extra in corpore torridus, aſſatique cadaveris ſpeciem magis quàm hominis præ ſe ferret, cum verenda ejus ignis vorax abſumpſiſſet, & hiantibus in inguine vulneribus etiam exta nudarentur cremata: nares quoque & clunes jam flamma voraverat: præcordia, venter, pectus, axilla, collum, & ſcapula, non modo aduſta, ſed inflexibilia quoque, ac ut ferrum rigida erant; à vertice denique capitis capilli cum carnibus defluentes; & oſſa nudantes in genis hærebant, adeoque fuit crematus, ut oſſibus vix modica adhæreret caro tanquam æthiopis nigra. Nam præter oculos, linguam & cor, quæ per crucis ſignum, ac B. Barbaræ interceſſionem divina miſeratione adhuc in ſuo vigore vivebant, nihil in eo manebat reliquum. Erat autem illi magna animi anxietas, quòd abſque Sacramentis moreretur.

S. Barbara invocatio in mediis flammis.

retur. Quæ res cauſa fuit, ut vivere Deo miſerante permitteretur. Elapſus igitur tanto incendio, horrendâ, quam diximus ſpecie cùm fuiſſet, domum filia petit, accurrenteſque omnes ad ſpectaculum hortabatur ad rerum contemptum mundanarum, prædixitque ſe acceptis Sacramentis mox obiturum. Hiabant viſcera, erantque in eo omnia mortua, ut ad contactum nihil doloris ſentiret. Adfuit interim Sacerdos, confeſſioneque peractâ abſolutus, invocato Dei nomine, animam efflavit. Hæc qui adſuit narravit Confeſſarius Theodoricus Gorcomenſis oculatus teſtis.

S. Bon. de vita S. Franciſci c.16.§.2.

In caſtro montis Marani propè Beneventum mulier quædam S. Franciſco peculiari devotione cohærens, viam univerſæ carnis intravit. Convenientibus autem Clericis nocte ad exequias, & vigilias cum pſalteriis decantandas; ſubitò cunctis cernentibus erexit ſe mulier ſuper lectum, & unum de aſtantibus Sacerdotem, Patrinum videlicet ſuum advocavit, dicens: Volo confiteri Pater. Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda, & quoniam peccatum quod tibi pandam necdum confeſſa fueram. Sed orante, inquit, pro me S. Franciſco, cui dum viverem, devota mente ſervivi, redire nunc ad corpus indultum eſt mihi, ut illo revelato peccato ſempiternam promerear vitam. Et ecce vobis videntibus, poſtquam illud detexero, ad promiſſam requiem properabo. Trementer ergo trementi Sacerdoti confeſſa, poſt abſolutionem receptam, quietè ſe in lecto collegit, & in Dominô feliciter obdormivit.

I. Si Deus omnium bonorum auctor & donator, ſine interprete precibus noſtris occurrere valet, nonne ſupervacaneum eſt Sanctorum patrocinium?

S. Aug. ſer. 1. & 4. de S. Stephan. Gen. 20. Job. 42.

R. Minimè. Nam multa Deus non concedit, niſi mediatoris ac deprecatoris opera & officium acceſſerit. Quod illuſtribus Abimelech, & amicorum Job, exemplis confirmatur; quorum peccata nonniſi Abraham & Job precibus condonavit. Adde ipſi Deo honorificum eſſe, quod ejus ſanctis & domeſticis honorem exhibeamus, quemadmodum Principi gratum eſt, ſi ejus legatis, vel etiam aulicis officia deferantur.

I. Sed nunquid doctrina hæc de invocatione Sanctorum, unius mediatoris Chriſti honori detrahit?

R. Minimè. Nam ſi Sancti vivorum precibus ſeſe commendantes, quod nuper diximus, Chriſti mediatoris gloriam & dignitatem non imminuerunt; cur eorum, qui in cœlis ſunt, Sanctorum deprecatio imminuat? Neque enim dum comprecatores adhibemus, mediatorem Chriſtum excludimus. Imò verò orationem quamlibet Sanctis porrectam non concludimus aliter quàm *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c.

I. Dicunt hæretici id fieri inopiâ & imbecillitate fidei, ut Sancti internuntii & patroni adhibeantur.

R. Si hoc verum eſt, quomodò Centurio, qui à Domino ſingulari fidei præconio laudatus fuit, ſeniores Judæorum ad Salvatorem miſit, ut laboranti puero ſalutem impetrarent?

I. Sed quomodò Catholici dicunt Miſſas de S. Maria, de S. Petro, de S. Rocho, &c. de Apoſtolis, de Martyribus, de Confeſſoribus, de Virginibus, &c. Matt. 8. Luc. 7.

R. Ad hoc reſpondebimus inf. p. 3 c. 4. in fine, & p. 4. c. 4. l. 14.

I. Undenam Sanctorum invocatio in Eccleſiam defluxit?

R. Ad id quod jam ſup. notavimus ſub initium hujus lect. de Litaniis accedit conſuetudo ab Apoſtolis accepta, & in Eccleſia Dei perpetuò retenta, & conſervata.

Ut verò Parochus inſtructior ſit ad refutandos hæreticos, qui huic veritati adverſantur, S. Hier. cont. Vigilant. & Damaſc. potiſſimum legat.

Damaſc. l. 4. de ortho. fid. c. 26.

I. Ad quos ſpectat orare.

R. Ad omnes qui ſuperiorem agnoſcunt, & aliquo, ſive pro ſe, ſive pro aliis, auxilio indigent. Hinc beati ſpiritus & alii

alii Sancti pro nobis orant, & nos ipſi pro nobis, & aliis vivis & mortuis oramus. Mortui denique in Purgatorio pro ſe orant, & ſuffragia noſtra vivorum expoſcunt, magnis clamoribus ejulantes: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

Job. 19.

I. Numquid etiam Chriſtus Salvator noſter orat pro nobis apud Patrem?

Chriſtus orat pro nobis quo ſenſu.
1. Jo. 2. & Jo. 14.

R. Ita. *Advocatum enim habemus apud Patrem* JESUM *Chriſtum juſtum.*

I. Quomodò intelligendus eſt Chriſtus in cœlo pro nobis orare?

R. Primò, oratione interpretativâ, ſcilicet exhibendo ſe & ſuas plagas, vulnerumque cicatrices, ac conſequenter ſua merita allegando divino conſpectui; uti Doctores ſentiunt; Idcircò enim reſurgens has cicatrices retinuit, & in cœlum intulit, ut eas jugiter Deo Patri, quaſi Pontifex & mediator noſter, repræſentet, ac per eas veniam & gratiam nobis obtineat.

Vid. ſup. p. 1. c. 6. l. 2.

Secundò: Chriſtus orat pro nobis oratione propriè dictâ, quâ pro nobis in cœlis Patrem interpellat: oratione, inquam, non quâ denuò mereatur vel impetret (qualis fuit dum viveret in terris) ſed quâ jam comprehenſor rogat Patrem exigendo jus in vita hac promeritum ſibique promiſſum, adeoque debitum, ſcilicet gratiam & ſalutem noſtram: eâ tamen reverentiâ, humilitate, & ſubmiſſione, quam homo & creatura debet ſuo Creatori. Hoc ſignificat Paulus in Ep. ad Hebr. ubi docet Chriſtum eſſe Pontificem noſtrum æternum in cœlis, *qui per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa.* c. 9. v. 12. & c. 7. v. 25. *ſemper vivens,* inquit, *ad interpellandum pro nobis.* Et Chriſtus Joan. 14. v. 16. *Ego,* ait, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Et Paulus Rom. 8. v. 34. *Chriſtus* JESUS, *&c. qui eſt ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis.* Quid eſt enim aliud rogare, interpellare, niſi, poſtulare, petere, precari, intercedere, orare, obſecrare pro nobis.]

Ita Suar. in 3. p. diſp. 45. ſect. 2. ex PP.

Eſt tamen notandum, quòd in hac vita Chriſtus oravit Patrem anxius, ſollicitus, & cum lachrymis, jam verò Patrem orat lætiſſimus, liberrimus, & beatiſſimus: omnis enim humilitas, anxietas, & vilitas Chriſto glorificato indigna, jam ab ejus oratione removenda eſt.

I. Quinam potiſſimùm debent vacare orationi?

Qui potiſſimùm orationi vacare debent.

R. Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati: ſic enim Apoſtoli ſentiebant: *Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Et Paulus ad Timotheum ſcribens, illumque Epiſcopum inſtruens: *Obſecro,* inquit, *primum omnium fieri obſecrationes,* q. d. O Timothee, ut tuo Epiſcopatu rite fungaris ad peccatorum ſalutem (propter quam veniſſe Chriſtum, & in hac re Epiſcopum Timotheum debere Chriſto cooperari; & militare bonam militiam dixerat cap. præced.) ſciàs primum Epiſcopi munus eſſe, orationi cum ſuis, & pro ſuis vacare, & re plus oratione, quàm prædicatione (quæ inter externa vitæ activæ officia primum eſt in Epiſcopo) effecturum: oratio enim infidelibus & peccatoribus lucem & gratiam, quâ convertantur à Deo, impetrabit. Ita Chryſ. ad illum Pauli locum. Et patet ex ſeqq. cur enim fieri velit orationes, cauſam ſubdit, dum ait: *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri.*

Act. 6. 1. Tim. 2.

I. Quænam à Deo petenda ſunt in oratione?

Quænam petenda in oratione.

R. Quicquid juſtum, decens, & ſalutare eſt, hoc deſiderari, ac conſequenter in oratione peti poteſt. Nam eſt regula, quam tradit S. Thomas q. 83. art. 6. in corp. ex Aug. ep. 121. ad Probam, quòd, quicquid eſt licitum deſiderare, id licitum eſt orare: quod autem licitum non

S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 6. c.

Digitized by Google

eſt deſiderare, id neque à Deo petere honeſtum eſt.

Eſt nihilominùs in his aliquis ordo, ſive differentia: nam quædam ſunt bona hominis ſpiritualia, quæ per ſe omninò bona ſunt, & quibus nemo malè poteſt uti; talia ſunt Dei honos & gloria, ſanctificatio nominis ejus, regnum cœlorum: hæc ſanè nobis primò & principaliter in oratione propoſita eſſe debent.

Secundò, media ad vitam æternam conducentia, uti ſunt ſpiritualia gratiæ auxilia, virtutes tum ſupernaturales, aut infuſæ, tum morales aut acquiſitæ, earumque actus.

Tertiò, bona corporis, divitiæ, honor, gloria, poteſtas inter homines, & ſimilia, quæ non tam quia per ſe bona ſunt & utilia, quàm uti ſunt inſtrumenta ad aliud hominis bonum comparandum, poſtremo loco in oratione reponuntur, ut videre licebit in expoſitione orationis Dominicæ: eſt enim oratio Dominica omnium aliarum ſanctarum orationum velut exemplar aut compendium quoddam. *teſte Auguſt. ep. 162. ad Probam.*

I. Quando orationi vacandum eſt:

Quandonam orandum. R. Quamquam omni tempore orationi inſiſtendum foret, novaque auxilia per ſingula momenta à Deo poſtulanda, ad fortiter hoſtibus reſiſtendum, cùm militia ſit vita hominis ſuper terram; attamen ſufficerit interdum ad Dominum brevem orationem ejaculari; quod faciunt in cœna, in lecto, in itinere, in mediis fabulis & occupationibus ſuis, qui in ſtudio pietatis profecerunt.

I. Edoce me iſtius rei uſum & praxim?

R. Tu noſti, quod orationes jaculatoriæ ſunt breves & devotæ aſpirationes, ſive ſpiritus elevationes ad Deum, quæ ut plurimum naſcuntur ex abundantia fervoris; ſic dictæ, quòd ad inſtar jaculi ex imo corde vibrati affectus noſtri recti ad Deum celerrimè ferantur, v. g. recurrit per diem conceptus in oratione matutina ardor mentis, & ſuggerit, ſive potiùs eructat. *Domine Deus! Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum! O bone JESU! O quando JESU bene diligam te corde perfecto! O Virgo Dei genitrix Maria! O glorioſa Domina, ora pro me. Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? &c.* *Orationes jaculatoriæ.* Quæ quidem breves & jaculatoriæ orationes non tantùm in Eccleſia, ſed & in agris, ſylvis, officina, itinere, navi, menſa, conſortio, lecto, & quovis loco, abſque labiorum ſtrepitu edi poſſunt.

I. Fuitne pridem iſtarum jaculatoriarum orationum praxis à Sanctis uſurpata?

R. Ita. De illa teſtatur Auguſt. ep. 121 ad Probam c. 9. *Dicuntur*, inquit, *Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quodammodo ejaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm neceſſaria eſt, per productiores horas evaneſcat, atque hebetetur intentio. Atque per hòc etiam ipſi ſatis oſtendunt hanc intentionem, ſicut non eſt obtundenda, ſi perdurare non poteſt, ita ſi perduraverit, non citò eſſe rumpendam: abſit enim ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeveret intentio.* Et infrà: *Plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur, plus fletu quàm afflatu.*

I. Dic mihi magis in particulari, quod eſt tempus orationi principaliter deſtinatum pro omni hominum genere?

R. Mane, meridie, & veſpere ſigno campanæ fideles excitantur ad orationem & Salutationem Angelicam; ut meminerint Chriſtiani, ſi ſæpius non poſſunt, ſaltem tribus iſtis temporibus eſſe orandum, juxta id quod jam olim factitaſſe Danielem in Babilone commemorat Scriptura: *Tempus orationi deſtinatum.* *Daniel ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem tribus temporibus* (Lyra mane, meridie, & veſpere) *Dan. 6.*

in

In die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueverat. Et Davidem, *Veſpere, mane, & meridie*
Pſal. 54. *narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam.*

LECTIO SECUNDA.

De Oratione Matutina.

I. DIc mihi qualiter mane ſurgendum, & orationi vacandum?

R. Ego quidem ſic facio: ubi primùm expergiſcor, caveo ſummoperè ne primitias cogitationum alius præter Deum habeat, & horâ ſurgendi illicò è lectulo me proripio, factoque ſigno crucis, & acceptâ aquâ luſtrali, veſtes induo legens Pater, *Ave, Credo, Salve Regina, De profundis,* & alias pias orationes.

Veſtitus procumbo in genua, & ad orationem me compono, in qua hæc quatuor puncta voce vel ſolâ mente tracto.

Primum punctum.

Gratias ago Domino Deo meo. Sanctiſſimæ Matri, Angelo cuſtodi, omnibuſque Sanctis de nocte hac feliciter tranſacta: quòd mortuus in peccatis non fuerim, ſed ad hunc uſque diem ſervatus, ut per fidem, pœnitentiam, ac Chriſtianæ legis opera gratiam Dei mihi conciliem in hoc brevi & incerto vitæ curriculo.

Secundum.

In gratiarum actionem offero me Domine totum divinæ tuæ bonitati, ut de me, meiſque omnibus tanquam de tuis ſtatuas, vitam meam ad tui nominis gloriam dirigas; bonis ſuggeſtionibus intellectum illuſtres, fervore charitatis affectum ad te moveas, ſenſuſque ſermones, & actus meos ad animæ meæ ſalutem componas.

Tertium.

Rogo te Domine, ut hodierno die ab omni me peccato cuſtodias, nec cogitatione, verbo, vel opere, aut negligentiâ divinam majeſtatem tuam ullo pacto offendam.

Quartum.

Propono Domine cum divino tuo auxilio hodie peccata omnia vitare; conſueta vitia, ea maximè ad quæ propenſior ſum, deponere; actiones, & ſtudia, vel negotia mea ad tuam gloriam referre; denique in virtutibus me exercere. Tu autem non deſis mihi gratiâ tuâ.

In fine, *Pater noſter, Ave Maria, Ave maris ſtella, &c.*

Oratio ad B. Virginem.

O Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac ſingularem cuſtodiam hodie & ſemper & in hora mortis meæ committo; corpus & animam, omnem ſpem & conſolationem, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi commendo, ut per tuam ſanctam interceſſionem & merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundùm tuam, tuique Filii voluntatem, Amen.

Oratio ad Angelum Cuſtodem.

Angele ſancte Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſupernâ, hodie illumina, cuſtodi, rege, guberna, ut poſſim tecum cœleſtia ſcandere regna.

Oratio ad Patronum meum.

Pater noſter, Ave Maria.

I. Poſt hæc quid agendum?

R. Utile eſſet iis quibus ad id facultas ſuppetit, aliquid temporis dare meditationi: quia per illam homo mirum in modum ad omnia bona paratur, & diſponitur.

I. Numquid porrò audienda Miſſa?

R. Planè; conſultum eſt id numquam omittere, quibus per occupationes aut impedimenta licet. Vide quæ inf. p. 4. c. 4. lect. dicemus de modo utiliter audiendi Miſſam.

LECTIO TERTIA.

De Oratione Meridiana.

I. QUid intelligis per orationem meridianam?

R. Duo, quæ facere decet omnes Chriſtianos: unum quando pulſatur ad *Ave Maria*, in meridie; alterum ante & poſt refectionem.

I. Quid cauſæ eſt, cur pulſetur ad *Ave Maria* tertiò in die?

R. Signum campanæ ter interdiu dari ſolet ad orationem, mane, meridie, & veſperi: ut meminerint Chriſtiani, quod jam cœpimus dicere, ſi ſæpius non poſſint, ſaltem tribus iſtis temporibus eſſe orandum. Mane quidem initio diei futuras actiones ſuas ad Dei gloriam referendo: meridie verò in medio diei curſu animam laſſam brevi oratione reficiendo, ſicut corpus reficitur cibo: veſpere autem ab anima ſua factorum omnium rationem exigendo.

Cur tribus vicibus pulſatur ad Ave Maria?

His autem tribus temporibus pulſatur, (ut noſtrum vulgus loquitur) ad *Ave Maria*, quia ſalutatur B. Virgo Maria, & oratur, ut per eximia beneficia iis horis humano generi collata quibus illa adfuit, miſericordiam nobis impetrare dignetur à Filio.

I. Quæ ſunt eximia iſta beneficia, ſeu myſteria?

R. Pulſu matutino renovatur memoria Reſurrectionis Chriſti, qui redivivus ex mortuis ſtatim Sanctiſſimæ Matri ſuæ apparuit.

I. Quid indicat nobis pulſus meridianus?

R. Pulſus meridianus datur in recordationem Paſſionis Chriſti, cui Virgo interfuit ſtans juxta Crucem JESU.

I. Quid veſpertinus?

R. Veſpertinus datur in memoriam Incarnationis Chriſti in utero Virginis peractæ, Vide Caniſium l. 3. c. 3.

Quando pulſatur ad Ave Maria, quid agendum?

I. Quid agendum eſt, dum pulſus iſti audiuntur?

R. Recitetur tertiò quantum res patitur, flexis genibus Salutatio Angelica. Quibus qui litteras norunt, addere poſſunt mane quidem verſiculum:

Gaude & lætare Virgo Maria.
Quia ſurrexit Dominus verè } Extra tempus Quadrageſimale additur. *Alleluia.*

Vel: *Crucifixus ſurrexit à mortuis, & redemit nos.*

Oratio.

DEus, qui per reſurrectionem Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti mundum lætificare dignatus es; præſta quæſumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Meridie verò addatur: *Qui paſſus es pro nobis Domine JESU miſerere nobis.* Vel: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.*

Verſ.: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi.*

Reſp. *Quia per Crucem tuam redemiſti mundum.*

Oratio.

REſpice quæſumus Domine, ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter JESUS Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum. Qui tecum vivit & regnat in unitate, &c.

Veſperi autem recitantur iſti tres verſiculi, adjuncta ſingulis Salutatione Angelica:

Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto.

Ave Maria.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Ave Maria.

Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.

Ave Maria.

I. Quod erat alterum quod ante orationem meridianam ſpectare dicebatis, &

ante & poſt refectionem convenire, ut omnes Chriſtiani agerent?

R. Hoc eſt benedictio menſæ, & gratiarum actio poſt illam.

I. Quam ergo orationem refectioni præmittis?

Benedictio menſæ. R. Vocamus benedictionem menſæ.

I. Fuitne jam olim uſitatum: ut benedictio menſæ fieret?

R. Ita. Nam ipſi olim Hebræi variis benedictionibus utebantur pro varietate eſcarum & potuum. Et Chriſtus Dominus, & veteres ſolebant à benedictione & gratiarum actione menſas auſpicari. Patet hoc ex Matthæo, Marco, Luca, & Paulo, in multiplicatione panum, & inſtitutione menſæ Euchariſticæ. Vide Prudent. in hymno ante cibum, Chryſoſt in hom. 79 ad populum & alios.

I. Quorſum adhibetur benedictio menſæ ante cibum?

Benedictio menſæ cur adhibeatur. R. Primò, hac benedictione & invocatione, quam menſæ præmittimus, oſtendimus & profitemur, nos à Deo cibos, ferculaque accepiſſe, accipere deinceps, nos accepturos ſperare: taciteque Deo pro iis gratias agimus, cogitamuſque hæc eſſe quaſi manna noſtrum, quod è cœlo nobis æquè ac Hebræis in deſerto quotidie in menſam depluit.

Secundò, hac oratione & benedictione oſtendimus nos ad Dei honorem velle iis veſci, taciteque ea Deo offerimus.

Tertio, oramus & petimus, ut id fiat, ne inſtar pecorum & infidelium in cibos irruamus, ſine ulla pia cogitatione aut Dei memoria. Pulchrum eſt quod de Eſſenis Judæis ſcribit Joſephus: *Vore Sacerdos cibum antevertit, neque fas eſt guſtare quempiam niſi priùs Deo celebretur oratio. Poſt finem quoque prandii vota repetentes, nam & cum incipiunt, & cum deſinunt, quaſi datorem victûs Deum laudibus canunt.* *L. 2 belli c. 4*

Quartò, hac benedictione petimus, ut uſus cibi & corporis & animæ valetudini ſit utilis & ſalutaris: Ut, ſicut dicitur in Pſ. 103 *Vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet: nam aperiente te* (Domine) *manum tuam, omnia implebuntur bonitate*

Quintò, petimus ut inter veſcendum mens aliquâ piâ cogitatione vel lectione paſcatur; ut cogitemus in ipſo cibi corporalis uſu; edendum eſſe non tantùm ut ſaturemur, ſed ut operemur etiam cibum qui non pereat, ſed permaneat in vitam æternam, Joan 6. Et, ut dicitur Luc. 14. ut cogitemus etiam de edendo pane in Regno Cœlorum.

Sextò eadem petimus, ne cibus diaboli, aut magicâ poteſtate inficiatur, neve diabolus aut concupiſcentia per cibum nos in comeſſationes, ebrietates, libidines incitet?

I Quo modo benedicitur menſæ? *Modus benedicendi menſæ.*

R. Sacerdos vel Pater-familias dicit: *Benedicite*, Reſpondent circumſtantes: *Dominus*. Proſequitur Sacerdos vel Pater-familias: *Nos & hæc tua dona quæ de tua largitate ſumus ſumpturi, benedicat dextra Chriſti In nomine Patris † & Filii, & Spiritûs Sancti.* Signo Crucis ſuper menſam extenſo. Reſpondatur: *Amen*. Additur *Pater noſter*, cætera ſecretò.

I. Quomodo gratias agis Deo poſt menſam?

Gratiarum actio. R. *Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro univerſis beneficiis tuis, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Ave Maria.*

Clerici ſervent quod ipſis traditur in fine Diurnalis Romani.

I. Quid emolumenti referent qui hanc orandi ſive gratias agendi Deo rationem obſervabunt ante & poſt ſumptum cibum?

R. *Menſa* (inquit Chryſoſtomus) *ab oratione ſumens initium, & in orationem deſinens, nunquam deficiet, ſed fonte largiùs omnia nobis afferet bona.* *Chryſoſt. hom. 79. ad pop. Antioch*

R. Minimè verò; ſed magis oportet pro iis orare, & quod in nobis eſt, ad rectam vitæ ſemitam ſalutaribus monitis reducere. *De quocumque peſſimo in hac vita conſtituto non eſt utique deſperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur.*

Aug. l. 1. retract. c. 19.

Quæ ſperare liceat.

I. Poſſumuſne etiam aliud ſperare, quàm vitam æternam?

R. Ita, ſalutis noſtræ auxilia, ut putà gratiam Dei & virtutes, quibus quaſi mediis vitam æternam conſequemur.

S. Tho. 1. 2 q. 7. a. 2 ad 2. & 2. 2. q. 17. a 2. 0.

I. Nihilne temporale ſperare licet?

R. Imò: neceſſaria etiam hujus vitæ ſubſidia ſperare licet.

I. Quo pacto obtinebimus ea quæ ſperamus?

R. Oratione.

CAPUT II.

De Oratione.

LECTIO PRIMA.

I. Quid eſt Oratio?

R. Eſt mentis in Deum elevatio, per quam vel mala à nobis averti deprecamur, vel bona nobis aliiſque petimus, vel Deo benedicimus.

S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 1. in c. Ex Io. Damaſc.

I. Quonam pacto refertur oratio ad ſpem?

R. Quia oratione tanquam expreſſione deſiderii noſtri ad Deum accedimus poſtulaturi quod ſperamus.

I. Quis orandus eſt?

Quis oratione interpellandus. S. Tho. 2. 2 q. 83. a. 4. 0.

R. Deus Opt. Max. quem agnoſcimus omnis boni perfecti collatorem, ut ipſa etiam loquitur naturæ vis inſita in mentibus hominum. Vide Jonæ Prophetiam c. 1. Ipſe ſolus eſt ſupremus rerum omnium Dominus, qui facit omnia quæcumque vult in cœlo & in terra; qui nullo indiget, ſed uti dives in omnes qui invocant illum effundit omnipotenti dexterâ gratiæ & gloriæ munera petentibus

I. Ergo à diabolo, ab idolis, à magis nihil petendum eſt?

R. Optimè dicis. Nam ſi à Deo ſolo bona cuncta procedunt, ſi ſolus negotia ſalutis noſtræ poteſt promovere, uti Creator & Salvator noſter, quid juvat ad eum recurrere, qui in noſtram pridem conjuravit ruinam, cujus beneficia ſunt nocentiora omni, quod poſſit nobis inferri, detrimento?

I. Nunquid etiam Sancti cum Chriſto regnantes à nobis rectè invocantur?

R. Hoc ita certum eſt in Eccleſia Dei, ut piis nulla de eo dubitatio poſſit accedere. Invocamus autem Sanctos, ſive homines, ſive Angelos, non ut vota noſtra per ſe adimpleant, ſed ut preces noſtras comprecando, & pro nobis intercedendo adjuvent. Deus enim bona quæ petimus, largitur, & à malis liberat per ſe immediatè & independenter à quolibet; Sancti verò uti Deo amici, & domeſtici familiares patrociniumm noſtri ſuſcipiunt, ſuaque ſuffragia noſtris adjungunt, ut faciliùs quod petimus, impetremus.

Sancti invocandi. Vide Catec. Rom. p. 4. c 6. §. 3.

I. Poteſtne ejuſmodi precationum diverſitas notari in ipſis publicis Eccleſiæ orationibus?

R. Clariſſimè. Ecce tibi inſtar omnium oratio, ſive collecta in feſto ſancti Georgii Martyris: *Deus, qui nos B. Georgii Martyris tui meritis & interceſſione lætificas; concede propitius: ut qui tua per eum beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur. Per Dominum noſtrum, &c.*

Et in Litaniis, cùm Deum compellamus, hâc aut ſimili formâ utimur:

Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus, } Miſerere
Spiritus Sancte Deus. } nobis.
Exaudi nos Domine.
Libera nos Domine.
Parce nobis Domine.
Dona nobis pacem, &c.

Quando autem Sanctorum ſuffragia imploramus, dicimus: *Orate pro nobis, intercedite, adjuvate nos, &c.*

San-

Digitized by Google

Quotidiana Eccleſiæ precatio ad Primam. *Sancta Maria, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum: ut nos mereamur ab eo adjuvari & ſalvari, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.*

Quæ, quàm ſint diverſa, quis non videt?

I. Suntne iſtæ Litaniæ in Eccleſia antiquæ?

R. Etiam, antiquiſſimæ, uti videre eſt in Concilio Aurelianenſi ſub Clodovæo anno 507 & in Tolet. V. anno 736.

I. Sciuntne Sancti ſe à nobis orari?

S. Greg. 12. mor. c. 13. & 4. dial. c. 33. R. Indubium eſt, quin Sancti per claram Dei viſionem omnia & ſingula quæ ad eos quoquo modo pertinent, reſciant; nam cum Chriſto regnant in cœlo, curam gerunt Eccleſiæ militantis, uti vicarii & proreges ſub eodem. *Vid. præfat. de Apoſtolis in Miſſali Rom.*

I. Optantne etiam nobis cuncta proſpera?

Luc. 16. R. Planè. Nam ſi dives Epulo ſollicitus erat in inferno, naturali ſaltem propenſione pro fratribus, ne fortè ob flagitioſam quam ducebant vitam, ad eaſdem pœnas devenirent; quid nobis par erit cenſere de Sanctis in cœlo, qui ſincerâ charitate, intimoque benevolentiæ affectu nos proſequentes, unicè deſiderant nos eorum bonorum conſortes fieri, quorum æternâ ſecuriſſimâque poſſeſſione perfruuntur.

I. Rectène agimus, Sanctorum patrocinia implorando?

R. Omninò, nam dum id agimus, profitemur eos Dei amicos & familiares, quòd apud Deum in cœlo gratiam invenerint, & quòd ejuſdem nobiſcum corporis ſint membra. Quid? Si Apoſtolus Paulus in epiſtolis ſuis efflagitat ſuffragia Romanorum, Epheſiorum, Theſſalonicenſium, Coloſſenſium, Hebræorum adhuc viventium, qui pro ſe etiam tum indigebant miſericordiâ Dei: quid dubitamus Sanctorum preces & auxilia rogare, qui jam de ſua immortalitate ac beata æternitate ſecuri, pleni ſunt charitate, gloriâ, poteſtate, ac favore cœleſti? præſertim cùm habeamus illius fundamentum in Scriptura, Patribus, & continuo Eccleſiæ uſu ad nos uſque derivato. Vide inf. p. 3. c. 2. l. 11.

I. Manifeſtaruntne aliquando Sancti aliquo miraculo, Deo placitum eſſe & ſancitum, quòd eorum patrocinia invocemus?

R. Ita ſæpenumero. Vide Theodoret. l. 5. c. 4. & l. 8. ad Græcos, S. Ambr. ſerm. 60. S. August. l. 22. de civit. c. 8. S. Greg. l. 3. dial. c. 12. Greg. Turon. l. de gloria martyr. & paſſim vitas Sanctorum; necnon hiſtoriam Lauret. per Turſelin. Miracula B. Mariæ Hallenſis & Aſpricolenſis per J. Lipſium. *Exempla.*

Martino V. Pontifice anno Domini 1448. accidit ſtupendum miraculum cujuſdam nomine Henrici Kock Trajectenſis viri in Hollandia degentis, cujus domus cum incendio abſumeretur, ille effugiens nudus, primo motu periculum animadvertens, deinde ſuam pecuniam incendio abſumi poſſe, rediit intra incendia etiam pecuniam extracturus, ſe crucis ſigno muniens, & D. Barbaram invocans. licet ab imo pedum uſque ad verticem fuerit aduſtus, nec minus intus quàm extra in corpore torridus, aſſatique cadaveris ſpeciem magis quàm hominis præ ſe ferret. cum verenda ejus ignis vorax abſumpſiſſet, & hiantibus in inguine vulneribus etiam exta nudarentur cremata: nares quoque & clunes jam flamma voraverat: præcordia, venter, pectus, axilla, collum, & ſcapula, non modo aduſta, ſed inflexibilia quoque, ac ut ferrum rigida erant; à vertice denique capitis capilli cum carnibus defluentes; & oſſa nudantes in genis hærebant. adeoque fuit crematus, ut oſſibus vix modica adhæreret caro tanquam æthiopis nigra. Nam præter oculos, linguam & cor, qua per crucis ſignum, ac B. Barbaræ interceſſionem divina miſeratione adhuc in ſuo vigore vivebant, nihil in eo manebat reliquum. Erat autem illi magna animi anxietas, quòd abſque Sacramentis moreretur. *Sur. to. 6. 4. Decemb.* *S. Barbara invocatio in mediis flammis.*

retur. Quæ res cauſa fuit, ut vivere Deo miſerante permitteretur. Elapſus igitur tanto incendio, horrendâ, quam diximus ſpecie cùm fuiſſet, domum filia petit, accurrenteſque omnes ad ſpectaculum hortabatur ad rerum contemptum mundanarum, prædixitque ſe acceptis Sacramentis mox obiturum. Hiabant viſcera, erantque in eo omnia mortua, ut ad contactum nihil doloris ſentiret. Adfuit interim Sacerdos, confeſſioneque peractâ abſolutus, invocato Dei nomine, animam efflavit. Hæc qui adfuit narravit Confeſſarius Theodoricus Gorcomenſis oculatus teſtis.

S. Bon. de vita S. Franciſci c. 16. §. 2. *In caſtro montis Marani propè Beneventum mulier quædam S. Franciſco peculiari devotione cohærens, viam univerſæ carnis intravit. Convenientibus autem Clericis nocte ad exequias, & vigilias cum pſalteriis decantandas; ſubitò cunctis cernentibus erexit ſe mulier ſuper lectum, & unum de aſtantibus Sacerdotem, Patrinum videlicet ſuum advocavit, dicens: Volo confiteri Pater. Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda, & quoniam peccatum quod tibi pandam necdum confeſſa fueram. Sed orante, inquit, pro me S. Franciſco, cui dum viverem, devota mente ſervivi, redire nunc ad corpus indultum eſt mihi, ut illo revelato peccato ſempiternàm promerear vitam. Et ecce vobis videntibus, poſtquam illud detexero, ad promiſſam requiem properabo. Tremens ergo trementi Sacerdoti confeſſa, poſt abſolutionem receptam, quietè ſe in lecto collegit, & in Dominò feliciter obdormivit.*

I. Si Deus omnium bonorum auctor & donator, ſine interprete precibus noſtris occurrere valet, nònne ſupervacaneum eſt Sanctorum patrocinium?

S. Aug. ſer. 1. & 4. de S. Stephan. R. Minimè. Nam multa Deus non concedit, niſi mediatoris ac deprecatoris opera & officium acceſſerit. Quod illuſtribus Abimelech, & amicorum Job, exemplis confirmatur; quorum peccata nonniſi Abraham & Job precibus condonavit. Adde ipſi Deo honorificum eſſe, quod ejus ſanctis & domeſticis honorem exhibeamus, quemadmodum Principi gratum eſt, ſi ejus legatis, vel etiam aulicis officia deferantur.

Gen. 20.
Job. 42.

I. Sed nunquid doctrina hæc de invocatione Sanctorum, unius mediatoris Chriſti honori detrahit?

R. Minimè. Nam ſi Sancti vivorum precibus ſeſe commendantes, quod nuper diximus, Chriſti mediatoris gloriam & dignitatem non imminuerunt; cur eorum, qui in cœlis ſunt, Sanctorum deprecatio imminuat? Neque enim dum comprecatores adhibemus, mediatorem Chriſtum excludimus. Imò verò orationem quamlibet Sanctis porrectam non concludimus aliter quàm *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c.

I. Dicunt hæretici id fieri inopiâ & imbecillitate fidei, ut Sancti internuntii & patroni adhibeantur.

R. Si hoc verum eſt, quomodò Centurio, qui à Domino ſingulari fidei præconio laudatus fuit, ſeniores Judæorum ad Salvatorem miſit, ut laboranti puero ſalutem impetrarent?

I. Sed quomodò Catholici dicunt Miſſas de S. Maria, de S. Petro, de S. Rocho, &c. de Apoſtolis, de Martyribus, de Confeſſoribus, de Virginibus, &c. Matt. 8. Luc. 7.

R. Ad hoc reſpondebimus inf. p. 3 c. 4. in fine, & p. 4. c. 4. l. 14.

I. Undenam Sanctorum invocatio in Eccleſiam defluxit?

R. Ad id quod jam ſup. notavimus ſub initium hujus lect. de Litaniis accedit conſuetudo ab Apoſtolis accepta, & in Eccleſia Dei perpetuò retenta, & conſervata.

Ut verò Parochus inſtructior ſit ad refutandos hæreticos, qui huic veritati adverſantur, S. Hier. ſcont. Vigilant. & Damaſc. potiſſimum legat. *Damaſc. l. 4. de ortho. fid. c. 26.*

I. Ad quos ſpectat orare.

R. Ad omnes qui ſuperiorem agnoſcunt, & aliquo, ſive pro ſe, ſive pro aliis, auxilio indigent. Hinc beati ſpiritus & alii

alii Sancti pro nobis orant, & nos ipſi pro nobis, & aliis vivis & mortuis oramus. Mortui denique in Purgatorio pro ſe orant, & ſuffragia noſtra vivorum expoſcunt, magnis clamoribus ejulantes: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

Job. 19.

Chriſtus orat pro nobis quo ſenſu. 1. Jo. 2. & Jo. 14.

I. Numquid etiam Chriſtus Salvator noſter orat pro nobis apud Patrem?

R. Ita. *Advocatum enim habemus apud Patrem* JESUM *Chriſtum juſtum.*

I. Quomodò intelligendus eſt Chriſtus in cœlo pro nobis orare?

R. Primò, oratione interpretativâ, ſcilicet exhibendo ſe & ſuas plagas, vulnerumque cicatrices, ac conſequenter ſua merita allegando divino conſpectui; uti Doctores ſentiunt; Ideircò enim reſurgens has cicatrices retinuit, & in cœlum intulit, ut eas jugiter Deo Patri, quaſi Pontifex & mediator noſter, repræſentet, ac per eas veniam & gratiam nobis obtineat.

Vid. ſup. p. 1. c. 6. l. 2.

Secundò: Chriſtus orat pro nobis oratione propriè dictâ, quâ pro nobis in cœlis Patrem interpellat; oratione, inquam, non quâ denuò mereatur vel impetret (qualis fuit dum viveret in terris) ſed quâ jam comprehenſor rogat Patrem exigendo jus in vita hac promeritum ſibique promiſſum, adeoque debitum, ſcilicet gratiam & ſalutem noſtram: eâ tamen reverentiâ, humilitate, & ſubmiſſione, quam homo & creatura debet ſuo Creatori. Hoc ſignificat Paulus in Ep. ad Hebr. ubi docet Chriſtum eſſe Pontificem noſtrum æternum in cœlis, *qui per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa.* c. 9. v. 12. & c. 7 v. 25. *ſemper vivens*, inquit, *ad interpellandum pro nobis.* Et Chriſtus Joan. 14. v. 16. *Ego*, ait, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Et Paulus Rom. 8. v. 34. *Chriſtus* JESUS, *&c. qui eſt ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis.* Quid eſt enim aliud rogare, interpellare, niſi, poſtulare, petere, precari, intercedere, orare, obſecrare pro nobis.

Ita Suar. in 3. p. diſp. 45. ſect. 2. ex PP.

Eſt tamen notandum, quòd in hac vita Chriſtus oravit Patrem anxius, ſollicitus, & cum lachrymis, jam verò Patrem orat lætiſſimus, liberrimus, & beatiſſimus: omnis enim humilitas, anxietas, & vilitas Chriſto glorificato indigna, jam ab ejus oratione removenda eſt.

I. Quinam potiſſimùm debent vacare orationi?

Qui potiſſimùm orationi vacare debent. Act. 6. 1. Tim. 2.

R. Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati: ſic enim Apoſtoli ſentiebant: *Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Et Paulus ad Timotheum ſcribens, illumque Epiſcopum inſtruens: *Obſecro*, inquit, *primum omnium fieri obſecrationes*, q. d. O Timothee, ut tuo Epiſcopatu rite fungaris ad peccatorum ſalutem (propter quam veniſſe Chriſtum, & in hac re Epiſcopum Timotheum debere Chriſto cooperari; & militare bonam militiam dixerat cap. præced.) ſcias primum Epiſcopi munus eſſe, orationi cum ſuis, & pro ſuis vacare, & te plus oratione, quàm prædicatione (quæ inter externa vitæ activæ officia primum eſt in Epiſcopo) effecturum: oratio enim infidelibus & peccatoribus lucem & gratiam, quâ convertantur à Deo, impetrabit. Ita Chryſ. ad illum Pauli locum, Et patet ex ſeqq. cur enim fieri velit orationes, cauſam ſubdit, dum ait: *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri*

I. Quænam à Deo petenda ſunt in oratione?

Quænam petenda in oratione. S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 6. c.

R. Quicquid juſtum, decens, & ſalutare eſt, hoc deſiderari, ac conſequenter in oratione peti poteſt. Nam eſt regula, quam tradit S. Thomas q. 83. art. 6 in corp. ex Aug. ep. 121. ad Probam, quòd, quicquid eſt licitum deſiderare, id licitum eſt orare: quod autem licitum non

Digitized by Google

eſt deſiderare, id neque à Deo petere honeſtum eſt.

Eſt nihilominùs in his aliquis ordo, ſive differentia: nam quædam ſunt bona hominis ſpiritualia, quæ per ſe omninò bona ſunt, & quibus nemo malè poteſt uti; talia ſunt Dei honos & gloria, ſanctificatio nominis ejus, regnum cœlorum: hæc ſanè nobis primò & principaliter in oratione propoſita eſſe debent.

Secundò, media ad vitam æternam conducentia, uti ſunt ſpiritualia gratiæ auxilia, virtutes tum ſupernaturales, aut infuſæ, tum morales aut acquiſitæ, earumque actus.

Tertiò, bona corporis, divitiæ, honor, gloria, poteſtas inter homines, & ſimilia, quæ non tam quia per ſe bona ſunt & utilia, quàm uti ſunt inſtrumenta ad aliud hominis bonum comparandum, poſtremo loco in oratione reponuntur, ut videre licebit in expoſitione orationis Dominicæ: eſt enim oratio Dominica omnium aliarum ſanctarum orationum velut exemplar aut compendium quoddam, *teſte Auguſt. ep. 162. ad Probam.*

I. Quando orationi vacandum eſt?

Quandonam orandum. R. Quamquam omni tempore orationi inſiſtendum foret, novaque auxilia per ſingula momenta à Deo poſtulanda; ad fortiter hoſtibus reſiſtendum, cùm militia ſit vita hominis ſuper terram; attamen ſuffecerit interdum ad Dominum brevem orationem ejaculari; quod faciunt in cœna, in lecto, in itinere, in mediis fabulis & occupationibus ſuis, qui in ſtudio pietatis profecerunt.

I. Edoce me iſtius rei uſum & praxim?

R. Tu noſti, quod orationes jaculatoriæ ſunt breves & devotæ aſpirationes, ſive ſpiritus elevationes ad Deum, quæ ut plurimum naſcuntur ex abundantia fervoris; ſic dictæ, quòd ad inſtar jaculi ex imo corde vibrati affectus noſtri rectà ad Deum celerrimè feran-

ſia

tur, v. g. recurrit per diem conceptus in oratione matutina ardor mentis, & ſuggerit, ſive potiùs eructat. *Domine Deus! Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum! O bone* JESU! *O quando* JESU *bene diligam te corde perfecto! O Virgo Dei genitrix Maria! O glorioſa Domina, ora pro me. Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? &c.* Quæ quidem breves & jaculatoriæ orationes non tantùm in Eccleſia, ſed & in agris, ſylvis, officina, itinere, mari, menſa, conſortio, lecto, & quovis loco, abſque labiorum ſtrepitu edi poſſunt. *Orationes jaculatoriæ.*

I. Fuitne pridem iſtarum jaculatoriarum orationum praxis à Sanctis uſurpata?

R. Ita. De illa teſtatur Auguſt. ep. 121. ad Probam c. 9. *Dicuntur*, inquit, *Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quodammodò ejaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm neceſſaria eſt, per productiores horas evaneſcat, atque hebeteſcat intentio. Atque per hoc etiam ipſi ſatis oſtendunt hanc intentionem, ſicut non eſt obtundenda, ſi perdurare non poteſt, ita ſi perduraverit, non citò eſſe rumpendam: abſit enim ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeveret intentio.* Et infrà: *Plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur, plus fletu quàm afflatu.*

I. Dic mihi magis in particulari, quod eſt tempus orationi principaliter deſtinatum pro omni hominum genere?

R. Mane, meridie, & veſpere ſigno campanæ fideles excitantur ad orationem & Salutationem Angelicam; ut meminerint Chriſtiani, ſi ſæpius non poſſunt, ſaltem tribus iſtis temporibus eſſe orandum, juxta id quod jam olim factitaſſe Danielem in Babilone commemorat Scriptura: *Daniel ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem tribus temporibus* (Lyra mane, meridie, & veſpere) *Tempus orationi deſtinatum.* *Dan. 6.*

in

In die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueverat. Et Davidem, *Veſpere, mane, & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam.*

Pſal. 54.

LECTIO SECUNDA.

De Oratione Matutina.

I. DIc mihi qualiter mane ſurgendum, & orationi vacandum?

R. Ego quidem ſic facio: ubi primùm expergiſcor, caveo ſummoperè ne primitias cogitationum alius præter Deum habeat, & horâ ſurgendi illicò è lectulo me proripio, factoque ſigno crucis, & acceptâ aquâ luſtrali, veſtes induo legens *Pater, Ave, Credo, Salve Regina, De profundis*, & alias pias orationes.

Veſtitus procumbo in genua, & ad orationem me compono, in qua hæc quatuor puncta voce vel ſolâ mente tracto.

Primum punctum.

Gratias ago Domino Deo meo, Sanctiſſimæ Matri, Angelo cuſtodi, omnibuſque Sanctis de nocte hac feliciter tranſacta: quòd mortuus in peccatis non fuerim, ſed ad hunc uſque diem ſervatus, ut per fidem, pœnitentiam, ac Chriſtianæ legis opera gratiam Dei mihi conciliem in hoc brevi & incerto vitæ curriculo.

Secundum.

In gratiarum actionem offero me Domine totum divinæ tuæ bonitati, ut de me, meiſque omnibus tanquam de tuis ſtatuas, vitam meam ad tui nominis gloriam dirigas; bonis ſuggeſtionibus intellectum illuſtres, fervore charitatis affectum ad te moveas, ſenſuſque ſermones, & actus meos ad animæ meæ ſalutem componas.

Tertium.

Rogo te Domine, ut hodierno die ab omni me peccato cuſtodias, nec cogitatione, verbo, vel opere, aut negligentiâ divinam majeſtatem tuam ullo pacto offendam.

Quartum.

Propono Domine cum divino tuo auxilio hodie peccata omnia vitare; conſueta vitia, ea maximè ad quæ propenſior ſum, deponere; actiones, & ſtudia, vel negotia mea ad tuam gloriam referre; denique in virtutibus me exercere. Tu autem non deſis mihi gratiâ tuâ.

In fine, *Pater noſter, Ave Maria, Ave maris ſtella, &c.*

Oratio ad B. Virginem.

O Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac ſingularem cuſtodiam hodie & ſemper & in hora mortis meæ committo; corpus & animam, omnem ſpem & conſolationem, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi commendo, ut per tuam ſanctam interceſſionem & merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundùm tuam, tuique Filii voluntatem, Amen.

Oratio ad Angelum Cuſtodem.

Angele ſancte Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſupernâ, hodie illumina, cuſtodi, rege, guberna, ut poſſim tecum cœleſtia ſcandere regna.

Oratio ad Patronum meum.

Pater noſter, Ave Maria.

I. Poſt hæc quid agendum?

R. Utile eſſet iis quibus ad id facultas ſuppetit, aliquid temporis dare meditationi: quia per illam homo mirum in modum ad omnia bona paratur, & diſponitur.

I. Numquid porrò audienda Miſſa?

R. Planè; conſultum eſt id numquam omittere, quibus per occupationes aut impedimenta licet. Vide quæ inf. p. 4. c. 4. lect. dicemus de modo utiliter audiendi Miſſam.

Digitized by Google

ante & poſt refectionem convenire, ut omnes Chriſtiani agerent?

R. Hoc eſt benedictio menſæ, & gratiarum actio poſt illam.

I. Quam ergo orationem refectioni præmittis?

Benedictio menſæ.

R. Vocamus benedictionem menſæ.

I. Fuitne jam olim uſitatum: ut benedictio menſæ fieret?

R. Ita. Nam ipſi olim Hebræi variis benedictionibus utebantur pro varietate eſcarum & potuum. Et Chriſtus Dominus, & veteres ſolebant à benedictione & gratiarum actione menſas auſpicari. Patet hoc ex Matthæo, Marco, Luca, & Paulo, in multiplicatione panum, & inſtitutione menſæ Euchariſticæ. Vide Pendent. in hymno ante cibum, Chryſoſt. in hom. 79. ad populum & alios.

I. Quorſùm adhibetur benedictio menſæ ante cibum?

Benedictio menſæ cur adhibeatur.

R. Primò, hâc benedictione & invocatione, quam menſæ præmittimus, oſtendimus & profitemur, nos à Deo cibos, ferculaque accepiſſe, accipere deinceps, nos accepturos ſperare: taciteque Deo pro iis gratias agimus, cogitamuſque hæc eſſe quaſi manna noſtrum, quod è cœlo nobis æquè ac Hebræis in deſerto quotidie in menſam depluit.

Secundò, hâc oratione & benedictione oſtendimus nos ad Dei honorem velle iis veſci, taciteque ea Deo offerimus.

Tertio, oramus & petimus, ut id fiat, ne inſtar pecorum & infidelium in cibos irruamus, ſine ulla pia cogitatione aut Dei memoria. Pulchrum eſt quod de

I. 2. Bell. c. 4

Eſſenis Judæis ſcribit Joſephus: *Voce Sacerdos cibum antevertit, neque fas eſt guſtare quempiam niſi priùs Deo celebretur oratio. Poſt finem quoque prandii vota referunt: nam & cùm incipiunt, & cùm deſinunt, quaſi datorem victûs Deum laudibus canunt.*

Quartò, hâc benedictione petimus, ut uſus cibi & corporis & animæ valetudini ſit utilis & ſalutaris: Ut, ſicut dicitur in Pſ. 103. *Vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet: nam aperiente te* (Domine) *manum tuam, omnia implebuntur bonitate.*

Quintò, petimus ut inter veſcendum mens aliquâ piâ cogitatione vel lectione paſcatur; ut cogitemus in ipſo cibi corporalis uſu; edendum eſſe non tantùm ut ſaturemur, ſed ut operemur etiam cibum qui non pereat, ſed permaneat in vitam æternam, Joan. 6. Et, ut dicitur Luc. 14. ut cogitemus etiam de edendo pane in Regno Cœlorum.

Sextò eadem petimus, ne cibus diaboli, aut magicâ poteſtate inficiatur, neve diabolus aut concupiſcentia per cibum nos in comeſſationes, ebrietates, libidines incitet?

Modus benedicendi menſæ.

I. Quo modo benedicitur menſæ?

R. Sacerdos vel Pater-familias dicit: *Benedicite*, Reſpondent circumſtantes: *Dominus*. Proſequitur Sacerdos vel Pater-familias: *Nos & hæc tua dona quæ de tua largitate ſumus ſumpturi, benedicat dextra Chriſti In nomine Patris* † *& Filii, & Spiritûs Sancti*. Signo Crucis ſuper menſam extenſo. Reſpondatur: *Amen*. Additur *Pater noſter*, cætera ſecretò.

I. Quomodo gratias agis Deo poſt menſam?

Gratiarum actio.

R. *Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro univerſis beneficiis tuis, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Ave Maria.*

Clerici ſervent quod ipſis traditur in fine Diurnalis Romani.

I. Quid emolumenti referent qui hanc orandi ſive gratias agendi Deo rationem obſervabunt ante & poſt ſumptum cibum?

Chryſoſt. hom. 73 ad pop. Antioch.

R. *Menſa* (inquit Chryſoſtomus) *ab oratione ſumens initium, & in orationem deſinens, nunquam deficiet, ſed fonte largius omnia nobis afferet bona.*

Digitized by Google

LECTIO QUARTA.

De Oratione veſpertina.

I. QUam dicis orationem veſpertinam ;

R. Orationem veſpertinam voco exercitium ſpirituale, quod ſolent Chriſtiani peragere veſperi antequam decumbant ?

Primò igitur & ante omnia repetenda eſt per examen conſcientiæ ab anima ratio tranſactæ diei, ne forrè nos ex hac vita Deus nocte evocans imparatos inveniat. Examen autem his quinque punctis comprehendi ſolet.

Punctum 1.

Examen veſpertinum 5. punctis abſolvitur.

Sumptâ aquâ luſtrali, poſitiſque in terram genibus coram imagine Crucifixi, beatæ Virginis, vel alia, ac lectis Litaniis: *Gratias tibi ago Domine Deus meus ex toto corde pro omnibus beneficiis, quibus me indigniſſimum peccatorem divina tua bonitas & clementia cumulare dignata eſt ex utero Matris meæ.* Repetantur & in memoriam reducantur ſingulatim beneficia creationis, conſervationis, gubernationis, redemptionis, vocationis ad fidem, ad hunc ſtatum, &c. Participationis Sacramentorum, illuminationis per Verbum Dei & ſanctas inſpirationes, juſtificationis, gratiæ donationis, & gloriæ præparationis, aliaque innumera, potiſſimum verò illo ipſo die accepta, idque totum fiat quietâ & internâ cordis meditatione potiùs quàm vocali aliquâ pronuntiatione ?

2. *Humillimè etiam peto gratiam Domine Deus meus pro vera cognitione & ſeria deteſtatione omnium & ſingulorum peccatorum meorum, quæ unquam in tota vita mea, præſertim eorum, quæ hoc tranſacto die commiſi.*

3. Exigatur à conſcientia ratio de admiſſis præſenti die peccatis, totius diei horas ſingulas à mane in veſperam, vel (ſi malis) à veſpera in mane procurrendo.

4. Humiliter petatur à Deo venia admiſſorum peccatorum.

5. Seriò proponatur in poſterum, cùm Dei gratia, vitæ emendatio, & maximè in illis peccatis, in quæ ſæpiùs aut gravius eo die lapſus fuerit.

In fine addatur: *Pater noſter, Ave, Credo, Confiteor Deo omnipotenti, Salve Regina,* & Oratio Dominica ad Angelum Cuſtodem; *De profundis,* pro defunctis, aliæque preces pro cujuſque devotione.

Oratione abſoluta ſervandus eſt animus collectus piâ meditatione & oratione. Ideoque vitandæ fabulæ, cogitationes extraneæ & vagæ tractationes negotiorum, & quicquid conjunctionem cum Deo impedire ſolet.

Quomodo veſperi decumbendum.

Cubanti denique orandus eſt Chriſtus Dominus noſter, ut dormienti eâ nocte adeſſe dignetur, cum Matre ſua digniſſima, Angelo Cuſtode, Sanctiſque Patronis, ad quos, tanquam præſentes, mens etiam & oratio convertenda eſt, & in tali cogitatione obdormiendum.

I. Debentne etiam rudiores & homines promiſcui vulgi, manè præſertim & veſpere orare ?

R. Ita omnes omninò Chriſtiani debent aliquam ſaltem orationem præmittere mane actionibus ſuis, & veſperi ſomno. Quid enim minus poſſint, quàm exiguum hoc Domino & Deo ſuo ſervitium rependere pro cunctis beneficiis acceptis & accipiendis, quandoquidem Dominis temporalibus multò ampliora præſtent obſequia ſervi & ancillæ pro minima utique mercede ?

I. Hoc bene, ſed malient veſperi ejuſmodi homines diurno labore laſſa membra lecto committere potiùs quàm orare?

R. Haud gravatè id crediderim Sed tamen recta ratio poſtulat, ut qui totum diem in corporis bonum inſumpſerunt, aliquid ſaltem vel modici temporis pro animæ ſpirituali bono, & pro vita æterna, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, in veſperum reſervent.

I. Fateor id rationi maximè eſſe conſonum; ſed non omittunt in lecto Deum precari.

R. Dor-

R. Dormientes *Orationi* (inquit Apoſtolus) *inſtate: vigilantes in ea.* Si tibi incivile & ruſticum videtur, quòd aliquis libellum ſupplicem Regi porrigat alio quàm ſupplicis ſtatu & modo, quidni potiùs inſulſum videatur, & à pietate remotum, quòd Deum noſtrum lecto incumbentes deprecemur? Interim quia rudioribus difficile eſſet, quàm ſuprà tradidimus precandi, & conſcientiam diſcutiendi normam obſervare, ſubjicimus hic in eorum gratiam faciliorem & breviorem.

Matutina & Veſpertina Oratio pro rudioribus.

ILli ergò mane flexis genibus, facto ſigno Crucis, his verbis orent:

1. *Domine Deus, ago tibi gratias, quod hâc nocte me conſervaveris. Pater noſter, Ave Maria.*

2. *Domine precor te, ut me hodie ab omni peccato præſerves. Pater noſter, Ave Maria.*

3. *Domine offero tibi omnes actiones meas, rogans ut eas ad nominis tui gloriam dirigas. Pater noſter, Ave Maria, Credo, Salve Regina,* Oratio Dominica ad Angelum Cuſtodem.

Veſperi autem precari poſſent iſto vel ſimili modo:

1. *Domine Deus, gratias ago tibi, quòd hoc die me conſervaveris. Pater noſter. Ave Maria.*

2. *Domine precor, ut peccata omnia hoc die commiſſa ignoſcas. Pater noſter. Ave.* Poteritque hîc fieri breve examen conſcientiæ pro captu cujuslibet.

3. *Domine rogo, ut me hâc nocte ab omnibus dæmonis inſidiis cuſtodias Pater noſter. Ave Maria, Credo, Salve Regina, Confiteor:* Denique Oratio Dominica ad Angelum Cuſtodem.

LECTIO QUINTA.

De loco Orationis.

I. UBinam orandum eſt?

R. Omnis locus eſt idoneus ad Dominum (qui ubique eſt) deprecandum. Hinc dicebat Propheta: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* Ubi ſic argumentatur gloſſa: *Ubi non dominatur Deus, ibi nec benedicatur, ubique dominatur, ubique benedicatur.* Pſal. 102.

Ubique Sancti deprecati ſunt Dominum fauſto ſucceſſu. Jeremias quidem in luto: Tres Pueri in fornace: Daniel in lacu leonum: Jonas in ventre ceti: Job in ſterquilinio: Ezechias in lecto: Latro in cruce: S. Paulus in carcere: Sancta Agnes in mediis flammis: Pleræque Virgines in turpitudinis loco, & omnes exauditi ſunt. Jer. 38. Dan. 5. & 6 Jon. 2. Job 3. 4. Reg. 20. Luc. 23. Act 16.

Nihilominùs quia ſenſibiles & corporei ſumus: ſolemuſque diſtinctis rebus diſtincta loca tribuere; dignatus pius Dominus etiam locum ſibi deligere, ad quem orandi causâ fideles convenirent, non quaſi ipſe loco indigeat, ſed ut nos per corporalem domum, in qua omnia ad pietatem provocant, ad ferventiùs orandum excitet. Vide S. Chryſ. hom. 2. *de natura Dei incomprehenſibili*, & Orig. hom. 7. in Joſue.

II. Soletne Dominus Deus nos majori favore proſequi, & faciliùs audire in templo orantes, quàm alibi?

R. Ita, nam in loco ſibi conſecrato invocantes ſe exauditurum Salomoni ſpecialiter promiſit: *Erunt*, inquit, *oculi mei aperti, & aures meæ rectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit.* Quamobrem in veteri Teſtamento fideles accedebant tabernaculum fœderis Domini, & poſteà magno ſtudio templum Salomonis, ut ibi exaudirentur, quem uſum Chriſtus & Apoſtoli ſuo exemplo confirmarunt. 3. Reg 8 2. Paral. 6 & 7.

Digitized by Google

At certè major eſt prærogativa templorum, quæ in novo Teſtamento exſtruxerunt ubique Apoſtoli, & eorum diſcipuli, Deoque conſecrarunt. Ibi enim eſt domus Dei, in qua realiter & corporaliter Deus habitat in Euchariſtia.

I. Pluriſne valent orationes fuſæ in templo, ſive in loco Deo conſecrato, quàm alibi?

R. Ita Non ſolùm propter loci reverentiam, ſed etiam, uti jam dixi, ob ſingularem ibi Dei præſentiam, potiſſimùm ob multorum in eodem loco idem orantium unitatem. Quod enim ſingulis Deus fuerat negaturus, plurium ſimul orantium conſenſu donat, juxtà illud

Matt. 18.

Salvatoris: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Vide Baſil. ſup. Pſal. 28. ad verſum: *In templo ejus omnes dicent gloriam* Chryſ. hom. in 1. ad Cor. & de incomprehenſibili natura Dei, hom. 3. Aug. tract. 10. in Joan. & epiſt. 109. & ſerm. 5. de Dedicat. templi.

Simile.

Sicut nummus unus non habens juſtũ pondus, ſi detur creditori, ab eo rejicitur, ſin verò aliis multis miſceatur, acceptatur, tranſitque cum cæteris: ita & oratio unius, ſi ſit tepida, vaga, negligens, rejicitur à Deo; ſin verò multis aliis ferventibus jungatur, earum vi & quaſi alis attollitur, & in cœlum ad Deum evolat.

I. Debentne igitur diligenter frequentari templa orationis gratiâ?

Templum orationis cauſa frequentandum.

R. Ita, tum ob rationes jam allegatas; tum etiam quia ſi quis frigidus fuerit, in illis accendi poterit ad ferventer orandum.

I. Eſtne magna reverentia templis Deo conſecratis exhibenda?

R. Ita, quia ſunt domus Dei, & ejus tabernaculum cum hominibus. Hinc procul arcenda colloquia vana, ambulationes, aſpectus, cogitationes turpes. Vide qualiter ejecerit Chriſtus è templo vendentes & ementes. Quare appoſitè monet S. Aug. in reg. *Nemo, inquit, in oratorio aliud agat, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen habet.*

Refertur diſtin. 1. 42. can. 6.

I. Habeſne ad hanc rem exempla?

Exempla.

R. Habeo. *Theodoſius junior propenſo admodum fuit in Eccleſias ſtudio, eaſque magnâ reverentiâ eſt proſecutus: nam præter publicam legem quâ ſancivit, ut omnes imperii ſubditi revererentur, de ſeipſo ita loquitur: Nos qui legitimi imperii armis nunquam non circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non convenit. Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema regiæ Majeſtatis inſigne humiliter deponimus, & ſacra altaria munerum tantum offerendorum cauſa accedimus, quibus quoque oblatis ad extimum commune atrium mox nos recipimus, nec quiequam ex propinqua divinitate nobis arrogamus.*

Act. Conc. Epheſ. c. 1.

Baron ad an. Chriſti 398.

Sanctus Gregorius Nazianzenus orat 19. laudat Matrem ſuam Nonnam, quòd in templo nunquam alicui ſit locuta, quòd in eo nunquam averſo ab altari dorſo ſteterit, quòd in ejus pavimentum nunquam expuerit.

S Martinus tantâ reverentiâ & devotione verſabatur in templo, ut nunquam viſus ſit ſedere, ſed genuflexus ſemper, aut ſtans facie pavidâ & pallida. Rogatus cauſam dixit: non pavebo, non tremam ſciens me hic ſtare coram Deo? Sulpit. in ejus vita

Quomodo Gothi barbari Romam deprædantes ſacris Eccleſiis, Chriſtianiſque ad eas confugientibus pepercerint, & ſacra vaſa intacta reliquerint, vide Paulum Oroſium, lib. 7. rerum Roman. cap. 9. Auguſtin, lib. 1. de civitat. cap. 1. & 2.

Quid, quod etiam ipſa elementa muta & ratione carentia Eccleſiis reverentiam exhibent?

Elementa muta locis ſacris re-

Digitized by Google

verentiam exhibent. Ex Greg. Sigon l. 1. de regno Italiæ ad an. 589.

Anno Domini 589. Veronæ Athesis amnis ita crevit, ut aqua ad ædem D. Zenonis pervenerit. Quod pro insigni miraculo S. Gregor. ſcripſit: Authari ipſo Rege ſpectante, aqua apertis templi januis ingruens, templum tamen ipſum non iniit, & paulatim creſcens uſque ad feneſtras, quæ proxima templo erant, evaſit. Qui verò in templo remanſerant, cum elabi inde non poſſent, aquam tamen ad januam templi venientes hauriebant: neque ab ejus impetu aliquid noxæ accipiebant. Ea ædes fuit quæ hodie in ripa Atheſis ſita, Oratorium S. Zenonis vocatur. Templo ipſo incolumi, tamen muri urbis vi aquæ multis in partibus prociderunt.

Quibus omnibus attentis & conſideratis, fanatica eſt hæreſis nuper exorta, quæ damnat templa & oratoria publica, cœtuſque fidelium & Eccleſiæ non niſi in privatis cubiculis cogendos & celebrandos docens, nixa malè intellectis Chriſti verbis contra Phariſæos ſuæ devotionis oſtentatores, *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito.* Vide expoſitionem hujus loci apud S. Ambr. l. 1. de Caïn & Abel, c. 9. ſub finem.

Matt. 6.
Infrà lect. 7.

LECTIO SEXTA.

Pro quibus orandum.

I. PRo quibus fudendæ ſunt orationes Chriſtiano homini?

R. Orandum eſt pro omnibus ſinè ulla exceptione vel inimicitiarum, vel religionis, vel gentis, pro omnibus, inquam, hominibus miſericordiâ egentibus. In quo quidem Dei Opt. Max. benignitatem & clementiam debemus imitari, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Huc pertinet illa Apoſtoli cohortatio: *Obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus.* Vide S. Thom. 2. 2. quæſt. 83. artic. 7. & 8.

Matt. 5.
1. Tim. 2.

I. Quæ eſt ratio, cur oportet nos pro omnibus hominibus orare?

R. Quia omnis homo ſive hoſtis ſit ſive alienus, ſive infidelis, proximus eſt, quem quia Deus juſſit amare debemus, ſequitur ut preces quoque, quod amoris officium eſt, pro eo fundere oporteat.

I. Eſtne magnæ perfectionis orare pro inimicis?

Orare pro inimicis.

R. Ita, majoris perfectionis & meriti, quàm orare pro amicis. Vide S. Tho. loco allegato.

I. Habeſne exempla eorum, qui pro ſuis inimicis & perſecutoribus oraverunt.

R. Ita, Chriſtus Dominus non ſolùm verbo id docuit: *Orate pro perſequentibus vos*; ſed & facto monſtravit, quando in Cruce pendens dicebat: *Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt.* Idem ad Magiſtri exemplum præſtiterunt Apoſtolus Jacobus cognominatus Juſtus, & Protomartyr Stephanus.

Matt. 5.
Luc. 23.
Brev. Rom. 1 Maii.
Act. 7.

I. Indifferenter, nulloque ordine pro omnibus illis orandum eſt?

R. Debemus hoc precationis officium primum Paſtoribus animarum tribuere. Vide Apoſtolum Coloſſ. 4. & 1. Theſſal. 5. In illis potiſſimùm ſummo Pontifici, qui ex Dei inſtitutione toti Eccleſiæ præeſt; habemus quo ad hoc exemplum naſcentis Eccleſiæ, de qua S. Lucas ſcribit: *Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro Petro.* Id etiamnum imitatur Eccleſia, quæ in Canone Miſſæ ſemper, & crebrò in collectis orat pro ſummo Pontifice. Ipſe enim quaſi Atlas Eccleſiæ totum ejus pondus humeris ſuis ſuſtinet.

Act. 12.

Secundò, *Pro Regibus, Principibus, omnibuſque qui in ſublimitate ſunt, ut quietem ſub illis, & tranquillam vitam agamus in omni pietate.* Sic Chriſtianos olim in ſanctis myſteriis pro Rege ſive Imperatore etiam infideli (qualis tûc erat Nero, Decius, Diocletianus) orare ſolitos eſſe, teſtes ſunt Juſtinus Apolog. 2. Orig. l. 8. cont. Celſ. Arnob. l. 3. cont Gentes; Euſeb.

1. Tim. 2.

Digitized by Google

lib. 4. hiſtor. cap. 26. Ita S. Cypr. ut habet ejus vita, cùm ei à Præfecto objectum eſſet, quòd ipſe tanquam Chriſtianus in Cæſarem conjuraſſet, liberè reſpondit: *Longiſſimè abſumus nos Chriſtiani ab iſta culpa, qui Cæſari alia ſacra, alios Deos colenti, tamen quia Princeps noſter eſt, benè cupimus, & precamur, & rogamus Deum noſtrum, ut ad cogitationem verorum bonorum educat.*

Tertiò, parentibus carnis, oratio impendenda eſt, ac iis etiam qui noſtræ curæ ſunt commiſſi.

I. Rectène etiam pro defunctis oratur, ut à Purgatoriis pœnis liberentur?

2. Macha. 12. R. Planè, *ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis ſolvantur.* Dominus ipſe pro mortuo Lazaro orans exauditus fuit. De hac materia Aug. l. 18. de civit. c. 36. Enchir. c. 110. l. de cura pro mortuis, & alibi. Vid. quæ nos ſupr p 1. c. 10.

I. Eſtne utile pro multis orare?

S. Ambr. l. 1. de Cain & Abel. c. 9. R. *Si pro te roges tantùm, pro te rogabis. Si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. Si quidem & tu in omnibus es. Ita magna remuneratio eſt, ut orationibus ſingulorum, acquirantur ſingulis totius plebis ſuffragia.*

LECTIO SEPTIMA.

De præparatione ad Orationem.

I. Quam diſpoſitionem ſive præparationem adferre debet is qui intendit orare?

Præparatio remota ad orationem. R. Diſpoſitio ad orationem alia eſt remota, alia propinqua.

Remota non eſt alia, quam bona vita & probitas ejus qui acceſſurus eſt ad orationem. Deus enim priùs & principaliùs reſpicit ad Abel, quàm ad munera ejus.

Pſal. 33. Hinc dicebat Propheta: *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* Et

1. Joan. 3. v. 21. Apoſtolus Joannes: *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Huc accedunt jejunium & eleëmoſyna, cum quibus *bona eſt oratio magis quàm auri theſauros recondere,* teſte Angelo apud Tobiam. Unde obtulerunt Magi Domino cum incenſo, quod orationem ſignificat, aurum quod eleëmoſynam, & myrrham quæ pœnitentiam, mortificationem & jejunium deſignat. Tob. 12. Matt. 2.

Præparatio propinqua. Intra re cubiculum & orare Patrem in abſcondito quid? l. de Cain & Abel c. 9.

Propinqua ad orationem diſpoſitio in eo verſatur, *primo,* ut ab externis rebus animum abducamus, juxtà illud: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito.* Quæ Domini verba in hunc ſenſum noſtrum interpretatur S. Ambroſius, dicens: *Salvator ait: Intra cubiculum non incluſum parietibus, quo tua membra claudantur, ſed cubiculum quod intra te eſt in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo verſantur ſenſus tui. Hoc orationis cubiculum ubique tecum eſt, & ubique ſecretum eſt, cujus arbiter nullus eſt niſi ſolus Deus.* Huc facit dictum S. Franciſci: *Corpus eſt cella, & anima eſt Eremita, quæ moratur in cella ubicumque ſit, etiam inter homines ad orandum Dominum, & meditandum de ipſo.*

Luc. Waddingus in annal. Minorum an. Chriſti 1216. nu. 5. Exemplum.

Secundò, ut conſcii nobis ſimus noſtræ ipſorum miſeriæ, utilitatis, & indigentiæ, cum quibus ſummam Dei Majeſtatem precaturi accedimus. *Publicanus orans in templo, & à longè ſtans nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Luc. 18.

Tertiò, ut oculos interiores animæ noſtræ attollamus ad Deum; aliquando juſtitiam ejus pro metu ſalutari concipiendo, ſubinde verò miſericordiam pro fiducia in oratione paranda.

Quartò, ut cordis munditiam, & benè orandi gratiam petamus, & ad honorem ac beneplacitum Dei, noſtram, proximorumque utilitatem, orationem ſimul cum meri-

meritis JESU Chriſti, & Sanctorum dirigamus.

I Dic igitur, quis optimus orandi modus?

R. Ille quem Salvator noſter tenuit, & nobis demonſtravit in Horto, dum opus redemptionis noſtræ aggrederetur.

I. Quis eſt ille?

R. Chriſtus Dominus orabat ibi:

Exempla bona & perfectæ orationis.

1. *In recollectione*; in horto avulſus à diſcipulis ſuis.

2. *In humilitate*; poſitis genibus procidit in faciem ſuam.

3. *In confidentia*; Pater mi.

4. *In perſeverantia*; oravit tertiò eundem ſermonem dicens.

5. *In reſignatione*; non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, fiat voluntas tua.

LECTIO VIII.

De ritibus in oratione ſervandis.

I. Quis corporis ſitus orantem magis decet?

R. Uſitatior Chriſtianorum ritus in oratione eſt genuflectio, & manuum conjunctio, qui eſt reorum veniam & miſericordiam deprecantium habitus. Conjungunt manus hoc geſtu ſupplicaturi, & quodammodò dicturi: *Domine Deus, qui in Evangelio mandaſti miniſtris tuis hominem non veſtitum veſte nuptiali, ligatis pedibus & manibus, in tenebras exteriores projici, noli permittere ut manus meæ ligentur, & à facie tua projiciar, jam enim ipſe mihi eas ligavi, in flagella paratus, &c.*

Nicolaus I. ad conſult. Bulgar. apud Baron. to. 1. ad an. 858. Matt. 22.

Alii pectus tundunt, ut ſe propter ream voluntatem, & cor pravum, plagis dignos oſtendant. Tunſio ergò pectoris ſignum eſt pœnitentiæ & cordis contriti. Ita *Publicanus* (uti in fine lect. præced. diximus) *tundebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Similiter faciebat *omnis turba eorum qui ſimul in monte Calvariæ* Domino crucifixo *aderant ad ſpectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Tunditur pectus* (ait Aug. ſer. 8. de verbis Domini) *ut arguatur quod latet in pectore, ut evidenti pulſu occultum caſtigetur peccatum.* Luc. 18. Luc. 23.

Alii manus expandunt orantes, vel in modum crucis componunt juxta pectus, ut eo geſtu ſignificent puras ſe manus levare, id eſt, mundos ſe in operibus ſuis & immunes ab omni labe, & quòd per merita Crucifixi ſperent ſe exaudiendos.

I. Eſtne geſtus ille orantium, manuum, ſurſum, elevatio, antiquus & à primis etiam Chriſtianis uſitatus?

R. Maximè. Imò etiam Judæi orabant elevatis manibus. Id patet Exod. 17. *Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël*, in typum quòd Chriſtiani per Salvatoris merita, de Sathana triumphum reportarent. Pſal. 133. *Extollite manus veſtras in ſancta, &c.* Pſal. 140. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Quòd verò mos iſte veterum Chriſtianorum fuerit, ſatis indicat S. Paulus, cùm alludens ad ritum orandi ſui temporis, dicit: *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, &c.* 1. Tim. 2.

I. Non obſervant omnes eundem in orando ritum; neque enim ab omnibus paſſim flectitur, aut æquè omnes in cœlum ſupplices prætendunt manus?

R. Licet ſupradicti ritus ſuam habeant utilitatem, non eſt tamen de illis aliquod præceptum quod obliget. Alii enim iſto modo, alii alio deprecantur Deum. Sufficit, quòd quocumque modo demiſſionem animi proteſtentur: *Oratio enim humiliantis ſe penetrat nubes.* Ita reſpondit Nicolaus Papa ad conſultationes Bulgarorum, teſte Baronio ad annum Chriſti 858. Eccli. 35.

I. Interim negari non poteſt, quin genuflexio antiquiſſima ſit, & uſitatiſſima inter Chriſtianos.

Digitized by Google

R. Ita eſt. Vide Tertul. l. de corona militis c. 3. ubi dicit: *Sedentem adorare, extra diſciplinam eſt.*

I. Habeſne hujuſce rei exempla?

Exempla. R. Habeo. *Factum eſt autem cum compleſſet Salomon orans Dominum orationem & deprecationem hanc* (uti habetur 3. Reg. 8. num 54.) *ſurrexit de conſpectu Altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum.* Simile de eodem Salomone habes 2. Paral. 6. n. 13.

Act. 9. *Ejectis omnibus foras Petrus ponens genuà oravit: & converſus ad corpus, dixit: Tabitha ſurge, &c.*

Apoſtolus Paulus ſimiliter genua flectebat orans, Epheſ. 3. & alibi.

De S. Jacobo Fratre Domini, qui & Juſtus cognominabatur, ita ſcribit S. Hieronymus: *Poſt Aſcenſionem Domini ſtatim ab* Hier. de ſcript. Eccl. c. 2. *Apoſtolis Ieroſolymorum Epiſcopus ordinatus eſt. Hic de utero Matris ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonſus eſt, &c.* Et poſt pauca: *Solus ingrediebatur Templum, & flexis genibus, pro populo deprecabatur, in tantum, ut camelorum duritiem traxiſſe ejus genua crederentur.*

I. Sed quo ritu Chriſtus Dominus, cujus actio noſtra debet eſſe inſtructio, orabat Patrem ſuum in horto?

R. De eo ſcribit S. Evangeliſta Matthæus: Matt. 26. *Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, orans & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et S. Lucas: Luc. 22. *Et cùm perveniſſet ad locum* (Montis Olivarum) *dixit illis: orate ne intretis in tentationem. Et avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat.*

I. Cur tali corporis ſitu orabat?

R. Ut ſummam Patri reverentiam exhiberet. 2. ut ipſe quaſi reus & pœnitens pro nobis ſe ſiſteret Patri, eique totum ſe ad caſtigationem offerret.

I. Quid cauſæ eſt, cur Chriſtiani Dominicis diebus, & toto tempore Paſchali ſtantes orent?

R. Id faciunt ob reſurrectionem Domini; quam iſtis temporibus celebrant; quâ ſurreximus à peccato & morte per gratiam Domini noſtri JESU Chriſti. Vid can. 2. Conc. Nicen. & S. Ambr. ſer. 62. Aug. ep. 119. c. 15. Corpore erecto precamur, ut mens in id quod agit, intenta ſit, & gaudium Dominicæ Reſurrectionis celebrantes, quæ ſurſum ſunt, quæramus, non quæ ſuper terram.

I. Nunquid caput nudari debet cùm oramus.

R. Præcepit Apoſtolus Paulus, ut viri nudato, mulieres orent velato capite. 1. Cor. 11.

I. Sed quis oculorum habitus inter orandum?

R. Quidam demiſſis in terram oculis orant, publicani exemplum ſecuti, qui *à longè ſtans nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Luc. 18. Illi nimirum verecundantur, & ex humilitate & reverentia quaſi ſe indignos æſtimant, qui cœlum, ubi Deus glorioſus, quem ſuis peccatis offenderunt, reſidet, aſpiciant. Alii verò in cœlum ſublevant oculos, auxilium & opem ab eo expectantes, qui habitat in cœlis. Ita orabat Chriſtus Lazarum ſuſcitaturus, uti Evangeliſta Joannes teſtatur: *Ieſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, &c.* Joan. 11. Et rurſum pro ſua & Patris clarificatione ſupplicans poſt prolixam adhortationem, & conſolationem diſcipulorum: *Hæc locutus eſt Ieſus: & ſublevatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, &c.* Joan. 17.

I. Quare convertimus nos ad Orientem in oratione, & Officiis publicis in templo? *Cur oramus ad Orientem converſi in templis*

R. 1. Quia Paradiſus unde in Adamo expulſi ſumus, erat in Oriente; oramus igitur antiquam requirentes patriam, & obſecreamus, ut tandem poſtliminio in cœlum

cœlum per dignos pœnitentiæ fructus reverti poſſimus. 2. Salvator noſter aſcendit in cœlum in Oriente, ut in 1. parte ex Zachar. 14. diximus; prout crucifixus fuerat facie ab Oriente averſâ, & ad Occidentem converſâ, ut gentes in eum reſpicerent in oratione. Vide quæ nos ſup. p. 2. c. 5. l. 4. & Baron. ad an. Chriſti 34. S. Baſil. & Damaſc. ſup. à nobis alleg.

I. Si mihi nocturno tempore inferretur appetitus orandi in ſtrato, debeone differre orationem, ut quæram ubi genua flectam, vel proſternar?

R. Minimè, cùm inveniamus Davidem in lecto jacentem oraſſe. Quæ ergo hactenus tradidimus de ritibus orantium, ſic accipe, ut illos exerceri conveniat ab iis qui temporibus, & loco orationi congruis & appoſitis precantur. Nam ſi aliquis morbo, vel quocumque alio impedimento teneretur aut ligaretur, ut ejuſmodi ſitus, geſtus, vel ritus exprimere ſuis membris nequiret, non ideò non orat interior homo, ſed ante oculos Dei, etiam in ſecretiſſimo cubili, ubi compungitur, ſternitur. *Aug. de cura pro mort. c. 5.*

Ad quid ritus iſti & cæremoniæ in orando.

I. Quid omnibus hiſce cæremoniis opus: quandoquidem inviſibilis noſtra voluntas & cordis intentio Deo nota ſit, nec ille his indigeat?

R. His magis ſeipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humiliùs atque ferventiùs. *Aug. ſup.*

LECTIO IX.

De attentione in oratione, & evagationibus mentis in ea occurrentibus.

I. SUfficitne ſupradictos ritus in oratione ſervare?

R. Minimè. Imò nullam habent iſta exteriora utilitatem, niſi adſit ſimul interior mentis compoſitio.

Nota ergo, quòd quemadmodùm homo corpore & animo conſtat: ita homo Chriſtianus habet intus fidem, cujus profeſſionem facit extrinſecùs; & ſicut corpus abſque anima, & fides exteriùs oſtentata nihil eſt abſque interiori; ita planè compoſitio quævis exterior abſque interiori affectu inutilis eſt, & ſine fructu, quandoquidem interior hic affectus eſt velut anima, cætera ſicut corpus. Igitur hoc modo convenit nos Dominum Deum & Creatorem noſtrum adorare, à quo & corpus & animam accepimus.

I. Peccantne illi, qui abſque ulla animi collectione orationi ſeſe ingerunt?

R. Planè, & de illis conqueritur Deus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Quod in Scribas & Pharisæos Chriſtus Dominus intorquet, Matth. 15. *Iſa. 29.*

Quænam ſegnitia eſt (inquit Cyprian. de Orat. Dom.) *alienari & capi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris? quaſi ſit aliud quod magis oporteat cogitare, quàm quod cum Deo loquaris. Quomodò audiri te à Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui, quando rogas, cùm te ipſe memor tui non ſis.* *Cyprianus.*

I. Quo igitur modo ſtabilietur cor noſtrum, & præparabitur, ut cum attentione & fructu vacemus orationi?

R. Primò, oportet nos cor abſtrahere, quantùm fieri poteſt, ab omnibus curis, ſcrupulis, perturbationibus, & phantaſiis inutilibus, & illud colligere ad vacandum Domino Deo; cætera omnia divinæ providentiæ committendo, nec alia in re mentem occupando. Hoc eſt quòd Dominus jubet *intrare in cubiculum ſuum, & clauſo oſtio orare Patrem in abſcondito*, ex ſententia S. Auguſtini, *hoc eſt, carnali ſenſui reſiſtendum eſt, ne per eum in cogitationes noſtras penetrent hæc viſibilia, & turba vanorum phantaſmatum orantibus obſtrepat, vel deſiderium ſanctum extinguat.* *Matt. 6.* *Aug. l. 2. de ſerm. Domini in monte c. 6.*

Secundò, debemus apertis fidei oculis con-

conſiderare ad quem,& qua de cauſa in oratione accedimus.

Tertiò, cordis munditiam, & benè orandi gratiam petere, uti nos monuimus lect.7.hujus cap.

I. Quid ſi præmiſsâ ejuſmodi præparatione inveniat in orationis decurſu, multis phantaſiis, & divagationibus mentis præpeditus, quid tunc agendum cenſes?

R. Coram Deo erubeſcere debemus pe hac noſtra imbecillitate, & evagationibus toties animosè reſiſtere, quoties illæ ingruent tonſo pectore vel alio quopiam ſigno edito diſplicentiæ earum, & reſipiſcentiæ, exemplo magni Patriarchæ Abraham, qui *deſcendentes* Gen. 15. *volucres ſuper cadavera* (ſacrificii ſui) *abigebat*.

I. Contingit frequenter, quòd preces noſtras multa cum evagatione percurrerimus, & ad finem uſque compleverimus abſque ulla reflexione, oportetne illas iterare, præſertim ſi obligemur ad eas?

R. Nullo modo, ſi præparaveris te ante orationem, uti præmiſſum eſt, ſed ſufficiet, quod te pœniteat inſtabilitatis cordis tui, & quòd ejus veniam peras à Deo per recitationem Pſal. *Laudate Dominum omnes gentes*, vel alterius cujuſpiam orationis.

Peſſimæ evagationes mentis quæ ſint? I. Quænam ergo ſunt peſſimæ evagationes, ſive diſtractiones mentis, de quibus oportet nos in confeſſione accuſare?

R. Sunt illæ quas ſponte noſtrâ acceſſimus, aut advenientes ſcienter & advertenter admittimus, in iiſque hæremus; aut certè negligentiâ noſtrâ in eas incidimus, quòd nullam præmiſerimus orationi noſtræ præparationem. Hæ omnes divagationum ſpecies culpabiles ſunt propter voluntariam atque deliberatam irreverentiam. De his omnibus accuſare nos oportet in confeſſione, præſertim ſi illas admiſerimus in orationem ex obligatione debitam, & per notabile aliquod ſpatium, v.g. tempore Miſſæ die Dominicâ, vel Feſto de præcepto pro magna ejus parte. Imò qui hoc genere evagationis ſacris diebus Miſſæ officium audit, vel preces horarias, ad quas obligatur, recitat, nullo pacto ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

R. Dic: *Confiteor, Pater, quòd in precibus meis, in officio canonico recitando, in Miſſa audienda varias paſſus ſum diſtractiones, contra voluntatem quidem, ſed quoniam non adhibui diligentiam in me præparando ad orationem, & non repuli eas pro virili, ideò de illis me accuſo.*

Vel hoc modo: *Miſcui externos ſermones orationi meæ, vel etiam opus aliquod incompatibile praſtiti, quo factum eſt, ut notabilem ejus partem debitâ attentione fundaverim.*

Vel etiam ſic: *Præparaveram me quidem ad orationem, ſed in ejus decurſu variè divagatus ſum mente, & ubi adverti, non adhibui ſeriam operam, vel negligenter me habui in me colligendo, &c.* prout ipſa conſcientia dictat.

I. Quânam ratione poſſum collectum habere animum, quando orationes quas lego, vel officium quod recito, non intelligo?

R. Quod ſemper poſſis habere animum orandi, & dare operam, ut quæ oras perfectè pronunties; Dominus Deus illa facilè intelliget, & exaudiet, ſi non deſit tibi recta intentio. Non intelligit ſerpens incantantis carmina, & tamen incantatur: ad eum modum diabolus vincitur, & quodammodo incantatur per idiotarum orationes. Ita reſpondit in vitis Patrum Abbas Paſtor. *Simile.*

Exempla. *Etſi beata Lutgardis latinè non intelligeret, cùm decantaretur, Deus in adjutorium, vel aliqui alii verſus ſacri, videbat interim fugientem cacodæmonem, & ſentiebat energiam ſacrarum precum in profligandis dæmonibus, quantumvis neſciant earum vim aut ſignificationem qui pronunciant*, Tho. Cantip. in vita ejus.

S. Jor-

S. Jordanes rogatus an Deo placerent Monialium preces, reſpondit appoſitè: *Sicut gemma in manu ruſtici, qui non novit pretium ejus, tantum valet, quantum in manu artificis & gemmarii qui pretium novit: ſic & preces tantum valent in ore indocti, qui eas non intelligit, quantum in ore docti qui intelligit.* Perindè ac libellus ſupplex qui à ruſtico & idiotâ Regi porrigitur, tantùm impetrat à Rege, quantum impetraret alius, qui à viro docto & litterato porrigeretur.

I. Fateri tamen oportet, quòd non ſemper æquè abundemus devotione unâ vice ſicut aliâ, & quòd interdum plus diſtractionis patiamur; quid tunc agendum eſt? Numquid à ſolitis exercitiis ceſſandum, donec & quouſque recurrat devotio?

R. Minimè: Imò devotio quærenda eſt indefeſſo orationis ſtudio, in quo etſi fortè guſtum non percipies, at certè devotionis ſinceræ fructu non carebis. Quoad guſtum illum, quem devotionem vulgò appellant, Dominus Deus, quando ei viſum fuerit, tibi largietur, ſed verò neceſſarius non eſt, & hoc ſpecioſo devotionis nomine minimè eſt appellandus.

Ariditas & diſtractiones involuntaria devotioni & orationi non officiunt.

I. Videor nihil proficere, quando aridus ſum in oratione.

R. Falleris omninò; nam uti diſtractiones involuntariæ nihil officiunt devotioni, ita nec cordis ariditas, dum promptа eſt ad Dei obſequium voluntas.

I. Habeſne exemplum ad hanc rem appoſitum?

Exemplũ.

R. Habeo. *Virgo Gertrudis divinum officium cum cæteris Monaſterii ſui virginibus aliquando peragens, ſingula verba attentè pronuntiare ſtudebat: ſed cùm ex infirmitate humana ſæpius mente diſtraheretur, mœſta dixit intra ſe: Et quis fructus provenire poterit ex hoc ſtudio, cui tanta inſtabilitas conjuncta eſt? Dominus igitur volens eam conſolari, præſentavit ei digniſſimum illud totius boni, totiuſque beatitudinis gazophilacium, nempè cor ſuum: & dixit: Ecce cor meum dulciſſimum oculis mentis tuæ prætendo, cui omnia quæ per te minus perficere potes, fiducialiter pro te perficienda commendabis: ita enim omnia coram oculis meis apparebunt valde perfecta. Certè ipſum cor meum divinum humanam fragilitatem, inſtabilitatemque cognoſcens ſemper cum deſiderio exſpectat; ut tu, ſi non verbis, ſaltem cogitatione committas ei pro te ſupplendum, emendandum, ac perficiendum, quicquid minus per te perficere vales.*

Bloſ. monil. ſpirit. c. 3. §. 11.

Igitur quilibet poſt horas expletas poteſt hoc aut ſimili modo orare: Bone JESU, propitius eſto mihi peccatori; ego tepidum & diſtractum ſervitium meum commendo melliſluo cordi tuo emendandum, ac perficiendum, tibique ipſum offero ad ſalutem omnium, in unione illius perfectiſſimæ attentionis, quâ tu Patrem oraſti, & laudaſti in terris. Reſponde, quæſo, ſatisfac, & ſupple pro me pleniſſimè. Amen.

Oratio devota poſt divinum officium.

I. Ergone poteſt quis etiam in mediis ariditatibus, & divagationibus devotus eſſe?

R. Omninò. Nam ſi diligentiam adhibuiſti circa præparationem, & quantum in te eſt, deſiderares cordis teneritudinem habere in Dei ſervitio, nec partibus tuis dees in propulſandis divagationibus, procul dubio devotus es: *Non enim eſt aliud propriè dicta devotio, quàm promptitudo quædam, & propenſitas voluntatis humanæ in iis quæ ſunt pro Dei ſervitio.* Quæ quidem quantò plus ariditatis, diſtractionis, & contrarii impedimenti experitur; tanto erit ſincerior, & perfectior, ſi conſtans fuerit & perſeverans in bonis ſuis operibus & ſanctis exercitiis. Vide quæ in parte 3. cap. 1. Lect. 2. dicturi ſumus de charitate, quæ proxima eſt devotionis cauſa.

Verà devotio quid?

I. Habeſne etiam hîc exemplum?

R. Habeo non abſimile præcedenti: *Dominus ad ipſam Gertrudem virginem*

Exemplũ.

oſt-

Digitized by Google

aliquando dixit: Vellem electus meus perſuaſum eſſe, quod eorum bona opera & exercitia mihi omninò placeant, quando ipſi ſerviunt expenſis ſuis: illi autem expenſis ſuis mihi ſervitium præſtant, qui licet ſaporem devotionis minimè ſentiant, fideliter tamen ut poſſunt, orationes & alia pia exercitia ſua peragunt confidentes de pietate mea, quòd ego illa libentior & gratè ſuſcipiam. Plerique ſunt quibus ſi ſapor & conſolatio interna concederetur, non eis prodeſſet ad ſalutem, & meritum ipſorum valde minueretur. Bloſius monil. ſpirit. cap. 3. 6. 3

I. Undè omnes hæ divagationes, ariditates, & ærumnæ accidunt homini volenti orare Deum?

Divagationes & ariditas mentis in oratione undè proveniunt.

R. Ex infirmitate & corruptione hominis, qui per Adæ peccatum, ſecundùm corpus & animam in deterius totus commutatus fuit, factus ex divino ſecundùm ſpiritum terreſtris, & poſt concupiſcentias carnis ſuæ captivus abductus, juſto Dei judicio, ut qui auctorem & conditorem ſuum contempſerat, deinceps in profundo corruptionis luto abſorptus teneretur, unde vix magno labore aliquando emergeret. Hinc in imaginativa tanta levitas & inconſtantia, ut per orbem continuò laxatis habenis excurrat, & divagetur, nullo piarum cogitationum occurſu retenta. In intellectu ariditas tanta, ut nihil boni concipere, nulla ex recta ratione ſanum diſcurſum formare, niſi ægrè admodum poſſit; quo fit ut voluntas ipſa, & appetitus ſuperior modicâ veritatis luce ei collucente, ſegniter moveat ſe ad ſanctum aliquod deſiderium eliciendum, vel bonum opus operandum.

I. Numquid etiam ſæpè dæmon ingerit orantibus diſtractiones?

Exempli.

R. Ita eſt, cujus fidem facit exemplum ſequens: *Cùm ſancta Brigitta orans tentationibus fatigaretur, dixit ei Deipara Virgo Maria: Diabolus explorator invidus quærit impedire bonos dum orant. Tu verò filia quâcumque tentatione pulſeris inter orandum, perſiſte in deſiderio, vel bona voluntate, & conatu ſancto, ſicut commodè potes: quia deſiderium & conatus tuus pius reputabitur pro effectu orationis. Etiamſi pravas ac ſordidas cogitationes, quæ cordi tuo incidunt, ejicere non potueris, tamen pro illo conatu coronam in Cœlo recipies: ita tibi proderit illa moleſtia: modò non conſentias tentationi, & tibi diſpliceat quod indecens eſt.*

I. Numquid dæmoni confuſionem aliquando fecerunt Sancti, orantes interturbare conati?

Exempla

R. Ita. *Beatus Dominicus Fratrum Prædicatorum anteſignanus, tam erat orationi intentus, ut propter tumultum & ſtrepitum qualemcumque nihil ab attentione revocaretur. Nocte quâdam ante aram in oratione proſtratum malus dæmon interturbare volens, grandem lapidem à tecto Eccleſiæ dejecit, idque eo impetu, ut tota Eccleſia ejus caſu circumſonaret. Uſque adeò autem ejus capiti fuit propinquus lapis, ut ruens capitium ejus contingeret. Sed viro Dei nihil ſe movente, hoſtis terribili voce ejulans, cum multa ignominia abſceſſit.* Theod. de apod. l. 3. vitæ ejus cap 12.

Sancti Lupicinus & Romanus fratres intra Lorenſis deſerti eremum vitam degebant auſteriorem, herbarum ſolis victitantes radicibus. Id dæmonibus miris modis erat exoſum: lapidibus enim urgere ſervos Dei per ſingulos dies perſeverabant: quin quotieſcumque pro more ſuo genua ad orandum Deum deflexiſſent, ſtatim imber lapidum projicientibus dæmonibus in eos decidebat, adeò ut ſæpè vulnerati immenſis dolorum cruciatibus torquerentur: at ii perſeverantiâ orationum hoſtilem impetum devicerunt; ejectis inde dæmonibus, reliquum vitæ ſanctè peregerunt. Gregor. Turon. de vit. eorum apud Lipom. to. 8.

I. Cavebantne Sancti ne tractantes exteriora inter orandum mente diſtraherentur?

R. Se-

Exemplum. R. Sedulò id cavebant. *Orantem in cubiculo Ignatium oſtio clauſo, importunè janitor interpellavit aliquando, cui ſemel atque iterum pulſanti nihil reſpondit Ignatius; cùm moleſtus eſſe pergeret, & perſeveranter obtunderet, aperuit oſtium. Et quid, inquit, tibi vis? Cui janitor: en, inquit, Pater litteras, quas qui reddidit, tua ex patria allatas dicit, ſimulque litteras in manus Ignatio tradit: qui recluſo oſtio, litteras in lucentem caminum (erat enim hiems) cremandas conjecit, & continuò ad intermiſſam orationem rediit.* Petr. Ribaden. l. 5 de vita ejus c. 1.

I. Quinam potiſſimùm infeſtantur à dæmone in oratione?

R. Homines juſti, & inculpatæ vitæ.

I. Cur tales orantes plus cæteris vexat dæmon?

R. *B. Ægidius unus è Franciſci Seraphici primis ſociis, cui oranti infenſiſſimus erat dæmon, rogatus cur dæmones plus adverſarentur homini oranti, quàm aliud pium opus exercenti, reſpondit: Si quis litem alicui intendat coram Iudice, is cui lis infertur, omni ſtudio laborat, ne contra ipſum ſententia feratur; ita & dæmon facit. nam quando pius homo Deum orat pro ſua aliorumque ſalute, litem intendit dæmoni tanquam animarum latroni.* Sur. in ejus vita, c. de oration. 23. Apr.

Remedia contra diſtractiones in oratione. I. Aſſigna mihi ſi placet remedia contra diſtractiones in oratione?

R. Quamvis homini in rebus hujus ſæculi occupato omnes protsùs mentis evagationes devitare difficile ſit: poſſunt tamen remedia quædam poni, quibus moleſtia hæc nonnihil diminuatur.

Primum eſt, ut cor atque animum ſuum rebus nullis hujus mundi apponat, ſed iis utatur ut peregrinus rebus diverſorii, in quo unâ nocte verſatur. juxta B.
1. Cor. 7. Paulum: *Reliquum eſt, ut qui habent uxores, tanquam non habentes ſint; & qui emunt tanquam non poſſidentes; & qui utuntur hoc modo, tanquam non utantur.*

Secundum, nunquam permittere, ut interdiu animus nimiùm diſſipetur, etiam in occupationibus externis quibuſcumque; ſed potiùs ſic agamus omnia noſtra tanquam in divino conſpectu, ob oculos habendo Deum, qui non abeſt procul ab unoquoque noſtrum. Ita David in adminiſtratione regni ampliſſimi
occupatus de ſe dicebat: *Oculi mei ſemper* *Pſ. 24.*
ad Dominum. Ad hoc juvabit habere in promptu breves oratiunculas, quas ſubindè interdiu etiam in maximis occupa-
tionibus, ad Deum ejaculemur; & inter- *Sup. lect. 1.*
diu frequentiùs animum ad ſe revocare, ab eoque factorum rationem exigere, maximè poſt graves & diuturnas occupationes, confabulationes, aliaque negotia, quæ diſtrahere animum vehementer ſolent.

Tertium, ut oraturus diligenter ſe ad orationem præparet, cogitetque ſeriò id agere, atque ex animo, non autem ex conſuetudine, aut tanquam rem non magnopere curandam.

Quartum, ut ante orationem petat ex corde à Deo gratiam attentionis, rogetq; Angelum cuſtodem, ut dæmonis tentationes & diſtractiones impediat. Poſt orationem verò, negligentiarum veniam petat, & roget Deum, ut orationem, licet frigidam, & multis vanitatibus permixtam, deterſis maculis, in thronum ſuum admittat, eique effectum largiatur ſalutarem. Hinc enim frequenter vagamur, quia diſtractiones aut non conamur avertere, aut nihili facimus; ſicque crebrâ evagatione habitus vitioſus inducitur, qui poſteà vix magno labore depelli poteſt.

Quintum, conſuetudinem aſſumere certis locis orationis animum colligendi, veluti poſt quamlibet decadem Roſarii, & poſt finem Pſalmi. Cujus rei ut recorderis, juvabit ad verſum *Gloria Patri;* &c. ad finem orationis: *Per Dominum noſtrum,* &c. ſimileſque preca-

tiunculas, reverentiam corporis, aut capitis inclinatione, vel manuum conjunctione, aut alio externo geſtu exhibere, taliqque motione revocandi animi meminiſſe.

I. Illi qui negotiis hujus ſæculi implicantur, ſive in rebus ſtatûs, ſive in negotiatione, aut etiam rerum domeſticarum curatione queri ſolent non poſſe ſe collectum habere in oratione animum, nihilne habes pro eorum conſolatione?

Exemplum. R. Habeo. *Cùm aliquando apud me cogitarem, quantâ animi puritate vita ducitur à negotiis remota, & quàm malè mihi cederet, dum tantâ negotiorum mole circumvallarer* (ait B. Tereſia à JESU in Monaſteriorum novis fundationibus occupata) *intellexi vocem mihi dicentem; non poteſt aliter fieri, filia; tu tantùm da operam ut in omnibus rectam habeas intentionem, & oculos ad me ſæpè ſæpius converte, ut quæcumque agura es, conformia ſint iis quæ ego feci.* lib. 2. vitæ ejus c. 18.

Rurſum aliàs dubitanti num fortè melius non foret. Deoque acceptius continuæ orationi, omiſſis externis occupationibus intendere, vox facta eſt dicens: noli putare quòd utilitas in hac vita in eo ſita ſit, ut continuò me frui contendas, ſed ut facias voluntatem meam. ibid. c. ult. in fine.

LECTIO X.

De neceſſitate Orationis; ejuſque elegia.

De convo. util. & neceſſit orat. S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 20. & a. 3 ad 2 & a. 15. & 16. I. EStne uſus orandi ad ſalutem neceſſarius?

R. Poſſet quidem Deus non petentibus imò ne cogitantibus abundè omnia largiri, ſicut animantibus rationis expertibus cuncta ad vitæ uſum neceſſaria ſuppeditat; ſed utilitatis noſtræ causâ voluit nos orare, ut exerceremus fidem, roboraremus ſpem, inflammaremus denique charitatem. Et verò ita habet divinæ providentiæ ratio, ut multa bona, & ad ſalutem non tantùm conducibilia, ſed etiam neceſſaria nobis non obveniant, niſi fusâ per nos oratione. In iis ſunt donum perſeverantiæ, robur ad ſuperandas tentationes: *orate ut non intretis in tentationem*: & alia his ſimilia. Vide ſanctum Auguſtin. lib. 2. de bono perſever. cap. 16. Quibus ſuppoſitis oratio non ſolùm eſt utilis, verùm etiam neceſſaria, juxta verbum Domini: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Ubi nota hanc vocem (oportet) quæ neceſſitatem importat. *Luc. 18.*

I. Qua ratione dicis multa eſſe, quæ ſine oratione Deus tribuere non vult?

R. Ex Chriſti verbo. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi in oratione & jejunio.* Et Pſalm. 105. *Et dixit* (Deus) *ut diſperderet eos* (Iſraëlitas) *ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet, &c.* Et Jac. 4. *Non habetis, propterea quod non poſtulatis.* *Matt. 17.*

I. Quis neceſſitatis iſtius documentum exemplo ſuo præbuit?

R. Ipſe Dei Filius, qui oratione non ſolùm utebatur aſſiduè, ſed in ea etiam *pernoctabat*; & eodem loco Apoſtolos ſuos cohortatus dicebat: *Vigilate omni tempore orantes.* Quem orationis uſum ipſi ſecuti, non deſtiterunt, iis, qui ſe ad JESU Chriſti fidem contuliſſent, tradere, & ſcriptis ſuis vehementer commendare. *Sine intermiſſione orate*, inquit Apoſtolus Paulus; & Jacobus: *Si quis veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet in fide.* Aſſiduitatem ejus in oratione vide in Breviat. Roman. ad 1. diem Maii. *Luc. 21.* *1. Theſ. 5.* *Jacob. 1.*

I. Habeſne exemplum aliquod inſigne, quo declares à perſeverantiæ bono aliquos excidere defectu orationis?

R. Habeo. *Vidi hominem* (inquit Thom. Cantip.) *ſine comparatione fere ſui temporis humilem, fervidum charitate, egenis beneficium, ſobrium ſupra modum, erga afflictos pium, in corporis caſtigatione præcipuè aſſiduum, ab omnibus contagio-* *Exemplum. L. 2. apum c. 32. p. 3.*

nem

num ſpurcitiis alienum. Hæc in gratuitis. In naturalibus verò erat ita bene & decenter ornatus, ut nihil in eo imperfectum reliquiſſe omnipotens bonitas putaretur. Pro cœlibatu ergo & ſanctimonia ab omnibus honoratus, quaſi ſanctus jam in terra inter homines habebatur; ita ut de eo maximum quendam virum dicentem audirem: quandocumque me iſtum videre contingit, non hominem me videre puto, ſed Angelum. Hunc poſteà gradatim à rigore juſtitiæ vidimus recedentem, & in tantam erga Deum ingratitudinem incurriſſe, ut Miſſarum ſolemnia audire contemneret, & nullum in eo virtutis veſtigium remaneret: ſed omni labe pollutus, nullam prorſus luxuriam, nullum facinus abhorreret. Et hoc quia alas virtutis gratuitæ vel naturalis, orationibus inſiſtendo, & lacrymis non protexit, ſed viribus ſuis & ſanctitati confiſus eſt.

Tantumdem accidit Apoſtolorum Principi, qui Magiſtri ſui monita oblitus: *Orate ut non intretis in tentationem*, in extremum caſum abnegationis Filii Dei prolapſus eſt.

I. Hæc me vehementer terrent, ſed quo pacto id fit? declara hoc aliquo ſimili?

Simile. R. *Quemadmodum civitas, quæ muris cincta non eſt, facilè venit in poteſtatem hoſtium, propterea quòd deſit id quo fuerat hoſtium incurſus arcendus, ſic & animam non munitam precibus, diabolus facilè in ſuam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere vitiorum implet* Chryſ. l. 2. de orando Deo.

I. Ad quos potiſſimum ſpectat orandi officium?

Eccleſiaſticorum præſertim hominum eſt orare. R. Ad Eccleſiaſticos viros, qui mediatores ſunt inter Deum & homines, ſtipendiis publicis in id donati, puta beneficiis, & aliis piis fundationibus. Adeò quòd omnis Sacerdotum occupatio in continua oratione & ſtudio verſari debeat. In oratione, ut ſint in iis quæ ſunt populi ad Deum quaſi referendarii, in ſtudio, ut quæ ſit Dei voluntas bona, & beneplacens ipſi hominibus exponant. Quamobrem ab Iſidoro ſapienter dictum eſt: *Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare, frequenter & legere: nam cùm oramus, cum Deo ipſo loquimur, cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur. Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit.* *Iſid. l. 3. ſent. c. 8.*

I. Hoc bene, ſed qui ſunt in aliqua Prælatura, vel alia quapiam Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, tam multiplicibus præpediuntur negotiis, ut ipſis parum admodum temporis ad orationem reliquum ſit.

Epiſcopi & Paſtores abſque oratione & rerum cœleſtium contemplatione parum efficient. R. Sanè nullus eſt qui tantis prematur exteriorum negotiorum impedimentis, quin aliquid temporis inveniat ad corpus per cibi potuſque ſumptionem refocillandum; utri verò obſtringimur magis, corpori ne mortali & perituro, an animæ immortali, & ſempiternùm victuræ? Sic igitur ſtatue animæ refectionem eſſe orationem, ejuſque quietem in contemplatione ſitam, quibus Prælati, aliiq; Eccleſiaſtici viri roborantur ad negotia cum utilitate gerenda, & ad proximorum ſalutem dirigenda.

Ipſi Sancti Patres aſſerunt non poſſe Epiſcopos & Eccleſiarum Rectores ritè officio ſuo fungi abſque oratione, & rerum cœleſtium meditatione.

Sanctus Auguſtinus l. 19. de civit. cap. 19. ſic ſcribit: *Otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis; ſed nec ſic omni modo deſerenda eſt veritatis delectatio, ne ſubtrahatur iſta ſuavitas, & opprimat juſta neceſſitas.* Qualiter verò id ipſe facto præſtiterit; vide Confeſſ. lib. 10. cap. 40.

Sanctus Gregor. l. 2. cap. 2. de cura paſtorali: *Sit rector ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus: ut & per pietatis viſcera in ſe infirmitatem cæterorum transferat, & per ſpeculationis altitudinem, ſemetipſum quoque inviſibilia appetendo tranſcendat.* Ibidem ſubjungit exempla Moyſis, qui

coram tabernaculo ſæpè ad Deum accedebat, & pro neceſſitatibus populi ab

Luc.22. eo recedebat; & Salvatoris noſtri, qui dies totos prædicationi impendebat, & noctes in oratione inſomnes ducebat.

S. Bernardus ſcripſit ad Eugenium Papam de conſid. libros quinque, non ſolùm ut ad id quod dicimus Pontificem exhortaretur; verùm etiam ut materiam eidem ſuggereret, in qua poſt negotia Curiæ occuparetur.

I. Suntne Scriptura & Patres etiam magnificè locuti de oratione, ejuſque fructibus, utilitate & neceſſitate?

R. Quàm maximè: Nam Raphaël An-

Tob.12. gelus dixit Tobiæ: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Et in Actis Apoſtolorum refertur Cornelium

Act.10. orantem ſemper, *manifeſtè vidiſſe Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi: orationes tuæ & eleëmoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.*

Quod ad veteres Patres attinet, vetuſtiſſimi duo Tertullianus & Cyprianus libellum integrum de Oratione Dominica ediderunt. Quorum ille poſitâ quæſtione, cur S. Joannes Baptiſta docuerit ſuos orare, nullam tamen formulam o-

Commendatio Orationis Dominicæ. randi reliquerit, reſpondet: *Ideò nec extat in qua verba docuerit Ioannes adorare, quod terrena cœleſtibus ceſſerit. qui de terra eſt, inquit, terrena fatur, & qui de cœlis adeſt, quæ vidit, ea loquitur. Et quid non cœleſte, quod Domini Chriſti eſt? ut hæc quoque orandi diſciplina.* Et paulò poſt: *Neque enim propria tantùm orationis officia complexa eſt, venerationem Dei, aut hominis petitionem, ſed omnem penè ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, ut reverà in oratione breviarium totius Evangelii comprehendatur.*

Cyprianus verò ita de ea loquitur: *Qualia ſunt, Fratres chariſſimi, Orationis Dominicæ Sacramenta? quàm multa, quàm magna? breviter in ſermone collecta, ſed virtute ſpiritualiter copioſa, ut nihil omninò prætermiſſum ſit, quod non in precibus & orationibus noſtris cœleſtis doctrinæ compendio comprehendatur.*

Gregorius Nyſſenus l. de Orat. *Oratio corporum robur eſt, abundantia domûs, recta legum ac juris in civitate conſtitutio, regni vires, belli trophæum, pacis ſecuritas, diſſidentium conciliatio, conjunctorum conſervatio. Oratio virginitatis ſigillum eſt, matrimonii fides, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium ſalus, ejuſdem cum Angelis honoris conditio, &c.* *Orationis elogia.*

Sanctus Chryſoſtomus l. 1. de orando Deum: *Quis non obſtupeſcat & admiretur tantam benevolentiam erga nos Dei, ut mortalibus tantum honoris largiatur, ut dignos nos habuerit, qui cum ipſo colloquamur, noſtraque vota apud ipſum diſponamus? nam verè profectò cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi: per quam ſimul & Angelis copulamur, & ſocietatem quam cum brutis animãtibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus eſt deprecatio, &c.*

Sanctus Ephrem ſer. de Virginit. *Deſidera orationem, familiare cum Deo colloquium. Omnis enim oratio ſancta & pura cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfectè Deum deſiderantium, magna cum lætitia, fiduciaque multa ipſum etiam cœlum penetrat. In ipſa Angeli atque Archangeli exultant, & coram throno ſancti & excelſi univerſorum Domini illam ſtatuunt.*

Et alibi: *Oratio eſt temperantiæ cuſtodia, iracundiæ frænum, animi elati repreſſio, odii medicina, regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis, virginitatis ſigillum, fides nuptiarum, viatorum præſidium, dormientium cuſtos, agricolarum fertilitas, navigantium ſalus, reorum Patrona, mœrenti-* *Tract. de Orat.*

um

um conſolatio; lætantium jucunditas, lugentium ſolamen, morientium ſepultura. Deinde hæc ipſa exemplis confirmans ſubdit: *Oratio Ionæ Prophetæ piſcem grandem pro domo conceſſit, & Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit, ipſiſque tribus pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris convertit.* Indeque concludit: *Nulla eſt alia in tota vita humana pretioſior oratione poſſeſſio.*

Sanctus Bonaventura: *Inæſtimabilis eſt orationis vis & efficacia ad quælibet bona impetranda, & mala depecanda. Vis adverſa patienter tolerare? ſis orationis vir. Vis tentationes vincere, & omni tribulatione ſeu afflictione ſuperior eſſe? ſis vir orationis. Vis contemnere, & ſub pedibus premere quoſcumque inordinatos affectus? ſis vir orationis. Vis diaboli technas & dolos detegere, ejuſque laqueos evadere? ſis vir orationis. Vis Deo fideliter ſervire uſque in finem, & ſtrenuè laborare? ſis vir orationis. Vis denique extirpare vitia, & virtutes in anima tua inſerere? ſis vir orationis.*

Audi Climacum gradu 28. initio: *Oratio ſi ipſius naturam & conditionem ſpectes, eſt familiaris converſatio, & conjunctio hominis cum Deo; ſi autem vim ſeu efficaciam, mundi conſervatio, Dei reconciliatio, Mater lacrymarum, & iterum filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, propugnaculum adverſus impetum afflictionum, bellorum oppreſſio & extinctio, officium Angelorum, omnium ſpirituum alimentum, futura lætitia, actio ſempiterna, virtutum ſcaturigo, gratiarum divinarum conciliatrix.* Longè etiam plura ac ampliùs majora ſubjicit: *Profectus ſpiritualis, nutrimentum animæ, mentis illuſtratio, ſecuritas deſperatis, ſpei demonſtratio, triſtitiæ ſolutio, divitiæ Monachorum, theſaurus ſolitariorum, iræ diminutio, &c.*

LECTIO XI.

De utilitate Orationis.

I. QUos fructus parit illa orandi neceſſitas?

R. Habet hæc neceſſitas jucundiſſimam utilitatem, quæ fructus ex ſe edit ubertimos. Nos ex magna copia aliquot ſelegimus, quos hîc annotare duximus.

Primus autem fructus, quem indè capimus, eſt is, quòd orantes Deo honorem habemus, ſiquidem eſt quoddam religionis argumentum oratio, quæ in divinis litteris thymiamati comparatur. *Primus orationis fructus.*
Dirigatur (inquit Propheta) *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Quare nos hâc ratione Deo ſubjectos eſſe profitemur, quem bonorum omnium auctorem agnoſcimus, & prædicamus: quòd unum incolumitatis ſalutiſque præſidium atque perfugium habemus. Cujus fructus illis etiam verbis admonemur; *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Nam oratio indigentiæ argumentum eſt, & aſſidua commonitio ejus à quo beneficia ſunt accipienda. Vide Auguſt. de bono perſev. c. 7. & epiſt. 105. Pſal. 140. Pſ. 49.

I. Quæ eſt altera utilitas, quam orando conſequimur?

R. Oratione cùm nobis, tùm aliis omnia impetramus: eſt enim ex S. Auguſtini ſententia, *Cœli claves oratio*, quæ donorum cœleſtium amplitudinem deſcendere facit. Hæc enim aquas diviſit, mortuos ſuſcitavit, vim ignis fornacis compeſcuit, leonum feritatem domuit, remiſſionem peccatorum impetravit Manaſſi, Davidi, Magdalenæ, Publicano, & aliis; victoriam contra diaboli tentationes, incolumitatem, quietam & tranquillam vitam, fructus, ſerenitatem, ſanitatem, proſperitatem, morborum depulſiones, verbo, omnia oratione aſſequimur. Omninò ineſt in pre- Jac. 5. *Serm. 126. de temp.* 2. *Fructus.*

cation ſingularis gaudii cumulus : quamobrem ſic loquebatur Dominus;
Jo. 16. *Petite, & accipietis ut gaudium veſtrum ſit plenum.*

I. Habeſne in promptu aliquod exemplum appoſitum?

Exemplũ. R. Habeo. *Cùm famulus Dei Bernardus vice quâdam plures nobiles & ſapientes de ſæculi vana converſatione poſt ſe traxiſſet, erat inter eos primus quidam*
Ex vita Ber. l. 4. c. 3. *& præcipuus, Gaufridus nomine, qui poſt in Claravalle Prioris officio functus, beatè defunctus eſt in eòdem. Hic igitur cùm Dei famulum ad Monaſterium ſequeretur, graviſſimâ cœpit tentatione pulſari. Intuitus autem illum unus è Fratribus, quid eſt, inquit, quòd facies tua triſtitia quadam nubile graviter obvoluta videtur? Cui ille: Scio quod nunquam ampliùs lætus ero. Quod verbum, cum ad Dei famulum idem Frater ſatis anxius retuliſſet, videns ille baſilicam prope viam, per quam gradiebatur, divertit ad eam, & ingreſſus orabat: cæteris autem de foris præſtolantibus, Gaufridus gravatus tædio ſuper lapidem obdormivit. Demum cum ambo pariter ſurrexiſſent, ille de oratione, iſte de ſomno, apparuit idem Gaufridus tantò jucundior & hilarior cæteris, quantò triſtior priùs. Cumque ei prædictus Frater verbum mœſtitiæ, quod locutus fuerat, amicabiliter improperaret; tunc, inquit, dixi: nunquam ampliùs lætus ero; ſed nunc dico: nunquam ampliùs triſtis ero.*

I. Semperne pias preces exaudit Deus?

R. Quin piorum petitionibus præſto ſit & occurrat Dei benignitas, nullus relictus eſt dubitandi locus. *Tunc enim,*
Iſa. 58. inquit, *invocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: ecce adſum.* Et
Iſa. 65. rurſùs? *Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam.* Sexcenta ſunt ejus rei in divinis Scripturis teſtimonia. Exempla autem eorum qui Deum exoraverunt, quia propemodùm infinita ſunt, & poſita ante oculos omittimus. Vide Marul. l. 2. Quomodo S. Scholaſtica pluviam tempeſtatemque precibus impetraverit, habes apud S. Greg. l. 2. dial. c. 33.

I. Qui igitur fit, ut, quæ petimus, interdum non impetremus?

R. Reſpondet S. Jacobus: *Petitis, & non accipitis, eò quod male petatis*: ſcilicet, negligenter, remiſsè, & abſque attentione. Nonnunquam etiam fit; ut tū maximè proſpiciat utilitati noſtræ Deus, vel quod alia majora & ampliora bona nobis impertitur; vel quod nec neceſſarium nobis eſt, nec utile quod petimus, imò fortaſſe ſupervacaneum id futurum ſit, ſi dederit, atque peſtiferum. *Quædam enim*, inquit S. Aug. *negat propitius Deus, quæ concedit iratus*: prout B. Paulum petentem liberari à ſtimulo carnis non exaudivit; Iſraëlitas verò ardentes concupiſcentiâ carnium exaudivit quidem, ſed confeſtim eorum intemperantiam caſtigavit; nam, *adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum: & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Quare minimè mirum eſt, ſi Deus noſtræ non obſequitur voluntati, cùm, vel ipſi nolle id nos, quod petimus, penè probemus, noſtræ negligentiâ & ignoratione precationis; vel poſtulemus ea quæ nobis ſunt obfutura. Quæ autem in oratione petenda ſint, diximus ſup hoc eod. c. 1.

C. 4. — Serm. 53. de verb. Dom. & tr. 6. in ep. Ioan. — 2. Cor 12. — Num. 11. — Pſ. 77.

I. Progredere modò in declarandis cæteris orationis fructibus.

R. Tertius orationis fructus eſt ſatisfactio pro peccatis. Cùm enim orare ſit opus laborioſum, etiam ſatisfactorium eſt. Hinc ſolent Confeſſarii pro ſatisfactione ſeu pœnitentia ſacramentali ſuis pœnitentibus orationes injungere. Hinc in oratione Dominica dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Et Publicanus orans, & dicens: *Propitius eſto mihi peccatori; deſcendit in domum ſuam juſtificatus.* 3. Fructus. Luc. 18.

Quartus. Oratione iram Dei placamus. Imò valet oratio tantùm ad pœnas 4. Fructus.

cra-

Digitized by Google

ovadendas, ut Deus quodammodò piorum precibus conſtringatur, juxta illud Exodi 32. *Dimitte me.* Vide Jerem. 7. & 18. atque Ezech. 22. Unde in omni neceſſitate, iræ Dei Eccleſia orationem, Litanias, ſupplicationes publicas objicit.

5 Fructus. Quintus orationis fructus eſt, quòd non ſolùm ſit ſatisfactoria, ſed etiam quòd à juſto facta meritoria ſit majoris gratiæ & gloriæ. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum & Pater tuus qui vidit in abſcondito reddet tibi.* (Matt. 9.) Ubi repromiſſio eſt mercedis ſub conditione operis faciendi, ibi meritum agnoſcendum eſt, ſecundùm illud: *Dignus eſt operarius mercede ſuâ.* (Luc. 10.) Audi Chryſoſtomum: (In Matt. 6.) *Si ergò ſic oras, plurimam profectò accipies mercedem. Non ait: donabit tibi, ſed reddet; inquit: debitorem quippe ſe tibi conſtituit.* Quod autem oratio quæ pro indigno funditur, proſit oranti, etiamſi illi pro quo fit, non proſit, ex Chriſti ſententia liquet: *Si domus non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.* (Matt. 10.)

6. Fructus. Sextus. Orando exercemus fidem; *Quomodò enim invocabunt in quem non crediderunt?* (Rom. 10.) Quia credimus Deum eſſe omnipotentem, ſapientiſſimum, & optimum, ut poſſit, ſciat, & velit donare ea quæ petimus.

7. Fructus. Septimus Oratio mentem illuminat, juxtà illud Pſal. *Accedite ad eum, & illuminamini.* (Pſal. 33.) In cujus rei typum Moyſes à colloquio Domini revertebatur ſplendidâ facie, ita ut cornuta videretur, & Chriſtus orans transfiguratus eſt, *& facta eſt ſpecies vultûs ejus altera.* (Luc. 9.) Hinc etiam nonnulli Sancti plura orando quàm ſtudendo didicerunt, ut de SS. Bernardo, Thoma Aquinate, Bernardino, & aliis ſcribitur. (Exemplũ) *Rogatus aliquando S. Bonaventura, unde tantum doctrinæ hauſiſſet, digito commonſtravit Crucifixi ſignum oſculis & lachrymis oblitum.*

8. Fructus. Octavus. Oratio maximam dignitatem animæ conciliat quæ ad familiare Dei colloquium & confabulationem orando admittitur; ut ſup. ex Chryſoſtomo diximus in elogiis orationis.

Nonus. Fiduciam accedendi ad Deum tribuit: nam quo frequentiùs ad Deum accedimus, eò libentiùs & confidentiùs ad eum recurrimus; unde fit ut qui toti ſunt in oratione, vehementer cupiant diſſolvi & eſſe cum Chriſto. (9. Fructus.)

Decimus. Charitatem Dei inflammat, eſt enim oratio velut igniculus tepida noſtra corda incendens, ſecundùm illud: *In meditatione mea exardeſcet ignis.* (10. Fructus. Pſ. 38.) Hanc cauſam dat Chryſoſtomus in Pſal. 4. *Quoniam,* inquit, *oratio non eſt parvum vinculum dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui nos aſſuefacit, & ad ſapientiæ ſtudium nos deducit. Si enim qui cum magno aliquo & admirabili viro multum verſatur, ex ejus conſuetudine multum fructum accipit, quantò magis qui cum Deo perpetuam habet conſuetudinem.*

Undecimus. Humilitatem Deique timorem conſervat: nam eum non eſſe offendendum admonet, à cujus ope ac benignitate homines in omnibus dependent. (11. Fructus.)

Duodecimus. Oratio rerum terrenarum contemptum parit: Facilè namque vileſcunt omnia tranſitoria quærenti & anhelanti ad cœleſtia, ut habet Aug. l. 9. Confeſſ. c. 10. (12. Fructus.)

Poſtremò gignit oratio incredibilem animi voluptatem, pacem, gaudium, delectationem: Facit enim ut homo guſtare incipiat *quàm ſuavis eſt Dominus.* (13. Fructus. Pſ. 33.) Vide S. Bernardum ſer. 5. de Quadrag. explicantem verba illa Prophetæ: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* (Pſ. 36.) Hâc ſuavitate nonnulli diſtenti non ſolùm in oratione pernoctarunt, ſed etiam dies noctibus jungentes in oratione læti perſtiterunt. Tales fuerunt Antonii, Arſenii, &c.

LE-

Digitized by Google

LECTIO XII.

De Orationis diviſione, & Horis Canonicis.

Expoſitâ utilitate & neceſſitate Chriſtianæ præcationis, aliquid modò de ejuſdem diviſione tractandum eſt.

I. Quotuplex igitur eſt Orationis ſpecies?

R. Oratio communis dividitur in privatam & publicam, in vocalem & mentalem. De quibus in ſubſequentibus.

Oratio privata. I. Quid intelligis per orationem privatam?

R. Illam intelligo, quam quiſque privato ſuo nomine effundit, etiamſi in illa partem habeant cæteri, non minùs quàm in quolibet opere bono, per Sanctorum communionem, ut ſup. docuimus.

Oratio publica. I. Quid eſt publica oratio?

R. Illa quæ per Eccleſiam ſive ejus publicos miniſtros agitur. Hanc utriuſque differentiam oſtendo familiariter exemplo: Cùm ſeceſſurus cubitum veſperi recipio me ad orationem, ſive conſcientiæ examen, aliaque pia recollectionis & gratiarum actionis exercitia: facio orationem privatam, quia, uti privata perſona id ago, nullâ ad id commiſſione publicè acceptâ, aut mandato impoſito. Secundò, ego Sacerdos vado ſacro-ſanctum Miſſæ Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum aliquod in Eccleſia ſolemniter adminiſtraturus; talis oratio publica cenſenda eſt, quia in qualitate publici Eccleſiæ miniſtri ſpecialiter ad id commiſſi perficienda.

I. Numquid Horæ Canonicæ ad publicam Eccleſiæ orationem pertinent?

Horæ canonicæ R. Planè, nam per Eccleſiam in communi ſive per deputatos ejus officiarios & miniſtros, publicis, ut ſupra dictum eſt, ſtipendiis, & beneficiis donatos perſolvuntur. *pertinent ad publicam orationem.*

I. Aliquid igitur deprome de Horis Canonicis?

R. Placet mihi præſertim cùm id exigat ipſius materiæ ſeries.

Nota, tribus horis orabant Judæi in die, ſcilicet horâ tertiâ, ſextâ, & nonâ, uti Daniel *tribus temporibus in die flectebat genua*, forte in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ extremis temporibus legis Evangelicæ manifeſtanda erat. Vel ut alii, horâ tertiâ, quia tunc data eſt lux in Sina; ſextâ, quia tunc erectus fuit ſerpens æneus in deſerto; nonâ, quia tunc petra dedit aquas in Cades. Nos autem plura tempora, ſive plures horas orationi deſtinatas habemus, quia multò plura ſunt myſteria & beneficia, quibus Deo obſtringimur, nos, inquam, Chriſtiani, quorum *juſtitia abundare debet pluſquam Scribarum & Phariſæorum.* Vide Cyp. circa finem Orat. Dominicæ. *Dan. 6.*

Auctor horarum Canonicarum quis? I. Quiſnam inſtituit Horas Canonicas?

R. Ipſamet Eccleſia, conditis ea de re per diverſa Concilia canonibus, ratione quorum dicuntur horæ canonicæ. Vide Bed. ſup. c. 18. S. Lucæ.

I. Quot ſunt numero horæ canonicæ?

R. Septem, in gratiarum actionem ejus, quòd creationem mundi ſeptem diebus abſolverit Deus; huc reſpiciebat David cùm caneret: *Septies in die laudem dixi tibi*. Vel potiùs in honorem ſeptem principalium myſteriorum recreationis, ſive redemptionis noſtræ, quæ mox annotabimus. *Gen. 1.* *Pſ. 118.*

I. A quo tempore ſunt inſtitutæ?

R. Apoſtoli ipſi obſervabant horas tertiam, ſextam, nonam, uti notat Tertul. l. adverſ. Pſychic. c. 10. S. Clemens refert hanc inſtitutionem ad traditionem Apoſtolorum, additque tres alias horas, ſcilicet primam, ſive orationem matutinam, veſpe-

Digitized by Google

veſperas, & nocturnas preces ad galli cantum l. 8. conſtit. Apoſt. c. 34. S. Cypr. meminit etiam veſperarum & matutinarum, ultrà tertiam, ſextam, & nonam, de quibus ante Tertul. aſcribitque ſingulis dictis horis ſua myſteria, quæ ipſæ repræſentant. His etiam quinque addit ſanctus Athanaſius alias duas, ut compleatur numerus ſeptem horarum canonicarum. l. de Virginit. (*Ser. de Orat. Dom.*)

Tandem S. Chryſ. hom. 19. ad popul. Baſil. in Reg. inter. 37 Hier. ep. 22. ad Euſtoch. in Dan c. 7. & ep. 7. 8. 22. 57. Caſſian. collat. 7. Iſidor. de offic. c. 19. luculentam earum mentionem faciunt; adeò quod omnibus benè & diligenter expenſis dici poſſit uſum hunc ab Apoſtolica traditione originem traxiſſe, quandoquidem Patres illi etiam vetuſtiſſimi ejus rei meminerint velut pridem in Eccleſia inſtitutæ. Vide Baron. an. Domini 34. num. 72. & Bellarm. de bonis operibus. (*Horæ canonicæ ab Apoſtolica traditione originem habent.*)

I. Quid ſingulæ iſtæ horæ canonicæ ſignificant? (*Significatio 7. horarum canon.*)

R. Quoad matutinas horas. Noctu oramus Deum (exemplum Salvatoris ſecuti, qui ſæpè, uti nuper diximus, erat pernoctans in oratione Dei) gratiaſque agimus pro eo quod in ſimilitudinem carnis noſtræ natus ex Virgine ad nos per intempeſtæ noctis ſilentia venire dignatus eſt à regalibus ſedibus deſcendens. Deinde etiam, quòd in nocte Paſſionis ſuæ apprehendi, ligari, carceribus claudi, illudi, flagellari, & indigniſſima pati dignatus eſt. (*Matutina,*)

Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.

Ad Matutinum ſurgebat David, cùm diceret: *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* (Pſ. 118.)

Ad eaſdem horas ſurgebant Paulus & Silas, Act. c. 16. Plurimi cenſent eâdem horâ venturum Chriſtum Dominum judicare vivos & mortuos, innixi Scripturæ, Matt. 25. *Mediâ nocte clamor factus eſt.* Ideò Clerici & Monachi iſto tempore vigilant orationi inſtantes, veluti vindictam magni Judicis, quam faciet in nationibus, ſuâ oratione præventuri, ſe invicem initio iſtius officii cohortantes & cantantes: *Præoccupemus faciem ejus in confeſſione.* (Pſ. 94.)

Laudes poſt matutinum cantantur eo ferè tempore, quo Paſtores tranſierunt feſtinantes uſque in Bethlehem, ubi *invenerunt Mariam & Ioſeph & infantem poſitum in præſepio.* Vel quo ipſe Redemtor victor ab inferis rediit. (*Laudes.* Luc. 2.)

Præterea *Laudes* poſt matutinum ſignificant, quòd nocturnis officiis abſolutis per hujus ſæculi caliginoſa diſcrimina, venturi ſimus tandem ad æternam laudum & gratiarum actionis decantationem, quando glorioſa illuxerit nobis dies æterni luminis.

Prima eſt nobis inſtar orationis matutinæ. Oramus enim Deum, ut qui nos ad principium novæ diei pervenire fecit, ſuâ nos ſalvet virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad ejus faciendam juſtitiam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. (*Prima.*)

Iſta oratio ſive hora canonica tunc celebratur, quando Salvator noſter ſtetit ante Judicem examinandus, toleratis jam totâ nocte multis probris, ſputis, ſannis, verberibus. Unde (Matt. 25.)

Prima replet ſputis.

Circà idem tempus Dominus noſter tertio poſt die redivivus apparuit Matri, & aliis mulieribus. Matt 28.

Eâdem etiam horâ Apoſtoli magnos ceperunt piſces, qui ſignificabant electos, quando rumpebatur rete, Luc. 5.

Eodem rurſum tempore præfecit Chriſtus Paſtorem ovibus ſuis, Joan. 21.

Horâ tertiâ accepit Dominus noſter mortis ſententiam. (*Tertiâ.*)

Cauſam dat tertia mortis.

Eâdem horâ deſcendit Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos & Eccleſiam in die Pentecoſtes,

Digitized by Google

Act. 2. Eodem quoque tempore receperunt fidem tria hominum millia, ex illis qui Chriſtum Dominum crucifixerant, ut meritò ſub initium iſtius horæ canonicæ imploremus gratiam Spiritûs ſancti ad inflammanda corda noſtra in Dei amorem, & ſervitium, per hymnum: *Nunc Sancte nobis Spiritus, &c.*

Horâ ſextâ Chriſtus Dominus crucifixus eſt. Matt 27.

Sextâ Cruci nectiu.

Sexta. Eâdem horâ orabat Patrem pro crucifixoribus ſuis, & latroni dicebat: *Hodie* Luc. 23. *mecum eris in Paradiſo.*

Act. 10. Circà hanc horam juſſus fuit Apoſtolus Petrus Gentiles ad Evangelii gratiam recipere.

Joan. 4. Et eodem tempore ſedit JESUS fatigatus ad puteum, cùm Meſſiam ſe Samaritanæ manifeſtaret.

Horâ nonâ morte ſuâ mundum vivifi- Nona. cavit Chriſtus complevitque noſtræ redemptionis opus, dicens: *Conſummatum* Joan. 19. *eſt.*

Tunc unus militum lanceâ latus ejus aperuit.

Latus ejus nona bipertit.

Act. 10. Tunc Cornelius Centurio primitiæ gentium monitus fuit ab Angelo ut Petrum accerſeret ab eo inſtruendus.

Act. 3. Rurſum, Petrus & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam ſanato claudo ad portam templi.

Veſpera. Ad Veſperas circa Solis occaſum petimus ut ipſe Sol juſtitiæ non recedat à nobis, dicentes, & enixiùs rogantes cum Diſcipulis euntibus in Emmaus: *Mane no-* Luc. 24. *biſcum Domine, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies.*

Columba dimiſſa ex arca *venit ad Noë* orbis reſtauratorem *ad veſperam portans* in ſignum pacis & reconciliatio- Gen. 8. nis *ramum Olivæ virentibus foliis in ore ſuo.*

Marc. 6. Ad Veſperam quoque Chriſtus inſtruxit convivium quinque millibus hominum ex quinque panibus hordeaceis.

Cùm ſerò factum eſſet venit quidam homo dives ab Arimathia nomine Ioſeph. Hic acceſſit ad Pilatum & petiit corpus JESU. Et accepto corpore, Ioſeph involvit illud in ſindone munda. Matt. 27. Marci 15. Luc. 23. Joan. 19.

Veſpera deponit.

Rurſum cùm ſerò factum eſſet, manifeſtavit ſe Dominus JESUS poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis, quos gaudio & conſolatione replevit, Luc. 24. & Joan. 20. quibus dedit Spiritum ſanctum & aperuit ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, nec non contulit eis poteſtatem remittendi peccata.

Circa eandem horam veſpertinam miſit illos in mundum univerſum prædicare Evangelium omni creaturæ, Matt. 28. Marc. 16.

Erat jam Veſpera cùm loquentibus Apoſtolis ad populum *multi eorum qui audierant verbum, crediderunt:* (erant autem ex illis qui crucifixerant Chriſtum) Act. 4. *& factus eſt numerus virorum quinque millia.*

Horâ Completorii juxta multorum Completorium. ſententiam conceptus fuit Chriſtus Dominus in utero Virginis de Spiritu ſancto.

Cùm Sol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad JESUM. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.

Veſpero facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis. Cænantibus autem illis, accepit JESUS panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, &c. Matt. 26.

Eo ipſo tempore ſuos diſcipulos multis conſolatus eſt, promittens eis Spiritum ſanctum. Joan. 13. & ſeq.

Et cùm hæc dixiſſet JESUS (quæ quinque capitibus enarrantur) egreſſus trans torrentem Cedron, introivit in hortum, ubi factus in agonia prolixiùs orabat. Et triſtis erat anima ejus uſque ad mortem: Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram Joan. 18. Matt. 26. Luc. 22.

Tam-

Luc. 23. Tandem circa id tempus, *poſitum fuit corpus* JESU *in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.*

Tumulo repleta reponit.

Horâ Completorii exponimur difficiliori luctæ contra carnem, quæ ad quietem tranſactâ jam die componitur; & contra diabolum qui eſt princeps tenebrarum, & qui novit uti tempore, ideò jure merito cantamus ad Completorium Hymnum iſtum:

Hymnus Eccleſiæ.

Te lucis ante terminum
Rerum Creator poſcimus,
Vt ſolitâ clementiâ
Sis præſul ad cuſtodiam,
Procul recedant ſomnia,
Et hoſtium phantaſmata.
Hoſtemque noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Et quia ſolent peccatores majori cum licentia & enormitate ſub opacam noctis caliginem Deum offendere, idcircò miniſtri Eccleſiæ, proborum Dei filiorum nomine ſeipſos mutuò excitant ad impenſiùs tum temporis laudandum ſuum Creatorem, & dicunt: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſervi Domini,* &c. Pſal. 133. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.*

I. Debentne Clerici & quicumque ad horas canonicas in Choro perſolvendas deputati obſervare ſtatutas dici horas hiſce canonicis horis, quas diximus, reſpondentes?

R. Ita quantum fieri poteſt. Nam officium divinum taliter per horas diſtributum eſt, *ut benedicamus Dominum in omni tempore, & ſemper ſit laus ejus in ore noſtro;* Deindè ut eidem gratias agamus pro beneficiis illis horis & temporibus acceptis, uti præmiſſum eſt.

I. Peccentne Clerici & quævis perſonæ Eccleſiaſticæ quæ abſque legitima cauſa totum ſuum officium, etiam privatum, inſimul uno tempore expediunt?

R. Ita, uti patebit exemplo ſequenti. Narrat B. Petrus Damiani epiſt. ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem, S. Severinum, aliàs Peregrinum, Colonienſem Archiepiſcopum poſt mortem apparuiſſe cuidam Clerico, ac tactu manus ſuæ tantum ei ardorem indidiſſe, ut è manu ejus carnes uſque ad oſſa defluerent, ac dixiſſe ſe relegatum ad ignes Purgatorii, hoc ſolo nomine & culpâ: *Quia in aula regia, inquit, conſtitutus, imperialibus me conſiliis vehementer implicui, canonica ſynaxis officia per diſtincta horarum ſpatia non perſolvi: Mane quippè ſimul omnia concinnans, totâ die negotiis ingruentibus ſecurâ libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero ſupplicium.* Creatus eſt Archiepiſcopus Colonienſis anno Domini 1021 cui præfuit annos 16.

Baron. to. 11. anno Chriſti 1062.

Exempl.

I. Quibus videntur tibi ſimiles illi qui tum demum ad legendas horas ſuas canonicas ſe convertunt, cùm negotia temporalia expedierint?

R. Videntur mihi ſimiles illis qui à Rege ad colloquium vocati, non priùs illum adirent, quàm cum ipſis opportunum videretur, & id facerent raptim, quaſi per tranſennam, & perfunctoriè poſtquam hominum nihili fabulis per horas intendiſſent. Vel fortè ſimiles ſunt illis, qui cùm proceſſum ſive cauſam habeant de rebus maximis, puta de fortunis omnibus, aut de vita, verſantem in maximo diſcrimine, illi ad id non attendentes, occuparentur captandis muſcis, aut arenulis numerandis.

Simile.

I. Habeſne exemplum alicujus Sancti qui in hoc genere exactus, & diligens fuerit horas ſuas canonicas ſtatutis ſuis horis legendi?

R. Ita: Magnus ille Sabas pro ſuorum negotiis adiens Juſtinianum Imperatorem, eaque cum illis tractans, auditâ horâ tertiâ, illicò ab Imperatore tranſtulit ſe ad ſtatutas illius horæ preces; cumque ſocius ejus Jeremias diceret hoc eſſe indecorum & incivile, reſpondit: *Imperator facit ſuum officium, nos noſtrum.* Ita ejus vita 5. Decembris.

Exemplum.

I. His mihi perſuades non facilè in-

terrumpendum, aut etiam differendum negotiorum prætextu divinum officium?

R. Planè ita eſt. *Carolus Imperator ſanctum Luegerum Epiſcopum Monaſterienſem ad ſe pro quibuſdam Reipublicæ negotiis evocari fecit. Ea ipſa hora perſolvendis horis cum ſuis inſiſtebat. Cumque his expletis ſe venturum nuncio reſpondiſſet, & hoc Regi ille retuliſſet, ſecundâ quoque vice & tertiâ ad eum accerſendum miſit: ſed ille divinum officium cunctis aliis rebus anteponendum ratus, omninò venire diſtulit, donec cœptam pſalmodiam conſummaret: Quâ finitâ in conſpectu Regis cùm veniſſet, eum, cur ad imperium ſuum venire contempſiſſet, interrogavit. Ad hæc ille vultu intrepido, mente conſtantior: Ego, Imperator, inquit, tuum ſemper præceptum ita in omnibus exſequendum putavi, ut tamen Deum tibi in omnibus anteponendum non dubitarem. Hanc ejus reſponſionem Rex optimus amplexus: gratias, inquit, habeo Epiſcope: quia qualem te eſſe credidi ſemper, talem te nunc eſſe expertus ſum. Tu ut hactenus feciſti, Dei ſemper operare voluntatem, & ſimul nobis devotus & fidelis pro noſtri imperii ſtatu orare memento.*

In vita S. Luegeri apud Sur. c. 32 26 Martii.

Exemplũ.

I. Quamobrem vocantur iſtæ preces horariæ officium divinum & Eccleſiaſticum?

Hora canonica cur officium divinum & Eccleſiaſticum appellata.

R. Quia continent penſum ſive officium quod Chriſtiani debent, & pro iis ab Eccleſia ſive Eccleſiaſticis perſonis Deo perſolvitur, quod non eſt aliud quàm laudare & benedicere Dominum.

I. Debentne igitur Chriſtiani omni tempore orare abjectâ curâ cæterarum rerum?

R. Euchitæ hæretici apud S. Auguſtinum hæreſi 57. docuerunt Chriſtianum non debere laborare, nec aliud agere quàm ut ſemper oret. Undè dicti ſunt Euchitæ, id eſt, precatores. Sed hoc dogma ſtolidum eſt, & impoſſibile.

Eph. 6.

Chriſtiani ergò ſecundùm Apoſtolum debent omni tempore orare, id eſt, aſſiduè, quantum per alia negotia licet. Ita Anſelmus. Et, ut Auguſtinus omni tempore, ſcilicet orationi deſtinato, ſive ab Eccleſia, ſive à propria devotione & conſuetudine, in certa & ſtatuta orandi tempora, nullo tempore intermittantur. Hoc maximè faciunt Eccleſiaſtici per horas canonicas quas aſſiduè decantant in Choro, vel privatim legunt pro populo Dei.

I. Dic modò cur debent Chriſtiani ſemper & aſſiduè orare, ſaltem, ut dicis per interpoſitam operam Eccleſiaſticorum.

R. Quia illi naturæ infirmitatem agnoſcentes ſciunt quantum indigeant Dei auxilio; ideò in omni re ad Deum per orationem confugiunt, opem & miſericordiam ejus implorant dicentes initio ſingularum horarum: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina*; & de acceptis ab eo donis gratias agentes eum collaudant & benedicunt in omni tempore. Reliquæ gentes corruptionem naturæ ignorantes, in ſuis viribus confidunt, Deo vota nulla nuncupant, rerum omnium Conditori gratias non agunt, quia beneficia illius minimè agnoſcunt.

LECTIO XIII.

De Partibus Officii Divini.

I. Quæ ſunt officii Divini partes?

R. Principales ejus partes ſunt, horæ canonicæ numero ſeptem, quas modò recenſuimus; & ſi de minutioribus quæris, ſunt multò plures, v.g. *Pſalmi, Hymni, Lectiones, Cantica, Antiphonæ, Reſponſoria, Capitula, Collecta*, quibus addam *Litanias*.

I. Quid ſunt Pſalmi?

R. Nihil aliud quàm cantus quo laudes Dei, vel preces ad Deum, vel interdum etiam cohortatio ad virtutem continentur.

I. Ha-

I. Habentne Pſalmi in Canonicis Scripturis uſus & fructus ſuos?

R. Magnos & multos pſalmodiæ fructus aſſignant Sancti Patres, S. Chryſoſt. præfat. in Pſalm. 41. *Nihil, ait, animam æquè erigit & à terra liberat & exolvit à vinculis corporis, & amore ſapientiæ afficit, & ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, proficit, ut verſus modulatus, divinum canticum numero compoſitum &c. Idcircò Pſalmos Deus conſtruxit, ut ex eo re ſimul caperetur utilitas & voluptas.*

De Eccleſ. hierarch. c. 3.

Pſalterium (inquit Dionyſius Areop.) eſt compendium & breviarium totius ſacræ Scripturæ, epitome & regiſtrum Bibliorum, conſummatio totius Theologicæ paginæ. Plura S. Baſilius proœm. in Pſal. & præfat. in Pſalmos.

I. Eſtne igitur jucundum Pſalmos recitare vel decantare?

In explic. Pſ. 107.

R. Jucundiſſimum: ut S. Joannes Chryſoſtomus affirmet eos qui Pſalmos ritè canunt, cum Angelis choreas ducere, & quaſi cum eis de Dei laudibus & amore contendere.

I. Habeſne ad iſtam rem probandam exemplum?

Exemplum.

R. Habeo. Ambulans S. Guduvalus Archiepiſcopus aliquando per mare, & preces in navi Deo perſoluturus, laudeſque & gratiarum actiones oblaturus, cùm dixiſſet more Eccleſiaſtico. *Deus in adjutorium meum intende*: Angeli ſubjunxerunt? *Domine ad adjuvandum me feſtina*: & ita totum officium alternis vicibus cum viro Dei explevere, ex ejus vita apud Surium to. 3 die 6. Junii.

I. Si ita ſe res habet, profectò non curſim, non diſtractè, non perfunctoriè, ſed graviter, modeſtè, & cum attentione perſolvendæ ſunt horæ canonicæ.

Exempla.

R. Optimè infers. *Solitus erat S. Franciſcus horas canonicas non minus timoratè Deo perſolvere, quàm devotè.* Nam licet oculorum, ſtomachi, ſplenis & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere, dum pſalleret, ſed horas ſemper erectus, & ſine caputio, non gyro vagis oculis, nec cum aliqua ſyncopa perſolvebat. Si quando eſſet in itinere conſtitutus, ſigebat tunc temporis greſſum, hujuſmodi conſuetudinem reverentem & ſacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Dicebat enim: ſi quietè comedit corpus cibum ſuum, quod futurum eſt vermium eſca, cum quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ. Graviter etiam ſe putabat offendere, ſi quando orationi deditus, vanis phantaſmatibus interiùs vagaretur. Cùm tale aliquid accideret, non parcebat confeſſioni, quin illud protinus expiaret. Hoc ſtudium ſic in uſum converterat, ut rariſſimè muſcas hujuſmodi pateretur.

S. Bonav. in vita ejus c. 10.

S. Franciſci in recitandis horis canonicis devotio & attentio.

S. Dominicus in precibus horariis & pſalmodiis, quas inprimis reverenter abſolvere ſolebat, faciem ſuam crebrò viſus eſt lacrymis irrigare. Quando extra Monaſterium erat, audito primo ſigno nocturnarum Precum ſurgebat, & Fratres excitans, cum multa devotione totum divinum officium abſolvebat horis & temporibus ſuis, tùm nocturnis, tum diurnis, nihil penitùs omittens, & perſoluto Completorio etiam in itinere cum ſociis ſilentium non minus ſervabat, quàm ſi fuiſſet in Monaſterio.

S. Dominici exacta religionis obſervantia.

In vita.

I. Caſtigatne Deus interdum etiam in hoc mundo Familias Religioſas, ob negligenter ſolutas preces horarias?

Exempla.

R. Ita. Lutgardis Virgo ſanctiſſima, ſæpè reprehenderat Moniales in Valetudinario manentes, quod parum attentè perſolverent preces canonicas divinitùs inſtitutas. Cùm autem dimidio ante obitum ſuum anno non videret divinâ Majeſtate & reverentiâ dignam in Sororibus emendationem, ait: Scio equidem, quòd poſt deceſſum meum culpam hanc manus Domini in Sororibus vindicabit: & tunc memores verborum

Cantip. in vita ejus apud Sur. l. 2. c. 10. 16. Junii.

illorum, caſtigatæ cum multa humilitate ſe corrigent, & Dominus mox retrahet manum ſuam, quam jam extenderat ad ultionem. Quàm autem veraci ſpiritu hæc illa prædixerit, res ipſa neminem ſinit ambigere; nam ubi illa exceſſit è vita, confeſtim dira peſtis invaſit in illud Monaſterium, & breviſſimo temporis intervallo quatuordecim probatiſſimæ Sorores extinctæ ſunt. Ego verò eodem tempore illuc veni, & duas carne ac ſpiritu Sorores, uno eodemque momento animam reddentes, oblato pro eis ſacrificio, uno eodemque tumulo ſepelivi. Cùm ſe autem infirmæ Sorores in Valetudinario, in dicendis canonicis precibus correxiſſent, Domino manum ſuam retrahente, peſtis illa protinus ſepulta eſt.

Caſtigat Deus Moniales negligenter officium divinum perſolventes.

I. Quânam ratione in animum inducemus Pſalmos & horas canonicas cum attentione & devotione recitare?

R. Si ſeriò expendamus nos in Dei & Angelorum præſentia pſallere, qui magna cum voluptate ad noſtres preces & obſecrationes attendunt. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Pſ. 137.

Exemplum. Huc poteſt pro exemplo referri quod de S. Bernardo in hiſtoria virorum illuſtrium Ciſtercienſis Ordinis legimus: Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater S. Bernardus. Cùmque moroſa pſalmodiæ modulatio Vigilias protelaret, aperuit Dominus oculos ejus. Et ecce reſpiciens vidit ſingulos Angelos juxta Monachos ſtantes, & quod quiſque eorum pſallebat, in ſcedulis more Notariorum tam diligenter excipientes, ut nec minimam ſyllabam, quamquam negligenter prolatam, omitterent. Scribebant verò diverſo modo; nam quidam eorum ſcribebant auro, quidam argento, nonnulli atramento, alii etiam aquâ, quidam verò penitus nihil ſcribebant, Spiritus autem qui hæc revelabat, intelligentiam diverſitatis Scripturæ cordi ejus inſpirabat. Qui enim auro ſcribebant ferventiſſimum ſui in Dei ſervitio ſtudium in his quæ pſallebãt, ſignificabant. Qui autem argento minorem quidem fervorem, puram tamen pſallentium devotionem declarabant. Qui verò atramento, continuum quorumdam bonæ voluntatis uſum in pſalmodia, licet non cum multa devotione notabant. Sed qui aquâ ſcribebant, exprimebant eos qui ſomnolentiâ ſeu negligentiâ preſſi, vel vanis cogitationibus à ſe abducti, videntur quidem aliquid ſignare, ſed cor eorum abſtractum prorſùs non concordat voci. Cæterùm illi qui nihil ſcribebant, eos redarguebant qui obliti profeſſionis ſuæ, & timoris Dei immemores ſomno voluntariè indulgent, aut certè vigilantes noxiis cogitationibus voluntariè occupantur contra præceptum legis, vacui apparentes in conſpectu Domini.

Angeli ſolliciti, ſed diverſimodè, (vidente S. Bernardo) orationes & pſalmos Fratrum ſcriptitant.

I. Quot ſunt numero Pſalmi in Pſalterio? *Pſalmi.*

R. Centum & quinquaginta.

I. Quis eſt auctor Pſalmorum?

R. Auctor principalis & primarius uti cæterarum Scripturarum Canonicarum, ita & Pſalmorum eſt Spiritus Sanctus, ſecundarius tamen & minus principalis eſt ipſe Propheta regius David, uti de ſeipſo teſtatur: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam.* Et: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* 2. Reg. 23. Pſal. 44.

I. Cur Pſalmos potiſſimùm decantamus ſub Officiis Divinis?

R. *Pſalterium idcircò cum melodia cantilenarum ſuavium ab Eccleſia frequentatur, quo faciliùs animi ad compunctionem flectantur.* *Iſid. de Offic. Eccl. c. 5.*

I. Eſtne antiqua in Eccleſia conſuetudo Pſalmos in Divinis Officiis decantandi?

R. Planè ab ipſis Eccleſiæ incunabulis. Verum quidem eſt, quod prima ipſa Eccleſia ita pſalleret, ut modico vocis flexu faceret pſallentem reſonare, ita ut pronuntianti vicinior eſſet, quàm canenti. Propter carnales, autem in Eccleſia, *Idem ſup.*

non

Digitized by Google

non propter ſpirituales, conſuetudo inſtituta eſt canendi, ut quià verbis non compunguntur, ſuavitate modulaminis moveantur. *Vide Auguſtin.* 10. *Confeſſ. c.* 3.

I. Quid ſunt *Hymni*?

R. Sunt Poëmata quædem ſacra in Eccleſia decantata ad movendum piè animum, & inflammandum piæ & divinæ dilectionis affectum.

I. Quis Hymnos compoſuit?

Hymni. R. Præter Divinos Hymnos in quibus decantandis non ſolùm Prophetarum, ſed etiam ipſius Domini & Apoſtolorum habebimus exemplum, ſunt & alii ingenio humano compoſiti. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis Hymnorum carmine floruit primus. Poſtquam Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus clariſſimus Eccleſiæ Doctor copioſus in hujuſmodi carmine claruiſſe cognoſcitur, atque inde Hymni ex ejus nomine Ambroſiani vocantur, quia ejus tempore primum in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt: cujus celebritatis devotio poſthac per totius Occidentis Eccleſias obſervatur. His accedunt Prudentius & alii. *Iſid. ubi ſup.*

I. Cur ſtantes Hymnos concinimus?

R. Quia ſurſum corda nos habere oportet quando Deum laudamus *Conc. Tolet IV. can.* 12. *Euſeb. l.* 7. *c.* 26.

I. Dic modò, quidnam ſunt *Lectiones*?

Lectiones. R. Lectiones dicuntur in nocturnis pro doctrina & inſtructione audientium. Et dicitur lectio; quia non cantatur, ut Pſalmus vel Hymnus, ſed legitur tantùm. Lectiones autem ſunt ex Prophetis aut alio quopiam Scripturæ libro, ex Patrum homiliis & ſermonibus, ex Sanctorum geſtis, &c. quibus ad Dei laudem compungimur, in moribus inſtruimur, vel ad Sanctorum imitationem excitamur.

I. Eſtne antiquæ inſtitutionis, lectiones ſub Divinis Officiis pronuntiare?

R. Planè. Nam Judæi ipſi præfinitis temporibus in Synagoga legebant Moyſen, & Prophetas; quin & ipſe Salvator noſter, *intravit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbathi in Synagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, &c.* Vide Iſid. c. 10. *Luc.* 4.

I. Quis ordinavit lectiones prout hodie in Breviario Romano digeſtæ ſunt?

R. Primus fuit Gelaſius Pontifex, diſt. 9. c. Sancta Romana Eccleſia. Deinde Gregorius VII. & poſt illos Pius V. Sixtus V. & Clemens VIII. qui horas Canonicas, & publicam orandi normam, quam Breviarium appellamus, digeſſerunt. His omnibus accedit Urbanus VIII. qui Hymnos emendavit. *Summi Pontifices digeſſerunt Breviarium Romanum.*

I. Cur à pueris frequenter cantantur lectiones?

R. Ut notetur ſervitium noſtrum cum innocentia præſtitum Domino fore gratum.

I. Cur lectiones, oratione Dominicâ prævenimus?

R. Quia rogandus eſt Dominus meſſis, ut operarios mittat in meſſem; rurſum, ut aures & cor auditorum aperiat, ne ſemen Verbi Dei volucres comedant aut ſpinæ ſuffocent, vel petræ duritia radicum fibras impediat, & ita ſine fructu pereat.

I. Cur lectionem pronunciaturus benedictionem petit?

R. Quia nemo officium prædicandi Verba Dei abſque legitima miſſione uſurpare debet. *Nemo prædicare præſumat niſi miſſus.*

I. Cur lecturus lectionem ad librum accedens, ſuper gradum aſcendit?

R. Quia Doctor perfectiore vitâ vulgus tranſcendere debet.

I. Quare petens benedictionem, dicit *Domne*, & non *Domine*?

R. Quia ſolus Deus verè Dominus eſt.

I. Cur finitâ lectione dicitur: *Tu autem Domine miſerere nobis.*

R. Ut veniam deprecemur culpæ forte

taſsè

Durand. in Rational l.5.c.2. n.46.

taſsè commiſſæ in legendi, ſive prædicandi Verbi Dei officio per ſpiritum elationis, aut aliter; vel etiam negligentiæ ab auditoribus admiſſæ inoſcitanter auſcultando.

I. Quid eſt, quod à choro reſpondetur: *Deo gratias?*

Deo gratias.

R. Eſt vox Eccleſiæ Deo gratias exſolventis, ac ſi dicat: Deus pavit nos verbo ſalutis, quod eſt cibus animæ, & pro hujuſmodi beneficio Deo gratias exſolvimus.

I. Eſtne pium & utile habere frequenter in ore & in corde, *Deo gratias?*

R. Planè, fuit olim Chriſtianis, uti modò adhuc Religioſis vox familiris in omni ſalutatione & congreſſu, *Deo gratias*. Nam quid meliùs, inquit, Aug. ep. 77. ut animo geramus, & calamo exprimamus, quàm *Deo gratias*? Hoc, nec dici breviùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi grandiùs, nec agi fructuoſiùs poteſt; Deo gratias, qui te tam fideli pectore ditavit, &c.

I. Quid ſunt *Cantica?*

Cantica.

R. Cantica ſunt partes quædam Scripturæ, quibus velut poëmatibus laudes Dei & mirabilia ejus opera ab Eccleſia decantantur exemplo Moyſis & Prophetarum.

I. Eſtne antiquus Canticorum uſus in Eccleſia;

R. Ita; Jam olim fideles exhortabatur Apoſtolus, *ut ſeipſos docerent & commonerent Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus in gratia cantantes in cordibus ſuis Deo.* Coloſ. 3.

I. Quot ſunt Cantica?

R. Sunt multa; in illis præcipua, & in officio divino magis recepta ſunt tria, videlicet: *Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis.*

Canticum Magnificat.

I. Quis compoſuit Canticum *Magnificat?*

R. Beatiſſima Dei Genetrix, Luc. 1.

I. Quando, & quâ occaſione?

R. Quando viſitavit cognatam ſuam Elizabetſi, & ab ea audivit ſummos honoris titulos, quibus eam mirum in modum divina Majeſtas auxerat.

I. Quid complectitur Canticum iſtud *Magnificat?*

Tres ſunt Cantici Magnificat partes

R. Tres ſunt ejus partes; in prima laudat Deum Beatiſſima Virgo Maria à beneficiis ſibi præſtitis à v. 46. uſque ad 50. In ſecunda à verſu 50. uſque ad 54. Laudat Deum à beneficiis toti populo præſtitis ante Chriſtum; maximè quod Pharaonem, & ſuperbos ac divites Chananæos dejecerit, humiles & inanes Judæos eorum bonis, & mannâ paverit. In tertia à v. 54. uſque ad finem laudat Deum ex beneficio jam proximo Incarnationis Verbi promiſſæ Patriarchis.

Canticum Benedictus.

I. Quis eſt author Cantici *Benedictus?*

R. Zacharias Pater S. Joannis Baptiſtæ.

I. Ex qua occaſione, & quando?

R. Quando natus ei fuit filius Joannes ſecundùm quod ei promiſerat Angelus Luc. 1. idque ut gratias ageret Deo.

I. Quid potiſſimùm agit Propheta hoc Cantico?

R. Primò laudat Deum ob incarnatum in Virgine Meſſiam, cujus opus redemptionis mundi, & vim gratiæ decantat.

Secundò, à verſ. 76. uſque ad finem laudat Deum compellando Joannem filium ſuum, ejuſque quaſi præcurſoris Chriſti officium & munus præcinit; dicens: *& tu puer Propheta altiſſimi, &c.*

Canticum Nunc dimittis. Luc. 2.

I. Quis edit Canticum *Nunc dimittis?*

R. Sanctus ſenex Simeon cùm puerum JESUM inter brachia ſua amplexatus in die Purificationis beatiſſimæ Virginis, laudavit, benedixit, & glorificavit Deum quòd Meſſiam Patribus toties promiſſum videret carne indutum.

I. Cur

Ad Cantica cur ſtamus? I. Cur ad hæc tria Cantica ſtamus in officiis divinis?

R. Quia ex Evangelio, ad quod ſtare ſolemus, deſumpta ſunt.

I. Quid cauſæ eſt, cur Eccleſia quotidie in Completorio ſub veſperam hunc Simeonis Canticum decantat?

R. Duæ ſunt cauſæ: prior, ut fideles ac præſertim Sacerdotes & Eccleſiaſticos moneat cogitare de morte, itaque vivere ac ſi eſſent veſpere morituri.

Poſterior, ut moneat eoſdem induere deſiderium Simeonis, ſcilicet tranſeundi ex hac vanitate & vitæ hujus ærumnis ad veram beatamque vitam in cœlo; ut quotidie hoc Canticum recitantes poſtulemus à Deo dimitti & diſſolvi, ut ſimus cum Chriſto.

Antiphonæ. I. Quid ſunt *Antiphonæ*?

R. Antiphona quaſi ante Pſalmum ſonans eſt quædam ſententia ut plurimùm ex Scriptura deſumpta, in cujus modulatione fundatur ipſius pſalmi tonus.

I. Quis inſtituit in Eccleſia Antiphonas decantari?

Iſid. c. 7. R. Antiphonas Græci primùm compoſuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quaſi duobus Seraphim, duobuſque teſtamentis invicem ſibi conclamantibus.

Apud Latinos autem primus beatiſſimus Ambroſius Antiphonas conſtituit, Græcorum exemplum ſecutus.

Hinc in cunctis Occidentis regionibus earum uſus increbuit, vid. Durand. l. 5. c. 5. n. 26.

Reſponſoria. I. Quid *Reſponſoria*?

R. Reſponſorium dicitur, quia verſui vel epiſtolæ correſpondere debet, ut ſi *Durand. l. 4. c. 19. n. 6.* in epiſtola agatur de gaudio, & in reſponſorio ſimiliter; ſi ibi de triſtitia; & hic ſimiliter; ne poſſit nobis improperari *Luc. 7.* quod Dominus dicit: *Cantavimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non ploraſtis.*

Dicitur etiam *reſponſorium*, quia choro reſpondente illud incipientibus cantatur.

Verſus. I. Quid ſunt *Verſus*?

R. Verſus eſt brevis ſententia ex Scripturis ferè deſumpta, vel à Concilio edita: ut verſiculus ille: *Sicut erat, &c.* qui à Conc. I. Niceno dictatus eſt, & ſuperadditus *Gloria Patri, &c.* cujus verſiculi uſum fuiſſe ante Damaſi tempora conſtat ex Theodoreto & Socrate, qui ſcribunt Conſtantii tempore diſcretos fuiſſe Catholicos ab Arianis, quod illi canerent *Gloria Patri, & Filio*; hi verò: *Gloria Patri per Filium*. Ejuſdem verſiculi meminit Baſil. l. de Spiritu ſancto, c. 27. Conc. Vaſen. Cant. 5 Tolet. IV, can. 14. Quin & Caſſianus l. 2. c. 8 teſtis eſt ſuo tempore in Occidente poſt Pſalmos, quaſi ex uſu veteri totum populum conclamare ſolitum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.*

I. Quæ eſt vis, & ſignificatio iſtius verſiculi: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto?*

R. Gloria Patri qui nos creavit.

Gloria Filio qui nos ſuo Sanguine redemit.

Gloria Spiritui ſancto, qui nos ſuâ gratiâ ſanctificavit.

Gloria Patri, qui nos prædeſtinavit.

Gloria Filio, qui nos juſtificavit.

Gloria Spiritu Sancto, qui nos beabit & glorificabit.

Vel:

Gloria Patri ex quo omnia, &c.
Filio per quem omnia, &
Spiritui ſancto in quo omnia.

Vel:

Gloria Patri ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra, &
Filio, per quem omnis filiatio, &
Spiritui ſancto in quo omnis ſanctitas, & ſanctificatio.

Vel ſic:

Gloria Patri ex quo æternitas, &
Filio per quem omnis ſpecies, & pulchritudo, &
Spiritui ſancto in quo omnis felicitas, & fruitio.

Vel ſic:

Gloria Patri ex quo omnis unitas, & Filio per quem omnis æqualitas, & Spiritui Sancto in quo omnis amor, & concordia.

Vel rurſum:

Gloria Patri ex quo omnis potentia, & Filio per quem omnis ſapientia, & Spiritui Sancto in quo omnis bonitas.

I. Horretne dæmon hunc glorificationis verſum?

R. Planè. Narrare ſolebat Abbas Euſebius dæmonem die quâdam habitu Monachali fores cellulæ ſenioris cujuſdam Patris pulſantem audiſſe ab intus exiſtente Monacho, Ora, dixit ergò dæmon: *Et nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.* Ora, inquam, uti decet, aiebat ſenior. *Nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen*, ingeminabat diabolus. Increpabat eum non ſine ſtomacho ſenior dicens: Jubeo orare in hunc modum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.* Ad hæc aufugit perterrefactus dæmon, non aliter quàm ſi vis illata eſſet. *Ex prat. Spirit. Sophron, c.* 119. — *Exemplū.*

I. Quid ſunt *Capitula*? — *Capitula.*

R. Sunt breviſſimæ ſententiæ ex Scripturis ſacris deſumptæ, quæ ad orantium inſtructionem & excitationem leguntur: de quibus Conc. Agathenſe c. 21.

I. Quid *Collectæ*? — *Collecta.*

R. Collectæ dicuntur orationes Fidelium vota colligentes, quibus omnes Chriſtianorum cœtus finiri conſueverunt. *Conc. Agath. cit. Strabo c. 22. Micrologus c. 5.*

LECTIO XIV.

De Litaniis, Proceſſionibus, & generalibus Supplicationibus.

I. Quandoquidem officiis divinis contingit frequenter Litanias ſive ſupplicationes & Proceſſiones adjungi, velim de illis pauliſper inſtrui?

R. Placet mihi. Supplicationes igitur & Proceſſiones, jam inde ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia ſemper uſitatæ fuerunt. Quamquam ne ipſi quidem Apoſtoli primi earum fuerint auctores, ſed exemplum ſumpſerint ex lege & Prophetis. Videmus enim illic quoties grave incidebat negotium, convocatam fuiſſe plebem, ſupplicationes & jejunia fuiſſe inſtituta, teſte Ivone, p. 4. c. 50. Vide Joſeph. l. 11. antiq. c. 8. — *Proceſſiones & ſupplicationes in Eccleſia antiquiſſimum uſum habēt*

Exod. 15 Moyſes convocatâ multitudine virorum, dulci modulo magnificavit Dominum, gratiaſque ei egit pro beneficio ſingulari, quo filii Iſraël mare rubrum ſicco veſtigio pertranſierant, perſecutoribus eorum Pharaone & ejus exercitu in eodem demerſis; & Maria ejus ſoror cum fœminis ſeorſim à viris egreſſa cum tympanis & choris, quibus præcinebant, dicens: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem ejus dejecit in mare.*

Judith 15. Venit Joachim ſummus Pontifex de Jeruſalem in Bethuliam cum univerſis Presbyteris ſuis, ut videret Judith. Et omnes populi gaudebant cum mulieribus & virginibus & juvenibus in organis & citharis. Tunc cantavit Canticum hoc Domino Judith, dicens: *Incipit Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi pſalmum novum, exaltate, & invocate nomen ejus, &c.* Et factum eſt poſt hæc quòd omnis populus poſt victoriam venit in Jeruſalem adorare Dominum. — Judith 15.

Eſther hæc Mardochæo verba mandavit: *Vade & congrega omnes Judæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter jejunabo, &c.* — C. 4.

Lege c. 2 Joëlis Prophetæ, ubi à Domino ei præcipitur, ut ſupplicationes, Litaniæ, & generales preces fiant. *Canite tuba in Sion, ſanctificate jejunium, vocate cœtum,* — Joël 2.

tum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate parvulos & ſugentes ubera, &c.

Vide Joſue 6. proceſſionem circa Jericho cum Arca Domini habitam optimo ſucceſſu.

Et aliam, quâ David cum univerſo populo Iſraël eduxit è domo Obededom Arcam Domini. 1. Paral. 13.

Matt. 21. In lege Evangelica Chriſtus Dominus ſuo exemplo ſupplicationes probavit, quando ſolemniter Hieroſolymam ingreſſus eſt cum Diſcipulis & populo palmarum ramos præferente, & Oſanna decantante. Vide Bernard. ſer. 2. in die Palmarum.

Act. 12. Quando S. Petrus Eccleſiæ caput carceri mancipatus erat, oratio fiebat ſine intermiſſione ad Deum pro eo, & ſtupendo miraculo liber evaſit.

I. Quæ ſunt principales & ſolemniores proceſſiones, quæ in Eccleſia univerſali obſervantur?

Proceſſiones tres præcipuæ in Eccleſia univerſali ab antiquo obſervatæ. R. Hugo de Sancto victore l. 4. eruditionum Theologicarum c. 14. teſtatur tres præcipuè ſupplicationes ſeu ſolemnes rogationes in Eccleſia obſervari ſolitas; prima eſt illa quam facimus in Purificatione Beatæ Mariæ cum cereis, de qua S. Bern. ſerm 2. ejuſdem ſolemnitatis, & nos infrà ſup. 1. præcepto Decalogi.

Secundam habemus in Dominica Palmarum. Vide quæ eodem loco tradimus de ramis palmarum.

Tertiam habemus in Litaniis majoribus, quæ celebrantur in die S. Marci, & in tribus diebus ante Aſcenſionem Domini, quæ Litaniæ minores dicuntur.

Litaniæ majores. I. Litaniæ majores quæ in diem ſancti Marci ad 25. Aplilis incidunt, ſuntne antiquæ?

In Not. ad Martyrol. R. Ita. Nam quod nonnulli dicunt inſtitutas à S. Gregorio Magno, ſic intelligendum putat Baron. non ut ipſas majores Litanias S. Gregorius primus invenerit, ſed quod ad S. Petrum eas indixerit.

In princip. l. 2. Regiſtri. Sanè, extat ejuſdem Pontificis decretum de Litaniarum majorum annuâ celebritate his verbis: *Solemnitas annuæ devotionis, nos fratres dilectiſſimi admonet, ut Litaniam quæ major ab omnibus appellatur, ſollicitis ac devotis debeamus (auxiliante Deo) mentibus celebrare.*

Litaniæ minores ante Aſcenſionem Domini. I. Quandonam cœperunt Rogationes ſeu Litaniæ minores, quæ triduò ante Domini Aſcenſionem celebrantur?

R. Antiquiores etiam ſunt hæ præcedentibus, quas majores diximus, nam, etiamſi earum initium neſciatur; tamen plurimorum graviſſimorumque ſcriptorum teſtimoniis conſtat eas à S. Mamerto Epiſcopo Viennenſi temporibus Valentini tertii Imperatoris in Galliis anno circiter 452. reſtitutas & in meliorem formam redactas, pro omnibus ſufficiat Sidonius Apollinaris Epiſtola ad eundem Mamertum ſcripta l. 7. ep. 1. alia ad Aprum 14. l. 5. ubi hæc inter alia de priſtina Litaniarum obſervatione jam negligentiâ torpeſcente: *Erant*, inquit, *quidem prius (quod ſalvâ fidei pace dictum ſit) vagæ, tepentes, infrequenteſque, & (ut ſic dixerim) oſcitabundæ ſupplicationes; quæ ſemper interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur &c.* In his autem *quas ſuprà-fatus ſummus Sacerdos & protulit pariter, & contulit, jejunatur, oratur pſallitur, & fletur, &c.*

Et S. Auguſtinus qui tempore præceſſit Mamertum de iiſdem Rogationibus quæ præcedunt celebritatem Aſcenſionis Dominicæ, non obſcurè meminit ſermone 173. de temp. in vigil. Aſcenſ. Domini.

Eſt ejus exordium: *Scire debemus & intelligere fratres chariſſimi, quia dies compunctionis & pœnitentiæ celebramus, &c.*

Circa fidem autem ſic: *Nullus ſibi de induſtria aliquas occupationes inquirat, per quas ſe de Eccleſiæ conventu ſubducat Sine dubio, peccatorum ſuorum vulnera diligit, qui in iſtis tribus diebus, jejunando, orando, & pſallendo, medicamenta ſibi ſpiritualia non inquirit.*

 Exuc

Extat de Rogationibus Canon 29. primi Concil. Aurelian.

Item c. Rogationes de conſec. diſt. 3.

Item Cæſar Arelat. hom. 23. Greg. Turon. de geſt. Franc. l. 2. c. 34. Baron. tom. 6 anno 475 & latiùs in annot. ad Martyrol. Rom. ad 25. Aprilis.

I. Sed cur Litaniæ ſive ſupplicationes quæ in die S. Marci celebrantur, *majores*; illæ verò quæ Aſcenſionem Domini præcedunt, *minores* appellantur?

R. In feſto S. Marci major Litania dicitur, quia à B. Gregorio ſummo Pontifice inſtituta vel reſtaurata, quia verò ante Aſcenſionem celebratur, minor. quia ab aliquo inferiori Prælato, puta à beato Mamerto Epiſcopo Viennenſi inventa, ut multi putarunt, vel potiùs in meliorem formam redacta, ut ſuprà proximè diximus.

De his pleniùs *Guil. Durand. l 6 Rationalis c. 102. vide Baron. tom. 7. anno 589*

I. Quis fructus & quæ utilitas Litaniarum, ſupplicationum & Proceſſionum generalium.

Fructus Proceſſionum & Litaniarum generalium.

R. S. Leo ſerm. 3. de jejunio ſeptimi menſis, pleniſſima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Eccleſiæ una eſt oratio, & una confeſſio.

Si enim duorum vel trium ſanctorum pio conſenſui omnia quæ popoſcerint, Dominus præſtanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi, unam obſervantiam pariter exequenti & per unum ſpiritum concorditer ſupplicanti?

Magnum eſt in conſpectu Domini dilectiſſimi, valdeque pretioſum, cùm totus populus Chriſti eiſdem ſimul inſtat officiis, & in utroque ſexu omnes gradus, omneſque ordines eodem cooperantur affectu, cùm in declinando à malo ac faciendo bono, par cunctorum & una ſententia eſt; cùm in operibus ſervorum ſuorum glorificatur Deus, & totius pietatis auctori in multorum actione gratiarum benedicitur.

I. Eſtne antiqua conſuetudo in Eccleſia ut in proceſſione ordinatè procedatur, clero ſæculari & regulari, necnon populo ſeparatim & in gradu ſuo quibuſlibet conſiſtentibus?

R. Ita. Vide ordinatam à S. Gregorio proceſſionem in Litaniis majoribus, de quibus ante, apud Baron. tom 7. anno 589.

Rogationes cur cruces dictæ.

I. Cur Litaniæ iſtiuſmodi, ſive Rogationes crucis appellantur?

R. Quia in illis jam ab olim circumferuntur Cruces & Labara.

I. Ex quo tempore id obtinuit in Eccleſia ut Cruces & Labara proceſſionibus præferantur?

R. Cœpit hic uſus ferendi crucem & vexilla in proceſſionibus à tempore Conſtantini magni, qui Labarum, hoc eſt, ſignum & vexillum, (teſte Ambroſio ep. 29. ad Theodoſium) crucis imagine inſignitum, ſuis militibus adorandum, hoſtibus expaveſcendum præire mandavit. *Hiſtor. trip. l. 1 c. 5 & 9.*

V Baron. an. Dom. 312.

Idem habet Eutropius l. 11. de Conſtantino.

I. Quid ſignificant cruces & vexilla ſacra proceſſionibus prætenſa & comportata?

R. Victoriam Reſurrectionis & Aſcenſionis Chriſti, qui cum magna præda cœlos aſcendit.

Vexillum enim per aëra incedens, eſt Chriſtus in cœlum aſcendens.

Et ſicut vexillum in proceſſione multitudo fidelium ſequitur: ſic & Chriſtum aſcendentem magna Sanctorum collectio comitatur.

Adde quòd vexillo crucis & orationibus, ſeu Litaniis Sanctorum dæmones fortiter repellantur. Vide Baron. an. 401. n. 8.

Proceſſiones Dominicales.

I. Quandonam cœperunt etiam in Dominicis diebus proceſſiones inſtitui?

R. Circa annum Domini 536. Agapitus Papa ſingulis diebus Dominicis ſupplicationes indixit, uti refert Martinus

Po-

Polon. ad an. 537. vide nihilominùs Tertul. ad uxor. l. 2. c. 4. Hieron. ep. 12. 22. S. Baſil ep. 73. Rupert. de divin. offic.

Proceſſiones extraordinariæ.

I. Nunquid etiam aliis anni temporibus interdum aliæ ſunt ſupplicationes generales celebratæ?

Exempla. Niceph. l. [illegible] c. 3.

R. Immò. Quoties Civitates & Regna aliquâ calamitate afflicta fuerunt.

Vide Nicephorum l. 10 c. 35. & l. 12. c 43. & præſertim l. 14. c. 46.

Secundò propter pluvialem tempeſtatem celebrata eſt Litania, in qua Theodoſius Imperator privato, abjectoque habitu inceſſit.

Tertiò pro ſiccitate nimia, vide in vita S. Porphirii Epiſcopi apud Surium 26. Febr. Baron. tom. 5. anno 398.

Quartò pro peſte avertenda. In vita ſancti Euſtachii Presbyteri, Surius 6. April. vide Greg. Turon. l 4. c. 5. infrà cit.

Quintò pro Infidelium converſione, vide Bredemb. l. 7. c. 20.

Sextò pro pace obtinenda, & contra hoſtium incurſus Baron tom. 11. Annal. anno 1063 n. 64. & 65.

Septimò pro gratiarum actione, poſtquam à malis erutum eſt regnum vel provincia S. Greg. Turon l. 4. hiſt. Franc. c. 5 Baron. to. 7. anno 504.

Seſſ. 25. c. 1. de reform.

Octavò. Concilium Tridentinum ſtatuit ut quamprimùm Eccleſia aliqua Cathedralis vacaverit, ſupplicationes, ac preces publicæ privatimque habeantur, atque à Capitulo per Civitatem & Diœceſim indicantur, quibus Clerus, populuſque bonum à Deo Paſtorem valeat impetrare.

Sacra Reliquia in Proceſſionibus delata.

I. Solebantne antiquitùs ſacræ Reliquiæ in Proceſſionibus circumgeſtari?

R. Ita, vide S. Aug. l. 22. de Civit. c. 8. relatum in Breviar. Roman. ad 3. Auguſti.

Exemplū.

Supplicationem celebrarunt in Caſarea Paleſtina cum Reliquiis S. Athanaſii Martyris, ut habetur act. 4. Synodi Nicænæ, II. Childebertus Rex & Clotarius civitatem Cæſar Auguſtanam obſederunt, quod cives agnoſcentes ciliciis humiliati ac ad Deum converſi, tunicam S. Vincentii Martyris muris civitatis dulciſſimis pſallentium vocibus deportando, plebeis eam fuſis lachrymarum imbribus inſequentibus circuierunt, quorum circuitus rationem obſidentes cùm agnoviſſent, timore perculſi, civitatem reliquerunt invictam, Greg. Turon. l. 5. c. 26.

Et imagines.

I. Etiamne Imagines delatæ ſunt olim in proceſſionibus?

Carol Sigon. l 1. de Regno Italiæ.

Exemplū.

R. Ita. Gregorius Pontifex, cùm ſæviſſima peſtis Romæ graſſaretur, ac multæ ſimul aliæ calamitates accederent, religioſam in die Reſurrectionis ſupplicationem inſtituit, & Virginis Dei Genitricis imaginem in publicum offerri curavit, piamque circumgeſtationem Deus præſenti miraculo comprobavit. Etenim quacumque ferretur imago, peſtilentia depulſa eſt; & ſalubritas optata in urbe ſecuta. Ubi congratulantibus omnibus Deo, ecce ibi Angelus, qui S. Virginem his vocibus è cœlo alloqueretur: *Regina cœli lætare, alleluja Quia quem meruiſti portare, alleluja, Reſurrexit ſicut dixit alleluja.*

Caniſ. l. 3. c. 22. vide eundem c. 24.

Quam orationem ſimul atque Gregorius coram audivit, divino ſpiritu ſtatim excitatus eam in hanc modum explevit: *Ora pro nobis Deum, Alleluja.* Quod Canticum inde ſolemne manſit in Eccleſia, & Paſchalis lætitiæ argumentum.

I. Fuitne etiam moris Sanctorum reliquias aut imagines, tubarum, tympanorum, & aliorum muſicorum inſtrumentorum apparatu in proceſſionibus deportare?

R. Ita. Vide Ambroſ. ſerm. 12. & 80. & hujuſce rei figuram, 2. Reg. 16. & 1. Paral. 13. & 15. Joſuè 6.

Proceſſiones cum venerabili Sacramēto.

I. Quid verò cenſes de proceſſionibus in quibus Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum defertur; & quo pacto vindicabis illas ab hæreticorum calumniis?

R. Eſt mihi hac in re inſtar clypei fortiſſimi contra eorum cavillos definitio S. Synodi Trident ſſ. 13. can. 6. in his verbis: *Si quis dixerit in Sancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo adorandum, atque ideò nec feſtivum peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem, & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum, vel non publicè ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras, Anathema ſit.*

Inſt. p. 4. c. 4. lect. ult. in fine.

I. Sed obganniunt hæretici, & dicunt non veniſſe Chriſtum in terram, ut ſolemni pompa circumgeſtetur & adoretur?

R. Credo; magis verò ut illuderetur & crucifigeretur. Sed age, nunquid religioſum eſt, & pium, Dominum Deum in omni loco adorare? Quis ſanæ mentis tres Magos Chriſti in incunabulis adoratores reprehenderit, aut Mariam Magdalenam culpaverit, etſi nullum adorandi vel unguentum pretioſum effundendi præceptum habuerint? Rurſus cædentes ramos de arboribus ac veſtimenta ſternentes in via, item clamantes *Oſanna*, nullum habuere præceptum; tamen tantum abeſt, ut reprehenſi fuerint inſolentiæ, ut etiam lapides clamaſſent, niſi ipſi divinas laudes perſolviſſent, *ſecundum Lucam c. 19.*

Matt. 26. Joan. 12.

Litania privata.

I. Eſtne etiam uſu receptum, ut per Litanias non ſolùm publicas, ſed etiam privatas, Sanctorum imploretur auxilium.

Exemplum.

R. Ita. B. Coleta Virgo Religioſa, in omnibus rebus adverſis, atque in negotiis arduis ſemper confugiendum cenſebat ad preces humiles, dicebatque tum per ſeipſum, tum per Sorores, Litanias, quibus fidebat plurimùm, & ſingulari devotione afficiebatur.

I. Idne agit felici ſucceſſu?

R. Planè, uti ex ſubjecta patebit hiſtoria. B. Coleta viſitatura aliquando Monaſteria ſua, cùm ad locum quendam periculoſum perveniſſet, ſentiens in ſpiritu ſe in diſcrimine verſari, monuit Sorores ut Litanias promerent. Quidam verò nobilis ſævus & immanis S. Coletæ operâ, & conatus magnis viribus impedire cupiens, per miniſtros ſuos iter ejus diu explorari juſſit. Illi verò Coletam, & comites ejus curaverunt illic detinendas, donec nobilis iſte cum ſuis eò adveniret. Is ubi venit; evomuit confeſtim à cœnoſo pectore lutulenta & turpia verba. Et autem humiliter, & religioſè Coleta reſpondit, & ecce equi malorum hominum manſerunt immoti, nec ad currum propius accedere potuerunt, quamvis poſſent facilè retrò cedere.

Steph. Iuliac ejus contemporaneus c. 26. vit. ejus apud Sur. to. 2. 6 Martii.

I. Invaluitne etiam pridem mos Litanias apud morientes legendi?

R. Ita De B. Aletha divi Bernardi Marre ſcribit Guillielmus Abbas quòd ſanctè in Domino obdormierit pſallentibus clericis qui convenerant, & ipſa pariter pſallens, ut in extremis quoque cùm jam vox ejus audiri non poſſet, adhuc moveri labia viderentur, & lingua palpitans Dominum confiteri. Demum inter Litaniæ ſupplicationes cùm diceretur: *Per paſſionem & crucem tuam, libera eam Domine*, elevans manum ſignavit ſe, ita ut magnum non poſſet deponere, quam levaverat.

L. 1. c. 15. *Litania apud morituros legi ſolita.*

Aliud in hoc genere exemplum habes de S. Cunegunde Imperatrice moribunda apud Surium 3. die Martii.

LECTIO XV.

Quòd Officia divina linguâ vernaculâ peragi non debeant; & de Eccleſiaſtici Cantûs utilitate.

I. PLurimum mihi arrident quæ hactenùs in medium protuliſti de divinis officiis, eorumque partibus; neque facilè mihi perſuaſiſſem tanta ſubfuiſſe iis myſteria;

Digitized by Google

ſteria, Sed dolendum eſt quòd illa non celebrentur linguâ paſſim intellectâ & vernaculâ pro majori populi devotione & ædificatione.

Non decuit officia divina vernaculè celebrari. R. Immò verò plures ob rationes id minimè fieri decuit. 1. quidem quia rudes & indocti perperam ſæpè res tam divinas intelligerent, indeque occaſionem errorum & hæreſeon aſſumerent. 2. Si vernaculè officium diceretur, in tanta idiomatum, etiam ejuſdem regni vel provinciæ, varietate, ſchiſma oriretur, riſus & contemptus ſacrorum. 3. Horæ canonicæ à latino Clero, latinâ linguâ cantantur, & Deo efferuntur pro populo, ut alibi diximus; qui non vulgarem exindè utilitatem capit, etiamſi non intelligat.

I. Si ſaltem Miſſa vulgari idiomate celebraretur.

Miſſam linguâ vulgari dici non expedit. R. Id non eſt neceſſarium, immò neque decens, Hoc poſterius patet ex ratione 2. ſuprà proximè poſita. Non eſſe etiam neceſſarium convincitur ex eo, quòd etſi populus non intelligat ſingula verba aut ſententias quæ in Miſſa pronuntiantur. At certè non ignorat ibi Deo Patri offerri verum ac propitiatorium ſacrificium Corporis & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini, ab eodem Chriſto Domino in remiſſione peccatorum inſtitutum. Quoad partes Miſſæ principales, ejuſdemque cæremonias & ritus facilè quivis addiſcet per expoſitionem (quam facere frequenter inter Miſſarum ſolem-

Seſſ. 22. c. 8. nia mandat Synodus Tridentina Paſtoribus ſingulis curam animarum gerentibus) eorum quæ in Miſſa leguntur.

Secundò populus particeps eſt ſacrificii, &, ſi voluerit, ipſius etiam Sacramenti. Deindè communicat Sacerdoti in omnibus orationibus quas ad altare fundit. Accedit, quod Miſſa cæremoniis ſuis magnam fideli populo devotionem excitet, ut neceſſarium non ſit ſingula verba vel audire vel intelligere, non magis quàm cliens Advocati ſui verba, ſententias, diſcurſus capit, aut intelligit.

Multò verò minus preces horariæ, ſeu divina officia quæ à Clero nomine populi Deo deferuntur, utilitate carent, etiamſi linguâ latinâ paſſim vulgò ignotâ perſolvantur, non enim ad populum ut in exhortatione, ſed ad Deum, orantis ſermo dirigitur. Vndè factum eſt, ut populus à Clero, etiam loco diſtinguatur, & ſeparatus conſideat, ut ex facto Ambroſii notum eſt, apud Theodoretum l. 5. Hiſtor. c. 18. *Sup. 1. c. 20. lect. 9.*

I. Rectène publicas orationes & officia divina Eccleſia altâ voce decantat?

R. Haud dubiè, exemplum Angelorum ſecuta; qui uti ſuprà habuimus, magnâ voce Deo concinunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*; & Chriſto nato: *Gloria in excelſis Deo.* *Iſai. 6.* *Luc. 2.*

Plurimum enim valere pſalmorum & hymnorum cantum ad commovendum piè animum, & inflammandum devotionis affectum, Auguſtinus expertum ſe initio ſuæ converſionis ſcribit: *Quantum*, ait, *flevi in hymnis & canticis tuis, ſuavè ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrimæ, & benè mihi erat in eis.* *1. L. 9. conf. c. 6.* *Cantus Eccleſiæ utilitates*

Et l. 10. c. 33. *Cum reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, magnam hujus inſtituti utilitatem agnoſco.* Idem repetit epiſtola 119. c. 18. *2.*

Cantus Eccleſiæ valet ad pellendum torporem ac tædium, generandamque animi lætitiam, ut cum delectatione officium (alioqui prolixum & moleſtum) Deo perſolvatur. Vide Baſil. ſup. Pſal. & Lactant. l. 6. c. 21. Juſtin. Mart. qu. 107. Chryſ. ſup. Pſ. 41. *3.*

Valet etiam cantus Eccleſiæ ad fidei confeſſionem; proteſtamur enim nos Chriſtum non erubeſcere, nec ejus obſequium, licèt infideles ſubſannent. Undè Juliano Apoſtatâ contempto, primi Chriſtiani altâ voce Pſalmos cantabant,

teſte

teſte Ruffino in hiſt.l.10.c.35.36. Theod.l.3.c.17. Tripart.l.6.c.36.

4. Cantus indicat legem Dei fidelibus eſſe ſuavem, & illam ſe non timore, ſed amore ſervare, juxta illud Pſ. 118. *Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Quaſi dicat: Leges Domini uſque adeò non fuerunt mihi graves, & cum labore portandæ, ut potiùs fuerint ſuaves, & me inſtar carminum oblectantes.

5. Pleniùs Deo reddimus obſequium, quando mente & contenſâ voce ipſum laudamus, cui nos totos debemus.

6. Poſtremò, Cantus Eccleſiæ ſuggeſtiones diaboli pellit, dolores & triſtitiam mitigat, divinam gratiam conciliat, Spiritum ſanctum illabi facit, ut in Eliſæo patuit, Saule, tribus pueris canentibus in fornace. *Jacob.5. 1.Reg.19. Dan.3.*

Non poteſt credi quantâ ſpiritûs alacritate in cantandis horis B. Lutgardis Domino deſerviret. Cùm ergò die quâdam in Veſperis decantaret in Choro, Monialis quædam quæ ex adverſo ſtabat, corporalis luminis flammam de illius ore vidit aſcendere, & in ſublime penetrare. *Exemplum in vita Lutgard. l.2.c.8. 16.Iunii.*

I. Viguitne ab initio Eccleſiæ mos iſte divina officia decantandi?

Antiquiſſimus in Eccleſia uſus officia divina decantandi. R. Ita, nam Chriſti Domini & Apoſtolorum exemplum habemus. Ille quidem peractâ cœnâ noviſſimâ hymnum cecinit Matt. 26. & de eo ſcribit Apoſtolus, quòd in die carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque cum clamore valido & lachrymis obtulerit Heb 5.

Hi verò mediâ nocte hymnos decantarunt Silas, inquam, & Paulus, qui etiam Epheſios & Coloſſenſes Epiſtolis ſuis hortatur, ut in hymnis & canticis ſe commoneant. Philo, teſte Euſebio, ſcribit Apoſtolorum tempore Oratoria fuiſſe in quibus hymni Deo canerentur. *Euſeb. l.2. hiſt. c.16. & 17.*

Dionyſius Areopagita teſtatur in ſepultura Defuncti totum pſalmos ſolere decantari l. de Eccleſiaſt. Hierarch. c. 7. p. 2.

Tertullianus in Apolog. c. 2. ex Plinio refert Chriſtianos ante lucem Chriſto hymnos ceciniſſe.

Baſilius ritum canendi toti Orienti eſſe communem teſtatur, quem auxit Chryſoſtomus teſte Socrate, l.6.c.8. *Epiſt. 63.*

In Africa quoque receptum fuiſſe cantandi ritum atteſtatur Conc. Cartha. 4. can. 10. Aug. l.9. Confeſſ. c 7. & l. 10. c. 33. ep. 119. c. 18.

5. Cantûs Eccleſiaſtici meminit Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ, cujus exequias S. Antonius pſalmorum, hymnorumque cantu juxta Chriſtianam traditionem celebravit.

In Gallicana Eccleſia vetuſtiſſimum eſſe cantandi uſum ex B. Hilario diſcere licet in Pſal. 65. Item ex Conc. Agat. c. 21. ubi ſtatuitur ut ſingulis diebus hymni decantentur.

De Eccleſiis Germaniæ atteſtatur Conc. Aquiſgran. c. 132. 133. monens cantores ut populi ædificationem canendo quærant.

I. Eſtne uſus organorum aliorumque inſtrumentorum muſicorum in officiis Eccleſiaſticis probandus & retinendus? *Organorum uſus in Eccleſia.*

R. Ita, dummodo (uti decrevit Conc. Trid. ſeſſ. 22. De obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ) Ordinarii locorum Epiſcopi ab Eccleſiis muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſcivum aut impurum aliquid miſcetur, arceant.

I. Quàm antiquus fuit hic organorum uſus?

R. Cajetanus & alii quidam novum eſſe volunt. Sed verò Platina & Bellarm. l.1. de operibus bonis c. 1. refert hunc uſum ad tempora Ludovici Pii.

Baronius anno Chriſti 787. dicit Carolum Magnum Româ cantores ſecum adduxiſſe, qui Francos ſecundùm notas Romanas canere, & artem organizandi docerent.

Sanè Venantius Fortunatus in carmine ad Clerum Pariſienſem, ubi oſtendit, quàm florens eſſet illa Eccleſia tempore S. Ger-

Sancti Germani Pariſienſis Epiſcopi, qui ex hac vita migavit anno 579. ſic canit:

Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde ſuis largam ructat ab ore tubam.
Cymbalica voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibuſque tropis, fiſtula dulce canit.
Tympana rauca ſenum puerilis fiſtula miſcet.
Atque hominum reparant verba canora lyram.

Ex quibus liquet jam tum in Eccleſia Pariſienſi ſub Pontifice ſanctiſſimo muſicas voces, & inſtrumenta locum habuiſſe. Et quoniam de cantu, & organis hactenus, non intempeſtivus erit in lectione ſequenti ſermo de Campanis, quæ ad horas, & officia divina pulſari ſolent.

LECTIO XVI.

De Campanis earumque pulſatione.

I. CUr pulſantur campanæ ad Miſſas, & divina officia?

R. Duas potiſſimùm ob cauſas. *Prima*: ad convocandum Eccleſiæ miniſtros, quorum opera peraguntur ſacra, ad eaque invitandum eos quibus integrum eſt intereſſe. *Secunda*: ut iis qui intereſſe non poſſunt, ſive illi domi, ſive in agro, ſuggeratur pia aliqua, & ſalutaris cogitatio de iis quæ in templis fiunt, præſertim dum ad Miſſas pulſatur. Datur enim illis occaſio per campanæ ſonitum devotâ aliquâ reflexione ſeſe colligendi, atque mentaliter aut vocaliter benè precandi in hunc modum: *Da, Domine Deus, huic Sacerdoti famulo tuo, qui ſe ad Sacroſancta myſteria accingit, virtutem & gratiam divinæ Majeſtati tuæ propitiatorias hoſtias offerendi pro vivis, & defunctis, & me indignum ſervum tuum tantis ſacrificiis participem fieri.*

Hâc ratione antiqui Patres vocarunt campanas *ſacra ſigna*, quia rem ſacram in Eccleſiis fieri ſuo ſonitu, vel tinnitu populo indicant; quaſi ſint ſigna temporis, quo clerici ad divinas horas recitandas, & fideles ad rem ſacram convenire debent. *L Ro. Ord. relat. in c. 1. de officio cuſtodis.*

I. Quare ad majora officia, & ſolemnes Miſſas in majoribus Eccleſiis fieri ſolitas plures campanæ pulſantur, & tintinnabulis interdum luditur?

R. Hoc ad ſolemnitatem majorem pertinet; atque ad eam Eccleſiæ adhuc militantis lætitiam repræſentandam, quam aulæ triumphantis æmula in iſtis majoribus ſolemnitatibus præ ſe feret.

I. Quare in religioſorum mendicantium conventibus plures campanæ eſſe non poſſunt?

R. Quia id vetuit ſummus Pontifex Joannes XXII. pacis & juſtitiæ inter viros Eccleſiaſticos conſervandæ gratia. *In extrav. com. c. un. Quia cunctos.*

Nam, quod nonnulli mendicantium Ordinum profeſſores in nonnullis eorum conventibus plures campanas obtinerent; cathedrales & aliæ Eccleſiæ querebantur propterea earum juſtitiæ detrahi, & exinde civitatibus locorum interdum afferri divinis officiis impedimentum, videbaturque inter ipſos litigiis, & ſcandalis via aperiri. Ideò ſummus Pontifex iſtis malis, & periculis obviam ire cupiens, pacemque deſiderans inter ipſos (ſine qua benè pacis auctor non colitur) obſervari; edicto ſuo perpetuo ordinavit, quòd religioſi mendicantes in nullo ſuo conventu, vel loco, plures campanas habeant ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ſed unâ tantummodò pro loco quolibet ſint contenti, *ut in text. c. cit. Quia cunctos.* Quòd plures ipſi in refectoriis, capitulis, & aliis locis regularibus campanulas, ſive tintinnabula habeant, nihil refert, quia per iſtas campanulas nulla Eccleſia poteſt prætendere, quod ſibi inferatur præjudicium;

Digitized by Google

cùm iſtæ non inſerviant populo externo convocando, ſed tantùm illis de conventu.

Similiter, ut matrici Eccleſiæ debitus honor reddatur, tam Regulares, quàm Clerici ſæculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam campana cathedralis, vel majoris Eccleſiæ pulſetur, campanas in Eccleſiis ſuis pulſare minimè poſſunt. Leo X. conſtit. incip. *dum intra mentis arcana* in Concil. Lateran. IV.

Text. in c. alma ſ. ad jicimus de ſent. excom.

5 I. Cur tempore interdicti non pulſantur campanæ?

R. Quia cùm campanæ, uti ſuprà, ex principali earum inſtitutione vocent populum ad conveniendum in templis, & Clerum ad annunciandas Dei laudes, ex ceſſante ratione meritò conſtitutum eſt, ne tempore interdicti illæ pulſentur.

I. probavitne aliquando Deus evidenti miraculo ſibi placere, ut tempore interdicti ſileant campanæ?

R. Ita, Mandaverat aliquando S. Eligius in quadam ſuæ Diœceſis Eccleſia, ex cauſa enormis alicujus delicti ab aliquo de clero iſtius Eccleſiæ perpetrati, interdictum ſervari: ille ſpretâ Epiſcopi ſui ordinatione campanas pulſaturus maximâ vi protraxit, ſed nequaquam ſonum elicere potuit, etiamſi totis viribus eas in utramque partem inflecteret. *Audoenus in vita S. Eligii.*

Exemplū.

I. Præter jam dictum principalem, & primarium effectum ſive uſum campanarum, qui eſt convocandi Clerum, & populum ad Eccleſias, ſuntne prætereà alii?

R. Ideò etiam inſtitutas eſſe campanas tradit Concil. Colon. *ut timeant dæmones, eoque ſonitu territi excedant, & ut repellantur procul hoſtiles exercitus, & ut fragor grandinum, procellarum turbinum, impetus tempeſtatum, & fulgurum, infeſta tonitrua, & ventorum flamina juſt mdantur, ſpiritus procellarum, & aëria tempeſtates proſternantur.*

Tit. de conſt. & conſuetud. t. 14.

Ut mihi videantur omnes campanarum uſus pulchrè in ſummam collecti in his verſibus, in quibus de ſe ipſa loqui campana inducitur,

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum.
Defunctos ploro, peſtem fugo, feſta decoro.

Gloſſ. int. Quia cum Bos.

I. Quandonam cœpit Eccleſia habere campanas?

R. Sunt qui dicant campanas noſtras ſucceſſiſſe in locum tubarum veteris Teſtamenti. Num. 10. Pſ. 80. favet Pontificale Rom. *in benedictione ſigni vel campanæ*; & populo iſti ad Dei cultum convocando ſatis fuiſſe tubas; cùm vera religio anguſtis adhuc concluderetur finibus, juxta illud: *Notus in Iudea Deus*: Chriſtianis verò neceſſarias fuiſſe campanas ſive majora tintinnabula pro numeroſiore plebe convocanda toto orbe diſperſa; ut ſicut olim *in omnem terram exivit Apoſtolorum ſonus*, ita nunc tantæ multitudinis aures campanarum ſonora vox compleat.

Amalar. l. 3. c. 1. nu. 10 Pſ. 4. c. 21.

Pſ. 75.

Alii volunt primis Eccleſiæ temporibus cùm adhuc in cryptis, in cæmeteriis, in privatis piorum ædibus ſacra fierent, ligni ſignis ad ea convocatos Chriſtianos, ne ſi majorem fragorem excitarent gentilibus perſecutoribus ſua myſteria proderent. Cujus rei typum etiamnum apud nos exprimi ſcribit Alcuinus dum in hebdomadæ majoris extremis diebus Eccleſia priſcas illas fidelium perſecutiones in capitis martyrum Chriſti perſonâ nobis ob oculos exhibet. Illud certum eſt poſt redditam Eccleſiæ pacem tintinnabuli ſonitu populum ad ſacras ædes convocari conſueviſſe, uti videre eſt apud *Baron. an. 58.*

De div. offic. c. 18.

Et cùm in actis S. Lupi Senonenſis Epiſcopi mentio fiat prægrandis tintinnabuli ſeu campanæ quæ in Eccleſia Senonenſi erat ad convocandum populum; ſatis declaratur jam iſto tempore in uſu frequenti campanas fuiſſe in Occidente receptas;

Circa an. Dom. 614.

ceptas;

ceptas. Quod ad Orientales Eccleſias ſpectat, Ærea inſtrumenta quæ campanas dicimus, uſui eſſe cœpiſſe Græcis, miſſis ipſis ad Michaëlem Imp. à Duce Venetiarum Urſo Patriciaco aſſerunt ſcriptores proſecuti res Venetas. Ita. Baron ad an. 865.

I. Tintinnabula unde campanæ dicta?

Walfrid. Strabo de rebus Eccl. c. 5. R. A Campania Italiæ, quod in Nola ejuſdem provinciæ civitate primùm inventæ ſint; unde & minores campanas nolas dicimus, quibus occinit Baptiſta Mantuanus l. 4. Faſt. de Jubil.

Æs quoque cui nomen noſtras campana per oras,
Quod, veluti perhibent, illud Campania primùm
Repperit, ad plebem Divorum in templa vocandam,
Adque coërcendos lemures, cum nubila venti
Conglomerant, pleriſque volunt infligere campis
Perniciem, ſcopuliſque vagas allidere puppes.

I. Eſtne mos antiquus benedicendi campanas?

R. Ita. Contigit Romæ primariam Eccleſiæ Lateranenſis campanam miræ magnitudinis recens fuſam ſuper campanile elevari: quam priùs Joannes XIII. Pontifex ſacris ritibus Deo conſecravit, atque Joannis nomine nuncupavit. *Baron. ad an. 968.*

I. Quibuſnam de cauſis benedicuntur campanæ?

R. Epiſcopus benedicit, & ſacro chriſmate ungit campanas, ut præmemoratos effectus à Deo ſolemnibus precibus, & benedictionibus impertret.

I. Quid precatur Epiſcopus in benedictione campanæ?

R. *Omnipotent ſempiterne Deus, &c. tu hoc tintinnabulum cœleſti benedictione perfunde: ut ad ſonitum ejus longiùs effugentur ignita jacula inimici, percuſſio fulminum, impetus lapidum, læſio tempeſtatum, &c.* Et inferiùs: *Ut quicumque ad ſonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi ſemper fidei Catholicæ documenta ſectentur.* *Pontif. Rom.*

Et in alia oratione: *Omnipotens Dominator Chriſte, &c.* Et infrà: *Tu hoc tintinnabulum Sancti Spiritûs rore perfunde, ut ante ſonitum illius ſemper fugiat bonorum inimicus; invitetur ad fidem populus Chriſtianus, hoſtilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus: ac ſicut Davidica cithara delectatus deſcendat Spiritus Sanctus.* Et paulò infrà: *ut dum vaſculi ſonitus tranſit per nubila, Eccleſiæ tuæ conventum manus conſervet angelica, fruges credentium, mentes & corpora ſalvet protectio ſempiterna.*

I. Habeſne exempla quibus probes benedictionem campanarum ſuos interdum operatam effectus? *Exempla.*

R. Ita. Campana à ſancto Bennone conſecrata omnem vim cœli ab agris finitimis avertit. *Adrianus VI. in conſtit. incip. excelſus. pro canonizat. ejuſdem ſancti.*

Monachum quendam Joannem nomine, Italicum natione, regularis diſciplinæ ſeverioris pertæſum eò adduxerat dæmō, Abbatis peregrini ſpecie aſſumptâ, ut de ſtatione deſerenda cogitaret, diaboloq; id ſuggerenti penè conſentiret. Sed miſericors Deus, qui non permittit nos tentari ſuprà quam ferre poſſumus, non ultrà paſſus eſt hoſtem procedere, ſed ſcriptum eſt: *Qui fecit illum, applicavit gladium ejus*; quando namque hoc agebatur, fratrum conventus in refectorio ex conſuetudine hora cænandi reſidebat; qua expletâ à Priore ſecundùm morem uno ictu ſcilla (nobis nola) percuſſa eſt. Quo ſono audito mox dæmon qui Abbatem ſe fingebat actus divina virtute à fratre, cui loquebatur ſe abripuit, & præcipiti curſu ac maximo impetu ad latrinas proximas vidente fratre jam dicto, in earum ſe inferiora demerſit. *Pet. vener. Abbas Clun. l. 1. mirac. c. 13.* *Job. 40.*

Huc pertinet campanæ Senonenſis, de qua jam ſuprà meminimus, miraculum. Res ſic ſe habet: Mortuo Theodorico Principe, Clotarius Rex in Burgundiam veniens, hoſtili manu armatum Blidebodem ducem miſit in Senones.

Ex act. S. Lupi Epiſc Senonenſ. apud Sur. to.5.1. Sept

Illo ergo tela atrociter in oppidum vibrante, ſanctus Epiſcopus Lupus in Domino fidens, ad Proto-martyris Stephani ædem ſe contulit: cumque ad convocandum populum ſignum (campanam) Eccleſiæ tangeret, viribus hoſtes deſtituti, tantoque ſunt terrore correpti, ut nullam ſalutis opem ſibi ſupereſſe putarent, niſi fuga ſibi conſulerent. Clotarius autem Rex ubi comperiſſet campanam illam ſonum edere gratiſſimum, juſſit eam Pariſios transferri, ut ejus tinnitu ſæpiùs delectaretur. Diſplicuit ea res B. Epiſcopo. Itaque mox ut ablata eſt à Senonibus, omnem ſoni gratiam amiſit. Id Rex intelligens, ocyùs jubet eam ſuo loco reſtitui. ubi autem ad pontem Senonicum ventum eſt, redijt illi priſtinus ſonus, & ob ſancti viri merita ſeptimo milliario auditus eſt.

I. Dicunt hæretici nos baptizare campanas?

Hæreticorum calumnia.

R. Legant Pontificale Rom. ubi ritus benedicendi campanas præſcribitur; ſed de baptiſmo nihil invenient.

I. At vulgus veſtrum, inquiunt, ſic loquitur?

R. Quemadmodum imperitæ multitudini vocibus abutendi, ita hæreticis ſemper fuit æqua poteſtas calumniandi.

Nomina imponuntur campanis.

I. Nomina campanis imponuntur ſicut in Baptiſmo?

R. Quid tum? Eſtne nominis impoſitio Baptiſmus? Quem ipſi Epiſcopum campanas benedicentem audierunt proferentem verba iſta: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quæ ſunt verba eſſentialia formæ, ſine quibus non perficitur Baptiſmus? Quòd autem nomina campanis dentur, jam inolevrat tempore Alcuini Flacci, apud quem reperiuntur hæc verba: *Neque novum videri debet campanas benedicere, & ungere, & eis nomen imponere.* Poteſt autem iſta nominis impoſitio duplicem habere rationem; *Prima*, ut à cæteris diſtinguantur. *Altera*; Quòd viſum ſit ad pietatem conducere, ſi voce Sancti alicujus diceretur populus ad Eccleſiam convocari.

Ex duabus rationibus.

I. Fueruntne olim campanæ in veneratione?

R. Ita, tum propter ſolemnem Epiſcopi benedictionem & ſacram chriſmationem; tum quia vas ejuſmodi metallinum Beati alicujus tutelæ commendatum eſt, fungiturque ſacro officio clerum & plebem ad divina convocandi, & ſuo tinnitu Dei laudes celebrandi. Unde factum eſt, ut ad Oſtiarii munus ſpectaret campanas pulſare, & hanc ob cauſam datur illi in ordinatione tintinnabulum, ſive nola. Quod ad cuſtodis Eccleſiæ officium poſtmodum acceſſit, ut patet ext. de offic. Cuſtodis c. 1. & 2. & hodiernis moribus paſſim obſervatur. Illi enim inter cætera, dum Eccleſiæ cuſtodiam capeſſit campanilis & campanarum cura demandatur, ut ſæpiuſcule campanarium interviſat, ibique campanas ſingulas perſcrutetur, advertat ſi benè & ſecurè dependeant, ſi reſtringenda, an fortè laxanda coriacea malleorum vincula, ſi chordæ integræ, ſi integra & ſolida ſint inferiora tabulata & aſcenſus, ſi ſarta tecta ſerventur, &c.

Adde, non niſi ſuperpelliceis indutos olim campanas pulſaſſe, conſtare ex Concil Colon. p. 3. c. 1.

I. Suntne campanæ ipſæ cum ſuis campanilibus Deo curæ?

Sigeb. in Chron. ad an. 1035.

Exemplum.

R. Ita Regis Dagoberti tempore ſanctus Præſul Urſmarus in Flandrenſi Provincia prædicans ſub honore S. Petri Apoſtoli, ipſo ſibi revelante Eccleſiam Maldemburgenſem oppido ædificavit & conſecravit, quam Deus multis miraculis uſquequaque glorificavit. Interque illud

nam

rem mirabile, quàm inauditum anteà, extitit, quod hoc anno Dominici noctè natalis contigit. Campanarium præfatæ Eccleſiæ vehementi vento flante à ſuis locis evulſum, ad terram penitus fuit inverſarum, ita in aëre pendens & ſui ruinam minitans, ut ſemper caſurum & cuncta vicina confractuuum cernerent. Sed cùm per ſex noctes & dies id tractaretur à populo, qualiter hinc inde extractis machinis ſurſum erigeretur, & utcumque ſuo loco recollocaretur, pridie Calendas Januarii circa noctis medium advenienis, virtus divina totam Eccleſiam intus & foris implens luce igneâ, & campanarium ad terram reclinatum totum ſimul erexit, ac firmiſſimè locis ſuis recollocavit, & campanas ibi dependentes mox ſonare compulit.

Campanæ ſuâ ſponte ſonant.

I. Eſtne etiam mos antiquus, ut campanæ pulſentur in exequiis defunctorum?

R. Ita, imò ritum hunc Deus miraculo comprobavit.

Aliud exemplum.

Anno à Christo incarnato 1062. cùm fames intolerabilis Flandros premeret, grandiſque multitudo hominum panis quærendi gratiâ confluerent Aldemburgium, repertus ibi quidam primâ luce, qui ſub dio de nocte, fame, ut creditum eſt, perierat, qui dum ſepeliretur, prohibuit Sacerdos Godubertus, ne pulſarentur campanæ; eo quòd homo eſſet ignotus. Sed ecce ibi, ſtupentibus cunctis qui aderant, prodigio per ſe æra illa (mirum dictu) perſonuerunt.

Meyerus l. 3. hiſtor. Flan. ad an. Domini 1062.

I. Cur lugubre ſonant campanæ in funere mortuorum?

R. Ut ad compaſſionem excitentur Fideles ſuper morte unius è ſuis fratribus, conveniantque ad orandum pro anima defuncti. 2. Ut quiſque per campanarum compulſationem admoneatur finis ſui, quaſi ſibi dicatur: *Memento mortis, recordare finis tui, quia ſicut illi hodie, ita eras tibi*; quæ quidem ſalubris eſt cogitatio, & quæ hominem valde compeſcit à peccato juxta illud. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Vide ſup. 5. 2. c. 5. l. 10.

I. Cur ter in die pulſatur ad *Ave Maria*, ſive ad orationem matutinam, meridianam, & veſpertinam?

R. Hoc diximus ſup. c. 2. l. 1 & 3.

I. Quid tandem circa campanarum & tintinnabulorum pulſationem obſervandum eſt?

R. Quod in Conc. Prov. II. Mechlinienſi ordinatum eſt his verbis: *Tintinnabula & campanas ad harmoniam quandam pulſantes, ejuſmodi pulſatione turpes, inhoneſtas, vis ſcandaloſas cantiones non exprimant, vel imitentur; ſed potius hymnorum & canticorum Eccleſiæ modulationes.*

Tit. 12. c. 8.

Tit. de div. offic. c. 5.

Quod jam antè in I. Concil. Prov. Cameracen. totidem ferè verbis ſancitum erat.

LECTIO XVII.

De Oratione mentali.

I. VEniamus nunc, ſi placet, ad alteram diviſionis ſpeciem.

Quid eſt *Oratio mentalis ſive meditatio?*

R. Nihil aliud eſt quàm devota quædam, cordialis & affectibus plena rerum ſanctarum conſideratio, hominem excitans ad laudandum & benedicendum Deum, ad imitationem virtutum Domini noſtri JESU Chriſti, ad Sanctorum, ad bonum amplexandum & malum fugiendum; vel denique ad quoſvis affectus, quibus excitemur ad recurrendum cum fervore & diligentia ad Dei præſidium.

Oratio mentalis quid?

Sive, meditari, nihil aliud eſt, quàm diligenter & attentè ſecum expendere, ac revolvere rem propoſitam, in finem orandi, vel cum Deo colloquendi.

I. Quænam oratio excellentior, mentalis, an vocalis?

R. Mentalis procul dubio, vocalis enim oratio abſque mentis attentione, oratio dici non poteſt: adeoque aliquâ ratione mentalis eſſe debet; mentalis verò abſque vocali poteſt ſubſiſtere.

Mentalis Orationis excellentia.

Prætereà, vocalis oratio, utpotè corporeis organis expreſſa communis nobis eſt cum avibus Cœli, quæ pro modulo ſuo omnes laudant Deum; oratio autem mentalis nobis cum Angelis communis eſt: & quantò animus corpore, tantò vocali ipſa præſtantior eſt.

I. At noviter inſtituta eſt mentalis oratio?

Orationis mentalis antiquitas.

R. Minimè: Deo enim qui antiquus dierum in Scriptura appellatur, coæva eſt, vel ut meliùs dicam, coæterna.

Ille enim ab æterno & ante omne ævum in ſui contemplatione tranquilliſſimè cõquieſcit, & beatus eſt.

Ecquid aliud agunt Angeli ab initio creationis, quam divinis perfectionibus meditatione perſcrutandis inhærere?

Sancti Prophetæ, Patriarchæ, Apoſtoli, Eccleſiæ Patres, & columnæ quid aliud in oratione egerunt vel tractaverunt?

R. Hæc una occupatio, hoc ſolum exercitium Eremitarum, ſolitariorum, & Anachoretarum, in ſylvarum & montium receſſibus.

Hac una de cauſa Dux vitæ noſtræ & omnis perfectionis Magiſter Chriſtus Dominus ad montem Oliveti convenire ſolebat, ut ibi pernoctaret in oratione Dei.

Ob id S. Joannes ejus præcurſor totos triginta annos deſertum incoluit continuâ divinarum rerum contemplatione ad prædicationem ſe accingens.

Ut omittam Paulos, Antonios, Baſilios, Hieronymos, Auguſtinos, Ambroſios, Benedictos, Bernardos, Franciſcos, Dominicos, qui omnes huic orationi impenſiſſimè addicti fuerunt.

I. Verumtamen ſemper mihi perſuaſum habeo hoc genus orationis difficile admodùm eſſe & laborioſum.

Orationis mentalis facilitas.

R. Adverte quæ dico. Quemadmodùm facilius eſt ſilere quàm loqui; ita mentaliter orare faciliùs, quàm vocaliter; nam ſi attentione opus eſt in mentali, ſimiliter & in vocali oratione opus eſt; alioqui nullius erit valoris. Si diſtractis in diverſa animis difficilis apparet meditatio, non id vitii conjicias in orationem, ſed in eorum potiùs indiſpoſitionem, qui effrænes divagationum habitus nullo unquam tempore cohibere didicerunt.

Exempla.

I. Pertinetne etiam oratio mentalis ad plebeios & rudes homines?

R. Planè, ad ſartores & ſutores, ad Juriſconſultos & Medicos.

Ad omnes pertinet oratio mentalis.

Sancti Criſpinus, S. Coſmas, S. Ivo, omnes orationi mentali operam dederunt.

Anachoretæ olim ex labore manuum ſuarum (ſecundùm Apoſtoli conſilium) victum ſibi parantes meditationes ſuas non intermittebant.

Comes Elzearius, Thomas Morus Angliæ Cancellarius, & alii multi publicis Regnorum & Provinciarum negotiis implicati nunquam hoc genus orationis deſeruerunt.

Laur. Sur. in Chron. ad an. 1558.

Carolus V. Imp. uſque adeò aſſiduus erat in oratione & meditatione tam in aula quàm in caſtris, ut vulgò de eo jactaretur, quòd cùm Deo frequentiùs & ampliùs converſaretur, quàm cum hominibus.

Gen. 24.

Iſaac obviam factus Rebeccæ, egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ jam die.

Job multarum prolium parens, & vir magnus inter Orientales, cui erat poſſeſſio ac familia multa nimis, cunctis diebus orabat & offerebat holocauſta pro filiis conſurgens diluculò.

Tobias nudatus omni ſubſtantiâ ſuâ; & in exilio poſitus orationem non intermiſit.

Moyſes in regimine populi numeroſiſſimi, Sanctus Ludovicus Franciæ Rex, Eduardus Angliæ, Amedeus Sabaudiæ

Dux,

Digitized by Google

Dux, aliique ſimilis conditionis homines, nullo tempore ab hoc inſtituto deſtiterunt.

Quid? quòd S. Hubertus in ipſa venatione Deum ipſum oratione mentis apprehendit?

Propheta Daniel, Patriarcha Joſeph, Beatus Franciſcus Borgia, aulici omnes & Regum miniſtri, quandonam conſuetum orationis exercitium prætermiſerunt?

Nunquam antiquitus Epiſcopi uſque adeò in munere Epiſcopali impediti fuerunt, ut a meditatione abſtinerent.

Ipſi denique Religioſorum Ordinum Inſtitutores, etſi in conſcribendo milite ſpirituali ſub Crucis & ſanctæ Religionis vexillis dimicaturo occupatiſſimi, ſeceſſum tamen & orandi ſtudium ſemper ſunt conſectati, ut Domino ſuo in ſolitudine fruerentur, & cum eo dulciſſime os ad os colloquerentur. Quis igitur modò excuſet ſe, ut dicat, per opificium, per negotiationem, per impedimenta & occupationes ſeu privatas, ſeu publicas, per Epiſcopale etiam munus, vel regni adminiſtrationem, vel alia quæcumque tandem negotia, ſibi non licere meditationi vacare?

I. Saltem concedes mihi iſtiuſmodi orationis genus ad litteratos & prudentes homines in primis ſpectare?

Ad idiotas æquè ſpectat hoc orationis genus ac ad viros eruditos. R. Hoc tibi minimè conceſſero. Omnes omninò poſſunt hoc ſtudium capeſſere, & in eo progreſſus magnos facere. Imò verò frequenter contingit ſimpliſſimum quemque idiotam plus in eo proficere, quàm eruditiſſimum Theologum.

Replentur oleo vaſa vacua non pauca viduæ Stephanæ ad juſſum Eliæi Prophetæ: ad eum modum poſſunt animæ vacuæ præſumptione facilè repleri Spiritûs ſancti chriſmatibus. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc* (ſacrorum Myſteriorum cognitionem) *à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* *4. Reg. 4. Matt. 11 c. 3. n. 12.*

Cum ſimplicibus (inquit Sapientia) *ſermocinatio ejus.* Quam hoc verum ſit, liquet ex vita Abrahæ, Iſaac, Jacob, Moyſis, Davidis, Iſaiæ, cæterorumque Prophetarum, & Apoſtolorum, quibus Deus ſua ſecreta patefecit.

Idem patet ex vita ſancti Antonii, Hilarionis, Pachomii, aliorumque Anachoretarum.

Idem liquet ex vita S. Mariæ Magdalenæ, Catharinæ Senenſis, Mechtildis, Lidvvinæ, Mariæ Oegniacenſis, Monicæ, Claræ, Brigittæ, Gertrudis, Tereſiæ, quibus omnibus in oratione & meditatione rerum cœleſtium mira Deus revelavit: ut proinde manifeſtum ſit meditationem non ad aliquem ſexum, conditionem, ordinem hominum reſtringendam vel attribuendam, cùm non vultum deprecantis ſe, ſed magis cor attendat Deus; *qui* (ut Gregorius 3. p. Paſtor. admon. 12. ait) *ideò cum ſimplicibus ſermocinari dicitur, quia de ſupernis myſteriis illorum mentes radio ſuæ viſitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obſcurat.* *D. Gregorius.*

I. Non habes memorabile aliquod in hoc genere exemplum?

R. Habeo. Hermanus Joſeph Ordinis Præmonſtratenſium, à puero puerili ſimplicitate & candore ſolitus erat in Eccleſia viſere imaginem Beatæ Virginis cum puero JESU, cum eaque familiariter colloqui, cibos & fructus offerre. *Exemplū.* Cùmque ei ſemel obtuliſſet pomum, Beatiſſima Virgo porrectâ manu illud acceptavit. Crevit cum ætate hæc Hermanni cum B. Virgine, & JESU familiaritas, adeò ut ipſa ſingulis ſubinde diebus eum viſitaret, cum eo quaſi cum fratre colloqueretur, pecunias ad victum, & veſtitum procuraret, morbos depelleret, tentationes, & adverſitates quaslibet diſcuteret, quin & eum in ſponſum acciperet, nomenque ſponſi ſui, ſcilicet Joſeph, ei imponeret. Hinc perpetua ei cum B. Virgine, velut ſponſa, familiaritas: à qua tandem in cœleſtem thala-

Digitized by Google

thalamum evocatus eſt anno Domini 1236.

Oratio mentalis jucunda.

I. Jucumdum mihi fuit hæc audire quæ de utilitate, & facilitate orationis mentalis hactenus diſſeruiſti: ſane vellim unà mecum plures ſuper eo audiviſſe te, ut iſti orationi, depoſitâ formidine difficultatum & laboris, quæ in illa ſibi imaginantur, magno affectu incumberent?

R. Dicam quod magis etiam delectabit; nimirum meditationem, non ſolùm utilem & facilem eſſe, verùm etiam non modicam ſpiritûs voluptatem iis afferre, qui eam amplexantur.

Greg. l. 5. mor.

I. Plurimùm aveo id audire?

Eſt mentis quies & velut ſuavis quidam ſomnus.

R. Hac de cauſa ſuaviſſimo ſomno comparatur in divinis Scripturis, ut Greg. in moral. annotavit: Sciendum ait, quia in Scriptura Sacra figuratè poſitus (ſomnus) tribus modis accipitur. Aliquando enim ſomno mors carnis, aliquando torpor negligentiæ; aliquando verò exprimitur calcatis terrenis deſideriis quies vitæ. Sicut ſponſæ voce in Canticis Canticorum dicitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, quia videlicet ſancta mens, quo ſe à ſtrepitu corporalis concupiſcentiæ comprimit, eo veriùs interna cognoſcit, & tanto alacriùs ad intima vigilat, quanto ſe ab exteriori inquietudine occultat. Quod bene per Jacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem poſuit, & obdormivit, à terra ſcalam cœlo inhærentem, innixum ſcalæ Deum, aſcendentes quoque & deſcendentes Angelos vidit. In itinere quippe dormire eſt in hoc præſentis vitæ tranſitu à rerum temporalium amore quieſcere; Angelos verò aſcendentes, & deſcendentes cernere, eſt, cives ſupernæ patriæ contemplari.

Ser. 2. ſup. verb. Apoſtoli: regnum Dei non eſt eſca & potus

Audi S. Bernardum: Loquar, ait, quod expertus novit, inexpertus ignorat: animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Nunquid non plerumque orantibus nobis omnia viſcerum ſuccutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius, quod eſt in Jeruſalem, quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra, & lacrymarum unda vultus meditantium perfundit? *Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui; ſi non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ.* Verè in principio lætitiæ, quia finis illic repoſitus eſt. Principium gaudii illius, quod hic quandoque ſentimus, ſtilla eſt, guttula eſt, de flumine illo deſcendens, cujus impetus lætificat civitatem Dei.

Simile argumentum tractat idem Bernardus ſermone 5. de Quadrageſima ex verbis Prophetæ David dicentis: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* *Pſ. 36.*

Vide Hieron. ſcribentem ad Virgines Deo dicatas.

I. Velim nunc, ſi placet, audire modum meditandi?

R. Perplacet. Verùm hâc conditione quòd non alium tibi tradam quàm ſimplicem, planum, & ad vulgus etiam accommodatum.

I. Ità planè deſidero.

LECTIO XVIII.

Quomodò inſtituenda ſit mentalis oratio.

I. TRade mihi nunc aliqua documenta pro addiſcenda praxi orationis in ea talis?

R. Hoc ago. 1. Ergò aliquot puncta in medium proferam quæ generatim valent ad juvandam orationem.

2. Particulariùs docebo quid ante, quid in ipſa meditatione, quid poſt illam agendum ſit.

3 Exponam partes ejus.

Poſtremò meditationem unam ſecundùm omnes ſui partes abſolutam pro exemplari ob oculos ponam.

I. Quæ ſunt illa quæ generatim valere dicis ad promovendum & juvandum hoc meditationis opus?

R. Pri-

R. Primum, ut certum huic exercitio tempus in ſingulos dies aſſignetur.

I. Quod eſt tempus maximè aptum meditationi?

R. Matutinum, ſtatim videlicet poſt ſomnum, priuſquam manus alteri operi admoveantur. *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* Diluculò enim poſt quietem, reſtauratis jam viribus & ſpiritibus, maximè viget mens hominis ad meditandum, & ea quæ virtutis ſunt, obeundum.

Prov. 8.

Tempus orationi aptum.

Tunc offerendæ ſunt Deo primitiæ cogitationum & actionum noſtrarum. Vide S. Ambroſium ſup. Pſalm. 118. ſerm. 19. S. Dionyſ. de divin. nom. c. 5. Cujus rei exemplum præbent Angeli ipſi Aſtra matutina appellati, Sol oriens diluculò, volucres cœli & ſuis motibus & vocibus laudes divinæ bonitati decantant. Vide ſanctum Baſilium epiſt. 1. ad Gregorium, & S. Ambroſium ſup. proximè allegatum.

I. Quantum temporis orationi mentali impendendum eſt?

R. Non poteſt generalis præſcribi regula pro omnibus. Ut enim perſonarum magna eſt diverſitas, ita quoque varii ſunt hominum ſtatus, conditiones, ſtudia, occupationes. Utile tamen eſt, ut quilibet juxta ſtatum ſuum unam vel certè ut minimum dimidiam horam, aut quantum ei licebit temporis in hunc finem deputet, ſimulque certam horam, vel matutinam, vel veſpertinam, prout opportunum ei fuerit, determinet. Et verò non eſſet ille niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui tantillum temporis ad vires animæ per orationem reſtaurandas non inveniret; cùm negotium hoc omnibus aliis quæ occurrere poſſunt, ſit majus & excellentius. Sanè hoſtis malignus cùm ſummæ ſit calliditatis & verſutiæ, nihil majoribus agit viribus, quàm ut meditationem impediat, vel certè meditantem impellat ad omittendam, vel ad differendam in aliud tempus incommodum orationem.

I. Habeſne exemplum ejus qui magni æſtimavit orationem mentalem?

R. Ille Theologorum noſtri ſæculi facilè Princeps Franciſcus Suarez ſæpenumerò proteſtatus fuit, leviùs ſe jacturam omnis, quâ maximè præditus erat, ſcientiæ perpeſſurum, quàm unius tantùm horæ orationis mentalis.

Exemplum.

I. Nunquid etiam aliàs interdum per diem meditandum, vel orandum eſt, quando ſponſus animam intus vocat, & ad contemplandum ſe diſpoſitam ſentit?

R. Optimè factum. Non aliter atque cùm corpus cibi appetitu ducitur. Certè diebus feſtivis & ſolemnibus magis orationi & contemplationi inſiſtendum eſt: ſunt enim ob eam cauſam ordinati & inſtituti: & quantò ſolemnitas, ſive myſterium quod agitur, majus eſt, tantò magis ſancto huic exercitio ſe quiſque deberet impendere.

I. Quis eſt locus idoneus ad meditationem?

Locus orationi mentali aptus.

R. Quantò erit ſecretior, & ab omnibus remotior, tanto erit aptior. Docent nos id ſacræ litteræ: *Ducam eam* (inquit Deus per Prophetam Oſeæ) *in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* Et Chriſtus in Evangelio: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito.* Erit ergò locus meditationi valde idoneus Eccleſia, ſive Sacellum modò abſit tumultus omnis, præſertim ſi auguſtiſſimum altaris Sacramentum ibidem expoſitum fuerit. Foret verò conſultum, quemlibet habere domi ſuæ devotum aliquod Oratorium, in quo ab aliis ſeparatus ſua devotionis exercitia valeat peragere.

Oſeæ 2.

Matt. 6.

Oratorium domeſticum.

I. Quid eſt prætereà quod juvare poſſit orationem?

R. Ad orationem rectè faciendam, non parum momenti adfert pœnitentia, partim interior, quæ eſt contritio, compunctio, & dolor de peccatis; partim exterior, quæ nihil aliud eſt, quàm carnis per jejunia, diſciplinas, cilicia, aliaſque auſterita-

Contritio & caſtigatio corporis orationi plurimùm conducit.

ſteritates, mortificatio, ut ſpiritui obtemperans & morigera efficiatur. Undè ſanctus Franciſcus qui corpus ſuum fratrem aſinum appellans duriſſimè tractabat excelluit in oratione. Adeò verum eſt orationem & mortificationem ita ſibi invicem ſociari, ut ſeparari nequeant. Cæterùm inter pœnitentias exteriores nulla ad rectè orandum & meditandum adjumenti plus affert, quàm jejunium & abſtinentia; hinc canit Eccleſia, *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, &c.* præſertim cùm ipſi in nobis experiamur, corpore cibis repleto, ſpiritum ad functiones ſpirituales gravem & ineptum reddi, certumque ſit hominem ſenſuum & carnis ſolatia captantem nunquam id aſſecuturum, ut orationis ac meditationis praxim ritè perdiſcat.

Præfat. Quadrageſimalis.

Sobrietas in cœna.

I. Quo potiſſimùm tempore ſobrietas hæc requiritur?

R. In cœna, ut animus matutinis horis ad devotionis exercitia ſit liberior. *Non priùs diſcumbitur* (inquit Tertul. de veterum Chriſtianorum cœnis) *quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum eſurientes capiunt. Bibitur, quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe, ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire, poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Atque oratio convivium dirimit; inde diſceditur, non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eandem curam modeſtiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quàm diſciplinam.* Quam ob rem dies qui Dominicam aut Sanctorum ſolemnitates præcedunt, *Vigiliæ*, aut jejunia dicuntur; quòd ſolerent olim Chriſtiani jejunare & vigilare in orationibus primâ nocte ſolemnitatis; quomodo enim niſi à ſobriis vigiletur & oretur? Si verò jam finem acceperunt apud Chriſtianorum promiſcuum vulgus nocturnæ vigiliæ, & protelata jejunia, ſaltem jejunemus, aut ut minimum ſobrii ſimus (quod quotidiè ſub Completorii initium ſolemniter ſubmonet Eccleſia) in veſpertina cœna, cum matutinis horis oporteat nos ad orationem & devotionem eſſe expeditos.

Apologet. c. 39.

Cœna antiquorum Chriſtianorum. Infrà p. 3. c. 7. lect. 5.

Vigiliæ & jejunia Chriſtianorum.

I. Nihilne aliud ſupereſt, quòd orationem promovere, & adjuvare poſſit?

R. Non minus neceſſaria eſt ad rectè meditandum cuſtodia linguæ; etenim prolixi ſermones, & nimia in loquendo effuſio devotionem mirum in modum impediunt. Quapropter qui in ſancto meditandi ſtudio fructum aliquem facere deſiderat, refrænet linguam ſuam, claudatque portas oculorum, oris, aurium, & cæterorum ſenſuum exteriorum, ut quoad fieri poteſt ita apud ſe maneat, ac ſi mutus, cæcus, & ſurdus exiſtat, receſſumque & ſolitudinem non tantum corporis, ſed & quàm maximè ſpiritûs ſemper quærat.

I. dilexeruntne Sancti cellam ſuam & ſolitudinem ad faciliùs & perfectiùs orandum, & Deo ſerviendum?

Silentium & ſolitudo orationem adjuvant.

R. Ita, & ideircò civitates fugiebant, rus, & ſylvas incolebant, ut procul à mundanis negotiis & ſtrepitibus non diſtraherentur in oratione. Nam ut Eliam, & Eliſæum, filios Rechab, S. Joannem Baptiſtam, & alios veteris Teſtamenti Patres omittamus, in promptu ſunt exempla Pauli primi Eremitæ, Antonii, Onufrii Monachi, Joannis Ægyptii, Arſenii, Hieronymi, Mariæ Magdalenæ, Mariæ Ægyptiacæ, & aliorum ſexcentorum, quæ apud Marulum videre licebit, libro. 4. cap. 9.

B. Petrus Damiani ep. ad Teuzonem, ait, ſe quendam ſanctum Eremitam conſuluiſſe de ſe, ſuoque ſtatu, an ſcilicet ſibi expediret, Eccleſiæ & proximis ſervire in Cardinalatu, & Epiſcopatu Oſtienſi: an verò iis abdicatis recipere ſe ad Monaſterium,

Exempla.

tium, eò quòd vitam illam activam ſentiret ſpiritum ſuum diſtrahere,& minuere,ejuſque profectum impedire. Cui Eremita: *Quid prodeſt lucerna ſi aliis luceat; & ipſa ſe flamma vorax abſumat?* Quocirca Petrus relicto Epiſcopatu & Cardinalatu ad ſuum Monaſterium rediit, ibique toti ſuæ ſaluti & perfectioni vacavit. Hæc enim erat prima ejus vocatio puta Monaſtica.

Exercitia ſpiritualia & utilitates inde manantes.

I. Illi ne igitur conſultò faciunt,qui ſemel quotannis, aut pro opportunitate interdum ſecedunt in Monaſterium aliquod,ut vacent exercitiis ſpiritualibus?

R. Planè, ſibi benè conſulunt qui illud agunt.Nam utilitates indè plures conſequuntur.

1. Quòd excluſis amicis & familiaribus domeſticiſque negotiis ſepoſitis ob Dei cultum, homo gratiam apud Deum non mediocrem mereatur.

2. Quod per hujuſmodi receſſum,intellectu minus quàm anteà diſtracto in diverſas partes,ſed collecta redactaque animi cogitatione ad rem unam ſcilicet ad obſequendum Deo Creatori ſuo,& ſaluti animæ ſuæ conſulendum, multo liberiùs ac expeditiùs utitur naturæ viribus in quærendo eo quod deſiderat.

3. Quod quanto ſe magis reperit anima ſegregatam ac ſolitariam, tanto aptiorem ſeipſam reddit ad quærendum, & attingendum Creatorem & Dominum ſuum;ad quem inſuper qui propiùs accedit, eò meliùs ad ſuſcipienda divinæ bonitatis dona diſponitur.

I. Bene quidem,ſed hoc modo non expediuntur negotia domeſtica vel publica?

R. Immò verò nunquam meliùs, ſapientiùs aut feliciùs curabuntur, quàm ab animo per orationem collecto.

I. Omnibus attentis,maximum ad orationem præſidium afferre ſemper mihi viſa eſt ſacra religio?

R. Ita eſt,nam ut ſolitudine gaudet,ita & cæteris mediis quæ diximus valere plurimùm ad orationem bene feliciterque inſtituendam.

Cæteroquin ſatis ſuperque intelligis ad orationis exercitium promovendum non parum etiam habere momenti pacem ſive tranquillitatem animi ex mortificatione internarum paſſionum manantem; itemque lectionem ſpiritualem, & Verbum Dei auditum.

Ad orationem mentalem nihil æquè conducit ac diligens præparatio & perſeverantia.

Denique ut ſemel finiam,duo ſunt maximè præ aliis omnibus ei qui in hoc meditationis exercitio inſignem progreſſum facere deſiderat neceſſaria; *præparatio diligens ante orationem,& perſeverantia.*

I. Hactenus probè mihi ſatisfeciſti; verum ſuper eſt aliqua difficultas. Non ſcio enim quo pacto per horam integram poſſem meditari, imò nec punctorum quidem recordari quæ ad meditandum propoſita fuerint?

R. Hoc tibi perſuaſum velim,orationem quidem mentalem non eſſe diſcurſum quempiam intellectûs eleganter compoſitum, aut ingenioſè elaboratum; ſed magis pias animi affectiones,quæ nos inducunt ad aliquid boni pro Dei gloria conſtituendum & reſolvendum. Ut ergò meliùs tibi ſuccedat oratio, ſume librum in manus,& ex illo ſelige puncta meditationis,illaque tranquillè,& abſque ulla vi diſcute.Qui verò neſciunt legere aſſumpto roſario meditentur ſuper myſteriis vitæ & Paſſionis Dominicæ; aut certè,ſuper aliqua petitione orationis Dominicæ, multiplicando actus fidei,ſpei,charitatis. Si hoc modo eum perſeverantia continuetur, indubiè ſuccurret Dominus qui pauperum deprecationem libenter exaudit.

Modò dicamus quid antè meditationem,quid in illa, & quid poſt illam agendum.

Ante meditationem quid ſit agendum.

I. Age, quid ante orationem agendum?

R. Diligenda ſunt locus,& tempus opportuna; revidenda meditationis materia; hora orationi præſtituta cum magna animi tranquillitate, & devota corporis conſtitutione,ad locum, qui meditationi operam daturus eſt,ſe conferet, ubi ſum-

ptâ aquâ benedictâ, in genua ſe dabit,& mente elevatâ paulisper ſubſiſtet, ac ſecum perpendet magnitudinem Dei, illiuſque præſentiam; ex altera parte ſuam vilitatem, & peccatorum ſuorum multitudinem. Poſt hæc immenſæ divinæ majeſtati profundam faciet reverentiam, & corde vel ore dicet illud Abrahami Patriarchæ: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis?* Vel illud S. Franciſci: *Quis ſum ego, Domine, & quis tu?*

I. Quid porrò in ipſa meditatione faciendum?

In ipſa meditatione. R. Religioſo ac ſedato animo diſcute propoſitam materiam, nihil ſubtilius aut curioſius perſcrutando, ſed affectiones dumtaxat, & reſolutiones ſanctas ad Dei honorem & gloriam ſectando. Quòd ſi aliqua occurrerit difficultas deſolationis, indevotionis, ariditatis, bono ſis animo, cum ſpe, & fiducia Dei benignitatem præſtolare, & proſequere in puncto in quo verſaris, quamdiu fructum aliquem aut guſtum in illo perſenſeris, non propriam delectationem, ſed Dei dumtaxat honorem & beneplacitum quærendo.

I. Quid tandem finitâ meditatione?

Quid agendum ſinitâ meditatione. R. Retinebis mente fructum aliquem in oratione à Deo tibi communicatum, ut eum ad tuum profectum convertas, per diem igitur bona propoſita, & pii affectus in meditatione concepti per jaculatorias orationes alantur, & in opus & praxim conferantur. Secundò. Oratione abſoluta è veſtigio faciendum eſt examen particulare videndo quomodò meditatio ſucceſſerit; ſi benè, gratias ages divinæ bonitati; ſi malè, veniam à Deo flagitabis, cum voluntate aliàs emendandi. Tertiò. Si poſt diuturnum orationis exercitium animadverteris modicum te profectum feciſſe, perſeverantia opus eſt, donec mittat tibi Dominus auxilium de ſancto.

LECTIO XIX.

I. Quot ſunt orationis mentalis partes?

R. Sunt tres, aut quatuor; nam ſi materia corporalis eſt, qualis eſt Nativitas Chriſti, erunt quatuor; ſin ſpiritualis fuerit, uti peccatum, tunc erunt ſolùm tres.

I. Quæ ſunt igitur quatuor illæ partes?

R. *Præparatio, Repræſentatio, Conſideratio, Colloquium.* *Quatuor mentalis Orationis partes.*

I. Qualiter *præparationem* (alii *orationem præparatoriam* appellant) facis?

R. Hic ſermo eſt de præparatione proxima orationi. Sumptâ igitur, ut paulò ante diximus, aquâ luſtrali in genua provoluti coram Deo, in ipſo orationis exordio omnes animæ potentias, & actiones ad purum Dei honorem, & gloriam offerimus, ab eoque gratiam meditationem ritè perficiendi poſtulamus. Poſſet hic dici oratio: *Actiones noſtras,* vel alia ſimilis; itemque ſalutatio Angelica ad B. Virginem, ad Angelum cuſtodem, &c. *Præparatio.*

I. Quid eſt *Repræſentatio?*

Repræſentatio. R. Nihil aliud quàm imaginatio loci & perſonæ, quaſi nobis eſſent præſentes. Exempli cauſa, cùm volumus Nativitatem Domini meditari, proponemus nobis ante mentis oculos ſtabulum, præſepe, infantem parvulum ſuper fœno jacentem, beatam Virginem, S. Joſephum, &c. quemadmodum pictores in tabulis ſuis ea nobis repræſentant. Hæc pars non ſervit niſi in materia corporali, uti diximus, cùm res merè ſpirituales non poſſint per imagines exprimi ſive repræſentari, unde in materia ſpirituali tranſitur illicò à prima parte præparatoriæ orationis ad tertiam.

I. Quæ eſt igitur hæc tertia pars?

Conſideratio. R. Eſt conſideratio ſive diſcurſus intellectûs, qui adhibetur pro commovendis in voluntate piis affectibus ad fugiendum ali-

aliquod malum, & amplexandum aliquod bonum. Sed quia multi hic hærent, neſcientes quid meditando cogitare debeant, ſubjungam hoc loco conſiderationes aliquot, quæ in omni re adhiberi poſſunt.

Ac 1. ſi res corporea eſt, uti ſunt omnia myſteria vitæ Chriſti, ſuper uno quoque puncto conſiderari poſſunt hæ circumſtantiæ?

Circumſtantiæ conſiderandæ in materia corporali. 1. Perſonæ myſterio præſentes, quales ſunt Chriſtus Salvator; Beatiſſima Virgo, Angelus Gabriel, Apoſtoli, illorumque qualitates; excellentiæ, officia.

2 Quos inter ſe ſermones miſcuerint, vel ſi verba illorum ſcriptis conſignata non extent, quos probabiliter miſcere potuerint.

3. Quid egerint.

4. Quem in finem, & quam ob cauſam id fecerint.

5. Quæ inde effecta aut utilitates provenerint.

6. Poſſunt quoque expendi cogitationes & affectiones, quas eædem perſonæ habuerunt, aut habere potuerunt.

Secundò, ſi materia eſt ſpiritualis, hæc erunt conſideranda.

Alia conſideranda in materia ſpirituali. 1. Quæ ſit res illa quæ puncto continetur.

2. Quæ ipſius origo, & cauſa efficiens.

3. Quem in finem facta fuerit.

4. Quas utilitates, & detrimenta adferat.

5. Quid Chriſtus de illa dixerit vel fecerit.

6. Quomodò hactenus circa illam me habuerim.

7. Quid mihi deinceps faciendum ſit.

8. Bonum quoque eſt conſiderare nomen vel diverſa nomina ejuſdem rei.

9. Et ſententiam aliquam Sacræ Scripturæ ad eam pertinentem.

Notandum tamen non ſemper haſce omnes conſiderationes adhibendas, neque eundem neceſſariò ordinem ſervandum eſſe, ſed ei conſiderationi diutiùs inhærendum, in qua anima copioſius invenit nutrimentum.

I. Quæ eſt 4. pars orationis mentalis?

Colloquium. R. Eſt *colloquium & oratio* ſive petitio, & ſermocinatio cum Deo vel Sanctis, quæ in tria membra dividitur; *in gratiarum actionem, oblationem, & petitionem.*

I. Quid eſt igitur generatim loquendo 4. pars meditationis?

R. Eſt concluſio orationis mentalis, in qua pro beneficiis acceptis gratias Deo referimus, ejus ſervitio nos totos offerimus ſeu conſecramus, petimuſque peccatorum remiſſionem; vel quamvis aliam gratiam, prout ſpiritus inflammatus ſuggeſſerit, abſque ullo verborum ſtrepitu. Solet tamen ultimus orationis finis oratione aliqua vocali, putà Dominicâ, vel aliâ, concludi.

Gratiarũ actio. I. De quibus potiſſimùm beneficiis gratiarũ actiones oportet nos Deo perſolvere?

R. Beneficia ſunt in duplici differentia; *alia enim ſunt generalia, alia particularia.*

Generalia ferè ſunt iſta: creatio, conſervatio, redemptio, fides ſeu vocatio ad veram fidem, juſtificatio, &c.

Particularia verò ut ſunt unicuique propria, ita ab unoquoque ſpeciatim colligi debent, ut v. g. quod de bonis, & Chriſtianis parentibus natus ſit: quod bonâ ſit corporis conſtitutione, quod à multis animæ, & corporis infirmitatibus & periculis præſervatus & liberatus fuerit, &c.

Oblatio. I. Quam oblationem facere nos oportet in concluſione orationis noſtræ?

R. Offerre nos oportet Deo cuncta quæ nobis largitus eſt, & indies largitur: eſſe vitam, animam, corpus, bona externa, cogitationes, verba, opera. Item unigenitum ipſius filium, pretioſiſſimum ejus ſan-

ſanguinem. Paſſionem, mortem, merita, actiones. Item omnia bona opera beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorum omnium atque totius Eccleſiæ ab ipſo mundi exordio.

I. Quid potiſſimùm petere debemus?

Petitio.

R. In petitione quatuor attendenda ſunt puncta: nimirùm, quæ nobis petenda ſint, pro quibus, à quo & quomodo.

Quæ petenda in oratione.

Igitur ad quæſtionem propoſitam dico, præter orationis Dominicæ petitiones, quæ quotidie à nobis in precibus primo loco poſtulandæ ſunt, debet quilibet ſpecialia quædam ſibi maximè neceſſaria petere. Exempli gratia; majus lumen ad Dei & ſui cognitionem; gratiam officio ſuo bene fungendi, tempus utiliter expendendi; vitium aliquod ſuperandi, & imperfectiones extirpandi; virtutem aliquam, quâ maximè indiguerit, acquirendi, &c.

Pro quibus orandum.

I. Pro quibus orandum?

R. Diximus ſuprà pro omnibus orandum eſſe, maximè verò, & ſpeciatim pro univerſa ſancta Catholica Romana Eccleſia; nominatim pro ſanctiſſimo Domino Papa; pro hæreticorum ad Eccleſiæ gremium reductione & infidelium converſione; pro Rege, pro Prælatis omnibus Eccleſiaſticis & Principibus Chriſtianis; pro exercitu Catholico; pro Superioribus, Gubernatoribus, Magiſtratibus; pro benefactoribus noſtris vivis, & defunctis, pro iis qui curæ noſtræ commiſſi ſunt, pro inimicis & adverſariis noſtris, pro fidelibus animabus in Purgatorio exiſtentibus, pro nonnullis vivis, & defunctis ſpeciatim; & pro iis qui ſe orationibus noſtris commendarunt.

I. Ad quos debet oratio noſtra dirigi?

Qui orandi.

R. Ad Deum, ſive ad Sanctiſſimam Trinitatem, vel etiam ad ſingulas ejuſdem Trinitatis perſonas; ad Chriſtum Dominum crucifixum; ad Beatiſſimam Virginem Mariam; ad Angelum noſtrum cuſtodem; ad Sanctum vel Sanctam cujus nomen quis gerit; ad delectos aliquos patronos, ad quos majori devotione afficitur; ad Sanctum ſive patronum loci in quo vivit; ad Sanctum qui in illo die ab Eccleſia colitur.

I. Quomodò oportet nos petere?

Quomodo.

R. Exercendo actus virtutum Theologicarum, fidei quidem, conſiderando Deum omnia poſſe; ſpei, conſiderando ſummam illius bonitatem, atque inde deſiderium ac fiduciam petitionis noſtræ obtinendæ concipiendo: Charitatis, poſtulando ea dumtaxat ad purum Dei honorem, & noſtram proximorumque ſalutem. Secundò, in petendo adhibendæ ſunt obſecrationes, qualibus in Litaniis Eccleſiæ utimur, v. g. per mortem & paſſionem Domini noſtri, &c. Tertiò, adjicienda quoque Sanctorum merita & interceſſiones.

I. Dixiſtine omnia quæ ad orationis mentalis partes ſpectant?

R. Poſſent procul dubio plura dici ad hanc materiam ſpectantia, ſed non intendi niſi cum ſumma brevitate & facilitate notare quæ ad praxim orationis maximè utilia etiam pro rudibus futura eſſent.

Tantum volo, ut recorderis eorum quæ in fine præcedentis lectionis tradidimus.

Digitized by Google

TABULA ORATIONIS MENTALIS.

Meditatio habet tres aut quatuor partes.

I. eſt *Præparatio*, quæ duo contlnet:	præſentiam Dei, & petitionem gratiæ ad benè meditandum.
II. *Repræſentatio*.	perſonarum, actionum, loci, temporis, &c. ſi materia fert.
III. *Conſideratio*, quæ habet tres partes:	Ratiocinationem, Affectionem, Reſolutionem.
IV. *Colloquium*, quod habet etiam tres partes.	Actionem gratiarum, Oblationem, Petitionem.

In fine tandem fiat examen & recapitulatio orationis.

I. Dilucidè admodùm omnia & ſingula exponis, nunc autem plurimùm gauderem, ſi mihi ob oculos poneres meditationem unam ſecundùm omnes ſui partes abſolutam, ut tua deinceps præcepta obſervaturus, poſſim ad inſtar illius orationem mentalem efformare.

R. Hoc erat quod volebam.

MEDITATIO.

De flagellatione Domini.

Sumptis ſuper hoc myſterio flagellationis Dominicæ tribus punctis, v.g.

1. De denudatione virginei corporis ejus.
2. De alligatione ad columnam.
3. De flagellorum multiplicitate & atrocitate.

Primò manè accede locum orationis, & ibi flexis genibus, aquâ luſtrali aſperſus formatoque crucis ſigno præpara animam tuam, & age quæ ſequuntur.

Præſentia Dei.

Interioribus animæ oculis in Salvatorem tuum ad columnam alligatam converſis, quaſi medius in corona carnificum ad flagellationem accinctorum, dic ei non verbo ſed mente: In ſpiritu humilitatis & in animo contrito, miſericordiſſime Salvator, ſiſto me coram te, ut audiam quid loquaris mihi de medio rubi iſtius, ſpinis & aculeis horridi.

Invocatio gratiæ Dei.

Præparatio prima meditationis pars.

Veni ſancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium, ut viſo crudeli hoc ſpectaculo cor meum ſalubriter ad pœnitentiam compungatur. Hoc unum intendo in meditatione hac. *Deus in adjutorium meum intende, &c.* Omnia mente fiant abſq; motu labiorum.

Repræſentatio.

Secunda meditationis pars.

Verſetur ob oculos mentis major aula Prætorii, in qua Salvator noſter fuit flagellatus. Hic non videbis aliud, quàm ſævos milites & tortores flagris armatos crudelibus oculis in Regem ſæculorum intentos.

Conſideratio primi puncti, id eſt, de denudatione Salvatoris, ac

1. *Ratiocinatio.*

Tertia pars.

O impudentes homines & abſque fronte? quid agitis innocentem exſpoliando? ut pudore & erubeſcentiâ eum confundatis? Erubeſcite vos, exuere eum qui totum mundum veſtit. Quam tandem ob cauſam meruit tanto pudore publice ſuffundi? An quia reus? ſed cujus criminis? Immò verò, *ecce agnus*

abſque

abſque macula, qui venit tollere peccata mundi. Hic eſt qui tota vita ſua *pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Hic, inquam, qui nemini quicquam mali fecit, aut moleſtus fuit. Ego, ego ſum, piiſſime JESU, qui malum feci, qui omnis iniquitatis & perverſitatis reus ſum. In me, in me convertite flagra, ego ſum qui iram, qui flagella æternæ damnationis toties peccatis meis merui. Ecquodnam dedecus majus potuiſtis inferre ei, in quem gaudent Angeli reſpicere? perpende diligenter quis, à quibus, & pro quibus id patiatur,

Affectio.

Igitur, optime Salvator, quandoquidem hæreditas tua, nuditas, fac ut ſpontaneè exuar veterem hominem cum moribus & actibus ſuis, & induar te Dominum meum JESUM Chriſtum. O quàm bonum & quàm jucundum eſt, nudum te cum Religioſis ſequi ad diſciplinam, ad vincula ſacra votorum, &c. Quid obſtat, ô anima mea, quò minùs exemplo Chriſti Salvatoris exuamus nos omni affectu inordinato mundi. O beata nuditas, quæ tot virtutibus animas noſtras veſtit & exornat. O ingens miſeria & miſera vanitas filiorum Adam, quibus fœdam carnem ſplendidè contegentibus, manet anima omni virtutum decore ſpoliata & nudata.

Reſolutio.

Ita, dulciſſime JESU, conſtitutum eſt apud me, quòd in hac hora vadam, ſuffragante tuâ gratiâ, exteriùs quidem parte eorum quæ poſſideo, me ipſum exuere, ut pauperum nuditatem operiam, & tuam in illis contegam; interiùs verò omni affectu inordinato ad creaturas me abdicare, ut in conſpectu tuo appaream veſtimentis duplicibus amictus, ſanctorum, inquam, affectuum & virtutum, quæ nobis verbo & exemplo tantoperè commendaſti.

Sic debes ad alterum punctum progredi, ſic ad tertium, ſi tempus ferat diſcurrendo, & voluntatem affectibus accendendo, ad eliciendas reſolutiones verè Chriſtianas, & tuo ſtatui convenientes.

Concluſio Meditationis.

Quarta meditationis pars.

Primum Punctum, *Actio gratiarum.*

Quid reſtat modò piiſſime Salvator, niſi ut immenſas tibi gratias agam ex intimo corde meo, quòd in oratione hac dignatus ſis me ad familiare colloquium cum divina majeſtate tua admittere, & in animum meum ſancta deſideria & reſolutiones ſalutares infundere, quibus me modò agi ſentio. *O Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum!* Quàm ſunt illi beati qui ad modum Mariæ Magdalenæ ad pedes divinæ bonitatis tuæ proſtrati quotidie auſcultant ſapientiam tuam, & excipiunt colloquia tua dulciora ſuper mel & favum! O quàm deſidero conſervare omnia verba hæc, & ea conferre in corde meo. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non ſemper meminero tui, ſacrorum, inquam, tuorum vinculorum, nuditatis tuæ, flagellorum & ſingulorum tormentorum tuorum. Pro quibus infinitas ago gratias, &c. Et oro, ut pro me gratias etiam agant Beatiſſima Virgo Mater tua, omnes Angeli, Sancti, &c.

Secundum Punctum. *Oblatio.*

Liceat mihi, Pater de cœlis Deus, faſciculum myrrhæ omnium & ſingulorum opprobriorum, confuſionum & tormentorum Filii tui dilectiſſimi colligere, & tibi Deo meo in holocauſtum offerre pro innumerabilibus peccatis & offenſionibus meis. Cupio ſummoperè aliquam meam mortificationem iſti faſciculo adnectere, ut ex meritis ejuſdem Filii tui momentum & valorem accipiat. Offero tibi Deus meus modicum hoc quod in oratione egi, cum piis propoſitis & reſolutionibus quas ibi collegi, &c.

Tertium Punctum. *Petitio.*

Da mihi, Domine Deus, gratiam adimplendi hæc bona mea propoſita: ſi enim

nim abſque prævenientе gratia tua minimè potui ea concipere, certè minùs abſque ope tua potero ea opere adimplere.

Obſecro Domine, reſpice oculis miſericordiæ tuæ in neceſſitates publicas, deinde etiam in privatas tot miſerorum homuncionum, qui in vanitate ſuarum veſtium & fallacium divitiarum confidentes neſciunt ſe nudos eſſe, pauperes & miſerabiles quoad animam. Reſpice etiam iiſdem pietatis tuæ oculis in eos qui genio indulgent, & carnis nimiam curam gerunt, cùm iis non deſint multæ occaſiones & rationes pœnitentiam agendi, ne in æternum pereant; & tantò plus tormentorum ſufferant, quantò majorem in vita ſacræ pœnitentiæ horrorem conceperunt.

Oro etiam Domine Deus, ut miſereri digneris eorum qui nudi ſunt, & omni ope destituti, uti etiam eorum qui in carceribus vincti, tuum cum gemitu expectant auxilium; Da Domine patientiam iis quos tua paterna manu in hac vita variis afflictionibus & ærumnis flagellas, ut cum
2. Cor. 1. Apoſtolo ſuo dicant: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri* JESU *Christi, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.*

Anacephalæoſis, ſive examen poſt meditationem.

Recolenda eſt breviter & memoriâ repetenda tota meditatio, & ſingulæ ejus partes: ubi adverteris te oſcitantiùs aut diſtractiùs habuiſſe, pete à Deo veniam cum propoſito emendationis; ſi res aliter ſe habuerit, & cùm ſucceſſu oraveris, da gloriam Deo, & non effluant ex animo tuo puncta reſoluta, ſed ea ſollicitè cura executioni demandari; in eo enim conſiſtit omnis mentalis orationis fructus.

LECTIO XX.

De Oratione Vocali.

I. Quæ eſt Oratio Vocalis?

R. Jam ſuperiùs dixi, quòd illa dicenda ſit oratio vocalis, quæ voce externâ fit: in quo ſolùm differt ab oratione mentali, quæ fit ſolâ mente abſque voce; in cæteris per omnia conveniunt: nam utraque procedere debet ex intimo animi affectu, utraque cum attentione & religioſo externo habitu fieri debet, utraque eſt neceſſaria, &c.

I. Quæ eſt orationum vocalium excellentiſſima? *Omnium orationũ vocalium excellentiſſima eſt oratio Dominica.*

R. Eſt oratio Dominica.

I. Quare?

R. Inſtituentis auctoritate, qui eſt verus Dei Filius, & Sapientia Patris: A Chriſto enim Apoſtolis dictata eſt, non ab Angelo, Propheta, vel quolibet alio puro homine. Quod agnoſcens Eccleſia in Canone Miſſæ canit: *Præceptis ſalutaribus moniti & divinâ inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter, &c.*

2. Excellit plenitudine rerum, ſufficientiaque petitionum. Quicquid enim à Deo ſanctè peti poteſt, complectitur, & quantumlibet alia verba proferamus, nihil tamen aliud quàm quod in iſta oratione poſitum eſt, poſtulamus, adeò ut Tertul. ſcribat, hâc oratione totum Evangelium concludi, ac breviarium quoddam eſſe totius Evangelii. Poſtulantur enim hîc bona futuræ & præſentis vitæ; ſpiritualia & corporalia, æterna & temporalia; ſimul etiam precamur omnis generis mala, præſentia, præterita & futura à nobis averti. *Aug. ep. 121. ad Probam. De Orat.*

3. Præcellit brevitate, Non enim plura aut ſublimiora majore vocum compendio offerri poſſunt. Quæ brevitas ad juvandum hominum omnis ſexûs & ætatis memoriam conducit. *Qualia ſunt*, ait Cyprianus, *Orationis Dominicæ Sacramenta.* *Serm. de Orat.*

quàm multa, quàm breviter in ſermone collecta, ſed in virtute ſpiritualiter copioſa, ut nihil omninò prætermiſſum ſit, quod non in precibus noſtris, doctrina cæleſtis, comprehendatur.

4. Præſtat ordine, quoniam pauciſſimis verbis ordinatiſſimè digeſtis, univerſa quo rectè peti poſſunt, eo quo deſideranda ſunt ordine continet. Primùm enim gloriam Dei, deinde nobis bona deſiderare & quærere jubemur. Et quidem primò æterna bona, ſecundò temporalia; & inter illa priùs ſpiritualia bona, poſteà corporalia tribui, ac denique cujuſcumque generis mala depelli à nobis oramus.

5. Excellit oratio iſta efficaciâ, quia Filii Dei verbis loquentes, faciliùs exaudimur à Patre. Gratiſſima enim Patri eſt vox Filii, quàm ut ſuo proprio ore dictavit, ita & Spiritu ſuo quodammodo animavit, ut ſingulari privilegio in Cœlum aſcendat. Si Chriſtus promittit exaudire orantes in nomine ſuo; quanto magis ſi præſcriptis ab eo verbis orando utantur.

6. Poſtremò hæc oratio neceſſitate aliis præſtat, quia hanc Dominus omnibus Chriſtianis notam eſſe voluit, quibus dixit: Sic orabitis: *Pater noſter*, &c. Hinc ex Apoſtolica conſtitutione ter in die ab omni Chriſtiano recitari conſuevit. Vide S. Clem. l.7. c.25. Unde quotidiana oratio appellatur à Patribus, Cypriano, Hilario, Auguſtino, Enchir. c. 71.

Matt. 6.

I. Recita Pater noſter, latinè, & Vernaculè?

R. *Pater noſter*, &c. *Noſtre Pere*, &c.

I. Debentne Chriſtiani omnes Orationem Dominicam memoriâ tenere?

R. Ita, nam uti ſuprà docuimus, non poſſunt ignorare modum, & normam ſalubriter orandi. Idcircò Concilium Rhemenſe can. 2. ſtatuit ut omnes omninò Chriſtiani hanc orationem memoriâ teneant, intelligant, & crebrò frequentent, addítque nefas eſſe Chriſtiano eam ignorare. Et Synodus VI. cap. 7. *Niſi quis has duas ſententias* (Symbolum, & Orationem Dominicam) *& memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſimè frequentaverit, Catholicus eſſe non poterit.* Vide etiam Concilium Tolet. IV. c. 9.

Tenenda ab omnibus memoriter Oratio Dominica.

I. Sufficitne quod pueri latinè addiſcant & recitent Orationem Dominicam?

R. Minimè. Nam ſicut Chriſtiano non ſufficit verba Symboli recitare linguâ latinâ, vel aliâ ſibi ignotâ, ſed & oportet eû quæ verbis ſingulis ſignificantur intellectu aliquo uſque apprehendere, & corde credere; ita nec ſatis eſt, ſi Orationem Dominicam verbotenùs recitet, verùm etiam debet, quæ verbis illius orationis ſignificantur, mente concipere & corde deſiderare.

Pueri vernaculè addiſcere debent Orationem Dominicam.

Conſultum igitur erit, quod in ſcholis vernaculis ſecundò per diem idiomate vernaculo recitentur clarè, & intelligibiliter, *Pater, Ave, Credo, præcepta Dei, & Eccleſiæ Sacramenta* ab aliquo uno ad hoc per Ludimagiſtrum deſignato, quem omnes ſub ſilentio ſubſequantur, ut hâc ratione fidei rudimenta addiſcant, quod cum fructu vidi in hac civitate obſervari.

I. Quot ſunt Petitiones Orationis Dominicæ?

Septem petitiones Orationis Dominicæ.

R. Septem; quarum tres primæ ſpectãt ad honorem Dei, reliquæ quatuor ad utilitatem noſtram.

I. Quæ eſt ſumma ſingularum Orationis Dominicæ Petitionum?

R. In primâ quidem Petitione promoveri ſemper, & augeri petimus (uti probos filios decet) quicquid ad gloriam ſummi, optimique Patris ſpectat. In tribus ſubſequentibus tria bonorum genera expetimus, bona quidem ſuprema, id eſt, cœleſtia; bona mediocria, qualia ſunt mandatorum Dei obſervatio, quæ ſunt media ad cœleſtis regni conſecutionem;

Summa ſingularum petitionum.

&

Digitized by Google

& infima, quæ ſunt bona temporalia ad vitam corporalem ſuſtentandam neceſſaria. Tandem in tribus poſterioribus Petitionibus, poſtulamus tria à nobis malorum genera averti. Maxima, uti ſunt peccata quæ nos à Deo, ſupremo utique bono noſtro ſeparant, mediocria, qualia ſunt tentationes, quæ nos ad peccatum alliciunt, & infima, quæ ſunt corporis vel animi afflictiva, v.g. morbi, bonorum jactura, &c.

V. S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 9. in c.

EXPOSITIO ORATIONIS DOMINICÆ.

CAPUT TERTIUM.

De Orationis Dominicæ Proœmio.

LECTIO PRIMA.

Pater.

Matt. 7. I. Cur hujus precationis initio Chriſtus, *Patris* nomen uſurpare voluit?

S. Tho. 3 p. q. 3. a. 3. in c. R. Etſi Salvator noſter divinam hanc orationem prætexere potuit aliquo verbo, quod plus majeſtatis haberet, exempli cauſa, *Creatoris* aut *Domini*, tamen hæc omiſit quæ timorem afferre poſſent; illud autem adhibuit, quod orantibus, & aliquid à Deo petentibus, amorem fiduciamque conciliat. Quid enim jucundius eſt Patris nomine, quod indulgentiam ſonat, & charitatem?

Quis, inquam, filius ad optimum, & amantiſſimum Patrem non accedat cum alacritate? *Accedamus ergò ad thronum gratiæ* ejus cum fiducia, & perſuaſione, quòd *ſicut miſeretur Pater filiorum, ita miſerebitur noſtri,* utpotè qui eſt *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Pſ. 102. 2. Cor. 7.

Gloriabantur Judæi ſe Patrem habere Abraham, glorientur potiùs Chriſtiani ſe Patrem habere Deum. Exclamet hic Catechiſta, & dicat: O Filii mei, ô pueri! quanta hæc eſt noſtra dignitas, quanta excellentia, *ut Filii Dei nominemur & ſimus!* Secundò, hâc Patris voce admonemur, quid ei viciſſim, uti Filii, officiorum debeamus, quem amorem ac pietatem, quam obedientiam ac venerationem Creatori, Gubernatori, Redemptori, ac Patri optimo præſtare oporteat, ſi ab illo exaudiri velimus. Peccatores enim qui filii diaboli ſunt, non poſſunt jure Deum Patrem appellare, cùm voluntati ejus non obediant. *Scimus,* dicebat ille cœcus in Evangelio, *quia peccatores non audit Deus; ſed oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.*

Exclamatio cum affectu. *Vide Cypr. de orat. Domin.* Joan. 9. Pſ. 33.

I. Non poſſunt ergò peccatores dicere *Pater noſter?*

R. Imò, quia pro peccatoribus inſtituta eſt hæc oratio, & Chriſtus Dominus illius auctor docet nos ſic precari: *dimitte nobis debita noſtra.* Illi in veritate dicere non poſſunt *Pater noſter,* qui Filii Dei non ſunt nec eſſe volunt, nec ullam de converſione ſpem concipiunt; ſed qui converti ſtudent, & Filii Dei eſſe deſiderant, poſſunt ad Deum dicere cum Prodigo ad Patrem revertente, *Pater noſter, dimitte nobis debita noſtra.*

Cypr. ſer. 6. Aug. l. 2. ſerm. in monte c. 8.

I. Jurene merito & juſtis titulis appellant homines Deum Patrem ſuum.

R. Ita planè; nam multis rationibus Deus eſt verè Pater hominum. Ac 1, quidem creatione, quia Deus hominem fecit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. 2. Conſervatione, gubernatione, & providentiâ, quòd proſpiciat, & conſulat utilitati hominum, præcipuo quodam curæ & providentiæ modo nobis præſtans omnimodam Paternam charitatem, de qua apud Prophetam: *Numquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen*

Deus Pater noſter eſt multis titulis. Iſai. 49.

men non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.

I. In quo potiſſimum enitet paterna Dei erga homines providentia?

Pſ.90.

R. In eo quod Angelis ſuis mandavit de iis, ut eos cuſtodiant in omnibus viis eorum. Nam, ut parentes, ſi infeſtâ & periculosâ viâ filiis, iter faciendum eſt, cuſtodes adhibent, & periculorum adjutores: ſic cœleſtis parens in hoc itinere quo ad cœleſtem Patriam contendimus, ſingulos nobis præpoſuit Angelos, quorum ope ac diligentiâ rectum ac ſecurum iter teneremus. Vide Catech. Rom p.4.c.9 §.4.&5.& quæ nos ſup.p.1.c.2.lect.6. Secundò in eo agnoſcimus Paternam Dei de hominibus curam, quòd, etſi à primo mundi exordio uſque ad hanc diem innumeris noſtris, & parentum noſtrorum flagitiis ac ſceleribus laceſſitus, retinet tamen in nos charitatem, neque præcipuam illam de nobis curam, & providentiam deponit, quæ uſque adeò particularis eſt, ut noſtri capilli capitis omnes numerati ſint, ut ne vel unus eorum pereat, ſine peculiari Patris cœleſtis providentia.

Dei erga homines providentia.

I. Quæ eſt tertia ratio, quâ Paternæ charitatis beneficium in genus humanum Deus præcipuè oſtendit?

Joan.1. Epheſ.1. 1.Pet.1.

R. Magnam quidem vim habent ad declarandam præcipuam Dei rationem in amando tuendoque hominum genere, creatio, & gubernatio, ſed tamen opus gratuitæ redemptionis, & ſpiritualis regenerationis inter omnia eminet. Quapropter, vehementer ſibi perſuadere debent fideles, ſe, quia redempti ſunt, mirabilem in modum Filios Dei evaſiſſe, & ſpiritum adoptionis accepiſſe in quo clamant, *Abba Pater.*

I. Cujus ergo filii eramus anteà?

Rom.8.

R. Filii iræ propter peccatum, & mancipia diaboli. Nunc autem Filii Dei ſumus hæredes ejus, & cohæredes Filii ejus. *Magna eſt benevolentia, unicus natus eſt, non vult manere unus, cujus cohæredes, quia ejus hæreditas non fit anguſta, ſi eam multi poſſederint.*

Amb explicans illud, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.

I. Magnumne pondus habet hæc ratio adoptionis Filiorum Dei?

R. Maximum. *Videte* (inquit S. Joan.) *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus.* Renati ſcilicet (ut alius Apoſtolus dicit) non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per Verbum Dei. *Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem.* Hâc ratione Chriſtus Dei naturalis filius nos fratres appellare non dedignatur, in quantum propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, in ſimilitudinem hominum factus. *Aſcendo,* (inquit) *ad Patrem meum & Patrem veſtrum.* Et: *dicite fratribus meis, &c.* Quare hic admoneri debet fidelis populus, ut diligenter expendat quid amantiſſimo Patri Deo debeat, quantum amorem, quantam venerationem, quem cultum, quantam obedientiam. *Agnoſce ô Chriſtiane, dignitatem tuam* (declamat Leo) *& divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem utilitatem degeneri converſatione redire. Genus electum & regium regenerationis ſuæ reſpondeat dignitati: diligat quod diligit Pater, & in nullo ab auctore ſuo diſſentiat, ne Dominus dicat, filios nutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Et: *Si ego Pater ſum, ubi eſt honor meus.*

Joan.3. 1.Pet 1. *Leo ſer.6. de Nativ.* *Sup p.1.c.2.lect.4.* Joan.20. Matt.28. *Leo ſer.1. de Nativ. Domini. Et 6.* Iſai.1.

Erit igitur operæ pretium, quod in hoc ſtatim primo orationis exordio cogitemus, an cum fundamento bonæ conſcientiæ poſſimus dicere: *Pater noſter.* Proindè danda nobis erit opera, nos ut tales præbeamus, quales decet Dei filios, id eſt, ut oratio & actiones noſtræ indignæ non ſint divino genere, quo nos dignari voluit beneficentiſſimus Deus. Erigamus etiam interdum ſpem noſtram ad iſta verba: & cum Propheta adgratulemur nobis, quòd *funes ceciderint* Pſal.15.

Digitized by Google

derint nobis in præclara,& quod hæreditas noſtra præclara ſit nobis. Si Patrum eſt theſaurizare Filiis,ut docet Apoſtolus,quem nobis theſaurum in cœlum præparavit, *Pater noſter qui es in cœlis ?* Si Filii,& hæredes.

Exemplū. *In vita.* S. Ignatius de Loyola tanto aliquando ſpiritus fervore horas canonicas lecturus inchoabat Orationem Dominicam,ut ad hanc vocem: *Pater noſter*, attonitus,& quaſi extra ſe raptus hæreret, nihil in horarum recitatione promovens, donec ſublimes ejuſmodi, & extaticos conceptus ſeponeret,& ad humiliùs orandi genus ſe demitteret.

I.Cui perſonæ divinæ loquimur dicendo *Pater* ?

R. Orandò *Pater* alloquimur primam in divinitate perſonam, ſcilicet Patrem Domini noſtri JESU Chriſti, à quo eſt omne donum perfectum; Nihilominùs in Patre Filium, & Spiritum Sanctum invocari tradit Tertullianus,quorum una eſt natura,una poteſtas, una voluntas, una divinitas, una operatio, una donorum largitio.

Noſter.

S.Tho 2. 2. q.83.a 7. ad 1. I. Cur orantes non dicimus Pater mi, ſed *Pater noſter* ?

R. Ob varias rationes. 1. Quia ſic orare, *Pater mi*, eſt Chriſto Domino proprium, qui unicus eſt Dei Filius per naturam. 2. Admonemur hâc voce (*noſter*) univerſi Chriſtiani nos unum communem Patrem Deum habere, adeoque fraternâ charitate nos invicem complecti debere, cujuſcumque ſimus gradûs, conditionis, ætatis, aut ſexûs. 3. Dicimus *Pater noſter*, ut oſtendatur communem orationem meliorem eſſe privatâ. Cùm enim omnes unanimiter dicant: *Pater noſter*, ſinguli orant pro omnibus, & pro ſingulis omnes. Plus ergò agimus communibus, & alternis orationibus, quàm ſingularibus & privatis. Simus ergò, uti fratres decet, pro invicem ſolliciti, & mutuis orationibus coadjuvemus nos. Primi Chriſtiani, quorum erat, teſte S. Lucâ, *cor unum & anima una*, fratres ſe invicem compellabant; Imò Apoſtoli ipſi in ſuis epiſtolis paſſim hoc vocabulum, fratres, uſurpabant, divinâ utique Chriſti inſtitutione formati, qui apud Sanctum Matthæum dicebat: *Omnes vos fratres eſtis, unus eſt enim Pater veſter qui in cœlis eſt.* Vide Catech. Rom. p. 4. c. 9. §. 9.

Vide Apoſtolum ad Epheſ.5. *Innoc.1.ep 97. inter epiſt.Aug.* *Act. 4.* *Matt.23.*

I. Eſtne ſanctum & Deo gratum, quod oremus pro proximo ?

R. Ita, Deus exaudit lubens Chriſtianos non ſolùm cùm pro ſe ipſis orant, ſed etiam pro aliis. Naturâ movemur ad orandum pro nobis; gratiâ Dei ad orandum pro cæteris: Neceſſitas quâ premimur, ſollicitos nos facit ad interpellandum Deum pro nobis, charitas ad deprecandum pro aliis; atqui optima eſt oratio quæ à charitate procedit. *Chryſ. hom.14.in Matt.*

I. Eſtne præceptum aliquod, quo obſtringamur ad orandum pro aliis?

R. Ita. Mandavit nobis id facere S. Jacobus: *Orate,inquit,pro invicem ut ſalvemini.* Jac.5.

I.Solebantne primi Chriſtiani fratrum ſuorum ſuffragia, & orationes requirere ?

R.Ita.S.Paulus frequentiſſimè ſe commendat fidelium orationibus. *Exemplū.*

S.Gregorius cùm ad ſummi Pontificatûs faſtigium evectus eſſet, petit orationes ad Deum pro ſe fieri: *ne ſuſcepta me pondera,ait,ultra vires premant. memor verò quod ſcriptum eſt, orate pro invicem ut ſalvemini, etiam impendo quod peto, ſed recipiam quod impendo: dum enim nos vobis per orationis opem conjungimus, quaſi ambulantes per lubricum, viciſſim nobis manum tenemus; ſicque ex magna proviſione charitatis,ut eo ſingulorum robuſtius charitas perficiatur, quo in alterutrum alter innititur.*

Ser. de Sanctis. I.Exaudiunturne interdum orationes, quas pro aliis fundimus ?

R. Ita,nam S.Auguſtinus audet dicere

Digitized by Google

quòd niſi Stephanus offerat, Eccleſia Paulum non haberet.

I. Eſtne apud Deum in pretio oratio præſertim Dominica quam fundunt pauperes ad oſtium mendicantes?

Exemplũ. R. Ita. *Quidam Sancti Dominici Religioſus veritus ne orationibus, & precationibus factis à fratribus non poſſent eleëmoſyna, unde vivebant, perſolvi, ſuam mentem Beato Iordano ejuſdem Ordinis Generali exponens, petiit de ea inſtrui; Cui ſanctus vir reſpondit: Cùm ſint ſpiritualia pretii inæſtimabilis reſpectu temporalium, conſtat illa in infinitum hæc præcellere, & eſſe incomparabiliter meliora. Vnde te ſcire volo, & inconcuſsè tenere, quod ſi pro omnibus eleëmoſynis quas comediſti, dixiſti ſemel Orationem Dominicam devotè, ad plenum perſolviſti.*

Vid S.Tho. 1.2.q.14 a. 3.in c.& 3.p.q.23.a.2. in c. I. Cujus rei præterea memores nos facit illa vox *noſter*, cùm dicimus *Pater noſter*?

R. Magnorum & abſconditorum Dei judiciorum, de quibus monet & ſcribit Apoſtolus nono, decimo, & undecimo capite ad Romanos. Nimirùm aliquando fuit notus in Judæa Deus, & Pater peculiaris iſtius populi, cùm diceret: *Exod.4.* *Filius meus primogenitus Iſraël.* Modò autem ipſe eſt Deus noſter, Pater noſter; nos populus ejus, nos filii ejus; Dicendo igitur *Pater noſter*, recordamur quòd Iſraëlitæ olim fuerint Filii Dei adoptione, ſed modò nos ſumus abſque ullis noſtris meritis filii ejus. Adeò quod ſimus modò, ut Apoſtolus Petrus dicit: *1.Pet.2.* *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: ut virtutes annunciemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.*

LECTIO SECUNDA.

Qui es in cœlis.

I. NUmquid Deus eſt ubique?

R. Omninò. *Numquid non cœlum & terram impleo, dicit Dominus?* q.d. ubique præſens adſum, ubique vicinus ſum per præſentiam, inſpectionem, potentiam; immò & per eſſentiam: quia *cœlum & terram ego impleo.* *Jerem.23.*

Pulchrè Dei omni in loco præſentiam deſcribit David Pſalm. 138. & Amos cap. 9. *Sanè in ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Sic & Virgil. Ecloga 3. canit:

——— *Iovis omnia plena.*

Et Lucan. l. 3.

Eſtque Dei ſedes niſi terra & pontus, & aër,
Et cœlum, & virtus ſuperos, quid quærimus ultra?
Iupiter eſt, quodcumque vides, quocumque moveris.

Vide S.Auguſtin.lib.1. Confeſſ. cap.2. & 3.

Pulchrè S.Gregorius. *Ipſe* (Deus) *manet intra omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſupra omnia, ipſe infra omnia, & ſuperior eſt per potentiam, & inferior per ſuſtentationem, exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem; ſurſum regens, deorſum continens, extra circumdans, interiùs penetrans. Nec alia ex parte ſuperior, alia inferior, aut alia exterior, alia interior; ſed unus idemque totus ubique præſidendo ſuſtinens, ſuſtinendo præſidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.* *2.Moral. 8.*

R. Certè parum perpendimus hanc Dei in omni loco præſentiam.

R. Verum eſt, & hinc omnes noſtræ miſeriæ. *Everterunt ſenſum ſuum* (ait Daniel de falſis & iniquis Judicibus) *& declinaverunt oculos ſuos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum,* quibus Deus è cœlo occulta adul-

Digitized by Google

adulteria & ſcelera ulciſci ſolet. *Quis me vides?* (inquit adulter Eccleſiaſtici 23.) *tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus.* Quærit inſipiens, quis me videt, quem vereor? Reſpondet S. Bernardus: Eſto, nemo te videat, non tamen nullus, videt te Angelus malus, videt te Angelus bonus, videt te & bonis & malis Angelis major Deus: videt accuſator, videt teſtium multitudo, videt & ipſe Judex cujus te oportet aſſiſtere tribunali, ſub cujus ſanè oculis velle delinquere, tam inſanum eſt, quàm horrendum incidere in manus Dei viventis.

Impii ergò dicunt illud Pſalm. 93. 7. *Non videbit Dominus, nec intelligit Deus Iacob.* Et illud Job: *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat. nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Et illud Pſal. 72. 11. *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Et illud Iſaiæ 29. 18. *Quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? & quis novit nos?* Nam ut ait Pſaltes: *Non eſt Deus in conſpectu ejus:* Hinc quia caret Dei timore & pudore *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.*

C. 22.

Pſal. 9.

S. Baſilius omnes hominum negligentias, imperfectiones, tepores ad hanc unam cauſam oblivionis Dei refert: interrogatus enim; Cujus animus temerè evagatur, otioque ſe dat? quis frequenter iraſcitur? quis humanas laudes avidè captat? quis ad opera ſpiritualia piger eſt? quis actiones ſuas ad Dei gloriam non refert? quis inter orandum mente ſemper diſtrahitur? Ad hæc ſingula hoc unum reſpondit; *Quis non ſemper cogitat Deum cogitationum & actionum ſuarum inſpectorem eſſe.* Hæc enim una recordatio ſi aſſidua eſſet, contra omnia vitia ſufficiens remedium eſſe poſſet.

In qq. fuſius explic. q. 20.

Omnes hominum imperfectiones ex non apprehenſa Dei præſentia procedunt

I. Quid agendum eſt, ut quis ſe in præſentia Dei conſtituat?

R. Multum huc conducit frequentes fidei, ſpei, charitatis, adorationis actus elicere, v. g. Eſtne aliquid quod ſub oculos noſtros videndum cadit, ut puta, Sol, ipſe Deus eſt qui Soli lumen tribuit, eumque facit oriri ſuper bonos & malos; *Cujus oculi multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.*

Eccli. 23.

Et ſic ratiocinare de pluvia, de floribus, de cibis, & de cæteris omnibus creaturis, quibus intimè præſens eſt Deus.

Sic Thales dixit: *omnia eſſe plena Deorum.* Itaque demus per diem operam, ut iſtius Dei præſentiæ recordemur, & per jaculatorias memoriam refricemus.

I. Itane egerunt Sancti?

R. Planè *Moyſes inviſibilem Deum tanquam videns ſuſtinuit.* Hebr. 11. & David Pſal. 118. *Servavi*, inquit, *mandata tua & teſtimonia tua: quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Ita Elias: *vivit*, ait. *Dominus in cujus conſpectu ſto.*

Sanctus Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus Imaginem Deiparæ Virginis ex ebore ad collum ſuum ſuſpenſam gerebat, circa quam excuſa erant vitæ, mortis, & Paſſionis Dominicæ myſteria, non alio fine quàm ut jugem Dei & eorum quæ pro nobis gerere & pati dignatus eſt, in animo ſuo memoriam retineret.

Exempl.

I. Eſtne in primis utile habere ſemper & ubique Deum ob oculos præſentem?

R. Nihil poteſt utilius cogitari vel dici. Primò enim qui Deum menti impreſſum habet, non facilè lapſurus eſt in peccatum. Quis enim ſervus conſcius ſe à Domino ſpectari delinquat? Undè David: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Hâc ſolùm ratione fit (inquit Clemens Alexand. l. 3. Pædag.) ut quis nunquam laba-

Exercitii præſentiæ Dei admodum utile

Pſal. 24.

Digitized by Google

labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimat. Hâc ſolâ cogitatione de peccati illecebra triumphavit caſta illa Suſanna apud Danielem, quando ingemuit, & ait: *Anguſtiæ ſunt mihi undique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Dan. 13.

In vita S. Ephr. apud Metaphraſt. Refert Simeon Methaphraſtes ipſum S. Ephrem hoc antidoto ſcortum quoddam publicum ex ſordibus ſuperioris vitæ ad virtutis ſtudium revocaſſe. Nam cùm impudenter eum ad ſecum dormiendum ſolicitaſſet, illeque reſpondiſſet ſe contentum, modò id fieret in medio civitatis; atque illa contrà obtendiſſet, id ſine ſummo pudore coram hominibus fieri non poſſe. Ephrem reſpondit: *Quantò minus fieri debet coram Deo, qui omnia etiam occultiſſima intuetur.* Quo reſponſo meretrix perculſa veniam ſupplex petiit facti, & conſilio Ephrem Monaſticæ vitæ in perpetuum ſe addixit. *Exemplum.*

Exempla. *Secundus* exercitii hujus fructus eſt, quòd hominis pii pectus egregiè communiat adverſus omnia impendentia pericula, tentationeſque dæmonis, carnis, & mundi. Hâc cogitatione armatus glorioſus populi Judaici Dux Judas Machabæus, omni fiduciâ in Deum projectâ, clariſſimam ex potentiſſimo hoſte Nicanore victoriam retulit. Ita enim loquitur Scriptura: *Iudas & qui cum eo erant, invocato Deo per orationes congreſſi ſunt, manu quidem pugnantes, ſed Dominum in cordibus orantes proſtraverunt non minus triginta quinque millia, præſentiâ Dei magnificè delectati.* En tibi contra hoſtes viſibiles victoria; modò audi alterum exemplum contra inviſibiles hoſtes. 2. Machab. 15.

S. Ath. in vit. Anton. Sancto Antonio in quodam ſpirituali conflictu, quo & ipſe vapulando, & dæmones dum duriſſimè uſque ad necem verberando pariter defatigati fuerunt, hoc unum dolori erat, quod Deum ſibi in certamine præſentem non adfuiſſe exiſtimaret. Nam mox ut Dominus ſe viſendum præbuit, & duelli ſe ſpectatorem fuiſſe profeſſus eſt, omnis mœror receſſit, vireſque animi cumulatiores redierunt. Idemque fratribus ſuis affirmare ſolebat in avertendis omnibus ſatanæ telis firmiſſimum eſſe in Deo præ oculis habendo, præſidium.

Tertius fructus eſt, quod exercitatione hâc divinæ præſentiæ maximè hominis animus inflammetur ad amorem Dei, divinorum mandatorum obſervationem. Hoc ſtimulo excitatus David, de ſeipſo fatetur: *Servavi mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Vide commentaria Bellarm.

Quartus fructus eſt, quod eximiam quandam lætitiam ſpiritualem conciliet, unde cum dixiſſet David: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, ſubjunxit: *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea.* Certè quis non vehementer afficiatur, maximaque voluptate perfundatur, in ſpirituali intuitu, recordationeque Dei, quando anima contemplatur in eo immenſam ſapientiam, omnipotentiam, bonitatem, pulchritudinem, aliaſque innumeras perfectiones? Pſ. 15.

Sanctus Gregorius Agrigentinus in Sicilia Epiſcopus, cùm adhuc adoleſcens eſſet, Hieroſolymam peregrinatus eſt, locisque omnibus ibidem perluſtratis quidquid in Monaſteriis ac Monachis illic degentibus erat præclarum, imitari ſtudebat. In quodam verò ex illis Monaſterio quod à ſancta civitate non procul aberat, ſacros Quadrageſimæ obſervationis dies peregit. Cùm verò hebdomada ſancta adveniſſet, res admirandas vidit, nempe homines in cœlos à terra tolli: alios quidem inſtituto ac ratione vivendi nihilo Angelis inferiores: alios item in corpore exiſtentes, perinde ac ſi ſine corpore eſſent, cibi expertes de- *Exemplum.* *Surius vita 10. 6. 23. Decemb. c. 8. & 9.*

gere

gere. Fluxus vidit lacrymarum, fontium ferè flumina ſuperantes. Atque in ſtupore detentus, ipſe ſe deplorabat, & animo vehementer angebatur. *Hei mihi*, inquiens, *quis ſum ego?* Superior Monaſterii cùm eum ſic angi & vehementer triſtari cerneret, ſeparationem à terra & domo, ac parentibus ſuis tanti doloris cauſam ſuſpicatus, ne triſtere, ait, fili, confido enim Deo, propediem domeſticos & notos te inviſurum, ſatiſque voto tuo ſatisfactum iri. Non iis de cauſis, Pater mi, inquit Gregorius, affligor; neque parentes, affines, aut patrium ſolum admodùm mihi curæ ſunt, eſt enim mihi inſtar horum omnium, atque adeò pluris cæteris omnibus, oculus Dei: in quem aſpiciens, triſtem ac afflictum conſolor animum: ſed me nihil in ejus ſervitio promoviſſe, hoc mihi ſolùm mœrorem affert. Hæc cùm Gregorius ex animo, intimaque conſcientia dixiſſet, non eum amplius ille conſolatus eſt, quando ipſe abundè alios conſolari poſſe videretur.

Quintus fructus eſt, quòd hoc exercitium ſit medium efficax ad conſequendum brevi tempore Chriſtianæ vitæ perfectionem. Quemadmodum enim ſtellæ à præſente Sole, in quem obverſæ ſunt, omnem mutuantur ſplendorem, quo & in ſe fulgent, & aliis fulgorem ſubminiſtrant: ſic homines juſti, qui inſtar ſtellarum in Eccleſia Dei collucent, ex perpetuo Dei Opt. Max. quem præſentem oculis mentis contemplantur, conſpectu, lumine quodam divino illuſtrantur, in dieſque ſingulos in virtutum ſtudio progreſſus faciunt. *Simile.*

Exempla. Abraham jam nonogenario, quem omnium Fidelium Patrem & Principem Deus deſtinàrat, dictum eſt: *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Nemo ſanè ambulat coram alio, vel cum alio, niſi cui fuerit præſens. Voluit ergo Abrahamum ſui in reliqua vita perpetuò eſſe memorem, ſibi familiarem & ob- *Gen. 17.*

ſequentem, quo citiùs pervenire poſſet ad perfectionem omnium virtutum.

Refert S. Dorotheus Abbas ſe cariſſimo diſcipulo ſuo, cùm vitam Monaſticam arripuiſſet, hoc præceptum dediſſe aureis litteris deſcribendum. *Nunquam cordi tuo Deus excidat: cogita ſemper Deum tibi præſentem.* Fecit hoc Doſitheus ſedulò, adeò ut nec in ægritudine quidem, licet graviſſimâ & extremâ cogitationem tam ſalutarem dimiſerit. Atque hâc exercitatione conſecutus eſt, ut quinquennii ſpatio, ex milite nobili, adoleſcentulo diſſoluto, vitiis antè cooperto, & luxu ſæculi perdito, ſanctiſſimus Juvenis & Monachus perfectus evaſerit, & poſt obitum quibuſdam ſanctitate claris per viſum inter Beatos Anachoretas tum in cœlo regnantes conſpectus fuerit.

Sextus denique fructus eſt, quòd valeat ad amoliendas omnes animi diſtractiones tum in oratione, ut ſuprà oſtendimus; tum in aliis occupationibus externis.

S. Catharina Senenſis (teſte Raimundo in vita) cor ſuum loco cubiculi uſurpabat, in quo aſſiduè Deum inter domeſticos labores cerneret. *Exemplum.*

LECTIO III.

I. SI Deus eſt ubique, uti lectione præcedenti demonſtratum eſt, cur dicimus in hoc Orationis Dominicæ proœmio: *Pater noſter qui es in Cœlis?*

R. Etſi ubique locorum & gentium ſit Deus per præſentiam, eſſentiam, & potentiam; tamen in Scripturis ſæpè dicitur habere domicilium ſuum in cœlo; quòd cœli, quos ſuſpicimus, ſint nobiliſſima mundi pars, iidemque maneant incorrupti, præſtantes vi, magnitudine, ac pulchritudine cæteris corporibus, certiſque ac ſtabilibus motibus præditi. Ergò, ut excitaret hominum ani-

animos Deus ad contemplandam infinitam ſuam poteſtatem ac majeſtatem, quæ maximè elucet in opere cœlorum, ſe in divinis Scripturis habitare dicit in cœlis. *Simile.* Simile eſt de anima noſtra, quæ quamvis ſit tota in toto corpore, & tota in ſingulis ejus partibus, ſpeciali tamen & excellentiori quodam modo per ſenſus nobiliſſimos videtur operari in capite.

2. In hoc loco tamquam nobiliore parte mundi Deus ſe facie ad faciem ab Angelis, beatiſque videri permittit. S. Joannes Chryſoſtomus ſup. Matth. cap. 6. Ubique ergò Deus eſt majeſtate potentiæ, ſed in cœlis manifeſtatione ſuæ gloriæ.

3. Illa particula: *Qui es in cœlis*, monet oraturos mentem animumque ad cœlum tollere; ut quantum ſpei ac fiduciæ adfert eis Patris nomen, tantum Chriſtianæ humilitatis ac pietatis adjungat præſtans illa natura ac divina Majeſtas Patris noſtri, *qui eſt in cœlis*, ibique in regali ſolio ſedens, à Spiritibus beatis adoratur & glorificatur, inceſſabili voce ei occinentibus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Mat. 6. 4. Ut ſurſum corda noſtra extollamus totis medullis inhiantes hæreditati paternæ, quæ eſt in cœlis, juxta illud: *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.*

Coloſ. 3. 5. Ut in hac lacrymarum valle habeamus nos uti peregrinos & advenas non habentes hîc permanentem civitatem, futuram inquirentes, diſcamuſque, deſpectâ humo, & luteis domibus converſari in cœlis, ubi Pater noſter, ubi chari noſtri nos exſpectant. *Gregor. hom 29. in Evang.* *Nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis.*

6. Ut ad hanc vocem levemus oculos noſtros in montes unde veniat auxilium nobis, & in rebus afflictis, omnibuſque neceſſitatibus noſtris recurramus ad cœlum, ubi auxilium noſtrum à Domino qui fecit cœlum & terram. *Pſal. 120.* *Vide Auguſt. l. 2. de ſerm. Domini in monte.*

7. Ut ſciamus contendere debere clamorem noſtrum, quandoquidem nos hîc jacemus in infimis, & Pater noſter ſedet in excelſis. *S. Bernard. ſerm. 16 in Pſalm. Qui habitat.* Sic tamen quod clamor ille intelligi debeat de internis animi votis & deſideriis, non de aliquo clamore vocis externæ. Juxta illud Davidicum: *Clamavi in toto corde meo.* Et:

Non vox, ſed votum; non muſica chordula, ſed cor:
Non clamor, ſed amor, pulſat in aure Dei.

8. Denique, valde congruè in oratione commemoramus Patrem noſtrum qui in cœlis eſt, ut cor purum & manus mundas in cœlum tollamus, & ipſi etiam templum Dei eſſe conemur, tamquam quoddam ſpiritale cœlum.

I. Quid petimus in verbis iſtis: *Pater noſter qui es in cœlis?*

R. Hæc paucula verba ſunt inſtar præfationis cujuſdam & apparatus ad orationem, quo Dei benevolentiam in ipſo Orationis Dominicæ exordio nobis conciliamus, ut ad thronum miſericordiæ illius confidentiùs accedamus. Verbis enim prioribus illis, *Pater noſter*, perſuademus quodammodo Deo, quod poſtulata nobis impertiri debeat, uti Pater filiis; poſterioribus verò, *qui es in cœlis*, ſubindicamus nullam ei difficultatem fore, quodcumque petimus concedendi, cùm ſit Dominus cœli & terræ.

Nota igitur, Oratio Dominica continet generatim tres partes. *Orationis Dominicæ tres partes.*

1. Compellationem & benevolentiæ conciliationem in verbis jam dictis. *Pater noſter qui es in cœlis.*

2. Sequuntur ſeptem petitiones in ſequentibus uſque ad finalem vocem; *Amen*, excluſivè.

3. Illa vocula, *Amen*, eſt confirmatoria deſideriorum & votorum noſtrorum, *In c. 6. Matth.*

quæ

Digitized by Google

quæ in decurſu Orationis Dominicæ per ſeptem petitiones expoſuimus; eſtque Orationis totius clauſula, &, uti S. Hieronymus dicit, *Signaculum*. Hactenus de 1. parte, modò procedamus ad ſecundam.

DE PRIMA PETITIONE ORATIONIS DOMINICÆ.

CAPUT QUARTUM.

Sanctificetur nomen tuum.

LECTIO UNICA.

S.Tho.2.2. q.83.ar.9. ad.1.

I. Quid primâ petitione agimus?

R. Ut probos filios decet, juſtum & liberale deſiderium explicamus, petimuſque ſemper & ubique in nobis aliiſque promoveri cognitionẽ, timorem, honorem, amorem, & cultum divinæ Majeſtatis, & quicquid demum ad gloriam ſpectat ſummi optimique Patris.

I. Quomodo id fit?

R. Id fit maximè, quum veræ fidei confeſſio, & Chriſtianæ vitæ converſatio ſuam in nobis vim exerit, ut inde alii quoque glorificent Patrem. *Matt.5.*

I. Cur à nominis divini ſanctificatione noſtra deſideria & orationem exordimur?

Cur oratio Dominica à divini nominis ſanctificatione ſumit exordium.

R. Quid à Deo petendum, quove ordine id agendum ſit, Magiſter ipſe ac Dominus omnium docuit & imperavit. Nam, cùm ſtudii & deſiderii noſtri nuncia ſit, & interpres oratio; tum rectè in oratione petimus, cùm poſtulationum ordo ſequitur ordinem rerum expetendarum. Monet autem nos vera charitas, totum ut animum ac ſtudium conferamus in Deum: qui quoniam ſolus eſt in ſeipſo ſummum bonum, jure eſt præcipuo, quodam ac ſingulari amore diligendus. Nec vero ex animo & unicè poteſt amari Deus, niſi rebus omnibus ejus honor & gloria præponatur. Bona enim & noſtra & aliena, & omninò omnia ab illo profecta, ſummo ipſi bono cedunt. Quare ut ordine procederet oratio, Salvator petitionem hanc de ſummo bono, Principem & caput conſtituit petitionum reliquarum, docens nos, priuſquam ea, quæ nobis & proximo cuique opus ſunt, poſtulemus, quæ propria ſunt Dei gloriæ, petere debere, ipſique Deo ſtudium, & deſiderium ejus rei noſtrum exponere. Quo facto manebimus in officio charitatis; quâ docemur, & plus Deum quàm nosipſos diligere; & primùm petere quæ Deo cupiamus; deindè quæ nobis optemus.

Adde quòd ideò creati, in lucem editi, & ratione præditi ſumus, ut cognoſcamus laudemuſque Deum, in quo ſummum noſtrum bonum conſiſtit, adeoque ardentiore ac frequentiore deſiderio, ut gloria Dei propagetur, quærendum eſt. Hinc ſublime illud, & in ore ſanctiſſimi Patris Ignatii de Loyola, illuſtriſſimæ Societatis JESU Inſtitutoris, tritum ſymbolum: *Ad majorem Dei gloriam.*

I. Quid ergò iſta vox (*Nomen*) hîc ſignificat, quando dicis: *Sanctificetur nomen tuum?*

R. Nomen hoc loco, famam, notitiamque ſignificat: ut cùm ſic dicimus; hic magnum nomen habet, quia multis notus eſt, aut certè bonum vel malum nomen habet, quia famæ bonæ vel malæ eſt: quia, vel ut vir bonus laudatur, vel ut malus paſſim proſcinditur. Itaque nomen Dei ſanctificare nihil eſt aliud quàm Dei notitiam, agnitionemque per totum mundum ſpargere, eamque in ore ac corde hominum ſanctam illibatamque, uti in ſeipſa eſt, conſervare. Quia verò in mundo infideles multi Deum non cognoſcentes, multique mali Chriſtiani in Deum blaſphemi, ſi non verbis, certè vitâ & moribus inveniuntur, ideò qui Filii Dei ſunt,

Aug.l.2. de ſer. Domini in monte. Bern. ſer. 4. 6. de Quadrag.

Digitized by Google

ſunt, zeloque honoris Paterni tanguntur, ingenti cum deſiderio precantur, ut nomen ejus ſanctificetur per orbem univerſum, ideſt, ut agnoſcatur, ab omnibus adoretur, laudetur ut par eſt, honorificetur, ac benedicatur, ſitque *ſecundum nomen ejus, ita & laus ejus in fines terræ.*

Pſ. 47.

I. Ergone hæretici & improbi Chriſtiani non ſanctificant nomen Dei?

Vid. S. Auguſt. tract. 30. in Io. poſt init. & Bellar. de gemitu columba l. 2. c. 10.

R. Minimè. Etſi enim oretenus dicant: *Sanctificetur nomen tuum*, at certè perverſâ doctrinâ, & vitâ impiâ blaſphemant nomen Domini; & quamvis *ſe noſſe Deum dicant, factis tamen negant.*

I. Qui ſunt igitur, per quos maximè nomen Dei ſanctificatur?

R. Illi, quorum ſic lucent bona opera coram hominibus, ut glorificent Patrem eorum qui eſt in cœlis. Secundò illi etiam qui non deſinunt bonæ vitæ exemplo, & ſanâ doctrinâ errantes à via juſtitiæ ad pœnitentiam, aut etiam hæreticos & infideles ad ſanæ fidei rectum tramitem reducere, & ad Eccleſiæ ſanctæ gremium revocare.

I. Habesne exempla eorum qui verbo, & operibus bonis ſanctificaverunt & glorificaverunt nomen Dei.

Exemplum.

R. Primò Angeli Domino Deo humiliter ſubjecti, & piâ charitate conjuncti, beatitudinis gloriam adepti, perpetuò eum laudant atque ſanctificant, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.*

Iſai. 6.

Secundò, ſancti Prophetæ in veteri Teſtamento quid aliud prædicabant, quàm Dei ſanctificationem? in illis eminet Propheta Regius, qui per ſingulos ferè Pſalmos non ceſſat unumquemque vehementer commonefacere ad laudem & glorificationem Dei. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate*, inquit, *eum omnes populi*, &c. Et, *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini; Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & uſque in ſæculum. A Solis ortu uſque in occaſum laudabile nomen Domini, &c.*

Tertiò, in lege Evangelica B. Virgo Maria, cujus unius vita omnibus probitatis norma & diſciplina eſſe poſſit, inquit Ambroſius, non egit aliud quàm continuò habere in corde, in ore; & in opere: *Magnificat anima mea Dominum.* Ipſi etiam Apoſtoli quando Spiritu Sancto repleti ſunt, veluti muſto pleni coram Judæis, & Gentibus, glorificaverunt, prædicaverunt, & ſanctificaverunt nomen Dei, ita ut *in omnem terram exierit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſ. 8.

In vita.

Exemplũ.

Sancta Virgo Tereſia ſummo tenebatur deſiderio, ut Deus omnibus, & ſuper omnia laudaretur, coleretur, & diligeretur, utque Eccleſia Dei, quæ eſt regnum ejus, propagaretur, & virtutum merito augeretur. Itaque omnia ejus vota, omneſque orationes in rem iſtam conferebat, vix ut pro ſe quicquam peteret, parvi ducens ſi in Purgatoriis pœnis etiam diu crucianda foret, dummodo exaltaretur Sancta Dei Eccleſia, cupiens millies mori, tantùm ut una anima Deo Creatori ſuo ſerviret.

I. Quare petimus à Deo, ut ille ab hominibus cognoſcatur & laudetur, nonne ſatiùs foret hoc ab hominibus potiùs petere quàm à Deo?

R. Homo ex ſeipſo Deum cognoſcere non poteſt, nec laudare, idcircò à Deo, ut ſuâ ſanctâ gratiâ cooperetur nobis, petimus, quò infideles, aliique peccatores convertantur, & converſi cognoſcere & laudare ipſius ſanctum nomen incipiant,

D E

DE II. PETITIONE
CAPUT QUINTUM.

Adveniat regnum tuum.

LECTIO UNICA.

S.Tho.2. 2.q 83.ar. 9.ad 1.

I. DEclara mihi nunc alteram petitionem, ſcilicet: *Adveniat regnum tuum?*

R. In hac petitione ordinatè noſtram ſalutem petimus, quandoquidem Dei gloriam, honoremque petivimus in prima. Eò magis quòd ſciamus in hac mortali vita non poſſe nos plenè, & perfectè ſanctificare, laudare, benedicere, & glorificare nomen Dei, ſed id reſervatum eſſe in futuram vitam, quando cum Sanctis omnibus regnabimus in cœlo.

I. Quid hic, per *regnum Dei* accipiendum eſt?

Regnum Dei trifariâ poteſt accipi.

R. Trifariam accipi poteſt regnum Dei; nam regnum naturæ, regnum gratiæ, ac regnum denique gloriæ repetitur. *Regnum naturæ* eſt illud, per quod Deus creaturas omnes regit, ac gubernat, ut abſolutus omnium rerum Dominus. De quo Pſalmus: *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum.* Non poteſt hæc petitio de tali regno intelligi, quia illud venturum non eſt, ſed jam venit. *Regnum gratiæ* illud eſt, quo Deus animas ac corda bonorum Chriſtianorum moderatur ac regit, gratiam illis, ſpiritúmque impertiendo, ut illi promptè inſerviant, illuſque honorem præ omnibus inveſtigent. De hoc eſt illud: *Regnum Dei intra vos eſt.* Non etiam de hoc eſt hic ſermo, quia de illo in petitione prima actum eſt, & majore ex parte jam venit. Reſtat ergò *Regnum gloriæ*, quod in altera vita erit poſt extremum judicii diem, quia tunc Deus ſuper omnes res creatas ſine ulla reſiſtentia regnabit; & tum dæmonibus flagitioſiſque hominibus, qui hactenus Dei voluntati reſiſtebant, ipſiuſque imperio obſtrepebant, poteſtas omnis eripietur, & in perpetuos inferni carceres protrudentur. De hoc ergò tertio regno videlicet gloriæ, agit hæc ſecunda petitio, in qua ſummum noſtrum bonum & gloria tum corporis tum animæ, perfecta expetitur, ut per hoc regnum perfectè & plenè ſanctificetur, & glorificetur nomen Dei. Et de illo ſunt Scripturæ: *Percipite regnum.* Matt. 25. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Matt. 7. *Iniqui regnum Dei non poſſidebunt.* 1 Cor. 7. & aliæ multæ.

Pſal. 144.

Luc. 17.

De regno gloriæ intelligenda 2 petitio Orationis Dominicæ

I. Dic ergò clarè & dilucidè, quid continet ſecunda petitio?

R. Hic optamus & precamur, ut ex hoc mundo, veluti è gravi peregrinatione, militiaque vocati, quàmprimùm transferamur ad regnum gloriæ & felicitatis æternæ, ut cum Chriſto in ſempiternum regnemus. Vide ſuprà p. 1. c. 13. 1. Pet. 2. Rom. 8. Matt. 25.

I. Regnabimuſne cum Sanctis in cœlo?

R. Ita; ſic enim ſcribit Joannes Apoſtolus: *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Etc. 1. *Fecit nos regnum.* Vide 1. Petr. 2. Jam hoc regnum Eccleſiæ inchoatur in hac vita per gratiam & virtutes præſertim heroicam charitatem & fortitudinem, quâ Sancti dominantur, primò, iræ, gulæ, ſuperbiæ omnibuſque vitiis & concupiſcentiis; Secundò, morbis, perſecutionibus, tormentis, morti, martyrio. Tertiò, opibus, honoribus, & creaturis omnibus. Perficietur verò hoc regnum in cœleſti gloria. Ibi enim erit Eccleſia, ſive cœtus Beatorum, *corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei ſui*; uti dicitur apud Iſaiam; hoc eſt, Deus dabit Beatis coronam & gloriam Regni & Principatûs cœleſtis, dominabuntur enim Apoc. 5. Sap. 5. C. 62.

 ſoli

toti mundo quaſi Reges, & triumphabunt quaſi victores de dæmonibus & inferno, *facientes vindictam* (ut alius Propheta dicit) *in nationibus, increpationes in populis, alligantes Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.*

David Pſal. 149.

I. Quid hoc eſt, *Adveniat?*

R. Petimus Dei auxilio juvari, ut in hac mortali vita in omni bono fructificantes inveniamur digni Regno Dei, *& ne fortè pereffluamus*, ut loquitur Apoſtolus, aut excidamus à fine noſtro, neve *alius accipiat coronam noſtram.*

Heb. 2.

I. Quandoquidem plenum, abſolutum, & perfectum Dei Regnum non adveniet, niſi in extremo Judicii die; nonne petimus hîc ut dies illa extrema mundi adveniat, cùm oramus, ut adveniat Regnum Patris noſtri, qui eſt in cœlis?

R. Ita omninò. Hinc S. Hieronymus notat grandis eſſe audaciæ, puræque conſcientiæ Regnum Dei poſtulare; Chriſti ad judicium adventum non timere: ideò que hâc petitione aſſiduâ, innui, quòd fidelem paratum eſſe ſemper oporteat, ut ſecurâ mente diem illam exoptare audeat.

In Mat. 6.

Omnes Sancti veteris Teſtamenti invocabant, & magnis ſuſpiriis inclamabant primum Chriſti adventum; Sancti verò novi Teſtamenti omnes, non ceſſant aſpirare & ſuſpirare ad ſecundum ejuſdem Domini noſtri adventum, cùm dicunt: *Adveniat regnum tuum.*

S. Aug. in Pſal. 118. conc. 40.

I. Debentne Verbi Dei Præcones hanc materiam diligenter & accuratè pertractare?

R. Ita. Regnum cœleſte nimirum ejuſmodi eſt, ut eò referatur ac terminetur omnis Evangelii prædicatio. Inde exorſus eſt hortari ad pœnitentiam S. Joannes Baptiſta: *Pœnitentiam*, inquit, *agite: appropinquabit enim Regnum Cœlorum.*

Nec aliunde fecit initium ſuæ prædicationis Salvator humani generis, & in illo ſermone, quo beatitudinis vias diſcipulis in monte monſtravit, tamquam propoſito orationis argumento, principium duxit à regno cœlorum. Nam, *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Quin etiam eum retinere cupientibus, attulit illam cauſam neceſſariæ profectionis: *Et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideò miſſus ſum.* Hoc idem poſteà regnum prædicare juſſit Apoſtolos: & illi, qui ſe ire ad ſepeliendum Patrem ſuum velle dixerat, reſpondit: *Tu vade, annuncia regnum Dei.* Cùm verò reſurrexiſſet à mortuis, per illos quadraginta dies, quibus apparuit Apoſtolis, *loquebatur de regno Dei.*

Matt. 5. Luc. 4. Matt. 10. Luc. 9. Act. 1.

I. Cur Parochi, & alii verbi divini Præcones de regno Dei ad populum frequenter diſſerere debent?

R. Ut jugiter meminerint homines tam ſublimis, tamque magnifici finis ſui, doceanturque in eum mentem & cogitationes ſuas omnes defigere. Animos igitur Fidelium ad tanta vitæ æternæ propoſita præmia accendere modis omnibus ſatagant, & eorum conſequendorum, certam rationem hanc eſſe frequenter moneant: ut fide & charitate inſtructi, & in oratione & Sacramentorum ſalutari uſu perſeverantes, ad omnia benignitatis officia in proximos ſe exerceant. 2. Ut doceantur quali providentiâ regat & dirigat ſubditos ſibi homines divina Clementia, non ſolùm in futuro ſæculo, quando ponet fines eorum pacem; verùm etiam in præſenti. Vide Pſal. 22. 3. Hâc ſpe ſuffulti vehementer excitantur ad ardua quæque & difficilia pro Chriſti nomine ſubeunda, promptioreſque ad parendum Deo, & alacriores redduntur.

Quibus mediis regnum cœlorum acquiritur?

I. Quibus potiſſimum rationibus in nobis ipſis regni Dei deſiderium excitabimus?

R. Si

Quam calamitoſa hujus vitæ conditio.

R. Si calamitoſam ſtatûs noſtri conditionem, in quàm Adami peccato collapſi ſumus, nobis ob oculos ponamus; & è contrà in memoriam revocemus ſummam beatitudinem & inexplicabilia bona, quibus redundat æterna parentis Dei domus. *Vide articulum ultimum Symboli ſuprà.* Exules enim ſumus & planè ejus loci incolæ, in quo habitant dæmones: quorum in nos odium nullâ ratione mitigari poteſt: nam ſunt infeſtiſſimi & implacabiles in genus humanum. Quid domeſtica, inteſtinaque prælia commemorem, quæ inter ſe corpus & anima, caro & ſpiritus aſſiduè gerunt, quibus perpetuò timendum, ne concidamus. Quam vim miſeriarum cùm ſentiret Apoſtolus: *Infelix,* inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* De his plura in duabus poſtremis petitionibus.

Rom. 7.

I. Cujus rei ſubmonet nos iſta petitio: *Adveniat regnum tuum?*

R. Quandoquidem finis noſter regnum eſt cœlorum, convenit planè ut more regiorum puerorum addicamus nos regalibus & magnanimis exercitiis. Ergo, quid mihi cum terra; fœtet, fœtet illa planè dum cœlum reſpicio: *Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum* (ut regnum cœlorum) *lucrifaciam.* Quid mihi vobiſcum filii Adam, lutei homines? Regnum noſtrum non eſt de hoc mundo, *Domine, quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Regium neſcio quid ſpiremus, & deinceps non ſerviamus peccato. Pugnemus & fortiter dimicemus, pro regno agitur; pro regno cœleſti, æterno, opulento, nobiliſſimo res nobis eſt; Eja, animosè; fortiter, viriliter. *Servivit Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*

Pſal. 70.

Gen 29.

Milites Holofernis admirati pulchritudinem Judith, annuntiantes eam, dixerunt: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Potiori planè jure Apoſtolus miratur opes, decorem & magnificentiam regni hujus exclamat: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.*

Judith. 10.

Rom. 8.

Exemplum.

Cùm Maximianus graviſſimè perſequeretur Chriſtianos apud Antiochiam, oblati ſunt ei quidam Chriſtiani, fide ac religione inſigniſſimi: quos ille poſt veritatis confeſſionem extenſos lignis & nervis cædi juſſit, ac deinde lapidibus ora ipſorum contundi, & linguas eorum præcidi. Hæc omnia cernens Adrianus, qui erat Prior officii, dixit ad eos: Adjuro vos per Deum veſtrum, pro quo hæc patimini, dicite mihi in veritate, quæ eſt remuneratio veſtra quam expectatis pro his tormentis? Videtur enim mihi magna & mirifica eſſe. Cui Martyres dixerunt: Expectamus quod *nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit;* inenarrabile bonum quod præparavit Deus his qui diligunt eum. Audiens hæc Adrianus, ſtatim exſiliens ſtetit in medio eorum, & dixit his qui gerebant Exceptoris officium: *Annotate confeſſionem meam cum his Sanctis & athletis Dei, quia & ego Chriſtianus ſum.* Poſt non multum ſpatium cùm audiſſet Maximianus nomen ejus recitari inter nomina ſanctorum Martyrum, evocato ad ſe dixit ei: Inſanis Adriane? numquid & tu vis tam malè perire? Adrianus reſpondit: Non inſanio, ſed de multa inſania ad ſanam mentem revertor. Cumque perſeveranter quæ ſunt fidei & veritatis proſequeretur, furore repletus Maximianus, juſſit eum ferro vinctum cum cæteris Martyribus ad carcerem pertrahi. Erat autem juvenis annorum 28. &c. Ita Ado Vienenſis in ſuo Martyrologio 8. Septembris.

D. Adriani divinũ conſilium & ingens animi robur.

I. Eſtne igitur regnum cœlorum ſummè deſiderabile?

Regnum cœlorum ex quinque capitibus ſummè deſiderabile.

R. Quàm maximè, ex quinque potiſſimum capitibus; ſcilicet ob perfectam juſtitiam, quæ ibi invenitur, abſolutiſſimam

Digitized by Google

mam libertatem, Regem undequaque excellentiſſimum, puta in potentia, ſapientia, bonitate, gloria, divitiis, &c. ob legem ſanctiſſimam, æquiſſimam, dilectiſſimam, quâ regnum iſtud regitur & adminiſtratur; denique ob admirandam bonorum omnium, quâ regnum circumfluit, ubertatem & copiam.

I. In quo notas *perfectam juſtitiam* regni cœleſtis?

R. In eo quòd Beati abſque intermiſſione laudes & gratiarum actiones Deo accinant, ingeminantes illud: *Sedenti in throno, & Agno, Benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum, amen*; & voluntatem Dei ſui in omnibus perficiente cum impoſſibilitate æterna ab hac juſtitia & rectitudine vel latum unguem diſcedendi; & quoad proximum ſpectat, id eſt beatos inter ſe, eſt ibi perfectiſſima juſtitia, ex eo quòd ſinceriſſimè, & perfectiſſimè ſeſe mutuò diligant, neque unus alteri faciat quod ſibi fieri nollet. Hæc juſtitia facit indiſſolubilem totius regni concordiam, optabiliſſimam tranquillitatem, & ſecuriſſimam pacem, quam ſuis electis promiſerat Deus apud Prophetam: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia & in requie opulenta.*

Apoc. 5.

Iſai 32.

I. Quænam *libertas* erit in regno Dei?

R. Omnis omninò libertas quæ cuilibet hujus ſæculi ſervituti opponitur. Erit enim ibi libertas gratiæ oppoſita ſervituti peccati; *ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Erit etiam libertas gloriæ oppoſita infirmitati carnis, quâ eximimur ab omni pœna, miſeria, paſſione, afflictione. *Vanitati creatura ſubjecta eſt, ſed ipſa liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Erit denique libertas oppoſita omni ſubjectioni, & ſervituti humanæ. Vide eundem Apoſtolum diſputantem de lege, & ſubjectione matrimonii 1. Cor 7.

2. Cor. 3.

Rom. 8.

I. Cur dicis quòd regnum cœlorum optabile ſit *ob regem ipſum*?

R. Eò quòd Rex omni omninò perfectione perfectiſſimè præditus ſit, uti jam antè ſubmonui, ut meritò de illo pronunciaverit David, quòd ſit *Rex magnus ſuper omnes Deos.* Et alibi: *Deus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Si beata eſt terra cujus Rex potens eſt, ſapiens & nobilis; quid ſentiendum eſt de terra viventium, de regno beatitudinis æternæ, cujus Rex magnificatus eſt ſuper omnes Deos, in omni modo virtutis, potentiæ, ſapientiæ, gloriæ! Regina Saba non habebat amplius ſpiritum dum contemplaretur gloriam, & magnificentiam Regis Salomonis; O anima Chriſtiana, *ecce pluſquam Salomon hic.*

Pſal. 94.
Pſal. 23.

I. Quæ eſt *lex regni Dei*, ob quam aſſeris ſummè eſſe deſiderabile?

Lex regni Dei eſt charitas.

R. Non alia quàm lex ſanctiſſima charitatis, quæ in cœlo viget quàm maximè.

Omnes cives Sanctorum & domeſtici Dei hâc lege regulantur in cogitatu, in affectu, in operatione; adeò quod perfectiſſimè (uti ſuprà proximè eſt habitum) Deum ament & proximum. Et quia Lucifer, cæterique Apoſtatæ Angeli huic legi ſeſe non ſubdiderunt, ideo è ſedibus ſuis exciderunt, & in profundum abyſſi demerſi ſunt. Ab hac lege manat mutua communicatio, eaque perfectiſſima bonorum quæ Sãcti in cœlo poſſident; adeò quod beatitudo, & quicquid quilibet in particulari poſſidet gloriæ & honoris in iſto regno, omnibus ſit commune & proprium, conſpirantibus omnibus ex æquo in gloriam, amorem, & laudem Dei.

I. Quid tandem de *bonis & divitiis*, quibus iſtud regnum abundat?

R. Eo nomine etiam maximè deſiderabile eſt hoc regnum, nam Iſaias dicit: *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti exſpectantibus te.* Et alibi eadem Propheta: *Tunc videbis & afflues,* Iſai. 64. C. 60.

&

& mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Quod etſi de Eccleſia adhuc militante, ejuſque incrementis dictum ſit, poteſt tamen etiam de Eccleſia triumphante, ſive regno cœleſti ejuſque opulentia, gloria & divitiis, de quibus hic agimus, commodiſſimè in ſenſu ſaltem anagogico intelligi.

S. Aug. l. de conflictu. vitiorum.

Miretur amor ſæculi & dicat: O quàm delectabilis terra in nemorum floribus, in fructuum ſuavitatibus, in pratorum, rivulorumque amœnitatibus, in ſegetum culmis luxuriantibus, in vinearum foliis, & botryonibus plenis palmitibus; in equorum & canum curſibus, in cervorum & caprearum ſaltibus, in accipitrum volatibus, in pavonum, columbarum, turturumque pennis & collis lucentibus; in domorum pictis muris & laquearibus, in organorum omniumque muſicorum tinnulis cantantibus, in mulierum venuſtis aſpectibus, atque extrinſecus pretioſis adhibitis veſtibus, auro & gemmis diſtinctis monilibus, &c. *Amor cœleſtis patria reſpondet: ſi te iſta delectant quæ ſub cœlo ſunt, cur non magis ea delectant quæ ſuper cœlo ſunt? Si carcer ita pulcher eſt, patria, civitas, & domus qualis eſt? Si talia ſunt quæ hic incolunt peregrini, qualia ſunt quæ ibi poſſident filii?* Et paulò poſt: *Ubi nulla neceſſitas turbat, nulla adverſitas anguſtat, nulla moleſtia inquietat, ſed perennis lætitia regnat. Si quæris quid ibi ſit ubi tanta & talis beatitudo perſiſtit? Aliter dici non poteſt, niſi quod quidquid boni eſt, ibi eſt: & quidquid mali eſt, ibi nuſquam eſt.* Plura huc ſpectantia vide ſup. p. 4. c. 13. l. 1.

I. Hoc igitur jam poſito, quòd regnum Dei ſummè ſit deſiderabile, deſiderarunt-ne illud magnâ & præcipuâ aviditate ſancti?

Exempla. C. 21.

R. Dici non poteſt quibus votis, quibuſque deſideriis, & ſuſpiriis illud proſecuti ſint.

S. Joannes Evangeliſta jam gravis annis, onuſtuſque multis meritis in fine Apocalypſis dicit: *Veni Domine* JESU, q. d. Etiam veni Domine JESU, obſecro veni, omninò veni amor mi, gaudium meum, deſiderium meum. Nam qui teſtimonium perhibet iſtorum, Chriſtus Dominus dixerat: *Etiam venio citò.* Reſpondet S. Evangeliſta: *Amen Veni Domine, veni.* Hæc ſunt amantiſſimi diſcipuli ad Dominum ſuſpiria. Sanè qui eſt puræ conſcientiæ, & intensè amat Jeſum, deſiderat diſſolvi & eſſe cum Chriſto.

S. Nicolaus Tolentinas ſex totis antè obitum menſibus, paulò antè nocturnas preces, ſingulis noctibus ſuaviſſimum Angelorum concentum audivit, qui illi quaſi prægustationem futuræ vitæ præbebat. Itaque quo illum ejus vitæ deſiderio arſiſſe credimus, ad cujus fruitionem tam jucundè invitabatur? Declaravit ipſe, qui frequenter illud Apoſtoli dictum in ore habebat: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Quin idem etiam cùm reſolutionis tempus inſtaret, in extremo ſpiritu voces fundere cœpit lætantis atque geſtientis; cujus inuſitati gaudii cùm fratres, qui aderant, cauſam quæſiſſent, attonitus ille, vixque ſui compos præ magnitudine rei; Dominus meus, JESUS Chriſtus, inquit, ſanctiſſimæ matri ſuæ, & Auguſtino Patri noſtro innixus mihi dixit: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* In quibus verbis expiravit.

Mirum in Sanctis regni cœleſtis deſiderium.

S. Aug. l. 9 conf. c. 10. & 11.

Imminente die, quo ex hac vita migratura erat Monica D. Auguſtini Mater, apud Oſtia Tiberina, ubi tunc erat, diu collocuta eſt cum filio de regno cœleſti, qualis nimirum futura eſſet vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Inhiantes ore cordis in ſuperna fluenta fontis vitæ æternæ perambulabant gradatim cuncta corporalia, & ipſum cœlum, unde Sol, & Luna, & ſtellæ lucent ſuper terram, attingentes regio-

regionem ubertatis indeficientis, ubi Deus paſcit Iſraël in æternum veritatis pabulo, ubi vera ſapientia eſt, per quam fiunt omnia iſta, & quæ fuerunt, & quæ futura ſunt, &c. His itaque & aliis inter ſe dictis, & mundo ipſis inter verba viléſcente cum omnibus delectationibus ſuis, tum illa, ait: Fili, quantum ad me attinet, nullâ jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim, neſcio, jam conſumptâ ſpe hujus ſæculi: Unum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Chriſtianum Catholicum viderem priuſquam morerer.

Cumulatiùs hoc mihi Deus meus præſtitit, ut te, etiam contemptâ felicitate terrena, ſervum ejus videam. Quid hic facio? Et cùm illa, abſente filio, ibi ageret cùm quibuſdam amicis de contemptu vitæ hujus, & bono mortis, illis ſtupentibus virtutem fœminæ, quærentibuſque utrum non formidaret tam longè, à ſua civitate corpus relinquere? Nihil, inquit, longè eſt à Deo, neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſæculi, unde me reſuſcitet. Ergò die nono ægritudinis ſuæ, quinquageſimo ſexto anno ætatis ſuæ, trigeſimo & tertio ætatis meæ, anima illa religioſa & pia corpore ſoluta eſt.

Similes ipſius Auguſtini ardores, pariaque deſideria vide in lib. Soliloq cap. 35. & 36. & in Meditation. cap. 22. & ſeqq.

Pet. Ribad l. 5. vita ejus c. 1. Ignatius Loyola tam ardenti deſiderio tenebatur ex hoc carcere, & vinculis evolandi ad Chriſtum, ut quoties de morte ſua cogitaret, temperare ſibi à lacrymis præ lætitia non poſſet. Diſſolvi enim & eſſe cum Chriſto multo magis ſibi meliùs exiſtimabat. Neque verò ut ſummum ſuum bonum conſequeretur, tantum & in beatiſſima illa viſione conquieſceret, Chriſti videndi deſiderio flagrabat: ſed (quemadmodum amici expetere præſentiam amicus ſolet) ut jucundiſſimo, multoque fæliciſſimo illius perfrueretur aſpectu. Ita ad Chriſtum tranſire anhelabat S. Maria Ognyacenſis. Nam, ut in ejus vita ſcribit Cardinalis de Vitriaco ultimo vitæ ſuæ anno *L. 2. c. 12.* propinquante, jam ſe ampliùs non valens, anhelabat, ſuſpirabat, præ deſiderio clamabat, quaſi moræ impatiens, cùm Dominum Chriſtum (cum quo familiariter converſabatur) amplexaretur: *Nolo Domine, ut ſine me recedas: non cupio hic morari amplius, domum ire volo.* Et paulò pòſt cùm narraſſet illi revelatum ſuum tranſitum in cœlum: non potuit, inquit, tunc præ ſpiritus ebrietate tacere, ſed clamans dicebat: Audivi à Domino me ituram in Sancta Sanctorum: O dulciſſimum vocabulum! Dic mihi mea Clementia (ſic enim ejus ancilla vocabitur) quid eſt, *Sancta Sanctorum?* Ex famula volebat ſcire, quid eæ dictiones ſignificarent, cùm neutra id ſciret: Sed, ut dixi, ſpiritu ebria id faciebat. Et mox; Audiebat etiam vocem Domini vocantis, & dicentis; *Veni amica mea, ſponſa mea, columba mea! jam coronaberis.* Inſtante verò morte, ut idem Cardinalis ſcribit c. 11 & ſeqq. Cœpit clarâ voce & altâ cantare, nec ceſſavit ſpatio dierum trium & noctium laudare Deum, Hymni carmina ſuggerente ei Angelo Seraphino. Adventante autem horâ ultimâ canebat: *Quàm pulcher es Rex noſter Domine Alleluya.*

Lege & imitare ſuſpiria S. Bernardi ad JESUM in Jubilo, ubi inter cætera ait:

O JESU mi dulciſſime,
Spes ſuſpirantis animæ,
Te quærant piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
JESU dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,

Mu-

Mundi vileſcit vanitas,
Et intùs fervet charitas.
JESU mi bone ſentiam,
Amoris tui copiam,
Da mihi per præſentiam,
Tuam videre gloriam.
Quem tuus amor ebriat,
Novit quid JESUS ſapiat,
Quàm fælix eſt quem ſatiat?
Non eſt ultra quod cupiat.
JESU decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Deſidero te millies,
Mi JESU quando venies,
Me lætum quando facies,
Me de te quando ſaties?
Jam quod quæſivi video,
Quod concupivi teneo,
Amore JESU langueo,
Et corde totus ardeo.
O beatum incendium,
Et ardens deſiderium,
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!
Tumentis delectatio,
Amoris conſummatio,
Tu mea gloriatio,
JESU Mundi ſalvatio.
Tu verum cœli gaudium,
JESU cordis tripudium,
Tollens omne faſtidium,
Mel, nectar, melos ſuavium.
O quàm glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent omnes Sancti!

DE III. PETITIONE

CAPUT QUINTUM.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.

LECTIO UNICA.

S Tho. 2. 2. q 83. art. 9. ad 2.

I. Quid ſignificant illa verba; ſive quid per illa verba petimus: *Fiat voluntas tua, &c.*

R. His verbis poſtulamus gratiam perfectè Divinis mandatis obſequendi, ut Patris voluntatem in terra ſicut Beati omnes in cœlo faciunt, & probos filios decet ſincerè, alacriter & conſtanter adimpleamus, exemplo ipſius Chriſti Domini, qui Patri *factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.*

I. Quare petitio Dei regno rogamus ut ejus voluntas à nobis fiat:

R. Quia ſcimus dictum eſſe à Domino; *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Recto quidem ordine id ſic poſtulare nos docuit Dominus; cùm enim in altera petitione vita beata, quæ eſt finis hominis, petatur, nunc conveniebat ut principale medium ad obtinendum finem illum peteretur, quod eſt obſervatio mandatorum Dei. Dixit enim Salvator: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

Matt. 7. *Principale mediū obtinendi regni Dei, eſt obſervantia mandatorum.* Matt. 19.

I. De qua Dei voluntate intelligenda eſt hæc petitio, quæ dicit *Fiat voluntas tua, &c.*

R. De voluntate ſigni, quâ Deus ſignificat quid velit à nobis fieri per ſuas leges & præcepta quæ nobis ipſe imponit, vel ejus in Eccleſia Vicarii. *Vide S. Thom. 1. p. q. 19. articul. 11. in O.*

I. Num, quando voluntatem Dei, obſervando præcepta ejus, adimplemus, obligati etiam ſimus voluntatem noſtram divinæ voluntati tribulationem immittenti conformare?

R. Ad minimum obligati ſumus non murmurare, nec ſuper divina providentia querelas movere. Quicquid enim nobis præcipit vel immittit Deus, ad finem bonum dirigitur, id eſt, ad materiam majoris meriti, ſi boni ſimus; vel emendationis, ſi mali. Ita dicebat Chriſtus: *Non mea ſed tua voluntas fiat.* Luc. 22.

Cypr. ſer. de mortal.

2. Machab. 3. Et Machabæi: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.* Inſignis fuit hoc in genere B. Job cum diceret: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Hinc eleganter dixit S. Leo. Ser. 6. de Nat. *Tam patiendo, quàm faciendo, voluntatem Dei facimus, cum Regi noſtro non ſolùm obedientiâ ſubjicimur, ſed etiam judicio copulamur.*

S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 9. ad 2. I. Quid illa verba, *ſicut in cœlo & in terra* ſignificant?

R. Significant adeò nos debere ad obediendum Deo paratos eſſe, & ad obſervanda illius præcepta cum tanta perfectione, promptitudine & alacritate ferri, cum quantâ in cœlis Angeli feruntur, qui ne minimum quidem defectum in univerſis Dei præceptis obſervandis admittunt. *Vid. Pſ. 102. v. 20. & 21.*

I. Poſſumuſne igitur eâ perfectione in terra Dei mandata perficere, quâ Beati in cœlo ea faciunt?

R. Minimè. Eſt enim in nobis inter carnem & ſpiritum colluctatio, & adverſus ſe invicem quotidiana congreſſio, *ut non quæ volumus, ipſa faciamus.* Et: Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* (*Sicut*) ergo non dicit omnimodam ſimilitudinem, ſed proportionalem æqualitatem, ſecundùm quod convenit viatoribus & peregrinis.

I. Cur petimus gratiam mandata, ſive voluntatem Dei perficiendi, quandoquidem id ex nobiſipſis exequi valeamus?

R. Nos ex nobiſmet-ipſis ad omnia mandata obſervanda ſufficientes non ſumus, uti par eſt, ideo petimus à Deo, ut illius voluntas à nobis fiat, id eſt, ut gratiam det illius voluntatem adimplendi, quod obediendo ei in omnibus ſanctiſque præceptis ejus obſecundando, eveniet.

I. Valde ergò miſeræ conditionis eſt homo?

R. Infers benè. Et ideò demiſſo valde & humili debet eſſe animo, reputans ſecum eam, quæ in natura corrupta eſt *Miſera hominis conditio.* inſita, cupiditatum vim, divinæ repugnantem voluntati. Cogitet igitur ſe in eo officio vinctà naturis omnibus: de quibus ita ſcriptum eſt: *quoniam omnia* Pſ. 118. *ſerviunt tibi:* maximèque imbecillem eſſe, qui, cùm malum ex ſeſe facere poſſit, at certè nullum opus Deo gratum, non modo perficere, ſed ne inſtituere quidem poſſit, niſi Dei adjumento ſublevetur.

I. Qui Deo ſerviunt, & vitam ex ejus lege & præceptis agunt, ſuntne in pretio apud eum?

R. Ita. Dicit enim de illis: quod *fratres, ſorores & mater* ejus ſint. Vis Matt. 12. igitur, ô Chriſtiane, Deo propinquitate jungi, ambis ſublimia hæc cum divina majeſtate fœdera, fac ejus voluntatem, & ſingulis diebus, horis, momentis ingemina, *Fiat, fiat voluntas* Pſ. 142. *tua.* Et cum Prophetâ: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus* Pſ. 118. *meus es tu, ego autem ſervus tuus, cui mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.*

I. Habeſne exemplum ad hanc rem?

R. Habeo. S. Aldegundis cùm adhuc *Exemplum.* in ædibus parentum moraretur, variis illuſtrationibus divinis non mediocriter conſolata, de die in diem in amore virtutum proficiebat, & ut perſeverando magis proficeret, quotidie majora videbat. *In vita ejus c. 2. apud Sur. 11. Nov.* Siquidem apparet ei puella, quaſi de itinere veniens, & à Dei Genitrice ſe miſſam affirmans, ut quod vellet, poſtularet: at illa mox alacriter reſpondit id ſe deſiderare quod Dominus vellet, Chriſtique voluntatem in ſe fieri præoptare.

I. Numquid hæc inſignis eſt perfectio?

R. Planè. Nimirum, perfectus eſt qui

qui in Dei beneplacito conquieſcit, ejuſque in omnibus ſequitur voluntatem, di- Rom. 12. ligenter exquirens & probans, *quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*, ad eam cum perfectione poſſibili complendam.

I. Cur dicis quod ille perfectus ſit qui ſibi complacet in voluntate Dei exquirenda & adimplenda?

R. Quia Dei voluntas, regula eſt, menſura, fons & origo omnis virtutis, & ſanctitatis, cui proinde quanto ſe magis homo conformat obedientiâ, ſubmiſſione, & reſignatione, tanto ſanctior & perfectior eſt.

Moneantur ergò fideles, ut ſimplici Dei voluntati acquieſcant; ferat æquo animo conditionem ſuam, qui ſibi inferiori loco videtur eſſe quàm dignitas ejus poſtulet; ne deſerat ordinem ſuum, ſed in ea vocatione maneat, in qua vocatus eſt, & proprium judicium ſubjiciat Dei voluntati, qui nobis meliùs conſulit, quàm ipſi optare poſſimus. Si anguſtiâ rei familiaris, ſi corporis valetudine, ſi perſecutionibus, ſi aliis moleſtiis, & angoribus premimur; certò ſtatuendum eſt nihil horum ſine Dei voluntate, quæ ſumma omnium ratio eſt, nobis accidere poſſe, ideòque non debere nos graviùs commôveri, ſed invicto animo ferre, ſemper illud in ore habentes: *Fiat voluntas ſua, Domini voluntas fiat. Et ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

I. Habeſne exemplum?

Exemplum. R. Habeo exemplum quod narrat D. Taulerus in colloquio Theologi, & mendici quod rarum eſt, & clarè oſtendit punctum & apicem perfectionis Chriſtianæ, de qua hic.

Fuit, inquit, olim inſignis quidam Theologus, qui annis octo precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, ut ipſi hominem quemdam oſtenderet qui eum viam veritatis edoceret. Cùmque vice quâdam vehementiſſimo hujus rei flagraret deſiderio, vox quædam cœlitus lapſa, ita eum allocuta eſt: *Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat.*

Exiens igitur, invenit mendicum quemdam, diruptis, ſordidis, lutoſis pedibus, cujus veſtes in univerſum vix tribus obolis ſupputares; quem ſalutans ita affatus eſt: Det tibi Deus proſperum mane. Reſpondit mendicus: Non memini unquam adverſum mane habuiſſe. Et Magiſter: Eia, inquit fortunatum te faciat Deus. Quid ita loqueris? (reſpondit mendicus) ſed nec infortunatus aliquando fui. Et ille: Felix eſto, inquit. Quid ſibi hæc tua verba volunt (ait pauper:) Nunquam infelix fui. Rurſus itaque Magiſter: Salvet, inquit, te Deus. Magiſter apertiùs loquere, neque enim capio; quid dicas. Audiam, inquit Magiſter, tuum animum: Tunc pauper reſpondit: Id faciam libenter. Optabas mihi, Magiſter, proſperum mane, & ego me nunquam adverſum mane habuiſſe reſpondi: quando enim fame premor, Deum laudo, ſi frigus patior, ſi nix, ſi grando, ſi pluvia cadit, ſi aura ſerena eſt, vel turbulenta, Deum laudo, ſi miſer ſum atque deſpectus, Deum ſimiliter laudo, & ideò nunquam triſte mihi mane contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri, & ego nunquam me infortunatum fuiſſe reſpondi: novi enim cum Deo vivere, certuſque ſum quicquid ille facit, non poſſe non eſſe optimum. Unde quicquid ipſe vel dabat, vel evenire mihi permittebat, ſive gratum id eſſet, ſive contrarium, dulce vel amarum; lætus id tanquam optimum ab eo ſuſcepi, & ideò nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, ut felicem me faceret Deus; ad quod ego ſimiliter me nunquam infelicem fuiſſe ſubjunxi: ſoli namque divinæ voluntati inhærere ſtatui; in quam ſic integrè omnem meam transfudi voluntatem, ut quicquid ille vult, & ego

velim, & meam ipſi voluntatem ex integro reſignarim. Audi ſublimiorem Philoſophum: hæc cum mendicus ille retuliſſet, ita eum rurſus Magiſter affatus eſt: quid obſecro dicturus eſſes, ſi te Dominus majeſtatis in abyſſum demergere vellet? Et ille: In abyſſum, inquit, me mergeret? Et revera, ſi id faceret, duo mihi brachia ſunt in quibus eum amplexarer. Unum eſt vera humilitas, & hoc illi ſuppono, atque per ipſum ſacratiſſimæ humilitati ipſius unitus ſum. Alterum, idemque dextrum, eſt amor, qui divinitati ipſius unitus eſt, atque per hunc ipſum circumplector, ita ut mecum ad infernum deſcendere cogeretur. Optatius autem mihi foret in inferno cum Deo eſſe, quàm vel in cœlis, ſine illo. Ex his igitur, Magiſter ille didicit, veram reſignationem cum humilitate profunda, compendioſiſſimam ad Deum ſemitam eſſe.

Audi ſapientiæ apicem. Dehinc iterùm ex illo mendico percunctatus eſt, undè veniſſet? Cui ille, à Deo ſe veniſſe reſpondit. Cumque Magiſter ubi eum reperiſſet, ſciſcitaretur; ubi, inquit ille, ubi creaturas omnes dereliqui. Et Magiſter; ubi verò, ait, Deum reliquiſti? reſpondit pauper: in mundis cordibus, & hominibus bonæ voluntatis Et Magiſter: Quinam, ait, es tu? Reſpondit ille, ſe Regem eſſe. Sciſcitante Magiſtro, ubinam eſſet regnum ipſius, in anima ſua id eſſe reſpondit. Sic enim, ait, & externos & internos ſenſus meos regere novi, ut cunctæ affectiones, & vires animæ meæ mihi ſubditæ ſint. Quod profectò regnum cunctis mundi hujus regnis præſtantius eſſe nullus ambigit. Et rurſus Magiſter: Quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Reſpondit pauper: Nimirùm, ſilentium meum, ſublimes meditationes, & unio cum Deo. In nulla re quæ Deo minor foret, quieſcere potui. Jam verò Deum meum inveni, & in ipſo pacem & quietem habeo ſempiternam.

Sancta Gertrudis hæc verba: *Fiat voluntas tua*; ſubindè trecenties ſexageſies quinquies pientiſſimè recitabat & iterabat, hocque gratiſſimum Deo ſacrificium eſſe intelligebat. Unde ipſa juſſa eligere ſanitatem aut morbum, reſpondit: *Vehementiſſimè deſidero Domine, ut non facias voluntatem meam, ſed tuam.* *Aliud exemplum.*

DE IV. PETITIONE

CAPUT SEPTIMUM.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

LECTIO UNICA.

I. Quis ordo hujus petitionis poſt tres præcedentes? *S. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 9. in 1.*

R. Primo loco ſanctificationem nominis Domini poſcimus, Deumque præ omnibus rebus diligere.

Secundo, adventum regni poſtulamus, quia tunc demum Deus perfectè ſanctificabitur, & tunc perfectè diligemus Deum, cum perfectè, & apertè ſuper omnia regnaverit.

Tertio loco petimus, ut in terra faciamus quæ præcipit Deus, ut in hac miſera vita inchoetur ſanctificatio nominis Domini, & ejus dilectio, cujus inchoationis merito ad ejus perfectionem quandoque venitur. *Ordo & connexio petitionũ orationis Dominicæ*

Tribus ergo prioribus petitionibus petuntur quæ ad Deum pertinent, ſcilicet, ut ſanctificetur, regnet, & lex ejus ſervetur; quæ non pro aliquo uno tempore, vel præſenti ſæculo tantùm ſunt utilia, ſed in æternum durabunt. At in quatuor petitionibus poſterioribus temporalia poſcuntur, quæ propter æterna conſequenda ſunt neceſſaria.

Quemadmodum enim Deus prior eſt homine, & ad eum velut ad finem ſuum homo omnia deſideria, vo-

ta, actionesque dirigere debet, ita vitæ temporalis ſubſidia referri debent ad æterna, velut ad finem, cui ſubordinata ſunt.

S Chryſoſtomus hanc petitionem connectit cum præcedenti hâc ratione: q.d Chriſtus: juſſi petere ut fiat voluntas Dei à vobis, ſicut fit ab Angelis, non tamen vos Angelis æquo: vos enim pane indigetis, illi non indigēt: quia illi ſunt immortales & impaſſibiles, vos eſtis mortales & fragiles.

I. Quid ergò hîc petimus cùm dicimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie?*

R. Petimus ſuppeditari nobis quæ ad temporalem vitam, ſive corporis, ſive animi fovendam & ſuſtentandam ſpectant, ut victum & veſtitum, verbum Dei & Eccleſiæ Sacramenta, præſertim Sanctiſſimum Altaris Sacramentum.

I. Si hæc omnia hic petimus, cur ſolius panis mentionem facimus?

R. Quia ſub nomine panis in Scripturis hæc omnia ſubintelliguntur, per quãdam ſynecdochen, ſive figuram, qua per partem (ut puta ſubſtantiæ, ſive ſuſtentationis noſtræ neceſſariæ) totam intelligimus. Ita dicit Jacob: *Si dederit mihi Dominus panem ad veſcendum, &c.* id eſt, ſi mihi præbuerit Dominus illa quæ ad victum & veſtitum pertinent *Vide* 4. *Reg* 6. *Luc* 14. *Prov.* 30. Secundò, docuit nos Dominus ſolum panem petere, ut indicet debere nos petere ſuſtentationem, ſive panem non exquiſitum, non qui voluptati ſerviat, ſed neceſſitati, nec delicatiorem aut copioſiorem, ſed frugalem & moderatum ſive quotidianum; ut *habentes alimenta, & quibus tegamur, his* (ſecundùm Apoſtoli conſilium) *contenti ſimus.*

Gen. 28.

1. Tim. 6.

Noſtrum.

I. Quare panis hic, *panis noſter* vocatur?

R. Non ſit ſine magno myſterio panis ille noſter vocatur, Quoniam ſi loquamur de Sanctiſſimo Sacramento, illud certè panis noſter eſt; quando propter ſalutem noſtram à Spiritu Sancto in utero beatiſſimæ Virginis Mariæ formatus eſt, & in fornace ſuæ Crucis excoctus, & in altari per manus Sacerdotum apparatus. *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine.* Immò *noſter*, quia panis proprius filiorum eſt, nec canibus dari, id eſt, infidelibus, aut mortali peccato obnoxiis debet; ſi de doctrina loquamur, petimus panem noſtrum, id eſt illum, qui diſpenſatur inter genuinos Eccleſiæ ſanctæ filios à Concionatoribus & Doctoribus Catholicis, & non alienum panem quem hæretici ſuis aſſeclis obtrudunt, qui panis corruptus & infectus eſt. Si loquamur autem de pane corporali, petimus, ut noſtrum largiri dignetur nobis panem; non verò aliorum hominum, id eſt, ut nobis in licito ac juſto queſtu aſſiſtere, item poſſeſſionibus noſtris, omnibuſque laboribus benedicere dignetur.

Hymnis Eccleſiæ.

Cypr. ſer. 6.

Noſtrum etiam dicimus, non *meum*, ut ſignificemus nos etiam pro aliis ſollicitos eſſe, ac Dei dona quæ accepterimus, cum egentibus eſſe communicanda.

Quotidianum.

I. Quid ſibi vult iſta vox, *Quotidianum?*

R. Nimirum, docuit nos Chriſtus, quod ſuprà attigimus, petere panem non delicatum, primarium & exquiſitum, ſed cibarium, vulgarem, & vitæ ſuſtentandæ neceſſarium.

2. *Quotidianum*, id eſt quotidie petendum & ſumendum, ad diſtinctionem panis qui in cœlis nos ſic perpetuò ſaturabit, ut non ampliùs patiamur defectum, propter quem refectione iteratâ opus ſit.

Vide Aug. ſer. 1. *de orat. Dom*

I. Quid eſt quod S Mathæus panem hunc ſuperſubſtantialem vocat, Lucas appellat *quotidianum?*

R. Ut meminerimus omni die cibum animæ petere & quærere. Unde Sancti Patres

Matt 6. Luc.11. Patres occaſionem hinc accipiunt exhortandi Fideles ad frequentationem ſacroſ-ſimi Sacramenti Euchariſtiæ, S. Ambroſius l. 5. de Sacramentis c. 4. *Si quotidianus panis eſt*, inquit, *cur poſt annum ſumis?* Vide eundem l. 4. c. 6 & ſerm. 8. 15. ſupr. Pſal. 118. Auguſt. l. 2. de ſerm. Domini in monte c. 2. & t. 4. in Joan. c. 16. S. Greg. l. 4 Dial. c. 56. S. Joan. Chryſ. in oratione de ſancto Philogonio dicit debere, nos Dei beneficia non tantùm ſemel in anno more Judæorum commemorare, ſed quotidie in ſumptione ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ; uti diligenter Act. 2. faciebant primi Chriſtiani, quorum erat ingens robur & fortitudo in ſufferendis Martyriis. Itaque ut ſemel dicamus: Petimus hîc panem quotidianum, tum materialem corpori ſuſtentando neceſſarium, tum ſpiritualem & cœleſtem animæ nutriendæ idoneum, uti eſt verbum Dei, & Euchariſtia; utroque enim indigemus, quare utrumque poſtulare debemus, & tanto magis ſecundum, quàm primum, quanto anima præſtat corpore, idque ſignificat vox *ſuperſubſtantialis*, quam S. Hieronymus interpretatur præcipuus, eximius, & omnes ſubſtantias creatas ſuperans, eo quod, ut Caſſianus ait, collat. 9. c. 20. ſublimitas magnificentiæ ejus, & ſanctificationis excedat omnia creata. Vide Cyril. Catech. 5. myſtagogicâ. Undè in Græco additur, imò geminatur articulus τὸν ἄρτον, τὸν ἐπιούσιον q. d. da nobis panem non communem, ſed illum ſingularem, eximium, cœleſtem, & divinum.

Euchariſtia panis eximius.

ἐπιούσιον

Da nobis.

I. Cur iſtud oramus: *Da nobis hodie?*

R. Ut oſtendamus nos omnes Dei mendicos eſſe, infinitamque ejus potentiam & providentiam piè, ſanctèque colere ac venerari, in cujus manu ſunt Aug ſer. 15. de verb Dom. omnia, & illius unius nutu diſtributa cuncta conſervantur ſi augentur. *Omnes quando oramus, mendici Dei ſumus, ante januam magni Patris-familias ſtamus, imò & proſternimus, ſupplices ingemiſcimus aliquid volentes accipere.*

I. Etiamne divites hujus ſæculi mendici Dei ſunt?

R. Planè. Nam & ipſi orantes dicunt. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; & ejus providentiam agnoſcunt, qui *dat eſcam omni carni.* Vide Auguſtin. ſerm. 2. de orat. Dominic. *Omnes etiam divites ſunt mendici Dei.*

Nonne magnus ille Rex de ſeipſo ingenuè fatetur: *Ego autem mendicus ſum, & pauper*; *Exemplum.* Pſal. 39.

I. Sed, quæ divitibus impoſita eſt neceſſitas petendi panem quotidianum, cùm rebus omnibus abundent?

R. Hæc illis neceſſitas eſt orandi in hunc modum, non ut dentur eis, quorum Dei benignitate habent copiam; ſed ne, quæ abundè illis adſunt, amittant. Non enim minus eſt Dei in divites collatum beneficium eorum bona conſervantis, quàm pauperibus quotidiana ſubſidia largientis. Quamobrem, ut ſcribat Apoſtolus, hinc diſcant *divites non ſublime ſapere. neque* 1. Tim. 6. *ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum.* Hujus autem neceſſariæ petitionis adfert hanc cauſam S. Chryſoſtomus, non ſolùm ut nobis ſuppetat cibus, ſed ut eum ſuppeditet nobis manus Domini, quæ ſalubrem, atque adeò ſalutarem vim inferens pani quotidiano, efficit, ut & cibus corpori proſit, & corpus animæ ſerviat.

Nobis.

I. Cur dicimus in Oratione Dominica, *Da nobis*, non verò *da mihi?*

R. Chriſtus ſic nos orare docuit, quia ut jam ſuprà ad voculam, *noſtrum*, annotavimus, Chriſtianæ charitatis eſt de proximo ſollicitum eſſe, nec à Deo conceſſa in uſum proprium tantùm reſervare: ſed etiam ad neceſſitatem aliorum ſublevandam diſpenſare.

I. Qui

I. Qui ſunt igitur, qui in hoc ſæculo benè ſciuntuti bonis & divitiis à Deo conceſſis?

Legitimus divitiarum uſus.

R. Illi qui non intumeſcunt, neque abutuntur iis in luxu & vana oſtentatione; qui non ſibi ſolis divitias congerunt, ſed participes earum ex miſericordia faciunt pauperes. Qui edunt & bibunt, non ut ventrem eſcis diſtendant, ſed ut vires neceſſarias pro ſervitio Dei reſtaurent.

Gloſſ. ſup Philip. 4

I. Qui ſunt è contrà qui ſanctè & piè pauperes ſunt, & rerum temporalium egeni?

Sanctè pauperes qui ſunt.

R. Qui temporalem egeſtatem leviter ferunt, neque ejus occaſione ſinunt ſe in peccata pertrahi.

I. Si à Deo expetere & expectare nos oportet bona temporalia, quid neceſſe eſt operari: Nonne ſufficeret orare, & cancellatis (ut aiunt) brachiis præſtolari Dei munificentiam, qui ut olim, faciat depluere manna de cœlo?

Petimus hic à Deo, ut labori manuum noſtrarũ benedicat.

R. Hoc eſſet temerè Deum tentare. Imò petimus hic, ut Deus labori manuum noſtrarum benedicat, ſuggeratq; modum & artem honeſtè victum conquirendi, ut proximis non ſimus per mendicationem moleſti.

I. Sed rurſum, cur petimus id nobis donari, quod per laborem manuum noſtrarum obtinere poſſimus?

R. Tametſi nos, ad obtinendum ut ſpiritualem, ſic corporalem panem laboraturi ſimus, nihilominùs ſcimus in nihilum omnem laborem noſtrum recidere, niſi Deus auxiliante ſuâ gratiâ nobiſcum concurrat; quemadmodum ſæpè videmus, quòd quantumvis homines in conſerendis ac demetendis agris laborent, tamen propter mundi peccata caritatem annonæ importari.

Aug. ſer. 135.

Hodie.

I. Cur dicis: *Da nobis hodie?*

C. 4. R. Id eſt, in hac temporali vita. Vide Apoſtolum in Epiſtola ad Hebr. Poteſt & hunc ſenſum habere: *Hodie*, id eſt, eo die quo jam rogamus, multum enim impetraverimus ſi panem hodiernum obtinuerimus. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi. Pii filii eſt quotidie pendere à Patre. Semper eſuries noſtra Patri cœleſti aperienda eſt, donec ſatiati ſimus. Adde velle Chriſtum Dominum, qui ita orare docuit, meminiſſe nos incertitudinis vitæ noſtræ, qui neſcimus an craſtinum victuri ſimus. Vide parabolam c. 12. S. Luc. v. 16. Et quia *non ex ſolo pane vivit homo, ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei*, oportet nos quotidie orare pro pane & cibo ſpirituali animarum noſtrarum, qui eſt verbum Dei lectum vel auditum, oratio, Sacramentorum, præſertim Euchariſtiæ perceptio, &c. quæ eſt *Panis vivus de cœlo deſcendens.* Joan. 6.

I. Antequam finis huic Lectioni imponatur, quæram an licitum ſit orare pro rebus temporalibus impetrandis?

R Non eſt dubium quin id liceat; nam præterquam quòd Chriſtus Dominus hic docuit *Panem noſtrum quotidianum* poſtulare, etiam ipſi Sancti ejus nobis præbuerunt exemplum Jacob Gen. 28. Salomon Proverb. 30. ubi ſic orabat: *Mendicitatem & divitias non dederis mihi; tribue tantum victui meo neceſſaria.*

Temporalia bona licet à Deo petere.

I. Ad quem finem & qualiter petere debemus neceſſaria?

R. Non petimus illa quaſi directè ſpectantia ad Dei gloriam, uti ſpiritualia bona; ſed velut neceſſariâ, aut certè conducibilia ad illam promovendam; hinc fit quòd illa poſtulemus ſub conditione, ſi, & quatenus Deo benè viſum fuerit illa nobis concedere; *Nam, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Rom. 8.

Pro temporalibus bonis orantes non ſemper exaudimur.

Quocircà S. Aug in ſententiis, ſent. 212. *Fideliter*, ait, *ſupplicans Deo pro neceſſitatibus hujus vitæ, miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo utile ſit,*

ſit. magis novit Medicus quàm ægrotus. Spiritualia autem bona abſolutè & abſque conditione petimus, quia verè & certò bona ſunt, non tantùm uti ad Dei gloriam pertinentia, ſed etiam uti ſaluti noſtræ utilia; hinc proſequitur loco proximè allegato Auguſtinus: *Si enim id poſtulat quod Deus præcipit, & promiſit, fiet omninò quod poſcit: quia accipiet charitas, quod parat veritas.*

Ser. 2. de Sanctis. Vel breviter (quod in idem redit) ex mente ejuſdem Auguſt. *petimus temporalia bona, non uti bona noſtra, ſed uti neceſſitates noſtras.*

I. Quomodò licitum eſt petere bona temporalia, cùm docuerit nos Chriſtus Dominus verbo & exemplo illa contemnere?

R. Breviter dico licitum eſſe aliquibus bona temporalia in oratione petere, ſi eorum ſtatui & conditioni congruant: petere inquam, eo modo quo diximus, id eſt, ſub eâ conditione, ſi eis futura ſint utilia ad Dei gloriam promovendam, vel ſalutem eorum procurandam.

I. Largituſne eſt Deus *panem quotidianum* petentibus?

Exempla. R. Cùm in Capitulo generali Ordinis Minorum nihil eſſet edulii, pleni fide dixerunt: Eamus, & omnipotentem Deum deprecemur, qui 5000. hominum præter fœminas & pueros, in deſerto ſatiavit: neque enim nunc minoris eſt potentiæ, aut miſericordiæ, ut de ejus deſperemus bonitate. Perſtiterunt ita in oratione, donec de divina eis conſtitit voluntate. Horâ igitur prandii, juſſit S. Franciſcus Fratres in refectorio diſcumbere. Quod dum faciunt, viderunt ingredi in triclinium viginti adoleſcentes egregios; ſuccinctos, & expeditos ad ſerviendum, qui & miniſtrarunt panem, vinum, & omne genus obſonii neceſſarium recumbentibus numero quingentis: Finito verò prandio, inclinato capite, & ſalutatis Fratribus, bini ſuo ordine exierunt è refectorio, admirantibus Fratribus, & Deum collaudantibus pro tanta in ſuos curâ & benevolentiâ. *Ita Annales Minorum Lucæ VVaddingi anno Chriſti 1219.*

Idem Romæ S. Dominico contigit ad S. Sixtum: cùm enim domi nihil eſſet cibi, juſſit Fratres menſæ accumbere, illique benedixit: Et ecce ingreſſi duo Angeli ſpecie elegantium juvenum, ſingulis Fratribus (erant enim centum) ſingulos candidiſſimos panes appoſuerunt, unus à dextris, alter à ſiniſtris, & ſubmiſſis capitibus, diſparuerunt. *Vita S. Dominici l. 3. c. 4.*

DE V. PETITIONE

CAPUT OCTAVUM.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

LECTIO PRIMA.

I. QUis ordo ſive connexio hujus V. Petitionis ad præcedentes? *Connexio 5. petitionis cum præcedentibus.*

R. Hactenus à Deo non ſolùm æterna & ſpiritualia bona, ſed caduca, & quæ ad hanc vitam pertinent commoda petivimus: nunc verò precamur averti à nobis mala & animæ & corporis; & hujus & ſempiternæ vitæ.

Unde poteſt hîc commodè aſſignari ſecunda pars Orationis Dominicæ, quæ in malis deprecandis verſatur. *2. Petitio Orat. Dominicæ.*

I. Quænam igitur mala in ſecunda hac Orationis Dominicæ parte deprecamur?

R. Triplicia mala ſecundùm tres poſtremas petitiones; nam mala quædam ſunt maxima, alia mediocria, minima alia. *Mala ſunt in triplici differentia.*

Maxima & præcipua mala ſunt peccata, quæ dicimus vulgo mala culpæ, qui-

bus,

Digitized by Google

Iſai. 59. bus, à Deo ſummo bono ſeparamur. *Peccata veſtra diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum.* Hic petimus ab his malis eximi. Quàm grave malum ſit peccatum, declaravimus ſupra p. 1. c. 11. l. 7.

Mediocria mala ſunt tentationes, de quibus in ſequenti petitione, id eſt, irritamenta & occaſiones peccatorum, quæ à dæmone, mundo, carne proveniunt. Quæ quidem etſi peccata non ſint, habent nihilominùs plerumque magnam vim pelliciendi nos in ea, & hâc ratione dicimus, quòd tentationes ſint mala media, ſive mediocria; non enim minimum eſt malum, quod nos tanto diſcrimini exponit.

I. Malum igitur minimum eſt pœna temporalis.

R. Alii paulò aliter loquuntur, & dicunt, deprecari nos mala præterita, quæ ſunt peccata; mala futura, id eſt tentationes; & mala præſentia, quæ ſunt pœnæ, afflictiones & incommoda, quibus in hac miſeriarum valle circumcingimur.

I. Quid ergo agimus in quinta hac Petitione?

Matt. 6. Luc. 6. R. Petimus veniam ac remiſſionem omnium peccatorum: parati viciſſim remittere, quod in nos alii peccaverint.

I. Quare peccata, debita vocantur, in his verbis: *Dimitte nobis debita noſtra?*

Peccata debita vocantur triplici ratione. R. Triplici de cauſa. *Primò*, quia quilibet homo peccans offendit Deum, atque ideò debitor illius eſt, ut ei pro irrogatâ injuriâ ſatisfaciat. Hoc ſenſu dixit Tertul. quod in Scripturis *debitum eſt delicti figura*, quia ejus videlicet effectus & progenies. *Secundò*, cùm lex divina præmium ſui obſervatoribus promittat, pœnam verò ſui prævaricatoribus intentet, ideò prævaricator debitor eſt ut pœnam exſolvat. *Tertiò*, quia quilibet ex nobis ad colendam animæ ſuæ vineam obligatur, & reddendos fructus bonorum operum Deo. Quare bonis operibus non inſiſtens, Dei debitor eſt, quippe qui verus Dominus iſtarum omnium vinearum exiſtat, de quibus meritò requirit fructum.

I. Non poteſt ergo peccator de ſuo hæc debita ſolvere?

R. Minimè, nam peccator in Evangelio comparatur ſervo, qui debebat Domino ſuo decem millia talenta. Matt. 18. Luc. 7.

I. Quid igitur aget peccator Deo tantoperè obæratus?

R. Optimum conſilium eſt, ut in dies aliquoties magna cum demiſſione animi Deum ut dimittat nobis debita noſtra, precemur; quæ non poſſunt nobis aliter dimitti quàm per merita Salvatoris noſtri nobis applicata per media ab eo inſtituta. Cùm igitur oramus; *dimitte nobis debita noſtra*; petimus ut gratiam nobis largiatur ritè dolendi de peccatis, & ea integrè confitendi, nec non pro illis dignè ſatisfaciendi, prout Sacerdoti viſum fuerit. Quæ omnia ſunt inſtituta media remiſſionis peccatorum, à Chriſto, ab ejuſque paſſione & morte vim, & efficaciam obtinentia. *Homo peccator quid agere debeat ut ſe debitis liberet.*

I. Quâ ratione aſſeris, quòd peccatum ſit tantum tamque enorme debitum? *Peccatum eſt ingens erga Deũ debitum.*

R. Ratio à priori eſt, quòd ſicut Deus eſt ſummum bonum, ita peccatum, quod divinæ bonitati repugnat, eſt ſummum malum. Creſcit enim magnitudo offenſionis, ex magnitudine perſonæ offenſæ: quò enim perſona offenſa eſt dignior, eò injuria eſt gravior. Si ergò perſona ſit infinitæ dignitatis, peccatum quoque malitiam quodammodò infinitam habebit. Hinc fit ut nulla pura creatura pro peccato mortifero ex æquo ſatisfacere poſſit, imò nec omnia Sanctorum opera, vel unum peccatum valeant recompenſare; ideoque ad ſatisfaciendum ex æquo pro peccato, neceſſe fuit Filium Dei incarnari & pati, ut paſſim docent Patres. Plura de peccati enor-

Digitized by Google

normitate p. 1. ad Articulum decimum Symboli.

I. Mirum valde eſt, quòd peccator tanto ære gravatus ſecurè ſomnum capere poſſit?

R. Non ſatis poterat mirari S. Thomas Aquinas quo pacto poſſet animo eſſe hilari aut ſecuro qui in peccati mortalis ſtatu verſaretur. Et verò quis ſecurè dormiat habens ſerpentem in ſinu?

In vita ejus.

I. Eſtne Deus paratus, facilis, & promtus ad ignoſcendum peccata, adeoque ad remittenda debita?

Deus facilè indulget peccata.

R. Promptiſſimus, uti è ſacris Litteris, & exemplis demonſtrari poteſt Ezech. 18. & alibi. Huc referenda eſt parabola Prodigi Luc. 15. Exempla etiam Davidis 2. Reg. 12. & Pſal. 31. Publicani; fœminæ in adulterio deprehenſæ; Mariæ Magdalenæ; latronis, quos, ut pœnituerunt, ſtatim ulnis miſericordiæ ſuæ divina Clementia amplexata in gratiam recepit. Vide etiam & mirare latitudinem cordis, & abyſſum charitatis Chriſti, qui fratri peccanti ſeptuageſies ſeptres ignoſci voluit. Si enim nos homunciones tantæ vult eſſe charitatis & liberalitatis, quantam ejuſdem in ipſo abyſſum contineri exiſtimabimus?

Exempla è Scripturis.

Matt 16.

His adde; Cùm Dominus in hac ipſa oratione jubeat peccantes quotidie veniam petere, (hanc enim orationem debere eſſe quotidianam apertè ſignificat quarta petitio, panem noſtrum quotidianum) ſatis declarat Deum paratum ſemper & quotidie peccata ignoſcere. Si enim unquam viſcera miſericordiæ ſuæ clauderet Deus, illuderet nobis Chriſtus, docens petere quotidie, quod ille non vellet quotidie dare.

Itaque hâc petitione Dominus ſalubriter nos memores eſſe voluit infirmitatis, peccatorum noſtrorum, ne efferamur; & paternæ miſericordiæ, ne quando deſperemus.

I. Eſtne etiam hæc juſtorum oratio: *Dimitte nobis debita noſtra?*

R. Planè, omnium. *Nam omnes peccaverunt, & egent gratiâ Dei*, atque peccatorum remiſſione. Uti palam Scripturæ fatētur. Vid. Pſ. 13. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Et apud S. Joannem: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus; & veritas in nobis non eſt.* Rom. 3. Eccli. 7. 1. Joan. 1.

Immò ex hoc loco ſumunt SS. Hieron. & Auguſt. argumentum contra Pelagianos, quòd nemo vivat peccati expers, quandoquidem hæc oratio pro omnibus inſtituta ſit; omnibus, inquam adoptionis filiis, qui non ſolùm humiliter, ſed etiam veraciter dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra.*

I. Remittunturne ergo peccata per hanc Orationem Dominicam?

R. Remittuntur.

I. Mortaliaue, an venialia tantùm?

R. Etiam mortalia & venialia eo ſenſu quo ſuprà quæſtiuncula 6. expoſuimus. Omnia enim & ſingula peccata impediunt nobis aditum in regnum cœlorum, quod petimus advenire nobis in 2. petitione.

Pro majori explicatione, dico; Quòd nullorum peccatorum abſque ſanguinis effuſione agni immaculati Chriſti, ſit remiſſio. Roman. 3. Epheſ. 1. 2. Joan. 1. Quando ergò dicimus quòd Oratione Dominicâ impetramus peccatorum remiſſionem, intelligimus id cum ſanguinis & mortis Chriſti merito, hoc modo: Quod nobis meretur peccatorum remiſſionem, eſt Sanguis Chriſti indubiè, uti ex præallegatis Scripturis conſtat; Verùm, Oratio, Pœnitentia, & alia ejuſmodi ad eam diſponunt, & nobis conciliant eatenus, quia impetrant nobis hujus Sanguinis ſalutarem participationem & Dominicæ Paſſionis communicationem in Sacramentis & mediis à Chriſto Do-

Peccatorum remiſſio per Oration. Domin. qualiter obtinetur. Simile.

Domino inſtituis. Vide S. Auguſt. l. 19. cont. Fauſt. Manich. c. 7. quod declarat ſimili: Quemadmodum, inquit, ubi de mandatorum Dei obſervatione agitur, iſta duo ſemper jungenda ſunt, gratia Dei, & liberum hominis arbitrium; pari modo ubi agitur de reconciliatione cum Deo, hæc ſimul connecti debent, Chriſti Domini mors & paſſio, & noſtra oratio, pœnitentia, &c. Sicut enim liberum hominis arbitrium abſque Dei gratia nihil poteſt aut valet, & in bonorum operum exercitio primas habet gratia Dei, ſubſequiturque liberum arbitrium; eo modo in hominis cum Deo reconciliatione primas habet Chriſti Paſſio, ſecundas Oratio.

LECTIO II.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

I. Quid ſibi volunt hæc verba: *Sicut & nos dimittimus, &c.*

R. Illud (*Sicut*) dupliciter intelligi poteſt; nam & ſimilitudinis vim habet, cùm videlicet à Deo petimus, ut quemadmodum nos injurias & contumelias remittimus iis à quibus læſi ſumus, ſic ipſe nobis peccata condonet, quaſi diceremus: Dimitte nobis Domine, dimidiatè & imperfectè peccata noſtra, ſicut nos dimidiatè & imperfectè condonamus proximo injurias & offenſas: vel, ſicut nos non condonamus ex animo, vel omninò non condonamus; ita tu quoque noli nobis dimittere ex animo vel omninò non dimittas nobis delicta noſtra: Vel, ſicut tu ſcis Domine nos proximo condonare ex animo & integrè, ita tu nobis perfectè & integrè *dimitte nobis debita noſtra.*

Eſt præterea hæc vocula (*ſicut*) conditionis nota, ut ſit ſenſus: Condona nobis peccata, ſi nos proximo remittimus: non condones, ſi non dimittimus. Vide parabolam Matt. 18. n. 23.

I. Quare voluit Chriſtus Dominus huic petitioni conditionem adjici *Si*, vel, *ſicut dimittimus, &c.*

R. Quia remiſſio peccatorum, quam nos hic petimus, tanti eſt, ut non debeat nobis tam liberaliter abſque aliquo onere vel conditione donari. 2. Ut ſciamus quam facilè poſſimus Dei miſericordiam & peccatorum remiſſionem conſequi, ſolâ nimirùm condonatione injuriarum & offenſarum à proximo illatarum, quæ à bona & benè diſpoſita voluntate merè dependent.

I. Dicunt homines ſæculares, vilis & abjecti animi eſſe non exigere offenſarũ vindictam?

R. Talibus miſericordiam inclamaturis reſpõdebit Dominus: Tu in primis odiſti miſericordiam, & quomodo vis ut miſericordiam tibi impertiar? Vilis & abjecti animi exiſtimaſti miſericordiam tribuere: & petis ut tibi indulgeam, qui animo ſum excelſiſſimo, & planè regio; Egregia eſt, & ad rem hanc appoſita Lex in Cod. Theodoſ. *Si quis Imp.* maledixerit.

I. Non dimittet igitur nobis Deus peccata, ſi debitoribus non dimiſerimus debita?

R. Certiſſimum eſt quòd non, diſertis enim verbis, id aſſerit Chriſtus Dominus: *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Matt. 6.

I. Habeſne exemplum quo declares periculoſum eſſe non parcere illis à quibus injuriam accepimus?

R. Habeo. In tempore illo erat Presbyter quidam Antiochiæ, Sapricius nomine, cui ſumma & fraterna quædam familiaritas intercedebat cum homine quodam laico Nicephoro, adeò ut nunquam contracta à teneris unguiculis amicitia interrumpi poſſe videretur. Verùm enim verò ſceleratiſſimus humani generis hoſtis, cùm ſuprema inter eos pax maximè vigeret, tam acerbo alterum in alterius perniciem odio concitavit,

Exemplum. Sur. in vita S. Nicephori 9. Febr ex Metaphr.

tavit, ut ſe mutuo colloquio uterque indignum reputaret. Cumque longo tempore hoc modo capitali inimicitiâ disjuncti eſſent, Nicephorus ſalutari dolore compunctus amicos quoſdam ſubornavit, qui ei à Sapricio veniam impetrarent: Sed Sapricius mente prorsùs in ſcelere obduratâ, precantes à ſe repulit, neque ulla ratione cum Nicephoro in gratiam redire voluit. Unde non mediocriter turbatus Nicephorus alios atque alios ſecundò & tertiò viros prudentiæ & pietatis opinione præſtantes ad eum deſtinavit, ut aliquâ ſaltem ratione viderent quî odium extinguerent, & animos disjunctos ad pacem & priſtinam amicitiam revocarent. At verò cùm neque amicorum preces, neque Nicephori per eas obteſtationes Sapricium ullo modo inflectere poſſent, Nicephorus amore divino vehementiùs inflammatus, ſupplex ad eum properavit, & magna humilitate ſe ad pedes ejus abjiciens, per Chriſti Sanguinem eum rogavit, ut illatam injuriam condonaret, & tam graves inimicitias tandem aliquando deponeret. At Sapricius ſumma cum indignatione ſupplicem à ſe repulit, & in eadem animi peſte pertinaciter perſeveravit. Hæc eum fierent, repentè ſæva tempeſtas Antiochiæ exorta res Chriſtianorum in ſummas anguſtias adduxit: fuitque inter alios Sapricius in vincula conjectus, & Præſidi oblatus, à quo de nomine & conditione interrogatus, voce conſtanti, & præclaro etiam Martyre digna ſe Sapricium dici, & non modò Chriſtianum, ſed etiam Chriſtianorum Sacerdotem eſſe reſpondit, Cui Præſes: Noſti, inquit, Auguſtos noſtros, & Finium Romanorum Dominos Valerianum & Gallum præcepiſſe, ut qui Diis immortalibus ſacrificare renuit acerbiſſimis ſuppliciis afficiatur? Cui intrepidè Sapricius reſpondit: Nos Chriſto Deo cæli, terræque Domino jugiter ſacrificamus: omnes autem Dii veſtri, gentium dæmonia, opera ſunt manuum hominum; neque ullum in

Obſtinatio Sapricii.

calamitate refugium præſtare poſſunt. Præſes, his auditis, irâ vehementer commotus juſſit eum in cochleam projectum immaniter torqueri, quod tormenti genus acerbum ſanè & crudele Sapricius tam invicto animo pertulit, ut Præſidi etiam inſultaret, dicens: Corpus tu quidem hoc excarnificare potes, animæ autem meæ, quæ in manibus Chriſti Jeſu eſt, poteſtatem nullam habes. Tum improbus Judex, cùm videret eum ſuppliciis ſuperari non poſſe, capitis eum condemnavit. Acceptâ itaque Martyrii ſententiâ, Sapricius lætus ad palmam egreſſus eſt. Quod eùm audiſſet Nicephorus, iterum ei ſupplex obviam properavit, orans atque obſecrans, ut priſtinæ conſuetudinis memor, ſibi, ſi quid peccaſſet in eum, ignoſceret. Sed Sapricius cordis ſui malitiâ obcæcatus, vultu eum averſatus eſt; at Nicephorus de ſalute proximi ſui magis ac magis ſollicitus, aliâ iterum viâ obviam ei proceſſit, cum lachrymis eum obteſtans per ſacroſanctum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, pro quo vitam & ſanguinem profundere non dubitabat, ut amicum ſupplicem, & peccatum ſuum agnoſcentem in gratiam reciperet. Sed Sapricius nullis lachrymis & precibus conceptum odium deponere voluit, neque unquam Nicephorum ſupplicantem & lachrymantem verbulo uno dignatus eſt. Intereà cùm hoc modo ventum eſſet ad certaminis locum, in quo propter confeſſionem nominis Chriſti, cœleſti coronâ donandus erat, lictores eum genua flectere juſſerunt, ut jam latam capitis ſententiam exciperet. Tum Sapricius conturbatus. Quare, inquit, capite plectar? Reſpondent lictores: quia ſpreto Imperatorum invictiſſimorum mandato, Diis noſtris ſacrificare noluiſti. Hæc cùm audiſſet miſer ille, ſupplex ipſis lictoribus factus eſt, qui tantâ fortitudine acerbiſſima jam ante ſupplicia contempſerat, & ſe paratiſſimum ad Diis ſacrificandum eſſe dixit: Hoc fuit odii illius inveterati fructus, hæc merces

Odii inveterati peſſimus fructus ut ex confeſſo faniqui-

miqui-

ciat apoſtatam.

iniquitatis: Hoc juſtum Dei judicium, ut ei fores regni cœlorum clauderentur, qui viſcera ſua ſupplicanti Fratri durus & immiſericors clauſerat. At non is animus Nicephori: Cernens enim Fratrem ſuum in barathrũ perditionis æternæ jam præcipitatum, ingentem lachrymarum vim pro eo ad Dominum fudit, orans atq; obſecrans Sapricium, ne tantâ ſe perfidiâ inquinaret. O Frater, inquit, quid facis? ubi mens, ubi ratio, ubi invictum illud animi tui robur, quo tyrannum, ejuſque minas jam ante viciſti? Quid tu illam Coronam cœleſtem, illam victoriæ palmam, quam tot, tantiſque tormentis hactenus acquiſiviſti, uno momento perdere decreviſti?

Cùm hæc nullum apud Sapricii animũ, fraudibus dæmonis & propriâ malitiâ devictum, pondus haberent, Nicephorus facibus Divini amoris inflammatus, magnâ voce in medium proſiliens exclamavit: *Ego ſum Chriſtianus. Credo in Dominum Jeſum Chriſtum quem ille negavit. Me ergò jam pro ipſo ferite.* Lictores tantam audaciam admirati, obſtupuerunt, miſſoque confeſtim ad Præſidem nuntio ſignificarunt Sapricium quidem mortis metu perterritum Chriſtum negaſſe, atque ad Diis ſacrificandum paratum eſſe, ſed alium quendam Nicephorum nomine, majoris conſtantiæ, & virtutis virum ultrò ſe ad mortem pro Chriſti gloria offerre. His auditis Præſes eum Sapricii ſupplicium ſubire juſſit. Lictores ergò audita Præſidis ſententiâ, Nicephorum liberè, & conſtanter Chriſtum Jeſum profitentem, & ſummo gaudio exultantem capite truncarunt.

1 Aliud non valdè abſimile vide apud Cantip. in lib. apum, c. 18. p. 2.

Qualiter nos habere oportet, dum judicio contendimus.

I. Si quis ergo damno me affecerit in bonis corporis, fortunæ, honoris, non potero jure agere, & Judicis operam implorare?

R. Hoc minimè dicimus. *Fas enim eſt* ſua jure repetere Solùm id cavendum eſt, ut dum jure agimus, injuriam non faciamus, id eſt, ut non alamus inimicitias, rancorem, odia, aut privatæ vindictæ modos excogitemus, contenti eo quod nobis jus, & Judex definierint, aut attribuerint.

Quibus rationibus ad lenitatem flectendi animi obſtinati.

I. Quibus rationibus flectendi ſunt hominum animi ad lenitatem, & condonandi promptitudinem quam hic Deus exigit?

R. 1. Sint Parochis in promptu divina oracula Scripturarum, in quibus audire licet imperantem Deum inimicis ignoſcendum. 2. Prædicent id, quod veriſſimum eſt, magno eſſe argumento hominibus eos eſſe Dei filios, ſi facilè remittant injurias, & inimicos diligant ex animo; Elucet enim in eo quòd inimicos diligimus, ſimilitudo quædam cum parente Deo, qui ſibi inimiciſſimum & infeſtiſſimum genus humanum Filii ſui morte ab æterno exterminio redemptum reconciliavit. Imperium Chriſti eſt, quod recuſare non poſſumus ſine ſummo dedecore & pernicie. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Matt. 5.

I. Quid dicis de iis, qui ſunt quidem bonæ voluntatis in proximum, ſed tamen perfectam illam oblivionem injuriarum non aſſequuntur.

Pugna carnis & ſpiritus non nocet, ſi ſpiritus promptus eſt ad remittendam injuriam.

R. Hìc Catechiſtæ contraria ſtudia ſive pugnas carnis & ſpiritûs explicabũt: quod illius ſenſus proclivis ſit ad vindictã, hujus ratio propenſa ad ignoſcendũ Quare ſaluti minimè diffidendum eſſe demõſtrabunt, reclamitãtibus & adverſantibus rationi, corruptæ naturæ appetitionibus; immò rixas ejuſmodi & turbas carnis magnã ad merita acceſſionẽ facturas, modò ſpiritus perſtet in officio & voluntate remittendi injurias, proximũque diligendi.

I. Cùm intelligamus & certò ſciamus debere nos conterere injurias oblivione voluntariâ, & eos diligere, qui læſerunt, qui ſciemus id nos pro viribus feciſſe, præſertim cùm univerſam memoriam injuriarum nobis illatarum exhauriri non poſſe ſentiamus?

R. Magnum & evidens iſtius argumentum erit, ſi ex animo Deum deprecemur,

tavit, ut ſe mutuo colloquio uterque indignum reputaret. Cumque longo tempore hoc modo capitali inimicitiâ disjuncti eſſent, Nicephorus ſalutari dolore compunctus amicos quoſdam ſubornavit, qui ei à Sapricio veniam impetrarent: Sed Sapricius mente prorsùs in ſcelere obduratâ, precantes à ſe repulit, neque ulla ratione cum Nicephoro in gratiam redire voluit. Unde non mediocriter turbatus Nicephorus alios atque alios ſecundò & tertiò viros prudentiæ & pietatis opinione præſtantes ad eum deſtinavit, ut aliquâ ſaltem ratione viderent quî odium extinguerent, & animos disjunctos ad pacem & priſtinam amicitiam revocarent. At verò cùm neque amicorum preces, neque Nicephori per eas obteſtationes Sapricium ullo modo inflectere poſſent. Nicephorus amore divino vehementiùs inflammatus, ſupplex ad eum properavit, & magna humilitate ſe ad pedes ejus abjiciens, per Chriſti Sanguinem eum rogavit, ut illatam injuriam condonaret, & tam graves inimicitias tandem aliquando deponeret. At Sapricius ſumma cum indignatione ſupplicem à ſe repulit, & in eadem animi peſte pertinaciter perſeveravit. Hæc cum fierent, repentè ſæva tempeſtas Antiochiæ exorta res Chriſtianorum in ſummas anguſtias adduxit: fuitque inter alios Sapricius in vincula conjectus, & Præſidi oblatus, à quo de nomine & conditione interrogatus, voce conſtanti, & præclaro etiam Martyre digna ſe Sapricium dici, & non modò Chriſtianum, ſed etiam Chriſtianorum Sacerdotem eſſe reſpondit, Cui Præſes: Noſti, inquit, Auguſtos noſtros, & Finium Romanorum Dominos Valerianum & Gallum præcepiſſe, ut qui Diis immortalibus ſacrificare renuit acerbiſſimis ſuppliciis afficiatur? Cui intrepidè Sapricius reſpondit: Nos Chriſto Deo cœli, terræque Domino jugiter ſacrificamus: omnes autem Dii veſtri, gentium dæmonia, opera ſunt manuum hominum; neque ullum in calamitate refugium præſtare poſſunt. Præſes, his auditis, irâ vehementer commotus juſſit eum in cochleam projectum immaniter torqueri, quod tormenti genus acerbum ſanè & crudele Sapricius tam invicto animo pertulit, ut Præſidi etiam inſultaret, dicens: Corpus tu quidem hoc excarnificare potes, animæ autem meæ, quæ in manibus Chriſti Jeſu eſt, poteſtatem nullam habes. Tum improbus Judex, cùm videret eum ſuppliciis ſuperari non poſſe, capitis eum condemnavit. Acceptâ itaque Martyrii ſententiâ, Sapricius lætus ad palmam egreſſus eſt. Quod cùm audiſſet Nicephorus, iterum ei ſupplex obviam properavit, orans atque obſecrans, ut priſtinæ conſuetudinis memor, ſibi, ſi quid peccaſſet in eum, ignoſceret. Sed Sapricius cordis ſui malitiâ obcæcatus, vultu eum averſatus eſt; at Nicephorus de ſalute proximi ſui magis ac magis ſollicitus, aliâ iterum viâ obviam ei proceſſit, cum lachrymis eum obteſtans per ſacroſanctum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, pro quo vitam & ſanguinem profundere non dubitabat, ut amicum ſupplicem, & peccatum ſuum agnoſcentem in gratiam reciperet. Sed Sapricius nullis lachrymis & precibus conceptum odium deponere voluit, neque unquam Nicephorum ſupplicantem & lachrymantem verbulo uno dignatus eſt. Intereà cùm hoc modo ventum eſſet ad certaminis locum, in quo propter confeſſionem nominis Chriſti, cœleſti coronâ donandus erat, lictores eum genua flectere juſſerunt, ut jam latam capitis ſententiam exciperet. Tum Sapricius conturbatus. Quare, inquit, capite plectar? Reſpondent lictores: quia ſpreto Imperatorum invictiſſimorum mandato, Diis noſtris ſacrificare noluiſti. Hæc cùm audiſſet miſer ille, ſupplex ipſis lictoribus factus eſt, qui tantâ fortitudine acerbiſſima jam ante ſupplicia contempſerat, & ſe paratiſſimum ad Diis ſacrificandum eſſe dixit: Hoc fuit odii illius inveterati fructus, hæc merces iniqui-

Obſtinatio Sapricii.

Odii inveterati peſſimus fructus ut ex confeſſo fa-

ciat apoſtatam.

iniquitatis: Hoc juſtum Dei judicium, ut ei fores regni cœlorum clauderentur, qui viſcera ſua ſupplicanti Fratri durus & immiſericors clauſerat. At non is animus Nicephori: Cernens enim Fratrem ſuum in barathrũ perditionis æternæ jam præcipitatum, ingentem lachrymarum vim pro eo ad Dominum fudit, orans atq; obſecrans Sapricium, ne tantâ ſe perfidiâ inquinaret. O Frater, inquit, quid facis? ubi mens, ubi ratio, ubi invictum illud animi tui robur, quo tyrannum, ejuſque minas jam ante viciſti? Quid tu illam Coronam cœleſtem, illam victoriæ palmam, quam tot, tantiſque tormentis hactenus acquiſiviſti, uno momento perdere decreviſti?

Cùm hæc nullum apud Sapricii animũ, fraudibus dæmonis & propriâ malitiâ devictum, pondus haberent, Nicephorus facibus Divini amoris inflammatus, magnâ voce in medium proſiliens exclamavit: *Ego ſum Chriſtianus. Credo in Dominum Jeſum Chriſtum quem ille negavit. Me ergò jam pro ipſo ferite.* Lictores tantam audaciam admirati, obſtupuerunt, miſſoque confeſtim ad Præſidem nuntio ſignificarunt Sapricium quidem mortis metu perterritum Chriſtum negaſſe, atque ad Diis ſacrificandum paratum eſſe, ſed alium quendam Nicephorum nomine, majoris conſtantiæ, & virtutis virum ultrò ſe ad mortem pro Chriſti gloria offerre. His auditis Præſes eum Sapricii ſupplicium ſubire juſſit. Lictores ergò audita Præſidis ſententiâ, Nicephorum liberè, & conſtanter Chriſtum Jeſum profitentem, & ſummo gaudio exultantem capite truncarunt.

1 Aliud non valdè abſimile vide apud Cantip. in lib. apum, c. 18. p. 2.

Qualiter nos habere oportet, dum judicio contendimus.

I. Si quis ergo damno me affecerit in bonis corporis, fortunæ, honoris, non potero jure agere, & Judicis operam implorare?

R. Hoc minimè dicimus. *Fas enim eſt* ſua jure repetere Solùm id cavendum eſt, ut dum jure agimus, injuriam non faciamus, id eſt, ut non alamus inimicitias, rancorem, odia, aut privatæ vindictæ modos excogitemus, contenti eo quod nobis jus, & Judex definierint, aut attribuerint.

Quibus rationibus ad lenitatem flectendi animi obſtinati.

I. Quibus rationibus flectendi ſunt hominum animi ad lenitatem, & condonandi promptitudinem quam hic Deus exigit?

R. 1. Sint Parochis in promptu divina oracula Scripturarum, in quibus audire licet imperantem Deum inimicis ignoſcendum. 2. Prædicent id, quod veriſſimum eſt, magno eſſe argumento hominibus eos eſſe Dei filios, ſi facilè remittant injurias, & inimicos diligant ex animo; Elucet enim in eo quòd inimicos diligimus, ſimilitudo quædam cum parente Deo, qui ſibi inimiciſſimum & infeſtiſſimum genus humanum Filii ſui morte ab æterno exterminio redemptum reconciliavit. Imperium Chriſti eſt, quod recuſare non poſſumus ſine ſummo dedecore & pernicie. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Matt. 5.

I. Quid dicis de iis, qui ſunt quidem bonæ voluntatis in proximum, ſed tamen perfectam illam oblivionem injuriarum non aſſequuntur.

Pugna carnis & ſpiritus non nocet, ſi ſpiritus promptus eſt ad remittendam injuriam.

R. Hîc Catechiſtæ contraria ſtudia ſive pugnas carnis & ſpiritûs explicabũt: quod illius ſenſus proclivis ſit ad vindictã, hujus ratio propenſa ad ignoſcendũ Quare ſaluti minimè diffidendum eſſe demõſtrabunt, reclamitãtibus & adverſantibus rationi, corruptæ naturæ appetitionibus; immò rixas ejuſmodi & turbas carnis magnã ad merita acceſſionẽ facturas, modò ſpiritus perſter in officio & voluntate remittendi injurias, proximũque diligendi.

I. Cùm intelligamus & certò ſciamus debere nos conterere injurias oblivione voluntariâ, & eos diligere, qui læſerunt, qui ſciemus id nos pro viribus feciſſe, præſertim cùm univerſam memoriam injuriarum nobis illatarum exhauriri non poſſe ſentiamus?

R. Magnum & evidens iſtius argumentum erit, ſi ex animo Deum deprecemur,

mur,

mur, ut proximo illatas nobis injurias dimittat.

I. Eſtne utile inimicis libenter parcere?

R. Ita, prout ex ſubjecto patebit exemplo.

Oſor. to. 1. conc. fer. 6 poſt cineres.

Exemplum.

Noſtrâ hac tempeſtate à viris fide dignis accepi mirum hoc: Vidua erat unicum habens filium illuſtem & hæredem multorum bonorum. Hunc occidit inimicus ejus, & continuò ſe abſcondit: Cumque à Prætore conquireretur ad necem, novit mater filii mortui eò Prætorem ire velle, ubi ſe abdiderat occiſor filii ſui; & in corde etiam materno valuit tantum dilectio Dei, ut decreverit filii occiſorem liberare, quod & fecit, mittens ei equum & pecuniam, monenſque fugam. Quod cùm feciſſet, ingreſſa eſt Oratorium ſuum, & pro filii anima oravit. Cui oranti aſtitit Filius luce ornatus, Matremque ſic affatus eſt: Cùm inimico pepereiſti & pro me oraſti, Mater mea verè effecta es pluſquam cùm me genuiſti; inſigni enim tua charitate & oratione à Deo obtinuiſti veniam omnium meorum peccatorum, & indulgentiam conſecutus ſum multorum annorum qui mihi reſtabant in Purgatorio exſolvendi: ſicque in Matris oculis cœlum aſcendit: tantùm valet apud Deum oratio poſt dimiſſas injurias.

Aliud.

Oravit aliquando Deum Eliſabeth Ungariæ Regis filia, ut ſingulos qui eam injuria affeciſſent, afficeret Deus ſingulari aliquo beneficio, ut injuriæ beneficium reſponderet, divinumque ad eam factum reſponſum, nunquam orationibus ſuis Deo ſic placuiſſe, ac tunc, pro eaque oratione univerſorum peccatorum remiſſionem ei concedi. *Avila in Epiſt. 6.*

I. Quandonam ignoſcendum eſt inimicis?

Epheſ. 4.

R. Statim, & nullâ interpoſitâ morâ, dicente Apoſtolo: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*

I. Habeſne exemplum cujuſpiam qui id egerit?

Exemplum.

Habeo. Cùm Joanni Patriarchæ accidiſſet, ut nonnihil propter juſtitiæ zelum adverſùs Patricium quendam commotus fuiſſet, adveſperante jam die, per unum ex ſuis Presbyteris ei mandavit, dicens. Sol eſt jam in occaſu, Vir maximè venerande. Ille autem compunctus ſtatim ad Sanctum ſe contulit, quem Sanctus amicè excepit, & complexus eſt.

Sur. to. 1. in vita S. Ioan. Eleëmoſynarii ex Metaphr.

I. Malène agunt, qui cùm nondum animum inducere poſſint, ut obliti injurias ament inimicos, Sacramenta frequentant, aut ſacrificium Deo offerunt?

Matt. 5.

R. Haud dubiè, non enim implent præceptum Domini dicentis: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ad altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.*

Exemplum. Ex Leontio. Metap. Sur. to. 1. 23. Ian.

I. Habeſne exemplum alicujus Sancti, qui hoc Chriſti præceptum exactè ſervavit?

R. Ita, Ille idem S. Patriarcha de quo in proximo exemplo, cùm aliquando incruentum offerret ſacrificium, eâ ipsâ horâ in qua ſacrum velum aufertur à ſanctis donis, recordatus ejus, qui odium in eum conceperat, & memor præcepti Dominici, quod jubet quidem dimittere donum ante altare, procedere autem priùs ad fratris reconciliationem, & tunc donum offerre; ſignificat Diacono ut connexam reſumat petitionem, & ſæpè dicat, donec ipſe redierit. Ipſe autem egreſſus eſt ab altari, & mittit magna celeritate ad ſe vocans illum Clericum, qui quidem mox aderat: Sanctus verò procidit ad ejus pedes, veniam poſtulans. Deindè ille, qui priùs fuerat inſipiens, videns hoc ſacroſanctum caput projectum ad ſuos pedes, fuit ſtatim fractus animo, timens ignem de cœlo, & quæ illinc mittuntur fulmina. Ipſe quoque pronus cadens, petit ab eo veniam. Beatus autem Joannes: Deus ambobus, inquit, ignoſcat, fili mi. Deindè eum quoque ſecum aſſumit, & cum gaudio, & cum quanta dici non poteſt voluptate aram ingreſſus, tunc auſus eſt Deo dicere cum fiducia: *Dimitte*

nobis

Digitized by Google

nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Abhinc ergo ſuit hic Clericus adeò modeſtus & moderatus, ut viſus ſit dignus qui ordinaretur Presbyter.

I. Eſtne magni meriti apud Deum facilè remittere offenſas, & gratis condonare injurias?

Exemplum. R. Eſt maximi, ut ex ſequenti exemplo patebit.

Ex Anaſtaſ. Baron. tom. 8. an. 595. Monachus quidam totum ſuæ profeſſionis tempus exegerat ſatis negligenter & otioſè. Ad extrema vitæ per ægritudinem deductus, nullam præ ſe fert, nec in ipſa quidem ultima vitæ periodo ſollicitudinem aut anxietatem. Cæteri fratres mirantur, & ex eo ſciſcitantur, undè tanta ei fiducia, cùm alioqui notatus ſit vitam duxiſſe ſatis diſſolutam, & parum diſciplinatam? Quibus ille: Verum eſt, inquit, quòd non ita exemplariter vixi, ſicut oportuiſſet me facere; attamen ex quo profeſſionem religionis emiſi, apud me firmiter ſtatui neminem unquam judicare, neque de aliquo vindictam pro qualibet injuria ſumere, quòd & exactè ſervavi; unde peccatorum meorum catalogum ipſi Angeli, vidente me, laceraverunt, poſtquam oraſſem ad Dominum, ut promiſſa ſua in me compleret: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Et hæc eſt, inquit, tota ratio fiduciæ & tranquillitatis meæ. Quibus dictis mortuus eſt, relicto apud Fratres ſui bono odore.

I. Expeditne illis qui appetitum vindictæ adhuc retinent, ut hanc clauſulam, *ſicut & nos, &c.* Orationi Dominicæ detraherent?

R. Minimè. Nam, quis vivus è Fidelium numero, preces has facit totius Eccleſiæ nomine, in qua pios aliquos eſſe neceſſe eſt, qui debitoribus, ea quæ hic commemorantur debita, remiſerunt.

B. Virgo poterat dicere: Dimitte nobis debita noſtra, quo ſenſu. Hâc ratione Beatiſſima Virgo Maria, quæ ab omni peccati labe pura extitit, dicere poterat hanc Orationem Dominicam, & in particulari hæc verba: *Dimitte nobis, &c.* hoc nimirum ſenſu: *nobis*, id eſt, peccatoribus qui nobiſcum ſunt in Eccleſia.

Accedit altera ratio: petimus enim hic & veniam peccatorum, & donum veræ pœnitentiæ; petimus facultatem intimi doloris; poſtulamus, ut à peccatis abhorrere, & illa Sacerdoti, verè ac piè confiteri poſſimus. Itaque cùm neceſſe etiam ſit parcere iis, qui damnum aut malum aliquod dederint, cùm ut nobis Deus ignoſcat, precamur, ſimul oramus ut largiatur facultatem reconciliandi nos illis, quos odimus. Quare cohortandi ſunt illi, de quibus quæris, ad frequentem orationis uſum quo à parente Deo poſtulent, ut ſibi det eam mentem, ut iis qui læſerint, ignoſcant, & inimicos diligant.

I. Quibus ſimiles ſunt illi, qui nolentes proximis ignoſcere, indignos ſe reddunt, quibus parcat Deus?

R. Similes ſervo illi nequam, qui remiſſo ſibi à Domino debito decem millium talentorum, noluit proximo ipſe dimittere centum denarios. *Matt. 18.*

DE VI. PETITIONE

CAPUT NONUM.

Et ne nos inducas in tentationem.

LECTIO PRIMA.

I. Quid continet ſexta petitio? *S. Thom. 2,2 q. 83. ar. 9. in c.*

R. Petimus in hac tanta vitæ imbecillitate, divinâ virtute fulciri, ne quocumque modo tentationi ſuccumbentes, peccato conſentiamus.

I. Cur, poſtulatâ peccatorum veniâ, continuò Chriſtus vult nos etiam orare, ne in tentationem inducamur?

Connexio hujus pe- R. Optimus eſt ordo petitionis hujus ſextæ poſt antecedentem quintam. Nam ibi

titionis cum præcedente. ibi veniam delictorum, quæ ſunt maxima mala (uti nuper diximus) poſtulabamus; hic divinum præſidium contra tentationes, malum utique mediocre imploramus.

Sup. c. 8. lect. 1. ſub init. Nota igitur eò magis humani generis hoſtis; omnes adverſus eos, qui acceptâ peccatorum veniâ, volunt in Chriſto piè vivere, artes excogitat, omnes machinas parat, quo ſtudio majori incenſos videt adhibere Deo cultum & venerationem, totoſque pendere ex paterna ejus voluntate ac providentia: ſic, ut verendum ſit, ne labefactatâ & mutatâ ſententiâ, rurſum in vitia dilabantur, longèque fiant deteriores, quàm antea fuerint. Quare nobis à Chriſto Domino datum eſt hujus petitionis præceptum, ut quotidie nos Deo commendemus, ejuſque paternam curam & opem imploremus, ne ſi deſeramur à divino patrocinio vaferrimi hoſtis laqueis irretiti teneamur.

I. Debetne igitur tentatio inter mala recenſeri?

R. Debet: quatenus nimirùm in aliud malum majus, videlicet peccatum, inducit, niſi divino præſidio muniti fuerimus. Vide Aug. l. 10. confeſſ. c. 28.

I. Quid eſt tentatio, & quando cenſes nos tentari?

R. Cenſeo tunc nos tentari, quando ad peccatum ſollicitamur, aut quocumque tandem modo excitamur.

I. Tentatne ergo Deus?

Jac. 1. R. Minimè. *Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat.*

I. Cur igitur hic oramus: *Ne nos inducas in tentationem?*

Aug. ep. 271. tr. 53. in Io. Enchir. c. 100. R. Deus dicitur certo modo nos inducere in tentationem, quando permittit nos tentatione vinci, quando deſerit, vel non adjuvat, per efficacia auxilia. Quo enim diligente ſtamus, eo manum ſubtrahente labimur.

I. Quis ergo nos tentat?

Tres humani generis hoſtes. R. Tres communes humani generis hoſtes, Mundus ſcilicet, Caro, Diabolus. Mundus quidem proponendo vanitatem, Caro voluptatem, Diabolus iniquitatem.

I. Quandonam diabolus in particulari nos tentat?

Diaboli tentationes. R. Quando ſuggerit nobis ſuperbas cogitationes; quando aliis nosipſos præferimus; quando nos meliores, doctiores, ſanctiores, perfectiores aliis reputamus. Ipſo auctore concipimus & alimus odia, vindictæ appetitus; dæmone rurſum agente, ſubintrant in animos noſtros, blaſphemiæ & infidelitatis noſtræ nefandæ cogitationes. A diabolo ſunt inobedientia, pertinacia, protervia.

I. Undè alias ſciemus, quod à mundo tentemur?

Mundi tentationes. R. Si nimio ambitu affectamus honores, opum ampliationem; per fas perque nefas ſuprà alios extolli, & in iſtam rem lites interdum malè fundatas ſuſcipimus, ſi ære alieno nos gravamus, & debita contrahimus, ut magnifici appareamus: ſi ad aliquem ſtatum aſpiramus, vires noſtras excedentem, ut idonei, ut prudentes, ut admodum ſufficientes apud homines audiamur.

I. Quandonam Caro tentat?

Gal. 5. Carnis tentationes. Rom. 7. R. Quando *concupiſcit adverſus ſpiritum*, quando ſuggerit nobis voluptates illicitas, quando *aliam legem ponit membris noſtris repugnantem legi mentis noſtræ, & captivantem nos in lege peccati, quæ eſt in membris noſtris.*

I. Tentatne nos etiam dæmon per mundum & carnem?

R. Ita. Ipſe undequaque comparatis armis bellum movet.

I. Magnone ſtudio id agit diabolus, ut hominem tentet?

1. Pet. 5. R. Maximo. Uti ſcribit S. Petrus: *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Et fugatus adeo pugnare non ceſſat ut *ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe aſſumat* ad prælium redintegrandum: imò ſubindè legionem integram, ut Marc. 5. & Luc. 8. legimus. *Matt. 12.*

I. Cur

Ira diaboli in homines. 4. cauſa.

I. Cur tam immane bellum contra homines movet diabolus?

R. Ob quatuor potiſſimum cauſas; Prima eſt odium Dei quo ardet, ne ſcilicet Deus à nobis honoretur; Deus, inquam, qui illum damnat & punit in gehenna.

1. Odium Dei.

Secunda cauſa iræ diaboli in homines, eſt invidia, quæ maximè ſpectat illuc, ut nos cæleſti hæreditate, à qua ignaviter ipſe excidit, privet. Hinc primum noſtrum ſtatim aggreſſus eſt parentem, ut meritò dixerit Sapiens: *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Diabolus (ait Auguſt. ad Julian.) Doctor mendacii, ipſe eſt adverſarius effectus generis noſtri, inventor mortis, ſuperbiæ inſtitutor, radix malitiæ, ſcelerum caput, Princeps omnium vitiorum, perſuaſor turpium voluptatum. Hinc ergo cùm primum hominem à Deo factum Adam Patrem omnium noſtrum intueretur pudicitiâ, temperantiâ, charitate, immortalitate veſtitum, æmulus atque invidus tantam beatitudinem hominem terrenum accepiſſe, quam ipſe, dum eſſet Angelus, per ſuperbiam agnoſcit ſe amiſiſſe; invidit ſtatim inſatiabilis homicida, Adam expoliavit, & nos interemit.

Gen. 3. Sap. 2.

2. Malitia diaboli & invidia in hominem.

3. Superbia ejus.

Tertia cauſa, ſcilicet ſuperbia diaboli, quâ tumet, manifeſta eſt. Voluit enim ab initio ſimilis eſſe Altiſſimo; & modò etiam per peccatum toti mundo dominari cupit, omneſque ſibi ſimiles reddere. Hoc eſt quod ait Paulus: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & poteſtates, adverſus mundi rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.*

V. Gre. in Paſt.

4. Ambitio.

Quarta denique eſt ambitio, quâ excæcatus voluit à Chriſto Domino adorari. Matt. 4. & in idolis tanquam Deus haberi & honorari; nititurque etiam quotidie, ut ei tanquam Domino honos & reverentia à nobis exhibeatur, ſuggeſtionibus ejus obediatur, & Chriſti Domini ſervitus per infamem apoſtaſiam deſeratur.

I. Quos potiſſimum tentat diabolus?

R. Contra illos maximè ſævit, quos ad pœnitentiæ, vel emendationis vitæ, vel ſanctioris inſtituti propoſitum, converſos videt. Pharao tunc maximè filios Iſrael duplicato labore oppreſſit, quando ex Ægypto commigrandi conſilium ceperunt. Naſcentem virtutis ſobolem interficere ſtudet, ut Herodes Chriſtum parvulum; moti priſtinis vitiis, pravæque conſuetudini abſque dolore non potes. Nova ædificia, & humorem adhuc ſuum, ac teneritudinem retinentia minimo negotio diruuntur. Planta adhuc recens & novella levi impulſu è terra excutitur. Lucerna recens extincta, levi flatu reaccenditur. Pleni ſunt ſacri Codices, plena Eccleſiaſtica Hiſtoria inſidiarum & conflictuum, quibus omni tempore Dei ſervos diabolus aggreſſus eſt. Lege hiſtoriam Job: & quæ à cacodæmone ſuſtinuit prælia S. Antonius, aliique viri ſolitarii. Vide S. Greg. l. 32. moral. cap. 21. & l. 24. c. 13. Undè benè monet Siracides: *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore; & præpara animam tuam ad tentationem.* Vir enim Dei ſapientiâ plenus (inquit S. Leo) ſciens ſtudium religionis laborem habere certaminis, cùm prævideret pugnæ periculum, antè admonuit pugnaturum: ne fortè ſi ad ignorantem tentatio accederet, imparatum citiùs vulneraret.

Typus.

Similia.

Eccli. 2. Serm. 1. de Quadrag. c. 3.

I. Qui verò præcipuè à mundo & carne tentationem ſuſtinent?

R. Qui adhuc mundo addicti ſæcularem vitam & diſſolutam vivunt: qui appetitus inordinatos frænare non didicerunt, abeuntes poſt concupiſcentias ſuas, *ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.*

Pſal. 31.

I. Quâ præſertim ætate cum tentationibus luctantur homines?

R. Nulla eſt hominis ætas à tentationibus vacua, quandoquidem teſte Prophetâ: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Imò tunc maximè oppugnaris (ait

Omnis ætas tentationibus obnoxia.

(ait Hieron.) ſi te oppugnari neſcis. Ordinariè tamen prima ætas gulâ; juventus luxuriâ; virilis ambitione, ſenectus pertinaciâ impetitur.

Quatuor ætatum hominis propria vitia.

I. Quomodò agit dæmon, cùm tentare parat hominem?

R. More Ducum exercitus circumiens inveſtigat & rimatur infirmiora loca, per quæ minore negotio poſſit irrepere; explorat nempè ad quæ vitia magis homo propendeat. Secundò verò ea parte objicit aliquid ſenſibus, ut paſſio excitetur, quam ipſe pro viribus promovet interno motu: tum magno ſtrepitu adhibitis omnibus machinis impetum facit, ut hominem multitudine hoſtium terreat. Hinc mundus, hoc eſt, quidquid mundus habet, inſurgit, irriſiones ſociorum, indignatio amicorum, exempla prava majorum, improba doctrina hæreticorum, proſperitas & commoda; adverſitates & pericula: Indè dæmon ipſe vitia extenuat, virtutumque nomine in præſenti negotio veſtit; ſuperbiam, honeſtatem, avaritiam, providentiam, gulam, diſcretionem, iram, zelum, invidiam, juſtum dolorem, luxuriam, delectabilem recreationem, acediam, curam ſanitatis appellitans, virtutes autem habitu vitiorum repræſentat.

I. Tentatne etiam nos Deus, ut in malum impellat?

R. Non erubuerunt id affirmare noſtri temporis hæretici. At certè *odit Deus omnes qui operantur iniquitatem.* Et: *Odio eſt Deo impius & impietas ejus.* Quomodò ergo ipſe tentet & ad malum impellat? Itaque in tentationem inducere, aut ad peccatum impellere; proprium eſt dæmonis, nequaquam verò Dei.

Suprà qu. 5. Pſal. 5. Sap 14.

Nihilominus ex Scripturæ more, ut ſuprà monuimus, dicitur ſubindè Deus nos *in tentationem inducere*, quod nihil aliud eſt, quàm Deum vel tentationem permittere; vel à tentatione vinci ſinere. Itaque ſenſus hujus petitionis eſt, quem diximus ſuperiùs. Quandoquidem hinc infirmitatem naturæ noſtræ cognoſcimus, & fragilitatem: indè verò fraudulentiam vireſque dæmonis; precamur Deum ut non modò nos permittat à tentatione ſuperari, ſed ut neque tum tentatione pulſemur, quando victoriam non relaturos nos videt. *Ne deſerti ejus adjutorio, alicui tentationi, vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti.*

Quo ſenſu dicitur Deus in tentationem inducere.

Aug. ep. 121.

LECTIO II.

I. Eſtne Dei gratia magnopere nobis neceſſaria ad vincendas tentationes?

R. Ita planè. Nam, *neceſſe eſt ut quò auxiliante vincimus, eò rurſus non adjuvante vincamur.*

Innoc. I. ep. ad Concil. Carthag.

I. Qui ſit hoc?

R. Partim ex noſtra infirmitate; partim etiam ex adverſariorum noſtrorum potentia. *Spiritus quidem* (diabolus) *promptus eſt, caro autem* (homo ex carne compoſitus) *infirma.*

Gratia Dei valdè nobis neceſſaria eſt ad vincendas tentationes.

I. Declara hoc, ſi placet exemplis?

R. Exemplo nobis ſunt ipſi Apoſtoli, qui cùm pleni viderentur ſanctis propoſitis, & reſolutione commoriendi Chriſto Domino, inſtante ejus paſſione, *omnes relicto eo, fugerunt.* Et maximè Petrus, qui cum petra Eccleſiæ jam deſignatus eſſet, negavit tamen, deteſtatus eſt, & juravit quia non noviſſet hominem Chriſtum; idque ad vocem unius ancillulæ. Si illi qui columnæ videbantur eſſe, nutant, quid de nobis homuncionibus fiet?

Exemplum. Matt. 26.

Abbas Antonius Dux Monaſterii Æliotarum, qui etiam illud ædificavit, narravit nobis de Abbate Theodoſio, quod ſenex ipſe, hæc de ſeipſo narrabat: Priuſquam ad vitam ſolitariam tranſiſſem, factus in extaſi aſpexi virum quendam, cujus ſpecies claritatem Solis vinceret: hic tenens manum meam: Veni, ait, quia pugnare, & luctari te convenit, & induxit me in theatrum plenum viris ex una parte candido amictu, ex alia verò, ni-

Sophron. prat. ſpirit. c. 60.

gro veſtitis. Cùm ergò injeciſſet me in theatrum, aſpicio virum miræ magnitutunis Æthiopem, cujus caput turpiſſimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me juvenis ille, qui mihi apparuerat: Cum hoc luctari te oportet. Ego qui aſpectu viri illius proceri territus eram, tremere ac pavere cœpi; orabamque juvenem illum ſplendidum, qui me induxerat in theatrum dicens: Quis hominum mortali conditione & infirmitate circumdatus, cum hoc luctari poſſet? Non ipſum univerſum genus hominum, ſi in unum confluat, huic reſiſtere prævalet. Ait autem ad me juvenis ille præclarus: Prorsùs cum illo te luctari opus eſt. Ingredere igitur cum omni alacritate, & fiducia: mox enim ut tu illum adorſus fueris, ego adjutor ero, tibique victoriæ coronam reponam. Ut ergò ad certamen ſum ingreſſus, luctarique invicem cœpimus; continuò præclarus ille Judex noſtri certaminis adfuit, mihique coronam dedit. Atque plebs illa obſcura, Æthiopumque multitudo ingens ejulantes evanuerunt; pars verò reliqua candidatorum gratias illi, & laudes referebant, qui me juverat, & præclarâ victoriâ donaverat.

Pugnantes Dominus adjuvat.

I. Diabolus inimicus noſter eſtne admodum potens?

R. Ita planè; dicit enim Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & poteſtas, adversùs mundi rectores tenebrarum harum.* Vide c. 41. Job.

Ephef. 6.

I. Velim iſtud aliquo exemplo mihi comprobes?

R. Dicebat Chriſtus Dominus diſcipulis: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribaret ſicut triticum.*

Luc. 22.

Ex quibus licet intelligere, magnas eſſe hoſtium vires, invictum animum, humanæ in nos & infinitum odium, bellum etiam perpetuum eos gerere nobiſcum, ut nulla pax eſſe cum illis, nullæ induciæ fieri poſſint. Quantum verò audeant, declarat ſatanæ apud Prophetam vox: *In cælum aſcendam.* Aggreſſus eſt primos hominum in Paradiſo, iiſque mundum totum proſtravit; adorſus eſt Prophetas, appetivit, (ut proximè vidimus) Apoſtolos; ne ipſum quidem Chriſti Domini os Sacro-ſanctum erubuit. Itaque ejus inexplebilem cupiditatem & immenſam diligentiam S. Petrus expreſſit, cùm dixit: *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quē devoret.*

Iſai. 14.

1 Pet 5.

I. Quem uſum habent exempla hæc omnia?

R. Ut diſcamus timere, & videamus quantoperè egeamus divino adjumento, ſi noſtræ imbecillitatis meminerimus. Si tales (inquit Chriſoſtomus) inſtructæ ſunt acies, incorporales principatus, ſi mundi Domini, ſi ſpiritales nequitiæ adversùm nos ſunt, quomodò, dic quæſo, deliciaris? quomodò inermes vincere poterimus? Iſta quiſque ſibi ipſi ſingulis diebus dicat, quando per faſtum occupatur, quando per concupiſcentiam, quando mollem vitam inconſultò ac fruſtrà quærit. Audiat Paulum dicentem: *Non eſt nobis colluctatio, &c.* Et infrà: Conculcavimus diaboli potentiam, ſi peccata conculcaverimus: omnia dico temporalia, faſtum, concupiſcentiam, ſuperbiam, omnes animi paſſiones. Anſam enim dant diabolo, divitiæ, pecuniæ, & vanæ gloriæ ſtudium.

In c. 6. ad Epheſ. in moral.

Qualiter diaboli potentia conculcanda.

Ergò recurramus ad Patrem noſtrum cœleſtem in tentationibus, dicamuſque ei: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Eſto mihi turris fortitudinis à facie inimici.* Præcipuè verò: *Et ne nos inducas in tentationem.* Ne derelinquas nos Deus ſalutaris noſter. Tu enim *adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.*

Pſ. 69.

I. Derelinquitne igitur nos Deus aliquando?

R. Ita, omninò.

I. Quando, & quas ob cauſas?

Aug. de cor. & grat. c. 11. & 12.

R. Quando ipſi eum deſerimus, non enim deſerit, niſi priùs deſertus. *Voluntate ſuâ quiſque deſerit Deum* (inquit Auguſtinus) *ita ut meritò deſeratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideò petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat: Et, ſi exaudimur, utique non fit; quia Deus non permittit ut fiat. Nihil enim fit, niſi quod ipſe facit, aut fieri ipſe permittit.*

L. 2. de bono perſev. c. 6. de nat & grat. c. 26.

Ergò ut dilucidè, & breviter dicamus: Tunc Deum deſerimus, quando ejus gratiâ non utimur, ſed potius reproborum cõſiliis obaudimus, ad impiorum conſortia nos adjungimus, ſacra Confeſſionis & Communionis remedia non adhibemus, officium noſtrum nonniſi perfunctoriè admodum facimus, ſive in audienda Miſſa, ſive in auditione Verbi Dei, ſive in oratione, &c.

deſerimus Deũ quâ ratione?

Quid agendũ ne deſerat nos Deus.

I. Qualiter ergo cum Domino Deo nos gerere oportet, ne nos deſerat?

R. Humiliare nos oportet ſub potenti manu ejus, & ſcire quantoperè indigeamus dexteræ cœleſtis auxilio. *Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Certè qui propriæ virtutis aut ſapientiæ opinione inflatus tumet, non eſt de iſto numero humilium. Si enim aliquid boni habes, at verò à te ipſo non habes. *Gratia Dei depute quæcumque non feci peccata*, dicebat Auguſtinus in ſuis confeſſ. & alibi: *nullum eſt peccatum quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector, à quo factus eſt homo.* Non eſt ergo quod alius nos præferamus, aut ambulemus in magnis, aut in mirabilibus ſuper nos, non enim poſſumus abſque Dei auxilio hoſtibus noſtris reſiſtere. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.* Vide Sanctum Auguſtinum l. 22. de Civitate cap. 23. E contrà, in vanum laborant inimici noſtri, quamdiu in Dei cœli protectione commoramur.

Jac. 4.

L. 2. conf. c. 7. ho. 23. l. 50 hi. 10. 10.

Pſ. 126.

I. Imbecilliſne eſt diabolus circa eos qui ſe extrâ omnipotentis Dei proteguntur?

R. Planè. Non enim ipſe in tanta potentia & pertinacia, in capitali odio noſtri generis, nec quantùm nec quamdiu vult, tentare nos aut vexare poteſt, ſed omnis ejus poteſtas Dei nutu, & permiſſu gubernatur. Notiſſimum eſt exemplum Job, de quo niſi diabolo dixiſſet Deus; *Ecce univerſa quæ habet, in manu tua ſunt*, nihil ejus Satan attigiſſet: Contra verò niſi addidiſſet Dominus; *Tantùm in eum ne extendas manum tuam*; uno diaboli ictu cum filiis ipſe, facultatibuſque concidiſſet. Ita autem alligata eſt dæmonum vis, ut ne in porcos quidem illos, de quibus ſcribunt Evangeliſtæ, non permittente Deo, invadere potuiſſet. Hæc eſt bona pars triumphi crucis Chriſti, qui alligavit fortem, & domum illius diripuit, uti dicitur Matth. 12. Vide Apocal. 20.

Job. 1.

Matt. 8. Marc. 5. Luc. 8.

Idipſum edoctus per experientiam S. Antonius apud S. Athanaſium in ejus vita cap 6 & ſequ. prolixè declarat: diabolus, inquit, homo crucis, ut draco aduncatus à Domino eſt, ut capiſtro ligatus. & quaſi mancipium fugitivum vinctus circulo, & labia armilla perforatus, nullum omnino Fidelium devorare permittitur. Nunc miſerabilis ut paſſer ad ludum irretitus à Chriſto eſt; nunc Comites ſuos quaſi ſcorpiones & ſerpentes calcaneo Chriſtianorum ſubſtratos gemit. Ille qui univerſa maria à ſe deleta plaudebat; ille qui orbem terrarum manu ſuâ teneri pollicebatur, ecce à vobis vincitur, ecce me adverſum ſe prohibere non poteſt diſputantem. Plura vide c. 20.

Exempla.

Quàm imbecilles per Chriſti Paſſionem effectus diaboli.

S. Hilarion S. Antonii diſcipulus, in tantum exeſo corpore, ut vix oſſibus hæreret (inquit S. Hieron. in ejus vita) quâdam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quaſi mulierum, leonum

num rugitus, murmur exercitûs, & rurſus variarum portenta vocum, ut antè ſonitu, quàm aſpectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria, & provolutus genibus, Chriſti crucem ſignavit in fronte: taliqué armatus caſſide, & loricâ fidei circumdatus, jacens fortiùs præliabatur, amodò videre deſiderans quos horrebat audire, & ſollicitis oculis huc illucque circumſpiciens: cùm interim ex improviſo ſplendente Lunâ cernit rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere: cumque inclamaſſet Jeſum, antè oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis abſorpta eſt. Tunc ille ait: *Equum & aſcenſorem projecit in mare.* Et: *Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur.*

Cant. Moyſis. Pſal. 19.

I. Eſtne ingens numerus dæmonum nos tentantium?

R. Etiam ingentiſſimus; dicit enim S. Hieronymus: *Hæc eſt omnium Doctorum opinio, quòd aër iſte qui cœlum & terram medius dividens, inane vocatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus,* puta dæmonibus. Adeò quod ſi corporei eſſent, lumen Solis ab oculis noſtris ſuæ multitudinis opacitate planè tollerent. Illi in aëre hoc, ſæpè procellas, turbines, fulmina, tonitrua, aliaque meteora miſcent & efficiunt, ut frugibus, beſtiis, & hominibus noceant. Iidem in terra hac æſtus, ſterilitates, morbos, peſtes, inundationes, bella, aliaſque clades concitant: illi denique homines aſſiduè ad gulam, libidinem, iram, faſtum, omniaque vitia ſollicitant & impellunt; ita ut meritò ad excubias & arma excitari debeamus, ut tanto hoſti reſiſtamus. Athanaſius in vita S. Antonii.

In c. 6. ad Epheſ.

Ingens numerus dæmonum.

Eorum in hoc mundo occupatio.

I. Suntne multæ & variæ hujus tentatoris artes, aſtus, & doli?

R. Plurimi: vidit enim aliquando idem Beatus Antonius mundum univerſum retibus plenum quibus perfidus ille venator animas illaqueat: & Scriptura monet, quòd omnes creaturæ factæ ſunt *in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Cautè igitur ambulandum eſt, ſapienterque deſpiciendum ubi pes figatur, ne in retia injiciatur. Hanc retium multitudinem in tres claſſes diſtribuit S. Joannes Evangeliſta: *Omne*, inquit, *quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Vide Bellarm. l. 2. de gemitu columbæ. c. 12.

Aſtus dæmonum plurimi. Vide S. J. de exhort. Mart.

Sap. 14.

1. Joan. 2.

I. Ad quid potiſſimùm nititur diabolus, ut nos per tentationes vincat, & ſupplantet?

R. Hoc ipſe primùm curat, ut arma quibus vincitur, nobis eripiat.

Arma quibus vincitur dæmon.

I. Quænam ſunt arma iſta?

R. 1. Oratio, à qua dæmon quantum poteſt, abducere conatur, diſtractiones varias injiciendo, immundarum cogitationum, blaſphemiæ, infidelitatis, ſcrupulorum, & inquietudinis, tædii & acediæ. Orationis neceſſitatem alibi declaravimus. Addo hic ex Petro Chryſologo: *Ad tentationem vadit qui ad orationem non vadit.* Et ex Gregorio Nyſſeno: *Si oratio negotium præcedit, peccatum adversùs animam aditum non invenit.* Vide exemplum ſup. c 4. lect. 10.

Sub init. hujus part. ſer. 44.

Orat. 1. de orat. Dom.

2. Bona opera, præſertim conſuetudo confitendi & communicandi: quibus objicit impedimenta vel occupationum, vel adventus amici, vel prætextum majoris boni, vel alterius rei, ut vel ſemel intermittantur: ſic enim augentur ei vires, depoſitis à nobis tantiſper armis. Sume ad hanc rem exemplum ex p. 3. c. 7. lect. 11. de cive quodam Ferrarienſi.

3. Conſcientia viro docto, proboque aperta, quam rem ita malè fert dæmon, ut ſuas ſuggeſtiones & ſceleſta conſilia omnibus modis occultari ſtudeat, ne ſi prudenti viro detegantur, doli eorum & fœditas appareant; vel ſuo conſilio repellantur, & in poſterum caveantur.

Exem-

Io.Climach. grad.23. *Exemplum.*

Exemplum unum affero in materia blaſphemiæ, Monachus quidam ſtudioſus, cum à dæmone perturbaretur cogitatione blaſphemiæ ad viginti annos, carnem ſuam jejuniis & vigiliis macerare non deſtitit, cùm verò inde nullam utilitatem ſe cepiſſe ſentiret, profectus conſcriptam in charta perturbationem ac tentationem ſuam ſancto cuidam ac probatiſſimo ſeni obtulit in faciem proſtratus, nec illum intueri valens. Ut autem legit ſenior, ſubriſit, fratremque erigens, dixit: pone fil. manum tuam ſuper collum meum. Quod cùm feciſſet, ait illi ſenior: Super collum meum, ſit frater, hoc peccatum quotquot annis te oppugnarit, vel oppugnaturum ſit. Tu autem hoc obſerva, ut hoc jam floccipendas, & nihil æſtimes. Quibus verbis ita roboratus eſt frater, ut non ante cella ſenis excederet, quàm hujuſmodi morbus evaneſceret, Hoc autem qui expertus eſt, mihi poſteà enarravit, Deo gratias referens.

Job.41.

4. Humilitas, quæ ut internum gratiæ fructum conſervat, ita terrori eſt, atque inviſa ſuperbo dæmoni, qui eſt *princeps ſuper omnes filios ſuperbiæ*; quique quærit, ut garrulitate, ad Evæ exemplum, aliquid effutias & jactes, quo gratiâ, humilitateque ſpolieris.

LECTIO III.

Tentationum fructus varii

I. PEtimuſne hic abſolutè, ut ab omni tentatione ſimus immunes?

R. Minimè; nam tentationum fructus eſt maximus, & utilitates variæ.

I. Quænam ſunt illæ?

1. Tentatio hominem facit humilem.

R. *Primò*, imbecillitatem noſtram agnoſcere, in humilitate conſervari, & à Deo auxilium efflagitare. Vide ſanctum Gregorium l. 23. moral. c. 27 & ſanctum Auguſtinum de peccat. merit. l. 2. c. 17. & 19. Ita S. Paulus: *Ne magnitudo*, inquit, *revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Quid ageret. *Propter quod ter Dominum rogavi, &c.* Eccl. c. 2. *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.*

2. Cor. 12. *Eccl. c. 2.*

2. Hominem cautum facit & vigilem.

Secundò, tentatio hominem cautum facit, circumſpectum, vigilem, ut undique carni, & peccato reſiſtat. Undè S. Laurentius Juſtinianus in ligno vitæ, tract. de patientia c. 4. *Sicut*, ait, *caro ſi ſale non aſpergitur, quamvis ſit magna, & præcipua, corrumpitur, ita & anima niſi tentationibus aſſiduè ſaliatur, continuè reſolvitur, & relaxatur. Per ipſa namque tentamenta, anima negligentiæ putredinem excutit, & in ſpiritûs vivacitate conſervatur. O quantos vidimus modicis tentationibus à magnis periculis protegi, & tentatione quâdam timoris, & corporali quâdam ineptitudine à peſte ſuperbiæ liberari, qui altàs quaſi equi effrenes ſuis talentis ſuperbirent.* Ita nimirùm, ut dici ſolet, *clavus clavum pellit.*

In vita Patrum. *Exemplum.*

Accipe exemplum: Adoleſcens ſtimulo carnis valdè exagitatus, cùm fruſtra remedia cætera tentaſſet, falſis criminationibus à ſociis juſſu Abbatis aſſiduè appetitus, eum excuſſit. Poſt aliquod tempus rogatus ab Abbate an adhuc eâ tentatione pulſaretur, reſpondit: *Vivere non licet, fornicari libeat?*

Eccli. 34. *Qui non eſt tentatus, nihil ſcit.*

Dixi tentationem facere hominem cautum, & circumſpectum, ſcilicet tam pro ſui ipſius, quàm pro directione proximi. *Nam qui non eſt tentatus quid ſcit: Et vir in multis expertus, cogitabit multa: qui non eſt expertus, pauca recognoſcit:* Qui non eſt tentatus (dicit quidam Doctor) nihil ſcit; non ſcit Deum, & quantoperè ab ejus auxiliis pendeat; non ſcit ſe, quia neſcit quàm infirmus ſit, neſcit alios, quia aliis compati, & indulgere neſcit. Addo, neſcit naturam, vires & artes dæmonis.

I. Habeſne exemplum?

Exemplũ. R. Habeo inſigne: Juvenis quidam Monachus, fornicationis ſpiritu vehementer tentatus, quum ſeni Monacho conſilii gratiâ expoſuiſſet, vehementiſſimè à ſene objurgatur, & Monachi nomine indignus redarguitur, qui tales cogitationes vel leviſſimè in animum admiſerit: quâ ille objurgatione fractus penitus, & ad ſæculũ redire meditans, in aliũ, Deo diſponente, ſenem prudentiorem incidit, qui ut juvenem ſolatetur, ſe hujuſmodi etiam ſtimulis agitari affirmat; & ut ad unum atque alterum diem expectaret, obtinuit: moxque Deum rogat, ut ſenem illum alterum imprudentem ſimili malo affligi atque tentari permittat: quod ubi factum eſſet, ſenexque ille inhumanus, eodem ſpiritu nequam agitatus per eremum diſcurrens, ſuum quoque morbum eidem ſeni prudenti (is Apollo dicebatur) aperuiſſet, his eum verbis ſenex Apollo objurgat: Revertere ad cellam, tandemque intellige, vel ignoratum te hactenus à diabolo, vel deſpectum, nec in eorum numero reputatum, quibuſcum ille quotidie confligere, & colluctari ex profectibus eorum ac ſtudiis inſtigatur. Et hoc te ſtimulo, quem nec ad unum diem ferre quiviſti, ideò ſauciatum agnoſce, ut ſaltem in ſenecta diſcas compati infirmitatibus alienis. Moxque oratione factâ ſenex imprudens à gravi tentatione liberatur, & ut aliorum infirmitatibus melius ac mitius condeſcendat, ſuo malo, & periculo docetur.

Caſſia. col. 2. c. 13.

3. *Homo tentatus cavet ſollicitiùs peccatum.* *Tertiò*, docet nos tentatio ſollicitiùs peccata vitare, quibus ſubminiſtrantur adverſario arma; ſectarique virtutes quibus adjuvantur; *virtus* nimirùm, *in infirmitate perficitur:* quia infirmi (inquit S. Thomas) ſibi diligentiſſimè cavent, ac contrariis cautè reſiſtunt; ſicque fiũt exercitatiores & fortiores. Hinc dicebat Abbas Nilus: *Plantas nutriunt venti, & tentatio confirmat animæ fortitudinem.*

2. Cor. 12. To. 3. SS. PP.

Quartò, legitimè certantibus, & vincentibus parat tentatio coronas & triumphos. Juxta illud: *Qui viceris, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Et: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Ità S. Antonio Chriſtus apparuit, dixitque ſe cum gaudio ejus pugnas ſpectaſſe, eumque adjuviſſe: quia, inquit, dimicando viriliter non ceſſiſti, ſemper auxiliabor tibi, & faciam te in toto orbe nominari. Quocircà Conon Abbas cùm à ſuo Monaſterio receſſiſſet, ne baptizaret puellam ſpecioſam, cujus ſpecie ſentiret ſtimulum carnis, obvium habuit S. Joannem Baptiſtam, qui illum cruce ſignans, dixit: Crede mihi, Presbyter Conon, volebam te pro hac pugna mercede donari, ſed quia non vis, ecce abſtuli à te hoc bellum: Mercede autem hujus operis carebis. Hic Sancti in cœlis canunt cum jubilo: *Tranſivimus per ignem* (concupiſcentiæ) *& aquam* (deſolationis & deſpectûs) *& eduxiſti nos in refrigerium.*

4. *Legitimè certans coronatur.* Apoc. 3. Jac. 1. *Exemplum. Athan. in vita. Ioa. Moſc. in prat. ſpir. c. 3.* Pſal. 65.

I. Non eſt ergò peccatum tentationes pati?

R. Satis intelligis quod non, quandoquidem tantæ ab eis utilitates promanent; ipſeque Dominus pro noſtra inſtitutione eas pati voluerit. Adde, quod modò diximus, beatos pronuntiari Deique amicos, qui tentati fuerint. Verbo ut abſolvam, ſentire tentationem quantumvis maximam, non eſt peccatum, ſed in eam conſentire, hoc peccatum eſt. *Nam vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.* Vide Tob. 12. v. 13. Et Eccleſ. 44. v. 21. Concludo hâc eleganti ſententiâ S. Bernardi: *Moleſta hæc lucta, ſed fructuoſa; quia ſi habet pœnam, habebit & coronam; non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus, imò quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat.*

Eccl. 27. *De interna domo c. 19.*

I. Si tentatio non eſt peccatum, non debet igitur de ea mentio fieri in confeſſione?

Confeſſarius qualis eligendus.

R. Imò maximè. Aperire oportet technas & ſuggeſtiones diaboli ei quem Ducem militiæ ſpiritualis nobis Dominus conſtituit Confeſſario, inquam, ut earum remedia addiſcamus.

Nota tamen, quod eligendus ſit ante omnia vir doctus, prudens, & timens Deum, cui poſſimus liberè arcana mentis committere, juxta illud: *Conſiliarius ſibi unus de mille*, de quo p. 2 c. 9 lec. 2. & p. 4. c. 5 lec. 9.

Eccl. 6.

I. Malène ſibi conſulunt qui tentationes ſuas Patri ſpirituali ſeu Confeſſario non patefaciunt?

R. Ita. Exemplum unum habes ſuprà proximè præcedenti lectione. Alterum hîc ſubjicio.

Exemplum. Ribad. l. 1. de vit. Ignat. c. 3.

Ignatius Loyola cœpit anno ſalutis 1524. grandis jam natu (annum enim agebat 33.) ſtudia non ætati, ſed ſpiritui ſuo convenientia exercere, primaque Grammatices rudimenta devorare. Sed cùm neque exilium, ſpinoſaque rerum ſubtilitas, neque inuſitati ſtudii labor ullâ ejus animum moleſtiâ afficerent, perturbabat tamen illuſtrationum, quas inter ea ipſa ſtudia percipiebat, tum magnitudo, tum crebritas. Nam, cùm nominum, & verborum mandare memoriæ inflexiones vellet, tanto ſplendore animus illuſtrabatur ad res divinas intelligendas, ut novi ediſcere nihil poſſet, & ſi quid anteà eſſet memoriæ traditum, id totum faciſè efflueret. Neque omni ſtudio, animique contentione poterat aut arcere appropinquantes, aut ingreſſas hujuſmodi cogitationes abigere. Cujus rei novitate perculſus. Quid hoc, inquit, rei? cùm oramus, cùm confitemur, & ſuperſubſtantialem panem accipimus, cùm vigilamus, cùm nos verberibus cædimus, cùm ſpiritualia omnia ac divina munera obimus, neque tam frequentes, neque tam magnæ, neque tam vehementes ſe nobis illuſtrationes offerunt. Cùm puerilia agimus, & de Deo propter Deum non cogitamus, tum ſpecioſæ noſtræ menti imagines, & cœleſtes illuſtrationes occurrunt? Agnoſco, agnoſco importuniſſimi hoſtis calliditatem: agnoſco veteratoris dolos & aſtutiam. Cujus conatibus ut occurreret, & conſilium diaboli ſe à ſtudiis malitioſè avocantis eluderet, præceptorem ſuum, in templum, cui Sanctæ Mariæ à mari cognomen eſt, ut veniat, rogat. Illi dæmonis tentamenta narrat: ſuam in duos proximos annos aſſiduitatem pollicetur, ſe à lectionibus non abfuturum (panis modò & aqua ad victum ſuppetant) fidem ſuam obſtringit. Et ſimul ſeſe ad pedes abjicit, ab eo etiam atque etiam petit, ut ſe pro puero habeat, verberibus graviter excipiat, ſicubi minus attentum, aut diligentem eſſe deprehenderit: atque hac tam vehementi ejus animi contentione diaboli fraus repulſa eſt, & pax tum illi divinitùs reddita. Eidem præterea Philoſophiæ curriculum ingredienti, eadem illi impedimenta ex cogitationum ſpiritualium importuna copia intulit, quæ Barcinonæ objecerat in rudimentis Grammatices verſanti; ſed fallaces illas imagines facilè depulit, & callidi hoſtis impetum eadem ratione quâ ſuperiorem illum refutavit ac fregit.

Tentationes Patri ſpirituali aperiendæ cur?

I. Quæ eſt ratio cur debeat pœnitens ſuggeſtiones diaboli, vel tentationes Patri ſuo ſpirituali, ſive Confeſſario declarare?

R. Ut ſciat quid in illis vel peccati, vel periculi lateat. Eſt enim reperire quoſdam qui cùm ſe viderint agitari variis phantaſmatibus immundarum cogitationum, blaſphemiæ, infidelitatis, &c. putent ſe à Deo derelictos, eo quod talia patiantur; quæ eſt magna, & evidens deceptio; ut ergo ſimilibus tricis expediantur, adeundus eſt Confeſſarius qui doceat quid à parte rei ſit peccatum; quid tentatio; quid æſtimandum ſit, quid contemnendum. Nam tametſi iſta propoſitio generaliter: *Tentatio non eſt peccatum*, certiſſima ſit, nihilominùs non pertinet ad quemlibet ex ea juſtificare quoſlibet motus

tus ſuos.& perturbationes; magis verò oportet ad directorem animæ habere recurſum. Vide huc pertinens exemplum apud Gerſon.p.3 fol 71.

I. Habeſne contra ſingulas ſingulorum hoſtium noſtrorum tentationes remedia?

Remedia contra diaboli tentationes.

H. Habeo. *Contra diabolum*, & ejus ſuggeſtiones humilia te quàm potes profundiſſimè, reſiſte ei fortis in fide; muni te ſigno Crucis; adhibe orationem; ſcripturæ ſacræ ſtudium; confitere frequenter, aſperge te aquâ luſtrali, &c.

Exemplum.

S. Ephrem Syrus in ejus vita.

Pſal. 117.

Dum Abramus aliquando noctu oraret, tenens ſecurim Satanas cœpit cellam ejus evertere: cumque jam videretur eam perforaſſe, magnâ exclamavit voce, dicens: Feſtinate celeriter, ô amici mei, feſtinate, & introeuntes citò eum ſuffocate. Beatus autem vir Dei contrà ad illum: *Omnes* (inquit) *gentes circumdederunt me, & in nomine Domini ultus ſum eos.* Ille verò protinus hac voce auditâ evanuit; cellâ interim Sancti viri integrâ atque illæsâ permanente. Iterumque paucis interlabentibus diebus aliis, dum mediâ nocte pſalmodiæ vacaret, conſpiciens ſtoream ſuper quam pſallens conſiſtebat, vehementi flamma comburi, ignem intrepidus conculcans aiebat: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: omnemque potentiam inimici, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti mihi auxiliantis ſuperabo.* Diffugiens autem Satanas exclamavit ac dixit: Ego te devincam, improbe, arteſque inveniam quibus te conteram, qui me jam deſpectui habes.

Pſal. 90.

Contra mundi tentationes remedia.

Contra Mundum, ama virtutes; & lege vitas Sanctorum; de paſſione Domini frequenter aliquid meditare: recordare noviſſimorum; veni poſt Chriſtum; tolle crucem ejus, & ſequere eum Confide, ipſe vicit mundum.

Egregia fuit in Aichardo puero de mundo victoria: hunc enim pater militaribus negotiis aſſueſcere præmonebat: mater verò è diverſo, mariti conſilium adeò inflectere conabatur, proteſtata ſe pro filio votis inſolubilibus eſſe obligatam: nam eo tempore quo ipſa partu imminente crebris doloribus quatiebatur, affirmabat, ſi ſalvo partu, Dei adjutorio mortis periculum evaſiſſet, affirmabat, inquam, ſe quicquid peperiſſet, divinis cultibus devoviſſe. Hanc igitur ſibi à marito præſtari indulgentiam poſtulabat, ne retractatâ promiſſione, voti ream efficeret, neve filius pro hac re aliquandò judicio Dei periclitaretur. Verùm dum pater multa obſtinatione votum mulieris improbaret, nec ipſe à propoſito emolliri potuiſſet, ecce ad dirimendam litem inter eos medius illis filius intervenit, dicens patri nulla ſe rerum mortalium ambitione teneri, & ideò nulla inanis militiæ pompâ delectari. Chriſti, inquit, miles, ô Pater eſſe decrevi: me, niſi mors, à militia Chriſti nemo avellere prævalebit: dum tamen quo id implere valeam, me interim à Catholicis auctoribus liceat addiſcere. Videns pater filium immutabilis propoſiti tenere conſtantiam, noluit eam turbare: quin potiùs ſe & filium, Dei voluntati attribuit, ut quò filium ſuperna inſpiratio evocaſſet, eò & libenter pater annueret.

Exibert. in vita ejus apud Sur. 15. Septemb.

Exemplum.

Præclara ſunt hoc in genere exempla S. Alexii, Franciſci Minorum inſtitutoris, Franciſci Borgiæ, & aliorum ſexcentorum

Remedia contra tentationes carnis

Contra carnem, habeto Deum ubique præ oculis præſentem, time illum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam; præcipuo affectu addictus ſis Beatiſſimæ Virginis Deiparæ cultui; carnis ſordes, uti ſpurciſſimas porcorum ſiliquas oderis; ſobrius eſto, ſectare honeſtas occupationes; improba conſortia devita diligentiſſimè, ſenſibus tuis frænū injice: laſcivienti corpori flagella & auſterioris vitæ diſciplinam ne ſubſtrahas; Eccleſiæ Sacramenta cum exacta diſpoſitione frequenta.

Digitized by Google

quenta. Vide S. Hieronymum ep. ad Euſtoch. de cuſtodia virginit. & quæ nos infrà p. 3. c. 7. lect. 11. tradimus, ubi etiam ad ſingula remedia, exempla jungimus.

S. Antonin. 3. p. hiſt. tit. 24. c. 13.

Circa annum Domini milleſimum ducenteſimum, tempore Innocentii Papæ III. vixit magnæ ſanctitatis vir, nomine Joannes Bonus, civitate Matuâ oriundus. Eum in eremo viventem luxuriæ inquinamento impugnare cœpit adverſarius, mulieris formam ei objiciendo, quam *Exemplū.* aliquando conſpexerat. Cùm autem ſic vehementiùs incenderetur, doloris incendio carnis extinxit incendium. Nam accipiens arundinem, & in multas partes acutiſſimas dividens, eas ſub unguibus poſuit, elevanſque manus ſuper lapidem: ita percuſſit, ut ad extremum digitorum partem penetrarent. Undè præ nimio dolore in terram lapſus tribus diebus ac noctibus ſemivivus permanſit. Non deſeruit ſervum ſuum pius Dominus, pro quo, ne tanto cruciatu offenderetur, ſe dedit: in ſomnis enim apparens dixit; quia benè cœpiſti, benè perſeverabis, & optimè tuam conſummabis vitam. Quia verò ita viriliter contra tentationes dimicaſti, de cætero non tentaberis. Qui ſtatim excitatus ſanum ſe conſpiciens, gratias retulit Salvatori.

Quæ tentationes omnium periculoſiſſimæ. Aug. de honeſt. mul. c. 2.

I. Quæ ſunt omnium periculoſiſſimæ tentationes?

R. *Inter omnia Chriſtianorum certamina, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, in quibus quotidiana pugna, rara victoria.*

LECTIO IV.

I. Quibus gradibus ad peccatum per tentationem deducimur?

R. Tribus: *ſuggeſtione, delectatione, conſenſu*: vide S. Gregorium hom. ſuper illud Matthæi: *Ductus eſt Ieſus in deſertum.*

I. Declara hoc paulìſper ampliùs?

R. Suggeſtione quidem, dum nobis prava ingeritur cogitatio, ſive tentatio mundo, carne, Satanâ. 2. Delectatione, dum animo vel carni noſtræ nimium adlubeſcit quod prava ſuggeſſit tentatio, incipitque vel titillare, vel vacillare. 3. *Jac. 1.* Conſenſu quoque, dum in peccatum ipſum voluntas allecta conſentit deliberatè. Ex quo ſanè conſenſu peccatum jam *Diſt. 6. c. penſandū.* conſummatur, & coram Deo gehennæ obnoxium facit hominem, etiamſi opere non perpetretur. Undè non temerè dictū eſt illud: *In ſuggeſtione ſemen, in delectatione nutrimentum, in conſenſu perfectionem ineſſe peccati.*

I. Declara hoc per ſimilitudinem rerum geſtarum?

Simile.

R. Quando peccavit Adam in Paradiſo veſcens ex pomo arboris ſibi interdictæ, tria induxerunt illum in peccatum, ſerpens, mulier, & proprius ejus conſenſus; ſerpens admovit exteriùs ſuggeſtionem; mulier (quæ concupiſcentiam partis inferioris repræſentat) vidit quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit, deditque *Gen. 3.* viro ſuo; qui proprio & deliberato conſenſu Dei præceptum tranſgrediens comedit.

I. Quandonam præcipuè nervos omnes intendit, omneſque artes explicat diabolus, ut nos acerrimè tentet?

R. In extrema vitæ periodo, inſtante jam morte.

Qualiter animandi ii qui tentantur

I. Quo pacto animos addemus iis qui tentationibus anguntur, ad fortiter & ſtrenuè dimicandum?

R. Si proponamus à Deo paratas coronas, & conſtitutam victoribus ſempiternam præmiorum amplitudinem; & declaremus quòd *non ſunt condigna paſſiones* *Rom. 8.* *hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Sanè Dominus noſter cùm Sanctorum gloriam & perpetuam illam bonorum vim, quibus in cœlo fruentur, expoſuiſſet, adjunxit: *Qui vicerit,* *Apoc 21.* *poſſidebit hæc.*

I. Quomodò de tentatione victoria repor-

Digitized by Google

Tribus modis liberat Deus hominem à tentatione.

reportati, & quo auctore illa obtineri poteſt?

R. Tribus modis Deus victores facit: primò, miſericorditer providendo, ne infirmi tententur: quomodo Apoſtolos adhuc infirmos à tentatione liberavit, inſtantis Paſſionis tempore, dicendo: *Sinite hos abire*, plurimoſque alios fugâ, latebris, variiſque modis, ne in tyrannorum manus inciderent, conſervavit. Luc. 18.

Athan. de fuga.

Secundò, liberat Deus electos, fortitudinem eis impertiendo, ut nulli tentationi cedant. Sicut liberavit Martyres, charitatem inſeparabilem diffundendo in cordibus eorum.

Aug. de prædeſt. SS. c. 14.

Tertiò, Deus quempiam à tentatione liberat, ipſum ex hac vita rapiendo. Nam ita hominem peccandi periculis ſubtrahit, & in non peccandi ſecuritate conſtituit.

I. Quid porrò agendum eſt poſt reportatam de tentatione victoriam?

1. Cor. 15. *De ſancta virgin. c. 40.*

R. Gratiæ Deo agendæ ſunt, *qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Reputate vobis dimiſſum* (ait idem Doctor) *quidquid mali à vobis, non eſt illo regente, commiſſum.* Ratio eſt, quia eadem eſt Dei gratia quâ fortes ſumus, ne à tentatione vincamur, cum illa quâ lapſi à peccato relevamur. 2. Ipſi Deo deputanda eſt, attribuendaque victoria; dicente illo: *Ne dicas in corde tuo: fortitudo mea; & robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt. Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit, &c.* Deut. 8. 17 & 18.

I. Habeſne hujuſce rei exemplum?

Exemplum. *Pet. de Natal. in catal. SS. l. 11. c. 46.*

R. Habeo. Inſignis fuit Saræ Abbatiſſæ Thebaidis victoria, quàm Chriſti gratiâ de carne ac Satana glorioſè per humilitatem & ſpem in Chriſto firmam reportavit. Cùm cogitationes ejus ad libidinem incitare ſoleret diabolicæ malignitatis ſuggeſtio, nunquam ut recederet tentatio, oraverat, ſed ut illa aſſiduè oppugnaret, & ipſa ſemper vinceret. In hoc carnalis laſciviæ bello per annos tredecim fortiter contendit; ſed tandem aliquantò acriùs impugnata, quàm ut ſuſtinere poſſet, clamavit ad Dominum Jeſum Chriſtum, & ſuperavit inimicum: ita ut oranti apparens dæmon diceret: *Viciſti me Sara, viciſti*; at illa nihil ſibi ex hoc laudis vendicans; *non ego*, inquit, *vici te, ſed Dominus meus Ieſus.*

Figura 2. Reg. 12.

Ex quo diſcimus, in omni tentatione ad Dei gratiam atque opem confugere; & præ humilitate debita, omnem ei victoriam acceptam ferre; Sic Joab Davidi, expugnata civitate Rabbath: *veni*, inquit, *obſide civitatem, & cape eam; ne cùm à me vaſtata fuerit urbs, nomini meo adſcribatur victoria.*

DE VII. PETITIONE

CAPUT DECIMUM.

Sed libera nos à malo.

LECTIO PRIMA.

S. Th. 2. 2. q. 83. ar. 9. in c.

I. Quid ſeptimâ & poſtremâ Petitione agimus?

R. Petimus Dei benignitatem, ut liberet nos à miſeria tum corporis, tum animi, quod ſaluti noſtræ congruit, ſive in hac, ſivè in futura vita.

I. Differtne hæc ultima Petitio à duabus præcedentibus?

In quo differt poſtrema hæc petitio à duabus antecedentibus.

R. Ita, nam in quinta petebamus abſolvi à culpa; in ſexta, liberari à tentationibus & periculis culpæ, ſive peccati; in hac verò poſtrema rogamus liberari à pœna culpæ debita; Hæc autem pœna ſunt miſeriæ & calamitates omnes præſentes & futuræ, temporales & æternæ, corporis & animi. S. Cyprianus de Orat. Dom. Auguſtinus de ſer. Domini in monte. Ambroſius in Luc. c. 11. Chryſoſtomus in c. 6. Matth.

I. Petimuſne ſimpliciter & abſolutè liberari ab omnibus malis?

Non petimus ab-

R. Non ab omnibus æqualiter, aut eodem modo. Nam ſimpliciter & abſolutè

Soluté liberari ab omnibus malis.

petimus liberari à morte æterna, prout etiam in Petitione 5. rogabamus abſolutè, & ſimpliciter remitti peccata, quia illa ſimpliciter loquendo ſemper mala ſunt & animæ nociva: illa verò mala non abſolutè à nobis averti precamur, ſed in quantum ſaluti noſtræ adverſantur, & occaſionem præbent animæ in peccatum labendi, & vitam æternam amittendi.

I. Quandoquidem natura ipſa ſatis nobis hic perſuadet, ut in calamitatibus ad Deum recurramus, quid neceſſe fuit, ut hanc precandi formulã nobis præſcriberet Dominus: *Sed libera nos à malo?*

R. Si illud ferè ſuâ ſponte faciunt homines, ut in periculis & calamitatibus invocent Deum, certè quomodo id rectè & cum bono ordine facere poſſint & debeant, hîc edocentur. Non enim deſunt qui contra Chriſti Domini juſſum præpoſtero utuntur ordine precationis. Nam qui juſſit nos ad ſe confugere in die tribulationis, idem orationis ordinem nobis præſcripſit: voluit enim ut priùsquàm precamur, ut nos liberaret à malo, peteremus ut nomen Dei ſanctificaretur, & adveniret regnum ejus, & reliqua poſtularemus; quibus quaſi gradibus quibuſdam in hunc locum pervenitur. Sed quidam, ſi caput, ſi latus, ſi pes dolet, ſi rei familiaris jacturam faciunt, ſi minæ, ſi pericula ab inimicis intenduntur, in fame, in bello, in peſtilentia, omiſſis mediis orationis Dominicæ gradibus, tantùm petunt, ut ex illis eripiantur malis: at huic conſuetudini repugnat Chriſti Domini juſſum: *Quærite primùm Regnum Dei.* Itaque qui rectè preces faciunt, cùm deprecantur calamitates, incommoda, malorum depulſionem, id referunt ad Dei gloriam, & à peccatis, & peccatorum periculis potiùs, quàm à minutioribus iſtis malis eximi poſtulant, prout Dominicæ precationis ſeries tradit; qui ſecus faciunt, plerumque nihil obtinent, quia Chriſti Domini præceptis non obtemperant, & orandi normam ab eo traditam non obſervant; & in illis locum habet illud Apoſtoli: *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis.*

Multi præpoſterè petunt à malis liberari. *Matt. 6.* *Jac. 4.*

I. Declara mihi in particulari à quibuſnam malis hîc petamus liberari?

A quibus malis petimus hîc liberari?

R. *Primò* petimus ut tuti ſimus ab aqua, ab igne, à fulgure; ne grando noceat frugibus, ne annonæ caritate, ſeditionibus, bello laboremus. *Secundò*, non ſolùm hæc deprecamur, quæ omnium conſenſione mala ſunt, ſed illa etiam quæ penè omnes bona conſitentur, divitias, honores, valetudinem, robur, hanc ipſa vitam: Petimus, inquam, ne ad malum & ad animæ noſtræ exitium hæc convertantur. Et hæc eſt ratio cur juſſerit nos Dominus petere ut liberemur à malo generaliter; & indefinitè: q. d. Libera nos Domine ab omni eo, quod judicas vel prævides nobis malum, aut noxium fore, ſive id proſperum ſit, ſive adverſum. *Tertiò*, oramus etiam Deum, ne morte opprimamur repentinâ. *Quartò*, ne in nos iram Dei concitemus. *Quintò*, ne quæ impios manent, æterna ſupplicia ſubeamus. *Sextò*, ne igne Purgatorii torqueamur. *Septimò*, præſentia, præterita, futura mala deprecamur. *Poſtremò*, petimus à malo maſculinè, id eſt à diabolo, omnis mali auctore liberari.

S. Baſil. Auguſt. Chryſ. & paſſim Græci.

I. Quare diabolus præcipuè malus dicitur?

R. Quod hominum culpæ, id eſt ſceleris, & peccati auctor fuit. Chryſoſtomus in hom. 26. in Matth. 2. Quod illo miniſtro utatur Deus in repetendis pœnis à ſceleratis, & facinoroſis. 3. Malus etiam dicitur dæmon ob eam cauſam, quod etſi eum nihil læſerimus, tamen perpetuum bellum nobis infert, & capitali nos inſectatur odio, nullum finem faciens tentandi nos externis malis, & quâcumque poteſt ratione nos divexandi. Quamobrem Deum precamur, ut nos à malo liberare velit.

Diabolus præcipuè malus ob tres cauſas. *V. Iob. c. 40. & ſup. eo S. Greg. & ſup. lect. 4 cap. præced.*

I. Habeſne exemplum quo demonſtres dæmones ubique inſidiari etiam viris ſanctis?

Exemplum.

R. Ha-

Digitized by Google

R. Habeo. Quodam tempore B. Dominicus nocte vigilans, & muros Jeruſalem cuſtodiens, vidit eum qui circuit, tanquam leo rugiens, quærens quem devoret, per omnia Monaſterii loca pervagantem, dixitque ad eum: Quid ita hîc circumis cruenta beſtia? Ille reſpondit: propter lucrum quod hîc facio. Ait ei vir ſanctus; Ecquid lucraris in dormitorio? reſpondit dæmon; Somnum neceſſarium eis aufero, quietem interpellando; efficioque ut cunctabundi ſurgant, pigritiâ eos retinente, hortorque ut à divinis officiis ſe ſubducant; præterea verò ſi id mihi permittatur, nocturnas corporis inquinationes, & libidinoſos motus in dormientibus excito. Indè vir Dei de Templo interrogavit, quid in tam ſancto lucratur loco? Reſpondit ille: Id ago, ut tardè huc veniant, citò hinc recedant, ſuique immemores ſint. De Refectorio ſciſcitanti viro beato ait; Hic locus totus eſt meus, Hic exiſtit riſus, hic vani referuntur. Poſtremò ad locum Capitularem à beato Patre ductus, cum horrore refugit: Iſte inquiens, locus mihi tartareus eſt; Si quid enim alibi lucri feci, ejus hic facio jacturam Hic namque admonentur fratres, hîc confitentur, hîc accuſantur, hîc verberantur, hîc abſolvuntur. Qua de cauſa locum hunc præ cæteris abominor planeque deteſtor. Ita miſer ille cogente illum Sancto, altiſſimi virtute, malitiæ ſuæ detexit fraudes, ut videant juſti, & illum irrideant, ſibique à laqueis ejus caveant, ne irretiti capiantur.

Theod. de appeld. in vita ejus l. 3 c. 12.

Locum capitularem abominatur dæmon.

I. Petimuſne abſolutè à diabolo liberari?

R. Non; eſt enim homini interdum utile à diabolo poſſideri & vexari, imò ſemper meliùs eſt à diabolo quàm à peccato per conſenſum retineri. Ratio eſt: quia peccatum privat nos ſummo bono, & vitæ æternæ extorres facit, quod minimè præſtare poteſt dæmon qualitercumque nos poſſideat.

Melius eſt à diabolo quàm à peccato poſſideri.

I. Habeſne iſtius exemplum?

R. Habeo. Sulpitius Severus in vita ſancti Martini ſcribit Eremicolam quendam tanti fuiſſe meriti, ut dæmonia ex Energumenorum corporibus nullo negotio profligaret; quâdam autem die cùm anxius hæreret, formidans ne ejuſmodi gratia ſibi ad ſalutem noceret, vanaque complacentiâ, & tumeſcentiâ inflaret, inſtantiſſimis precibus Deum rogavit, ut à diabolo poſſideretur; quod etiam obtinuit, malens à diabolo, quàm à vana gloria poſſideri.

Sup. p. 8 c. 11. l. 4.

Exemplum.

I. Eſtne anxiè timendum ſi domum quampiam dæmon poſſideat?

R. Ita quidem improbis, & ſceleratis hominibus, circa quos non rarò magnâ vi pollet dæmon permittente Deo; at viri probi, & timentes Deum irrident has inimici jaculationes.

I. Habeſne exemplum?

R. Habeo Cùm Datius Mediolanenſis urbis Epiſcopus causâ fidei exactus ad Conſtantinopolitanam urbem pergeret, Corinthum devenit. Qui dum largam domum ad hoſpitandum quæreret, quæ comitatum illius ferre potuiſſet, & vix inveniret, aſpexit eminus domum congruentis magnitudinis eamque ſibi præparari ad hoſpitandum juſſit. Cumque ejuſdem loci incolæ dicerent, in ea hunc manere non poſſe, quia multis jam annis hanc diabolus inhabitaret; atque adeò vacua remanſiſſet: vir venerabilis Datius reſpondit dicens: Imò ideò hoſpitari in eadem domo debemus, ſi hanc ſpiritus malignus invaſit, & ab ea hominum habitationem repulit. In ea ſibi igitur præparari præcepit, ſecuruſque illa antiqui hoſtis certamina toleraturus intravit. Itaque intempeſtæ noctis ſilentio, cùm vir Dei quieſceret, antiquus hoſtis immenſis vocibus, magniſque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilos ſerpentum, porcorum ſtridores & ſoricum. Tunc repentè Datius tot beſtiarū vocibus excitatus ſurrexit vehe-

Exemplum.

S. Greg. l. 3. Dial. c. 4.

menter

menter iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Benè tibi contingit miſer; tu es ille qui dixiſti; *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo.* Ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es; & qui imitari Deum indignè voluiſti, ecce, ut dignus es, beſtias imitaris. Ad quam ejus vocem (ut ità dicam) dejectionem ſuam malignus ſpiritus erubuit, qui eandem domum ad exhibenda monſtra quæ conſueverat ulteriùs non intravit. Sicque poſtmodum Fidelium habitaculum facta eſt; quia dum eam unus veraciter Fidelis ingreſſus eſt, ab ea protinus mendax ſpiritus atque infidelis abſceſſit.

Iſa. 14.

Infirmitas corporalis interdum animæ utilis.

I. Expeditne ſemper petere, ut ab adverſa valetudine liberemur, & ſanitati reſtituamur?

R. Non; conducit enim aliquando adverſa valetudo ad animæ ſalutem. *Si infirmitas nobis ſupervenit* (ajebat Syncleticus in vita PP.) *non contriſtemur, quia ad deſtruenda deſideria corporis nobis proficit. Si amittamus oculos, non feramus graviter, quia extollentiæ inſtrumentum amiſimus. Si ſurdi facti ſumus, non doleamus, quia auditum vanum amiſimus.*

P. 2. de patientia.

Exempla. Alcuinus in vita S. Vedaſti, apud Sur. 6. Feb.

S. Autbertus ſeptimus à S. Vedaſto Epiſcopus Cameracenſis, mirificâ quâdam viſione admonitus, ut ſacrum B. Vedaſti corpus ad locum quendam alium non longè ab urbe ſitum transferret, protinùs ad facti illius ſocietatem S. Audomarum Taruennæ Morinorum eâ tempeſtate Epiſcopum invitavit; qui licet affectâ ſenectute debilior eſſet, & cæcitate laboraret, prompto tamen alacrique animo eò properavit, & in ipſa ſacrarum tranſlatione Reliquiarum amiſſum lumen Vedaſti meritis recepit: quod tamen ille, præ lumine mentis, quo mirabiliter vigebat, parvipendens iterum amittere voluit: atque priſtinam oculorum cæcitatem à Deo impetravit.

Ex Actis Nerei & Achillei c. 9. Sur. 12. Maii.

S. Petronilla per infirmitatem corporalem in timore Dei perficitur.

Cùm aliquando B. Petri Apoſtoli diſcipuli in ædibus ejus ſimul ederent, unus ex iis Titus nomine Petrum interrogavit: Cùm permulti à te curentur, cur Petronillam filiam tuam pateris ex paralyſi decumbere? Cui tum Petrus reſpondit: Sic enim ei expedit. Ne quis tamen putet me his verbis indicare voluiſſe fieri non poſſe ut ſanetur, volo ut ſurgat, & miniſtret nobis; & mox illa ſurrexit incolumis. Expleto autem miniſterio, juſſit eam Apoſtolus redire ad lectum ſuum. Poſtquam autem in Dei timorem cœpit eſſe perfecta, non modò ipſa curata eſt, ſed etiam permultis aliis, ſuis precibus, obtinuit ſanitatem.

Non poſſumus in hac vita ab omnibus malis liberari.

I. Poſſumuſne in hac vita ab omni malo liberari?

R. Minimè, nec enim id patitur vitæ humanæ conditio aut peregrinationis hujus, pœnitentiæ, & exilii filiorum Adami ſtatus in quo verſamur.

I. Quandonam igitur plenè & perfectè ab omni malo liberabimur?

R. In vita æterna, in qua invenietur omne bonum abſque mali alicujus admixtione. Hinc dicit S. Auguſtinus nos hìc petere quod in fine nobis continget, quando *mortale hoc induerit immortalitatem, & abſorpta erit mors à victoria.*

1. Cor. 15.

Exemplum.

Quàm vilia ſunt terrena bona iis qui in bonum æternum defixos oculos habent.

Vos Filiæ meæ (ait B. Thereſia c. 41. viæ ad perfectionem) quod vobis bonum videtur, petite in oratione veſtra; ego ſanè hoc unum à Deo enixiſſimè rogo, ut me ab omni malo in ſempiternum liberet. Quid enim boni Sorores meæ, in hac vita reperire poſſumus, qui tanto bono privatæ ſumus, & ab eo abſumus? *Eripe me Domine ex hac umbra mortis. Libera me Domine Deus in poſterum ab omni malo, & me iſtuc conſtitue, ubi adeſt omne bonum.* Quid enim hìc exſpectare aut ambire poſſunt ii quibus dediſti lumen, ut mundi fallaciam agnoſcant, & quibus oculos fidei largitus es, ut videant quæ Pater cœleſtis præparavit iis qui diligunt illum?

LEC-

Digitized by Google

LECTIO II.

I. EStne malorum ſive miſeriarum, quas filii Adami in hoc ſæculo coguntur pati, ingens multitudo?

R. Ingentiſſima planè: Non eſt in homine membrum, non eſt potentia, quæ ſuis non coerceatur ærumnis; prout ipſa docet experientia; imò non eſt creatura, à qua non patiatur homo incommodum. *Dubia eſt hæc vita, cœca eſt, ærumnoſa eſt; quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aëra morbidant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci ſolvunt, triſtitia conſumunt, ſollicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit: & poſt hæc omnia mors interimit, & univerſis gaudiis finem imponit, ut cùm eſſe deſierit, nec fuiſſe putetur.* Vide eundem ſerm. 17. de verbis Domini. Innoc. III. de contemptu mundi. Thom. à Kemp. l. 1 c. 22. Bellarm. de gemitu Columbæ l. 2. c. 8.

Hug. ſup illud: Quæ eſt enim vita noſtra vapor ad modicum parens.

Vita mortalis plena eſt miſeriis.

I. Quare Deus optimus, ſapientiſſimuſque nos in hac vita tot malis & ærumnis affligit?

Simile.

R. Cauſa eſt, ut malo alteri longè perniciosiſſimo medeatur. Sicut enim medicinam amaram accipimus, aut membrum aliquod ſecari patimur, valetudinis reſtituendæ vel conſervandæ gratiâ: ita poſtquam culpâ noſtra irrepſit peccatum, quod eſt omnium malorum maximum terribiliſſimumque (utpotè quod privat hominem Deo, ſummo bono) immiſſa ſunt mala alia, & calamitates magnâ Dei providentiâ. *Primò*, ut homo ex parvo malo intelligeret quantum malum ſit ſummum malum, hoc eſt peccatum. *Secundò*, ut malum hoc magnum parvo malo pellatur, atque in poſterum vitetur: fit enim non rarò, ut qui propter peccatum affliguntur, poſteà ad ſeipſos reverſi celeriùs, viam divinorum mandatorum currant.

Cur Deus hanc mortalem vitam tot ærumnis inſperſit.

Simile.

Sicut illi qui ambulantes nonnihil offendunt, & cæſpitant, ſolent exilire. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum poſteà acceleraverunt.* *Tertiò*, ut privati hominis afflictio toti Reipublicæ proſit; vel exemplo patientiæ ut in Job & Tobia; vel meritis, ut in Martyribus. *Quartò*, ut augeatur bonis corona gloriæ, quæ tanta eſt, ut mirum ſit non plures immitti moleſtias in hoc mundo, aut aliquid boni hîc concedi iis qui ad gloriam illam parantur: ſicut è regione, tanta imminent peccatoribus mala atque ſupplicia apud inferos, ut meritò nemo illis invidere debeat ſummam hujus vitæ gloriam & delicias etiam maximas. *Quintò*, electis ſuis Dominus (inquit Greg.) ad ſe pergentibus, hujus mundi iter aſperum facit, ne quis præſentis vitæ requie, quaſi viæ amœnitate paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs venire delectet, ne dum oblectatur in via, obliviſcatur ejus quod deſiderat in patria.

Pſal. 15.

L. 22. Moral.

Ex quibus rationibus; ſive malorum & ærumnarum hujus vitæ bonis effectibus liquet non tam dicenda ejuſmodi mala quàm bona. Et verò quid aliud agit ipſe Salvator noſter Matt. 5. quando ſingulis malorum generibus ſingulas attribuit beatitudines?

Ærumnæ hujus vitæ non tam ſunt dicenda mala quam bona.

I. Cur ergò voluit Deus à ſe peti hanc à malo liberationem?

R. Ita voluit primò, ut nobis pium ſuum paternumque animum in nos dedeclararet; qui talis eſt; ut cupiat nos quietam moleſtiiſque vacuam ducere vitam in hoc mundo; atque tandem ex hac temporali quiete ad requiem æternam migrare. Secundò ne aliundè remedia, quàm à Deo aut ſecundùm Deum quæramus: non à ſagis aut dæmonibus; neque à medicis, niſi ſe placato priùs, & invocato; Dei enim ſolius eſt, depellere mala, qui ſolus infligit pœnas omnes, juxta Prophetam: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit;* malum dico, pœnæ, ut Theologi interpretantur.

Amos. 3.

 I. Ita-

menter iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Benè tibi contingit miſer; tu es ille qui dixiſti; *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo.* Ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es; & qui imitari Deum indignè voluiſti, ecce, ut dignus es, beſtias imitaris. Ad quam ejus vocem (ut ità dicam) dejectionem ſuam malignus ſpiritus erubuit, qui eandem domum ad exhibenda monſtra quæ conſueverat ulteriùs non intravit. Sicque poſtmodum Fidelium habitaculum facta eſt; quia dum eam unus veraciter Fidelis ingreſſus eſt, ab ea protinus mendax ſpiritus atque infidelis abſceſſit.

Iſa. 14.

Infirmitas corporalis interdum animæ utilis.

I. Expeditne ſemper petere, ut ab adverſa valetudine liberemur, & ſanitati reſtituamur?

R. Non; conducit enim aliquando adverſa valetudo ad animæ ſalutem. *Si infirmitas nobis ſupervenit* (ajebat Sineleticus in vita PP.) *non contriſtemur, quia ad deſtruenda deſideria corporis nobis proficit. Si amittamus oculos, non feramus graviter, quia excellentia inſtrumentum amiſimus. Si ſurdi facti ſumus, non doleamus, quia auditum vanum amiſimus.*

P. 2. de patientia.

S. Autbertus ſeptimus à S. Vedaſto Epiſcopus Cameracenſis, mirificâ quâdam viſione admonitus, ut ſacrum B. Vedaſti corpus ad locum quendam alium non longè ab urbe ſitum transferret, protinùs ad facti illius ſocietatem S. Audomarum Taruennæ Morinorum eâ tempeſtate Epiſcopum invitavit; qui licet affectâ ſenectute debilior eſſet, & cæcitate laboraret, prompto tamen alacrique animo eò properavit, & in ipſa ſacrarum tranſlatione Reliquiarum amiſſum lumen Vedaſti meritis recepit: quod tamen ille, præ lumine mentis, quo mirabiliter vigebat, parvipendens iterum amittere voluit: atque priſtinam oculorum cæcitatem à Deo impetravit.

Exempla. Alcuinus in vita S. Vedaſti, apud Sur. 6. Feb.

Cùm aliquando B. Petri Apoſtoli diſcipuli in ædibus ejus ſimul ederent, unus ex iis Titus nomine Petrum interrogavit: Cùm permulti à te curentur, cur Petronillam filiam tuam pateris ex paralyſi decumbere? Cui tum Petrus reſpondit: Sic enim ei expedit. Ne quis tamen putet me his verbis indicare voluiſſe fieri non poſſe ut ſanetur, volo ut ſurgat, & miniſtret nobis; & mox illa ſurrexit incolumis. Expleto autem miniſterio, juſſit eam Apoſtolus redire ad lectum ſuum. Poſtquam autem in Dei timorem cœpit eſſe perfecta, non modò ipſa curata eſt, ſed etiam permultis aliis, ſuis precibus, obtinuit ſanitatem.

Ex Actis Nerei & Achillei c. 9. Sur. 12. Maii.

S. Petranilla per infirmitatem corporalem in timore Dei perficitur.

I. Poſſumuſne in hac vita ab omni malo liberari?

R. Minimè, nec enim id patitur vitæ humanæ conditio aut peregrinationis hujus, pœnitentiæ, & exilii filiorum Adam ſtatus in quo verſamur.

Non poſſumus in hac vita ab omnibus malis liberari.

I. Quandonam igitur plenè & perfectè ab omni malo liberabimur?

R. In vita æterna, in qua invenietur omne bonum abſque mali alicujus admixtione. Hinc dicit S. Auguſtinus nos hic petere quod in fine nobis continget, quando *mortale hoc induerit immortalitatem, & abſorpta erit mors à victoria.*

1. Cor. 15.

Vos Filiæ meæ (ait B. Thereſia c. 42. viæ ad perfectionem) quod vobis bonum videtur, petite in oratione veſtra; ego ſanè hoc unum à Deo enixiſſimè rogo, ut me ab omni malo in ſempiternum liberet. Quid enim boni Sorores meæ, in hac vita reperire poſſumus, qui tanto bono privatæ ſumus, & ab eo abſumus? *Eripe me Domine ex hac umbra mortis. Libera me Domine Deus in poſterum ab omni malo, & me iſtuc conſtitue, ubi adeſt omne bonum.* Quid enim hic exſpectare aut ambire poſſunt ii quibus dediſti lumen, ut mundi fallaciam agnoſcant, & quibus oculos fidei largitus es, ut videant quæ Pater cœleſtis præparavit iis qui diligunt illum?

Exemplum.

Quàm vilia ſunt terrena bona iis qui in bonum æternum defixos oculos habent.

LEC-

LECTIO II.

I. Eſtne malorum ſive miſeriarum, quas filii Adam in hoc ſæculo coguntur pati, ingens multitudo?

R. Ingentiſſima planè; Non eſt in homine membrum, non eſt potentia, quæ ſuis non coerceatur ærumnis; prout ipſa docet experientia; imò non eſt creatura, à qua non patiatur homo incommodum. *Dubia eſt hæc vita, cæca eſt, ærumnoſa eſt; quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aëra morbidant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci ſolvunt, triſtitia conſumunt, ſollicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit: & poſt hæc omnia mors interimit, & univerſis gaudiis finem imponit, ut tùm eſſe deſieris, nec fuiſſe putetur.* Vide eundem ſerm. 17. de verbis Domini. Innoc. III. de contemptu mundi. Thom. à Kemp. l. 1. c. 22. Bellarm. de gemitu Columbæ l. 2. c. 8.

Hug. ſup. illud: Quæ eſt enim vita noſtra vapor ad modicum parens.

Vita mortalis plena eſt miſeriis.

I. Quare Deus optimus, ſapientiſſimuſque nos in hac vita tot malis & ærumnis affligit?

Simile.

R. Cauſa eſt, ut malo alteri longè perniciosiſſimo medeatur. Sicut enim medicinam amaram accipimus, aut membrum aliquod ſecari patimur, valetudinis reſtituendæ vel conſervandæ gratiâ: ita poſtquam culpâ noſtra irrepſit peccatum, quod eſt omnium malorum maximum terribiliſſimumque (utpotè quod privat hominem Deo, ſummo bono) immiſſa ſunt mala alia, & calamitates magnâ Dei providentiâ. *Primò*, ut homo ex parvo malo intelligeret quantum malum ſit ſummum malum, hoc eſt peccatum. *Secundò*, ut malum hoc magnum parvo malo pellatur, atque in poſterum vitetur: fit enim non raro, ut qui propter peccatum affliguntur, poſteà ad ſeipſos reverſi celeriùs, viam divinorum mandatorum currant.

Cur Deus hanc mortalem vitam tot ærumnis inſperſit.

Simile.

Sicut illi qui ambulantes nonnihil offendunt, & cæſpitant, ſolent exſilire. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum poſteà acceleraverunt.* *Tertiò*, ut privati hominis afflictio toti Reipublicæ proſit; vel exemplo patientiæ ut in Job & Tobia; vel meritis, ut in Martyribus. *Quartò*, ut augeatur bonis corona gloriæ, quæ tanta eſt, ut mirum ſit non plures immitti moleſtias in hoc mundo, aut aliquid boni hîc concedi iis qui ad gloriam illam parantur: ſicut è regione, tanta imminent peccatoribus mala atque ſupplicia apud inferos, ut meritò nemo illis invidere debeat ſummam hujus vitæ gloriam & delicias etiam maximas. *Quintò*, electis ſuis Dominus (inquit Greg.) ad ſe pergentibus, hujus mundi iter aſperum facit, ne quis præſentis vitæ requie, quaſi viæ amœnitate paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs venire delectet, ne dum oblectatur in via, obliviſcatur ejus quod deſiderat in patria.

Pſal. 15.

L. 23. Moral.

Ex quibus rationibus; ſive malorum & ærumnarum hujus vitæ bonis effectibus liquet non tam dicenda ejuſmodi mala quam bona. Et verò quid aliud agit ipſe Salvator noſter Matt. 5. quando ſingulis malorum generibus ſingulas attribuit beatitudines?

Ærumnæ hujus vitæ non tam ſunt dicendæ mala quam bona.

I. Cur ergò voluit Deus à ſe peti hanc à malo liberationem?

R. Ita voluit primò, ut nobis pium ſuum paternumque animum in nos declararet; qui talis eſt; ut cupiat nos quietam moleſtiiſque vacuam ducere vitam in hoc mundo; atque tandem ex hac temporali quiete ad requiem æternam migrare. Secundò ne aliundè remedia, quàm à Deo aut ſecundùm Deum quæramus: non à ſagis aut dæmonibus; neque à medicis, niſi ſe placato priùs, & invocato; Deus enim ſolus eſt, depellere mala, qui ſolus infligit pœnas omnes, juxta Prophetam: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit;* malum dico, pœnæ, ut Theologi interpretantur.

Amos. 3.

Digitized by Google

I. Itanè ſentiebant Sancti?

Exemplum. R. Ita. Agnoſcens S. Job, neque dæmoni neque hoſtibus quidquam acceptum tulit, ſed demiſſo, pacatoque animo dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit,*
Job. 1. *ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

I. Quonam modo in malis affecti eſſe debemus etiamſi continuò non liberemur.

R. Si in precibus & votis non illicò liberamur à malis, debemus ea quæ premunt ferre patienter. Quare minimè nos indignari aut dolere par eſt, quod preces noſtras non audiat Deus, ſed omnia ad ejus nutum ac voluntatem referre oportet, exiſtimantes id utile, id eſſe ſalutare quod Deo placet ut ita ſit, non autem id quod ſecus nobis videatur. Et certè valdè nos clementer exaudit Deus, ſi gratiâ ſuâ id efficiat, ut omne incommodorum & calamitatum genus non ſolùm æquo, ſed etiam gaudenti animo ferre paratos nos exhibeamus. *Omnes enim* (inquit Apoſtolus) *qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* (2.Tim.3.) Item: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* (Act.14.) Rurſum: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* (Luc. 24.) Non enim æquum eſt ſervum eſſe majorem Domino ſuo, ſicuti turpe eſt è ſententia B. Bernardi, membra eſſe delicata ſub ſpinoſo capite. (*Sup. lect. prac.*) His adde non rarò Deum per corporales infirmitates animis noſtris mederi, teſte S. Job: *Viſitatio tua* (inquit) *cuſtodivit ſpiritum meum.* (Job.10.)

In vita ejus c.11. apud Sur. 23. Iulii. Exemplum.

Sancta Brigitta Regis Sueciæ filia, cùm pro Algotio Dominicano Sacræ Theologiæ Doctore, qui jam ſenex orbitate oculorum & calculi doloribus cruciabatur, Deum precaretur, reſponſum accepit: *Ille ſtella micans eſt, nec expedit ſanitate corporis obſcurari animam ejus.* Certavit & curſum conſummavit: nihil jam ſupereſt, niſi ut à me coronetur. Et hoc tibi ſignum erit; quod ab hac hora miteſcent dolores corporis ejus. Jam enim anima ejus prorſus ardet igne Divini amoris. Non diu poſt, Theologus iſte è vita deceſſit.

Amen.

I. Quid iſta vox, *Amen*, ſignificat?

R. Vox iſta Hebræa eſt, & idem eſt ac ſi dicas: hoc fiat. S. Hieronymus in *Comment. in Matthæum* vocat voculam hanc (*Amen*) ſignaculum Orationis Dominicæ. Itaque eſt vox affirmantis aut approbantis. 1. Ut omnia antè dicta, aliquo fervore Deo rurſus commendemus, hoc ſenſu: O utinam, Pater cœleſtis, iſta præſtes. 2. Ut ſi forte vitio noſtro inter orandum minùs attenti fuiſſemus, hic nos colligamus, & petitiones novâ attentione confirmemus.

I. Cur in Miſſæ Sacrificio pronuntiatis verbis illis per miniſtros; *Sed libera nos à malo*, reſpondet Sacerdos voce ſubmiſſâ, *Amen*?

R. Sacerdos ipſe reſpondet *Amen* tanquam vice Chriſti, cujus perſonam ſuſtinet, petitionibus annuens: ſed voce ſubmiſſâ; quia exoramus Deum etiam ignorantes.

I. Quare per Eccleſias Latinas retinemus vocem iſtam Hebraicam *Amen*?

R. Ob reverentiam Chriſti Domini, qui illam ſæpiùs in ore habuit. Eccleſia igitur retinendam cenſuit in proprio idiomate, ut tantò religioſiùs diceretur, quantò minùs intelligeretur.

I. Quæ eſt ſumma Orationis Dominicæ?

R. Formulam abſolutam continet non ſolùm orandi ac poſtulandi bona, verùm etiam deprecandi itidem ac fugiendi mala quælibet. Inter bona verò primum eſt illud expetendum, ut Pater cœleſtis ab omnibus ſemper, & ubique glorificetur. *Summa Orationis Dominicæ.* Deinde verò ut illius regni participes efficiamur: tum ut ea nobis media ſuppetant, quibus ad regnum Dei commodè perveniatur; ut eſt, ex parte animæ quidem noſtræ, voluntati divinæ nos conformare; ex parte verò corporis, victum habere neceſſarium.

Ad-

Digitized by Google

Adduntur ſecundo loco, quæ ad mala depellenda ritè poſtulantur; in primis quidem ut abſint peccata, bonorum omnium corruptelæ: tentationes itidem quæ nos ad peccata impellunt ac pertrahunt; ad extremum verò deprecamur calamitates ſive præſentis, ſive futuræ vitæ.

LECTIO III.

I. JAm finem impoſuiſti Dominicæ Orationis expoſitionis. Sed quia paulò fuſior & prolixior eſt, velim ut in gratiam eorum quibus brevitas placet, breviorem aliquam afferres.

R. Placet. Igitur *Pater noſter*, potiùs quàm *Deus noſter*, quia Patris nomen magis eſt idoneum ad excitandum in nobis amorem filialem & fiduciam impetrandi, & ad Deum, intuitu adoptionis per filium factæ ad miſericordiam flectendum.

Qui es in cœlis: Qui etſi ubique ſit per potentiam, eſſentiam & præſentiam, dicitur hîc tamen *eſſe in cœlis*, quia tantùm in cœlis ſeu cœlorum civibus ſe manifeſtat, & ſicuti eſt, ſeipſum exhibet. Alibi non videtur, ſed ita manet abſconditus, ac ſi illic non eſſet. Hoc additur, ut mentem ſurſum erigamus, & intelligamus verum Patrem, patriam ac hæreditatem noſtram eſſe in cœlis.

1. *Petitio.* I. Quid ſibi vult prima iſta petitio: *Sanctificetur nomen tuum?*

R. *Nomen tuum*, id eſt, quicquid nominaris, ſive quicquid es, id ſanctè ubique celebretur. Sanctificare enim phraſi hebraicâ eſt celebre facere & colere. Hæc ſanctificatio conſiſtit in tribus. *Primò*, ut Deus, ejuſque majeſtas, ſapientia, benignitas, providentia, juſtitia, miſericordia ab omnibus agnoſcantur. *Secundò*, ut Deus ab omnibus ſuprà omnia timeatur, & ametur. *Tertiò*, ut ab omnibus dignè colatur, & prædicetur.

I. Quid ſecunda Petitio?

2. *Petitio.* R. Secundâ hâc petitione, *Adveniat regnum tuum*, rogamus impleri numerum electorum, & inchoari beatum illud regnum, quo Deus ſubjectis omnibus inimicis, & compreſſis adverſariis poteſtatibus, ſolus regnabit, eritque omnia in omnibus. Hoc regnum Deo maximè deſiderare debemus, quia in eo gloria ipſius completa erit, nec aliquis eam amplius obſcurabit, aut ei reſiſtet, ſicut modò fit, quando peccatores illum contemnunt. Ibi demum perfectè ſanctificabitur nomen Dei.

I. Quid tertia?

3. *Petitio.* R. Tertia Petitio, *Fiat voluntas tua, &c.* hanc vim habet, & petimus, ut ſicut in cœlo fit omne quod Deo placitum eſt & gratum, nihil quod voluntati ejus repugnet; ita etiam fiat in terris. Itaque petimus 1. exactam (quantum humana fert conditio) mandatorum obſervationem; non quidem noſtra cauſa, ſive ut eſt bonum noſtrum, ſed ut eſt quoddam Dei bonum, quo ipſe delectatur. Unde etiam implicitè petimus auxilium Dei nobis & cæteris mortalibus ad hoc præſtandum. Deinde etiam in omnibus rebus aliis, divinum beneplacitum præponimus noſtris affectibus & commodis, ut ſi Deus nos velit eſſe pauperes, infirmos, inglorios, mori, vivere, ſi tollere uxorem, liberos, parentes, acquieſcamus in ſanctiſſima ejus voluntate, & dicamus eum Chriſto: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et cum Machabæo: *Sicut fuerit voluntas in Cœlo, ſic fiat.* Et cum Job: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

Petimus igitur (ut gravis quidam Interpres ait) non ſolùm ut voluntas Dei fiat à nobis, ſed etiam in nobis. Majoris enim momenti eſt etiam minimam voluntatem Dei impleri, quam omne bonum creaturæ, quâ eſt creatura. Hæc reſignatio ſui in divinam voluntatem eſt opus magnæ in Deum charitatis, & proinde magnæ perfectionis. Nam per eam vincit omnes ſuos affectus, & perfe- *Reſignatio ſui in divinam voluntatem.*

ctiſſimè conformat ſe divinæ voluntati.

I. Quid quarta?

4. Petitio. R. Quarta, *Panem noſtrum, &c.* petimus nobis quotidiana ſubſidia corporis, & etiam animæ, ut pleriſque explicant, præſertim panem illum cœleſtem, quo alimur in vitam æternam.

Da, tu qui das eſcam omni carni, & imples omne animal benedictione,

Nobis, & fratribus noſtris.

Hodie additur, tum ut ſignificetur cavendam ſollicitudinem in craſtinum; tum quia quotidie hæc oratio fundenda eſt, & neceſſaria à Deo petenda, cùm aſſiduè ab ipſius beneficentia pendeamus.

I. Quid agimus quinta petitione, *Dimitte nobis, &c.*

5. Petitio. R. Petimus nobis condonari delicta noſtra. Debita, quia ex delicto duplex debitum contrahitur, culpæ & pœnæ. Debitum culpæ eſt obligatio compenſandæ injuriæ per peccatum Deo illatæ. Debitum pœnæ eſt obligatio ſuſtinendi pœnam æternam vel temporalem. Utrumque petimus nobis ignoſci.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Illud (Sicut) ſignificat cauſam inductivam, ut patet ex Luc. c. 11. ubi ſic dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſi quidem & nos dimittimus omni debenti nobis.* Eſt enim conditio quædam quam Deus à nobis requirit. Undè apud Matth. immediatè poſt hanc orationem ſubdit Dominus: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* (Matt. 6.) Itaque allegamus hîc à nobis impletam conditionem: non, quod nihil aliud ad remiſſionem peccatorum obtinendam requiratur; ſed quia eſt diſpoſitio maximè congrua, ſine qua non eſt nobis venia ſperanda, & quâ poſitâ omninò ſperanda eſt, niſi aliud quid impediat, ut defectus doloris, vel propoſiti emendationis.

I. Sed quid tenemur debitoribus noſtris dimittere?

R. Non pecuniam, non famæ & honoris reſtitutionem, ſed injuriam nobis illatam, ita ut propter illam non proſequamur eos odio, nec velimus vindictam privatam, nec etiam publicam, niſi quando bonum publicum aut recta ratio aliud poſtulat.

I. Quid ſexta Petitio continet?

6. Petitio. R. Sextâ: *Et ne nos inducas in tentationem.* Petimus ne Deus permittat nos ullâ tentatione vinci, ſicque nos ſemper dirigat, ut nunquam ſuccumbamus; hoc enim eſt *induci*, ſeu ut Græcus Textus, *inferri in tentationem.* Interdum enim dicitur Deus facere, quod permittit, quia fieri, niſi ipſo annuente, & manum omnipotentiæ ſuæ laxante non poteſt.

I. Quid ſeptima & poſtrema petitio?

R. Septimâ, *Sed libera nos à malo.* Petimus liberari ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris, temporalibus & æternis, ut in hoc mundo gratam Deo ſervitutem impendamus, & ad regna cœleſtia (in quibus malum nullum, ſed abundabit omne bonum) feliciter pervenire valeamus. *Amen*, ità fiat, hæc ſunt vota noſtra.

I. Admodum etiam mihi placet hæc brevior, & quaſi compendiata Orationis Dominicæ declaratio.

R. En & tertia breviſſima.

Pater

Potens in creatione Mirabilis in gubernatione Sanctus in providentia.	rerum omnium

Noſter

JESU Chriſte per naturam,
Noſter per gratiam inchoatam,
Beatorum per gratiam conſummatam.

Qui es

Duratione æternus,
Subſtantiâ infinitus,
Bonitate ſupremus.

In cœlis.

Principium æternitatis,
Corona gloriæ incomprehenſibilis,
Theſaurus omnis fœlicitatis,

Sanctificetur.

Ride

Fide vivâ,
Spe firmâ,
Charitate perfectâ.

Nomen tuum.

Tua omnipotens Paternitas,
Filii tui increata ſapientia,
Spiritûs Sancti inenarrabilis bonitas.

Adveniat

Deſuper à Patre luminum,
In animas noſtras, ut in cœlum tollantur.

Regnum

Juſtitiæ, pacis, gaudii.

Tuum.

Non hujus mundi tranſitorii.
Non carnis hujus infirmæ.
Non dæmonis fraudulenti.

Fiat

Secundùm præcepta tua,
Secundùm conſilia tua,
Secundùm auxilia tua.

Voluntas tua

Recta in creatione,
Bona in redemptione.
Perfecta in juſtificatione.

Sicut in cœlo

Promptè, amanter, perſeveranter.

Et in terra.

Odiendo quæ tu odio habes,
Amando quæ tu amas,
Faciendo quicquid præcipis.

Panem noſtrum

Panem corpori & animæ congruentē,
Neceſſitatum corporalium,
Lachrymarum & contritionis.
Verbi Dei, & Sacramentorum Eccleſiæ.

Quotidianum

Abſque illo enim nihil ſapit.
Abſque illo languemus & deficimus.
Abſque illo morimur.

Da

Tibi enim proprium eſt donare, & miſereri ſemper.

Nobis

Servis indignis, ingratis, inutilibus,
Sed tuæ gratiæ, & miſericordiæ indigentiſſimis.

Hodiè.

In hac die belli,
In hac die miſeriæ,
In hac die tenebrarum.

Et dimitte

Tu qui es miſericordia ipſa, & peccatorum remiſſio.

Debita noſtra

Quæ ore, verbo, & opere contra divinitatem tuam contraximus.

Sicut & nos dimittimus

Si condonaverimus eis, tunc Filii tui ſumus in ratione. Parce igitur Domine filiis tuis.

Debitoribus noſtris.

Ex humana fragilitate, animi levitate, vel etiam ex malitia & injuſtitia, dimittimus nos qui gehennæ ignis æterni rei ſumus.

Et ne nos inducas

Per ſubſtractionem gratiæ tuæ.

In tentationem.

Carnis,
Mundi,
Diaboli.
} hoſtium generis humani.

Sed libera nos

Tu qui ſolus verè pius. verè miſericors, Et miſerator Dominus.

A malo.

Præterito, præſenti, & futuro.

Amen.

I. Plurimum delector omnibus iſtis Orationis Dominicæ expoſitionibus, & obſtrictiſſimus tibi æternum manebo.

R. Non poſſum me continere quin hanc etiam quartam interpretationem, exiguam quidem mole, ſed pondere gravem adjiciam. Eſt illa ſanctiſſimi Franciſci Aſſiſii Minorum Patriarchæ.

S. Franciſci expoſitio orationis Dominicæ.

Pater noſter, Creator, Redemptor, Salvator, & Conſolator noſter.

Qui es in cœlis: in Angelis, in Sanctis: illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu Domine lux es, inflammans eos ad amorem tuum divinum: quia tu Domine amor es, inhabitans & implens eos ad beatitudinem, quia tu Domine ſummum bonum es, & æternum bonum, à quo omne bonum, ſine quo nihil eſt bonum,

menter iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Benè tibi contingit miſer; tu es ille qui dixiſti; *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo.* Ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es; & qui imitari Deum indignè voluiſti, ecce, ut dignus es, beſtias imitaris. Ad quam ejus vocem (ut ità dicam) dejectionem ſuam malignus ſpiritus erubuit, qui eandem domum ad exhibenda monſtra quæ conſueverat ulteriùs non intravit. Sicque poſtmodum Fidelium habitaculum facta eſt; quia dum eam unus veraciter Fidelis ingreſſus eſt, ab ea protinus mendax ſpiritus atque infidelis abſceſſit.

Iſa. 14.

Infirmitas corporalis interdum animæ utilis.

I. Expeditne ſemper petere, ut ab adverſa valetudine liberemur, & ſanitati reſtituamur?

R. Non; conducit enim aliquando adverſa valetudo ad animæ ſalutem. *Si infirmitas nobis supervenie* (ajebat Sincleticus in vita PP.) *non conriſtemur, quia ad deſtruenda deſideria corporis nobis proficie. Si amittamus oculos, non feramus graviter, quia extollenteia inſtrumentum amiſimus. Si ſurdi facti ſumus, non doleamus, quia auditum vanum amiſimus.*

P. 2. de patientia.

Exempla, Alcuinus in vita S. Vedaſti, apud Sur. 6. Feb.

S. Autbertus ſeptimus à S. Vedaſto Epiſcopus Cameracenſis, mirificâ quâdam viſione admonitus, ut ſacrum B. Vedaſti corpus ad locum quendam alium non longè ab urbe ſitum transferret, protinùs ad facti illius ſocietatem S. Audomarum Taruennæ Morinorum eâ tempeſtate Epiſcopum invitavit; qui licet affectâ ſenectute debilior eſſet, & cæcitate laboraret, prompto tamen alacrique animo eò properavit, & in ipſa ſacrarum translatione Reliquiarum amiſſum lumen Vedaſti meritis recepit: quod tamen ille, præ lumine mentis, quo mirabiliter vigebat, parvipendens iterum amittere voluit: atque priſtinam oculorum cæcitatem à Deo impetravit.

En aliud

Cùm aliquando B. Petri Apoſtoli diſcipuli in ædibus ejus ſimul ederent, unus ex iis Titus nomine Petrum interrogavit: Cùm permulti à te curentur, cur Petronillam filiam tuam pateris ex paralyſi decumbere? Cui tum Petrus reſpondit: Sic enim ei expedit. Ne quis tamen putet me his verbis indicare voluiſſe heri non poſſe ut ſanetur, volo ut ſurgat, & miniſtret nobis; & mox illa ſurrexit incolumis. Expleto autem miniſterio, juſſit eam Apoſtolus redire ad lectum ſuum. Poſtquam autem in Dei timorem cœpit eſſe perfecta, non modò ipſa curata eſt, ſed etiam permultis aliis, ſuis precibus, obtinuit ſanitatem.

Nerei & Achillei c. 9. Sur. 18. Maii.

S. Petronilla per infirmitatem corporalem in timore Dei perficetur.

I. Poſſumuſne in hac vita ab omni malo liberari?

R. Minimè, nec enim id patitur vitæ humanæ conditio aut peregrinationis hujus, pœnitentiæ, & exilii filiorum Adam ſtatus in quo verſamur.

Non poſſumus in hac vita ab omnibus malis liberari.

I. Quandonam igitur plenè & perfectè ab omni malo liberabimur?

R. In vita æterna, in qua invenietur omne bonum abſque mali alicujus admixtione. Hinc dicit S. Auguſtinus nos hîc petere quod in fine nobis continget, quando *mortale hoc induerit immortalitatem, & abſorpta erit mors à victoria.*

1. Cor. 15.

Exemplum.

Vos Filiæ meæ (ait B. Thereſia c. 42. viæ ad perfectionem) quod vobis bonum videtur, petite in oratione veſtra; ego ſanè hoc unum à Deo enixiſſimè rogo, ut me ab omni malo in ſempiternum liberet. Quid enim boni Sorores meæ, in hac vita reperire poſſumus, qui tanto bono privatæ ſumus, & ab eo abſumus? *Eripe me Domine ex hac umbra mortis. Libera me Domine Deus in poſterum ab omni malo, & me iſtuc conſtitue, ubi adeſt omne bonum.* Quid enim hic exſpectare aut ambire poſſunt ii quibus dediſti lumen, ut mundi fallaciam agnoſcant, & quibus oculos fidei largitus es, ut videant quæ Pater cœleſtis præparavit iis qui diligunt illum?

Quàm vilia ſunt terrena bona iis qui in bonum æternum defixos oculos habent.

LEC-

Digitized by Google

LECTIO II.

I. **E**Stne malorum ſive miſeriarum, quas filii Adam in hoc ſæculo coguntur pati, ingens multitudo?

R. Ingentiſſima planè: Non eſt in homine membrum, non eſt potentia, quæ ſuis non coerceatur ærumnis; prout ipſa docet experientia; imò non eſt creatura, à qua non patiatur homo incommodum.

Hug. ſup illud: Quæ eſt enim vita noſtra vapor ad modicum parens.

Dubia eſt hæc vita, cæca eſt, ærumnoſa eſt; quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aëra morbidant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci ſolvunt, triſtitia conſumunt, ſollicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit: & poſt hæc omnia mors interimit, & univerſis gaudiis finem imponit, ut cùm eſſe deſierit, nec fuiſſe putetur. Vide eundem ſerm. 17. de verbis Domini. Innoc. III. de contemptu mundi. Thom. à Kemp. l. 1 c. 22. Bellarm. de gemitu Columbæ l. 2 c. 8.

Vita mortalis plena eſt miſeriis.

I. Quare Deus optimus, ſapientiſſimuſque nos in hac vita tot malis & ærumnis affligit?

Simile.

Cur Deus hanc mortalem vitam tot ærumnis inſperſit.

R. Cauſa eſt, ut malo alteri longè perniciosiſſimo medeatur. Sicut enim medicinam amaram accipimus, aut membrum aliquod ſecari patimur, valetudinis reſtituendæ vel conſervandæ gratiâ: ita poſtquam culpâ noſtra irrepſit peccatum, quod eſt omnium malorum maximum terribiliſſimumque (utpotè quod privat hominem Deo, ſummo bono) immiſſa ſunt mala alia, & calamitates magnâ Dei providentiâ. *Primò*, ut homo ex parvo malo intelligeret quantum malum ſit ſummum malum, hoc eſt peccatum. *Secundò*, ut malum hoc magnum parvo malo pellatur, atque in poſterum vitetur: fit enim non rarò, ut qui propter peccatum affliguntur, poſteà ad ſeipſos reverſi celeriùs, viam divinorum mandatorum currant.

Simile.

Sicut illi qui ambulantes nonnihil offendunt, & cæſpitant, ſolent exilire. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum poſteà accelleraverunt.* Pſal. 15. *Tertiò*, ut privati hominis afflictio toti Reipublicæ proſit; vel exemplo patientiæ ut in Job & Tobia; vel meritis, ut in Martyribus. *Quartò*, ut augeatur bonis corona gloriæ, quæ tanta eſt, ut mirum ſit non plures immitti moleſtias in hoc mundo, aut aliquid boni hîc concedi iis qui ad gloriam illam parantur: ſicut è regione, tanta imminent peccatoribus mala atque ſupplicia apud inferos, ut meritò nemo illis invidere debeat ſummam hujus vitæ gloriam & delicias etiam maximas. *Quintò*, electis ſuis Dominus (inquit Greg.) ad ſe pergentibus, hujus mundi iter aſperum facit, ne quis præſentis vitæ requie, quaſi viæ amœnitate paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs venire delectet, ne dum oblectatur in via, obliviſcatur ejus quod deſiderat in patria. L. 23. Moral.

Ærumnæ hujus vitæ non tam ſunt dicenda mala quam bona.

Ex quibus rationibus; ſive malorum & ærumnarum hujus vitæ bonis effectibus liquet non tam dicenda ejuſmodi mala quam bona. Et verò quid aliud agit ipſe Salvator noſter Matt. 5. quando ſingulis malorum generibus ſingulas attribuit beatitudines?

I. Cur ergò voluit Deus à ſe peti hanc à malo liberationem?

R. Ita voluit primò, ut nobis pium ſuum paternumque animum in nos declararet; qui talis eſt; ut cupiat nos quietam moleſtiiſque vacuam ducere vitam in hoc mundo; atque tandem ex hac temporali quiete ad requiem æternam migrare. Secundò ne aliundè remedia, quàm à Deo aut ſecundùm Deum quæramus: non à ſagis aut dæmonibus; neque à medicis, niſi ſe placato priùs, & invocato; Dei enim ſolius eſt, depellere mala, qui ſolus infligit pœnas omnes, juxta Prophetam: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit;* Amos. 3. malum dico, pœnæ, ut Theologi interpretantur.

I. Ita-

I. Itanè ſentiebant Sancti?

Exemplum. R. Ita. Agnoſcens S. Job, neque dæmoni neque hoſtibus quidquam acceptum tulit, ſed demiſſo, pacatoque animo dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit,* Job. 1. *ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen* Domini *benedictum.*

I. Quonam modo in malis affecti eſſe debemus etiamſi continuò non liberemur.

R. Si in precibus & votis non illicò liberamur à malis, debemus ea quæ premunt ferre patienter. Quare minimè nos indignari aut dolere par eſt, quod preces noſtras non audiat Deus, ſed omnia ad ejus nutum ac voluntatem referre oportet, exiſtimantes id utile, id eſſe ſalutare quod Deo placet ut ita ſit, non autem id quod ſecus nobis videatur. Et certè valdè nos clementer exaudit Deus, ſi gratiâ ſuâ id efficiat, ut omne incommodorum & calamitatum genus non ſolùm æquo, ſed etiam gaudenti animo ferre paratos nos exhibeamus. *Omnes enim* (inquit Apoſtolus) *qui piè vo-* 1. Tim. 3. *lunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem* Act. 14. *patientur.* Item: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlo-* Luc. 24. *rum.* Rurſum: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Non enim æquum eſt ſervum eſſe majorem Domino ſuo, ſicuti turpe eſt è ſententia B. Bernardi, membra eſſe delicata *Sup. lect. prec.* ſub ſpinoſo capite. His adde non rarò Deum per corporales infirmitates animis noſtris mederi, teſte S. Job: *Viſi-* Job. 10. *tatio tua* (inquit) *cuſtodivit ſpiritum meum.*

In vita ejus c. 11. apud Sur. 23. Iulii. Exemplum. Sancta Brigitta Regis Sueciæ filia, cùm pro Algotio Dominicano Sacræ Theologiæ Doctore, qui jam ſenex orbitate oculorum & calculi doloribus cruciabatur, Deum precaretur, reſponſum accepit: *Ille ſtella micans eſt, nec expedit ſanitate corporis obſcurari animam ejus.* Certavit & curſum conſummavit: nihil jam ſupereſt, niſi ut à me coronetur. Et hoc tibi ſignum erit; quod ab hac hora miteſcent dolores corporis ejus. Jam enim anima ejus prorſus ardet igne Divini amoris. Non diu poſt, Theologus iſte è vita deceſſit.

Amen.

I. Quid iſta vox, *Amen*, ſignificat?

R. Vox iſta Hebræa eſt, & idem eſt ac ſi dicas: hoc fiat. S. Hieronymus in *Comment. in Matthæum* vocat voculam hanc (*Amen*) ſignaculum Orationis Dominicæ. Itaque eſt vox affirmantis aut approbantis. 1. Ut omnia antè dicta, aliquo fervore Deo rurſus commendemus, hoc ſenſu: Utinam, Pater cœleſtis, iſta præſtes. 2. Ut ſi fortè vitio noſtro inter orandum minùs attenti fuiſſemus, hìc nos colligamus, & petitiones novâ attentione confirmemus.

I. Cur in Miſſæ Sacrificio pronuntiatis verbis illis per miniſtros; *Sed libera nos à malo*, reſpondet Sacerdos voce ſubmiſsâ, *Amen*?

R. Sacerdos ipſe reſpondet *Amen* tanquam vice Chriſti, cujus perſonam ſuſtinet, petitionibus annuens: ſed voce ſubmiſsâ; quia exoramus Deum etiam ignorantes.

I. Quare per Eccleſias Latinas retinemus vocem iſtam Hebraicam *Amen*?

R. Ob reverentiam Chriſti Domini, qui illam ſæpiùs in ore habuit. Eccleſia igitur retinendam cenſuit in proprio idiomate, ut tantò religioſiùs diceretur, quantò minùs intelligeretur.

I. Quæ eſt ſumma Orationis Dominicæ?

R. Formulam abſolutam continet non ſolùm orandi ac poſtulandi bona, verùm etiam deprecandi itidem ac fugiendi mala quælibet. Inter bona verò primum eſt illud expetendum, ut Pater cœleſtis ab omnibus ſemper, & ubique glorificetur. *Summa* Deinde verò ut illius regni participes ef- *Orationis* ficiamur: tum ut ea nobis media ſuppe- *Dominica.* tant, quibus ad regnum Dei commodè perveniatur; ut eſt, ex parte animæ quidem noſtræ, voluntati divinæ nos conformare; ex parte verò corporis, victum habere neceſſarium. Ad-

Digitized by Google

Adduntur ſecundo loco, quæ ad mala depellenda ritè poſtulantur; in primis quidem ut abſint peccata, bonorum omnium corruptelæ: tentationes itidem quæ nos ad peccata impellunt ac pertrahunt; ad extremum verò deprecamur calamitates ſive præſentis, ſive futuræ vitæ.

LECTIO III.

I. JAm finem impoſuiſti Dominicæ Orationis expoſitionis. Sed quia paulò fuſior & prolixior eſt, velim ut in gratiam eorum quibus brevitas placet, breviorem aliquam afferres.

R. Placet. Igitur *Pater noſter*, potiùs quàm *Deus noſter*, quia Patris nomen magis eſt idoneum ad excitandum in nobis amorem filialem & fiduciam impetrandi, & ad Deum, intuitu adoptionis per filium factæ ad miſericordiam flectendum.

Qui es in cœlis: Qui etſi ubique ſit per potentiam, eſſentiam & præſentiam, dicitur hîc tamen *eſſe in cœlis*, quia tantùm in cœlis ſeu cœlorum civibus ſe manifeſtat, & ſicuti eſt, ſeipſum exhibet. Alibi non videtur, ſed ita manet abſconditus, ac ſi illic non eſſet. Hoc additur, ut mentem ſurſum erigamus, & intelligamus verum Patrem, patriam ac hæreditatem noſtram eſſe in cœlis.

1. Petitio. I. Quid ſibi vult prima iſta petitio: *Sanctificetur nomen tuum?*

R. *Nomen tuum*, id eſt, quicquid nominaris, ſive quicquid es, id ſanctè ubique celebretur. Sanctificare enim phraſi hebraicâ eſt celebre facere & colere. Hæc ſanctificatio conſiſtit in tribus. *Primò*, ut Deus, ejuſque majeſtas, ſapientia, benignitas, providentia, juſtitia, miſericordia ab omnibus agnoſcantur. *Secundò*, ut Deus ab omnibus ſuprà omnia timeatur, & ametur. *Tertiò*, ut ab omnibus dignè colatur, & prædicetur.

I. Quid ſecunda Petitio?

2. Petitio. R. Secundâ hâc petitione, *Adveniat regnum tuum*, rogamus impleri numerum electorum, & inchoari beatum illud regnum, quo Deus ſubjectis omnibus inimicis, & compreſſis adverſariis poteſtatibus, ſolus regnabit, eritque omnia in omnibus. Hoc regnum Deo maximè deſiderare debemus, quia in eo gloria ipſius completa erit, nec aliquis eam amplius obſcurabit, aut ei reſiſtet, ſicut modò fit, quando peccatores illum contemnunt. Ibi demum perfectè ſanctificabitur nomen Dei.

I. Quid tertia?

3. Petitio. R. Tertia Petitio, *Fiat voluntas tua*, *&c.* hanc vim habet, & petimus, ut ſicut in cœlo fit omne quod Deo placitum eſt & gratum, nihil quod voluntati ejus repugnet; ita etiam fiat in terris. Itaque petimus 1. exactam (quantum humana fert conditio) mandatorum obſervationem; non quidem noſtra cauſa, ſive ut eſt bonum noſtrum, ſed ut eſt quoddam Dei bonum, quo ipſe delectatur. Unde etiam implicitè petimus auxilium Dei nobis & cæteris mortalibus ad hoc præſtandum. Deinde etiam in omnibus rebus aliis, divinum beneplacitum præponimus noſtris affectibus & commodis, ut ſi Deus nos velit eſſe pauperes, infirmos, inglorios, mori, vivere, ſi tollere uxorem, liberos, parentes, acquieſcamus in ſanctiſſima ejus voluntate, & dicamus cum Chriſto: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et cum Machabæo: *Sicut fuerit voluntas in Cœlo, ſic fiat.* Et cum Job: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

Petimus igitur (ut gravis quidam Interpres ait) non ſolùm ut voluntas Dei fiat à nobis, ſed etiam in nobis. Majoris enim momenti eſt etiam minimam voluntatem Dei impleri, quam omne bonum creaturæ, quâ eſt creatura. Hæc reſignatio ſui in divinam voluntatem eſt opus magnæ in Deum charitatis, & proinde magnæ perfectionis. Nam per eam vincit omnes ſuos affectus, & perfe- *Reſignatio ſui in divinam voluntatem.*

Fide vivâ,
Spe firmâ,
Charitate perfectâ.

Nomen tuum.

Tua omnipotens Paternitas,
Filii tui increata ſapientia,
Spiritûs Sancti inenarrabilis bonitas.

Adveniat

Deſuper à Patre luminum,
In animas noſtras, ut in cœlum tollantur.

Regnum

Juſtitiæ, pacis, gaudii.

Tuum.

Non hujus mundi tranſitorii.
Non carnis hujus infirmæ,
Non dæmonis fraudulenti.

Fiat

Secundùm præcepta tua,
Secundùm conſilia tua,
Secundum auxilia tua.

Voluntas tua

Recta in creatione,
Bona in redemptione,
Perfecta injuſtificatione.

Sicut in cœlo

Promptè, amanter, perſeveranter.

Et in terra.

Odiendo quæ tu odio habes,
Amando quæ tu amas,
Faciendo quicquid præcipis.

Panem noſtrum

Panem corpori & animæ congruentẽ,
Neceſſitatum corporalium,
Lachrymarum & contritionis.
Verbi Dei, & Sacramentorum Eccleſiæ.

Quotidianum

Abſque illo enim nihil ſapit,
Abſque illo languemus & deficimus.
Abſque illo morimur.

Da

Tibi enim proprium eſt donare, & miſereri ſemper.

Nobis

Servis indignis, ingratis, inutilibus,
Sed tuæ gratiæ, & miſericordiæ indigentiſſimis.

Hodiè.

In hac die belli,
In hac die miſeriæ,
In hac die tenebrarum.

Et dimitte

Tu qui es miſericordia ipſa, & peccatorum remiſſio.

Debita noſtra

Quæ ore, verbo, & opere contra divinitatem tuam contraximus.

Sicut & nos dimittimus

Si condonaverimus eis, tunc Filii tui ſumus in ratione. Parce igitur Domine filiis tuis.

Debitoribus noſtris.

Ex humana fragilitate, animi levitate, vel etiam ex malitia & injuſtitia, dimittimus nos qui gehennæ ignis æterni rei ſumus.

Et ne nos inducas

Per ſubſtractionem gratiæ tuæ.

In tentationem.

Carnis, }
Mundi, } hoſtium generis humani.
Diaboli. }

Sed libera nos

Tu qui ſolus verè pius, verè miſericors, Et miſerator Dominus.

A malo.

Præterito, præſenti, & futuro.

Amen.

I. Plurimum delector omnibus iſtis Orationis Dominicæ expoſitionibus, & obſtrictiſſimus tibi æternum manebo.

R. Non poſſum me continere quin hanc etiam quartam interpretationem, exiguam quidem mole, ſed pondere gravem adjiciam. Eſt illa ſanctiſſimi Franciſci Aſſiſii Minorum Patriarchæ. *S. Franciſci expoſitio orationis Dominicæ.*

Pater noſter, Creator, Redemptor, Salvator, & Conſolator noſter.

Qui es in cœlis: in Angelis, in Sanctis: illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu Domine lux es, inflammans eos ad amorem tuum divinum: quia tu Domine amor es, inhabitans & implens eos ad beatitudinem, quia tu Domine ſummum bonum es, & æternum bonum, à quo omne bonum, ſine quo nihil eſt bonum,

Sanctificetur nomen tuum: clarificetur in nobis notitia tua; ut cognoſcamus quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas majeſtatis, & profundum judiciorum.

Adveniat regnum tuum: ut tu regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum: ubi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra: Ut amemus te ex toto corde, te ſemper cogitando, ex tota anima, te ſemper deſiderando, ex tota mente, omnes intentiones noſtras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus noſtris, omnes vires, & ſenſus animæ & corporis in obſequium tui amoris, & non in aliud expendendo. Et proximos noſtros amemus, ſicut nos ipſos; omnes ad amorem tuum trahendo, de bonis aliorum ſicut de noſtris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini ullam offenſionem dando.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; dilectum filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum da nobis in memoriam & intelligentiam, & reverentiam amoris, quem ad nos habuit, & eorum quæ pro nobis fecit, dixit, & ſuſtinuit.

Et dimitte nobis debita noſtra. Per tuam miſericordiam, & ineffabilem Paſſionis dilecti Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti virtutem, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium electorum tuorum merita, & interceſſiones.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et quia non plenè dimittimus, tu Domine fac nos plenè dimittere; ut inimicos propter te veraciter diligamus, & pro eis apud te devotè intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, ſed omnibus in te prodeſſe ſtudeamus.

Et ne nos inducas in tentationem; occultam vel manifeſtam, ſubitam vel importunam.

Sed libera nos à malo; præteritito, præſenti & futuro. *Amen.*

EXPLICATIO
SALUTATIONIS ANGELICÆ.
CAPUT XI.
LECTIO PRIMA.

I. Cur poſt Orationem Dominicam ſubjungimus Angelicam Salutationem.

R. Hoc facimus ad exemplum eorum qui negotii quidpiam habent in Curia. Hi enim libello Principi porrecto ulteriorem ejus curationem commendant alicui Magnati ex aula Principi grato & familiari, qui illud Principe quandoque commendet, expeditionemque & gratiam exoret. Applicatio eſt facilis. Nos in Oratione Dominica obtulimus Deo libellum ſupplicem pro negotiis valdè arduis, uti apparuit in ejus expoſitione; modò commendamus magnæ Dei Matri cœli & terræ Reginæ ulteriorem eorum procurationem, ſcientes quòd illa ſit Mater miſericordiæ, quæ invenit gratiam apud Dominum. Quæ etiam eſt ratio cur finitis horis Canonicis non priùs receditur à Choro quàm Beatiſſimam Virginem Antiphonâ *Salve Regina*, vel aliâ, pro ratione temporis, ſalutaverimus. Nimirùm, *opus eſt mediatore ad mediatorem Chriſtum: nec alter nobis utilior, quàm Maria. Virgo Regina, ipſa eſt via per quam Salvator advenit procedens de ipſius utero tanquam ſponſus de thalamo ſuo: per te acceſſum habeamus ad Filium, ô benedicta inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater ſalutis, ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis.*

Ordo & connexio Angelicæ Salutationis poſt Orationem Dominicam.

Bern in ſer. ult. de Aſſumpt.

I. Quid eſt Salutatio Angelica?

R. Eſt honorifica quædem ſalutatio B. V. Mariæ, quam ad imitationem Archangeli

geli Gabrielis facimus commemorando præcipuas ejus laudes, ut ipſa pro nobis intercedat.

I. Quomodò recitas ſalutationem Angelicam, ſive *Ave Maria*?

R. Hoc modo: *Ave Maria gratia plena, &c.*

Salutationis Angelicæ tres partes. I. Quot ſunt partes Angelicæ Salutationis?

R. Tres. Prima eſt, ipſiſſima Salutatio Angeli Gabrielis, quando è cœlo in terras deſcendit annunciaturus Virgini Mariæ myſterium ſacroſanctæ Incarnationis Dominicæ, conſtat his verbis; *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*; & ob hanc primam partem tanquam nobiliſſimam tota hæc oratio denominatur *Salutatio Angelica.* Secunda pars continet verba S. Eliſabeth, quæ ad ipſam Dei Matrem dixit, quando ab ea viſitabatur, *Benedicta tu in mulieribus* (*ſive inter mulieres*) *& benedictus fructus ventris tui.* Tertia pars tandem eſt oratio brevis, quam ipſa Mater Eccleſia adjecit in his verbis: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.*

Luc. 1. Cur Angelus taliter ſalutavit Virg. S. Tho 2. 2 q. 30. ar. 4. in o.

I. Quis fuit Angelus ille Gabriel qui nunciavit Mariæ Incarnationis verbi myſterium?

R. Fuit unus è primis aulæ cœleſtis Principibus, adeoque unus è primariis Seraphinis uti cenſuerunt Magiſter in 2. diſt. 2. Scot. & Durant. ibid. Molina 1. p. q. 112. & alii. *Ad hoc quippe miniſterium* (ait Gregor. hom. 34. in Evang.) *ſummum* (unum è ſummis) *Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nunciabat.* B. Petrus Damiani exiſtimavit Sanctum Gabrielem fuiſſe Angelum tutelarem Virginis. Abulenſis opinatur tunc demum Gabrielem deputatum fuiſſe B. Virginis cuſtodem, quando miſſus fuit pro ea ſalutanda, & ipſa concepit in utero Filium Dei; adeò quod ex tunc cœperit habere ſecundum hunc nobiliſſimum Principem è primoribus Seraphinorum, uti modò diximus, unà cum alio etiam nobiliſſimo ex ordine tamen inferiori cœtum qui Angeli proprio vocabulo dicuntur; quem jam à Nativitate pro ſui cuſtodia nacta erat Virgo ſanctiſſima.

Orat. 1. de Nativ. B. Virg.

I. Quæ eſt vis hujus vocis *Gabriël*?

Gabriel quid ſignificat? R. Gabriël, id eſt fortis, vel fortitudo Dei, præeſtque prælis ac bellis fidelium, uti patet Dan. c. 12 n 13. Undè ipſe mittitur nunciaturus Chriſtum, qui bellum acerrimum erat geſturus contra luciferum, cæteroſque dæmones, & homines impios. Rursùm *Gabriël*, dicitur *Vir Deus*, q. d. Deus incarnabitur, eritque homo puer, quantum ad naturam ac ætatis, & corporis progreſſum; idem tamen erit vir, quia à primo conceptionis inſtanti anima ejus erit plena omni ſcientiâ, gratiâ, fortitudine, juxta illud Jerem. 31. 22. *Fœmina circumdabit virum.*

S. Eliſabeth. I. Quænam fuit S. Eliſabeth quæ alteram partem hujus orationis, *Ave Maria*, pronunciavit?

R. Fuit cognata Beatiſſimæ Virginis, Mater Præcurſoris, fœmina ſanctiſſima, & ſpiritu Prophetiæ prædita, Unde ad eam viſitandam primò venit filius Dei incarnatus, cùm adhuc caſtæ parentis retineretur utero, uti etiam præcurſor.

Hymnus Eccleſiæ.

Ventris obſcuro recubans cubili
Senſerat Regem thalamo manentem.

I. Quandoquidem iſta precatiuncula *Ave Maria*, tres habet auctores, quæ eſt ratio cur potiùs ſalutatio Angelica dicatur, quàm aliter?

R. Non dicimus propriè loquendo, quod Salutationis Angelicæ tres ſint auctores; affirmamus verò potiùs unum Spiritum Sanctum totius oratiunculæ & ſingularum ejus partium ſolum unicum eſſe auctorem ac inſtitutorem; ut verum ſit eundem S. Spiritum tribus organis uſum eſſe pro ejus pronunciatione & publicatione, uti ſuprà diximus.

Dici-

Digitized by Google

Dicitur verò potiſſimùm *Salutatio Angelica* ex ea ratione, quòd Angelus primam eamque principalem partem uti Legatus ad Virginem pronunciando ſummo myſterio pronunciaverit.

I. Hæc igitur ſalutatio eſt meo quidem judicio præſtantiſſimus orandi modus.

Salutatio Angelica eſt oratio præſtantiſſima poſt Orat. Dominic.

R. Procul dubio; ut poſt Orationem Dominicam quam Salvator noſter ore ſuo ſacroſancto pronunciavit, & Apoſtolis ſuis adeoque ipſi Eccleſiæ pro certiſſima, & convenientiſſima orandi formula tradidit, non inveniatur excellentior hâc ſalutatione; utpote quam Spiritus Sanctus (qui orare nos docet, & pro nobis poſtulat gemitibus inenarrabilibus) ipſe compoſuit, & intimorum ſervorum ſuorum ore pronunciatam voluit.

I. Eſtne Deiparæ gratum quod iſtam Salutationem Angelicam identidem frequentemus?

Deipara Virgini grata eſt Salutatio Angelica.

R. Omninò, quia tunc illam primùm audivit, cùm parens ſummi omnium rerum Domini fieret, quo quidem honore nullus alius major puræ creaturæ communicari poteſt, ut inferiùs dicemus; Cujus excellentiſſimi myſterii animos noſtros in hac ſalutatione ſubit grata, & æquè ſalutaris recordatio, ipſique Virgini haud dubiè jucundiſſima. Adde quod hæc oratiuncula magnâ arte à ſummo opifice ſit facta, & ordine pulcherrimo digeſta.

Exemplum.

I Habeſne exemplum quo probes Deiparæ Virgini ſalutationem Angelicam placere?

Bloſ. mon. ſpir. c. 3. §. 6.

R. Habeo. Sancta Gertrudis aliquando ægrotans, & lecto decumbens, cùm horas ſuas legere non poſſet, neque etiam juxta deſiderium ſuum ad honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ valeret dicere ex integro ſalutationem Angelicam, conata eſt tamen ſæpiùs iterare hæc verba: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.* Huic Virgo Deipara apparuit, induta pallio aureis floribus mirè exornato, quibus deſignabantur ſalutationes ab iſta cum labore lectæ, & in his excellentiſſimè relucebat pius affectus, quo ipſam glorioſam Virginem ſalutare deſideraverat; relucebat etiam ſacra diſcretio, quâ illa tantùm verba legerat, cùm ſentiret ſe alia legere non poſſe: relucebat item integra fiducia quâ confidebat Matrem Domini benignè ſuſcipere hoc ipſum exiguum ſervitium ſuum.

I. Eſtne pariter Deo gratum quod ad honorem Matris ſuæ recitemus ſalutationem Angelicam

R Gratiſſimum, uti ex ſubjecto exemplo patebit.

Exemplū. Cantipr. l. 2. de univerſ. c. 29. §. 9.

Erat emeritæ militiæ veteranus, qui ſæculo, etſi tardè, renuncians, Sanctum Ciſtercienſium Ordinem introivit. Quæſitus autem à Magiſtro Noviciorum, ſi ſciret Orationem Dominicam, ſcilicet *Pater noſter*, negavit ſe unquam diſcere potuiſſe; Quid plura? ſit labor inanis, ut diſcat; & cùm non poſſet, præcepit Abbas, ut ſaltem brevem illi angelicæ Salutationis articulum inculcarent. Quid, etſi multo & diuturno labore, factum eſt tamen. Cùm enim ad exhortationem Magiſtri ſui, ipſum verſiculum inter prandendum ad unamquamque buccellam forè, ne oblivioni traderet, ruminaret, ex frequenti & longo uſu, tantam in ipſa ſalutatione mentis concepit dulcedinem, ut cordi ejus, & ori ſola memoria Matris Dei, quamquam aliis occupatus indelebiliter adhæreret. Contigit ergo, ut poſt aliquanta annorum curricula, veteranus ille devotiſſimè moreretur, & inter fratres in cœmeterio ſepeliretur. Mira res, de tumulo ejus, non multò pòſt, à parte capitis arbor naſci, ignoti generis, viſa eſt, cujus folia litteris aureis inſignita, *Ave Maria gratiâ plena*, notabiliter ſingula continebant. Quod ubi notum fit Diœceſano Pontifici, ad locum venit ipſe miraculi, radicem arboris per effoſſionem dili-

Digitized by Google

diligentiſſimè ſcrutatus eſt, & eam de ore veterani illius ortum habere probavit. Nec mora, ubi divinæ oſtenſionis arbuſcula debitum officium executa eſt, in oculis omnium aruit, & defecit.

I. Eſtne magna vis, & meritum Salutationis Angelicæ?

Exemplũ. In vita ejus apud Sur. c. 17. Martii 22.

R. Planè maxima. Cùm quidam è familia B. Catharinæ Suedìæ, Virginis & Viduæ, ſomno correptus è curru decidiſſet inter equorum pedes, ſuccedentes mox rotæ adeò coſtas ejus attriverunt, ut vix anhelitum ducere videretur. In currum autem ſublevatus animum Catharinæ multo dolore affecit. Itaque ſuo more dicebat Salutationem Angelicam, & leviter hominis quaſſatum latus contrectabat. Mox adeò ille reſtitutus eſt, ut qui præ doloris acerbitate ſpirare vix poterat, eodem die lætus diſcurreret, Chriſtum laudans, & S. Catharinã, cujus meritis eſſet ſalutem tam celeriter adeptus.

Miraculoſa virtus ſalutationis Angelicæ.

I. Si Deo ejuſque Matri tantoperè placet quod ſalutatio Angelica recitetur, cur hæreticis id non ſapit?

Hæreticis non placet ſalutatio Angelica: cur?

R. Ratio ejus, quia diabolus cui famulantur hæretici odio implacabili proſequitur Virginem.

I. Quid cauſæ eſt quod diabolus tantoperè eam oderit?

R. Quia ipſa *contrivit caput ſerpentis,* juxtà id quod olim prædictum erat; & cunctas hæreſes ſola interemit in univerſo mundo.

I. Hæretici dicunt quòd Chriſtus Dominus ſolus ſit Mediator Dei & hominum, & apud Patrem Advocatus?

R. Poterat, ſi voluiſſet, ſolus ſufficere; ſed quia ſexus uterque damnationi generis humani cooperatus fuerat, æquum fuit & conveniens ut itidem ſexus uterque redemptioni noſtri ſuffragaretur. Vid. Bern. ſermone de verbis Apoc. 12. & infrà p. 3. Controv. de invocatione Sanctorum.

I. Eſtne antiquus in Eccleſia hic Virginem Deiparam ſalutandi modus?

R. Planè. Sic enim Jacobus Apoſtolus & Frater Domini in Liturgia ſive Miſſa ſua B. Virginem ſic ſalutat; *Ave Maria gratiâ plenâ, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui,* quia Salvatorem peperiſti animarum noſtrarum; Dignum eſt ut te verè beatam dicamus, Deiparam ſemper beatam, & omnibus modis irreprehenſam, & Matrem Dei noſtri, honorabiliorem quàm Cherubim, & glorioſiorem quàm Seraphim, quæ ſine corruptione Deum Verbum peperiſti. Te verè Deiparam magnificamus. Tibi ô plena gratiæ, univerſa creatura gratulatur. Angelorum cœtus & hominum genus, quæ es templum Sanctificatum, paradiſus ſpiritualis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem aſſumpſit, & puer factus eſt Deus noſter, qui eſt ante ſæcula: tuum enim uterum thronum fecit, dum ventrem latiorem & ampliorem cœlis ipſis reddidit, tibi ô gratia plena, univerſa creatura gratulatur: tibi gloria. Poſt hunc D. Joannes Chryſoſtomus eandem ſalutando, ſic honoravit. Ut verè dignum & juſtum eſt, glorificare te Deiparam & ſempee Beatiſſimam & penitùs incontaminatam Matrem Dei noſtri, honoratiorem Cherubim & glorioſiorem incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperiſti: verè Deiparam magnificamus: *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui,* Quoniam Salvatorem animarum noſtrarum peperiſti.

Antiquiſſimus in Eccleſia mos ſalutandi Virginem per Ave Maria apud Caniſ. l. 5. c. 13.

In Liturgia.

Eandem quoque ſic ſalutat B. Athanaſius. Quandoquidem ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, idemque Dominus & Deus: Eapropter, & Mater quæ eum genuit, & Regina & Domina & Deipara propriè & verè cenſetur, &c. Paulò poſt: Dicimus eam igitur iterum,

In Evang. de S. Deipar. apud Caniſ. l. 5. c. 10.

atque iterum, & ſemper, & undequaque Beatiſſimam. Ad te clamamus, recordare noſtri, Sanctiſſima Virgo, quæ etiam à partu Virgo permanſiſti. *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum*: Beatam te prædicant omnium Angelorum & terreſtrium Hierarchiæ. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Intercede Hera & Domina, & Regina, & *Mater Dei ora pro nobis.* Vide 1. lect. 5. quæſtiunc. 2.

I. Cur in hunc modum Virginem ſalutamus; *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum? &c.*

R. Ut affectum erga Virginem Deiparam noſtrum comprobemus; Ut ejuſdem Virginis animum grata & jucunda Angelicæ Salutationis, & Dominicæ Incarnationis memoria deliniamus; ac tandem ut ejuſdem gratioſæ Virginis favorem, æquè apud Deum interceſſionem nobis conciliemus.

LECTIO II.

I. Dic in ſumma quid continet Angelica Salutatio?

Compendium Salutationis Angelicæ.

R. Poſt prima ſalutationis verba, *Ave Maria*, tres eximiæ Virginis laudes ſequuntur, quarum prima (*gratiâ plena*) quomodo in ſeipſa affecta ſit, ſignificatur; nempe gratia Dei omnibus virtutum ornamentis, divinâ quadam pulchritudine inſignis, Deo cœlitibuſque omnibus mirificè accepta. Secunda, (*Dominus tecum*) quomodo cum Deo ſe habeat, cujus ſit Mater, à quo nunquam deſeratur, qui in ipſa multò clarius & expreſſius, quàm in qualibet alia creatura reluceat. Tertia (*Benedicta tu in mulieribus*) quomodo erga creaturas, quarum eſt Domina, Regina orbis, Patrona noſtra. Adjungitur deinde laus Chriſti, & gratiarum actio (*Benedictus fructus ventris tui*) qui talem Matrem delegerit, atque inter ſe & genus humanum, Mediatricem conſtituerit. Demum Eccleſia ut ſalutatio in orationem deſineret, & Virgo Mater tanti in ſe à Deo collati propter nos beneficii memor, cauſam noſtram apud Filium chariſſimum ſtrenuè ageret, his verbis Salutationem terminavit: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.* Ut & in hac vita noſtra continenter nobis adſit, noſtraque ſtudia & actiones gubernet, & animas noſtras à morte in fidem ſuam acceptas, ſalvas & incolumes in cœlo ponat.

I. Quandonam primò ſalutavit Virginem S. Gabriel?

R. Die 25. Martii incidente in feriam 6. quando venit è cœlo Legatus ad Dei Matrem mox futuram, nuncians ei ſacroſanctæ Incarnationis myſterium anno mundi quinquies milleſimo, centeſimo, nonageſimo nono.

Martyrol. Roman.

I. Cur tali die?

R. Ut dies & hora damnationis noſtræ, quando Adam primus parens pomum vetitum comedit, lapſus eſt, nec non dies & hora redemptionis in Incarnatione inchoatæ, & in Paſſione Dominica conſummatæ ſibi mutuò correſpondeant.

25. Martii lapſū eſt genus humanum.

I. Fuitne hoc conveniens, ut redemptio noſtra initium ſumeret à colloquio Angeli cum Virgine?

25. Martii reparari cœptum.

R. Ita: nam ſicut Eva draconis antiqui falſis promiſſionibus credendo genus humanum perdidit: ita B. Virgo veris Angeli ſancti promiſſionibus credendo, facta eſt Mater Salvatoris. *Aug. l. 1. de pec. merit. c. 28. vid. Iren. l. 5. adverſ. hæreſ. c. 31 & 33 S. Bernard. ſerm 20. ſuper Miſſus. S. Hieron. in c. 8. Dan. Chryſolog. 142.*

I. Cuinam loquebatur Angelus, cùm diceret; *Ave gratiâ plena, Dominus tecum?*

R. Virgini Mariæ.

I. Quænam eſt Virgo Maria?

R. Ipſa eſt Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti.

I. Quando Angelus ſalutavit Beatam Virginem, dixitne: *Ave Maria gratiâ plena,*

Digitized by Google

na, *&c.* proprio nomine Virginem compellando?

R. Minimè, dicebat enim: *Ave gratiâ plena.*

I. Cur ita; & quare nomen ejus non pronuntiabat?

Cur Archangelus Gabriel Virginem proprio nomine non compellarit.

R. *Primò* nomen eorum qui in aliqua qualitate excellunt, ſatis intelligitur editâ ejuſmodi qualitate vel excellentiâ, v. g. Si dixero abſolutè, Poëta, intelligor loqui de Virgilio; Si Sapiens, de Salomone; Si Orator Romanus, de Cicerone: Ita quando Angelus dixit: *Gratiâ plena*, non potuit intelligi de alia quàm de Virgine Deipara loqui, quæ ſola plenè & per excellentiam ſuper alios juſtos & Sanctos à Deo hâc gratiâ donata eſt, ut Virgo & Mater Dei, digniſſima exiſteret. *Secundò*, perſonas in dignitate conſtitutas non ſolemus proprio nomine compellare, ſed potius nomine dignitatis, ſic dicimus: Sereniſſime Princeps, Excellentiſſime Dux, Reverendiſſime Domine, &c. non verò Alberte, Philippe, Joannes, &c. Quis autem neſcit prærogativam illam Virginis Mariæ, ut dicatur *gratiâ plena*, eſſe omni ex parte incomparabilem?

Tertiò, agebat cum Virgine Angelus quemadmodum ſolet cum cœlitibus agi, quorum non eſt aliquod nomen proprium, quod adinventum eſt tantum ad juvandam imbecillitatem intellectus noſtri, qui aliter neſcit diſtinguere res ſingulas aut perſonas. Si fortè aliqui Angelorum, ut Michaël, Gabriël, Raphaël, &c. ſortiti ſunt nomina, illa hic in terris ex aliqua demandata ſibi commiſſione obtinuerunt.

I. Quis igitur hoc nomen (Maria) Salutationi Angelicæ inſeruit?

R. Sancta Mater Eccleſia, uti infrà etiam ſacroſanctum nomen JESUS addidit.

LECTIO III.

Expoſitio Salutationis Angelicæ.

I. SAlutationem Angelicam, ſi placet, deinceps mihi explica, ſingula ejus verba exponendo: Quid *Ave* ſignificat?

AVE.

R. Hæc vox *Ave* tantumdem valet ac ſi dicas: Salve, gaude, lætare, vive felix & beata in Dei gratiâ, & gloriâ ſummâ, ad quam Deus te elegit; ut alludat ad nomen Evæ, quæ Hebraicè dicitur Channa, id eſt vitalis & vivificans, ſive Mater omnium viventium. Gen. 3. q. d. Eva non fuit Channa, id eſt Mater vitæ, ſed mortis, quia omnes ſuos filios per peccatum morti addixit: Tu verò, o Maria, verè es Eva, ſive Channa, quia Mater vitæ, gratiæ & gloriæ. Hinc appoſitè Latinum Ave, eſt inverſum Eva, quia Maria Evæ maledictiones Gen. 3. in benedictiones convertit. Unde ei accinit Eccleſia:

Hymnus Eccleſiæ.

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace
Mutans nomen Evæ.

Eſt igitur hæc vox (Ave) non tantum ſalutationis, ſed & congratulationis, & bonæ apprecationis: q. d. bene tecum agitur, congratulor & applaudo tibi, ô Virgo ſanctiſſima, quòd modò conceptura ſis in utero Filium Dei; proficiat, quod felix ſit & fauſtum, exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo.

MARIA

I. Quid ſibi vult vox iſta, *Maria*?

R. Eſt proprium nomen filiæ SS. Joachim & Annæ, deſponſatæ Joſeph, Dei Matris deſignatæ, intemeratæ ſemper Virginis.

Vox Maria quid ſignificet.

Hoc vocabulum (Maria) in ſua ſignificatione declarat Virginis dignitatem; Maria enim, quaſi *mara jam*, id eſt Magiſtra, vel Domina maris. Sic appellata fuit ſoror Moyſis tranſito mari rubro, & merſo Pharaone cum curribus & e-

Digitized by Google

quitibus ejus in mari rubro. Porrò hæc Maria typus fuit (ait S. Ambroſ. exhort. ad Virgines) B. Virginis, quæ dicta eſt Maria, id eſt Magiſtra & Domina maris hujus ſæculi; ut per illud nos ſalvos ducat in terram promiſſam, id eſt in cœlum. Unde Rabbi Haccados apud Galatin. l. 7. c. 11. Meſſiæ Matrem Dominam nuncupandam prædixit: *Et Mariam* idem eſſe quod *Dominam*, docet Philo. S. Hieron. Epiph. & alii: Imò Liturgiæ veterum, Chriſtiani omnes omni linguâ B. Virginem, quaſi proprio nomine, *Dominam noſtram* vocant, & compellant. Et reverà Domina eſt omnium creaturarum, quæ Mater effecta eſt Creatoris omnium. Pet. Chryſ. ſer. 142. Beda ſup. c. 1. S. Luc. Damaſc. l. 4. c. 15. Bern. ſup. Salve Regina. Hinc Eccleſia in Hymno: *O glorioſa Domina, excelſa ſuper ſidera.* Et ideò luna ſub pedibus ejus, quia creaturæ omnes Mariæ ſubjectæ.

S. Hieronymus verò in nominibus Hebr. in Exodo: Maria, ait, idem eſt, *Bern. ſer. 2 ſup. Miſſus.* quod illuminatrix mea, vel illuminans eos, vel ſtella maris, quia ſine corruptione radium emiſit, cujus ſplendor univerſum orbem illuminat, hominum mentes calefacit, vitia excoquit, & ſuper hoc mare procelloſum elevata micat meritis, illuſtrat exemplis. Unde canit Eccleſia.

Ave maris ſtella,
Dei Mater alma, &c.

Porrò, *mare amaritudinis fuit*, quemadmodum etiam aliqui Mariæ nomen interpretantur, quia ex ea carnis mortalitatem Chriſtus ſumpſit; *& animam ejus* *Luc. 2.* paſſionis Filii mœror, tamquam *gladius pertranſiit.*

I. Eſtne præcipuè honorandum hoc ſanctum nomen *Mariæ?*

R. Ita, quia, uti diximus, proprium eſt nomen Matris Dei. De nomine *Maria* eſt illud doctiſſimi Idiotæ: *T. 3. Biblioth. SS. Patrum.* *Dedit tibi Maria tota Trinitas nomen, quod poſt nomen Filii tui eſt ſuper omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Hoc nomen ſuper omnia Sanctorum nomina, reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, ungit agoniſtas, jugum diaboli extradit.*

I. Quâ ratione revereberis honorabiſque ſanctum *Mariæ* Nomen?

R. *Primò* quidem non aſſumam leviter in os proprium Mariæ nomen, ſed ejus loco pronunciabo potius appellativa nomina, ut *Mater Dei, Domina noſtra, glorioſa Virgo*, & ejuſmodi. Sic egit S. Angelus Gabriel, quando ſalutans Virginem dicebat: *Ave gratiâ plena. Secundò* nomini Mariæ honorem deferam, genu flectendo, caput aperiendo, aut aliquod reverentiæ ſignum edendo ad ejus pronunciationem. *Quâ ratione ſanctiſſimo Mariæ nomini honos deferendus.*

S. Gerardus Martyr Epiſcopus Canadienſis in Pannonia, laudibus & veneratione Sanctiſſimæ Virginis, tantæ humilitatis obſequio ſe ſubdere noverat, ut ſi *Sur. in vit. 24. Sept.* quis reus clam à S. Viri familiaribus edoctus veniam ab ipſo peteret per nomen Matris Chriſti, mox audito nomine Ma- *Exemplū.* riæ miſericordiæ, Pater ſanctus lacrymis perfunderetur, & perinde ac ſi ipſe reus eſſet, à reo veniam peteret, Filium quoque ſuum illum fore affirmaret, ſi eam ſincerè Dei crederet Genitricem. Ipſo auctore, ab Hungarica gente non pronunciatur nomen ipſius Matris Dei, ſed Dominam eam vocant. Si ſit autem pronunciatum illius nomen, ſtatim flexis genibus & demiſſis in terram capitibus, ſeſe inclinant. Atque adeò Pannonia à S. Stephano Rege ſuo, Familia S. Mariæ appellata eſt.

Tertiò, nomini Beatiſſimæ Virginis *Infrà lect. ſeq.* honorem & reverentiam deferam cùm illud ſcribam, pingam, ſculpam quàm potero elegantiſſimè, idque cum interiori & exteriori ſubmiſſione religioſi cultus. Caniſ. l. 1. de B. V. c. 3. Exempla *Exempla.* nobis præbuerunt SS. Angeli, qui frequenter Mariæ nomen pinxerunt, inſignieruntque caracteribus aureis, argen-

Digitized by Google

argenteis variiſque coloribus. Vid. ſup. lect. 1. hujus capitis.

Quartò, aliqui B. Virginis devoti ſervi nomen ejuſdem SS. Virginis colunt recitatis quinque Pſalmis, quorum initiales ſimul junctæ perficiunt hoc ſacroſanctum nomen *Maria*. Illi ſunt *Magnificat, Ad Dominum, Retribue, In convertendo. Ad te levavi.*

Vincent. in ſpec. l. 7. c. 116.

Quidam Ven. Archiep. Cantuarienſis, Theobaldus nomine, revertens olim à Curia Romana, in Abbatia S. Benedicti, quæ eſt apud S. Audomarum, hoſpitatus eſt, & die ſequenti ductus in Capitulum, ſermonem ædificationis cum Fratribus habuit. Finito autem ſermone, indicavit eis; quod cùm eſſet apud Beneventum, audiſſet à quodam viro religioſo, qui de partibus Hieroſolymitanis oriundus erat, quòd in illa terra quinque Pſalmos incipientes à ſingulis litteris nominis B. ſemper Virginis Mariæ in honorem & memoriam ipſius frequentare conſueverat. Hi ergo ſunt Pſalmi: *Magnificat, Ad Dominum, Retribue, In convertendo, Ad te levavi*, & ſingulis Pſalmis Salutationem Angelicam, ſcilicet *Ave Maria* præmittebat. Erat autem in Conventu S. Bertini Monachus quidam Joſcio nomine, qui hæc vigilanter audivit, & quotidie poſt Matutinum præ dictos Pſalmos in honorem B. M. V. decantare cœpit. Accidit autem ut quâdam nocte circa feſtum S. Andreæ Apoſt. ſurgentibu FF. ad vigilias, ille F. Joſcio choro Pſallentium non intereſſet; Superior verò chorum circumiens cum lucerna, ubi eum non invenit, ad lectum ejus citiùs perrexit, & defunctum reperit. Convocati itaque fratres accurrunt ſtupentes & lugentes, vultumque diſcooperientes, invenerunt quinque flores roſarum in vultu ipſius. Unus egrediebatur ex ore & lingua ejus; duo de oculis, & duo de auribus: lætantes autem pro tali miraculo, detulerunt eum in chorum & facie diſcoopertâ eum recentibus roſis diligentiùs intuentes, in roſâ quæ de ore egrediebatur, invenerunt ſcriptum *Maria*. Tenuerunt igitur illum per ſeptem dies, donec tres Epiſcopi convenirent, quorum unus fuit Atrebatenſis Epiſcopus, qui fuerat Abbas Ciſtercienſis, & multi alii clerici & laici qui viderunt magnalia Dei. Id verò accidit circa annum Domini 1162. circa finem regiminis Leonis Abbatis & Theodorici Comitis.

Exemplū.

I. Rectène eum illis agitur qui ſanctum *Maria* nomen debito proſequuntur honore?

Rectè cum illis agitur qui Mariæ nomē debite honorant.

R. Ita; Illis enim confert Deus omnimodum gratiarum, & beneficiorum ſpiritualium æquè ac corporalium genus.

Quemadmodum continua reſpiratio non ſolòm eſt ſignum vitæ, ſed etiam cauſa; ſic Sanctiſſimum *Maria* nomen, quod in Dei ſervorum ore aſſiduè verſatur, ſimul argumentum eſt, quod verâ vitâ vivant; ſimul etiam hanc vitam ipſam efficit, & conſervat, omnemque eis lætitiam & opem ad omnia impertitur.

Germanus Epiſcopus Conſtantinop in orat. de Deipara Virgine.

LECTIO IV.

Gratiâ plena.

I. QUid eſt hoc, *Gratiâ plena*.

R. Eſt prima eaque eximia laus quam B. Virgini Mariæ tribuimus, dicimuſque quod ſit *gratiâ plena*, ex eo quòd nullam unquam contraxerit peccati maculam, ſive originalis, ſive actualis, mortalis, aut venialis. vid. Concil. Trid. ſſ. 6. can. 23. & ſſ. decret. de peccato origin. §. ultimo. S. Aug. l. de nat. & grat. c. 36.

S. Tho. 3. p. q. 27. a. 4. o.

Secundò, habuit Beatiſſima Virgo virtutes omnes, donaque Spiritûs Sancti in excellentiſſimo gradu. *Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium diſciplina ſit.*

Amb. l. 2. de Virg.

Tertiò, taliter ex illis operata eſt continuò & inceſſanter, ut quoad animam ac

Digitized by Google

corpus fuerit digna omnes choros Angelorum tranſcendere.

Gratia plena: Græcè κεχαριτωμένη, id eſt gratioſa, unicè Deo grata & chara, Deum habens faventem ac propitium.

Ser. 3. inter parvos.

Benè plena (inquit Bern.) *quia Deo & Angelis & hominibus grata, hominibus propter fœcunditatem; Angelis propter Virginitatem; Deo propter humilitatem.*

I. Eſtne igitur fatendum Dominam noſtram majorem gratiam reliquis Sanctis, etiam illis qui pleni gratiâ fuiſſe dicuntur, habuiſſe?

Simile.

R. Ita omninò fatendum eſt. Tametſi enim de aliis quibuſdam Sanctis dicitur quod pleni gratiâ fuerint, nihilominùs ampliorem Beatiſſima Virgo gratiam omnibus illis habuit, quia ſic à Deo, ut majoris gratiæ capacior redderetur, quam reliqui ſancti, facta eſt. Exemplo res fiet clarior: Sint multa vaſa, unum altero majus ac capacius, quæ ſi impleantur balſamo, omnia plena erunt, & nihilominùs in uno plus erit, in altero minus balſami. Ita ſentiendum eſt de Maria Virgine, Domina noſtra, quod eam præ cæteris omnibus ſanctis capaciorem fecerit Deus plenitudinis gratiæ, quia in Matrem dilecti ſui filii Domini noſtri elegerat. Vid. S. Tho. 3. p. q. 7. a. 10 ad 1. & q. 27. a. 4, S, Leo. ſerm. 10. de Nativ. S, Bern. ſer. 9. ex parvis. *Benè ſola gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, ut gratiæ repleretur auctore*, inquit Amb. l. 1. in Luc. c. 2 & S. Hier: *Benè*, inquit *plena, quia cæteris per partes præſtatur, Mariæ verò ſe tota infundit plenitudo gratiæ.*

Vide 1. p. c. 3. lect. 1. ultra medium.

I. Eſtne igitur eadem plenitudo gratiæ quæ Beatiſſimæ Virgini Deiparæ attribuitur, cum ea quæ Chriſto Domino convenit qui eſt *verbum plenum gratiæ & veritatis*?

Plenitudo gratiæ in B. Virg. quæ fuerit?

R. Minimè: differunt enim plurimum; nam plenitudo Chriſti Domini eſt velut in fonte undequaque ita ſuperefluens, ut de ejus plenitudine omnes accipiamus, etiam ipſa SS. Virgo; plenitudo autem Virginis eſt ſufficiens, congrua, & commenſurata ſive proportionata dignitati maternitatis Dei, ad quam aſſumpta fuerat. Adeò quòd nulli puræ creaturæ unquam tanta plenitudo gratiæ collata fuerit, quanta Dei Matri, nulla enim tanta ſublimitas aut excellentia alicujus ſtatûs ulli ſanctorum communicata eſt, quanta Beatiſſimæ Mariæ Virgini, ut eſſet Mater unigeniti Filii Dei; ſecundùm quod Angelus ad eam dicit? *Inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies, &c.*

S. Th. 3. p. q. 7. ar. 10. ad 1. & q. 27. ar. 5. ad 1.

I. Quibus potiſſimum virtutibus ornata fuit Beatiſſima Virgo?

Quàm ſancta fuerit Beatiſſima V. Maria. Ser. S. Ioan. Chryſ. apud Metap.

R. Omnibus omninò virtutibus in excellentiſſimo gradu, uti ſuprà habitum eſt. *Quidnam illa ſanctius? Non Prophetæ, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud inter creatas res viſibiles aut inviſibiles, majus aut excellentius inveniri poteſt.*

Pluri-mùm colenda eſt Beatiſſima Virgo.

I. Ex his colligo plurimùm colendam Beatiſſimam Virginem Mariam hoc præſertim nomine quod gratiâ, & virtutibus ſit plena?

R. Rectè. Et quis de eo dubitet, niſi hæretici homines qui irreconciliabile bellum contra Deiparam Virginem æquè ac contra virtutem, conclamarunt? Si enim S. Paulum jure merito colimus ob eminentem, quâ excelluit charitatem; Si S. Franciſcum ob humilitatem; & cæteros Dei amicos ob ſingularem aliquam virtutem quæ in ipſis enituit; quis non in animum inducat ſuum Beatiſſimam Virginem Mariam longè ampliori cultu præ cæteris omnibus dignam eſſe, quæ omnes omnium Sanctorum virtutes, gratias, merita, perfectiones, & prærogativas in tam eminenti gradu obtinuit, ut cœlum & terram in ſui admirationem ineffabiliter rapiat? *Mons ſublimis Maria* (inquit Gregor.) *quæ ut ad concep-*

In comment.

Digitized by Google

ſup. lib. Reg. in init.

conceptionem æterni verbi pertingeret, meritorum verticem ſuprà Angelorum Choros uſque ad ſolium Deitatis erexit. Hujus enim montis præexcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans ait: *Eterit in noviſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles.* Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſuper omnes ſanctos refulſit.

I. Unde illi tantæ plenitudinis magnitudinem attribuis?

R. Ex eo quòd ad eum ſanctitatis gradum aſcenderit, ut digna eſſet quæ Filium Dei conciperet, & Mater efficeretur ejus qui conſubſtantialis eſt æterno Patri. Igitur hujus plenitudinis magnitudo ex ipſa dignitate cognoſci poteſt. Eſſe enim Dei Matrem, omnem ſuperat dignitatem, & excellentiam puræ creaturæ. Poſt illud enim quod ſupra omnia creata eſt, nempè eſſe hominem Deum, proximum eſt virginem eſſe Matrem Dei. Hanc dignitatis plenitudinem confitetur ipſa in Cantico dicens: *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Ubi per *magna*, intelligenda eſt omnis gratiæ plenitudo de qua proximè, & notanda ſunt verba ſequentia: *Qui potens eſt*, q.d. qui potens in me operatus eſt magna ſecundùm omnipotentiæ ſuæ totam menſuram, & latitudinem, ut nihil omnipotentia Dei majus in pura creatura, nihil ſublimius operari potuiſſet.

V. Tolet. in c. 1. Luc. annot. 66. & 67.

Hinc quærit S. Thom. 1. p. q. 25. a 6. Utrum poſſit Deus meliora facere ea quæ fecit? ac reſpondet: poteſt Deus quavis re à ſe facta meliorem ſimpliciter facere: Excipit tamen tria in reſponſione ad 4. ſcilicet *Incarnationem Chriſti, maternitatem Deiparæ, & beatitudinem hominis.* Non enim poteſt Deus meliorem hominem facere quàm ſit Deus homo, nec Matrem meliorem quàm ſit Mater Dei; nec beatitudinem meliorem quàm ſit viſio & poſſeſſio Dei. Nam humanitas Chriſti, inquit, ex hoc quod eſt unita Deo; & beatitudo creata ex hoc quod eſt Mater Dei; habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo. Qui ergò Deum omnipotentem rerum omnium conditorem miratur & adorat, nobiliſſimum ejus opus intemeratam, inquam, Virginem Deiparam ſuſpiciat, & veneretur: dicatque cum Eccleſia: *Omnipotens ſempiterne Deus qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante, præparaſti, &c.*

Non potuit Deus Matrem meliorem imo creaturam facere quàm ſit Dei Mater.

Oratio Eccleſiæ.

I. Conſequenter ergo dicendum eſſet, quod Beatiſſima Virgo unica Deo gratior, & acceptior ſit, quàm cæteri omnes Sancti; quodque plus Deo placeat, ut eam colamus, & veneremur, quàm reliquos omnes Sanctos?

Plus Deo places ut unam B. Virginem quàm cæteros omnes ſanctos colamus.

R. Planè ita eſt. Deus enim plus amat B. Virginem quàm totam Eccleſiam, id eſt, quàm omnes homines, & Angelos ſimul ſumptos. Vide Suar. 3. p diſp. 18. ſec. 4. Vide S. Brigittæ Revel. l. 4. c. 108. Hoc etiam agnoſcit Eccleſia in tot Feſtivitatibus B. Virginis, templis, aris, oratoriis ipſi dicatis, & multis plerumque miraculis corruſcantibus, magniſque populorum concurſibus frequentatis, in Sodalitiis, in ſalutationibus veſpertinis ubique terrarum Virgini perſolvi ſolitis; In ordinibus religioſis ejus patrocinio ſingulariter commendatis; Denique in tot ſuffragiis, & precibus publicis, & privatis Miſſarum, Litaniarum, orationis, ad Ave Maria bis terve in die ad campanæ ſonitum, lectione horarum canonicarum, recitatione Roſarii, &c. Exemplum nobis jam olim præbuerunt Majores, & Comprovinciales noſtri Namurcenſes, qui à prima ad Chriſti fidem converſione tria templa, Walcurienſe, Halſterienſe, Namurcenſe (quod eſt inſignis Collegiata Eccleſia

S. Tho. 3. p. q. 25. a. in c. 5. & ad 1.

Monetus in ſacrario Namurcenſi.

cleſia in ipſa civitate) B. Virgini conſtruxerunt, quæ S. Maternus D. Petri diſcipulus ſub ejuſdem Virginis nomine conſecravit. Namecenſe, Bronienſe, Walcidiorenſe, Grandiprazienſe, Molinenſe, Hortul. B Mariæ, Boneffienſe, Floreffinenſe, Geroldiſurianum, Salſinienſe, Soliſmontenſe, aliaque plura templa & Monaſteria ſubſequentibus ſæculis ædificaverunt, ejuſdemque Virginis nomini dicarunt. Ut taceam tot præclariſſima Sodalitia in hac ipſa civitate Mariæ inſcripta.

I. Eſtne B. Virgo interdum ſpeciali aliquo favore aut beneficio proſecuta ſuos clientes?

Exempla.
Vaſæus, Pomerius & Rodericus apud Caniſ l.5.c.20. in Mariali,

R. Ita, quemadmodum ex ſubjectis exemplis patebit. Hildelphonſus quem & alii Idelphonſum, & Alphonſum appellant, vir non modò vitæ ſanctimonia excellens, ſed etiam doctrinæ præſtantia celebris; quique ſuo ſæculo hæreticos ex Hiſpania profligavit. Fuit is poſt B. Eugenium Archiepiſcopus Toletanus antè nongentos annos, & in B. Maria quidem colenda, publicèque prædicanda perquam ſtudioſus; quemadmodum pia ejus monumenta teſtantur. Quare cùm aliquando mane multis comitantibus ad altare progrederetur (mirum dictu) Sacroſanctam Virginem ſibi apparentem habuit, & in Epiſcopali Cathedra ſedentem vidit, ſibique blandè loquentem audivit, ſed & veſtem ſacram velut divinæ gratiæ, & favoris ſingularis pignus & obſidem, quâ in facienda re divinâ uteretur ſibi abdonatam accepit. Res per totam nota Hiſpaniam.

In offic. nov. Brev Rom.

S. Stephanus Hungariæ primus Rex Dei Genitricem, quam ardentiſſimè venerabatur, ampliſſimo in ejus honorem constructo templo, Hungariæ Patronam inſtituit, ab eadem viciſſim Virgine receptus in cœlum, ipſo ſuæ Aſſumptionis die, quem Hungari è ſancti Regis inſtituto, magnæ Dominæ diem appellant.

Pet. Caniſ ib. ex Trithem.

Rupertus Abbas Tuitienſis Germanus, qui cùm ingenio ſe tardum, & ad ſacra diſcenda parum idoneum cerneret, opem ſacræ Virginis ſingulari ſtudio imploravit, ut hanc naturæ difficultatem ſuperare, ac felices in ſacris Litteris progreſſus facere poſſet. Cui Virgo Mater nocte apparens promittit & præſtat, quòd ille tantoperè cupiebat, unde tam excellenti deinde gratiâ, ſcientiaque illuſtratus fuit, ut inter Germanos Theologos eminuerit, ac ſimilem ætas illa non tulerit; qui & vivus & mortuus multis claruit miraculis, ſicut Trithemius apertè teſtatur. Nec ingratus ille fuit Virgini, quam in ſuis monumentis libenter extollit, præſertim ſi Commentarios ejus in Cantica; & opus de Divinis officiis conſulamus. Et ut ad propria revertamur, quam fuerit B. Virgo Namurcenſibus ſuis intuitu pietatis, & religionis ſuprà notatæ benefica, teſtantur varia prodigia Walcutiæ ab ea patrari ſolita, teſtatur Gelbuzeenſe ſacellum, miraculis ejus interventu celebre, teſtatur ejus imago Soliſmontis contagio laborantibus opem ferre viſa, teſtatur admiranda illa nobilis Floreffiēſis adoleſcentis hiſtoria, qui Chriſto abnegato Mariam pejerare nolēs, ejuſdem interceſſione à Filio perpetrati ſceleris veniam impetravit, ut habet Cæſarius lib. 2. Dial c. 12.

Moneus in ſacrar. Namurcenſi.

I. Etiamne punivit Deus interdum Virginis contemptores?

Exemplum.

R. Ita. Miles perditæ nequitiæ Argentorati Catholicorum templum cùm adiſſet; ligneum inde B. Virginis ſimulachrum abripuit, quod commilitonibus inſpectantibus, ità conſtituit, ut commodè ejus cervices ferire poſſet. Tunc diſtricto gladio ad eos verſus, videte, inquit, quàm bellè huic amputem caput. Verùm cùm ne tertio quidem ictu abſcindere potuiſſet, irriſus ab illis, negotio deſtitit. Nihilo ſecius Deus Matris ſuæ violatorem, celeriter debita proſecutus eſt pœna. Eodem ip-

Horat. Turſelan. 1599.

ſo

ſo di e dum contubernales ſuos convenit, nefarium facinus prædicaturus, ſubitâ morte extinguitur. Aderat ejus ſodalis conſilii conſcius, qui manifeſta Dei ultoris ira territus Cracoviam ad Sacerdotem Societatis venit; & ſcelus execratus, Catholicis ſe adjunxit.

Dominus tecum.

I. Quid hoc ſignificat: *Dominus tecum?*

R. Hæc eſt ſecunda laus, quam Beatiſſimæ Virgini attribuimus, aſſerentes quòd Dominus ſit cum ea ab initio Conceptionis aſſiſtendo illi, inſtruendo, gubernando, deſcendendo, & perpetuò conſervando eam non ſecus ac theſaurum pretioſiſſimum, & ad totius mundi ſalutem divino munere præparatum.

I. Quem Dominum intellexit Archangelus Gabriel, quando pronunciavit verba iſta: *Dominus tecum.*

R. Ipſam ſanctiſſimam Trinitatem, cujus tres perſonæ ſingulari modo fuerunt cum B. Virgine; potiſſimùm verò Deus Verbum, qui ex ea corpus ſibi aſſumpſit, mox ut verbis Angeli Virgo aſſenſum præbuit.

I. Declara hoc, ſi placet, paulò fuſius?

R. Tametſi ſanctiſſima Trinitas ſemper fuerit cum Virgine; uti modò diximus, per ſuam præſentiam, & ſingularem omninò curam, directionem & providentiam; fuit nihilominùs ſpeciali omninò ratione cum ea in hoc verbi Incarnati myſterio, quando *Spiritus Sanctus ſupervenit virtus altiſſimi*, id eſt Patris, *obumbravit*; & Filius ex ea natus eſt. Hinc more ſuo eleganter dixit Bern. *Nec tantùm Dominus Filius tecum, quem carne tuâ induis; ſed & Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis; & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater inquam, tecum, qui Filium ſuum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum, miro modo & ſibi reſerat genitale ſecretum, & tibi ſervat virginale ſignaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum ſanctificat uterum.* S. Auguſtinus: *Tecum Dominus, ait, in mente, tecum in auxilio, tecum in ventre.*

Ser. 3. ſup. Miſſus.

Ser. 12. de Sanctis.

Denique; *Dominus*, Verbum Incarnatum, *tecum*, inquit idem Bernardus, non tantùm gratiâ, ſed etiam naturâ, ex te factus homo; non tantùm conſenſione voluntatis, ſed etiam conjunctione carnis.

Tandem *Dominus* Filius *tecum* erit novem menſibus in utero; per annos triginta tecum domi, uti filius-familias ſubditus Matri. Ibi te per quotidiana colloquia inſtruet, conſolabitur, tibi miniſtrabit, omnique gratiâ cumulabit. Ultimis etiam vitæ annis prædicationi intentus non longè recedet à te. Imò moriturus in cruce te commendabit chariſſimo ſuo Diſcipulo Joanni; reſurgens à mortuis tibi primùm apparebit; & poſt ſuam in cœlum Aſcenſionem miſſo in terras Spiritu Sancto, copioſiùs in te omnium chariſmatum dona, quàm in cæteros omnes ſive Apoſtolos, ſive Diſcipulos effundet, & depluet. In extrema tandem vitæ tuæ periodo *Dominus tecum erit*, ut inter ſacros ejus amplexus animam tradas per eum Deo Patri offerendam, teque ſecundùm corpus, & animam ſuper omnes choros Angelorum ad cœleſtia regna exaltandam, & uti Dei Matrem decet, coronandam; ubi tecum erit glorioſus, & benedictus Deus in perpetuas æternitates.

Ex quibus liquet quàm ſpeciali, & planè ſingulari modo Dominus ſit cum beatiſſima Virgine, tametſi cum omnibus juſtis per gratiam etiam eſſe contingat, ut meritò cenſendus ille ſit magis Deo propinquare, qui ad Virginem per devotam animi propenſionem propiùs accedit.

I. Quid ſibi vult quod Sacerdos in Miſſa ſimili modo populum ſalutat repetens ſepties: *Dominus vobiſcum?* *Cur Sacerdos ſepties in*

Digitized by Google

Miſſa dicit: Dominus vobiſcum.

R. Id agit, ut hâc ſalutandi forma ſeptem Spiritûs ſancti dona populo apprecetur. q.d. *Dominus vobiſcum*, ut vos repleat ſapientiâ, intellectu, conſilio, &c.

Cur dicat Epiſcopus primâ vice. Pax vobis.

I. Cur autem Epiſcopus primâ vice quâ populum ſalutat in Miſſa, utitur his verbis: *Pax vobis*: non autem illis quibus ſolent Sacerdotes: *Dominus vobiſcum*?

Ioan. 20. Dur. l. 4. ration. c. 14.

R. Quia Epiſcopus expreſſius refert perſonam Chriſti Domini Eccleſiæ ſponſi, qui poſt reſurrectionem Apoſtolos primùm ſalutavit his verbis: *Pax vobis*. In cæteris orationibus communi ſalutandi formula utitur dicendo: *Dominus vobiſcum*, ut ſe Chriſti miniſtrum agnoſcat.

LECTIO V.

Benedicta tu in mulieribus, ſive inter mulieres.

I. Quæ eſt tertia laus quam Dei Matri damus?

R. Hæc Archangeli Gabriëlis: *Benedicta tu in mulieribus*, ſive illa Eliſabethæ: *Benedicta tu inter mulieres*: quaſi diceremus: *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri: quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaveris, ideò eris benedicta in æternum.* Judith. 15.

I. In quo potiſſimum cernitur, quòd Beatiſſima Virgo Maria benedicta ſit in mulieribus?

R. In eo quòd ipſa ſit Virgo & Mater Dei.

I. Si placet, declara hoc paulò ampliùs?

R. Felicior & laudatior eſt Virgo Maria omnibus aliis mulieribus; nam benedictio mulierum eſt, ut filios pariant, ſed quæ magnam maledictionem conjunctam habeat, cùm ſine libidine, corruptione, dolore, & gravi jugo viri non pariant; Maria autem filium ſine corruptione & dolore pepererit, nec virum Virgo gravem aut difficilem experta eſt, utpote qui eam tanquam Domini ſui Matrem reverenter cuſtodivit, & cui ipſa hilariter ſe ſubjecit. Secundò, maledicta vulgò habebatur ſterilis in Iſraël, Virgo Maria Filium peperit, qui plus eſt Matri quàm mille filii, de quo olim Abrahæ dictum fuerat: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Gen. 22. Ut de ea meritò cecinerit Poëta: *Gaudia Matris habens cum virginitatis honore.* Et ante Propheta: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Iſai. 7.

I. Magna profectò Virginis excellentia & benedictio.

R. Maxima. Nam hæc ſola ex peculiari Dei privilegio lauream virginitatis cum ſumma, feliciſſimaque fœcunditate conjunxit, ut præ omnibus mulieribus digna ſit laude, & eam meritò *beatam dicant omnes generationes, quia fecit ei magna qui potens eſt.* Audi Auguſtinum: *Benedicta tu in mulieribus, quæ vitam & viris & mulieribus peperiſti. Mater generis noſtri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percuſſit, iſta ſanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compenſatur.* *Serm. 18. de Sanctis.*

I. Eſtne perfectius Virginem eſſe, quàm Dei Matrem?

R. Planè. At Dei Genetricem ſimul eſſe & Virginem, ſingularis benedictio, prærogativa & dignitas incomprehenſibilis, immò abyſſus gratiarum omnium quæ ſoli Virgini Deiparæ collata eſt. Et ob hanc B. Virgo dotata fuit pluſquam Angelicâ virginitate, humilitate, charitate, cæteriſque virtutibus, quæ Dei Matrem decebant.

I. Habebuntne virgines ſingularem aliquam benedictionem cum Dei Matre in cœlis?

R. Ita, ſunt enim velut filiæ honora- *Virgines*

riæ,

Digitized by Google

In cœlo ſunt pediſſequæ B. Virginis. riæ, ſive (ut dicunt) pediſſequæ Beatiſſimæ Virginis.

I. Habeſne exemplum in promptu?

R. Habeo.] S. Gregorius hiſtoriam de Muſa puella memorabilem narrat. Huic quâdam nocte ſacra Virgo & Dei Genitrix Maria per viſionem apparuit, eique multas puellas coævas in veſtibus albis oſtendit. *Exemplum.* Muſa illarum aſpectu & ſplendore delectata, libenter ſe eis aggregaſſet, ſed cùm præ pudore non auderet, amanter à Deipara interrogatur, velletne unà cum aliis in hoc vivere gynæceo, & ſibi quoque deſervire? Cùm illa ſe velle reſpondiſſet, hoc unum in mandatis accepit, ut majorem vitæ ac morum induceret gravitatem, ſeque à riſu, jocis, omnique levitate puellari abſtineret: ita demum fore ut die trigeſimo puellis aliis, quas præſentes aſpiceret, conſociaretur, ac in ſuum miniſterium cooptaretur. His monitis paruit Muſa, ac deinceps ſuprà ætatem ac conſuetudinem graviter ſeſe geſſit, ut ſubitò mutaſſe mores, ac nuces ut aiunt, reliquiſſe videretur; parentes, etſi hanc adeò repentinam filiæ mutationem primùm admirarentur, tamen, cùm factæ apparitionis arcanum intellexiſſent, puellæ inſtituto non repugnarunt, fidemque certiorem narrationi comprænbuerunt, quod ſequens mors filiæ trigeſimo die ex hac vita migrantis viſionem non vanam eſſe monſtravit. Moritur verò, Deipara rurſus apparet, ſpecioſis illis puellis, ut antè, ſtipata, quæ Muſam, ut ad ſe veniat, vocare dignatur. Mox puella quamvis moribunda, oculis reverenter depreſſis, & apertâ voce clamando reſpondet: Ecce, Domina, venio, ecce Domina, venio. *L. 4. Dial. c. 17.* In quâ etiam voce ſpiritum tradidit, & ex virgineo corpore habitatura cum ſanctis Virginibus exivit.

LECTIO VI.

Et benedictus fructus ventris tui.

I. Quid ſignificat: *& benedictus fructus ventris tui?*

R. Hæc eſt quarta laus B. Virgini collata, utpotè quæ non ſolum ſit ex ſeipſa omni honore digna, ſed etiam propter fructum uteri ſui. *Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui, ſed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè enim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ ſunt omnes gentes, de cujus plenitudine tu quoque accepiſti cum cæteris, etſi differenter à cæteris.* *Bern. ſer. 3. ſup. miſſus.*

I. Quis hanc partem ſalutationi Angelicæ adjecit?

R. Sancta Eliſabeth viſitata à Beata Virgine.

I. Quid hoc eſt: *benedictus fructus ventris tui?*

R. Explicatur his verbis, unde tanta benedictio B. Virgini obvenerit, à fructu, ſcilicet ventris, hoc eſt, ab inexhauſto benedictionis fonte, Dei filio. q. d. Eliſabeth: Benedicta tu inter mulieres, *quia* (hanc enim vim habet frequenter in Scripturis) (Et) *benedictus fructus ventris tui*, ut reddatur ratio tantæ benedictionis Virginis; per hoc verbum etiam oſtendit ſancta Propheteſſa Chriſtum in utero Mariæ jam incarnatum verè eſſe hominem, & Mariam non minùs genuiſſe Dominum, quam gignunt aliæ matres ſuos filios.] *Theophil. in Lucam.*

I. Quid facit ad Virginis commendationem, quòd fructus ventris ejus ſit benedictus?

R. Sanè plurimùm. Nam uti fructus arborem ipſam commendat, ſic quoque gloria filii in matrem redundat.

I. Quis eſt fructus ventris Virginis?

R. Jam diximus, ſi attendis, quod ſit filius ejus, Dominus ſcilicet Jeſus, verbum Patris caro factum.

Digitized by Google

I. Quare dicis quod Dominus Jeſus ſit fructus ventris Mariæ?

R. Quia natus eſt per operationem Spiritûs ſancti ex Virginis ſubſtantia in benedicto ejus utero. Quemadmodum igitur quod ex arbore producitur vel ex terrâ gignitur, terræ vel arboris fructus dicitur: ita verbum ex Virgine in utero incarnatum, fructum ventris Virginis dicimus.

I. Quomodo benedictus eſt fructus ille Virginis?

Fructus B. Virginis qualiter benedictus.

R. Benedictione æternâ cum Patre & Spiritu ſancto: benedictus, inquam, non tantùm inter mulieres, uti beatiſſima Virgo, ſed abſolutè præ Angelis, hominibus & creaturis omnibus, utpotè omnium Creator & Dominus.

I. Si beatiſſima Virgo eâ ratione benedicta eſt, quia benedictus fructus ventris ejus: dicendum igitur eſt benedictam eſſe Matrem Dei non ſolùm inter mulieres; ſed etiam inter omnes tam cœleſtes, quàm terreſtres creaturas, quandoquidem fructus ventris ejus, ſit Deus ſuper omnia benedictus?

B. Virgo benedicta inter omnes creaturas.

R. Rectè, Deus enim omni gratiâ, benedictione, donis Matrem ſuam adornavit, ut dignum ſe fieret habitaculum. Cui enim potiùs quàm Matri benedicat filius, & quidem filius talis, qui ſimul ſit Deus & homo?

Quæ cùm ita ſint, quis eam niſi blaſphemus audeat cum cæteris mulieribus aut virginibus æquiparare? Et, ut verbo uno hanc blaſphemiam elidam; Quâ, quæſo, ratione æquabitur mulieribus illis, quæ plena gratiâ, quæ benedicta inter mulieres, & omnes creaturas, genuit (inquit Cyprianus) ipſam majeſtatem?

Mareticorum blaſphemia.

I. Eſtne etiam B. Virginis venter benedictus?

Bern. ſer. 1. de Aſſump.

R. Ita. *Nec in terris locus dignior utero virginali templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit; nec in cœlis regali ſolio, in quo Mariam Filius ejus ſublimavit.*

I. Quis Virginis uterum benedixit?

R. Filius ejus, qui in eo quievit novem menſibus, ſicut Sponſus in thalamo ſuo.

Idem eodem loco.

Dubitare quis poteſt, omninò in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt, charitas novem menſibus corporaliter requievit? Hoc eſt *ferculum quod ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani*, ferculum, inquam, auguſtiſſimum ferens & bajulans Verbum incarnatum; ideoque *mediâ charitate conſtratum propter filias Jeruſalem*, quia Chriſtus, qui eſt ipſa charitas, maximam gratiam & charitatem Beatæ Virgini diffudit, ut ipſa filiabus Jeruſalem, id eſt, animabus devotis, ad illam in quavis difficultate recurrentibus opem ferret. Quocirca magno pietatis ſenſu Eccleſia quotidie eam invocat, tanquam Dei & hominum Mediatricem, & dicit: *Salve Regina Mater miſericordiæ, &c. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo Advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte: Et* JESUM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

Virginis uterus benedictus.

Can. 3.

Virginis uterus ferculum Salomonis.

Antiphona Eccleſiæ.

I. Illi qui benedicunt ſacroſanctum Virginis uterum, faciuntne rem Deo gratam?

R. Ita. Nam illa mulier in Evangelio, quæ loquente JESU ad turbas extollens vocem dixit: *Beatus venter qui te portavit*, laudata fuit à Chriſto Domino approbante quod de Matre ſua dicebat, quamquam addente, beatiores eſſe *qui verbum Dei audiunt, & cuſtodiunt*, id eſt opere adimpletur, ut maximè B. Virgo fecit. Luc. 11.

Nota, Chriſtus Dominus voluit ſolari mulierem iſtam, q. d. tu beatam dicis Matrem meam, quòd me talem Filium genuerit, doleſque fortè, quòd talis Filius tibi non obtigerit; at ego aſſero

te

Digitized by Google

te beatam, imò beatiorem fore, ſi verbum Dei audias & cuſtodias. Nam & Mater mea beatior fuit, quòd me mente, quàm quòd ventre conceperit; imò niſi me mente priùs concepiſſet; indigna fuiſſet quod me ventre conciperet: decebat enim Matrem Dei futuram, eſſe puriſſimam & ſanctiſſimam, adeoque cuſtodientem in omnibus & perfectiſſimè adimplentem Verbum Dei. Non ergo improbat Chriſtus mulieris aſſertionem, ſed ſolidiorem ei & meliorem beatitudinem offert, quæ omnibus eam volentibus competit, quæ eſt cuſtodire verbum Dei, & uti apud Sanctum Matthæum dicit, facere voluntatem Patris. Pulchrum eſt quod in hanc rem ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Mater ejus* (Chriſti) *eſt omnis anima pia faciens voluntatem Patris ejus, fœcundiſſimâ charitate in iis, quos parturit, donec in eis ipſe formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Chriſti tantummodò Mater eſt, ſpiritualiter autem & ſoror & mater. Ac per hoc illa una fœmina non ſolùm ſpiritu, verùm etiam corpore & Mater eſt, & Virgo.* Cauſam ſubdit: *ſed planè Mater membrorum ejus, quòd nos ſumus, quia cooperata eſt charitate, ut Fideles in Eccleſia naſcerentur, quæ illius Capitis membra ſunt: corpore verò Mater ipſius Capitis.*

Matt 12.

De ſancta Virgin. c. 3.

B. Virgo non tantum Chriſti, ſed & noſter Mater eſt.

Alludit S. Doctor ad id quod dicebat Chriſtus Matt. 12 *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.*

Et non ſolùm mulier iſta Virginis uterum benedixit, ſed & Eccleſia frequenter uſurpat ſimilem benedictionis formam in officiis divinis, dicendo: *Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.*

I. Cur id facit Eccleſia?

R. Ut grato animo & fideli memoriâ identidem recolat ſummam præſtantiſſimamque Mariæ Virginis excellentiam divinitùs collatam, ut *Dei Mater* verè nominaretur, & eſſet.

I. Habeſne exempla Sanctorum, qui libenter & cum omni reverentia benedicebant uterum ſacratiſſimæ Virginis Mariæ?

R. Ita. Sanctus Odilo Cluniacenſis profundiſſimè inclinabat cùm recitaret hunc verſiculum Cantici, Te Deum laudamus; *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum*, uti refert Petrus Damiani in vita.

Exempla.

Lutgardis Virgo admodum pia, è celeberrima Tungrorum civitate oriunda, quâdam nocte cùm in Cantico, *Te Deum laudamus*, verſum illum: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum*, diceret, ei Beatiſſima Virgo Maria gratulabunda apparuit; intellexitque Lutgardis verſum hunc illi gratiſſimum eſſe, quo commemoratur ipſam Dei Filium in utero concepiſſe. Atque hoc illa mihi tamquam filio dilecto (inquit Cantipratanus) revelans admonuit, ut quoties verſum illum dicerem, toto me corpore ad laudem ſacratiſſimæ Virginis inclinarem. Quod etiam feci, hodieque facio. & ut idem faciant, Lectores omnes meos adhortor.

Cantiprat. l. 2, vita ejus c. 24. apud Sur. 16. Iunii.

I. Diſpliceetne Deo, quòd maledicatur benedicto Virginis utero?

R. Plurimùm, uti ex ſubjecto patebit exemplo.

Uterus Virginis non impunè maledicitur.

Nebulo quidam non longè à Laſſentia civitate aleis vacabat; cùm luſus ei minimè ſuccederet, cœpit ſanctum beatæ Mariæ uterum blaſphemis verbis proſcindere, & ſubitâ morte illicò perfunctus, in inferno ſepultus eſt. *Vincentius in ſpeculo.*

Exemplum.

Ieſus Chriſtus.

I. Quis Salutationi Angelicæ hanc partem adjecit?

R. Sancta Mater Eccleſia.

I. Undè deſumpſit Eccleſia hoc ſacroſanctum Nomen *Ieſus*?

R. Ex ipſiuſmet Sancti Archangeli Gabrielis cum Deipara Virgine colloquio;

quio; ubi dixit futurum, ut Filius Dei incarnatus hoc nomine JESUS appellaretur.

I. Quare Eccleſia nomen *Ieſus* ſuperaddidit ad verba beatæ Eliſabeth: *Benedictus fructus ventris tui?*

Gal. 3.

R. Ut apertè declararet, quis ille ſit fructus ventris Beatæ Virginis: nempè ſemen illud de quo Abrahæ & Davidi promiſſio facta eſt: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Et: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam* De quo Angelus: *Vocabis nomen ejus Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*

Gen. 22. Pſ. 131. Matt. 1.

De excellentia nominis JESU, & aliis eò pertinentibus, diximus ſuprà p. 1. c. 3. l. 1. Et, ut meminerimus eum eſſe Meſſiam, ſive Salvatorem à lege & Prophetis promiſſum, adjungimus nomen dignitatis ejus, dicentes: *Ieſus Chriſtus.* De hoc nomine (Chriſtus) etiam ibidem dictum.

Nota; Urbanus Papa quartus, quibuſcumque Nomen JESU in fine Salutationis Angelicæ addentibus pro qualibet vice, triginta dies Indulgentiarum conceſſit; quas Joannes XXII. ejuſdem ſucceſſor confirmans, alios triginta ſuperaddidit; ut patet ex Bulla authentica, quæ in Eccleſia Avenionenſi habetur, ubi dictus Pontifex reſedit multis annis.

LECTIO VII.

Sancta Maria, &c.

3. Pars Salutationis Angelicæ.

I. DEclara mihi verba reliqua pro clauſula Salutationis Angelicæ?

R. In ſequentibus verbis laudem principalem Dominæ noſtræ Eccleſia repetit, quæ eſt, eſſe Matrem Dei, eoque commonſtrat illam quæcumque vult, à Deo impetrare poſſe. Precatur etiam ut pro nobis intercedat, quandoquidem nos ut peccatores ejus interceſſione indigemus; item ut continuò nos, quoad vixerimus, & præſertim in articulo mortis, quando majore in diſcrimine verſabimur, adjuvet.

Ut B. Virgo post ſalutationem invocetur antiquus eſt uſus.

I. Fuitne jam olim moris, quòd Salutationi Angelicæ ſubnectatur invocatio Deiparæ Virginis?

R. Ita. Nam Syri ab ipſis Apoſtolis primùm inſtituti non ſine invocatione ſolent Angelicam Salutationē abſolvere. Orant enim in hunc modum: *Pax tibi, Maria, gratiâ plena. Dominus noſter tecum, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui eſt in utero tuo, Ieſus Chriſtus. Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis, inquam, peccatoribus, amen.* Apud S. Severum Patriarcham Alexandrinum in precationibus nuper in Latinum tranſlatis.

Caniſ. l. 5. c. 30.

Sancta.

I. Eſtne B. Virgo ſancta eo modo quo Deus ſanctus eſt?

Qualiter differt Virginis ſanctitas à ſanctitate Dei.

R. Non. Deus enim à ſeipſo eſt ſanctus, & ex ſua natura, Imò ipſa ejus natura ſanctitas eſt; Beata autem Virgo ſancta eſt, ſanctitate quam ei communicavit Deus. Explico magis: Cùm Dei & Domini noſtri ſanctitas ſit ſuperior omni ſanctitate & puritate intelligibili, utpotè quæ in ipſo tanquam in pleniſſimo fonte eſſentialiter coexiſtat; omnis ſanctitas creaturæ ad illam puritatem comparata, eſt inſtar nihili. Hinc dicit Dominus Matth. 19. *Quid me interrogas de bono? unus eſt bonus Deus.* Et Eccleſia in Hymno Angelico: *Tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus:* quia in ipſo ſolo eſt univerſitas boni & ſanctitatis & dominii; & quicquid extra illum reperitur boni, aut ſanctitatis, aut dominii, id totum eſt inſtar nihil in comparatione ejus quod eſt in Deo, utpote ab illa excellentia infinitè deficiens. Ex quo intelligitur quantis intervallis diſtet ſanctitas Virginis à ſanctitate Dei.

Sanctitas Virginis alia gratiâ in hoc mundo; alia gloriâ in cœlo.

I. De qua ſanctitate intelligis, dum dicis: *Sancta Maria*; de ea quam in hoc mundo habuit; an verò de ſanctitate, quã nunc habet in cœlo?

R. De

Digitized by Google

R. De utraque.

I. Qualis fuit ſanctitas, quam B. Virgo obtinuit in hoc mundo?

R. Talis, ut ſup. lect. 4 ad textum. *Gratiâ plena.*

I. Iſta ſanctitas B. Virginis patebatne etiam exteriùs?

R. Ita. Nam S. Dionyſius in Epiſt. ad S. Joannem teſtibur ſe ad aſpectum & majeſtatem Virginis ita obſtupuiſſe, ut niſi fides eum docuiſſet unum eſſe Deum in cœlis, utique hanc Virginem Deum eſſe credidiſſet. Quid? quod & ipſi cœleſtis Curiæ Principes in conſideratione tantæ ſanctitatis in Virginis Aſſumptione admirabundi exclamant: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* Ac ſi manifeſtiùs dicant (inquit Sanctus Bernardus) Quanta eſt hæc, & undè ei aſcendenti, utique de deſerto, affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares deliciæ inveniuntur in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloriâ potamur. Quæ eſt iſta, quæ de ſub Sole (ubi nihil eſt niſi labor & dolor & afflictio ſpiritûs) aſcendit deliciis ſpiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim Virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis inſigne, diſtillantem charitatis favum, miſericordiæ viſcera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ ſingularis?

Serm. 4. de Aſſumpt.

I. Quam ſanctitatem adepta eſt Virgo Maria in cœlis?

R. Adepta eſt ſanctitatem Beatorum ſtatui propriam & convenientem, id eſt, ſanctitatem permanentem, immutabilem ſecuram, æternam.

Sanctitas Virginis excellit omnem BB. ſanctitatem in cœlis.

I. Superatne Virginis ſanctitas in cœlis, cæterorum omnium Beatorum ſanctitatem?

R. Planè multis maximiſque intervallis. Nam ob ſanctitatem ejuſmodi, *exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia regna*, ut canit Eccleſia. Et: *Quantum gratia in terris adepta eſt præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloria ſingularis*. Ut meritò dixerit Seraphicus Doctor: *Glorioſum Mariæ privilegium eſt; quicquid poſt Deum pulchrius, quicquid dulcius, quidquid jucundius in gloria eſt, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt.*

Bern. ſer. 1 de Aſſump.

Bonav. in ſpeculo B. Mariæ.

I. Habeſne exemplum quo probes hanc venuſtiſſimam Virginis Mariæ pulchritudinem ex ejus ſanctitate refulgentem?

Exemplū.

R. Clericus quidam B. Mariæ devotiſſimus crebris eam precibus orabat, ut ſibi ſuam pulchritudinem oſtendere dignaretur, quæ in Scripturis Sacris ſæpiùs commendatur, ut eſt illud: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Item, *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis?* Cujus piæ petitioni Mater Miſericordiæ annuens, per Angelum ei mandavit quòd tali horâ ſibi appareret, ſed tamen ſciret inconveniens, & indignum eſſe, oculis, quibus eam videret poſteà terrenum aliquid cernere. Cùm autem reſponderet clericus ſe non curare, ſi poſt ejus viſionem fieret cæcus; tamen Angelo diſparente cœpit anxiè cogitare, quia ſi viſum penitus amitteret, eum mendicare de cætero oportere. Excogitavit ergò conſilium, ut uno clauſo oculo, alterum tantùm ad eam videndam aperiret. Apparente autem B. Virgine tempore deſignato, inæſtimabilem claritatem, & pulchritudinem vidit, & cupiens eam pleniùs videre, etiam oculum quem tenuerat clauſum aperuit, ſed viſio tunc repentè diſparuit. Cùm ergo oculo quo eam viderat, eſſet orbatus, altero ſalvo manente, ipſe lacrymans eo quòd oculo pepercisſet, ſe cæpit vehementer arguere, dicens: utinam totus fuiſſem oculus, ut eam vidiſſem pleniùs. Cùm autem denuò Dominam noſtram inſtantiſſimè exoraret, ut ſe ei adhuc oſtenderet, quia propterea etiam reſiduum oculum libenter amitteret, iteratò piiſſima Virgo Maria ei apparuit,

Can. 4.

C. 7.

&

& ſua viſione ineffabiliter conſolata eſt, reſiduumque ei oculum ſanum, & integrum ſervavit, & priùs amiſſum reſtituit. *Ioan Herolt. in promp. mirac, B. Virginis, exemplo 79.*

Maria Mater Dei.

S. Proſper cont. Collat. propè fin.
Baron. to. 5. annal. ad an. 431
S. Th. 3. p. q. 35. a. 3. & 4

I. Virgo Maria eſtne revera Mater Dei?

R. Eſt ſine dubio quandoquidem conceperit, & genuerit Filium Dei hominem factum. Eſt fidei ex Concil. Epheſino, contra Neſtorium Anno Domini 431, cùm per Cæleſtinum Romanum Pontificem omnes Orientales Eccleſiæ gemina peſte (inquit D. Proſper) purgatæ eſſent, execranda nimirum Neſtorii impietate, qui B. Virginem volebat dici Chriſtocon, non item Theotocon ſive Deiparam, & etiam Pelagii; id minimè ignorantes Cyrillus Alexandrinæ urbis Antiſtes aliique Patres qui Epheſi convenerant, atque etiam ipſe Theodoſius Imperator, legationem miſerunt ad ipſum ſummum Pontificem, ipſi gratulantes de proſtrata cum ſuo auctore hæreſi Neſtoriana. Et quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendere à Patre luminum ſancta Dei Eccleſia novit, eidem ipſi Deo gratias immortales egit, quòd vindex extitiſſet filii Deitatis, & Matris ejus honoris, utriuſque præconia illis vocibus celebrans, quas à ſanctis ſciret frequentatas eſſe Patribus, ubique locorum Matrem Dei Mariam omnium ore cantans, laudans, atque prædicans. Tunc & additamentum illud accepiſſe creditur Angelica ſalutatio: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, &c.

I. Poſſeſne hanc veritatem ex Scripturis probare?

Iſa. 7.

R. Ita, nullo negotio. Iſaias Propheta prædixit futurum, quòd *Virgo conciperet, & pareret Filium, cujus nomen* Emmanuel, *id eſt nobiſcum Deus.* Secundò B. Virginem parituram Chriſtum prædixit Hieremias cap. 31. n. 22. *Creavit Dominus novum ſuper terram: fœmina circumdabit virum.* Tertiò, Archangelus Gabriel dum nunciaret Dominicæ Incarnationis Myſterium, dicebat: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Quartò S Elizabeth Matri Dei congratulabunda, ſibique quod à tanta Heroina viſitaretur applaudens, exclamabat: *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me!* Quintò, S Paulus dicit: *Chriſtum ſecundùm carnem eſſe ex Iudæis, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus.* At non eſt Chriſtus ex Judæis niſi per Beatam Mariam Virginem, uti ex Genealogia à Matthæo conſcripta probatur; potiſſimū ex illis verbis: *Ioſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.*

Luc. 1.
Rom. 9.

I. Si Filius Dei eſt Patri coæternus, & conſubſtantialis, quomodò dicis quod Virgo Maria ſit ejus Mater?

Quo ſenſu Beatiſſima Virgo eſt Mater Dei.

R. Quando dicimus quod Beata Virgo ſit Mater Dei, non dicimus quod genuerit Deitatem, ſed quod genuerit Deum, quia genuit hunc hominem, puta Jeſum. Atqui hic homo Jeſus eſt Deus: ergò Beata Virgo genuit Deum. Ratio à priori, eſt identitas perſonæ; quia enim una eſt perſona, eaque divina in Chriſto, hinc illi competunt attributa utriuſque naturæ, fitque communicatio idiomatum, ut hic homo dicatur Deus, ac viciſſim Deus dicatur homo, filius Virginis, paſſus, crucifixus, &c. Perſona enim eſt ſuppoſitum in ſe ſuſcipiens omnes naturæ utriuſque actiones & paſſiones; quare perſona Filii Dei, quæ eſt Deus, verè dicitur nata ex Maria Virigne, ſed ſecundùm humanam naturam, non divinam. Sic Pater vocatur filii ſui Pater; eſto non generet ejus animam, ſed tantùm carnem; quia generat hunc hominem qui anima æquè ac carne conſtat.

I. Maximè igitur honoranda eſt Beatiſſima Virgo hoc nomine quòd ſit Mater Dei?

Mater Dei ſummè honoranda eſt.

R. In-

R. Indubiè, non poterat enim creaturæ alicui conferri major dignitas, præter unionem hypoſtaticam, quàm ut conciperet & gigneret rerum omnium Conditorem ejuſque Mater effici mereretur ex generatione temporali, qui filius eſt Dei Patris æterna generatione. Vide quæ ſupra lect. 4. ad Textum: *Gratia plena.*

I. Feliciterne iis ceſſit, qui hanc veritatem quam hîc doces, oppugnarunt?

Exemplũ.

Evang. l. 2. c. 7. Cedrenſis & alii apud Baron. an 436. & 451. Caniſ. l. 5. Marial. c. 20. Niceph. l. 14. c. 56.

R. Infeliciſſimè. Neſtorius de quo proximè cum hoſtile bellum adverſus Deiparam inſtituiſſet, adeò non impunè tulit tantam audaciam, & procacitatem, ut fuerit à toto Concilio Epheſino anathemati perpetuò traditus, ab Imperatore quoque Theodoſio in exilium actus, Epiſcopatu ſuo Conſtantinopolitano planè ſpoliatus, ac demum coactus in exilio vitam abſolvere calamitoſam. Sed & blaſphemam ejus linguam miri carnifices corroſére vermes. Nicephorus autem ſcribit Neſtorium Theodoſii Imper. juſſionibus in extremis Thebarum oris, locum ex loco mutantem, verſatum eſſe, ubi inquit terrà ruptâ coopertus atque oppreſſus vitam hanc, prout blaſphemiæ ejus conveniebat, amiſit.

LECTIO VIII.

Ora.

I. QUis docet nos Virginem invocare, ejuſque opem implorare?

R. Ipſa Mater Eccleſia, ex cujus inſtitutione ad Salutationem Angelicam addimus hanc tertiam partem: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis,* &c.

I. Quam ob cauſam addidit hanc invocationis partem Sancta Mater Eccleſia?

R. Quia laudabilem & admirabilem Virginem non modò ſalutandam exemplo Angeli, ſed etiam, Patrum veſtigiis inſiſtens, eam tanta Dei virtute auctam credit, atque profitetur, ut poſſit prodeſſe, favere, annuere miſeris mortalibus, dum hi præſertim ſe ſuaque vota illi commendant, ac divinam gratiam Matris interceſſione ſupplices expetunt.

I. Obſervaruntne id Patres & Majores noſtri ab antiquis ſæculis, ut beatiſſimam Deiparam non modò ſalutarẽt, ſed etiam ejus opem implorarent?

Lect. 1. hujus cap.

R. Ita. Nam ut omittam quæ nuper ex liturgia S. Jacobi, ex Syrorum ſalutatione, ex Chryſoſt. liturgia, & Athan. & aliis diximus, omnes Patres qui ſanctitatis, & eruditionis laude in Eccleſia claruerunt, B. Virginem impensè coluerunt, & invocarunt. S. Ephrem in ſer. de laudibus Virginis: *Sub tuum præſidium, ait, confugimus ô Sancta Dei Genitrix, ſub alis pietatis atque miſericordia tuæ, protege, & cuſtodi nos, miſerere noſtri, &c.* & aliis multa plura congerit. Vide S. Gregor. Nazianz. in tragœd. *Chriſtus patiens.* S. Athanaſ. in Evang. de ſancta noſtra Deipara. S. Auguſt. ſerm. 2. de Annunciatione. *Sancta Maria, inquit, ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, &c.* S. Bern. ſerm. 2. de Adventu: *Virgo regia ipſa via eſt, per quam Salvator advenit, procedens de ipſius utero, tanquam ſponſus de thalamo ſuo. Per te acceſſum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater ſalutis, ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis.* Vide eundem homil. ſuper Miſſus eſt. Et in illud: *Signum magnum, &c.* Item in ſerm. de Nativit. Virg. Et in ſerm. primo de Aſſumptione ejuſdem, ubi ſic dicit. *Præceſſit nos Regina noſtra, præceſſit, & tam glorioſè ſuſcepta eſt, ut fiducialiter ſequantur Dominam ſervuli clamantes, Trahe nos poſt te, in odorem curremus unguentorum tuorum, &c.* Et in ſerm. 4. in eadem ſolemnit. *Sileat miſericor-*

Omnes S. Patres B. Virgini valde addicti.

diam tuam Virgo Beata, ſi quis eſt qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe, &c. Vide etiam B. Anſelm. lib. de excellentia Virginis c. 12.

I. Habeſne exempla aliqua quibus plebes Beatiſſimam Mariam Dei Genitricem propitiam adfuiſſe eis qui ejus ſuffragia efflagitaverunt?

Exempla ad 6. Maii

R. Ita. Occurrit imprimis S. Joannes Damaſcennus, de quo ita Martyrol. Rom. *Damaſci Natalis Beati Ioannis Damaſceni ſanctitate, & doctrinâ celebris, qui pro cultu ſanctarum imaginum, verbo & ſcriptis adversùs Leonem Iſauricum ſtrennè decertavit: cujus juſſu cum ei dextera manus amputata fuiſſet, imagini Beatæ Mariæ Virginis, quàm defenderat ſeipſum commendans, protinus dexteram integram ſanamque recepit.*

Invit ejus apud Sur. 23. April. Caniſ. l. 5. de Deipara c. 28.

Aldebertus Martyr illuſtris cùm adhuc puer gravi morbo, eoque periculoſo afficeretur, ipſum ita laborantem Deiparæ commendarunt dicentes: Non nobis Domine, non nobis vivat puer iſte, ſed Clericus in Dei Matris honorem portet jugum tuum. Receſſit itaque in ictu oculi vis doloris, & infantulus ad ſe redit ſoſpes omnibus membris ſuis, & ad vitam Monaſticam ſe contulit. Sic bona Angelorũ Imperatrix Auguſta, Virgo perpetua, ſplendida ſtella maris ad Deum portat hominum vota.

Habes ſexcenta alia exempla & miracula apud Lipſium in Hallenſi, & Aſpricollenſi Domina, Servium in Diva Tungrenſi Hanno Belgica. Et Belgium noſtrum nunquam ob oculos non videt etiam turbulentiſſimis his bellorum temporibus, mirabilia quæ operatur Deus ad Matris ſuæ honorem, & gloriam per imagines varias ejuſdem glorioſiſſimæ Virginis, quas plebs devota votorum causa viſitat.

Imagines Virginis honorare pium eſt & Deo placitum.

I. Eſtne Deo gratum, & acceptum quòd Beatiſſimæ Virginis imagines veneremur etiam privatum?

R. Non eſt qui id non ſentiat ſi Catholicus eſt. Subjicio præclarum exemplum.

Invit ejus apud Sur. e. Octob. 15

Exemplum.

Sanctiſſimam Chriſti Matrem inter alios Sanctos, ita ut par erat ardentiùs amabat Heduvigis Duciſſa Poloniæ, Beatæ Elizabeth quæ nupſit Lantgravio Turingiæ matertera, atque ea cauſa illius apud ſe parvam imaginem ſemper ferebat, eamque ſæpius geſtabat manibus, ut ex amore crebrò eam poſſet intueri, & inſpiciendo ad ejus amorem ſe poſſet ampliùs excitare. Eâ imagine cùm interdum benediceret languidis, illicò curabantur; ubi etiam miraculorum virtute cunctis innoteſceret, ad quantam meritorum celſitudinem illa jam perveniſſet, quæ ferventi amore incitata hanc Matris Dei imaginem ſedulo circumferret.

Blaſphemi in Virginem puniti.

I. Eſtne magnum peccatum palàm profiteri quòd B. Virgo Maria non poſſit nos juvare?

Exempla.

Zonar. to. 3 annal. in Conſtant. Copron. Europ. l. 22. rerũ Rom. in vita Copronymi. Theoſteriſtus ſcriptor Græcus iſtius temporis apud April. Glycas, Cedren. & alii V. Baro. to. 9 An. Ex Annal. P. Beneis ann. 1558. de reb.

R. Eſt horrenda blaſphemia. Conſtantinus Copronymus Imperator Beatiſſimæ Deiparæ venerandum nomen multis modis ab Eccleſia expellere ſtuduit, dicens: Nemini eam poſſe opitulari. Quid autem illius morte funeſtius! Cùm jam Deo, & hominibus eſſet inviſus, ſub mortem carbunculi pedes ejus invaſerant, & ardentiſſimis febribus urebatur, quarum nullum à medicis remedium poterat excogitari; accedebat Elephantiæ morbus; ſic quod in extremam animi deſperationem actus miſerabiliter vociferaretur, ſe viventem etiam propter Mariam Deiparam igni inextinguibili traditum, in eumq; conjectum eſſe. Tot morbi coeuntes, tam diri cruciatus, velut Mariæ miniſtri, blaſphemum Cæſarem perdiderunt.

Quidam ad turpem concubinatum Indam fæminam pellexerat; quam cum aliquando ad infauſtum thorum vi, minisque compuliſſet, ecce provectâ nocte cælum tonitru concuti, tremiſcere terram, denſaſque inter tenebras micare ignes, & per feneſtrarum rimas effundi, ut ferirent oculos animoſque adultero-

Digitized by Google

Colleg. Pacenſis in Provincia Peruana. Ioan. Boniſ. l. 5. hiſt. virg. c. 2. Matth. Tympius in theat. vindictæ divinæ.

tectorum. Cadit intereà ſciſſis nubibus largifluus imber cum grandi grandine crepitante ſuper tectum. Hic mulier ſubitò pavore correpta: Virgo inquit Maria, fer opem, tuere me obſecro. At vir ferox & impius timidam complexus tace, inquit ſtulta, ſcilicet auxilium ullum ferre poteſt Maria? Abſcidit extremam vocem fulmen ſubitum quod intonuit, & adhuc loquentem avellit ab amplexu muliereculæ, quatuor & quinque paſſus ejecit extra lectum, & flamma corripit arida ejus membra: ſurgit mulier perterrita, miſerum inclamat, excitat, percellit: nempe metu exanimatum, non exanimem putabat. Trahit digitos pedum, corruunt pedes ipſi, divelluntur: conantem domo egredi, & mortuum extrahere impediebat ignis introrſum repellens. Ad extremum vociferata horrendum concivit vicinos, & ægrè protracto informi cadavere, reperiunt hominem, mirum dictu! hiante ore, ſine ullis dentibus, ſine lingua, omnia prætereà membra ita ſoluta & fluxa, ut vel leviter contrectata manum ſequerentur. Hic finis impuri impudicique hominis fuit: at mulier alieno malo edocta, quamquam extra periculum, non extra metum, cùm inde quadraginta millia paſſuum confeciſſet, ad noſtrum templum ſe contulit meliori vitæ inſtituendæ.

Juſt. Lipſius in mirac. D. Virgin. Hallen. propè Bruxel. c. 7. an. 1580

Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo, cùm Oliverus Tempelius Hallas obſideret, erat inter milites quidam Joannes Zuvichius, qui jactabat palam ſe ſuis manibus Halienſi mulierculæ (Dei parentem intelligebat) naſum abſciſſurum. Sed ex mox procurat glande plũbea excuſſa, ſecuri ei illi naſum auferri, Pœnam habuit, & irriſum inter ipſos cõmilitones perpetuum meruit, qui identidem hominem ad naſum recipiendum Hallas mittebant.

Pro nobis.

I. Quid intelligis per hoc quod dicis, *pro nobis?*

R. Intelligo omnes homines, præſertim Chriſtianos; omnes enim indigent ope Virginis, & ipſa eſt omnium Advocata & mediatrix.

Peccatoribus.

I. Quinam ſunt peccatores?

R. Per peccatores intelligo omnes omninò homines.

I. Suntne igitur omnes homines peccatores?

R. Omninò, dicit enim Scriptura: *Omnes peccaverunt, & omnes egent glorià Dei.* Non eſt enim homo qui ab omni peccato etiam veniali ſit immunis; cùm etiam *Septies cadat juſtus.* Salvo per omnia Beatiſſimæ Virginis privilegio.

Rom. 3. v. 23.

Prov. 24.

I. Etiamne patrocinatur & orat Beatiſſima Virgo pro magnis peccatoribus?

Exempla.

R. Ita. Cùm Cæſar Juſtinianus rerum potiretur, Theophilus quidam in oppido Ciliciæ Adana Oeconomus, ſive ut alii vertunt, Archidiaconus Eccleſiæ fuit, multis quidem ille gratus, & Epiſcopali munere, quod tamen conſtanter detrectavit, dignus exiſtimatus Qui ab æmulis immeritò accuſatus, de officio Oeconomiæ dejectus, in eam animi impotentiam, adeòque impietatem devenit, ut hortatori mago Judæo morem gerens, Chriſtum Dei Filium, ac Matrem ejus Mariam, datâ ſyngraphâ turpiſſimè abnegaret, ſeque totum imperio Satanæ, qui ei ſe videndum obtulerat, traderet, atque mancipare. Quid hic faceret miſer tã nefarii criminis jam ſibi conſcius? Totus animo perturbatus, ut nuſquam ferè poſſet conſiſtere, cum irato Deo ſe dæmonis eſſe mancipium cogitaret, mutato conſilio, tandem ad ſanctiſſimam Dei Matrem ſibi confugiẽdum duxit, ac templum ei ſacrum petiit, in quo ſuas preces ac ſupplicationes cum multa jejunatione conjunctas, noctes ac dies indefeſsè conſumpſit, magnumque verè Pœnitentiæ ſpecimen edere cœpit. Quod ſi Theophilum ipſum Mariæ ſupplicantem libet audire, his quidem verbis,

Ex Eutychiano Patriarcha Conſtantinop. hiſt. teſte Metaphr. Pet. Damaſc. ſerm. de Nat. B. Virg. Caniſ. l. 5. de Deipara c. 20.

ut legimus, illam compellavit. Domina mea benedicta & defenſio generis humani, portus & protectio eorum qui ad te confugiunt. Scio ô Domina, mei Domini parens, quod te valdè offenderim, & ex te natum Dominum noſtrum, nec ſum dignus conſequi miſericordiam (nec multò poſt, cum hac intenſa, & quæ ex tota anima fit, confeſſione) rogo; ſanctiſſima Domina, offer me Chriſto, qui natus ex te eſt, ſancta & mundo deſiderata Dei parens, & ne abomineris me infelicem, ne deſpicias preces peccatoris qui fuit correptus à maligno inimico, *&c.* pergit interim anxius homo preces triſtiſſimas fundere, faciem ſuam verberare, ſolo adhærere, templum Virginis in quo ithæc fiebant rigare lacrymis, in jejunio perſeverare, tum in propoſitam imaginem, quæ ſe illic offerebat, venerandæ Virginis æſtuans intueri. Te, inquit, habeo poſt Deum protectionem & defenſionem. Domina mea benedicta, ad tuum intuens auxilium & gubernationem, non faciam irrita ea quæ tibi ſum pollicitus. Scio enim, ſcio ô benedicta poſt Deum non eſſe aliam hominum defenſionem niſi te ſolam, ô Deiparens. Quis enim, ô Domina mea, ſperavit in te, & pudore eſt affectus? aut quis hominum fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit unquam derelictus? Reverâ nullus unquam. Quid multis? Theophilus quadraginta dies in hoc Mariæ templo perdurans, nullumque orandi & plorandi, lamentandique finem faciens (tantus in illo fervor erat pœnitentiæ) demùm opitulante ſacra Virgine, ſuam ſcriptam & conſignatam diabolo ſyngrapham, quâ Chriſtianiſmum abjuraverat, mirabile dictu recepit, in Dei gratiam rediit, peccatum eſt ultrò confeſſus, & poſt pœnitentiæ fructus dignos editos, etiam Eccleſiæ per Epiſcopum publicè reconciliatus, eò demùm pervenit, ut ob vitam ſanctè actam catalogo Sanctorum ſit adſcriptus, ac ſolenniter ejus memoria quarto Februarii quotannis in Eccleſia celebratur.

Magnè peccatores ope B. Virg. adjuti.

Non multò abſimilem hiſtoriam reperies de adoleſcente perdito Beatiſſimæ Virginis Lauretanæ ope adjuto apud Horatium Turſellinum. Hiſtoria Lauretana l.4.c.33.

Camberienſem civem vitæ licentioris emendavit horribilis ſpecies Judicii. Hinc malus dæmon cum ingenti volumine partes agens accuſatoris; inde Tutelaris genius patrocinaturus aſtabat. At cum ad defenſionem rei nihil magnum adduceret, ad ſententiam pronunciandam ſeſe Chriſtus accinxit; verùm beata Virgo procumbens in genua, pro reo fit ſupplex, aitque; Etſi nihil admodùm ipſius Chriſti cauſa fecerit, ſuâ certè nonnihil præſtitiſſe, cùm Roſarium identidem percurrit, unde favorem & in præſenti neceſſitate auxilium mereretur. Obtinuit à filio Mater tantillum temporis, dum juſto pœnitentiæ lavacro ſuam reus conſcientiam poſſet emundare. Quæ res ſic hominem perculit, ut ſecuta è veſtigio de tota vita confeſſio, & concepta in beatam Virginem pietas viſum non vanum fuiſſe, ſed Dei nutu immiſſum demonſtraret.

Chron. Societ. an. 1611.

Nunc.

I. Quid ſibi vult hæc vocula *nunc?*

R. Significat totum tempus præſens, ex quo non habemus niſi unum momentum præſens, ſive nunc.

Et in hora mortis noſtræ. Amen.

I. Cur petimus, ut Mater Dei oret pro nobis, præſertim in hora mortis.

R. Quia tunc maximè indigemus ejus auxilio, cùm graviſſimum nobis à dæmone hominis calcaneo inſidiante imminet periculum.

I. Quâ ratione juvat nos B. Virgo Deipara in hora mortis;

Adeſt ſuis clientibus in hora mortis.

R. Impetrat à Deo fælicem ex hac vitâ deceſſum ſuis devotis clientibus; interdùm abigit dæmonem; interdum à tentatione liberat; tandem etiam ægritudinis moleſtias, necnon rerum futurarum apprehē-

ſionem.

Digitized by Google

ſionem ſpirituali conſolatione bona ex parte levat.

Exempla.

I. Habeſne exempla quibus demonſtres Virginem Dei Genitricem in hora mortis adfuiſſe iis qui ejus cultui in vita addicti fuerunt?

Ex revelat. S. Brigittæ, examinatis in Concilio Conſtant. ab eoque approbat. Joannes Oſor. to. 4. Concionum.

R. Habeo. Fuit B. Brigittæ filius, cui nomen Carolus, juvenis ætate ac moribus clarus, militiæ deditus, qui in ea ætatate mortuus eſt. Anxia erat Brigitta de filii æterna ſalute quam hác viſione Chriſtus Dominus conſolatus eſt. Vidit tribunal Judicis & in eo Chriſtum ſedentem, ad cujus dexteram Maria Mater erat. Acceſſit dæmon ad judicium, & ait: Juſtè Judex, adeò juſtus es; ut ſperem me à te obtenturum (quod juſtè petiero) etiamſi contra Matrem tuam petam ego inimicus tuus. Injuſtè illa mecum egit in morte Caroli in duobus; quorum primum illud fuit, quod die ultima vitæ illius, illa cubiculum ejus ingreſſa eſt, eique adfuit in extremis laboranti, meque illa die in ſe expulit, nec ullo modo paſſa eſt me eò ingredi, ut tentare Carolum poſſem. Qua in re manifeſtè vim intulit; jus enim mihi à te conceſſum eſt homines tentandi, maximè tamen poſtremâ die qua univerſum hominis negotium conficitur. Jube ergò animam illius in corpus redire, & per diem mihi concedatur ut tentem eum. Quod ſi evaſerit, mihique viriliter reſtiterit ſalvus ſit: Nunc verò jure ſalutem conſecutus non eſt, ſed injuriâ. Secunda verò mihi à Matre tua irrogata injuria hæc fuit, quòd cum ego tanquam apparitor debeam animas in Judicio præſentare, & accuſare. Mater tua animam Caroli corpore exutam inter brachia ſuſcepit, ad judicium tuum detulit, meque judicium intrare prohibuit. & eum accuſare, judiciumque ſine parte actum eſt, quod contra omne jus eſt. Maria reſpondit, quod licet dæmon ſit Pater mendacii, hic tamen verum dixerit, quia coram Veritate ageret. Se autem præſtitiſſe animæ Caroli beneficia, eo quod is in vita ſummè ipſam dilexiſſet: & quod inſuper ſummè iratus ſit de bonis ipſius, & pro ea vitam fundere paratiſſimus fuerit: eumque ille tanto erga eam affectu fuiſſet, debuit ipſa in morte ei adeſſe, & hæc in eum beneficia conferre. Reſpondit juſtiſſimus Filius Mariæ: Mater mea in regno meo principatur, non ut alii electi, ſed tanquam Mater, Regina, ac Domina, & proindè poteſt diſpenſare in legibus à me latis, cùm juſta interceſſerit cauſa; juſtiſſima verò fuit cauſa, ut cum anima Caroli diſpenſaret, ſic enim honorandus erat, qui Matrem meam tanto dilexiſſet affectu, & ea erat morte donandus: quare ſuper hac cauſa perpetuum ſilentium dæmoni indictum eſt. Quâ revelatione intellexit B. Brigitta filium ſuum in cœleſti regno commorari, adjutrice Maria, propter ipſius in illam eximiam devotionem.

Adolpho Franciſcano, qui cùm relicto Alſatiæ Principatu, ſanctam & humilem in illa familia vitam egiſſet, moribundo eadem Virgo aſtitit, innumerabilium Angelorum comitatu ſtipata, eumque trepidantem ita confirmavit: Quid times fili: aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni ſecurus, quoniam filius meus, cui fideliter ſervivisti, dabit tibi coronam gloriæ. Quibus ille Virginis verbis, & aſpectu adeò eſt recreatus, ut omnis horror mortis in ingentem lætitiam verſus ſit.

I. Habeſne breviorem aliquam expoſitionem Salutationis Angelicæ?

R. Habeo.

SALUTATIONIS ANGELICÆ

Alia breviſſima expoſitio.

Ave

Salve, gaude, pax tibi, proficiat, congratulor, & applaudo tibi de laudibus, encomiis, honorum titulis quibus te in hac ſalutatione Archangelus Gabriel à

Deo miſſus compellavit, maximè verò de Incarnationis Dominicæ myſterio in te ancilla Domini perfecto. Eia, exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo.

Maria.

Domina noſtra, maris ſtella, minimè deinceps amara, ſed tota pulchra, & deliciis omnibus affluens, utpotè:

Gratiâ plena.

Omnis gratiæ, virtutum, chariſmatum, & donorum ea plenitudine prædita, quæ Dei Matrem decebat.

Dominus tecum.

Non tantum gratiâ, ſive gratiæ plenitudine ſpecialiſſimâ, & protectione ſingulariſſimâ; ſed etiam naturâ ex te factus homo; non tantùm confeſſione voluntatis, ſed etiam conjunctione carnis.

Benedicta tu in mulieribus.

Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore.

Et benedictus fructus ventris tui.

Quidni, ô Domina, ſis inter mulieres benedicta, cùm fructus intemerati ventris tui, ſit

Ieſus Chriſtus.

Qui eſt Deus ſuper omnia benedictus?

Sancta Maria.

Regina Sanctorum omnium, gratia, meritis, & gloria ſuper omnes creaturas exaltata.

Mater Dei.

Quia VERBUM in te, & ex te CARO FACTUM EST.

Ora pro nobis.

Cùm enim ſis Mater Miſericordiæ, tu vis, & potes nobis miſeris opitulari

Peccatoribus.

Confugerunt nimirum ad te non rarò magni etiam peccatores, & deprecationes eorum non deſpexiſti, quia ſinum & viſcera miſericordiæ, & beneficentiæ, etiam peccatoribus, (ac utinam etiam nobis!) *Nunc & in hora mortis*

Aperire ſoles, ô Mater dulciſſima, conſolatrix afflictorum, & peccatorum tutiſſimum aſylum.

Amen.

Ita fiat, ita avemus.

Sumens illud Ave

Peccatorum miſerere.

I. Quare ob *Ave Maria* ter in die campanæ pulſantur, videlicet mane, meridie, & veſperi?

R. Ut erudiamur, opus nobis inprimis eſſe ad auxilium Dei, ſanctorumque ſæpè recurrere, cùm in medio inimicorum tam viſibilium, quàm inviſibilium degamus: Nec ſatis eſſe ad orationis arma in principio noſtri operis recurrere, ſed etiam in progreſſu operis ac fine idipſum facere oportere. Aliam mediationem ad trinam hanc ſalutationis Angelicæ compulſationem, faciendam notavimus ſuprà hac eadem p. e. 2 lect. 3. *Cur pulſatur ad Ave Maria ter in die.*

LECTIO IX.

De Sodalitate Roſarii ejuſque exercitiis.

Quandoquidem tot favoribus, gratiis, & præſidiis, ſuos cultores Beatiſſima Virgo proſequatur, vel in equidem de eorum etiam numero cenſeri, dic quid facto opus?

R. Nihil ad hanc rem compendioſius, quàm ut alicui ejus ſodalitio ſive Confraternitati nomen dederis.

I. Cuinam?

R. Suaſerim ut ſodalitio Roſarii, tum quia illud unicè addictum eſt cultui B. Virginis, tum quia à diverſis Summis Pontificibus confirmatum, & variis Indulgentiis ac privilegiis donatum; tum denique quia omnis generis, ordinis, conditionis, & ſexus homines complectitur, qui ejus exercitia nullo negotio obire poſſunt.

I. Quid agendum eſt, ut huic ſodalitio adjungar?

R. *Primò*, ejus Præfecto ſeu Directori deſiderium tuum aperias. *Secundò* peccata tua confitere, & ſacra communione reficiaris. *Tertiò* eâdem die cura nomen tuum inſcribi. *Quartò*, Roſarium

Digitized by Google

ſarium tuum trade Præfecto benedicendum.

In ipſa nominis inſcriptione obtinetur Indulgentia plenaria à confeſſis & communicatis.

I. Cur dicis nomen inſcribendum eodem ipſo die quo communicaveris?

R. Ad lucrandum Indulgentiam plenariam in ipſo ingreſſu ſodalibus conceſſam.

I. Quid in ipſo jam ſodalitio verſantibus agendum eſt?

R. Servandæ ſunt regulæ ſodalitatis. Secundò danda eſt opera lucrandis Indulgentiis, ſaltem principalibus & plenariis. Tertiò vacandum cultui Virginis. Quartò, imitandæ ſunt ſodalibus ejus virtutes.

I. Quæ eſt regula principalis, ſive primarium hujus ſodalitatis exercitium.

Regula principalis Confratern. Roſarii.

R. Exercitium Confraternitatis Roſarii in eo potiſſimum verſatur, ut Beatiſſima Virgo Mater Dei frequenti repetitione ſalutationis Angelicæ honoretur, ſodalibus ſingulis qualibet hebdomadâ Roſarium ter recitantibus. Roſarium autem conſtat oratione Dominicâ quinquies, & ſalutatione Angelicâ quinquageſies repetitâ.

Cæterùm ut mens orantis, cui difficile videtur, & tædioſum, ad eadem verba toties repetita attendere, fructu ſuo non careat, piè ordinatum eſt, ut quodlibet Roſarium quinque myſteriis perficeretur, quibus meditandis, dum os verba profert, mens occuparetur.

I. Quæ ſunt iſta Myſteria?

Myſteria inter recitandum Roſarium meditanda.

R. Primo Roſario aſſignata ſunt quinque gaudia ſanctiſſimæ Matris, quinque decadibus accommodata, quibus illa, ex his, quæ circa Chriſti naturam humanam contigerunt, affecta fuit, nimirum iſta:

Myſteria gaudioſa.

1. Annunciatio Dominicæ Incarnationis.
2. Viſitatio Elizabethæ,
3. Nativitas Domini,
4. Oblatio Chriſti in templo,
5. Inventio pueri Jeſu inter Doctores;

In ſecundo Roſario memoria recolitur quinque Myſteriorum Paſſionis Chriſti, quæ ſunt;

Doloroſa.

1. Oratio & captivitas Domini in horto,
2. Flagellatio,
3. Coronatio,
4. Bajulatio Crucis,
5. Crucifixio ſive dolores in Cruce tolerati.

In tertio Roſario proponuntur quinque Myſteria poſt Chriſti Domini mortem, nimirum?

Glorioſa.

1. Reſurrectio Domini,
2. Aſcenſio ejus in cœlum,
3. Adventus S. Spiritûs in Diſcipulos,
4. Aſſumptio B. Virginis in cœlum.
5. Coronatio ejus, & exaltatio.

I. Quis iſta exercitia ſodalitio B. Virginis Mariæ aſſignavit?

S. Dominicus ſodalitatis Roſarii auctor.

R. Beatus Dominicus Fratrum Prædicatorum primus inſtitutor, per ejuſdem glorioſæ Virginis revelationem admonitus, uti teſtantur Frater Joannes à Monte l. de Laudibus B. Virginis, & F. Thomas à Templo, ambo Diſcipuli, & ſocii S. Dominici, Virginis Deiparæ præcipui cultores.

I. Quâ occaſione id egit S. Dominicus?

Roſarii inſtitutio & progreſſus.

R. Cùm in Italia Galliaque penè univerſa à parvis paulatim initiis ſuccreſceret hæreſis Albigenſium, S. Dominicus Toloſam ſe contulit, ut graſſanti malo, vitæ ſanctitate, fervidis concionibus, atque miraculis obviaret. Ubi verò animadvertit parum ſe proficere in lue hac tollenda, ad Deiparam confugit, quæ cunctas hæreſes ſola interimit in univerſo mundo. Ab ea inſtructus de inculcandis vitæ ac Paſſionis Chriſti myſteriis, & de Roſario inſtituendo ac promulgando, mirum dictu, quantum profecerit, quanta ſit animorum mutatio conſecuta.

Erigebatur pluribus locis Confraternitas, impietas deſerebatur, virtuti incumbebatur, confundebanturque, ut centum millia ab erroribus damnatis ſe convertiſſe, & plurimi ad meliorem frugem ſeſe recepiſſe dicantur.

Lapſu deinde temporis hic orandi ri-

Digitized by Google

tus venit in oblivionem. Quapropter ipſa Mater miſericordiæ anno 1460. videndam ſe exhibuit Alano de Rupe Ordin. Prædic ac hortata eſt, ut collapſam Roſarii devotionem reſtauraret. Hanc eſſe ſingularem rationem, quâ Dei furor mitigetur, quâque ipſa interpellata tam in vita, quàm in morte periclitantibus ſuccurrat: Addiditque futurum ut hic orandi modus, innumeris miraculis prodigiiſque astruatur.

Sur. in Commēt. hiſt. ad annum 1572. Turſel. l. 4. hiſt. Laur.

Denique iſta legendi Roſarii Religio magna Coloniæ & aliis in partibus Germaniæ accepit incrementa circa annum Domini 1575. graviter agente V. P. Jacobo Sprengero ejuſdem Ordinis Prædicatorii Religioſo etiam ab eadem ſanctiſſima Deipara admonito.

Poſtremò ſolemnis victoria à Chriſtianis de Turca, reportata magnopere inſtitutum hoc commendavit. Res ſic ſe habet.

Solemnitas Roſarii Dominica 1. Octob. ſub titulo S. Maria de Victoria.

Anno Domini 1571. nonis Octobris (qui erat Dominica prima menſis) prælio navali contra Turcas pugnatum eſt ad Lepanthum, veteribus Naupactum, in ſinu Corinthio ad Echinadas inſulas; qui etſi navium militumque numero præſtarent; maximâ poſt hominum memoriam victoriâ profligati ſunt. Mariani (ut creditur) Roſarii merito. Nam eo die per univerſum Chriſtianum orbem Confratres ſanctiſſimi Roſarii pias preces ac proceſſiones de more habebant; Unde Gregorius XIII. Feſtum hoc de Victoria, ſeu Roſarii, ſummâ quotannis celebritate colendum inſtituit primâ Dominicâ Octobris. Exſtant ejus litteræ datæ ſub annulo Piſcatoris anno Domini 1573. Kal. April. quarum initium eſt. *Monet Apoſtolus*. Vide Breviarium FF. Prædicatorum.

Martyr. Rom. 7. Octob. & nota Baro.

Leges hujus Sodalitatis non obligant ad peccatum.

I. Qui hæc Sodalitatis Roſarii exercitia non peragit, ſive qui Roſaria tria, ſive unum Roſarium magnum hebdomatim non legit, peccatne?

R. Non, quia leges iſtius Sodalitatis non obligant ſub peccato; ſed iſte non lucratur Indulgentias Confratribus conceſſas.

I. Quibus ſimiles ſunt Confratres qui non ſtudent lucrandis Indulgentiis?

R. Similes illis qui negligunt debita ſua diſſolvere ex ærario Regis, quod eſt ipſis ad manum.

I. Declara hoc?

Studere oportet lucrandis Indulg.

R. Cùm lucramur Indulgentias, diſſolvimus debita noſtra, ſive pœnas reſtantes, ex theſauro meritorum, & ſatisfactionum Chriſti. B. Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, diſpenſante illum nobis Summo Eccleſiæ Oeconomo, qui eſt Romanus Pontifex, uti ſuprà in materia de Indulgentiis.

I. Quid ultra jam dicta exigis à Sodalibus Roſarii B. Virginis?

R. Ut Sacramenta Confeſſionis & Communionis cum debita præparatione frequentent.

I. Quam ob cauſam?

R. Ad lucrandas Indulgentias Confraternitatis, uti proximè dicebam. *Secundò* ad puram, & mundam conſcientiam conſervandam. *Tertiò* ad robur ſibi comparandum contra tentationes. *Quartò*, ad conciliandum ſuæ Dominæ, & mediatricis favorem & gratiam.

I. Quid reſtat amplius?

R. Ut ejuſdem ſanctiſſimæ Virginis virtutes imitari conentur; præſertim verò humilitatem, caſtitatem, charitatem erga Deum & proximum.

I. Quâ ratione imitabuntur ejus *humilitatem*?

Sodales debent imitari B. Virginem.

R. Probè humilitatem Virginis imitabuntur, ſi neminem contempſerint, ſi minima devotionis exercitia, quæ in hac ſodalitate fiunt, non dedignentur. *Secundò* ſi omnem ſuperbiam, & arrogantiam deteſtentur, ſæculi pompam, faſtum & applauſus fugiendo.

I. Quomodo Virginis *caſtitatem* imitabuntur Sodales?

R. Omnes illicitas carnis voluptates diſciplinæ robore comprimendo, occaſioneſque & illecebras peccati, necnon conſortia periculoſa, & mundanæ amicitiæ vincula diſrumpendo.

I. Oſten-

Digitized by Google

I. Oſtenditne aliquando Virgo Deipara homines incontinentes ſibi diſplicere?

Ex Chronico Societ. An. 1610.

R. Ita ad Theoniſvillam patriæ Luxemburgenſis civitatem; miles mulierculam, cui ante conſueverat, duxit; hæc in ipſa celebritate nuptiarum purâ veſte Virginem profeſſa, & Virginali ritu per humeros defluente capillo compta, geſtabat in capite coronam, quæ ſimul ac nuptialis pompa finem habuit, reddita eſt ſtatuæ Divæ Virginis, unde è templo in profanum caput fuerat tranſlata: ſed poſtero mane apparuit feneſtræ cuidam impoſita. Certior factus Parochus eam ipſe ſuis manibus ſimulacro iterum imponit: ſequenti die eodem eventu idem facit, ac ne qua fraus irreperet, obſeratæ ædis claves ipſe ſecum domum ſuam veſperi deportat, animo pendens in expectatione futuræ lucis. Quæ ubi oſtendit ibidem loci diadema, ſive corolla revulſam jacere loco, in quo antè, haud ampliùs hæſitans illam jam à Deiparâ repudiatam confregit, quod intelligeret nolle caſtiſſimam Virginem ſub meretricio ornamento ſtatuam ſuam honorari.

L. 1. ſtim. adoleſ. Chriſt. c. 12. ex Alb. Caſt. de Roſario.

Huc accedere poteſt quod Baldeſanus narrat. Cuidam adoleſcenti B. Virgo aliquando apparuit, ut potionem illi ſuaviſſimam calice immundo bibere dare videretur. Admiratur adoleſcens, quid hoc rei ſit? at Virgo cui gratior puritas & ſalus animi eſſet, quàm, quòd ab illo quotidie percurrebatur, Roſarium; Vide, inquit, fili: preces Roſarii tui ſunt mihi gratiſſimæ: ſed calix quo porrigis, eo quòd tu minùs puriter vivas, averſioni atque horrori eſt. Quibus verbis permotus ita eſt adoleſcens, ut continuò novam & meliorem rationem vivendi inveniit.

I. Quomodò charitatem Deiparæ Virginis imitari ſtudebunt?

R. Si fecerint & docuerint quidquid ad Dei, ejuſque genitricis Mariæ gloriam augendam ſpectat.

Secundò, ſi ex myſteriorum (de quibus ſuprà) conſideratione conati fuerint elicere actus amoris & gratitudinis erga Deum & B. Virginem.

Tertiò, ſi in infirmitate Confratres viſitaverint, atque ad Sacramentorum maturam receptionem adhortati fuerint, ſi peccatores ad pœnitentiam ſuis ſalutaribus monitis reduxerint; ſi pro fidelibus Confratribus defunctis, pias ad Deum preces fuderint, Indulgentiam eis applicando, &c.

Quartò, ſi pro publicis rebus Deum oraverint, verbi gratiâ, pro Sanctiſſimo Papa, pro concordia Principum Chriſtianorum, pro exaltatione Sanctæ Matris Eccleſiæ, pro hæreſeon extirpatione, pro converſione infidelium, &c. qui ſunt fines ordinarii, pro quibus ſolet Pontifex tot Indulgentias huic ſacræ Confraternitati concedere.

I. Cur hæc Confraternitas Roſarii, & cur modus prædictus in ea orandi, Roſarium dicitur?

Roſarium quid & cur ita dictum.

R. Quia Sanctiſſima Virgo, cui dedicatum eſt Roſarium, Jerechuntina roſa dicitur, quæ eſt florum Regina, ſicuti Beatiſſima Virgo eſt Regina cœli. Eva ſpina fuit, quæ & virum ſuum uſque ad mortem pupugit, & poſteritati ſuæ peccati aculeum infixit; Roſa Maria. Eva ſpina vulnerando: Maria roſa omnium affectus mulcendo, Eva ſpina infigens omnibus mortem: Maria roſa reddens ſalutiferam omnibus ſortem. S. Bern. ſermone de B. Maria. Et quemadmodum roſetum triplicis generis roſas, albas nimirum, purpureas, & flavas producit; ita Roſarium complectitur myſteria gaudio candida, dolore purpurea, gloriâ flava, uti ſuprà notata ſunt, pro Roſario integro quindecim decadum. Quæ quidem myſteria poſſunt vel ipſi cæci cum maxima utilitate legere, in volvendo Roſario, tanquam ſuæ ſalutis Symbolum. Ergò ut rem clarè exponamus, Roſarium, hoc loco propriè accipitur pro peculiari quodam genere precandi Deum in

 hono-

Digitized by Google

tus venit in oblivionem. Quapropter ipſa Mater miſericordiæ anno *1460*. videndam ſe exhibuit Alano de Rupe Ordin. Prædic ac hortata eſt, ut collapſam Roſarii devotionem reſtauraret. Hanc eſſe ſingularem rationem, quâ Dei furor mitigetur, quâque ipſa interpellata tam in vita, quàm in morte periclitantibus ſuccurrat: Addiditque futurum ut hic orandi modus, innumeris miraculis prodigiiſque aſtruatur.

Sur. in Commẽt. hiſt. ad annum 1572. Turſel. l. 4. hiſt. Laur,

Denique iſta legendi Roſarii Religio magna Coloniæ & aliis in partibus Germaniæ accepit incrementa circa annum Domini 1575. gnaviter agente V. P. Jacobo Sprengero ejuſdem Ordinis Prædicatorū Religioſo etiam ab eadem ſanctiſſima Deipara admonito.

Poſtremò ſolemnis victoria à Chriſtianis de Turca reportata magnopere inſtitutum hoc commendavit. Res ſic ſe habet.

Solemnitas Roſarii Dominica 1. Octob. ſub titulo S. Maria de Victoria.

Anno Domini 1571. nonis Octobris (qui erat Dominica prima menſis) prælio navali contra Turcas pugnatum eſt ad Lepanthum, veteribus Naupactum, in ſinu Corinthio ad Echinadas inſulas; qui etſi navium militumque numero præſtarent; maximâ poſt hominum memoriam victoriâ profligati ſunt. Mariani (ut creditur) Roſarii merito. Nam eo die per univerſum Chriſtianum orbem Confratres ſanctiſſimi Roſarii pias preces ac proceſſiones de more habebant; Unde Gregorius XIII. Feſtum hoc de Victoria, ſeu Roſarii, ſummâ quotannis celebritate colendum inſtituit primâ Dominicâ Octobris. Exſtant ejus litteræ datæ ſub annulo Piſcatoris anno Domini 1573. Kal. April. quarum initium eſt. *Monet Apoſtolus*. Vide Breviarium FF. Prædicatorum.

Martyr. Rom. 7. Octob. & nota Baro.

Leges hujus Sodalitatis non obligant ad peccatum.

I. Qui hæc Sodalitatis Roſarii exercitia non peragit, ſive qui Roſaria tria, ſive unum Roſarium magnum hebdomatim non legit, peccatne?

R. Non, quia leges iſtius Sodalitatis non obligant ſub peccato; ſed iſte non lucratur Indulgentias Confratribus conceſſas.

I. Quibus ſimiles ſunt Confratres qui non ſtudent lucrandis Indulgentiis?

R. Similes illis qui negligunt debita ſua diſſolvere ex ærario Regis, quod eſt ipſis ad manum.

I. Declara hoc?

Studere oportet lucrandis Indulg.

R. Cùm lucramur Indulgentias, diſſolvimus debita noſtra, ſive pœnas reſtantes, ex theſauro meritorum, & ſatisfactionum Chriſti, B. Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, diſpenſante illum nobis Summo Eccleſiæ Oeconomo, qui eſt Romanus Pontifex, uti ſuprà in materia de Indulgentiis.

I. Quid ultra jam dicta exigis à Sodalibus Roſarii B. Virginis?

R. Ut Sacramenta Confeſſionis & Communionis cum debita præparatione frequentent.

I. Quam ob cauſam?

R. Ad lucrandas Indulgentias Confraternitatis, uti proximè dicebam. *Secundò* ad puram, & mundam conſcientiam conſervandam. *Tertiò* ad robur ſibi comparandum contra tentationes. *Quartò*, ad conciliandum ſuæ Dominæ, & mediatricis favorem & gratiam.

I. Quid reſtat amplius?

R. Ut ejuſdem ſanctiſſimæ Virginis virtutes imitari conentur; præſertim verò humilitatem, caſtitatem, charitatem erga Deum & proximum.

I. Quâ ratione imitabuntur ejus *humilitatem*?

Sodales debent imitari B. Virginem.

R. Probè humilitatem Virginis imitabuntur, ſi neminem contempſerint, ſi minima devotionis exercitia, quæ in hac ſodalitate fiunt, non dedignentur. *Secundò* ſi omnem ſuperbiam, & arrogantiam deteſtentur, ſæculi pompam, faſtum & applauſus fugiendo.

I. Quomodo Virginis *caſtitatem* imitabuntur Sodales?

R. Omnes illicitas carnis voluptates diſciplinæ robore comprimendo, occaſioneſque & illecebras peccati, necnon conſortia periculoſa, & mundanæ amicitiæ vincula diſrumpendo.

I. Oſten-

Digitized by Google

I. Oſtenditne aliquando Virgo Deipara homines incontinentes ſibi diſplicere?

Ex Chronico Societ. An. 1610.

R. Ita ad Theoniſvillam patriæ Luxemburgenſis civitatem; miles mulierculam, cui ante conſueverat, duxit; hæc in ipſa celebritate nuptiarum purâ veſte Virginem profeſſa, & Virginali ritu per humeros defluente capillo compta, geſtabat in capite coronam, quæ ſimul ac nuptialis pompa finem habuit, reddita eſt ſtatuæ Divæ Virginis, unde è templo in profanum caput fuerat tranſlata: ſed poſtero mane apparuit feneſtræ cuidam impoſita. Certior factus Parochus eam ipſe ſuis manibus ſimulacro iterum imponit: ſequenti die eodem eventu idem facit, ac ne qua fraus irreperet, obſeratæ ædis claves ipſe ſecum domum ſuam veſperi deportat, animo pendens in expectatione futuræ lucis. Quæ ubi oſtendit ibidem loci diadema, ſive corolla revulſam jacere loco, in quo antè, haud ampliùs hæſitans illam jam à Deipara repudiatam confregit, quod intelligeret nolle caſtiſſimam Virginem ſub meretricio ornamento ſtatuam ſuam honorari.

T. 1. ſtim. adoleſ. Chriſt. c. 12. ex Alb. Caſt. de Roſario.

Huc accedere poteſt quod Baldeſanus narrat. Cuidam adoleſcenti B. Virgo aliquando apparuit, ut potionem illi ſuaviſſimam calice immundo bibere dare videretur. Admiratur adoleſcens, quid hoc rei ſit? at Virgo cui gratior puritas & ſalus animi eſſet, quàm, quòd ab illo quotidie percurrebatur, Roſarium; Vide, inquit, fili: preces Roſarii tui ſunt mihi gratiſſimæ: ſed calix quo porrigis, eo quòd tu minùs puriter vivas, averſioni atque horrori eſt. Quibus verbis permotus ita eſt adoleſcens, ut continuò novam & meliorem rationem vivendi inivit.

I. Quomodò charitatem Deiparæ Virginis imitari ſtudebunt?

R. Si fecerint & docuerint quidquid ad Dei, ejuſque genitricis Mariæ gloriam augendam ſpectat.

Secundò, ſi ex myſteriorum (de quibus ſuprà) conſideratione conati fuerint elicere actus amoris & gratitudinis erga Deum & B. Virginem.

Tertiò, ſi in infirmitate Confratres viſitaverint, atque ad Sacramentorum maturam receptionem adhortati fuerint, ſi peccatores ad pœnitentiam ſuis ſalutaribus monitis reduxerint; ſi pro fidelibus Confratribus defunctis, pias ad Deum preces fuderint, Indulgentiam eis applicando, &c.

Quartò, ſi pro publicis rebus Deum oraverint, verbi gratiâ, pro Sanctiſſimo Papa, pro concordia Principum Chriſtianorum, pro exaltatione Sanctæ Matris Eccleſiæ, pro hæreſeon extirpatione, pro converſione infidelium, &c. qui ſunt fines ordinarii, pro quibus ſolet Pontifex tot Indulgentias huic ſacræ Confraternitati concedere.

I. Cur hæc Confraternitas Roſarii, & cur modus prædictus in ea orandi, Roſarium dicitur?

Roſarium quid & cur ita dictum.

R. Quia Sanctiſſima Virgo, cui dedicatum eſt Roſarium, Jerechuntina roſa dicitur, quæ eſt florum Regina, ſicuti Beatiſſima Virgo eſt Regina cœli. Eva ſpina fuit, quæ & virum ſuum uſque ad mortem pupugit, & poſteritati ſuæ peccati aculeum infixit; Roſa Maria. Eva ſpina vulnerando: Maria roſa omnium affectus mulcendo. Eva ſpina infigens omnibus mortem: Maria roſa reddens ſalutiferam omnibus ſortem. S. Bern. ſermone de B. Maria. Et quemadmodum roſetum triplicis generis roſas, albas nimirum, purpureas, & flavas producit; ita Roſarium complectitur myſteria gaudio candida, dolore purpurea, gloriâ flava, uti ſuprà notata ſunt, pro Roſario integro quindecim decadum. Quæ quidem myſteria poſſunt vel ipſi cæci cum maxima utilitate legere, in volvendo Roſario, tanquam ſuæ ſalutis Symbolum. Ergò ut rem clarè exponamus, Roſarium, hoc loco propriè accipitur pro peculiari quodam genere precandi Deum in hono-

Digitized by Google

honorem B.M. Virginis: quo nimirum aut centies & quinquageſies, aut ſolum quinquageſies recitatâ Salutatione Angelicâ, & cuilibet denæ ſalutationi interpoſitâ Dominicâ Oratione, certis quibuſdam meditationibus Chriſti Domini vitam complectentibus, Beatiſſima Virgo colitur & honoratur.

Roſarium magnum. Unde nota duplex eſſe Roſarium, magnum ſcilicet & parvum. Magnum dicitur, quod continet quindecim decades, hoc eſt quindecies decies ſalutationem Angelicam, & quindecies Orationem Dominicam, habetque quindecim myſteria ſupra notata inter earumdem orationum recitationem meditanda. Et hoc idem aliàs appellari ſolet *Pſalterium Virginis*, quia tot habet ejuſdem Virginis ſalutationes, quot Pſalmi ſunt in Pſalterio Davidico. *Pſalterium B. Virginis.* *Roſarium parvum.* Parvum verò dicitur, quod quinque tantùm complectitur decades, nimirum quinquaginta ſalutationes Angelicas, & quinque orationes Dominicas, totidemque myſteria per ſingulas decades conſideranda.

Quinquagena. Solet etiam hoc idem quandoque vocari Quinquagena, propter præfatum numerum ſalutationum; quandoque etiam tertia pars Pſalterii, quia hoc tertiò dictum efficit Pſalterium.

Miſcel. a1. Roſariũ, id eſt locus roſetis conſitus. Cur autem hoc genus orandi vocetur Roſarium, duplicem Doctor Navarrus aſſignat rationem. Una eſt quod quemadmodum Roſarium continet multitudinem fruticum gignentium roſas ſuaveolentes, ac ſe tractantem lætificantes; ita hoc genus orandi contineat multitudinem orationum Dominicarum & ſalutationum Angelicarum, quæ frequenter repetitæ miram ſuaveolentiam, beneque ſpirantem lætitiam illis pariunt, qui orationibus ſic repetitis, Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis, nec non ejuſdem Virginem Matrem attentâ, humili & devotâ mente ſalutant & orant.

Exemplum. In Chron. Ordinis Prædicatorum B. Cæciliam, ejuſdem Inſtituti Monialem, quæ continuò manibus roſarium attrectabat, & vix unquam dimittebat, defunctam digitis ſuis gratiſſimum roſarum odorem ſpiraſſe, & omnibus circa ejus corpus aſtantibus afflaſſe traditur. His accedit, quòd Roſarium quibuſdam ſit quaſi roſaceum ſertum ſive corona. *Roſarium.* *Corona.* Angelicis ſalutationibus tanquam roſis texta, quam Virgini Virginum Dei Matri offerimus. Serta enim Virginum capitibus ad ornatum adhiberi, non eſt inſuetum.

Roſarii recitatio Deo & B Virg. grata. I. Habeſne exempla quibus declares hoc orandi, Roſarii exercitium, homini utile ac Deo, Beatæque Virgini eſſe jucundum?

Exempla. R. Ita. Olim revelatum fuit cuidam ſpirituali Patri Carthuſiano apud Treverim, quod quoties quis piè & ſanctè legit ſertum ſive Roſarium glorioſæ Virginis Mariæ cum articulis vitæ & paſſionis Chriſti, toties plenam peccatorum ſuorum veniam, ſimulque eximiam gratiam, & eximium cumulum meritorum conſequitur. *Bloſ. in form. ſpirit.*

Cantip. l. 2. c. 29. p. 6. Juvenem fuiſſe nuper in Germaniæ partibus certâ relatione didicimus, qui mortuis parentibus, improborum conſilio depravatus, hæreditatem præclaram in ludo & tabernis totaliter diſſipavit. Hi vagabundus & miſer per patriam ferebatur: qui etſi aliàs ſtultis, caſtitatem tamen corporis obſervabat. Quem quidem miles patruus ejus non modicè miſeratus ad meliora conſilio & monitionibus ſalutaribus revocavit. Suaſit nimirùm ut recitationi Roſarii B. Virginis ſedulam operam daret, nec eâ ullo die negligeret. Fecit hoc, & poſt paucos annos in alium virum mutatus eſt: applaudente ſibi patruo, qui & honeſtas eidem nuptias procuravit. Verùm cum ipſo nuptiarum die, poſitis jam menſis ſponſus & ſponſa cum invitatis comeſturi pariter conſediſſent, ex inopinato memor ſponſus nondum ſe glorioſæ Virgini quinquagenarum ſalutationum ſive Roſarii penſum perſolviſſe, è menſa ſurgens, rogat patruum, ut pau-

Digitized by Google

paululum differat fercula miniſtranda; Quo annuente juvenis ſolus intrat cubiculum, ſolvit Matri Chriſti quod voverat tantò devotiùs, quantò ſe clementiùs probaverat exauditum. Ac ſtatim ubi extremam ſalutationem tertiæ quinquagenæ complevit, apparuit illi glorioſa Virgo lucidior Sole, tres togas in ſua tunica, juveni, unam anteriorem, & duas laterales oſtendens: Ecce, inquit, ſalutationes tuæ litteris aureis ſcriptæ, quibus me ſedulus honoraſti. Et quoniam in tuo corpore licet vanus & vagus, virginitatem conſervaſti, mox te febris lenta corripiet, & ad me tertiâ die ſine ulla carnis corruptione pervenies. Juvenis lectum aſcendit, & convocatis patruo, ſponſa & amicis, quid ſibi contigerit, declaravit, & mortuus eſt tertiâ die, ut prædixit.

Exempla. I. Habeſne miracula virtute Roſarii à Deo perpetrata?

R. Habeo. Cùm concionaretur S. Patriarcha Dominicus cum magno fervore in regno Franciæ, Chriſtianiſſima Regina Blancha rogavit ipſum ut vellet ſibi orationibus à Deo impetrare filiolum; S. Dominicus reſpondit: Regina te hortor, ut recites Roſarium B. Virginis Mariæ, & compares tibi multa Roſaria, deſque iis qui volent legere, promittens ipſi his verbis. Regina ſpera in Deo, quod ſi hoc feceris, & fueris devota B. Virgini, Deus per ipſius preces & aliorum qui legent hoc Roſarium, dabit tibi filium ſibi charum, virumque ſanctum. Hoc facto devota Regina tempore ſtatuto peperit filium, qui fuit Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus, ob ſanctitatem inter Divos relatus.

Cantip. l. 2. Apum c. 29 p. 2. Vidi & cognovi juvenem in Brabantiæ partibus generoſum, qui quamvis eſſet ſæculo deditus, totaliter B. tamen Virgini Mariæ devotus, quotidie tres quinquagenas in ſalutationibus exolvebat. Infirmatus autem ad extrema perductus eſt. Cumque per horas diei plurimas mortuus jacuiſſet, revixit ſubitò, & ſorori Moniali quæ juxtà ſedebat inclamavit dicens. Soror ecce redii: citò advocari facias Sacerdotem. Mirantibus omnibus Presbyter advocatur, & in maxima cordis lætitia, palam omnibus confitetur dicens: Ad Tribunal Chriſti Judicis raptus, cùm in tribus maximè à dæmonibus accuſarer, ferrique deberet contra me ſententia, piiſſima Mater Chriſti, rogavit Filium, ut ad corpus reducerer, illocum pœnitentiæ ſuſcepturus. Nec mora, factum eſt ut rogavit. Unum de peccatis, pro quo damnandus eram, erant decimæ, quas de agris meis ſubtraxeram Sacerdoti. Secundum erat, quod cum ſodalibus meis, piſces quorumdam Religioſorum furtivè ſurripueram. Tertium quòd ſegetes & fruges pauperum, cum canibus venaticis vagabundus deſtruxeram.

Hæc cùm coram omnibus loqueretur, quidam ex manſionariis dixit: Et cur, inquit, pro damno iſto, extremo eras damnandus ſupplicio, cùm nos illud vobis puro & integro corde remiſſerimus? Et ille: Mihi quidem veſtra remiſſio nequaquam ſufficerat ad ſalutem, cùm copioſior eſſem vobis in injuriis refundendis, quàm vos mihi in injuriis dimittendis. Et hoc dicens, reſtituenda damna protinus aſſignavit, ſicque diſponens rebus & domui, in ſpe & pace mirabili ſpiritum exhalavit. Plura in Viridario Mariano R. P. F. Vincentii Hensbergii Ord. Præd.

I. Solvunturne etiam à pœnis Purgatorii animæ defunctorum, virtute Roſarii? *Roſarium etiam defunctis prodeſt?*

R. Ita. Quidam Partheniæ Sodalitatis, Jurejurando interpoſito aſſeruerunt, cũ Marianum Pſalterium pro defunctis Fratribus, ſororibuſque quadam vice perſolverent, vidiſſe ſe animas quaſdam rubrâ in fronte cruce inſignitas, quæ hortabantur, ut nequaquam ſanctas Roſarii preces pro animabus in Purgatorii igne exiſtentibus, offerre deſiſterent; aſſirmantes, poſt Miſſæ Sacrificium nullam iſtis potiorem reperiri medicinam, ut à flammis eripiantur, per quas & ſe à ſuppliciis liberatas, & ad cœleſtia jam evolare congratulabantur. *Exemplum.* *B. Alan. in lib. de Roſar. P. Archang. c. 27. mirac. 31.*

Digitized by Google

I. Juvatne etiam poſt mortem defunctorum nomina in Confraternitatis Roſarii album referre?

Etiam defunctorum nomina Sodalitio inſcribuntur. Exemplum.

R. Juvat quàm maximè. Quædam pia Matrona dudum defuncta, Dei permiſſu, cuidam ſibi familiari & dilectæ apparuit, obnixè rogans, ut nomen ſuum Sodalitati Beatiſſimæ Virginis Roſarii adſcribi curaret. Interrogata cur poſt obitum id poſtularet, reſpondit: *Ob quædam delicta in ſæculo perpetrata quindecim annis Purgatorii cruciatibus ſum tradita: at, ſi in numerum Sodalium, licet defuncta coopter, citiùs è pœnis eximar ob incredibilem Roſariorum multitudinem, quæ indies ab illis offeruntur. Quamobrem deſiderium meum quantociùs exequere, & tamdiu Pſalterium pro me perſolve, donec tibi iteratò appaream.* Implet illa mandatum, & ecce elapſis diebus quindecim revertitur anima, ac teſtatur quindecim annos per virtutem Roſarii in totidem dies tranſmutatos. Grates igitur illi agens, ad Beatorum cœtum feliciter elevata eſt.

CONTROVERSIA HÆRETICORUM.

De honore Beatæ Virgini Deiparæ impenſo.

Supra lect. 4. & 7.

I. CAtholici habentne Mariam Virginem pro Deo?

R. Minimè, ſed habent illam pro Matre Dei, omni gratiâ plena, omnibuſque donis & prærogativis ornata, quæ eidem in ejuſmodi qualitate competunt, de quibus nos in ſuperioribus.

I. Dicunt in ſuis orationibus ad illam, *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra!*

R. Nihil refert. Audet Apoſtolus dicere: *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut corona gloriæ, nonne vos ante Dominum?* quanto potiori jure dicimus de Dei Matre, quòd ſit *ſpes noſtra, Mater miſericordiæ, vita, & dulcedo noſtra?* quam injuriam in hoc facimus Deo & Domino noſtro? nonne gloria Matris, gloria eſt Filii? numquid Mater pro nobis orando impetrat vitam & miſericordiam? nunquid per illam ſperamus omnia bona gratiæ & gloriæ? Advocatum in negotiis temporalibus audemus cauſæ noſtræ ſpem appellare; & dubitamus Virginem Deiparam, quæ intercesſione ſuâ quidlibet à Filio ſuo nobis impetrat, ſpem noſtram invocare? Profectò S. Bernardus non angebatur iſtis ſcrupulis, qui devotè & veraciter dicebat: *Exaudietur Mater pro ſua reverentia, exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.*

Vide S. Auguſtinum ſerm. 18. de Sanctis in medio, ad diem Septembris in Brev. Rom.

Unde tibi, ô Bernarde, tanta iſta fiducia & ſpes tua in Matre Dei? *Quia Deus totius boni plenitudinem poſuit in Maria; Ut proinde, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens. Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc ſtellam maris, quid niſi caligo involvens, & umbra mortis relinquitur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Hæc mellifluus Bernardus.

Serm. de aquæductu.

FINIS SECUNDÆ PARTIS CATECHISMI.

PARS

PARS TERTIA CATECHISMI.

DE CHARITATE ET DECALOGO.

CAPUT PRIMUM.

LECTIO PRIMA.

De Charitate S. Th. 2.2. q. 23. uſque ad 47.

I. NOnne ſufficit ad ſalutem conſequendam, ſi credamus, & ſperemus in Deum?

R. Minimè. Nam, *qui non diligit, manet in morte.* Et: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et rurſum: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Hac de cauſa fatuis Virginibus non patuit janua, neque cùm Sponſo intromiſſæ ſunt ad nuptias, quòd non haberent oleum in vaſis ſuis cum lampadibus; id eſt, bona opera à charitate profecta. Vide S. Auguſtinum ſerm. 23. de verbis Domini. cap. 4. & 8. & lib. de Fide & operibus c. 15.

1 Joan. 5. 1. Cor. 13. 1. Joan. 2. Matt. 25.

I. Quid eſt igitur *Charitas?*

S. Tho. 2. 2. q. 23. art. 1. & 2.

R. Eſt virtus à Deo infuſa, quâ Deum propter ſe ſuper omnia, & proximum ſicut noſmetipſos propter Deum diligimus.

Ibid a. 3.

I. Unde ſcis quòd charitas ſit virtus?

R. Hoc me docet Apoſtolus, ubi poſtquam multa in commendationem charitatis congeſſit, concludit dicens: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc* (tres virtutes quas Theologicas dicimus) *major autem horum* (harum maxima), *eſt charitas.*

I. Cur dicis quòd charitas ſit infuſa à Deo?

Vid. S. Th. q. cit. 2. 3.

R. Quia Deus per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis, diffundit charitatem in cordibus noſtris.

I. Quare addis: Quâ diligimus Deum ſuper omnia? quâ ratione diligitur Deus ſuper omnia?

Rom. 8.

R. Si ejus gratiam & amorem pluris feceris, quàm creata omnia, malueriſque potius omnia, vitamque ipſam perdere, quàm ſemel eum mortaliter offendere.

I. Quis eo modo Deum dilexit?

S. Mart. dilexerũt Deum ſuper omnia

R. Omnes Sancti Martyres, qui vitam & ſanguinem profuderunt pro Chriſti amore, & corpora ſua tradiderunt in mortem, ne ſervirent idolis. Vide apud Surium tom. 5. vitam & martyrium S. Severiani.

Exempla.

Erat quædam virgo nobilis quatuordecim annorum, quæ B. Virgini valde erat devota. Hæc glorioſam Virginem rogabat continuò ſeptem annis, ut ſibi digna-

Spec. exem. dict. 9. §. 74.

Digitized by Google

dignaretur oſtendere Filium ſuum. Quæ cùm in vigilia Nat. Domini, orationis causâ, ſola Capellam intraſſet, apparuit ei Virgo pulcherrima, tenens filium in manibus; & allocuta eſt puellam, dicens: Accipe filium meum, & lude cum eo. Quæ gaudens fecit. Cui puer: Diligiſne me? Et illa: Omninò. Subjunxit ille: Quantum me diligis. Tunc illa: Pluſquam corpus meum. Cui puer: Si diligis me? Et illa: Pluſquam cor meum. Jeſus ait: Quantum plus corde tuo diligis me? Et illa. Neſcio dicere, ſed ipſum cor loquatur. Quo dicto ſtatim cor ejus præ amore ſciſſum eſt. Tunc Beata Virgo, accepta anima ejus, in concentu Angelorum deduxit in cœlum. Ad cantum verò Angelorum familia cucurrit, & virginem mortuam invenientes, odore inenarrabili ſunt repleti. Et Fratres Prædicatores qui aderant, cor ejus aperientes, ſciſſum invenerunt, & in eo ſcriptum aureis litteris: *Diligo te pluſquam me, quia tu creaſti, redemiſti, dotaſti me.*

Beata Virgo Tereſia tanto divini amoris incendio conflagravit, ut meritò viderit Angelum ignito jaculo ſibi præcordia tranſverberantem, & audierit Chriſtum datâ dexterâ dicentem ſibi: *Deinceps ut vera Sponſa meum zelabis honorem.*

I. Eſtne aliquod præceptum charitatis; ſive eſtne præceptum quo obligemur ad amandum Deum?

Deut. 6. Matt. 22. Marc. 12. R. Ita. Hoc eſt primum & maximum mandatum in lege: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.*

I. Quomodò tranſgredimur hoc charitatis præceptum?

R. Duobus potiſſimùm modis: *Odio Dei & Acedia.*

Odium Dei. I. Nonne omnes & ſinguli qui Dei præcepta non ſervant, Deum non amant, & ſuo modo oderunt?

R. Ita quidem; attamen illi qui odio Deum proſequuntur, propriè magis, & attrociùs hoc Præceptum tranſgrediuntur.

I. Quid cauſæ poteſt homini accidere, ut odio Deum proſequatur.

R. Nihil planè. Nihilominus iſta eſt humanæ voluntatis perverſitas, & inordinatio, ut Deum oderit, quem ſcelerum ſuorum, quibus affecta eſt, vindicem ſentit.

I. Eſtne grave peccatum Deum odiſſe?

R. Graviſſimum. Ratio eſt, quia odium Dei opponitur eminentiſſimæ virtuti charitatis, & primo maximoque Dei mãdato. Matth. 22. Præterea, quia nos directè & propriè ſeparat à Deo, quod non faciunt alia peccata. Vide S. Tho. 2. 2. q. 24. a. 2. *Odiũ Dei graviſſimum peccatum.*

I. Quid eſt Acedia? *Acedia.*

R. Eſt triſtitia de bono ſpirituali, quæ taliter animum inceſſit, ut nullum guſtum, ſed potius tædium in bono operando experiatur.

I. Eſtne acedia, peccatum mortale?

R. Interdum mortale, interdum veniale; veniale quidem ſi ſolùm minuit charitatis fervorem, aut tepidiorem reddit; mortale ſi charitatem deſtruit, vel commiſſione, vel omiſſione rei alicujus notabilis præceptæ vel publicæ à Deo, vel ab Eccleſia.

I. Habeſne aliqua acediæ remedia? *Remedia acediæ.*

R. Ita. *Primum* eſt conſiderare beneficia atque labores Chriſti pro nobis ſuſceptos, quibus excitari debemus, ut aliquid in ejus gratiam agamus.

Secundum, cogitare facilitatem operis boni. *Iugum meum ſuave eſt* (inquit Dominus) *& onus meum leve.* Et: *Mandata ejus gravia non ſunt.* Nimirum, *ſuaviter equitat, quem gratia Dei portat.* Matt. 11. 1. Joan. 5.

Tertium, perpendere operis neceſſitatem. Nam ſervus malus & piger mittitur in tenebras exteriores, non aliam ob cauſam, quam quòd Domini ſui talen- *Similia.*

Digitized by Google

talentum non expendiſſet. Sicut ergo puer de virga cogitans, & operarius de inedia, excitat ſe, hic ad laborem externum, ille ad litterarum ſtudia: ita meritò excitari debet ad diſcutiendam pigritiam, qui pœnas ſecuturas conſiderat.

Quartum, contemplari omnium creaturarum indefeſſum laborem ad voluntatem Dei, & quomodo ei pareant Sol, arbores, animalia bruta, ipſiſſima formica, &c. Indignum eſt ergo ut ſolus homo otio torpeat.

Quintum, ſi certò credimus tantam pro exiguo labore reddi gloriam, ut eam neque oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis aſcenderit: meritò manus operi admovenda eſt.

Exempla.

I. Habeſne exempla eorum, qui diligenter acediam fugerunt?

Marul. l. 3. Exempl. c. 9.

R. Habeo. Ferunt B. V. Dei Matrem, cùm adhuc in templo ſerviret, à ſummo mane uſque ad horam tertiam precationes extendiſſe, à tertia ad nonam lanificio ſeſe occupaſſe; Inde demum ſumpto cibo uſque ad occubitum Solis lectitaſſe Scripturas, & in earum meditatione pernoctaſſe. Hac itaque vitæ inſtitutione ad tantam morum ſanctitatem devenit, ut ſola præ omnibus eligi meruerit, quæ & Salvatorem mundi pareret, & poſt partum Virgo permaneret.

S. Athan. in vita ejus.

Divus Antonius Monachorum Pater cupiens otioſitatem fugere, clamavit in eremo ad Dominum, & dixit: O Samaritane Domine Deus. O animarum & corporum verè Cuſtos, ſuſcita in me gratiam tuam, infunde ſervo tuo miſericordiam; ut in eremo collocatus in conſpectu tuo otioſus non maneam, & audivit D. Antonius: Antoni cupis Deo placere? Ora, & dum orare non potes, manibus labora, ſemper aliquid facito, fac quod in te eſt, age quod potes, & non deficiet tibi auxilium de ſancto.

Plura exempla infra c. 7. l. 10. remed. 7.

Dorothæus Thebanus Monachus, inter diu lapides ex mari, quod erat in proximo, colligere, inque annos ſingulos extruere parvam domum ſolebat, & eam dare iis, qui ſibi domum ædificare nō poterant; noctu autem, folia palmarum nectebat textura tortili, & ex illis ſportulas conficiebat, quibus victum ſibi ſuppeditaret. Nunquam viſus eſt ſuâ ſponte quieti ſe tradere. Cui quidam, cur inquit, ita corpus conficis? *quia illud*, inquit, *me conficit.*

Sozo. l. 6. c. 29.

LECTIO II.

Charitatis præceptum eſt homini in hac vita poſſibile.

I. Eſtne hoc charitatis præceptum cuivis homini ſervatu poſſibile?

R. Ita. Non enim præcipitur, totus vel ſummus amor Dei intenſivè, ſed tantùm comparativè, finaliter, & appretiativè.

I. Velim hoc magis explicari?

Amare Deum toto corde quid ſit.

R. Explico ſic: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ſive ex totâ animâ, mente, fortitudine, &c.* idem eſt ac ſi dicat: *Diliges Deum ex tota voluntate tua. Primò comparativè*, ut nullam cordis aut voluntatis tuæ partem des Idolo, aut rei cuipiam Deo contrariæ. *Secundò finaliter*, ut generatim velis Deum eſſe finem totum & ultimum tuarum cogitationum, actionum & amorum, ipſumque ut ſummum bonum finemque ultimum rebus omnibus præferas & anteponas; ac conſequenter. *Tertiò appretiativè*, ut nihil ita æſtimes, tantoque loco & pretio habeas, quanto habes Deum, ac proinde, ut totum cor, id eſt voluntatem applices, ut tota & omnia ejus præcepta impleas; eique per omnia obedias, etiamſi propterea opes, honores, famam, amicitiam, vitamque ipſam, perdere debeas.

Præceptū iſtud multi impleverunt.

I. Impleveruntne aliqui hoc præceptum in hac vita?

R. Plurimi. Abraham Gen. 22. David 3. Reg. 14. & Pſal. 118. Joſias 4. Reg. 23. & alii de quibus infrà.

I. Te-

Digitized by Google

I. Teneнturne miſeri ruſtici Deum ex toto corde diligere, adeoque poſſuntne mandatum hoc de amando Deo ſuper omnia ſervare?

R. Ita. Nullus omninò ab hujus mandati obſervatione eximi poteſt; certum enim & inconcuſſum manet Dei verbum ad populum loquentis: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè non suprà te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere. Quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire & facere quod præceptum eſt: Sed juxtà te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Deut. 30.

I. Quid eſt hoc, amare ſive diligere Deum *ex toto corde, & ex tota anima, ex tota fortitudine tua?*

Amare Deum ex toto corde, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua, eadem ſunt.

R. Hæc tria, ſecundùm phraſim Hæbream accipi poſſunt, ut unum idemque ſignificent: tantum enim ad majorem energiam & inculcationem, fit hæc trina repetitio. Hujus rei & ſenſus ſignum eſt, quod Scriptura ex hiſce tribus aliquandò unum ponat, aliquandò tria, aliquandò duo tantum ut cap. 10. Deut. v. 12. *Diligat eum, &c. in toto corde, & in tota anima tua.* Simile eſt 4 Reg. 23. Aliquandò addit quartum, videlicet; *Ex tota mente tua. Luc. 10. n. 27.* Idem ergò hæc omnia ſignificant, & habent ſenſum quem ſuprà diximus. Patet igitur ex dictis, hoc præceptum litteraliter in hac vita impleri poſſe. Poſſumus enim diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, tota mente, id eſt, tota poſſibilitate noſtra, ſeu quantum pro ſtatu & infirmitate hujus vitæ poſſibile eſt.

Deus diligendus ex toto corde, aut?

Fruſtrà enim præceptum hoc daretur nobis in hac vita, adeoque Deus præciperet impoſſibilia, quod nemo ſanæ mentis allegare poteſt. Vid. Bellarm. l. 2. de Monach. c. 15.

I. Cur diligendus eſt Deus ex toto corde?

R. *Primò*, quia Deus eſt creator, donator, & conſervator ipſius cordis, omniumque bonorum naturalium, & ſupernaturalium, quæ in corde, totoque homine ſunt; ergo par eſt, ut hæc omnia in eum redeant, & per amorem quaſi refluant.

Secundò, quia Deus creavit cor ſive mentem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, unde tribuit ei capacitatem quandam infinitam, quæ à nulla re creata, ſed à ſolo Deo impleri, & ſatiari poteſt. Reddamus ergò ei imaginem ſuam, ſicut ſcriptum eſt: *Reddite quæ ſunt Dei, Deo.* Matt. 22.

Tertiò, quia Deus uti principium, ita finis eſt hominis, omniumque creaturarum, omnes ergò eum, ut talem toto corde, & affectu proſequi & diligere debent.

Quartò, quia Deus eſt ſummum, immenſum, & increatum bonum, quod eſt fons omnis boni, quodque in ſe omnia bona, tam creata quàm poſſibilia continet in gradu eminentiſſimo & perfectiſſimo: Ergò ſummè eſt amabilis; ergò ex toto corde amandus: cætera enim bona, præ Deo vana, & nihil ſunt, fumus & umbra ſunt, ac proindè per ſe non ſunt diligenda, ſed tantùm propter Deum. *Omnis copia quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt*; ait Sanctus Auguſtinus.

I. Habeſne exempla Sanctorum qui ob ejuſmodi rationes jam allatas Deum toto corde dilexerunt?

R. Ita. Tradunt graves auctores Sanctum Auguſtinum in ſui amoris cum Deo deliciis & colloquiis, ita Deum affari ſolitum: Domine valde exultat in te anima mea, dum cogitat, quòd tu ſis Deus noſter. Quare ſi per impoſſibile fieri poſſet, ut Auguſtinus eſſet Deus, & tu eſſes Auguſtinus, omninè *Exempl.*

Digitized by Google

-rò vellem ut tu eſſes Deus, non Auguſtinus.

Quæ ſententia, ut ſana ſit, ſanè debet intelligi: non de mutatione perſonæ in perſonam, aut ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſed de mutatione ſtatûs in ſtatum. Cur autem imagini ejuſdem ſancti Patris cor flammeum in manus tradatur, ſatis intelligi poteſt ex Meditationum, ſoliloquiorum & libris aliis, in quibus paſſim amoris flammas, quibus ejus cor ſuccenſum erat, reperies.

Sur. 8. Aug. gerit cor flammeum in manu.

Jacoponus amore Dei ebrius jugiter flebat, ac rogatus cauſam, hanc dedit, quia amor (Deus) non amatur.

B. Maria Magdalena, quaſi cerva ſagittis amoris Chriſti ſaucia, dicebat: *Quæſivi quem diligit anima mea per vicos & plateas, inveni eum, tenui eum, nec dimittam.*

Cant. 3.

Joſaphat Rex (teſte Damaſceno in ejus vita c.37.) amore hoc æſtuans regnum reliquit, purpuram cum cilicio commutavit, ex aula in eremum ſeceſſit; voluptates, opes & gloriam ut ſtercora calcavit, ad omnia dura & acerba Monaſticæ vitæ ſtudia alacri animo ſe tradidit, illud Pſalmiſtæ clamans: *Adhæſit anima mea poſt te.* ô Chriſte, ſuſcipiat me dextera tua. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Pſ. 62. Pſ. 41.

S. Catharina Senenſis amoris Chriſti ſponſi ſui vulnere ſauciata inſtanter ab eo petiit, ut à ſe cor ſuum, & propriam voluntatem radicitus evelleret, ut tota tranſiret in ejus amorem; viſa eſt igitur ſibi videre Chriſtum cor ſibi è latere eximentem ac poſt aliquot dies aliud cor illuſtre afferentem, ac dicentem: Ecce filia mea, habes pro corde tuo cor meum; exinde tota mutata nimiè amore Chriſti æſtuavit; adeò ut dicere ſoleret ſe in hoc corde novo tantam puritatem, tantamq; humilitatem experiri, ac ſi quatuor aut quinque tantum annorum infans extitiſſet.

Sur. to. 2. 29. April.

Sanctus Philippus Nerius charitate Dei vulneratus languebat jugiter: tantoque cor ejus æſtuabat ardore, ut cùm intra fines ſuos contineri non poſſet, illius ſinum confractis, atque elatis coſtulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. *In ejus vita.*

I. Quid hoc eſt, diligere Deum *propter ſe?*

Diligere Deum propter ſe quid.

R. Id eſt ob bonitatem, miſericordiam, pulchritudinem, potentiam, & alia ejus attributa ſeu perfectiones; propter quas omni amore eſt longè digniſſimus.

Quis non amore liqueſcat, ſi Deum pro ſe hominem factum, ſi Jeſum parvulum, ſi laborantem, ſi ſudantem, ſi algentem, ſi coronatum, ſi crucifixum, intueatur? meritò S. Auguſtinus: *Totus,* inquit, *vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus eſt in cruce.* Vid. Bern. ſer. de amando Deo Et ſer. de triplici dilectione, & Tractatu de diligendo Deo.

L. de S. Virg. c. 55.

I. Quo tempore tenemur elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia?

R. Sanè ſi ullo tempore, certum eſt præceptum dilectionis Dei ſuper omnia obligare in articulo extremæ neceſſitatis, id eſt, in articulo mortis. Ratio eſt, quia præceptum hoc eſt affirmativum, ergò obligat aliquando, ergò maximè in periculo mortis, quia tunc eſt periculum ne occaſio ejus nobis eripiatur, ut uniamus nos Deo, adeoque qui eam negligeret, Deum ſuamque ſalutem parvi facere cenſendus eſſet.

Secundò, hoc præceptum obligat, quotieſcumque obligat præceptum contritionis, id eſt, quandocumque recepturi aut adminiſtraturi ſumus aliquod Sacramentum, ſi nobis Confeſſarii copia deſit.

I. Habesne aliquem actum formatum amoris Dei ſuper omnia?

R. Habeo. *O Domine Deus meus, toto corde, totâ mente, totâ fortitudine, & omnibus viribus meis amo te, & ſemper volo te amare ſuper omnia. Et ſi fieri poſſet, optarem ac vellem te poſſe amare, illo perfectiſſi-*

Actus amoris Dei ſuper omnia.

poteſt qui videt omnia, utpotè *ſcrutans corda & renes Deus*; homini quoque tam manifeſta eſt, quàm notum & manifeſtum illi eſt quod ipſe amet Deum, juxta illud Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Imò amor noſter erga Deum ſignum eſt, & effectus divini erga nos amoris. Unde quilibet poteſt ſic ratiocinari: *Quicumque diligit Deum, diligetur à Deo: ego diligo Deum, ergo diligor à Deo.* Major propoſitio eſt certa ex fide, Minor eſt certa per experientiam. Quilibet enim in ſe experitur, ſe amare Deum, ex indiciis moraliter certis, quòd ſit in gratia Dei, talia ſunt, verbi causâ; ſi in me expetiar verum mundi contemptum, rerum omnium terrenarum nauſeam, ac æternarum abſolutum deſiderium; & non modò conſcientiam non haben alicujus peccati mortalis, verum etiam illius habeo præcipuum horrorem, ac deteſtationem; poſſum meritò confidere, ac moraliter certus eſſe quòd ſim in gratia, adeoque amicitia Dei.

Indicia moraliter certa quod aliquis ſit in gratia Dei, adeoque quod amet Deum.

Quartò, ſi ſpectes communicationem bonorum honeſtorum, in nulla omninò amicitia reperiri poteſt perfectior aut excellentior communicatio, quàm bonorum virtutis, gratiæ & gloriæ. Deus enim ipſe communicavit homini divinitatem ſuam per Sacroſanctæ Incarnationis Myſterium; nec deſinit in dies ſe totum quicquid eſt perfectiſſimè communicare in Euchariſtia. Ad hæc, quicquid Juſtus vult aut cupit, hoc Deus vult & cupit; & quod Deo placet, hoc & homini juſto placet, qui *in mandatis ejus cupit nimis*; & orat inceſſanter: *Fiat voluntas tua*; faciente è converſo Domino voluntatem timentium ſe. Adeò quod in Deo, & homine juſto unus reperiatur ſpiritus, una voluntas; ut in duobus amicis duo quidem corpora, ſed una anima, ut dici ſolet. Si de familiari & amica converſatione ſermo eſt, numquid Deus, Opt. Max. in carne cum hominibus converſatus eſt, dicente de eo S. Apoſtolo Joanne: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus; & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, &c.* Quàm familiaria deindè cum hominibus colloquia, quantæ apparitiones etiam uſque in hodiernum diem, ut meritò dicat Sapientia: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Ipſi autem filii hominum juſti reciprocè cum Deo familiariſſimè in oratione converſantur, impenduntque in ejus obſequium omnes corporis vires, omnes animæ facultates, bona denique externa, fortunas, &c. Quid, quod etiam ipſe in carne inventus, ut homo portavit iniquitates noſtras, & communicavit carni & ſanguini, & infirmitatibus noſtris naturalibus? Hæc tandem arctiſſima utrimque unio, & communicatio efficit, ut homo Deum faciat participem omnium arcanorum ſuorum, nihil, ut velit cum latere, & ſimiliter Deus homini patefacit omnem rationem conſiliorum ſuorum; propterea dicebat Diſcipulis ſuis: *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, neſcit enim ſervus voluntatem Dei ſui.* Et hæc ipſa eſt communicatio reciproca inter Deum & hominem, quæ cùm fiat mediante charitatis vinculo, quo ambo colligantur, certum exploratumque manet charitatem veram eſſe hominis ad Deum amicitiam, aliis etiam conditionibus quas præmiſimus comitatam.

1. Joan. 1. — Job. 6. — Prov. 8. — Joan. 15.

I. Jam ſatis intelligo charitatem eſſe veram amicitiam, eaq; hominem juſtum cum Deo ſuo copulari poſſe; ſimul etiam colligo mundanas amicitias in utilitate aut voluptate fundatas non eſſe veri nominis amicitias.

Amicitiæ mundanæ in utilitate aut voluptate fundatæ, non ſunt veri nominis amicitiæ.

R. Rectè: convincuntur enim ejuſmodi amici non tam amicos quàm ſe diligere, & utilitatem ac propriam voluptatem quærere. Simili modo theſauros ſuos amat avarus; honores ambitioſus, carnem voluptuoſus. Verbo ut abſolvam: Amor, quem diximus, concupiſcentiæ, bona pars eſt amoris proprii, quo noſipſos inordinatè diligimus, omnem amicitiam ad noſtrum ipſorum bonum proprium referentes,

I. Juvatne etiam poſt mortem defunctorum nomina in Confraternitatis Roſarii album referre?

Etiam defunctorum nomina Sodalitio inſcribuntur. Exemplum.

R. Juvat quàm maximè. Quædam pia Matrona dudum defuncta, Dei permiſſu, cuidam ſibi familiari & dilectæ apparuit, obnixè rogans, ut nomen ſuum Sodalitati Beatiſſimæ Virginis Roſarii adſcribi curaret. Interrogata cur poſt obitum id poſtularet, reſpondit: *Ob quædam delicta in ſæculo perpetrata quindecim annis Purgatorii cruciatibus ſum tradita: at, ſi in numerum Sodalium, licet defuncta cooptet, citiùs è pœnis eximar ob incredibilem Roſariorum multitudinem, quæ indies ab illis offeruntur. Quamobrem deſiderium meum quantocius exequere, & tamdiu Pſalterium pro me perſolve, donec tibi iteratò appaream.* Implet illa mandatum, & ecce elapſis diebus quindecim revertitur anima, ac teſtatur quindecim annos per virtutem Roſarii in totidem dies tranſmutatos. Grates igitur illi agens, ad Beatorum cœtum feliciter elevata eſt.

CONTROVERSIA HÆRETICORUM.

De honore Beatæ Virgini Deiparæ impenſo.

Supra lect. 4. & 7.

I. Catholici habentne Mariam Virginem pro Deo?

R. Minimè, ſed habent illam pro Matre Dei, omni gratiâ plena, omnibuſque donis & prærogativis ornata, quæ eidem in ejuſmodi qualitate competunt, de quibus nos in ſuperioribus.

I. Dicunt in ſuis orationibus ad illam, *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra!*

R. Nihil refert. Audet Apoſtolus dicere: *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut corona gloriæ, nonne vos ante Dominum?* quanto potiori jure dicimus de Dei Matre, quòd ſit *ſpes noſtra, Mater miſericordiæ, vita, & dulcedo noſtra?* quam injuriam in hoc facimus Deo & Domino noſtro? nonne gloria Matris, gloria eſt Filii? numquid Mater pro nobis orando impetrat vitam & miſericordiam? nunquid per illam ſperamus omnia bona gratiæ & gloriæ? Advocatum in negotiis temporalibus audemus cauſæ noſtræ ſpem appellare; & dubitamus Virginem Deiparam, quæ interceſſione ſuâ quidlibet à Filio ſuo nobis impetrat, ſpem noſtram invocare? Profectò S. Bernardus non angebatur iſtis ſcrupulis, qui devotè & veraciter dicebat: *Exaudietur Mater pro ſua reverentia, exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater, Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.*

Vide S. Auguſtinum ſerm. 18. de Sanctis in medio, ad diem Septembris in Brev. Rom.

Unde tibi, ô Bernarde, tanta iſta fiducia & ſpes tua in Matre Dei? *Quia Deus totius boni plenitudinem poſuit in Maria; Ut proinde, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens. Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc ſtellam maris, quid niſi caligo involvens, & umbra mortis relinquitur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Hæc mellifluus Bernardus.

Serm. de aquæductu.

FINIS SECUNDÆ PARTIS CATECHISMI.

PARS

Digitized by Google

PARS TERTIA CATECHISMI.

DE CHARITATE ET DECALOGO.

CAPUT PRIMUM.

LECTIO PRIMA.

De Charitate S.Tho. 2.2.q.23. uſque ad 47.

I. NOnne ſufficit ad ſalutem conſequendam, ſi credamus, & ſperemus in Deum?

R. Minimè. Nam, *qui non diligit, manet in morte.* Et: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et rurſum: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Hac de cauſa fatuis Virginibus non patuit janua, neque cùm Sponſo intromiſſæ ſunt ad nuptias, quòd non haberent oleum in vaſis ſuis cum lampadibus; id eſt, bona opera à charitate profecta. Vide S. Auguſtinum ſerm. 23. de verbis Domini, cap. 4. & 8. & lib. de Fide & operibus c. 15.

1 Joan. 5. 1.Cor.13. 1. Joan. 2. Matt.25.

S.Tho.2.2. q.23.art. 1. & 2.

I. Quid eſt igitur *Charitas?*

R. Eſt virtus à Deo infuſa, quâ Deum propter ſe ſuper omnia, & proximum ſicut noſmetipſos propter Deum diligimus.

Ibid a.3.

I. Unde ſcis quòd charitas ſit virtus?

R. Hoc me docet Apoſtolus, ubi poſtquam multa in commendationem charitatis congeſſit, concludit dicens: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hac* (tres virtutes quas Theologicas dicimus) *major autem horum* (harum maxima) *eſt charitas.*

I. Cur dicis quòd charitas ſit infuſa à Deo? *Vid. S.Th. q.cit.2.3.*

R. Quia Deus per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis, diffundit charitatem in cordibus noſtris.

I. Quare addis: Quâ diligimus Deum ſuper omnia? quâ ratione diligitur Deus ſuper omnia? Rom.8.

R. Si ejus gratiam & amorem pluris feceris, quàm creata omnia, malueriſque potius omnia, vitamque ipſam perdere, quàm ſemel eum mortaliter offendere.

I. Quis eo modo Deum dilexit? *S. Mart. dilexerũt Deum ſuper omnia*

R. Omnes Sancti Martyres, qui vitam & ſanguinem profuderunt pro Christi amore, & corpora ſua tradiderunt in mortem, ne ſervirent idolis. Vide apud Surium tom. 5. vitam & martyrium S. Severiani.

Exempla.

Erat quædam virgo nobilis quatuordecim annorum, quæ B. Virgini valde erat devota. Hæc glorioſam Virginem rogabat continuò ſeptem annis, ut ſibi digna- *Spec.exem.dict.9. §.74.*

Digitized by Google

dignaretur oſtendere Filium ſuum. Quæ cùm in vigilia Nat. Domini, orationis causâ, ſola Capellam intraſſet, apparuit ei Virgo pulcherrima, tenens filium in manibus; & allocuta eſt puellam, dicens: Accipe filium meum, & lude cum eo. Quæ gaudens fecit. Cui puer: Diligiſne me? Et illa: Omninò. Subjunxit ille: Quantum me diligis. Tunc illa: Pluſquam corpus meum. Cui puer: Si diligis me? Et illa: Pluſquam cor meum. Jeſus ait: Quantum plus corde tuo diligis me? Et illa. Neſcio dicere, ſed ipſum cor loquatur. Quo dicto ſtatim cor ejus præ amore ſciſſum eſt. Tunc Beata Virgo, accepta anima ejus, in concentu Angelorum deduxit in cœlum. Ad cantum verò Angelorum familia cucurrit, & virginem mortuam invenientes, odore inenarrabili ſunt repleti. Et Fratres Prædicatores qui aderant, cor ejus aperientes, ſciſſum invenerunt, & in eo ſcriptum aureis litteris: *Diligo te pluſquam me; quia tu creaſti, redemiſti, dotaſti me.*

Beata Virgo Tereſia tanto divini amoris incendio conflagravit, ut meritò viderit Angelum ignito jaculo ſibi præcordia transverberantem, & audierit Chriſtum datâ dexterâ dicentem ſibi: *Deinceps ut vera Sponſa meum zelabis honorem.*

I. Eſtne aliquod præceptum charitatis; ſive eſtne præceptum quo obligemur ad amandum Deum?

Deut. 6. Matt. 22. Marc. 12. R. Ita. Hoc eſt primum & maximum mandatum in lege: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.*

I. Quomodò transgredimur hoc charitatis præceptum?

R. Duobus potiſſimùm modis: *Odio Dei & Acedia.*

Odium Dei. I. Nonne omnes & ſinguli qui Dei præcepta non ſervant, Deum non amant, & ſuo modo oderunt?

R. Ita quidem; attamen illi qui odio Deum proſequuntur, propriè magis, & atrociùs hoc Præceptum transgrediuntur.

I. Quid cauſæ poteſt homini accidere, ut odio Deum proſequatur.

R. Nihil planè. Nihilominus iſta eſt humanæ voluntatis perverſitas, & inordinatio, ut Deum oderit, quem ſcelerum ſuorum, quibus affecta eſt, vindicem ſentit.

I. Eſtne grave peccatum Deum odiſſe?

Odium Dei graviſſimum peccatum. R. Graviſſimum. Ratio eſt, quia odium Dei opponitur eminentiſſimæ virtuti charitatis, & primo maximoque Dei mãdato. Matth. 22. Prætereà, quia nos directè & propriè ſeparat à Deo, quod non faciunt alia peccata. Vide S. Tho. 2. 2. q. 34. a. 2.

Acedia. I. Quid eſt Acedia?

R. Eſt triſtitia de bono ſpirituali, quæ taliter animum inceſſit, ut nullum guſtum, ſed potius tædium in bono operando experiatur.

I. Eſtne acedia, peccatum mortale?

R. Interdum mortale, interdum veniale; veniale quidem ſi ſolùm minuit charitatis fervorem, aut tepidiorem reddit; mortale ſi charitatem deſtruit, vel commiſſione, vel omiſſione rei alicujus notabilis præceptæ vel publicæ à Deo, vel ab Eccleſia.

Remedia acediæ. I. Habeſne aliqua acediæ remedia?

R. Ita. *Primum* eſt conſiderare beneficia atque labores Chriſti pro nobis ſuſceptos, quibus excitari debemus, ut aliquid in ejus gratiam agamus.

Secundum, cogitare facilitatem operis boni. *Iugum meum ſuave eſt* (inquit Dominus) *& onus meum leve.* Et: *Mandata ejus gravia, non ſunt*, Nimirum, *ſuaviter equitat, quem gratia Dei portat.* Matt. 11. 1. Joan. 5.

Tertium, perpendere operis neceſſitatem. Nam ſervus malus & piger mittitur in tenebras exteriores, non aliam ob cauſam, quam quòd Domini ſui talen- *Similia.*

Digitized by Google

talentum non expendiſſet. Sicut ergo puer de virga cogitans, & operarius de inedia, excitat ſe, hic ad laborem externum, ille ad litterarum ſtudia: ita meritò excitari debet ad diſcutiendam pigritiam, qui pœnas ſecuturas conſiderat.

Quartum, contemplari omnium creaturarum indefeſſum laborem ad voluntatem Dei, & quomodo ei pareant Sol, arbores, animalia bruta, ipſiſſima formica, &c. Indignum eſt ergo ut ſolus homo otio torpeat.

Quintum, ſi certò credimus tantam pro exiguo labore reddi gloriam, ut eam neque oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis aſcenderit: meritò manus operi admovenda eſt.

Exempla.

I. Habeſne exempla eorum, qui diligenter acediam fugerunt?

Marul. l. 3. Exemplor. c. 9.

R. Habeo. Ferunt B. V. Dei Matrem, cùm adhuc in templo ſerviret, à ſummo mane uſque ad horam tertiam precationes extendiſſe, à tertia ad nonam lanificio ſeſe occupaſſe; Inde demum ſumpto cibo uſque ad occubitum Solis lectitaſſe Scripturas, & in earum meditatione pernoctaſſe. Hac itaque vitæ inſtitutione ad tantam morum ſanctitatem devenit, ut ſola præ omnibus eligi meruerit, quæ & Salvatorem mundi pareret, & poſt partum Virgo permaneret.

S. Athan. in vita ejus.

Divus Antonius Monachorum Pater cupiens otioſitatem fugere, clamavit in eremo ad Dominum, & dixit O Samaritane Domine Deus. O animarum & corporum verè Cuſtos, ſuſcita in me gratiam tuam, infunde ſervo tuo miſericordiam; ut in eremo collocatus in conſpectu tuo otioſus non maneam, & audivit D. Antonius: Antoni cupis Deo placere? Ora, & dum orare non poteris, manibus labora, ſemper aliquid facito, fac quod in te eſt, age quod potes, & non deficiet tibi auxilium de ſancto.

Plura exempla infra c. 7. l. 10. remed. 7.

Dorothæus Thebanus Monachus, inter diu lapides ex mari, quod erat in proximo, colligere, inque annos ſingulos extruere parvam domum ſolebat, & eam dare his qui ſibi domum ædificare nõ poterant; noctu autem, folia palmarum nectebat texturâ tortili, & ex illis ſportulas conficiebat, quibus victum ſibi ſuppeditaret. Nunquam viſus eſt ſuâ ſponte quieti ſe tradere. Cui quidam, cur inquit, ita corpus conficis? *quia illud*, inquit, *me conficit.*

Sozo l. 6. c. 29.

LECTIO II.

Charitatis præceptum eſt homini in hac vita poſſibile.

I. **E**Stne hoc charitatis præceptum cuivis homini ſervatu poſſibile?

R. Ita. Non enim præcipitur, totus vel ſummus amor Dei intenſivè, ſed tantùm comparativè, finaliter, & appretiativè.

I. Velim hoc magis explicari?

Amare Deum toto corde quid ſit.

R. Explico ſic: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ſive ex totâ animâ, mente, fortitudine, &c.* idem eſt ac ſi dicat: *Diliges Deum ex tota voluntate tua. Primò comparativè*, ut nullam cordis aut voluntatis tuæ partem des Idolo, aut rei cuipiam Deo contrariæ. *Secundò finaliter*, ut generatim velis Deum eſſe finem totum & ultimum tuarum cogitationum, actionum & amorum, ipſumque ut ſummum bonum finemque ultimum rebus omnibus præferas & anteponas; ac conſequenter. *Tertiò appretiativè*, ut nihil ita æſtimes, tantoque loco & pretio habeas, quanto habes Deum, ac proinde, ut totum cor, id eſt voluntatem applices, ut tota & omnia ejus præcepta impleas; eique per omnia obedias, etiamſi propterea opes, honores, famam, amicitiam, vitamque ipſam, perdere debeas.

Præceptũ iſtud multi impleverunt.

I. Impleveruntne aliqui hoc præceptum in hac vita?

R. Plurimi. Abraham Gen. 22. David 3. Reg. 14. & Pſal. 118. Joſias 4. Reg. 23. & alii de quibus infrà.

I. Te-

I. Tenenturne miſeri ruſtici Deum ex toto corde diligere, adeoque poſſuntne mandatum hoc de amando Deo ſuper omnia ſervare?

R. Ita. Nullus omninò ab hujus mandati obſervatione eximi poteſt; certum enim & inconcuſſum manet Dei verbum ad populum loquentis: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè non ſuprà te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere. Quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire & facere quod præceptum eſt: Sed juxtà te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Deut. 30.

I. Quid eſt hoc, amare ſive diligere Deum *ex toto corde, & ex tota anima, ex tota fortitudine tua*?

Amare Deum ex toto corde, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua, eadem ſunt.

R. Hæc tria, ſecundùm phraſim Hæbream accipi poſſunt, ut unum idemque ſignificent: tantum enim ad majorem energiam & inculcationem, fit hæc trina repetitio. Hujus rei & ſenſus ſignum eſt, quod Scriptura ex hiſce tribus aliquandò unum ponat, aliquandò tria, aliquandò duo tantum ut cap. 10. Deut. v. 12. *Diligat eum, &c. in toto corde, & in tota anima tua.* Simile eſt 4 Reg. 23. Aliquandò addit quartum, videlicet; *Ex tota mente tua. Luc. 10. n. 27.* Idem ergò hæc omnia ſignificant, & habent ſenſum quem ſuprà diximus. Patet igitur ex dictis, hoc præceptum litteraliter in hac vita impleri poſſe. Poſſumus enim diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, tota mente, id eſt, tota poſſibilitate noſtra, ſeu quantum pro ſtatu & infirmitate hujus vitæ poſſibile eſt.

Deus diligendus ex toto corde, cur?

Fruſtrà enim præceptum hoc daretur nobis in hac vita, adeoque Deus præciperet impoſſibilia, quod nemo ſanæ mentis allegare poteſt. Vid. Bellarm. l. 2. de Monach. c. 15.

I. Cur diligendus eſt Deus ex toto corde?

R. *Primò*, quia Deus eſt creator, donator, & conſervator ipſius cordis, omniumque bonorum naturalium, & ſupernaturalium, quæ in corde, totoque homine ſunt; ergo par eſt, ut hæc omnia in eum redeant, & per amorem quaſi refluant.

Secundò, quia Deus creavit cor ſive mentem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, unde tribuit ei capacitatem quandam infinitam, quæ à nulla re creata, ſed à ſolo Deo impleri, & ſatiari poteſt. Reddamus ergò ei imaginem ſuam, ſicut ſcriptum eſt: *Reddite quæ ſunt Dei, Deo.* Matt. 22.

Tertiò, quia Deus uti principium, ita finis eſt hominis, omniumque creaturarum, omnes ergò eum, ut talem toto corde, & affectu proſequi & diligere debent.

Quartò. quia Deus eſt ſummum, immenſum, & increatum bonum, quod eſt fons omnis boni, quodque in ſe omnia bona, tam creata quàm poſſibilia continet in gradu eminentiſſimo & perfectiſſimo: Ergò ſummè eſt amabilis; ergò ex toto corde amandus: cætera enim bona, præ Deo vana, & nihil ſunt, fumus & umbra ſunt, ac proindè per ſe non ſunt diligenda, ſed tantùm propter Deum. *Omnis copia quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt*; ait Sanctus Auguſtinus

I. Habeſne exempla Sanctorum qui ob ejuſmodi rationes jam allatas Deum toto corde dilexerunt?

Exempla.

R. Ita. Tradunt graves auctores Sanctum Auguſtinum in ſui amoris cum Deo deliciis & colloquiis, ita Deum affari ſolitum: Domine valde exultat in te anima mea, dum cogitat, quòd tu ſis Deus noſter. Quare ſi per impoſſibile fieri poſſet, ut Auguſtinus eſſet Deus, & tu eſſes Auguſtinus. omni-

nò

Digitized by Google

nò vellem ut tu eſſes Deus, non Auguſtinus.

Quæ ſententia, ut ſana ſit, ſanè debet intelligi: non de mutatione perſonæ in perſonam, aut ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſed de mutatione ſtatûs in ſtatum. Cur autem imagini ejuſdem ſancti Patris cor flammeum in manus tradatur, ſatis intelligi poteſt ex Meditationum, ſoliloquiorum & libris aliis, in quibus paſſim amoris flammas, quibus ejus cor ſucceuſum erat; reperies.

Cur S. Aug. gerit cor flammeum in manu.

Jacoponus amore Dei ebrius jugiter flebat, ac rogatus cauſam, hanc dedit, quia amor (Deus) non amatur.

B. Maria Magdalena, quaſi cerva ſagittis amoris Chriſti ſaucia, dicebat: *Quæſivi quem diligit anima mea per vicos & plateas, inveni eum, tenui eum, nec dimittam.*

Cant. 3.

Joſaphat Rex (teſte Damaſceno in ejus vita c. 37.) amore hoc æſtuans regnum reliquit, purpuram cum cilicio commutavit, ex aula in eremum ſeceſſit? voluptates, opes & gloriam ut ſtercora calcavit, ad omnia dura & acerba Monaſticæ vitæ ſtudia alacri animo ſe tradidit, illud Pſalmiſtæ clamans: *Adhæſit anima mea poſt te,* ô Chriſte, *ſuſcipiat me dextera tua. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Pſ. 62.

Pſ. 41.

S. Catharina Senenſis amoris Chriſti ſponſi ſui vulnere ſauciata inſtanter ab eo petiit, ut à ſe cor ſuum, & propriam voluntatem radicitus evelleret, ut tota tranſiret in ejus amorem; viſa eſt igitur ſibi videre Chriſtum cor ſibi è latere eximentem ac poſt aliquot dies aliud cor illuſtre afferentem, ac dicentem: Ecce filia mea, habes pro corde tuo cor meum; exinde tota mutata miré amore Chriſti æſtuavit; adeò ut dicere ſoleret ſe in hoc corde novo tantam puritatem, tantamq; humilitatem experiri, ac ſi quatuor aut quinque tantum annorum infans extitiſſet.

Sur. to. 2. 29. April.

Sanctus Philippus Nerius charitate Dei vulneratus languebat jugiter: tantoque cor ejus æſtuabat ardore, ut cùm inter fines ſuos contineri non poſſet, illius ſinum confractis, atque elatis coſtulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. *In ejus vita.*

I. Quid hoc eſt, diligere Deum *propter ſe?*

Diligere Deum propter ſe quid.

R. Id eſt ob bonitatem, miſericordiam, pulchritudinem, potentiam, & alia ejus attributa ſeu perfectiones; propter quas omni amore eſt longè digniſſimus.

Quis non amore liqueſcat, ſi Deum pro ſe hominem factum, ſi Jeſum parvulum, ſi laborantem, ſi ſudantem, ſi algentem, ſi coronatum, ſi cruci fixum, intueatur? meritò S. Auguſtinus: *Toto,* inquit, *vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus eſt in cruce.* Vid. Bern. ſer. de amando Deo Et ſer. de triplici dilectione, & Tractatu de diligendo Deo.

L. de S. Virg. c. 55.

I. Quo tempore tenemur elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia?

R. Sanè ſi ullo tempore, certum eſt præceptum dilectionis Dei ſuper omnia obligare in articulo extremæ neceſſitatis, id eſt, in articulo mortis. Ratio eſt, quia præceptum hoc eſt affirmativum. ergò obligat aliquando, ergò maximè in periculo mortis, quia tunc eſt periculum ne occaſio ejus nobis eripiatur, ut uniamus nos Deo, adeoque qui eam negligeret, Deum ſuamque ſalutem parvi facere cenſendus eſſet.

Secundò, hoc præceptum obligat, quotieſcumque obligat præceptum contritionis, id eſt, quandocumque recepturi aut adminiſtraturi ſumus aliquod Sacramentum, ſi nobis Confeſſarii copia deſit.

I. Habesne aliquem actum formatum amoris Dei ſuper omnia?

R. Habeo. *O Domine Deus meus, toto corde, totâ mente, totâ fortitudine, & omnibus viribus meis amo te, & ſemper volo te amare ſuper omnia. Et ſi fieri poſſet, optarem ac vellem te poſſe amare, illo perfe-*

Actus amoris Dei ſuper omnia.

 ctiſſi-

Riſſimo amore, quo tu teipſum amas, & quo te ſacratiſſima Virgo Maria, & tota cœleſtis curia & univerſa Eccleſia Catholica amat.

Alius.

Deus meus, Deus cordis mei, Creator & Redemptor meus, & fons & origo omnis amoris, omniſque bonitatis. Bonitas infinita & immenſa, quàm debet meritò te homo diligere ex omni corde ſuo! Profectò non te amat, ut decet qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. Ergo Deus meus volo amare omnia propter te, & te ſuper omnia; amor tuus, & bona gratia tua, chariora mihi ſunt quàm omnes creaturæ, nunquam te deſeram, aut à te divellar pro quacumque re, imò centies mori prælegam, quàm vel ſemel te offendere mortaliter. Adjuva me, & corrobora cor meum gratiâ tuâ.

Plures tales actus habes ſuprà, *ad remiſſionem peccatorum*, lect. 4 vide c. 10. & 12. Manual. S. Auguſtini.

I. Eſtne utile hanc orationem frequenter recitare?

R. Ita. Præſertim mane & veſperi.

I. Si amarem Deum propter meipſum, id eſt, quia mihi bonus, & miſericors eſt, quia utilis, quia bona hujus & æternæ vitæ ab eo exſpecto, non eſſet iſte verus charitatis actus?

R. Non eſſet; quia reverà non amares Deum propter ſeipſum. Eſſet ergò amor concupiſcentiæ, qui ad ſpem pertinet.

I. Eſtne ſimilis amor, malus?

R. Minimè, ſed non eſt perfectus, uti ille de quo hic tractamus, qui eſt amor amicitiæ perfectæ inter Deum, & hominem, uti apparebit lectione ſequenti.

LECTIO III.

I. ASſigna mihi differentiam, quæ inter amorem *amicitiæ*, & amorem *concupiſcentiæ* intereſt, ut addiſcam Deum puro, & defæcato amore diligere. Ac primò, Quid eſt *Amicitia*?

R. Amicitia eſt mutua benevolentia non latens. *Ariſto. 8. Eth.*

Nota ergò ad veram amicitiam requiri quatuor conditiones. *Ad verã amicitiã quatuor requiſita. Vid. S. Th. q. 23. a. 1.*

Prima eſt, *benevolentia mutua*, quâ volumus, & optamus bonum illi, quem diligimus, non propter nosipſos, aut propter alios, ſed propter ipſum ſolum quem diligimus. Diſcrepat omninò ab hac amicitia, & benevolentia mutuæ charitatis, amor concupiſcentiæ, quo amatur amicus propter utilitatem aut voluptatem amantis.

Secunda conditio eſt, ut mutua ſit benevolentia, per quam amici diligunt ſe mutuo & propter ſe; alioqui non eſt amicitia; nam qui amat, & reciprocè non amatur; amat ille quidem, ſed inter amantem, & amatum non intercedit vera amicitia.

Tertia eſt, ut mutua benevolentia, quæ eſt inter amicos, non lateat ipſos.

Quarta eſt, mutua communicatio honeſtorum bonorum inter amicos; & quò bona, quorum eſt communicatio, ſunt honeſtiora, eò ſanè ſincerior eſt, & perfectior amicitia.

I. An ergo charitas ſit vera amicitia hominis ad Deum?

R. Inter homines juſtos & Deum, intercedit vera, & honeſta amicitia. Ita S. Thomas ſuprà; & colligi poteſt ex præmiſſis conditionibus. Nam ſi primam & ſecundam attendas, non deeſt ex parte hominis juſti amor benevolentiæ quo Deum propter ſe, & ſuper omnia diligit, vultque ei omne bonum, & mirè ſibi complacet in ejus attributis & perfectionibus, ſtudens quantum in ſe eſt honori Dei ubique, & apud omnes augendo, & nomini ejus ſanctificando, ex parte autem Dei adeſt ſummus amor, quo diligentes ſe diligit, juxta illud: *Dominus diligit juſtos.* Intercedit ergò vera, & mutua amicitia inter Deum & hominem. *Tertiò*, hæc mutua benevolentia, quæ eſt inter Deum & hominem, tam Deo quàm homini nota eſt, nec enim illum latere poteſt. *Pſal. 145. Pſal. 9.*

poteſt qui videt omnia, utpotè *ſcrutans corda & renes Deus*; homini quoque jam manifeſta eſt, quàm notum & manifeſtum illi eſt quod ipſe amet Deum, juxta illud Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Imò amor noſter erga Deum ſignum eſt, & effectus divini erga nos amoris. Unde quilibet poteſt ſic ratiocinari: *Quicumque diliget Deum, diligetur à Deo: ego diligo Deum, ergo diligor à Deo.* Major propoſitio eſt certa ex fide, Minor eſt certa per experientiam. Quilibet enim in ſe experitur, ſe amare Deum, ex indiciis moraliter certis, quòd ſit in gratia Dei, talia ſunt, verbi causâ; ſi in me experiar verum mundi contemptum, rerum omnium terrenarum nauſeam, ac æternarum abſolutum deſiderium; & non modò conſcientiam non haben alicujus peccati mortalis, verùm etiam illius habeo præcipuum horrorem, ac deteſtationem; poſſum meritò confidere, ac moraliter certus eſſe quòd ſim in gratia, adeoque amicitia Dei.

Indicia moraliter certa quod aliquis ſit in gratia Dei, adeoque quod amet Deum.

Quartò, ſi ſpectes communicationem bonorum honeſtorum, in nulla omninò amicitia reperiri poteſt perfectior aut excellentior communicatio, quàm bonorum virtutis, gratiæ & gloriæ. Deus enim ipſe communicavit homini divinitatem ſuam per Sacroſanctæ Incarnationis Myſterium; nec deſinit in dies ſe totum quicquid eſt perfectiſſimè communicare in Euchariſtia. Ad hæc, quicquid Juſtus vult aut cupit, hoc Deus vult & cupit; & quod Deo placet, hoc & homini juſto placet, qui *in mandatis ejus cupit nimis*; & orat inceſſanter: *Fiat voluntas tua*; faciente è converſo Domino voluntatem timentium ſe. Adeò quod in Deo, & homine juſto unus reperiatur ſpiritus, una voluntas; ut in duobus amicis duo quidem corpora, ſed una anima, ut dici ſolet. Si de familiari & amica converſatione ſermo eſt, numquid Deus, Opt. Max. in carne cum hominibus converſatus eſt, dicente de eo S. Apoſtolo Joanne: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus; & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, &c.* Quàm familiaria deindè cum hominibus colloquia, quantæ apparitiones etiam uſque in hodiernum diem, ut meritò dicat Sapientia: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Ipſi autem filii hominum juſti reciprocè cum Deo familiariſſimè in oratione converſantur, impenduntque in ejus obſequium omnes corporis vires, omnes animæ facultates, bona denique externa, fortunas, *&c.* Quid, quod etiam ipſe in carne inventus, ut homo portavit iniquitates noſtras, & communicavit carni & ſanguini, & infirmitatibus noſtris naturalibus? Hæc tandem arctiſſima utrimque unio, & communicatio efficit, ut homo Deum faciat participem omnium arcanorum ſuorum, nihil, ut velit cum latere, & ſimiliter Deus homini patefacit omnem rationem conſiliorum ſuorum; propterea dicebat Diſcipulis ſuis: *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, neſcit enim ſervus voluntatem Dei ſui.* Et hæc ipſa eſt communicatio reciproca inter Deum & hominem, quæ cùm fiat mediante charitatis vinculo, quo ambo colligantur, certum exploratumque manet charitatem veram eſſe hominis ad Deum amicitiam, aliis etiam conditionibus quas præmiſimus comitatam.

1. Joan. 1. — Prov. 8. — Joan. 15.

I. Jam ſatis intelligo charitatem eſſe veram amicitiam, eaq; hominem juſtum cum Deo ſuo copulari poſſe; ſimul etiam colligo mundanas amicitias in utilitate aut voluptate fundatas non eſſe veri nominis amicitias.

Amicitiæ mundanæ in utilitate aut voluptate fundatæ, non ſunt veri nominis amicitiæ.

R. Rectè: convincuntur enim ejuſmodi amici non tam amicos quàm ſe diligere, & utilitatem ac propriam voluptatem quærere. Simili modo theſauros ſuos amat avarus; honores ambitioſus, carnem voluptuoſus. Verbo ut abſolvam: Amor, quem diximus, concupiſcentiæ, bona pars eſt amoris proprii, quo noſipſos inordinatè diligimus, omnem amicitiam ad noſtrum ipſorum bonum proprium referentes,

Digitized by Google

tes, de aliorum bono parum ſolliciti: de quo vide Auguſtinum ſer.38. l.50. Homil.

I. Quî fieri poteſt, ut ex amicitia feramur in amorem alicujus præcisè, & merè ob virtutem, & bonum ejus quem diligimus?

R. Certum eſt quod natura corrupta eò non pertingat, ideò Spiritus Sanctus effundit charitatem in cordibus noſtris, uti ſuprà docuimus.

I. In qua animæ facultate reſidet charitas?

R. In voluntate, quam Deus taliter hâc virtute afficit, & ſuprà creata omnia elevat, ut in nullo præterquam in Deo ſolo conquieſcere poſſit.

S.Tho.2.2. q.27 ar.3. & q.23.ar. 5.ad2. I. Declara mihi pauliſper quâ ratione voluntas charitate feratur ad Deum diligendum ex vera amicitia, ſive propter ſe ipſum?

R. Eminentiſſima illa, & excellentiſſima virtute præparatur hominis voluntas, ut ſi quando fides (quæ in eſt intellectu) Deum repræſentaverit uti ſummum bonum, ſumat indè maximos, & efficaciſſimos ſtimulos, motus & impulſus complacentiæ, qui non ſunt aliud quàm amor Dei. *Amor Dei perfectus quid?* Adeò quod per hanc charitatis efficaciam conquieſcat planè hominis animus ſummo repletus gaudio, quod Deus ſit tantus, & talis, quantus & qualis à parte rei in ſe eſt; id eſt pulcherrimus, optimus, maximus, & omnibus aliis attributis ac perfectionibus præditus, quas plus quam ſe aut res omnes alias creatas incomparabiliter æſtimat; & hic eſt amor perfectus.

I. Animus ergò inquietus, aridus, nauſeabundus, ac devotionis ſenſibilis penitus expers, nunquid juſtam habet rationē formidandi ne hoc Dei amore careat?

V ſup p. 2. c.2.lect. 9. R. Minimè. Contingit enim non rarò perfectiſſimam Dei dilectionem cum ſimilibus tædiis & ariditatibus reperiri, ac proinde falluntur non pauci in diſcernendo ac ſuis momentis æſtimando Dei amore.

I. Expone hoc pauliſper clariùs?

R. Dei amor, & dilectio non eſt alius quàm certa quædam complacentia, congratulatio, & applauſus, ſuper eo quod Deus ſit id totum quod revera in ſe eſt, quædam, inquam, æſtimatio & appretiatio quâ cenſemus infinitam Dei bonitatem, & omnem aliam ejus perfectionem ſuper res omnes, citra quamlibet exceptionem honoris, fortunarum, vitæ & necis; adeò quod qui Deum perfecto amore diligit, multò magis ſtudeat illi placere, quàm omne aliud bonum poſſidere; atque ab omni mortali peccato immunem ſe reddere, potiùs quàm in aliud quodvis detrimentum impingere. Quiſquis igitur ex Dei ſpeciali munere taliter æſtimat ejus bonam gratiam & amicitiam, habetque voluntatem ita præparatam, ut ei omnem gloriam, omne decus, omnem laudem, creaturarumque omnia obſequia ſummoperè deſideret impensâ, hic indubiè Deum amat, quicquid in ſenſu ſuo patiatur ariditatis, indevotionis, divagationis, imò tentationum etiam extraordinariarum contra caſtitatem, fidem, nominis Dei laudem, &c.

I. Videtur mihi doctrina iſta præcipui eſſe momenti, propterea, ne indignè feras velim, ſi rurſus quæſiero, in quo ſita ſit puritas iſta, & ſinceritas amoris Dei?

R. Puritas hæc ſita eſt in eo, ut homo exuat omnem curam, & ſollicitudinem proprii boni utilis temporalis, aut etiam æterni; & ita ſibi complaceat in Deo, omni ex parte contentus, & gaudio vehementi perfuſus, quod infinitum bonum poſſideat, extra quod nihil ipſe cupiar; Imò (quod omnem ſuſpicionem fraudis aut erroris tollit) ſummoperè deſideret, & perſcrutetur occaſiones aliquid difficilis & ardui pro nomine ejus patiendi, nec non contumelias & ignominiam ſuſferendi abſque aliqua alia ſperata mercede, quàm ut Dei gloria in ſe, & in omnibus creaturis augeatur, *Puritas amoris Dei in quo ſita.*

&

& nomen ejus in æternum ab omnibus glorificetur. Et hoc eſt amare Deum propter ſeipſum, id eſt propter bonitatem, pulchritudinem, potentiam, & alias ejus perfectiones, ob quas eſt omni amore longè digniſſimus, ut ſuperiori lectione alias diximus.

I. Suggere, ſi placet, exempla eorum qui Deum toto corde, & puro iſto amore dilexerunt?

Exempla. R. Occurrit inprimis Apoſtolus, qui amoris Chriſti flammis incenſus ſcribebat ad Philippenſes: *Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, multò magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos.* Et alibi: *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus.* Et: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mors lucrum.* Vide ardores ejus Act 21 num. 13. & alibi.

C. 1. v. 23. Gal. 2. Philip. 1. v. 21.

Sanctus Martinus vir ineffabilis jam moriturus dicebat: *Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius non recuſo laborem, fiat voluntas tua.*

De ſancto Dunſtano ſtrictim mentionem fecimus ſuprà p. I c 13 l 4. Fuſiùs ejus incenſum pro animabus Chriſto lucrandis zelum, & amore pleniſſimum ex hoc mundo tranſitum, vide apud S Antonin. in Chronic. tit 16. c 6 §. 7. Plura exempla jam notavimus duabus ſuperioribus lectionibus, & paſſim in legendis Sanctorum occurunt.

Habes ſolemne beatæ Agnetis Martyrium in Breviario Romano, de qua S. Ambroſius in hunc modum: *Non ſic ad thalamum nupta properaret ut ad ſupplicii locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina virgo proceſſit.*

Jan. 21. *De virgin l. 1.*

Tiburtius Martyr per carbones nudis pedibus incedens, ſigno crucis munitus dicebat: *Diſco inquit, ex hoc ſolum eſſe Deum quem Chriſtiani colunt, prunæ enim mihi flores videntur.*

Hinc magni animi mulieris incomparabilis: *Aut pati* (pro Chriſto) *aut mori.*

B. Tereſia.

Mortuo quam vivo ſimilior erat Propheta patiens, cùm diceret: *Quis det ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipſe me conterat, ſolvat manum ſuam, & ſuccidat me, & hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam ſermonibus Sancti.*

Job. 6.

Vide quæ de S. Ignatio Martyre legimus in Breviario Romano 1. Februarii.

Et ne putes poſtremis his ſæculis excelſi animi Martyres defuiſſe, qui Deum puro amore dilexerunt, ſubjiciam hic ardentia & ignita vota cujuſdam nuper ſancti Martyris Anglicani *Si verè amas Deum,* inquit, *certè nihil tibi adeò grave eſſe poteſt*, atque ſummam illius majeſtatem etiam in minimis offendere, nec quicquam tantoperè expetes, atque remedium aliquod, quo ſecurus eſſe poſſis te nunquam ampliùs offenſurum, quod cùm in hac vita haberi non poſſit, continuè clamabis cum Pſalmiſta: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt?* Et: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Et: *Quis mihi det pennas!* Magnum quidem eſt pro amore Dei laborare, dolores & tormenta tolerare, magnum animas lucrari, magnum, in Religione cum continua ſui victoria vivere: ſi tamen hæc fieri non poſſunt, quin Deum meum offendam, mallem his omnibus omiſſis citò mori, quàm cum quotidiana Dei in quarumvis exiguis, offenſione, hæc omnia præſtare. Melius ſiquidem, teſte Auguſtino, foret totum mundum ruere, quàm vel veniale contra Deum peccatum admittere. Si tamen Deus hujus miſeriæ conſcius velit vitam procraſtinare, & me in hujus calamitatis valle exercere, veniant labor, carceres, tormenta, crux, craticula, leones; veniant tandem quæcumque venire poſſunt: imò ex animo precor te, bone JESU, ut veniant, & per vulnera tua & Sanctorum tuorum ſuppliciter peto, ut ab hac hora, in qua hoc ſcribo, incipiant, & ad vitæ meæ termi-

Henric. Vualpoli.

Quanti ardores in martyrii candidato.

 num

num perdurent. Permitte me pro te torqueri, diſſecari, flagellari, cædi, ac dilaniari, nihil recuſo, omnia amplector: omnia ſuſtinebo: non quod ego pulvis id valeam, ſed quod omnia poſſim in te, & ſine te nihil. Fove in me hoc deſiderium, & propitius largire deſiderii effectum. Hæc ille cygneâ voce martyrii jam candidatus.

LECTIO IV.

Charitatis elogia. I. SUntne Sacræ Litteræ & orthodoxi Patres magnificè locuti de dignitate & excellentia charitatis?

R. Magnificentiſſimè. Nam Chriſtus Dominus in Evangelio mandatum charitatis vocat *primum & maximum mandatum*, ſuprà initio hujus cap. Cui Scriba apud Marcum addidit: *Et diligere proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis.* *Matt. 22. Marc. 12.*

Et eam præfert Salomon rebus omnibus: *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domûs ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* *Cant. 8.*

Apoſtolus Paulus præfert charitatem omnibus chariſmatibus & gratiis etiam excellentiſſimis. Vide 1. Cor. 12. in fine & c. 13. Et ad Coloſſ. poſt enumeratas præcipuas virtutes: *Super omnia autem hæc, ait, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Ad hæc S. Joannes primâ epiſtolâ: *Deus, inquit, charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet.* *1. Joan. 4.*

His Spiritûs ſancti oraculis ſubſcribunt Patres. Tertullianus charitatem vocat *ſummum fidei Sacramentum, Chriſtiani nominis theſaurum, quam Apoſtolus totis Spiritûs ſancti viribus commendat.* *L. de patientia.*

Auguſtinus: Hæc eſt, margarita pretioſa charitas, ſine qua nihil tibi prodeſt, quodcumque habueris; quam ſi ſolam habeas, ſufficit tibi. Et alibi: *Ille tenet, & quod latet, & quod patet in divinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus.* *Tract. 5. in ep. Ioa.* *L. 3. de vit. contempl. c.*

S. Proſper: charitas eſt ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima ſanctarum mentium, cauſa meritorum bonorum, præmium perfectorum, ſine qua nullus Deo placuit, &c. *13 refert de pœnit. diſt. 2. charitas.*

S. Gregorius: Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt: ſic multæ virtutes ex una charitate generantur; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis. *Hom. 27. ſuper Evang.*

I. Quibus motivis poſſumus nos excitare ad Dei amorem?

R. *Primò*, Deus ipſe prior dilexit nos, idque ab æterno, antequam aliquid eſſemus, vel redamare poſſemus. *Motiva nos excitantia ad Dei amorem.*

Secundò. Cùm ipſe ſit Deus & bonorum noſtrorum non egeat, ex ſolo amore noſtri creavit nos, & cætera omnia in uſum noſtrum & uſque conſervat nullo ſuo commodo.

Tertiò. Angelis ſuis mandavit de nobis, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, etiam eo tempore quo eum offendimus.

Quartò, Cùm adhuc inimici & peccatores eſſemus, deſcendit de cœlo Deus, Dei filius de Virgine naſciturus.

Quintò. Et pro nobis adhuc peccatoribus (ô amoris exceſſum!) omnes noſtras miſerias excepit; famem, ſitim, frigus, æſtum, nuditatem, paupertatem, labores, fatigationes, perſecutiones, mortem denique turpiſſimam & crudeliſſimam perpeſſus; & cur hæc omnia, niſi ut infinitam ſuam bonitatem, & infinitum ſuum erga nos amorem oſtenderet, & nos ad ſui amorem accenderet? Hæ ſunt amoris deliciæ, quibus diſſuaviabatur S. Bernardus: *Totum me debeo pro me facto: quid addam jam, & pro refecto? nec enim tam facilè refectus quàm factus; ſiquidem de omni quod factum, ipſe dixit, & facta ſunt: atque dicendo; me fecit: in reficiendo & dixit multa & geſſit mira, & pertulit dura, & indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus* *Serm. 12. in Cant.*

bui quæ retribuit mihi. In primo opere me mihi dedit, in ſecundò ſe; datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo: quid Deo retribuam pro ſe? nam etſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Dominum meum?

Sextò, Neque finem accepit hic amor Chriſti cum ejus vita, ſed cùm dilexiſſet ſuos, uſque in finem dilexit eos; & pignus ſui amoris nobis reliquit in venerabili Sacramento, ſeipſum tradens in refectionem animarum noſtrarum.

Septimò Filius amat Patrem, ſoror fratrem, uxor maritum, ægrotus medicum, captivus redemptus redemptorem, & ecce tibi pluſquam Pater, Mater, ſponſus, medicus, redemptor.

I. Quâ ratione hunc Dei & Domini noſtri amorem, variis hujus mundi amatoribus inculcares.

R. Hac vel ſimili ratione: Solemus amare id quod pulchrum eſt, bonum, nobile, dives; quod ſi in unam perſonam omnes iſtæ qualitates convenerint, erit abſque dubio valdè amabilis; ſi in eminentiſſimo gradu omnes iſtæ excellentiæ in aliam perſonam coaluerint, majori erit digna amore, modò ſic concludo: Omnes omninò imaginabiles perfectiones & excellentiæ in Chriſto Domino reperiuntur in ſubſimiſſimo, imò infinito gradu, *quàm igitur amabilis es ô bone Ieſu.*

I. Habeſne exemplum ad rem?

R. Habeo. Erat puella quædam in Brabantiæ partibus, quæ in amorem cujuſdam juvenis per multos annos miro dæmonum ſtimulabatur inſultu. Hæc cùm mihi frequenter cum multis lachrymis in confeſſione diabolicas inſidias aperiret, conſului ut ſummoperè caveret ne nutu aut verbo juveni tentationis occaſio præberetur. Paruit ita diligenter ut monui. Cumque adeò graviter tentaretur, ut ſomni & cibi perderet appetitum, accidit nocte quâdam, ut tanto dæmonum agitaretur impulſu, quod ſuperveniente aurora ſurgere cogitaret, & clam juvenem adire qui in vicinia manebat. Nec mora, ubi ſurgens oculos aperuit, vidit Chriſtum quaſi plagis recentibus crucifixum leni ſermone ſibi dicentem linguâ patriâ: Me diligas qui ſum formoſus, bonus, dulcis, generoſus. Hæc ut dixit, repentè diſparuit, & puellam in omni pace & gaudio, & gratiarum actione ab omni tentatione liberrimam dereliquit.

Exemplum. *Th. Cantip. l. 2. apum c. 57. p. 1.*

I. Nonne valde miſerandum eſt, quòd vani amatores mundi plus ſtudii conferant ad vanitatum proſecutionem, quàm juſti ipſi ſollicitudinis ad Dei ſervitium?

R. Ita eſt. Pambus Athanaſio Epiſcopo mandante ab eremo deſcendit Alexandriam. Cumque vidiſſet ibi mulierem theatralem, flevit: & à præſentibus rogatus, quare ploraret: Duæ, inquit, me res movent: Una, quæ eſt illius mulieris perditio: Altera verò, quòd ego non tantum ſtudeo placare Deo, quantùm hæc ut turpibus placere poſſit hominibus. Hiſtor. tripart. l. 8. c. primo. *Exemplum.*

Concludam lectionem hanc cum beati Auguſtini ſaluberrimâ monitione: *Non nobis dicitur* (ô pueri, ô juvenes!) *nihil ametis, abſit, pigri eſtis, mortui, miſeri, deteſtandi ſi non ametis; ſed quid ametis, videte. Purgate amorem veſtrum, & quales impetus habetis ad mundum, tales habeatis ad artificem mundi.* *Aug. in Pſ. 31.*

LECTIO V.

I. PRæter hoc primum & maximum legis mandatum, quo jubemur Deum ex toto corde diligere, daturne aliud charitatis præceptum?

R. Datur ſecundum ſimile huic; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Hoc mandatum habemus à Deo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Matt. 22. Luc. 10. 1. Joan. 4.

I. Quomodò amamus proximos noſtros ſicut nosipſos.

Cùm eis optamus & procuramus omne bonum quemadmodum nobis optandum *Amor proximi.*

Digitized by Google

dum & procurandum vellemus, ſecundùm Deum, & rectam rationem. S. Th 2. 2. q 44.

I. Declara hoc magis?

R. Sicut teipſum. Illud, *ſicut*, ſignificat non æqualitatem dilectionis (nam ordinatâ charitate magis ſe diligere debet homo quàm proximum) ſed ſimilitudinem & formam; quaſi diceret: ea officia charitatis, exhibe proximo, & eo modo, quæ & quomodo tibi exhibes, & exhiberi cupis: maximè, ut ex charitate eum diligas, ſincero amore amicitiæ, non concupiſcentiæ: ut ſcilicet velis proximo bonum honeſtum, utile, delectabile, non quia hoc tibi, ſed quia illi bonum eſt & commodum: ſicut hæc eadem bona tibi cupis, non propter alienum, ſed propter tuum ipſius bonum & commodum. Hoc eſt quod ſanxit Chriſtus Matth. 7. v. 12. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et Tobias moriens mandavit filio: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

S Tho. 2. 2. q. 44. ar. 7. in c.

I. Sed quis eſt noſter proximus, quem diligere debemus?

R Omnes homines boni & mali, etiam inimici: *Proximus noſter eſt omnis qui in vita beata nobiſcum eſſe poteſt.* Aug. de Catech ibid c. 26. Et alibi: *Omnis homo eſt homini proximus; nec ulla eſt cogitanda longinquitas generis, ubi eſt natura communis.*

In Pſ. 118. Conc. 8.

I. Debemuſne igitur amare omnes homines?

R. Debemus planè tam bonos, quàm malos in hoc ſæculo degentes: nam de Beatis in cœlo, aut defunctis in purgatorio exiſtentibus, nulla poteſt ſubeſſe dubitatio.

I. Cur debemus diligere Beatos in cœlo exiſtentes?

R. Propter naturam, gratiam, & gloriam quibus ſunt præditi.

I. Cur homines juſtos adhuc viventes in hoc ſæculo, & fideles defunctos in altero ſua peccata expiantes diligere debemus?

R. Propter naturam nobis communem, & gratiam Dei quam obtinent.

I. Cur etiam malos, quos præſens ſæculum adhuc in carne retinet?

R. Propter naturam nobiſcum communem, & quia fortaſſe continget, adhuc illos magnos Sanctos fieri; quamdiu enim adhuc verſantur hic, poſſunt Dei gratiâ converti.

I. Debemuſne proximum quantum noſipſos diligere.

R. Non quantum nos, ſed ſicut noſipſos; vult enim naturæ & charitatis ordo, ut noſipſos pluſquam proximum diligamus, ut jam ſuprà attigimus.

I. Habeſne exempla eorum qui proximum ſuum ſicut ſeipſos congruo amore dilexerunt?

R. Habeo. S. Paulinus Nolæ Epiſcopus, ut viduæ filium redimeret, ſeipſum vendidit. Vide Breviarium Romanum 22. Junii.

Exempla.

S. Carolus Borromæus magnam charitatem erga Mediolanenſes filios ſuos, quos cœleſtis Pater ejus fidei commiſerat, dum ſæviſſimo peſtilentiæ morbo laborarent, præſtabat, quos nunquam mortis metu intermiſit viſere, quibus ſemper lue graſſante (300. enim homines ſingulis diebus per multos dies ſevitiâ morbi interibant) ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrabat, & pios viros ad idem munus hortari non deſinebat.

In vita ejus per Auguſt. Valer. Veron Epiſc.

S. Ignatius de Loyola, qui ut obſcænum euntem ad amaſiam corrigeret, aquis ſe immergens, dixit: *Perge miſer, ad fœdiſſimas tuas voluptates, impendentem capiti tuo ruinam non vides? Ego me hic tui cauſa tamdiu macerabo, donec juſtiſſimum Dei furorem in te paratum avertam.*

Ribad. in ejus vita.

B. Xaverius, qui amicis Chinam ob pericula diſſuadentibus ait: *Non aliud, non aliud mihi in votis eſt, quàm ut vel morte meâ, Chinarum ſalutem repræſentem.*

Turſel. l. 3. vitæ ejus c. 15.

Et S. Dominicus, cujus hæc erat vox: *Plus*

Digitized by Google

Plus in charitatis Codice didici, quàm in univerſa ſacra Scriptura Ex hoc Codice prædicabat, multoſque convertebat, & ſuos ex eodem prædicare volebat. *In vita ejus.*

I. Eſtne aliquis ordo ſervandus in diligendo proximo?

R. Ita. Nam inter proximos interno affectu ille magis diligendus eſt, qui melior eſt, officio verò ſive opere exteriori ille qui in majore neceſſitate conſtitutus, vel nobis potiori ſorte, puta cognationis, ſocietatis, vel alicujus opportunitatis magis eſt conjunctus.

I. Numquid ipſa natura ſatis docet amorem & dilectionem amicis, propinquis, & parentibus impendendum?

Vide Aug. de doctrina Chriſt. l.1. c.28. & S. Tho. q.26.a.6. 7.8.

R. Ita quidem, ſi de naturali dilectione agatur; at alia & altior eſt in proximi dilectione conſideratio: ut eum ſicut nosipſos diligamus, non ſolùm ex parte præſentis vitæ, & ratione naturali, ſed etiam in ordine ad futuram vitam ex ratione virtutis charitatis, de qua hîc ſermo. Et ad hanc ſublimiorem & defæcatiorem proximi dilectionem neceſſarium fuit Dei præceptum, & virtus charitatis. Vide S. Auguſtinum hom.50.

I. Dic ergo mihi quis ſit rectus modus ſeipſum diligendi, ut ſciam qualiter debeam diligere proximum?

De doctrina Chriſt. c. 26.

R. *Hic eſt rectus modus diligendi ſeipſum* (inquit Auguſtinus) *ſi homo mente ac corpore ſerviat, atque adhæreat Deo, qui bonum eſt rationalis creaturæ, quod dilectione ſibi acquirit. Quiſquis ergo rectè diligit proximum, hoc in eo agere debet, ut & mente & corpore Deo ſerviat, quo & ipſe bonum ſuum diligendo conjungi poſſit*

V. eund. Ep.52.

De Civit. Dei l.10. c.4.

Idipſum alibi docet ſanctus Auguſtinus his verbis: *ut enim homo ſeſe diligere poſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia quæ ageret, ut beatus eſſet. Non enim qui ſe diligit aliud eſſe vult quàm beatus. Hic autem finis eſt, adhærere Deo, Iam igitur ſcienti diligere ſeipſum, cùm mandatur de proximo diligendo, ſicut ſeipſum: quid aliud mandatur, niſi ut ei quantum poteſt, commendet diligendum Deum*; Dilectio enim Dei, (ut ait idem Doctor) *nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur; ſed quicquid aliud diligendum occurrit, eò rapi debet, quò totus dilectionis impetus currit, id eſt ad Deum, quem toto corde, uti ſuprà dictum eſt, diligere debemus, proximum verò ſicut nosipſos.*

L. 1 de doctrina Chriſt c. 22

I. Debemuſne etiam inimicos diligere?

Luc. 10. Matt. 5.

R. Ita, quia ille quoque noſter proximus eſt, ut conſtat ex Parabola Luc. 10. Matt. 5. & de eo præcepit Chriſtus Dominus: *Diligite inimicos veſtros, & benefacite iis qui oderunt vos.*

I. Eſtne magni meriti inimicos diligere?

Magni meriti eſt inimicos diligere.

R. Ita, ubi enim minus propenſionis eſt, ibi procul dubio plus difficultatis, adeoque plus invenitur meriti; eſt enim opus eminentiſſimæ charitatis.

I. Docueruntne Sancti exemplo ſuo inimicorum dilectionem?

Exempla.

R. Ita. Chriſtus Dominus Sanctus Sanctorum in cruce pendens pro crucifigentibus ſe oravit tanto ſucceſſu, ut Longinus converſus ſit, & complures alii, de quibus ſcribit Evangeliſta, quòd domum revertentes tunderent pectora ſua, dicentes: *Quia Filius Dei erat iſte.*

Luc. 23.

S. Stephanus cum lapidaretur poſitis genibus clamavit voce magnâ: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Cujus orationis efficaciam & meritum notat D. Auguſtinus: *Si S. Stephanus*, inquit, *non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet: ſed ideò electus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.* Et Cardinalis de Vitriaco in vita S. Mariæ Oygnacenſis l.2.c.1. ſcribit, eam in extaſi cognoviſſe S. Stephanum, & Pauli decollati animam excepiſſe, & Deo obtuliſſe.

Ser. 1. de Sanctis.

S. Chriſtina Virgo & Martyr pro fide

In vita ejus apud Sur. 10. 4.

ac veritate horrendos admodum conſtãter perpeſſa eſt cruciatus. Cum autem ſerpentes etiam in eam fuiſſent miſſi, ſed mordere omninò nollent, veneficum à quo ad mordendum irritabantur, invadentes, rabidis ictibus, multaque veneni vi ſtatim interimunt. At Chriſtina ſui ipſa carnificis vicem dolens, Chriſtum precata, & ſerpentes in fugam convertit, & ab eis peremptum ad vitam revocavit: & eundem jam credentem ad certam beatitudinis ſpem erexit.

Niceph. l. 11. hiſt. Eccleſiaſt. c. 38.

De Meia Epiſcopo illud memoriæ proditum eſt, cùm de Eccleſiis fidei defenſores ejicerentur, atque eo qui ipſum quoque ejicerent, advenïſſent; repererunt eum veluti ſervorum extremum Eccleſiæ lucernis adornandis hilariter incumbentem; lucernarum enim lineos funiculos in manu habebat, veſte ſimul & cingulo ſordidatus. Atque cùm illi Epiſcopum requirerent, indicaturum ſe eis illum reſpondit, eoſque in domum Epiſcopalem duxit: atque ubi eis de via feſſis, menſa appoſita pro rerum tenuium copia cibum dediſſet, atque edentibus miniſtraſſet, ſublatâ menſâ manus lavit, & ſeipſum eis indicavit; illi verò admirari, cauſam adventûs ſui cùm oſtendiſſent, remittere ſe ei exilium propter reverentiam ejus dixerunt; quòd poſteaquam accepiſſet, eis reſpondit non idem ſe, quod alii conſentientes ſibi Epiſcopi feciſſent, commiſſurum eſſe, ut invitus ſolùm exilii cauſa verteret, ſed ſuâ ſponte in exilium iturum.

I. Quibuſnam motivis excitares homines ad dilectionem proximi?

Motiva ad excitandum ad dilectionem proximi.

R. His & ſimilibus. *Primò*, proximus noſter, id eſt, omnis homo eſt Dei imago; ſi ergo Deum diligamus, diligamus etiam imaginem ejus, quam ipſe ſuis manibus efformavit. *Secundò*, proximus noſter *emptus eſt pretio magno*, Sanguine nimirum Chriſti, Agni immaculati, ſi Chriſtus taliter eum amavit, cur ſcilicet eum non amemus? *Tertiò*, proximus noſter eſt nobiſcum ejuſdem corporis myſtici Chriſti, hoc eſt Eccleſiæ membrum. Hoc argumento ſæpè utitur Apoſtolus, ut proximi dilectionem perſuadeat.

Supràp. I c. 10. l. 8.

Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Plura vide 1. Cor. 12. *Quartò*, proximus frater noſter eſt, uti ſupra initio Orationis Dominicæ; & præſertim ſi de Catholicis ſermo eſt, ejuſdem Matris ſanctæ Eccleſiæ filii ſumus, eodem pane vitæ nutrimur, eundem calicem potamus, eodem vocati ſumus, hoc eſt ad vitam beatam, ubi æternùm charitatis vinculo indiſſolubili colligabimur.

Rom 12. v. 4. 1. Cor. 12.

I. Quid proximo ex charitate debemus?

Quid ex charitate debemus proximo.

R. *Primò* quidem verùm & minimè fucatum internum amorem benevolentiæ, quo ei ex animo volumus & optamus Dei gratiam & gloriam, & quicquid ad illa conferre poteſt. Vide exemplum S. Pauli, Act. 7. n. 29. *Secundò*, externum beneficentiæ amorem, ut eum diligamus, non verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate; id eſt, cum effectu & largitione bonorum noſtrorum, ſive corporalium, ſive ſpiritualium, quorum indiget proximus. *Charitas* nimirùm, *non eſt otioſa*

Greg. hom. 3. in Evang.

Numquam eſt Dei amor otioſus: operatur enim magna ſi eſt, ſi verò operari renuat, amor non eſt Vide S. Jacobi Epiſtolam c. 2. n. 15. Quid ſi nihil habes quod tribuas indigenti? *ſi corde miſerearis* (inquit Auguſtinus) *etiamſi non habeas quod porrigas manu*, acceptat Deus eleemoſynam tuam. *Tertiò*, dilectionis officium eſt, invicem onera noſtra portare, ſive infirmitatum mutuarum pondera ferre, ea viciſſim tolerando, eis compatiendo, v. g. tu feras proximi choleram & verba cholerica; ille ferat tuam melancholiam & phlegmaticos mores. Vide Apoſtolum Coloſ. 3. num. 12. 13. 14.

In Pſal. 125.
Gal. 6.

Quar-

Quartò, in proſperis proximi gaudere, eique adgratulari, in adverſis verò compati. Hoc eſt manifeſtum charitatis fraternæ indicium. *Si quid patitur unum membrum* (ait Apoſtolus) *compatiuntur omnia membra, ſive glorïatur unum membrum congaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra de membro. Quintò*, dilectionis eſt reducere à via erroris & peccati, ad rectum fidei vel juſtitiæ tramitem: Et, ſi quidem id primò & principaliter ad Eccleſiæ Prælatos & animarum Curatores pertinet; at certè ad omnes quoque ex charitate Chriſtiana ſpectare dignoſcitur,
Eccl. 17. cùm *unicuique mandaverit de proximo*
Gen. 4. *ſuo*. Fratricida, Deo odibilis hanc veritatem non recipiebat, cùm diceret: *Num cuſtos fratris mei ſum ego?*

I. Declara mihi magis in particulari hanc obligationem?

R. Quilibet Chriſtianus habet ſibi talem de proximo demandatam curam, ut eum, quando de animæ ſalute periclitatur, adjuvare teneatur in quo poteſt, eum inſtruendo, movendo, orando pro eo, & alia ei obſequia præſtando, prout tempus, & occaſio tulerint.

Quid? Si lex vetus diſpoſuit & manda-
Exod. 22. vit de bove & aſino proximi etiam inimici errante reducendo; mirumne videri debet ſi unicuique Deum mandaſſe dicimus de reducenda anima proximi errante ad rectam ſalutis viam? Quæ quidem cura, ſive obligatio tanta eſt, ut occaſione datâ, vitam noſtram corporalem exponere & prodigere teneamur
Joan. 13. v. 34. pro ſalute animæ proximi. *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem*. Sed quomodo dilexit nos Dominus? Reſpondet S. Joannes Evangeliſta, quem dilexit Jeſus plurimùm: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ratio dictorum ſumi poteſt ex ordine charitatis ſecundùm quem debemus animam proximi majoris æſtimare, quàm corpus noſtrum: valet enim abſque comparatione pluris anima quàm corpus.

I. Habeſne ad hanc rem exempla? Exempla.

R. Habeo. B. Virgo Tereſia dicere ſolebat non ſe ſolùm vitam corporalem promptam & lubenti animo pro ſalute proximi, & pro lucrifacienda anima, expoſituram fuiſſe, verùm etiam pœnas Purgatorii uſque ad extremum judicii diem laturam.

Miranda ſunt & inaudita quæ S. Chriſtina mirabilis egit, & perpeſſa eſt pro refrigerio animarum in Purgatorio exiſtentium. Vitam ejus ſcripſit Thomas Cantip. ex Ordine S. Dominici, vir fide digniſſimus, qui ejus tempore vixit. Cui conteſtis accedit Jacobus de Vitriaco Card. qui in præfatione ad libros ſuos de vita & rebus geſtis B. Mariæ de Oegnies meminit Chriſtinæ mirabilis, & res geſtas compendio & breviſſimè refert. Retulit eas Sur. in tom. 3. E quibus pauca hic intexam, quæ ad rem noſtram
faciunt. *Statim ut è corpore exceſſi, a-* Sur. to. 3.
nimam meam exceperunt lucis miniſtri c. 3. ad
Angeli Dei, deduxeruntque illam in lo- 24. Iunii.
cum quemdam obſcurum & horridum animabus hominum refertum. Quæ verò tormenta in loco conſpexi, ea tam immania & acerba fuerunt, ut nullus poſſit ſermone id explicare, &c. Poſt pauca.

Poſteà verò translata ſum in Paradiſum uſque ad thronum divinæ Majeſtatis, ubi cùm viderem gratulantem mihi Dominum, ultra omnem modum lætabar, quod arbitrarer me illic deinceps cum Domino in omnem æternitatem permanſuram. At ille mox reſpondens deſiderio meo, Reverà, inquit, dulciſſima filia, hic mecum eris, ſed nunc è duobus optionem tibi facio, vel æternùm hic nunc apud me manere, vel redire ad terras, ibique in mortali corpore abſque ullius detrimento pœnas perferre, iiſque omnes illas animas quas in locis Purgatoriis miſerabaris, liberare & eripere; efficereque ut homines adhuc in corpore

manentes, tuæ pœnæ, & vitæ exemplis ad me converſi à ſuis facinoribus abſtineant, & reſipiſcant; peractis omnibus ad me tandem multis aucta meritorum cumulis reverti. Ego verò abſque ulla cunctatione ſub conditione mihi propoſita, dixi me velle ad corpus redire: Et pius Dominus gratulans quod me promptam obtuliſſem, jubet animam ſuo corpori reſtitui. Paulò poſt ad aſtantes locuta: *Ita ſe habet & exceſſus meus*, & vita, & ad vitam reditus: propter hominum correctionem & emendationem ad vitam revocata ſum. Itaque deinceps, oro, ne vos perturbent ea quæ viſuri eſtis in me; excedent enim humanæ mentis captum quæ, Domino volente, fient in me, nec talia inter mortales unquam comperta ſunt. Hæc illa. Subjungit poſteà Auctor *vitæ c. 6.* Tum verò, inquit, cœpit illa exercere, quorum cauſa à Domino miſſa fuerat: Ingrediebatur in ardentes clibanos, & in illis incendiis cruciabatur, ita ut præ anguſtia, & dolore horrendos ederet clamores. Poſtquam verò indè egreſſa fuit, veſtigium nullum alicujus uſtionis in ejus corpore viſebatur. *Capite 7.* ſic pergit: Sub aquis Moſæ fluminis hiberno tempore, cùm rigerent omnia gelu, crebrò & diu morabatur, ſex & ampliùs diebus in eo perdurans. *Et paulò poſt*: Interdum in aquis orans ſimul cum illis ferebatur in rotam molendini, atque ita horrendum in modum circumacta cum ipſa rota, membris omnibus manſit incolumis. *Et cap. 9.* Surgebat, inquit Auctor, mediis noctibus, & totius oppidi Trudonenſis canes in ſe concitans, ante illos ipſam inſectantes, inſtar feræ cujuſdam curſitabat. Sicque per devia, & per denſos vepres, & ſpineta agitata adeò ab illis compungebatur, ut nulla corporis ejus pars vulneris eſſet expers: & tamen multo ſanguine fuſo nulla plagarum aut vulnerum veſtigia conſpiciebantur in ejus corpore.

Pacomius, tanto proximi tenebatur amore, ut ſi quando vidiſſet aliquos diaboli fraude deceptos, eoſque non verum Deum colere, ſed vanis ſimulacris inſervire, ſuper eorum perditione valde ingemiſceret, & uberes pro eorum ſalute lachrymas funderet. Sed quoniam in materia præcipui momenti verſamur, libet me paululum extendere, & exempla multiplicare.

D. Joannes Chryſoſtomus de ſeipſo ſic ſcribit: vellem ſi poſſem, oculis veſtris oſtendere quam in vos charitatem habeam. Nihil enim eſt mihi vobis jucũdiùs & deſiderabiliùs, ne hæc ipſa quidem lux. Millies enim optarem ipſe eſſe cæcus, ſi per hoc liceret animas veſtras convertere, adeò ipsâ luce mihi eſt veſtra ſalus jucundior. Quid enim me juvant ſolares radii, quando, quæ propter vos accipitur, animi ægritudo oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc eſt bona quando apparet in lætitia. Et paulò poſt: Implete gaudium meum, liceat vobis ſalutem aſſequi, me autem propter vos reddere rationem: vobis dari ſalutem, me verò accuſari, quod munus meum non impleverim. Nõ enim curo, ut per me ſalvi ſitis, ſed ut ſalvi ſitis quâcumque ratione. *Homil. in Acta.*

Serapion Abbas oppidum quoddam infidelium ingreſſus, cùm publicè prædicantem de medio pellerent, venumdare ſe illis cœpit in ſervum, ut ſaltem cum Dominis privatim colloquendi facultatem haberet; ubi verò frequenti, & aſſidua ſuaſione, illum, cui ſerviebat credentem, de idolorum ſervitute in fidei Chriſti libertatẽ vendicaſſet, reddito illi pretio ad alium tranſibat. Hoc gentiles erudiendi genere etiam Lacedemone, & Athenis uſum dicunt. Itaque non recuſavit venalis mancipii utilitatem Abbas, ut alios à pernicie liberaret erroris. *Theod. in hiſt. SS. Patrum c. 83.*

S. Catharina Senenſis ita exarſit zelo ſalutis animarum, ut diceret: Tanta eſt animarum dignitas, & pulchritudo, ut ad eas lucrandas nullus par labor eſſe poſſit. Itaque glorioſiſſimis factis à ſe in *Sur. in vita ejus to. 2.*
hunc

hunc finem geſtis, maximiſque laboribus periculiſque ſuſceptis ita eſſe, ut dicebat, oſtendit: Cùm videret illa maximam impendere Eccleſiæ calamitatem ob multorum peccata, ardentiſſimè Deum rogavit, ut eorum ſcelerum pœnas in ſe transferret, reis ignoſceret, imminentemque calamitatem averteret. Addicta ob id diriſſimis cruciatibus quibus atrociſſimè per multum tempus eſt conflictata. Hujuſmodi porrò erant tormenta illa, ut quivis millies potiùs mori elegiſſet, quam ſubjici illis.

Sur. 16. Martii to. 2. Plurimum quoque enituit Abraham Eremitæ in Neptem charitas, quam ſecum in ſolitudine commorantem Deo ſervire, Virginitatemque cuſtodire docebat aſſiduis monitis, quotidianâ adhortatione. Sed illa tandem à juvene quodam ſollicitata, cùm ſceleri conſenſiſſet, Patrui ſanctiſſimi viri conſpectum ferre non valens clam diſceſſit, & de venia deſperans, impudicitiæ ſe dedit. Quid ageret amiſsâ ove Paſtor jam ſenex, neſciebat, & tamen quieſcere præ dolore non poterat. Denique Eremum relinquere, veſtes, ne agnoſceretur, mutare, & nihil intentatum relinquere decrevit. Hoc igitur conſilio uſus, quæſitam invenit, inventam convertit, converſam ſecum reducit, & tanto labore recuperatam diligentiùs cuſtodivit, ita ut illa ſalutem, de cujus ſpe ceciderat, pœnitendo acquiſiverit, & pœnitentiam pro peccatis ſuis reliquo vitæ tempore tantam egit, ut etiam miraculis clara è vita exceſſerit. Quòd ſi ipſe delinquentem neglexiſſet, nunquam fortaſſe illa à delictis reſipuiſſet. Sed neſcit torpere charitas quouſque ſublevet corruentem.

S. Iero l. 3. convent. in ep. ad Gal c. 3. ſub finem. Imponat huic lectioni coronidem ſanctus Joannes Evangeliſta, *qui cùm Epheſi moraretur*, uſque ad ultimam ſenectutem, & vix inter Diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura vocem verba contexere, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: *Filioli diligite alterutrum.* Tandem Diſcipuli qui aderant, tædio affecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter, quare hoc ſemper loqueris? Qui reſpondit dignam Joanne ſententiam: *Quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.*

LECTIO IV.

I. QUo indicio ſe prodit Charitas erga Deum?

R. Si ejus obſerves mandata. *Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus.* Joanne Apoſtolo teſte: & Chriſtus ipſe docet. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* *1. Joan. 5. Joan. 14.*

I. Quæ ſunt præcepta Dei? *S. Th. 1. 2. q. 100. a. 3. 0.*

R. Quæ decalogo comprehenduntur hoc pacto.

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis. *Exod. 20. Deut. 5. Levit. 19.*

I. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, ut adores illud.

II. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.

III. Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.

IV. Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

V. Non occides.

VI. Non mœchaberis.

VII. Non furtum facies.

VIII. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

IX. Non concupiſces uxorem proximi tui.

X. Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa quæ illius ſunt.

Digitized by Google

Memoriæ juvandæ cauſa, his circumſerantur hexametris.

Vnum cole Deum , nec jures vana per ipſum,
Sabbatha ſanctifices, habeas in honore parentes.
Non ſis occiſor, mœchus. fur, teſtis iniquus,
Alterius nuptam, nec rem cupias alienam.

Vide S. Tho. 1. 2 q. 100. art. 5.

I. Eſtne neceſſarium ad ſalutem, ut mandata Dei addiſcamus, & ea memoriâ teneamus?

Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18.

Mandata Dei memoriâ tenenda.

R. Ita, ſaltem ſecundùm ſententiam, prout primâ parte de Articulis fidei dictum eſt. Nam cùm ſcriptum ſit. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, neceſſe eſt, ut quæ ſunt illa mandata, non ignoremus. Nota igitur, Dominus Deus pro ſua infinita miſericordia hoc nobis præſtitit, ut per fidem eum agnoſceremus, & divinarum rerum notitiam, ipſo revelante adipiſceremur; imò datis nobis magnificis promiſſis de vita æterna tanquam filiis adeunda, deque mediis neceſſariis illam obtinendi ſummoperè nos per ſpem erexit, præſertim cùm orationem elegantiſſimam ore ſuo ſacroſancto nobis dictavit, adeoque rectè orandi modum ad quælibet impetranda efficacem docuit; Quid modò reſtabat niſi ut diligenter, & ſtudiosè inquireremus quæ eſſet ejus voluntas, quidve à nobis ſervitii exigeret, ut cognita tam benigni Patris ac Domini mandata omni cum ſedulitate, & promptitudine adimpleremus? Si igitur Domino Deo vehementer obſtricti ſumus ob acceptam per fidem rerum divinarum cognitionem, & multò ampliùs ob promiſſiones ampliſſimas vitæ æternæ quas firmâ, & fiduciæ plenâ ſpe tenemus; Certè plurimùm etiam altra quàm dici poſſit eidẽ devincti ſumus ex eo quòd notam fecit nobis voluntatem ſuam mandataque dedit non ſine abundantiſſimis, & efficaciſſimis gratiæ, & charitatis præſidiis ad ea executioni facile mandanda,

Plurimùm Dei ſumus devincti quòd notam fecerit nobis ſuam voluntatem

I. Cur Dominus Deus voluit præcepta dare homini?

Cur Deus præcepta dederit homini.

R. Plures ſanè ob cauſas: *Prima*, ut ſe ejus Dominum oſtenderet. *Non enim erat unde ſe homo habere Dominum cogitaret, niſi & aliquid ei juberetur, & aliquid prohiberetur.* Ita mandavit omnibus creaturis ordinem ſuum, motus ſuos, præceptum illis ponens, ut cunctarum ſe creaturarum Dominum probaret. *Ordinatione tuâ perſeverat dies;* ait David, *quoniam omnia ſerviunt tibi.* Et alibi. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Secunda*, cùm Deus legem dedit homini, manifeſtè probavit eum libero arbitrio præditum, ut qui poſſet legem ſervare aut eam tranſgredi, operari bonum, aut facere malum; ſi enim homo liberi non eſſet arbitrii, quo fructu, imò quâ juſtâ ratione fuiſſet ipſi poſita lex, cujus obſervandæ facultatem non habuiſſet? Et cur additæ minæ præcepta non ſervaturo? *Tertia*. Quia Deus voluit lege poſitâ hominum merita cumulare, quæ ex obedientiæ exercitio proveniunt. Etſi enim ipſi Deo, qui bonorum noſtrorum non eget, nihil obveniat emolumenti ab obſequiis & obedientia noſtra, at certè non exigui meriti inde nobis ſit acceſſio; cujus intuitu nequaquam ſervi inutiles ſumus, quandoquidem utile valdè & proficuum ſit nobis præceptum, ſi illud obſervemus. Propterea dixit B. Jacobus: *Factor operis beatus in facto ſuo erit* Et: *Iuſtificabitur homo ex operibus, & non ex fide tantùm.* Et: *In cuſtodiendis illis retributio multa.*

Aug ſup. Geneſ.
Pſal. 118.
Pſal. 148.]
Jacob. 1, & 2.
Pſal. 18.

I. Omniane cætera præcepta Decalogo comprehenduntur?

R. Ita. *Decalogus eſt veluti ſumma & Epitome*, uti Auguſtinus dicit, *omnium legum. Cùm multa locutus ſit Dominus, duæ tamen tantùm tabulæ dantur Moyſi lapideæ: nimirùm cætera omnia quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis, quæ duabus tabu-*

Aug q. 140 ſup. Exod.

Omnia præcepta Decalogo comprehenſa.

tabulis conſcripta ſunt ; pendere intelliguntur, ut diligenter quærantur, & rectè intelligantur.

I. Deberne Decalogus ſive lex noſtra decem præcepta complectens cæteris omnibus legibus anteponi ?

R. Ita. Et quidem multæ poſſent rationes adduci ad legis hujus excellentiam

Exod. 31.

commonſtrandam. *Primò*, quia hæc lex primiùs à Deo facta eſt, & ab comet initio quidem in cordibus hominum deſcripta, deindè verò in duabus marmoreis tabulis inciſa. *Secundò*, quia antiquiſſima eſt legum omnium, ac veluti reliquarum origo ac fons. *Vide*

Leges in Decal. lata omnes leges cæteras excellunt.

Theodoretum de curat. græc. affec. l. 9. Tertiò, quia hæc lex eſt generaliſſima legum omnium, quæ inveniri poſſunt : quippè quæ non ſolùm Chriſtianos obliget, ſed etiam Judæos & Gentiles, & ut viros, ſic quoque & mulieres ; ut divites, ſic pauperes, ut Principes, ſic triviales homines, ut doctos, ſic ignorantes. *Quartò*, quia lex hæc immutabilis eſt, nec hominis cujuſquam diſpen-

Matt. 19.

ſationem admittens. *Vide S. Tho. 1. 2. q. 100. a. 8. Quintò*, Lex hæc omnibus eſt ad ſalutem neceſſaria, uti ſæpius Dominus

Exod. 20.

in Evangelio proteſtatur. *Sextò*, quia maxima cum ſolemnitate in monte Sinai promulgata fuit, tubis nimirùm Angelicis perſonantibus, item cum tonitru ac fulgure in Domini præſentia. *Septimò*, eam Chriſtus Dominus in Evangelio confirmavit, & expoſuit Matth. 5. 6. 7. & alibi.

I. Quis dedit nobis decalogum ſive decem Præcepta ?

R. Ipſemet Dominus Deus, propterea enim vocamus iſta *præcepta Dei*, patet ex dictis.

I. Quando & quo apparatu ?

R. Hoc etiam planum eſt ex præhabitis & videantur 19 & 20 cap. Exodi.

I. Cur fuit Lex Decalogi tantâ majeſtate data, cumque tanto apparatu Exod. 19. deſcripto promulgata ?

R. Duas potiſſimum ob rationes : Prima ut nos doceret divina ſapientia reverenti humilique animo legem Domini ſuſcipiendam eſſe : Secunda, quod ſi præcepta negligeremus, paratas nobis à divina juſtitia pœnas imminere.

Lex Decal. magno apparatu lata.

I. Quandonam legem dedit Deus populo Iſraëlitico ?

R. Quinquageſimo die ab egreſſu eorum ex Ægypto, quod quinquageſimo poſt reſurrectionem Chriſti lex charitatis, miſſo cælitus Spiritu Sancto, fidelium in Sina congregatorum cordibus inſcribenda foret.

LECTIO VII.

I. POteſtne lex tanta terrore promulgata ab hominibus impleri ?

R. Ita, per Dei gratiam, & non per hominis ſibi relicti vires, aut facultatem.

I. Eſtne ſaltem valdè difficilis obſervatu ?

R. Minimè. Hoc declaro duplici ratione ; una ex Scriptura, altera ex Patrum auctoritate petita.

Scriptura dicit : *Mandata ejus gravia non ſunt.* Et : *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Ubi mandatorum obſervationem jugum appellat : Jubenti pareamus, efficiamur jumentum Chriſti, induentes vincula charitatis. Tale jugum ne detrectemus, ne excutiamus : ſuave eſt, leve eſt, ſubeuntes cervicem non atterit, ſed demulcet. Accedit Auguſtinus. Qui, quæſo, inquit, dicitur impoſſibile eſſe homini amare, amare inquam, Creatorem beneficum, Patrem amantiſſimum, deindè etiam & carnem ſuam in fratribus ſuis ? Et alibi idem Sanctus Doctor ſummam Dei benignitatem admiratus, Deum ipſum ſic affatur : *Quid eſt homo, quod amari te ab eo vis ? Et ſi non faciat, ingentes minaris pœnas ; an non ſatis magna hæc eſt, ſi non diligam te ? Amanti autem nihil difficile.* Et : *Qui diligit, legem implevit.* Vide Concil.

1. Joan. 5.

Greg. Niſſen. orat. 2 de pauperibus amandis.

Ser. 47. de Sanctis.

Lib. primo Confeſſ. c. 5.

Tri-

Trident. ſeſſ.6. de Juſtific. c.11. & can.18. 19 20.

I. Sed tamen inficiari non potes, hominem plurimùm impediri, quò minùs Deum amet, infirmitate naturæ?

R. Verum hoc eſt, ſed dico Deum, qui amorem requiſivit, amorem infundere cordibus per Spiritum Sanctum ſuum. Hic autem Spiritus bonus à Patre cœleſti datur: ut meritò Sanctus Auguſtinus precatus ſit; *Da quod jubes, & jube quod vis.* Vide eundem l. de nat. gram. c.59. Hoc Spiritu accenſus David non tantùm ambulabat, ſed concito planè greſſu currebat, cùm diceret, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* per gratiam Sic Apoſtolus dicit: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

Luc.11. *Lib.*10. *Confeſſ. c.*29.

Pſal.118.

Philip.4. 13.

I. Si hæc ita ſe habent. Cur ergò dicunt hæretici quod mandata Dei obſervare non poſſumus?

R. Quia ipſi ea nec volunt, nec poſſunt ſervare; non volunt, quia libertatem carnis ſectari malunt; non etiam poſſunt, quia gratiâ Dei carent, ſine cujus auxilio impoſſibile eſt omnia & ſingula Dei præcepta ſervare.

Hæreticis impoſſibile eſt ſervare Dei mandata.

I. Quænam poſſunt nos inducere ad promptiorem & faciliorem mandatorum Dei obſervantiam.

R. *Primò.* Amor. Amanti enim nihil difficile, ut proximè diximus. *Da amantem* (inquit Auguſtinus) *& ſentiet quod dico, etenim in eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipſe amatur.*

Rationes quibus ad promptiorem mandatorum Dei obſervantiam induci poſſumus.

Secundò. Attenta divinorum beneficiorum conſideratio v.g. creationis, conſervationis, redemptionis, &c. Quæ nunquã poſſunt ſatis æſtimari, pro quibus nihil aliud exigit Dominus Deus, quàm ut pauca eaque juſtiſſima & faciliima ejus mandata ſervemus.

Tertiò, uberes & ſuaves fructus qui ex obſervatione mandatorum Dei proveniunt; *copioſa* nimirùm *merces in cœlis, & menſura bona, conferta, coagitata & ſuperefluens*, quæ propoſita eſt his qui diligunt Deum, & toto corde mandatis ejus obediunt. Huc ſpectabat David cùm diceret: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.*

Matt.5. Luc.6.

Pſal.118.

Vide & attentè conſidera quæ de legis Dei laudibus toto iſto Pſalmo celebrantur.

Quartò, exempla Sanctorum, qui nos præceſſerunt, & in viis mandatorum Dei, uti ſtrenui pugiles fortiter certando cucurrerunt. Nullo unquam ſæculo non ſufficit nobis Dominus Deus exempla, quibus ſtimulati æmularemur chariſmata meliora.

Adverte quo pacto ſeſe excitet Sanctus Auguſtinus ad ſectandam corporis & animi puritatem, exemplo tot Virginum quæ magno animi robore carnis concupiſcentiam ſubegerunt; *Retinebant me*, inquit, *nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittiſne nos? Et à momento iſto non erimus tecum ultra in æternum, & à momento iſto non licebit tibi hoc & illud ultra in æternum? Et quæ ſuggerebant in eo quod dixi, hoc vel illud, & quæ ſuggerebant Deus meus? avertat ab anima ſervi tui miſericordia tua quas ſordes ſuggerebant? quæ dedecora? Et audiebam eas, jam longè minùs quàm dimidius: non tanquam liberè contradicentes eundo in obviam, ſed velut à dorſo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes, ut reſpicerem. Retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis & tranſilire quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo violenta: putaſne ſine iſtis poteris? Sed jam tepidiſſimè hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte, quà intenderam faciem, & quo tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ ſerena, & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens ut venirem, neque dubitarem; & extendebat*

Exemplum.

L.8. Confeſſ. c.11.

dens ad me ſuſcipiendum, & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa, & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines anus; & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine: Et irridebat me irriſione exhortatoriâ, quaſi diceret: Tu non poteris quod iſti & iſtæ? an verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas & non ſtas? projice te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet ut cadas. Projice te, ſecurus excipiet, & ſanabit te. Et erubeſcebam nimis, &c.

Quintò, gratiâ Dei propter omnia potentiſſimè nos adjuvat pro obſervatione mandatorum Dei.

I. Ubinam gratiam Dei reperiemus?

R. Ille non longè eſt à nobis, ſi nos ejus præſtemus capaces. Deus ex ſua parte *numquam inſtat præcepto* (inquit S. Leo) *quin præcurrat auxilio*. Pulchrè Auguſtinus relatus c. 11. ſ. 6. in Concilio Trident. *Deus jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

L. de nat. & grat. c. 43.

I. Eſtne magnum peccatum eorum qui aſſerunt impoſſibile eſſe ſervare Dei mandata?

R. Planè maximum. Hoc enim manifeſta & horrenda eſt blaſphemia contra divinam bonitatem; perinde enim eſt ac ſi dicerent; Deus tyrannus eſt qui exigit ab homine, quod ipſi eſt impoſſibile præſtare. *Dubitare non poſſum* (ait Auguſtinus) *nec Deum homini impoſſibile præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum quo fiat, id quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe, ac per hoc poteſt homo ſi velit eſſe ſine peccato, adjutus à Deo.* Quod non eſt aliud quàm poſſe hominem cum Dei auxilio præcepta ſervare.

L. de pecc. mer. c. 6. & 14.

I. Quos fructus conſequuntur qui legem divinam obſervant?

Fructus obſervantis Dei mandatorum.

Primò. Non parum ad Dei omnipotentis gloriam apud omnes quamvis barbaras nationes explicandam conducit, cùm videtur ejus ſervos legi obſequentes ſtare in ſanctitate & juſtitia coram ipſo.

Secundò, Lex Domini convertit animas ad Deum, agnoſcentes enim vias ejus, & Dei ſanctiſſimam voluntatem per legem convertimus pedes noſtros in vias Domini. Hinc iſtud. *Lex lux* Et: *Lucerna pedibus meis, verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

Pſal. 118.

Tertiò. Et quia ſoli timentes Deum verè ſapientes ſunt, hoc legi etiam tribuit Propheta, ut *Sapientiam præſtet parvulis.*

Eod. Pſal.

Hæc nimirùm ſapientia & prudentia Chriſtiana (de qua Paulus ad Epheſ. 1.) quæ nos docet rectè, piè, & chriſtianè vivere, quæque mores noſtros Chriſti legi & ſpiritui conformat, ut vitam beatam aſſequamur: quam Sapiens vocat *ſcientiam juſtorum*. & Angelus ad Zachariam *prudentiam juſtorum.*

Sup. 1. c. 19 lect. 2.

Luc. 20.

Quartò: Lex oſtendit juſtis regnum Dei, qui eſt quartus effectus ſive fructus legis, nimirùm ut ſpe & gaudio repleat benè operantem, & piè ac juſtè viventem. Cujus rei gratiâ cecinit Pſaltes. *Juſtitia Domini rectè lætificantes corda*, Quia nihil jucundius bonâ conſcientiâ.

Pſal. 18.

Quidam nobilis pergens ad venationem, invenit beſtiam quam ſolus admodùm avidè proſequebatur. Pervenit tandem ad quoddam nemus parvum & audivit ibi vocem humanam ſatis dulcem & jucundam. Mirabatur igitur undè procederet vox illa; cogitabat enim non poſſe eſſe vocem ſervorum ſuorum. Intravit igitur nemus, & invenit leproſum ſatis horribilem aſpectu, cujus carnes defluebant, quem ut vidit obſtupuit. Aſſumpſit tamen vires & acceſſit comiter eum ſalutans. Quæſivit unde proveni-

Spec. exempl. verbo infirmitas diſt. 9. Exemplum.

 ret

ret vox iſta tam ſuavis quam inaudierat. Cui leproſus; Ego, inquit, illam emiſi. Tunc admirans nobilis ille dixit: Quomodò tu in tantis doloribus conſtitutus lætari potes? reſpondit ille: Inter Dominum Deum & me non mediat niſi paries deluto, hoc eſt corpus meum. Quo confracto interſtitio, ad ipſum perveniam. Videns igitur quotidiè diſſolvi, atque debilitari corpus meum, gaudeo & præ cordis lætitia canto, expectans diſſolutionem corporis iſtius, ut ſine impedimento ad Deum fontem vivum merear pervenire.

Pſal. 118. *Quintò*. Poſtremo loco addidit Propheta. *In cuſtodiendis Dei mandatis retributionem multam eſſe*. Non enim illæ tantùm benedictiones promiſſæ ſunt, quæ ad terrenam fœlicitatem magis ſpectare videbantur, ut benedicti ſimus in civitate, benedicti in agro; ſed copioſa merces in cœlis, uti ſuprà hâc eâdem lectione motivo tertio. Quærenti in Evangelio;

Matt 19. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Reſpondit Deus: *Serva mandata*. Digna planè quæſtio, & cæteris omnibus quibuſcumque anteponenda. Vid. Thomam à Kempis l. 2. de Imit. Chriſti, c. 3.

I. Quæ eſt ſumma, & quis ordo præceptorum omnium Decalogi?

1. Tim. Rom. 13. R. Finis præceptorum omnium eſt charitas Dei & proximi, quia omnia nec Deum nec proximum offendendum eſſe docent. Quapropter etiam in duas partes ſunt diſtributa, duabuſque tabulis marmoreis inſcripta. In priori tabula tria præcepta obligationem noſtram erga Deum exhibentia continentur. In poſteriori verò ſeptem præcepta obligationem erga proximum inculcantia proponuntur.

Vide Aug. Ep. 119. c. 11.

I. Quare præcepta primæ tabulæ tria duntaxat ſunt?

R. Quia Deum amandum corde, ore, & opere eſſe docent.

I. Quare ſecundæ tabulæ ſunt ſeptem?

R. Quia unum nos docet proximo benè facere, alia verò ſex non facere malè eidem, primò quidem perſonæ, deinde honori ejus, tertiò denique fortunis, & hoc, nec opere, nec ore, nec corde.

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

CAPUT SECUNDUM.

LECTIO PRIMA.

I. Veniamus nunc ad explicationem decalogi ſeu decem præceptorum Dei; & primò quidem doce me quid ſignificent illa verba, quæ præcedunt decem præcepta. *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c.

R. In verbis illis quatuor rationes comprehenduntur, quibus Deum legem nobis dare poſſe monſtratur, noſque ad illius obſervationem obligatos eſſe. Prima ratio in illis verbis, *Ego ſum Dominus*, conſiſtit. Cùm enim Deus principalis ac ſupremus Dominus noſter ſit, qui creavit nos ex nihilo; abſque dubio poteſt nobis legem ut ſuis ſervis præſcribere. Altera in verbo illo *(Deus)* comprehenditur, quo non ſolùm Deum illum eſſe oſtenditur, ſed etiam ſupremum Judicem ac Gubernatorem, & talem utique qui condere legem poſſit, & prævaricatores punire. Tertia in vocula *(tuus)* continetur; nam præterquam quod Deo obligati ſumus obedire velut ſervi Domino, & velut ſubditi Judici; nihilominùs ulteriorem obligationem habemus ratione pacti, quod nos cùm illo, & ille nobiſcum in Baptiſmo inivimus. Nam in eo Deus nos pro ſuis adoptivis filiis aſſumit, & nos illum in parentem primarium deligimus, ut etiam Deus fideles omnes pro hæreditate, & populo deligit; & fideles Deum pro ſuo Deo ac Domino aſſumunt. Quarta eſt in his verbis. *Qui eduxi*.

Pluribus rationibus ſuademur ad Dei mandata ſervanda iſtis verbis. Ego ſum Dominus Deus tuus &c.

Digitized by Google

eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis; quia ad tam multiplices obligationes, etiam hæc obligatio gratitudinis accedit: Et quia per Deum quoque à ſervitute, cum peccati, tum diaboli liberati ſumus, ideò id in Ægyptia ac Pharaonica ſervitute, adumbratur; ex qua populum Iſraëliticum fortiter reduxit Deus.

I. Explica mihi primum præceptum?

R. Primum præceptum tria complectitur: *Primum* eſt, quod Deum pro Deo teneamur agnoſcere, in illis verbis: *Ego ſum Dominus Deus tuus.*

Secundum, quòd nullam aliam rem pro Deo debeamus adorare, in ſequentibus verbis; *Non habebis Deos alienos coram me.*

Tertium eſt, quòd non habeamus nobis Idola fabricare, id eſt ſtatuas aut Imagines, ut eas tum pro Diis habeamus, tum adoremus ibi: *Non facies tibi ſculptile ut adores illud.*

I. Explica partem primam; & edifice quomodo eam impleamus?

R. Deus pro eo haberi vult quod eſt, nimirùm pro vero Deo; quod tum fit potiſſimum, quando homo in quatuor virtutibus divinam Majeſtatem contingentibus ſeſe exercet, id eſt in fide, ſpe, charitate, & religione. Igitur qui fideliter credit in Deum, agnoſcit Deum pro Deo, v. c. Credo firmiter & abſque ulla hæſitatione myſterium Euchariſtiæ, quia certò credo Dominum Deum (qui eſt prima & infallibilis veritas) nobis mortalibus hoc revelaſſe, uti per Eccleſiam proponitur. Taliter autem de Deo ſentire (videlicet quòd ſit prima & æterna veritas, quæ non poſſit falli, nec velit fallere) eſt Deo honorificum; eſtque juſta & rationabilis cogitatio, perſuaſio & fides, quam de ſuo Creatore tenetur habere creatura.

I. Declara hoc paulò amplius, ſi placet, in actu fidei exercito, ſive in praxi?

R. Oſtendo hoc in actu fidei circa propoſitum Euchariſtiæ myſterium hoc modo: Credo Domine & confiteor quicquid ſancta Mater Catholica, Apoſtolica, Romana Eccleſia credit de hoc admirabili Sacramento pretioſiſſimi Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, videlicet, in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini à Sacerdote factam conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum atque hominem; verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie rerum ſenſibilium panis ſcilicet & vini contineri: hoc enim ipſe perſpicuis & diſertis verbis teſtatus eſt Dominus in ultima cœna, poſt panis vinique benedictionem, referentibus Sanctis Apoſtolis & Evāgeliſtis quos poſuit Deus ad informandam & erudiendam Eccleſiam ſuam. — *Actus fidei.* — Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

I. Declara hoc in ſpe?

R. Qui ſperat in Deum; ille Deum pro Deo agnoſcit, quem pro fideliſſimo, miſericordiſſimo, ac potentiſſimo habet, & confidit quòd in omnibus neceſſitatibus & velit & poſſit adjumento eſſe, tali vel ſimili actu formato.

Deus meus & omnia. Tu es omne bonum noſtrum, ad te omnem ſpem meam converto. Planè mihi confido de tuis bonitate & miſericordia infinitis, quod per merita dilecti filii tui & bona opera mea vitam æternam, & media ad eam perveniendi, præſertim gratiam, in amore tuo, uſque in finem perſeverandi mihi impertieris. — *Actus ſpei.*

I. Declara hoc in charitate?

R. Deus eſt ipſa bonitas naturaliter, ego igitur amare volo Deum ſuper omnia: æquum enim eſt ut toto corde diligat creatura optimum ſuum benefactorem, à quo quicquid habet, ut ejuſmodi uſus habet; eò magis quòd objectū in quod per amorem ferri debet, ſit omni ex parte pulcherrimum & perfectiſſimum. Quæ motiva dilectionis Dei ſuper omnia, ſunt Deo digniſſima, & proinde ſentio per charitatem de eo,

Digitized by Google

quod juſtum eſt de Deo ſentire. Sentire verò de Deo quod de eo eſt ſentiendum, hoc eſt à parte rei habere eum pro Deo, quod præcipit hoc primum mandatum. Actus amoris Dei ſuper omnia habes ſuprà c. 1. lect. 2. hujus partis tertiæ & alibi.

Actus charitatis.

Addo hic breviſſimos iſtos:

Amo te Deus meus, quia dignus es toto corde meo,

Vel ſic:

O amor Deus meus diligo te ex toto corde meo ſolùm propter te!

O Ieſu amor cordium!

Ench. c. 3.

Hinc colligere licet intellectum ejus quod aliquando dixit Auguſtinus: quod Deus colatur fide, ſpe, charitate. Hoc enim perindè eſt ac ſi diceret: cùm actus iſtarum virtutum ad Dei cultum referes, tunc reverà Deo ter maximo perfectum exhibebis honorem & obſequium, uti id intellexit S. Thom. in 3. d. 9. q. 1. a. 1.

S. Tho 2. 2. q. 81. & Leſſ. l. 2. c. 36 dub. 1.

I. Quare ſuprà addebas *& religione*. Quid eſt religio?

R. Religio eſt virtus, quæ debitum cultum Deo, tanquam primo rerum omnium principio, exhibet. Nota, ſicut hominibus ob potentiam, ſapientiam, virtutem, & cujuſvis perfectionis excellentiam debetur quidam cultus ſeu honor, quo illarum eminentiam cum quadam noſtri demiſſione teſtetur: ita Deo ob ſingularem & infinitam excellentiam in omni genere perfectionis quam habet, ut Deus eſt, ſeu ut primum principium & ſupremus omnium Dominus, debetur quidam ſingularis honor, velut tributum quoddam ab omni creatura rationali, quo illius excellentiam & ſuam ſubjectionem & in omnibus dependentiam teſtetur. Ad hunc honorem exhibendum inclinat religio.

Religio quid?

L. 4. divin. Inſtit. c. 28

Hâc conditione (ait Lactant.) *gignimur, ut generanti Deo juſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum noverimus, hunc ſequamur; hoc vinculo pietatis obſtricti Deo, & religati ſumus. Vnde ipſa religio nomen accepit. Et ad id dicimus nomen religionis à vinculo pietatis eſſe deductum, quod homines ſibi Deus religaverit, & pietate conſtrinxerit, quia nos ſervire ei ut Domino, obſequi ut parenti neceſſe eſt.*

Nota ſecundò. In officio religionis quatuor actus ſpectari poſſe, qui quò perfectiores ſunt, eò perfectior eſt hujus virtutis functio. *Primus* eſt, Conſideratio infinitæ majeſtatis Dei, & quomodo omnia ab ipſa pendeant. *Secundus* eſt. Conſideratio noſtri nihili, id eſt nos ex nobis nihil eſſe, nihil habere, ſed quicquid ſumus & habemus, Dei eſſe, & à Deo aſſiduè pendere. *Tertius.* Profunda mentis ſubmiſſio, & inclinatio coram Deo, qua mens hæc ipſa interiùs teſtetur. *Quartus.* Eorumdem profeſſio exterior, verbis, geſtu corporis, vel aliis modis.

Quatuor actus in officio Religionis.

Primus & ſecundus ſupponuntur religioni tanquam fundamento. Tertius eſt actus interior religionis.

Quartus immediatè eſt ſignum internæ ſubmiſſionis, mediatè verò eſt ſignum divinæ excellentiæ & dependentiæ rerum ab ipſa. Sic voces immediatè ſunt ſigna conceptuum & affectionum animi, mediatè verò ipſarum rerum.

I. Præclara ſunt iſta quæ dicis, verùm libens velim hæc per praxim exponi.

R. Non eſt difficultas. Quando enim oro Deum recitans verbi causâ, Orationem Dominicam cum apprehenſione & proteſtatione ſummæ ejus majeſtatis & ſupremi dominii ex una parte, & indigentiæ ac inſufficientiæ meæ ex altera, tunc exerceo actum religionis. Similiter quando ego Sacerdos offero Deo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, tunc optimâ ratione exhibeo ei cultum & ſervitutem quâ humana imbecillitas debet Deo ſuo, facioque excellentiſſimum & perfectiſſimum adorationis adeoque religionis actum.

I. Quid

Adoratio. I. Quid igitur eſt adoratio, ſive quid eſt adorare Deum?

R. Eſt debitum ipſi honorem deferre, quem latriæ cultum dicimus.

I. Quomodo hoc fit exterius?

R. Omnia ſigna, omneſque geſtus exteriores quibus honorem Deo exhibemus ſunt planè inſufficientes ad orationem propriè dictam: quæ eſt latriæ cultus; & ad venerationem, quæ eſt cultus inferior Duliæ, ſanctis debitus; verùm tota ratio adorationis propriè loquendo, verſatur in intentione, id eſt in profunda mentis coram Deo ſuo inclinatione, ex qua determinantur omnes modi agendi exteriores.

Hæreticorum calumnia de adoratione Imaginum. I. Nihilòminus non ceſſant hæretici clamare & increpare nos quaſi Sanctos & Imagines adoremus, cùm eis adgeniculamur, accuſantque nos nefandæ Idololatriæ apud imperitam multitudinem.

R. Sine eos, cæci ſunt & duces cæcorum, errant neſcientes Scripturas, & cæteros in errorem inducere nituntur. Sanè qui vel à limine ſacras Scripturas ſalutavit, nullo modo ignorare poteſt, quin ſæpè fideles & Dei ſervi genu flexo adoraverint, id eſt profundam venerationem ſive reverentiam exhibuerint, non tantùm Sanctis, verùm etiam hominibus adhuc viventibus, puta Prophetis & Regibus aliiſque quibuſvis aliquâ excellentiâ ſeu eminentiâ præditis. Vide Gen. 43. & 50. 3. Reg. 1. 4. Reg. 4. Actor. 10. Quæ ſigna venerationis, & (uti Scripturæ loquuntur) adorationis ſpeciem ſuam, ac determinationem accipiebant ab intentione illa exhibentium, & referentium ad aliquam eminentiam veneratione dignam in illis, quos ſic adorabant, vel venerabantur, teſtandam. Dic age, ſi illi quos Scriptura commemorat, in ſuo facto minimè redarguuntur, aut Idolatriæ arguuntur, cur Catholici Imagines, aut Sanctos colentes, venerantes, & ex Scripturæ phraſi adorantes, tanti facinoris accuſantur?

I. Progrediamur (ſi placet) & ediſſere qualiter primum Decalogi præceptum per *religionis* virtutem adimpleamus?

R. Cùm Deum ex intima mentis ſubmiſſione adoramus, ſerió infinitam ejus excellentiam, & infinitam noſtram ſubjectionem apprehendentes; quod optimâ ratione fieri in oblatione Sacrificii Miſſæ paulò antè dixi.

I. Exhibe mihi nunc actum *adorationis*, ſicuti ſuprà exhibuiſti alios actus *fidei, ſpei, & charitatis.*

Actus adorationis. R. *O Domine Deus meus, qui trinus in perſonis & unus es in eſſentia, adoro te ex intimo corde, & reverentia quàm poſſum maxima, te enim confiteor Deum exaltatum ſuper omnes Deos, Regem Regum & Dominum Dominantium; Tu es principium & finis rerum omnium, principium abſque principio, finis abſque fine. Tu es vita quâ vivunt quæcumque vivunt. Tu es bonum quo bonum eſt quidquid verè bonum eſt. Tu es pulchrum quo pulchrũ eſt, quidquid eſt pulchrum. Tu es ſolus qui es & per quem exiſtit quidquid eſt. Et quia nimis humilis eſt mea adoratio, offero tibi excellentiſſimas adorationes quas divinæ majeſtati tuæ inceſſanter ac perpetuò offerunt & offerent in æternum ſacratiſſima humanitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beatiſſima eius Mater & Regina noſtra, cum Thronis & Dominationibus, cum tota cœleſti curia, ſanctaque Matre Eccleſia. Amen.*

LECTIO II.

I. QUànam ratione contingit contra hoc præceptum peccari per defectum à virtutibus prænotatis?

R. Hoc poteſt contingere dupliciter. Primò quidem per defectum generalem ab illis quatuor, puta, fide, ſpe, charitate & religione.

Secundò verò per defectum ſingularem ab aliqua una earum in particulari.

I. Qui ſunt illi qui per defectum generalem peccant?

R. Rudes & groſſi (quos vocamus) Catholici, Politici, Athei, Libertini.

I. Qui per defectum ſingularem?

R. Infideles, Hæretici, Schiſmatici, Apoſtatæ.

I. Quos vocas tu rudes & groſſos Catholicos?

Rudes & groſſi Chriſtiani. R. Qui in negotiis ſuæ ſalutis ſunt admodùm ignari, quique neſciunt quid credere, quid orare, aut Deo ſervire debeant. Quid teneatur Chriſtianus ſcire, docuimus ſup. 1. p. c. 1. 2. vid. S. Th. 2. 2. q. 2. a. 8. DD. in 4. d. 25. Medin. l. 4. de fid. c. 6. Sà verbo fides. Neque ignari dumtaxat & rudes, groſſi Catholici cenſendi ſunt, verùm etiam illi qui cùm articulos & rudimenta fidei, necnon media operandæ ſalutis probè didicerint & calleant, ea tamen nunquam ſeriò conſiderant, aut ad praxim redigunt, ut vitam chriſtianè componant, & in viis mandatorum Dei ambulent, ſolo nomine ethnicis & paganis meliores. Ad hanc claſſem reducuntur mundi Amatores, qui tempus & omne otium conſumunt in ſequendo deſideria & concupiſcentias ſuas, occupati quàm maximè in negotiis domeſticis curandis, uxore & liberis educandis, re familiari augendâ, &c. adeò ut de Deo parum vel nihil cogitent. *Vide Luc. 14. v. 16.*

I. Quando nam igitur debent Chriſtiani elicere actus fidei, ſpei, charitatis, quando adorare Deum, quando conſiderare mirabilia de lege ejus; verbo, quando ejus meminiſſe?

R. Quò frequentiùs eò meliùs. Interim ut aliquid dicamus in particulari, tunc oportet nos fidei actus elicere, quando ſpecialis aliqua in credendo difficultas occurrit, verbi causâ, accedenti mihi ad ſacram menſam Communionis Corporis & Sanguinis Domini incidit difficultas & dubietas; verène Dominus noſter Jeſus Chriſtus lateat, & contineatur ſub ſpeciebus conſecratis mihi exhibitis, quemadmodum fides noſtra docet. In hoc caſu teneor fidei actum elicere ſive expreſſum proteſtando myſterium realitatis corporis Domini in Sacramento ſubſtantialiter exiſtentis, ſive implicitum, explodendo & procul à me rejiciendo dubietatem illam tanquam tentationem aut illuſionem diaboli, cùm ſatiùs exiſtimem pro tempore incumbere debitæ præparationi ad devotam Sacramenti ſuſceptionem, quam ad actualem, & directam tentationis propulſationem. Idem agendum in occurrentibus dubiis circa articulos fidei in quacumque tandem materia. Similiter ingruente aliquâ tentatione contra virtutem ſpei. *Quandonam fidei, ſpei, &c. actus eliciendi.*

Vide quæ ſuis locis diximus de oratione, & excitanda contritione; non enim abſque ſpe & fiducia obtinendi quæ petimus, oramus; neque de peccatis ſuis ille ritè conteritur, qui peccatorum ſuorum remiſſionem non ſperat. Quoad obligationem expendendi & attentiùs conſiderandi Dei beneficia, pro iiſque gratias agendi, vide quæ nos infrà ad præceptum tertium.

Chriſtiani homines exercitia. Tandem, ut ſemel dicamus; quemadmodùm ſtrenuus miles eſt, qui aſſiduè arma tractat; ita bonus eſt Chriſtianus, qui totus eſt in exercendis fidei, ſpei, charitatis, religionis, aliarumque virtutum actibus, qui ſunt Chriſtianæ militiæ arma & certiſſima præſidia. *Simile.*

I. Quomodò cenſes examinandos rudes illos & groſſos Chriſtianos dum confitentur?

Groſſi & rudes Chriſtiani quomodo in confeſſione juvandi. C. 1. lect. 4. R. Hoc modo: calleantne Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Dei præcepta, ſeptem Sacramenta.

Et in particulari, an ſciant hanc ipſam confeſſionem eſſe unum è ſeptem Sacramentis? Et:

Quomodò inſtituenda?

An ſciant & explicitè credant ſacroſancta myſteria, Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ, ut ſuprà prima parte habitum eſt?

An orent Deum & qualiter?

Quomodò manè ſurgunt, hoc eſt, quo ſpi-

ſpirituali exercitio præmiſſo ante quodvis inchoatum opus, & quomodò veſperi decumbant.

Dominicis & Feſtis diebus quid agant?

An credant animæ immortalitatem?

An ſciant hominis noviſſima, & de illis aliquando cogitent; præſertim, an ſciant & credant homini benè operanti repoſita eſſe præmia æterna? & è contra malè operanti, tormenta æterna?

An hæc timeant, & illa ſperent?

An providentiam Dei circa res omnes creatas credant?

An ſciant peccatum Deo vehementer diſplicere?

An ſciant homini neceſſariam imprimis Dei gratiam ad benè vivendum & ſalutem conſequendam?

An Deum adorent in ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento?

An colant Beatiſſimam Virginem, eamque Dei genitricem verè eſſe hominum mediatricem firmâ fide credant?

An ipſis curæ ſit ut hæc omnia ſciantur, credantur, & in praxim redigantur à ſuis ſubditis, puta uxore, prolibus, famulis, domeſticis?

Notent hoc Confeſſarii.

Nota, debent Confeſſarii quantùm tempus fert in ipſa confeſſione ejuſmodi homines inſtruere & catechiſare circa prædicta, & maximè circa diſpoſitionem neceſſariam ad percipiendum cum fructu & effectu peccatorum remiſſionem in iſto ipſo, in quo verſantur, Pœnitentiæ Sacramento, quæ eſt hodierna eruditorum & timoratorum Confeſſariorum praxis.

I. Qui ſunt Politici?

Politici.

R. Qui poſthabentes religionem Deique cultum, tam impensè vacant rebus & negotiis publicis, ut nunquam, aut certè rarò admodum atque perfunctoriè ad res divinas animum convertant.

I. Peccantne ejuſmodi homines contra primum hoc Dei præceptum?

R. Ita. Nam cum in verbis illis. *Ego ſum Dominus Deus tuus*, hic ſenſus includatur: *Ego ſum ſolus Deus tuus*, hoc eſt, *ſupremus Dominus, Princeps, Rex, Creator, Conſervator, infinitæque poteſtatis Monarcha*; clarum & manifeſtum eſt, quod, ut talis debeat agnoſci, coli, adorari, ſuſcipi, laudari, ab omni rationabili creatura. Illi ergò officium ſuum minimè præſtant, qui plus operæ & ſtudii in id collocant, ut Principibus viris accepti ſint, quàm ut Deo placeant; qui pluris æſtimant avidiuſque aucupantur gratiam, favores, plauſus vanos, rei familiaris, & fortunarum compendia, quas ex Magiſtratibus & Reipublicæ regimine conquirunt, quam quæ in cœlis præparavit Deus his qui diligunt illum.

I. Qui ſunt Athei?

R. Athei ſic appellantur quaſi abſque Deo; Atheiſmus ergò eſt contemptus & receſſus totalis à Deo, à pietate, & religione. *Vide lectionem primam præludialem.*

I. Quid igitur credunt Athei?

Athei.

R. Planè nihil. Numen & providentiam tollunt, ac conſequenter nulla juſtis præmia, nulla volunt improbis parata tormenta; vanas eſſe fabellas & puerorum terriculamenta quicquid credimus, timemus, ſperamus.

I. Eſtne Atheiſmus magnum peccatum?

Atheiſmus maximum peccatum.

R. Maximum; laxat enim habenas ad omne flagitium. Homines enim qui negant Dei providentiam, ſine numinis aut vindicis metu, ruunt in omnia ſcelera ut enarrat Pſaltes. Pſal. 13. & in eundem Pſ. notant Chryſoſt. & Theodoret.

I. Qui fieri poteſt ut reperiantur aliqui uſque adeò cæci, & omni mente deſtituti, qui providentiam Dei negent & tollant?

R. Tantæ cæcitatis cauſa unica eſt ingens multitudo peccatorum, quibus graviſſimè offenſus Deus permittit ut in iſtud barathrum ruant; id eſt, uſque ad

Dei

Digitized by Google

Dei ejuſque providentiæ ac juſtitiæ contemptum, adeoque uſque ad omnis pietatis & religionis Apoſtaſiam; quæ tam atrocia ſunt facinora, tamque horrendæ tenebræ, ut non ſolùm offendant, & ad iracundiam provocent Deum graviſſimè, verùm etiam ipſi naturæ injuriam & contumeliam inferant: quæ (ut ſuprà oſtendimus) conſtantiſſimâ voce ſuccla mat, omnibuſque demonſtrat ſupremum rerum omnium motorem, primam eſſentiam, primamque cauſam exiſtere. Vide Platonem in Tim. De his Salomon pronunciavit. *Impius cùm in profundum* (Græcè in centrum) *venerit contemnet.* Dicitur ergò Atheus, impius per Antonomaſiam, ut qui eſt omni pietate orbatus.

Lect. 1. prælud.

Prov. 18.

Vis autem ſcire quibus gradibus veniat Atheus, & quilibet impius in profundum, in centrum, in barathrum, in infernum? Videtur mihi ſcala, qua recta deſcendit impius in tartara, his gradibus conſtruenda. Nimirùm peccator ex peccato deſcendit in primum profundi gradum, qui eſt conſuetudo peccandi: ex eo deſcendit in ſecundum, qui eſt cæcitas mentis, ex eo in tertium, qui eſt contumacia: ex eo in quartum, qui eſt Dei contemptus: ex eo in quintum, qui eſt deſperatio: ex eo in ſextum, qui eſt gehenna & damnatio æterna. Ita ferè Sancti Patres commentantes in allegatum Proverbiorum locum: Satis appoſitè quidam ex moribus noſtri ævi eandem ſcalam quatuor gradibus fabricavit, hoc modo: *Déjuner à l'impieté, diſner à l'enſeigne de l'hereſie, ſouper chez l'Atheiſme, aller coucher en enfer.*

Libertini. I. Qui ſunt tandem Libertini?

R. Non valdè ſunt Atheis abſimiles. Hi ſunt qui contendunt ſibi liberum eſſe credere quod volunt, in ſuum & pravum ſenſum detorquentes illud Apoſtoli; *Quiſque in ſuo ſenſu abundet.* Dicunt igitur quemque in ſua fide poſſe ſalvari, quicquid agat, tantùm, ut nihil agat contra conſcientiam ſuam. Oportet ergo ſecundùm eorum deliria conſcientiam omnem abjicere ut non pecces.

Rom. 14.

I. Bone Deus! quid hominis eſt, qui conſcientiam non habet?

R. Ego profectò neſcio cujus generis homo eſſe poſſit, qui virtute, qui ratione, qui conſcientiâ careat!

I. Quâ ratione tranſgrediuntur Libertini primum Dei mandatum?

R. Eâ ratione quod non attendant ad iſtud Legislatoris Dei: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, id eſt, unus & ſolus qui in una ſola Catholica religione colitur, & adoratur; qui uti eſt omnipotens, ita eſt juſtus vindex malorum; quique cum natura indidit cuilibet homini ſynderesim, & lumen quo videant & diſcernant lucem à tenebris, honeſtum ab inhoneſto, bonum à malo.

I. Quis tandem finis Politicorum, Atheorum, Libertinorum de quibus hactenus?

Exemplum terribile infelicis exitus politicorum hominum.

R. Suppliciis addicuntur æternis. Anno Domini 1596. Baro Honsdenius, unus illorum qui Eliſabethæ Anglorum Reginæ eâdem illâ tempeſtate à conſiliis erant, Londini vitam infeliciter finiit. Nam paulò antè obitum vidit ſucceſſivè appropinquantes ſibi ſex collegas ſuos: quorum primus Leceſtrius Comes qui antè ſex annos obierat, candente igne undequaque erat perlucidus; ſecundus Walſinganus Secretarius non minori relucebat flammâ; tertius autem Poukerinus Lordr ſupremus Angliæ Iudex tam horrendo cum frigore apparuit, ut gelido ſuo contractu ægrotantem quaſi enecaturus videbatur; quartus verò fuit Haddo Regni Cancellarius. Quintus Thomas Henninghius Conſiliarius. Sextus Franciſcus Knouls itidem Conſiliarius, quorum tres poſtremi conſimili ſplendore igneo conſpicui erant, qui uno affatu Honsdenium convenientes, eum ut ſeſe ad obitum pararet, monuere, brevi enim futurum fore ut quorum in conſiliis collega aliquando extiterat, eorum perpetuo conſortio ſociaretur; undè

F. Coſter in compend. ver. orthod. fid demonſt. 8. prop. catho. c. 17.

Digitized by Google

undè & Theſaurarium Guillielmum Cicilium ajunt commonefacito, ut & ipſe itineri ſe accingat, poſſeſſurus nimirùm locum illum qui jamjam adventantem excipiet. Hæc moribundus Honsdenius omnibusquotquot eum adſtere, cum juramento affirmavit ita ſeſe habere: licèt alii eum delirare dicerent. Quorum tamen temerariam ſuſpicionem tam illius quàm Cicilii repentina ſubſecuta mors abolevit, ac rei verè geſtæ certiſſimum teſtimonium præbuit; non minùs quàm nobili Domicellæ de hac terribili viſione eum ſciſſitanti, reſpondit ſe veriſſimè hæc oculis ſuis conſpexiſſe, atque ab iis damnationis quoque ſuæ certiorem eſſe redditum. Ad quod exterrita: Siccine inquit, omnis ſpes conſequendæ veniæ tibi præciſa eſt, adeò ut nullis mediis inferni queas tormenta evadere? Ad quod ille: nullâ certè re mihi opitulari quiſquam poterit, niſi fortè copiam Sacerdotis, qui antiquæ ſit virtutis ac fidei, ad manum habuero. Verùm inter hæc miſeram efflavit animam, nam ob edictorum à ſe ſociiſque ſuis haud longè antè promulgatorum tyrannidem, nullo in iſtis locis Sacerdote potiri potuit: quippe quibus ſub gravi pœna interdictum, ne confitenti quidem aures præbere, multò verò minùs abſolutionis beneficium impertiri. Itaque ſuis ipſe conſtrictus legibus malè interiit, exemplo nimirùm Perilli, necnon & Phalaridis Siciliæ crudeliſſimi tyranni.

LECTIO III.

I. Qui ſunt iſti alii quos dicebas tranſgredi hoc primum mandatum, præſertim non ſatis attendendo ad verba iſta; *Ego ſum Dominus Deus tuus?*

R. Diximus hactenus de rudibus Catholicis, politicis, atheis, & libertinis, qui omnes univerſim ſibi deſunt quoad exercitia fidei, ſpei, charitatis, & religionis, & ideò non colunt, aut adorant Deum uti oportet, reliquum eſt modò ut de iis agamus, qui quoad fidem in particulari non præſtant Deo debitum obſequium. Ac primò dicendum de infidelibus.

I. Qui ſunt infideles. *Infideles.*

R. Illi ſunt in duplici differentia. Alii enim infideles ſunt negativè, qui nihil unquam de fide aut pertinentibus ad fidem inaudierunt; hi non damnabuntur ob infidelitatem, quia non peccant infidelitatis peccato, ſed damnabuntur ob alia peccata quorum remedium in hac infidelitate nullum habuerunt, *ſine fide* Heb. 11. 6. *enim impoſſibile eſt placere Deo, & peccatorum remiſſionem accipere.* Vide S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 1.

Secundi generis infideles ſunt poſitivè, qui prædicato Evangelio non credunt; Act. 13. tales erant Judæi, qui Domini noſtri Jeſu Chriſti doctrinam ab Apoſtolis prædicatam recipere nolebant, Ex qua occaſione factum eſt ut ad gentes perveniret Evangelium, prout ipſe Salvator noſter prædixerat. Matthæi 22. Vide Apoſt. ad Rom. 9. 10. 11. Et hi poſteriores graviſſimè ex in- *Judæi.* fidelitate peccant. Quibus etiam hæreticos adjungere licebit.

I. Qui ſunt hæretici;

R. Illi qui cùm baptizati ſint, & fideli- 1. p. q. [illegible] l. 2. um albo adſcripti, Scripturas pro ſuo ar- *Hæretici.* bitrio & ſenſu perperam interpretantur contra unanimem Sanctorum Patrum & Eccleſiæ conſenſum, qui obaudire nolunt, ſed magis cerebri ſui propria, & privata figmenta ſequi eligunt.

I. Quo pacto impingunt hæretici in primum Decalogi præceptum?

R. Quia Deo non credunt loquenti per os Eccleſiæ, ſed malunt audire diabolum mendacii patrem.

I. Eſtne igitur Cacodæmon hæreticorum magiſter?

R. Ita. Quemadmodum enim diabo- *Cacodæmon hæreticorum magiſter.* lus decipit & ſeducit animas ab initio; ità ſimilem navant operam hæretici per doctrinam ſuam peſtilentem decipiendis, & in errorem inducendis multis.

I. Poſſeſne hoc probare?

R. Ita, & per Scripturam, & per Patres, & per exempla.

1. Tim. 4. Spiritus manifeſtè dicit, *quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Super quibus verbis Chryſoſtomus homil. 12. aſſerit omnem hæreſin & hæreticorum dogmata eſſe ex diabolo: cujus rei auritus eſt teſtis Caſſianus collat. 7. c. 32. audivimus, inquit apertiſſimè confitentem ſe inſpiraſſe hæreſim Arrii & Eunonii. Irenæus l. 1. c. 9 & l. 2. c. 57. tradit Simonem magum & Marcum, alioſque hæreſiarchas habuiſſe dæmones paredros & familiares: ſicut è contrario Eccleſia paredrum, quaſi aſſeſſorem, & conſultorem habet Spiritum ſanctum.

Exempla. Cùm multi viſitarent Fulbertum Epiſcopum Carnotenſem, ille inter alios conſpicatus Berengarium, niſu quo valuit expellendum indicabat, proteſtatus immanem dæmonem, prope iſtum conſiſtere; multoſque ad eum ſequendum blandiente manu & illice anhelitu corrumpere. *Baron. anno 1028.*

Bredemb. l. 7. collat. c. 41. Maximilianus I. Imperator in Comitiis Auguſtæ Vindelic. an. Domini 1518. publicè prandens, videns Lutherum, dixit Baroni cuidam pincernæ ſuo: video cacodæmonem formâ corporeâ humeris iſtius Monachi incubantem, & te quidem ſuperſtite, me verò defuncto, iſte monachus turbas, calamitates & miſerias graviſſimas in Imperio ſuſcitabit. Et verus fuit Propheta.

Lib. de Miſſa angulari. Quin & hæreſiarchæ ipſi idipſum confitentur. Lutherus de ſeipſo fatetur (ejus enim hæc verba ſunt) diabolum & ſe inter ſe mutuò familiariter noſſe, & plus uno ſalis modio ſimul comediſſe, illumque dulci alloquio ſe frequenter conveniſſe, & nocte excitaſſe, atque ſtimulaſſe ut contra Miſſam ſcriberet, & ad eam rem argumenta ſuppeditaſſe. Zuinglius narrat anxiè cogitanti ſibi, quomodo verba inſtitutionis Sacramenti corporis Chriſti in alienum ſenſum detorqueret, intempeſtâ 13. Aprilis nocte ſpiritum monitorem adfuiſſe, & albus an ater fuerit, ambigit. *L. de ſuplem. Euchariſtiæ.*

Eraſmus Albertus Baſilienſis Eccleſiaſtes, cacodæmonem Carolſtadio concionanti procerioris ſtaturæ hominis ſpecie, apparuiſſe ſcribit, triduò antequam moreretur.

Calvinus epiſtolâ ad Bucerum monentem ut à convitiis & maledictis abſtineret; reſpondit, non ſui ingenii eſſe morbum, ſed ſui genii; putà diaboli paredri. Plura exempla hæreticorum qui magnam cum dæmone habuerunt communionem, recenſet Petrus Thyræus diſp. de dæmoniacis p. 2. c. 25.

I. Qui hæreticorum concionibus interſunt, ut inſtruantur, peccantne etiam contra hoc præceptum?

R. Ita: faciunt enim in hoc profeſſionem hæreſeos, auſcultantes dæmonem qui per iſtos prædicantes loquitur.

Conciones hæreticorum ſummoperè vitandæ. Quod ſi ob alias quaſpiam rationes, putà ob curioſitatem, ob humanos reſpectus, &c. illis interſunt, tunc non peccant tam contra primum hoc præceptum, quàm contra charitatem, quam ſibimet debent. Peccant igitur exponentes ſe periculo ſcandali ſive ruinæ ſpiritualis animarum ſuarum, præſertim quando non ſunt in fide plenè inſtructi & benè fundati. Quod ſi audientes conciones hæreticorum ſint firmi in fide & viri eruditi, qui eas audiunt ut confutent ſcriptis ſuis, vel aliis juſtis de cauſis abſque periculo ſubverſionis, aut etiam offenſionis eorum qui vident, non peccant, neque hæretici aut hæreticorum fautores ideò habendi. Adverte tamen ut adſint circumſtantiæ omnes illæ & conditiones quas præmiſi, & nemo ſibi blandiatur vel ita præfidat, ut abſque magni momenti ratione ad conciones ejuſmodi ſeſe ingerat, nam prudentiſſimus quiſque interdum decipitur, & in errorem pertrahitur. Et hic locum habet Proverbium: *Qui amat periculum peribit in illo.* Eccl. 3.

I. Ei-

I. Etiamne prædicantes hæreticos punivit aliquando Deus in hoc mundo?

R. Ita. In Glacenſi oppido, caſus accidit omninò formidabilis.

Exemplum. *Præcipuus Civitatis prædicans, acerbus omninò orthodoxæ fidei adverſarius, ſummæque apud ſuos exiſtimationis, cum feriis D. Stephano Prothomartyri ſacris, abeunte uxore cum reliqua familia ad Matutinam, quam vocant concionem, domi, ſalvus & ſolus ſuo in muſæo ſeſſitaret, concionique parandæ intentus eſſet:* *Ex Chronic. Bohem. anno 1610.* *Ecce ibi corripit illum malus genius, & tanta eundem exercet ferocia, ut fœdiſſimè deformatum, funeſte enecatum, ſolo ante adium gradus immaniter alliſum, ſparſis juxta cadaver diſcerpta concionis partibus familiæ in tenebris domum redeunti pedibus calcandum reliquerit. Primus qui caſcet in eum impulit, fuit filius, & cum canem exiſtimaret; Tu nequam, inquit, ecquid decubas hic? Quia verò ad repetitos ictus canis nullus ſe prodebat, manibus palpando, tandem deprehendit Patrem exanimem. Inde clamor exoritur, cietur turba, accenſoque lumine toti urbi fit ſpectaculum miſerabile, quod ad Catholicos in fide confirmandos qui viderunt (viderunt autem multi) admodum valuit.*

I. Eſtne res periculi plena converſari cum hæreticis?

1. Tim. 2. R. Pleniſſima. Nam *Sermo eorum ut cancer ſerpit*; & totum hominem ſenſim inficit & perimit. Nec mirum hæreſim ſerpere facilè & naturam noſtram vitiatam, & ad malum nimis pronam in præceps abducere; præſertim quia affert nova, curioſa, placentia dogmata, quæ carnem & carnales aures ſcalpunt, iiſque gratiſſima ſunt, uti eſt, non eſſe jejunandum, non eſſe virginitatem colendam, non eſſe agendam pœnitentiam ad ſatisfaciendum pro peccatis, quia Chriſtus hæc omnia fecit pro nobis. Vide 1. p. c. 10. lect. 2. *Hæreſis ſerpit ut cancer adeoque perículoſiſſima.*

Ideò S. Leo ſerm. 5. de jejunio decimi menſis, docet hæreticos cavendos tanquam ſerpentes: *Quia (inquit) ſermo eorum ſerpit ut cancer: humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, &c.*

I. Malene ceſſit iis qui hæreticis faverunt?

Exemplum. *Æneas. Silv. hiſtor. Bohem. l. 33. 30. 37.* R. Peſſimè. Cùm Wenceslaus duodecimus Bohemiæ Rex, falsâ politiciſmi ratione demiſſus hæreticis poteſtatem agendi quæ vellent, conceſſiſſet, regnum ejus tantis diſſenſionibus perturbatum eſt, ut fuerit neceſſario ad arma, etiamſi tardè, recurrendum; ut ſe, regnumque tueretur, verùm ab omnibus ſuis deſertus vitam ſimul atque regnum amiſit.

I. Licetne hæreticorum libros legere, aut retinere?

R. Minimè. Nam ſicut ſermo eorum voce prolatus, ita & ſcriptus, vel impreſſus ſerpit.

I. Quid ergò ad hanc luem cohibendam agendum?

Sup. p. 1. c. 10. lect. 2. R. Libri omnes hæretici igni tradantur. Vide leges, & edicta Cæſarea l. ult. de hæret. Cod. Theodoſ. & ſummorum Pontif. adeoque Eccleſiæ praxim apud Bellar. l. 3. de Laicis c. 20. Jam olim Eccleſia ſub gravi cenſura prohibuit legi libros hæreticorum ut patet ex Conc. Nicen. quod omnibus Arrii & Arrianorum librorum lectionem interdixit eoſque comburi juſſit. Teſtis eſt Niceph. l. 8. c. 18. Quod Concilii decretum Conſtan. Imp. ita executioni mandavit, ut eos qui Arrii libros occultaſſent, capite plecti juſſerit; teſtis eſt Socrates l. 1. c. 6. qui c. 24. narrat Marcellum Ancyranum damnatum fuiſſe, eò quòd libros ſuæ hæreſeos flammis tradere noluiſſet. Sic & Greg. Nazianz. orat. 2. de fide, hæreticorum libros perdendos eſſe docet, tanquam aſpidum ova, utpote, quæ nata ſunt Aſpidas & Baſiliſcos procreare. Nihil ergò novi ſanxit Conc. Trid. vetans lectionem librorum hæretico- *Libri hæretici, comburendi.*

rum, ſed antiquum Eccleſiæ decretum renovavit.

I. Eſſetne ille hæreticus cenſendus, qui unicum fidei articulum negaret?

R. Ita: neque omninò ſalvus eſſe poſſet. Indubitatum enim eſt illud Athanaſii: *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem. Quam niſi quiſque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.* Imò ſub tanto etiam periculo non licet vel de minimo fidei articulo dubitare, niſi fortè dubitet ex ignorantia. Ratio eſt manifeſta, quia dubius de uno articulo, quem ſcit Eccleſiam docere, dubius eſt de Doctrina Eccleſiæ, c. hæreſis 24 q. 3. & Sylv. in Sum. verbo hæreſis 1 n. 6.

In Symbolo.

C. dubius de hæret. & c aperte 24. q. 1.

Qui autem dubitat de Doctrina Eccleſiæ non paratus eam ſequi, non habet fidem aliquam S. Thom. 2. 2. q. 5. art. 3.

I. Qui verè Catholicus in corde, exteriùs diſſimularet, neque externâ voce profiteretur quod in animo ſentit temporibus & locis quibus oportet, eſſetne cenſendus infidelis & hæreticus?

S. Tho. 2. 2. q. 3. a. 2.

R. Minimè quidem, cùm ut ſupponis in quæſtione, ſi verè Catholicus in corde; nihilominùs qui negat, vel non profitetur fidem, cùm id honor Dei, aut proximi utilitas poſtulat, peccat graviter contra hoc præceptum. Nam externa confeſſio fidei eſt neceſſaria ad ſalutem ſuo tempore, ut colligitur ex illo Apoſtoli: ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, ſalvus eris. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Quæ verba explicans Auguſtinus, *fides* (inquit) *officium à nobis exigit & cordis & linguæ.* Huc pertinet illud Chriſti: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Undè graviſſimum delictum admittit qui tempore perſecutionis fidem negat, aut exterius aliam profitetur, ne jacturam faciat vitæ, ſtatus, fortunarum. Vide Valent q. 3 p. 2. Apertè colligitur ex Lucæ 9. 26. *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua.* Et ratio eſt, quia omne præceptum affirmativum includit negativum de actu contrario; Sed datur affirmativum de confitenda fide, ut paulò antè; ergò & negativum de non neganda, de quo hic.

Rom. 10. 9.

Lib. de fide & ſymb. c. 1.

Matt. 10.

Inſigne ad hanc rem habes exemplum 2. Machab. 6.

I. Quid ergò agendum erit in occaſione perſecutionis?

R. Paratum eſſe oportet ad perdendum omnia potiùs quàm Deum, aut fidem. *Vide quæ in lect. 3. prælud. diximus.* Ita egerunt milites illi (de quibus Greg. Nazian.) qui donis & muneribus à Juliano Apoſtata invitati, ut incenſum coram Idolis incenderent (erat id ad Imperatoris mentem Idololatriæ argumentum) ubi fraudes compererunt, juxta indignatione in Tyrannum commoti exclamarunt: *Non dona accipimus, Imperator, ſed morte damnati ſumus; non honoris cauſa vocati, ſed ignominia notati ſumus. Da hoc beneficium militibus tuis. Chriſto nos macta, atque obtrunca, cujus unius Imperio ſubjiciuntur univerſa. Ignem igni repende, pro illo nos in cinerem redige, manus ampute, quas ſcelerate porreximus, pedes quibus malè cucurrimus, alios auro dona, quos accepiſſe poſteà non pœniteat. Nobis ſatis ſuperque eſt Chriſtus, quem inſtar omnium habemus.*

Exempla.

Greg. Nazianz. in orat. in Iuliam.

Ita Muritta Diaconus, & quingenti Clerici Carthaginenſis Eccleſiæ ab Hunnerico bonis ſpoliati & in exilium truſi, cum Epiſcopis Arrianis ſuggerentibus ductores ſive tortores auferrent eis id quod Chriſtiani ad victum largiebantur, quiſque eorum alacer cantabat: *Nudus exivi de utero Matris meæ,*

nudum

Digitized by Google

nudum oportet me ad exilium pergere: quia Dominus novit eſurientibus cibum porrigere, & in deſerto veſtire. Ita Victor. Uticenſ. l. 3. Wandal. ibidem alios memorat, qui bonis ſpoliati, & in exilium acti, cum gaudio canebant: *Hæc eſt gloria omnibus Sanctis ejus. Sic itur ad aſtra, ad coronas nobis à Deo in cœlo paratas.*

Inter alios memorabilis fuit Saturus, qui cùm Hunnericus poſt promiſſa multa minaretur, ni fieret Arrianus ſe domum ejus, ſubſtantiam, filios, & familiam diſtracturum, atque uxorem ipſo præſente Camelario in conjugium traditurum, cùmque uxor hæc audiens conſciſſis veſtibus, ſoluto crine cum filiis, & infantula quam lactabat, ad mariti genua accideret, diceretque miſerere mei ſimul & tui, miſerere liberorum dulciſſime conjux, non ſubjaceant conditioni ſervili quos claros reddidit proſapia generis noſtri. Non ſubdar Camelario, quæ mihi inter coævas ſemper plaudebam de Saturo meo: Reſpondit Saturus, quaſi alter Job: Tanquam una ex inſipientibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier, ſi ſola eſſet hujus vitæ amanda dulcedo. Si diligeres maritum, nunquam ad ſecundam mortem attraheres proprium virum.

Inſignis Saturi fortitudo. Diſtrahant filios, ſeparent uxorem, auferant ſubſtantiam; mei Domini, ego, ſecutus de promiſſis, verba tenebo: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 15. Quid ultra? diſcedente muliere cum filiis rejectâ, confortatur Saturus ad coronam, diſcutitur, exſpoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur, interdicitur ei prodeundi acceſſus, totum ei abſtulerunt, ſtolam tamen baptiſmatis auferre non potuerunt, *inquit Victor. l. 1. Wand.*

S. Gordius Martyr, cùm ob fidem Chriſti damnatus eſſet ad rogum, multique ei condolentes flerent, dixit: Nolite flere ſuper me, ſed ſuper inimicos Dei, qui ignem nobis parant, ſed ſibimet gehennæ incendia theſaurizant. Ego pro nomine Domini mille mortes, ſi neceſſe ſit, adire paratus ſum. Cùmque alii inſtarent ut Chriſtum ore ſaltem negaret, corde retineret; Lingua, inquit, quam Chriſti beneficio retineo, adduci non poteſt, ut auctorem ſuum neget. *Corde credimus ad juſtitiam, ore confitemur ad ſalutem.* Ergò vultu alacri in ignis ſupplicium volens ſe immiſit. *S. Baſil. ſer. de Gordio Mart.* Non diſpares his, veterum coronæ ſunt Martyrum hujus ævi in perſecutione Anglicana & Japonica, litteris & æternæ memoriæ fideliter commendatæ.

I. Quomodò ergo militarunt S. Sebaſtianus, pluresque alii Sancti ſub infidelibus?

R. Non dicimus illicitum eſſe aliquandò tacere fidem, diſſimulare, occultare, quando ſcilicet tempus aut occaſio non urget eam manifeſtandi. Tale tempus & occaſio ſunt quando honor Dei aut certè utilitas proximi confeſſionem fidei exigunt. Vide Sanc. l. 2. moral. c. 14. v. c. quando quis à publica poteſtate interrogatur de fide. *Fidem & religionē ſuam occultare interdum licet.*

I. Qui tandem ſunt ſchiſmatici & Apoſtatæ? *S. Tho. 3. p. q. 39. a. 2.*

R. Schiſmatici ſunt qui unitatem Eccleſiæ dividunt, contendentes à ſua parte veram Eccleſiam ſtare. Vide p. 1. c. 10. lec. 5. *Schiſmatici.*

Apoſtatæ, qui veram religionem deſerunt ut fugiant ad Turcas; Judæos, Hæreticos. *Vide tit. de hæretic. & apoſtat.* *Apoſtatæ X. l. 5. tit. 5. 6. 7. 8. & 9.*

I. Peccantne graviter illi contra primum hoc Decalogi præceptum?

R. Ita. Nam quemadmodum unus eſt, & ſolus Deus verus, quem omnes colere & adorare debemus; ità una & ſola eſt congregatio & Eccleſia in qua id ritè fit: Qui ergò hanc collectionem deſerit, aut

Digitized by Google

dividit, ab ipſo vero Dei cultu ſe ſubducit, ut ad alium quem ſibi fingit & imaginatur, tranſeat. *Vide S. Paul. ad Hebr. 10.*

I. Habeſne divinæ vindictæ in ſchiſmaticos & apoſtatas exempla?

Exempla.

R. De ſchiſmaticorum pœnis jam diximus in prima parte c. 10. lect. 3. Reſtat hic ut qualiter aliquando divina juſtitia in apoſtatas animadverterit, exemplis oſtendamus.

Nazianz. orat. in Iulian. pruden. periſtheſ. hym. 10. Baro. to. 4 an. 361.

Iulianus Imp. ut ſcribit Greg. Nazianz. ex abdicatione Chriſtiani cultus Imperium auſpicatus eſt, cùm ſcilicet S. Baptiſmum quòd antè viginti annos religione Chriſtianâ initiatus ſuſceperat, abſtergere à ſe & abolere penitus conatus eſt. Hæc autem narrantur his verbis: vix enim imperii hæreditatem adire cœperat; cùm impietatem palam libereque profitetur, perindè atque hoc nomine erubeſcens, quòd Chriſtianus aliquando fuiſſet. ac ea de cauſa Chriſtianis ſuccenſus; quibus nominis ſocietate junctus fuerat. atque hinc quidem facinora ſua auſpicatur, quemadmodum narrant, qui ipſius arcanis gloriantur (pro Superi! in quos ſermones incurrere cogor!) impuro & nefario ſanguine lavacrum exterſit, initiationi noſtræ execrabilem initiationem opponens; ſus videlicet in cœno provoluta (ut eſt in in proverbio) manuſque ſuas prophanat, ut nimirùm eas ab incruento illo ſacrificio, per quod nos Chriſto, ipſiuſque paſſionibus & divinitati communicamus, elueret ac expurgaret. Hæc Gregorius *de apoſtaſia illius ſolemniter facta, cum ſanguine victimarum putavit deleri potuiſſe ſignaculum quod ſacrum Baptiſma impreſſerat, & eodem manus illas abluere quibus ſacram Euchariſtiam, ori eam admoturus, acceperat; moris enim fuiſſe in Eccleſia olim ut communicantes manibus ſumerent à Sacerdote oblatam Euchariſtiam, eamque ori ſuo admoverent, ex hiſtoriis manifeſtum eſt. Hic autem in bello contra Perſas geſto occiſus fuit, telo (uti creditur) è cœlo dimiſſo, & communi etiam caruit ſepulturâ, uti teſtatur idem Gregorius in laudibus Athanaſii.*

Iulian. Apoſtatæ impietas.

Lucianus Samoſatenus, cognomento blaſphemus, ſive maledicus, atque inauſpicatus, ac potiùs impius, quòd in Dialogis divina oracula pro ridiculis inducit, fertur ſub Trajano & ante eum fuiſſe. Initio concionator Antiochiæ fuit. Quæ res cùm malè ceſſiſſet, ſe ad ſcribendum contulit, ſcripſitque infinita. Interiiſſe fertur à canibus, cùm rabiem ſuam contra veritatem exercuiſſet. Nam in peregrini veſte perſtringit Chriſtianiſmum, & ipſi Chriſto maledicit homo ſceleratus. Itaque in hac vita juſtas pœnas dedit, & in futura æterni ignis cum Satana hæreditatem cernet. Hæc Suidas. Quod verò ait, Antiochiæ fuiſſe concionatorem, indè complures exiſtimant religione fuiſſe Chriſtianum, ſed à fide apoſtatam, in eandem fuiſſe furioſè graſſatum. Sanè ex ejus ſcriptis dignoſcitur, res Chriſtianas apprimè calluiſſe *Vide Baron. tom. 2. anno 171.*

Lucianus blaſphemus in Chriſtum & Chriſtianiſmum maledicus.

I. Suntne Sancti Apoſtatas vehementer execrati?

S. Apoſtatas execrati.

R. Omninò. Proconſul Herodes Polycarpo minabatur flammas & omne ſupplicii genus ni fortunam Cæſaris juraret & cùm furente popolo etiam ipſe conclamaret: *Tolle ſacrilegos.* Tum Polycarpus torvo vultu ad populum qui in ſtadio reſidebat aſpiciens, elevatâ ad cœlum dexterâ cum gemitu, proclamavit & dixit: *Tolle ſacrilegos.* Sed inſiſtente Proconſule & dicente: jura fortunam Cæſaris & dic in Chriſtum convicia, & dimitto te. Polycarpus ad hoc. *Octoginta,* inquit, *& ſex annis ſervio ei, & nihil me læſit unquam, quomodo poſſim blaſphemare Regem meum qui ſalutem mihi dedit?*

Exempla.

Euſeb. l. 4. c. 15.

Apud Theodor. l. 5. c. 38.

Simili ratione reſtitit invictus ille Diaconus Benjamin, Iſdegerdi Perſarum Regi ad negandum Chriſtum, adeoque nuntium Chriſtianæ Religioni remittendum

dum invitanti. Sciſcitabatur enim ex Rege ſanctus Diaconus, ecquod tandem ſupplicium mereretur qui Regem ſuum negaret, ut ad hoſtis partes deficeret? Cui Rex: Diriſſimum, inquit, mortis genus; Quandonam igitur ſupplicium, ſubjunxit Diaconus, merebitur ille qui à Deo creatore ſuo deficiens, ejus majeſtatem neget, ut viliſſimæ creaturæ complaceat?

SS. Martyres Joannes & Paulus fratres Romani à Juliano Apoſtata in numerum familiarium ſuorum invitati, liberè negaverunt ſe apud eum eſſe velle, qui à Jeſu Chriſto defeciſſet. *Breviar. Roman. 16. Iunii.*

Ado in Mart Sur to. 5. 8. Septemb.

Pulchrum eſt quod ſubjiciam. S. Adrianus ſub Maximiano apud Nicomediam cum multis Chriſtianis captivus, poſt aliquot dies cùm quæſtio immineret, dato pretio cuſtodibus & fide juſſoribus, perrexit ad domum ſuam vocare Beatam Nataliam uxorem ſuam. Cumque pergeret, vidit eum qui benè illum noverat, & præcurrens domum nuntiavit illum venire. Quod uxor audiens primò non credidit. Quis inquit, potuit illum abſolvere de vinculis iſtis? Non mihi contingat ut abſolvatur, ne quandò ſeparetur à ſanctis illis. Et cùm puer domeſticus superveniens affirmaret eum dimiſſum, ſuſpicata illa quod martyrium refugiſſet, contriſtata flebat amariſſimè. Et cùm jam videre Adrianum inciperet, projecit quæ erant in manibus, & clauſit oſtium domûs, clamans & dicens: Longè efficiatur à me hic qui corruit, & mentitus eſt Domino Deo ſuo. Non loquatur mihi nec audiam linguam quæ dolosè egit in conſpectu factoris ſui. Et converſa dicit in eum: O ſine Deo, præ omnibus hominibus, quis te coëgit apprehendere opus quod non potuiſti perficere? Quis te ſeparavit à ſanctis, aut quis te ſeduxit ut recederes à conventu pacis & repauſationis? Dic mihi quare in fugam converſus es, antequam fieret pugna? quare projeciſti arma antequam videres hoſtem tibi repugnantem? quomodò vulneratus es necdum emiſsâ ſagittâ? quid faciam infeliciſſima quæ conjuncta ſum impio? non eſt mihi conceſſum ut vocarer uxor martyris, ſed ut dicerer, conjux tranſgreſſoris. Ad horam fuit exultatio mea, & ecce per ſæcula erit opprobrium meum. Cui B. Adrianus pro foribus ſtans dicebat: Aperi mihi ſoror mea Natalia, quia non ſicut tu exiſtimas effugi martyrium; veni autem proptereà, quia inſtat tempus quæſtionis noſtræ, ut ſicut promiſi præſens ſias. At illa non credens: vide, inquit, quomodò me ſeducit tranſgreſſor! ecce quomodò mentitur alter Judas! Recedas à me homo, nam antè meipſam interficiam, quàm tibi ſocier. Cùmque Beatiſſimus Martyr de zelo piæ conjugis lætus ſermonibus ſuis ei ſatisfaceret, & niſi citiùs aperiret, moras ſe facere non poſſe aſſereret, tandem ei illa aperiens provolvitur pedibus ejus. Indè verò citiùs exeuntes properabant ad confeſſionem, ut in numero coronatorum Adrianus inveniretur.

S Natalia quartus zelus pro martyrio.

I. Quomodò adhuc peccatur contra hoc 1. præceptum per defectum ſpei, & charitatis?

R. Hoc fit *præſumptione & deſperatione, odio Dei, acedia*, & aliis vitiis illis duabus virtutibus oppoſitis, ad eum ferè modum quo ſuprà de fide dictum eſt. Quod brevitatis gratia volens omitto, ſperans futurum ut Catechiſta id ſuo auditorio facilè explanet.

LECTIO IV.

De ſuperſtitione.

I. SUpereſtne modò aliquid quod ad tranſgreſſionem hujus primi præcepti ſpectet?

R. Ita. Nam uti ad hoc præceptum diximus ſuprà religionem ejuſque functiones pertinere, ita hic dicendum vitiis eidem oppoſitis primum Decalogi

præ-

Superſtitio. S.Tho.2.2. q.92.a.1. S.Aug.l.3. Doct.Chr. c.8.& 20.

præceptum infringi. Hæc vitia duplicia ſunt: quædam per exceſſum cultus, quæ nomine Superſtitionis comprehenduntur, quædam per defectum vel contemptum, quæ nomine irreligioſitatis. Modò de ſuperſtitione: Superſtitionis duæ ſunt ſpecies: ſuperſtitio cultus indebiti ſeu incongrui ad verum Deum relati, & ſuperſtitio quæ eſt cultus falſi, ſeu ejus, qui non eſt Deus. Prima ſpecies pertinet ad primam partem hujus præcepti; *Ego ſum Dominus Deus.* Altera, ſecunda præcepti parte cõtinetur: *non habebis Deos alienos coram me.* Primò igitur de priori ſpecie ſuperſtitionis, ſive perverſi cultus veri Numinis agendum.

I. Quâ ratione hæc ſuperſtitio committitur?

R. Cùm præter Eccleſiæ morem ſtatuitur religio in quibuſdam circumſtantiis vel minutis rebus in quibus non eſt ſtatuenda; ut in numero, colore, ſitu, v.g. ut tot ſint candelæ, & non plures; tot orationes dicantur, non plures; quando remedia morborum quæruntur per certum, & definitum numerum foliorum tali tempore, & loco collectorum, & tales cjuſmodi circumſtantias quæ non videntur ullum habere ordinem aut connexionem cum effectu qui inde exſpectatur.

I. Quomodo intelligis nos per hanc priorem ſuperſtitionis ſpeciem in primum Decalogi præceptum impingere, præſertim in verba illa. *Ego ſum Dominus Deus.*

R. Propterea quòd Dominus Deus puro, ſancto, & verè religioſo cultu, qualem ipſemet ſtatuit, & ejus natura exigit, coli debet. At verò modi omnes iſti agendi ad hoc nihil conducunt, cùm ſint frivoli, & nullâ juſtâ ratione aſſumpti, ſed potiùs ab idiotis mulierculis adinventi, quos ipſæ ex diabolica traditione acceperunt.

I. Ejuſmodi ſuperſtitiones ſuntne grave peccatum?

R. Non videntur ordinariè eſſe pluſquam veniale, ut notant Doctores, quia ex bona intentione Dei colendi fiunt, nec videtur in his committi gravis irreverentia.

I. Debetne ille ſuperſtitioſus haberi qui libentiùs Miſſam audit Sacerdotis Petri nuncupati quàm Joannis?

R. Ita. Impertinens enim eſt ad rationem ſacrificii, quo tandem nomine Sacerdos appelletur, dummodò ipſe idoneus ſit ſacrificus.

I. Debetne pari ratione ſuperſtitioſus cenſeri, qui libentiùs audit Miſſam Sacerdotis probæ vitæ, & cæremoniarum ſtudioſi, quàm ejus qui nec vitæ puritati nec cæremoniarum obſervationi ſtudet?

R. Minimè, probus enim Sacerdos quâ parte privatam perſonam gerit, poteſt ſuis ſacrificiis plus impetrare, etſi quidem ſacrificium in ſubſtantia tanti valeat per malum Sacerdotem quàm bonum oblatum. Accedit quod habitus exterior ejus qui exactè cæremonias obſervat, magis ædificet & ad devotionem excitet circumſtantes.

LECTIO V.

De cæremoniis Eccleſiæ.

I. QUid reſpondebis hæreticis qui populo conantur perſuadere ſacras Eccleſiæ cæremonias ſuperſtitioſas eſſe & vanas?

R. Reſpondebo illis primò, hæreticorum proprium eſſe, id carpere quod ignorant; ſecundò cæremonias Eccleſiæ minimè vanas eſſe, futiles, inutiles, aut ſuperſtitioſas, verùm potiùs ſanctas, utiles & planè religioſas.

I. Declara hoc ampliùs?

R. Id facturus ſum per ordinem cùm primum de cæremoniis in genere, deindè de ſolemnioribus quibuſdam in particulari, tractatum inſtituam; ubi conſequenter fructus earum, & ſignificationem

Digitized by Google

nem exponam, ut intelligas quàm jure merito illas Eccleſia Catholica retineat, ut in uſum deducat, quamque injurioſè illas hæretici ex adverſo ſuperſtitionis accuſent. Primò quidem reminiſcere eorum quæ proximè diximus, ſuperſtitionem ut frequentiùs verſari in cultu Dei aut Sanctorum, quando ad illum adhibemus res neſcio quas impertinentes, quæ nullum ad Dei cultum ordinem habeant, neque fundamentum aliquod in Scripturis aut in communi & recepta Eccleſiæ praxi. Deindè, nota; primò, quando Eccleſia univerſalis à Spiritu ſancto edocta utitur certis quibuſdam orandi, aut Deo cultum deferendi modis, & quando exſpectat effectus quoſdam ſpirituales etiam ex rebus ipſis corporalibus, ſecundùm Chriſti ejus ſponſi promiſſum, non eſt cenſenda ſuperſtitioſa, quandoquidem nihil aliud agat quàm quod ipſi præſcriptum, aut à Deo ipſo ſuggeſtum eſt, pro majore ſua gloria, pro rerum ſacrarum reverentia, & ampliori fidelium utilitate. Secundò, ſi merito debemus Deo auctori animarum noſtrarum omnem cultum, ſubmiſſionem, & reverentiam internam, ita cultum eidem exteriorem per cæremonias externas pendere debemus, mediante corporis noſtri religioſo habitu, tanquam utriuſque ſubſtantiæ creatori & inſtitutori. Tertiò, quod omnis creatura ſanctificetur per verbum Dei, & orationem, uti docet Apoſtolus 1. Tim. 4.

I. Qui ſunt effectus præcipui cæremoniarum Eccleſiaſticarum?

Fructus cæremoniarum Eccleſiæ.

R. Hi ſunt multiplices: Nam primò cæremoniis proteſtamur fidem noſtram, ut fit dum in ſupplicatione Crucem, & Euchariſtiæ Sacramentum tanquàm Chriſtiani ſequimur: dum Imagines Sanctorũ aut eorum Reliquias honoramus, &c. his enim externis ſignis declaramus nos Chriſtianos, Catholicos, ſervos Chriſti & Sanctorum.

Secundò, cæremoniis docemur ea quæ Spiritus Sanctus in anima operatur cum Sacramenta miniſtrantur; cùm enim corpus abluitur aquâ Baptiſmi, diſcimus animam ab omni ſorde peccati purgari: quando corpus ſpeciebus panis in Euchariſtia reficitur, intelligimus etiam animam ipſam cœleſti pane nutriri: quando frons ab Epiſcopo Chriſmate ſacro inungitur, declaratur nobis animam interiùs ſpirituali unguento confirmari; atque ita de reliquis Sacramentis.

Tertiò, admonemur eorum quæ nos pro officii noſtri ratione agere debemus: veluti Sacerdos tonſuram geſtans, monetur animum primò ad ſuperiora ſic intentum habere, ſicut vertex capitis nudatus eſt & raſus. Secundò ſuperflua hæc & terrena omnia contemnere, atque ex animo abjicere, ſicut capilli (qui ſuperfluitatem ſignificant) reſecti ſunt & raſi. Tertiò dominari ſibi paſſionibuſque ſuis, adeoque univerſo mundo, cui tanquam Rex ſpiritualis præpoſitus eſt, accepto in capite diademate, ut loco Chriſti peccata dimittat vel retineat, &c.

Cur Sacerdotes & Clerici tonſuram gerant in capite.

I. Dicat mihi ſi importunè non interpello, quid ſibi vult quod Sacerdos foris utatur pullâ veſte, in templis autem candida?

R. Monetur Sacerdos foris cum populis agens, *ridere & rideri* (ut ait D. Hieronymus) *ſæcularibus relinquere, ſed aliorũ peccata lugere*; in templis autem non modò puritatem & animi candorem adferre, verum etiam gaudium atque lætitiam ſpiritualem internamque ſpiritûs conſolationem ſacris rebus adhibere, atque ex iis percipere.

Quartò, magnam habent movendi vim cæremoniæ Eccleſiæ. Quis enim Chriſtianus non excitetur ad devotionem, quando Feſtis ſolemnioribus audit ſonorum pulſum campanarum, cantumque ſuavem Eccleſiæ; videt totum templum illuſtratum luminibus, veſtitum tapetibus, ornatum picturis, aliaque pretioſâ ſuppellectile: aſpicit deni-

Cæremoniæ Eccleſiæ devotionem excitant.

Nnn que

Digitized by Google

que cæremonias Miſſæ, devotionem celebrantium, gravitatem & habitum miniſtrorum; meritò exiſtimare poteſt homo, eo tempore cœlum aperiri (ait D. Chryſoſtomus)& ſecum cœleſtibus converſari. Sicut enim milites ſonitu tubarum excitantur ad bellum; & ſicut is qui Regem conſpicit à nobilibus, præſtantibuſque viris regio more coli & honorari, permovetur ad ejuſdem admirationem & venerationem: ita homo fidelis mirum in modum commovetur ſacris cæremoniis,& accenditur amore rerum cœleſtium. Quid tale vides apud miſeros hæreticos? nihil ibi eſt, quod ad devotionem invitet, aut ad Dei amorem accendat. Semper idem; prædicatio & pſalmus. Heu quàm id ſiccum & aridum eſt?

Homil. 60. ad popul. *Similia.* *Apud hæreticos ſicca omnia & devotionis expertia.*

Quintò, cæremoniæ quando debitè, atque, ut par eſt, adhibentur, ſolent in animis efficere gratiam ſpiritualem & auxilium cœleſte.

I. Obſecro quo modo?

Ceremonia Eccleſiæ quomodo gratiã operantur

R. Non omnes uno modo. Primò enim quædam ex inſtitutione Dei producunt gratiam, ut ſeptem Eccleſiæ Sacramenta. Secundò quædam ob preces Eccleſiæ quæ à Chriſto ſponſo ſemper exaudiuntur. Sic aquæ benedictæ aſperſio vim habet, uti poſteà dicemus; & cæremoniæ quæ in Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolent, quas Theologi Sacramentales aut Sacramentalia nominant. Tertiò, quædam ob devotionem eorum qui cæremoniis utuntur, præſunt: veluti manus in cœlum attollere; pectus cum dolore peccatorum tundere, tres cereos in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis accendere, &c. tales enim externæ actiones, quando ad Dei gloriam referuntur, non poſſunt ingratæ eſſe divinis oculis, ſed frequenter efficiunt ut homo voti ſui compos reddatur. Quartò, quædam auctoritate Eccleſiæ à Deo conceſsâ, ſpirituales quoſdam effectus operantur, ut exorciſmi & exſufflationes Catechumenorum, Energumenorum. In his enim Sacerdos pro poteſtate ſibi collatâ, adversùs dæmones agit.

LECTIO VI.

I. AVeo ex te audire de cæremoniis aliquibus particularibus, & quæ in Eccleſia ſolemniori uſu receptæ ſunt?

R. Rectè. Omiſſis igitur illis quæ in Sacramentorum adminiſtratione adhibentur, nec non ſigno crucis, de quibus nos ſuis locis, hic:

De aqua luſtrali ſeu benedicta.
De cereis & candelis.
De ſacris cineribus.
De ramis palmarum.
De Agno Dei.

De aqua luſtrali.

I. EStne antiquus in Eccleſia uſus aquæ benedictæ?

R. Antiquiſſimus. Nam quod de Alexandro Papa, inter alia traditur conſtituiſſe, ut aqua aſperſionis ſale benediceretur in habitaculis hominum; Id ſanè jam pridem Apoſtolicâ inſtitutione traditum, ab Alexandro, potiùs decreto roboratum, quàm recens ſtatutum dici debet, inquit Baronius. & ſanè extat apud S. Clementem Matthæi nomine ejus Apoſtolicâ inſtitutio.

Aquam ſale de conſec. diſt. 3. ad an. Chriſt. 132.

I. Qui ſunt effectus præcipui aquæ luſtralis?

R. Hi: Primò, effugatur omnis poteſtas inimici à loco & perſonis ſuper quibus aſperſa fuerit.

Effectus aquæ luſtralis ſpirituales.

S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus nitebatur impias quaſdam ſuperſtitiones in quodam vico haud procul à Noviomenſi Oppido tollere; verùm ubi pluribus concionibus nihil proficeret, injuriâ atque contumeliâ ab auditoribus afficeretur, exemplum Apoſtoli ſequutus, *tradit ipſos ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret.* Currunt hinc ad ſanctum virum obſeſſorum miſeri auxilium magnis deſideriis poſtulantes, ſed hoc nonniſi poſt

Exemplũ. *Audoenus Rotomag. Epiſ. lib. 2. vit. ejus c. 20.*

Digitized by Google

poſt unius anni pœnitentiam promittit Eligius Tunc ad ſe adductos (erant autem obſeſſi pluſquam quinquaginta) aquæ benedictæ aſperſione à dæmonibus liberat.

In vita ejus apud Sur. 3 Novemb. Quanti hanc aquam faceret S. Hubertus Epiſcopus Leodienſis, licèt ex verbis ſubjectis intelligere: *Cæterum, inquit, jam nunc ſume, aquam, quæ ſacerdotali conſecratione ſale admixto benedicta, ad effugandam inimici nequitiam orationis virtute impregnata eſt, liquorque, olim itidè Apoſtolicâ auctoritate benedictus, huc deferatur: quorum aſpergine atque litu à mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantaſmata, ut amplius non ſua audeat inferre machinamenta.*

Secundò, peccata venialia ad hujus aquæ infuſionem abluuntur.

Tertiò, omnis fantaſia & nequitia vel verſutia diabolicæ fraudis ejuſdem aſperſione procul effugit, omneſque diſtractiones in oratione & in aliis piis exercitiis depelluntur hinc.

Quartò, diſponitur animus noſter Spiritûs Sancti gratiâ ad orationem & devotionem, ſumptâ aquâ luſtrali, ideoque circa templorum porticus vas aquæ ſtatuitur.

S. Tho. 3. p. q. 65. a. 1. ad 6. Quintò, hoc elemento multimodis purificationibus præparato virtus divinæ benedictionis infunditur nobis, ut ad Sacramentorum ſumptionem ſive etiam adminiſtrationem, nec non divinorum myſteriorum celebrationem idonei & parati efficiamur.

I. Nihilne reſtat quoad effectus aquæ luſtralis?

R. Imò, hactenus enim de ſpiritualibus tantùm effectibus diximus, reſtat modò ut de corporalibus aliquid dicamus.

I. Qui ſunt illi?

Effectus corporales aquæ benedictæ. R. Sanatur ſterilitas hominum, beſtiarum, & cujuſvis alterius rei, virtute aquæ benedictæ.

Secundò, per aquam luſtralem impetramus, bonorum omnium abundantiam.

Tertiò plurimùm valet iſta aqua ad morbos pellendos.

Exempla. *Solent qui in Molucæ inſulis habitant, ubi ſe febri aut aliquo alio morbo tactos ſentiunt, confugere ad templum, & hauſtâ aquâ benedictâ quamprimum ſanari.*

Pet. Dam. in vita S. Odilonis. *In Iurenſi Monaſterio vir Domini Odilo Abbas Cluniacenſis aliquando conſtitutus, reperit puerum nomine Gerardum terribili caducæ paſſionis languore detentum, qui ſæpiſſimè quaſi lunaticus corruebat, & ſic eum occidui langueris impetus obruere conſueverat, ut in eo, neque vox, neque memoria, nec prorſus aliqua membrorum officia remanerent; ac ferè à mortuo nihil diſtaret. Hinc homo Dei miſericorditer condeſcendens, fratribus, ut pro eo Dei clementiam deprecentur, injunxit: ipſe verò ad ſacroſanctum Altare, Miſſam celebraturus accedit: æger etiam ut adeſſet, admonuit; Cui mox Euchariſtiæ ſalutaris munus tradidit: deindè ſit, ſicut ſibi morio erat, ſanctificatam aquam cum B. Majoli calice propinavit. Nec mora protinùs à puero languor omnis abceſſit, ſalus optata ſucceſſit, & ſic per merita beati viri, reſtituti ſibi vigoris incolumitas permanſit.*

Bern. in vita Malachiæ. Malachias (inquit S. Bernardus) profectus à nobis, proſperè pervenit in Scotiam: & invenit David Regem, qui adhuc hodiè ſupereſt in quodam caſtello ſuo, cujus filius infirmabatur ad mortem. Ad quem ingreſſus, honorificè ſuſceptus à Rege, & humiliter exoratus, ut ſanaret filium ſuum: aquâ, cui benedixit, aſperſit juvenem, & intuens in eum, ait: Confide fili, non morieris hâc vice. Dixit hoc, & die ſequenti ſecundùm dictum Prophetæ ſecuta eſt ſanitas, ſanitatem lætitia Patris, clamor & ſtrepitus totius exultantis familiæ. Et pertranſiens Scotiam, in ipſo introitu Angliæ divertit ad Eccleſiam Giſisburnenſem, ubi habitant viri religioſi, canonicam ducentes vitam, ab antiquo familiares ei

Digitized by Google

ei pro ſua religioſitate & honeſtate. Ibi adducta eſt ad eum mulier patiens morbum, quem cancrum vulgò appellant, ipſi horrendum viſu, & ſanavit eam. Nam ubi aquâ, cui benedixit, aſperſa ſunt ulcerum loca, dolorem non ſenſit. Die verò ſequenti ulcera non apparebant.

Exemplum. Aliud pulchrum exemplum habes apud S. Gregorium l. 1. Dialog. c. 10.

Quartò per aquam luſtralem peſtifer aër depellitur, & aër ab infectione purgatur.

Quintò, Locuſtæ, Bruchi, Mures, & ejuſmodi animalia agros depaſcentia, aquâ luſtrali, fugantur, & extinguuntur.

Apud Murciam civitatem Hiſpaniæ citerioris quâdam æſtate, Locuſtæ & Bruchi innumerabiles, intra dies quatuordecim omnia quæ in agris erant, devaſtarunt. Per id tempus venerat eò B. Vincentius, cum cives urbis dolentes adeunt, precum ejus ſuffragia implorant. Ille jubet confeſtim adferri aquam benedictam, deinde cum Clericis, qui eum aſſectari ſolebant, hymnos canentibus ad ſingulas urbis portas acceſſit, ſtanſque in illarum medio contra illa loca, in quibus dicta animantia graſſari dicebantur, aquam ſacratam aſperſit, & ecce poſtridie omnia extincta reperta ſunt, intra paucos dies agri, & vineæ adeò reſtitutæ ſunt, ut illo anno nulla fuerit penuria ſubſecuta. *Pet. Rauzan. in vita S. Vincentii Ferrerii l. 3.*

I. Undè habes omnes hos effectus ſive ſpirituales, ſeu corporales aquæ benedictæ?

R. Ex Rituali Romano, & ſolemnibus precibus quibus in hujus aquæ benedictione Eccleſia utitur.

I. Eſtne utile & ſalutare ſeſe frequenter aquâ luſtrali aſpergere?

R. Maximè Idcircò ſtatui ſolet illa ad templorum, domuum & cubiculorum ingreſſus, ut ſemper ad promiſcuum ingredientium, vel etiam egredientium uſum parata habeatur.

I. Qua de cauſa ſtatui ſolet aqua benedicta, præſertim in ipſo templorum ingreſſu? *Cur in ingreſſu templorum ſtatuatur vas aquæ benedictæ.*

R. Ut qui in templum ingrediuntur, omnes inſidias latentis inimici hujus aquæ aſperſione, vanaque phantaſmata, & diſtractiones depellant, ac ſeſe ad orationem præparent. Quantum autem ad eos ſpectat, qui è templo ſeſe ſubducunt, magno futura eſt ſubſidio contra quemvis Satanæ incurſum aut occurſum malum.

I. Eſtne jam olim antiquo uſu receptum ut in ipſis Eccleſiarum ſive domuum portis aqua luſtralis ſtatuatur ad aſperſionem fidelium?

R. Planè: uti patet ex Alexandri I. Pontificis decreto, qui ratum habuiſſe, & roboraſſe videtur uſum, qui jam antè in Eccleſia invaluerat. Vide Baron. ad annum Domini 57.

I. Unde verò ejuſmodi uſus in Eccleſiam introductus eſt?

R. Sicut ad mundationem poſitum fuit in templo labrum æneum, quo Sacerdotes manus pedeſque ante ingreſſum lavarent; ita præ Eccleſiarum foribus conſtitui ſolitos fontes aquæ communis, ad purificationem, & ad manus ac facies introeuntium abluendas, ſordeſque corporis abſtergendas, complures antiquorum teſtantur. Verùm quod naturalis inſtinctus docet nonniſi puros ad Deum accedere debere; indè evenit, ut non ſolùm Chriſtiani, ſed & Judæi, atque ipſi etiam Gentiles, ante orationem ſe aquâ mundarent. At poſteà ejuſmodi lavacri loco ſucceſſit apud Chriſtianos, ut aqua precibus Sacerdotis benedicta, quæ fidelibus uſui eſſe conſueviſſet in domibus privatis (ut Alexandri Papæ I. res geſtæ ſignificant) in ipſo ingreſſu Eccleſiæ poneretur, qua ad leviorum peccatorum expurgationem adeuntes Eccleſiam, aſpergerentur. Vide Baron. loco proximè citato, & ad an. 132. Clem. Apoſt. conſt. 38. Tertul. de orat. c. 11. Euſeb. 10 hiſt. 4. Chryſ. hom. 72. in Joan. & 52. in Matt. & 32 ad popul. Vide etiam Apoſt. 2. ad Timoth. 2.

I. Qua

Digitized by Google

Aqua luſtralis delet peccata venialia, quo modo?

I. Quâ ratione delet aqua luſtralis peccata venialia?

R. Per modum impetrationis: hoc eſt, impetrat Eccleſia in iſtius aquæ ſolemni benedictione, ut qui ea piè uſi fuerint, aliquo contritionis motu percellantur, ſive illicò, ſive ubi & quando Domino Deo viſum fuerit, quo mediante pio motu pœnitentiæ, aqua luſtralis dicitur peccata quotidiana ſive venialia abluere. Ita S. Tho q. 87. art. 3. ad 1. & 3. Pet. Soto de pœniten. lect. 10.

I. Hunccine effectum conſequitur infallibiliter, quiſquis ſe aquâ luſtrali aſpergit?

R. Ita, niſi obex aliundè ponatur. Ratio eſt, quia preces Eccleſiæ, quæ eſt Chriſti ſponſa chariſſima, ſemper exaudiuntur.

I. Poteſtne idem aſſeri de quibuſvis aliis prætactis effectibus ſive ſpiritualibus, ſive corporalibus?

R. Ita. Nam tametſi non ſemper illicò liberentur à diaboli præſtigiis aut quibuſvis aliis animæ, & corporis incommodis, qui ſe aquâ benedictâ aſpergunt, Eccleſia nihilominùs pro ſua reverentia ſemper exauditur, & infallibiliter à Deo impetrat quidquid in benedictione aquæ petit: ipſius interim Dei providentiâ juſtiſſimis ex rationibus non continuò concedente cuique in particulari quod petitur, vel, quod effectibus corporalibus negatur, hoc, ſpiritualibus, qui multò ſunt præſtantiores, compenſante. Accedit etiam quod non rarò obex ſit poſitus ex parte ejus, qui aquam benedictam aſſumit.

I. Nunquid habes ſolemnem aliquam & vetuſtate commendabilem hujuſce aquæ luſtralis figuram in Scripturis?

Figura aquæ luſtralis. Nu 19. & Levit. 10.

R. Habeo, aquam videlicet luſtrationis ex cineribus vitulæ rufæ combuſtæ confectam, quâ populus aſpergebatur & mundabatur à ſordibus & immunditiis legalibus. Aqua hæc cineralis & luſtralis ſignificabat aquam luſtralem ſive benedictam, quâ utimur ad expiationem peccatorum venialium, ſic argumentante Alexandro I. Pontifice, qui fuit ſextus à S. Petro: Nam ſi cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat atque mundabat, multò magis aqua ſale aſperſa, divinisque precibus ſacrata populum ſanctificat atque mundat. Et ſi ſale aſperſo per Eliſæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quantò magis divinis precibus ſacratus ſal ſterilitatem rerum aufert humanarum, & inquinatos ſanctificat & purgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias diaboli avertit, & à phantaſmatibus & verſutiis inimici, homines defendit? *Ep. 1 ad omnes orthod.* Heb. 9.

I. Quis hanc aquæ benedicendæ facultatem tribuit Eccleſiæ ad effectus prææallegatos?

R. Chriſtus Dominus, qui dedit Apoſtolis & Diſcipulis ſuis poteſtatem dæmones ejiciendi & calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones.

I. Inveniturne in Scripturis quod Chriſtus Dominus in particulari inſtituerit hoc medium dæmones ejiciendi?

R. Non. Interim traditiones Apoſtolicas recipimus, & eo loco habemus, ut quod in iis invenitur, magna ex parte putemus à Chriſto ſuis Apoſtolis traditum. Certè quod Apoſtoli hac in parte fecerunt, id non abſque ſpeciali Spiritûs ſancti inſpiratione feciſſe par eſt credere; qui quidem Spiritus ſemper aſſiſtit Eccleſiæ, & nunquam deſinit ejus Rectoribus quod ſanctum eſt, ſuggerere. Nota, diabolus pro inveterato ſuo in homines odio, per omnia conatur eis nocere quomodocumque poteſt, hinc creaturas omnes quantum in ſe eſt, corrumpit & inficit ut propter ipſius impuritatem putetur B. Apoſtolus Paulus dixiſſe: *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat, quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit* Matt. 10. & Luc. 10. Rom. 8.

Nnn 9

rit uſque adhuc. Deus autem benignus ſemper & miſericors ex adverſo oppoſuit remedium, ſtatuens, ut omnis creatura ſanctificaretur per verbum Dei & orationem. *Vide lectionem 5. præludialem.*

1. Tim. 4.

I. Valdè mirum eſt quod diabolus alioqui potentiſſimus, & nequiſſimus modiciſſimæ aquæ aſperſione à creatura expellatur?

R. Planè. Sed nota quod ante diximus, id habere aquam non ex ſe, ſed ex Eccleſiæ tum precibus, tum auctoritate.

Dæmonis ſuperbiſſimi vires modicâ aquâ fractæ.

Nota hic rurſùm Dei providentiam. Sic enim conveniebat dæmonis ſuperbiam deprimi, ut, qui ſe erigere ad thronum uſque divinæ Majeſtatis audebat, tantâ arrogantiâ, ut neminem timeret; nunc per levem aquæ aſperſionem, hoc eſt, per vile elementum, cogeretur cedere, & abjectis creaturis per Sacerdotalem benedictionem ſanctificatis imbecilliorem ſe profiteri.

I. Habeſne exemplum huc pertinens?

Exemplum.

R. Habeo. Scripſit de ſeipſa B. Virgo Tereſia in hunc modum. Sæpenumerò experta ſum nullâ alia re æquè efficaciter propelli dæmonem, ſic ut deinceps non redeat, ac aquâ luſtrali. Addit poſtmodum: mihi certè nota planè, & frequens eſt conſolatio, quam anima mea percipit in ejus uſu, & ordinariè tantam inde voluptatem haurio, ut explicare nequeam. Ad eum ferè modum quo qui magno ſitis ardore æſtuat, ſi aquæ frigidæ calicem hauſerit, toto corpore recreatur. Unde conſidero rem magnam eſſe, quæcumque per Eccleſiam ſtatuitur, & plurimùm gaudeo Eccleſiæ paucis verbis & modicis precibus tantam aquæ energiam communicari, ut mira ſit differentia rei benedictæ, & rei profanæ.

L. 4. vit. ejus per Ribad. c. 9.

Aqua benedicta magna energia.

I. Cur aquâ luſtrali aſperguntur cœmeteria & ſepulchra mortuorum?

Cur aqua benedicta aſperguntur cœmeteria & defunctorum ſepulchra.

R. Hoc ideò fit, non tantùm ut diabolus non abutatur oſſibus mortuorum, quæ fideli animæ in communi reſurrectione ſunt reunienda; ſed etiam ad ſuffragia animarum, pro quibus Eccleſia per ejuſmodi aſperſionem aquæ benedictæ Chriſti merita impendit, & applicat in pœnarum diminutionem, & ſolutionem, ad eum ferè modum quo indulgentias eis concedere ſolet.

I. Quid hoc ſibi vult quod admiſcetur ſal benedictum cum aqua?

Admiſcetur aquæ ſal benedictum.

R. Id fit exemplo Eliſæi Prophetæ, ut ſignificetur Sacerdotum miniſterio ſanctificari plebem *aqua ſapientiæ* (per ſalem ſignificatæ) *& intellectus.* Durandus in ration. l. 4. c. 4. n. 8.

I. Quare priùs benedicitur ſal quàm aqua?

R. Per ſalem intelligitur amaritudo pœnitentiæ; per aquam, Baptiſmus: quia ergò cordis contritio debet præcedere abſolutionem, & pœnitentia Baptiſmum, ideò priùs benedicitur ſal, quàm aqua, ita *idem Durandus loco citato.*

I. Cur per aquam ſolemniter benedictam in die Dominica, unico altari aſperſo, univerſus aſpergitur populus?

R. Altare aſpergitur propter reverentiam Sacramenti quod ibidem conſecrandum eſt; ut indè omnium malignorum ſpirituum præſentia arceatur: & quemadmodum Chriſtus per altare, quod eſſe debet lapideum, ſignificatur, ſecundum illud Apoſtoli: *Petra autem erat Chriſtus,* & fides noſtra de uno Chriſto, & non de pluribus eſt: ideircò unico altari aſperſo univerſus populus ad ſacrificium aut etiam Sacramentum ſe diſpoſiturus, aſpergitur, contra diaboli inſidias, qui nunquam non impedire conatur Dei ſervitium. Aſperſio ergò illa altaris primò, deindè populi ſignificat aſperſionem, quam fecit Chriſtus Dominus ſuper populum Sanguinis ſui quâ ſuſtulit peccatum mundi: aqua enim iſta luſtralis myſticè ſignificat Sanguinem Chriſti, potiori modo quàm aqua expiationis, de qua Apoſtolus ad Hebræos: *Si cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctifi-* 1. Cor. 10. Num. 19. Hebr. 9.

ent ad emendationem carnis, quantò magis Sanguis Chriſti,&c.

Diſpoſitio pro utentibus aqua benedicta. I. Quid fieri convenit, ut ſupra dictos aquæ luſtralis effectus conſequamur?

R. Debet is qui ſe aquâ benedictâ aſpergit intentionem ſuam cum Eccleſiæ precibus adjungere, & cum reverentia internaque devotione hâc aquâ uti. Qui enim ſine reverentia vel devotione id agant, exiguam conſequuntur ex eo utilitatem.

I. Eſtne utile moribundos ſive in agone poſitos frequenter aquâ benedictâ aſpergere?

R. Ita; Nam hâc ratione aſtantes dæmones fugantur.

Exempla. *S. Hubertus paulò ante mortem, cùm agnoſceret adeſſe ſatanæ præſentiam, qui humani exitus avidus eſt, objecit ei Pſalmum*; Qui habitat in adjutorio altiſſimi, *& aquam Sacerdotali* *In vita.* *conſecratione ſale admixto benedictam, ad effugandam inimici nequitiam poſtulavit.*

Pet. Ven. l. 1. mirac. c. 7. *In Monaſterio Cluniacenſi quidam erat ægrotus in articulo mortis, qui videbat domum totam, ſeu cubiculum repleri deformibus roſtratiſque perſonis, quod cùm adverteret unus è cuſtodibus (erant enim duo converſi, Stephanus & Olricus qui aſſidebant ægroto) cœpit lectum aqua benedicta aſpergere, infirmus autem ſtatim cœpit clamare*: Eia, eia hoc quod facis, quia diaboli fugientes contendunt alter poſt alterum ſummâ celeritate diſcedere. *Utile eſt agonizantes aſpergere aqua benedicta.*

LECTIO VII.

De Cereis.

Uſus cereorum in Eccleſia Catholica antiquiſſimus. I. Eſtne cereorum, & luminum in Eccleſia uſus antiquus, & uſitatus etiam clarâ luce?

R. Ita planè. Vide S. Hieron. contra Vigilant. & ep. 5. 2 ad Ripar. Auguſt. ſerm. 215. de temp. Evod. de miracul. S. Stephani l. 1. c. 2. Epiphan. epiſt. ad Orthodoxos.

I. Cur accenduntur cerei, & luminaria in Eccleſiis?

R. Ut teſtemur ſpiritualem lætitiam quam magis gerimus, & ut Deum, & Sanctos honoremus.

I. Præcipitne aliquando Deus in veteri lege lumina & lampades?

R. Ita. Vide inſtitutionem candelabri aurei. Exod. 25. Vide etiam c. 7. l. 3. Reg. Ubi Salomon dicitur feciſſe candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram, contra oraculum, ex auro puro: Et quaſi lilii flores, & lucernas deſuper aureas, &c.

I. Subeſtne ratio cur ejuſmodi luminum & cereorum uſus in Eccleſiam introduceretur?

R. Indubiè: Suppoſito enim quod res noſtræ in nova lege auguſtiores ſunt, quàm in veteri, præſertim venerabiliſſimum & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, necnon ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium; profectò majus nobis ſuppetit argumentum lætitiæ & exultationis, quas in cereorum accenſione teſtamur; Adde quod iſtâ ipsâ cæremoniâ proteſtamur fidem, & reverentiam quas ſacris myſteriis exhibemus.

I. Quomodò hoc?

R. Quia dum accenduntur cerei in officiis divinis ad Chriſti Domini noſtri honorem, præſertim coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, facto ipſo ſignificamus eum eſſe lucem veram, *qua illuminat omnem hominem venientem in* Joan. 1. *hunc mundum.*

I. Probavitne aliquando Deus aliquo *A Deo miraculo probatus.* inſigni miraculo uſum cereorum?

R. Ita. S. Gregorius Papa de rebus ſuo tempore in urbe Romana geſtis, ſcribit *L. 3. Dial.* his verbis: Die verò alio, cum in ea lam- *Exemplum.* pades ſine lumine dependerent, emiſſo divinitùs lumine accenſæ ſunt, Poſt paucos iterùm dies cum expletis Miſſarum ſolemniis extinctis lampadibus, cuſtos ex eadem Eccleſia egreſſus eſſet, poſt pau-

Digitized by Google

paululùm intravit,& lampades quas extinctas reliquerat,lucentes reperit: quas negligenter extinxiſſe ſe credens, eas jam ſollicitus extinxit; & exiens,Eccleſiam clauſit: ſed poſt horarum trium ſpatium regreſſus, lucentes lampades, quas extinxerat, iterum accenſas invenit: ut videlicet ex ipſo lumine apertè clareſceret quod locus ille à tenebris in lucem veniſſet. Hæc ille cum agit de Eccleſia S. Agathæ ab Arianis vendicata & Catholicorum uſui reſtituta.

Ante Imagines & Sanctorum Reliquias cerei & lampades accenduntur.

I. Quid ſibi vult quod ante ſacras Imagines,& Sanctorum Reliquias candelæ,& lampades accendantur?

R. Significant illæ triumphos quibus potiuntur in cœlis qui hunc mundum bonorum operum luce, & ſacræ prædicationis jubare colluſtrarunt, & quod ipſis lux æterna illuxerit: Spectat interim hæc cæremonia, uti & cæteræ omnes ad majorem Dei gloriam, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, quemadmodum patet ex ſubjecto exemplo.

Inf. lect. 19. poſt med.

Exemplum.

In ſpelunca morabatur ſenex (Abbas Anachoreta Joannes) in partibus villæ quæ dicitur Sochus viginti ferè milliaris ab Hieruſalem Habebat autem ſenex in ſpelunca Imaginem Immaculatæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, in ulnis ferentem Chriſtum Dominum & Salvatorem noſtrum. Quoties igitur abire volebat ad locum aliquem,vel per vaſtam ſolitudinem,ſive Hieroſolymam ad adorandum ſanctam Crucem, & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratiâ, ſive ad Martyres diſtantes ab Hieruſalem multis prolixiſque intervallis (erat enim ſenex Martyrum reverentiæ mirabiliter deditus,& nunc quidem pergebat Epheſum ad S. Joannem, nunc autem Euchaïtam ad S. Theodorum,nunc verò ad S. Theclam in Seleuciam Iſauriæ, & modò ad iſtum locum, modò ad illum) reficiebat candelam & accendebat, ut ſibi conſuetudo erat, atque ad orationem ſtans, & Deo,ut ſuum iter dirigeret, ſupplicans; dicebat ad Dominam, intendens in Imaginem ipſius: *Sancta Domina Dei Genitrix, quia longum iter iturus ſum diebus multis perficiendum, candelæ tuæ curam habe, eamque ne extinguatur, juxta propoſitum meum ſerva: ego enim adjutorio tuo comitante iter arripio.* Hiſque ad Imaginem dictis, egrediebatur, peracto propoſito itinere revertebatur, aliquando poſt menſem, ſæpè etiam poſt duos vel tres, nonnunquam etiam poſt quinque vel ſex, & ita reperiebat integram candelam, & ardentem, ſicut eam, cùm iter arriperet, dimiſerat: & nunquam hanc à ſeipſo extingui vidit, neque de ſomno ſurgens, neque à peregrinationibus rediens, neque ex eremo in ſpeluncam pergens.

Sophro. prati ſpiritualis c.180.

Nota peregrinationum uſum.

Coram ven. Sacramento lumen ardere debet.

I. Decetne ut ante venerabile Sacramentum in Eccleſia lampas aut aliud lumen ardeat?

R. Ita; imò præceptum *X. de celeb. miſſ. c. ſanè*, & *c. ſin litteras.* Nam in hoc Sacramento continetur ille qui candor eſt lucis æternæ; & idcircò quantò plus luminis,tantò conducet ampliùs ad augendam fidelium devotionem & fidem, necnon Dei Opt. Max. gloriam.

Peccaret graviter qui abſque lumine Miſſam faceret aut viaticum deferret.

I. Peccaretne igitur qui abſque lumine Miſſam celebraret, aut Viaticum ad ægrotos deferret?

R. Ita, committeret enim talis magnam irreverentiam contra receptam conſuetudinem, & Eccleſiæ præceptum cap. allegatis.

I. Quot candelæ accendi debent in altari Sacerdote Miſſam faciente?

R. Ad minus duæ ex cera, uti ſervat Eccleſiæ uſus *Graph. l. 2. c 41 n. 1. & Rub. Miſſ Rom.* Quomodò verò ſuperſtitioſus cultus in certo numero candelarum ab Eccleſia removendus. Vide *Conc. Trident ſſ. 22 decret. de obſerv & evit. in celeb. Miſſ.*

I. Cur ad decantationem Evangelii in Miſſa ſolemni cerei accenduntur,& deferuntur?

R. In

Digitized by Google

Cur ad Evangelium luminaria deferantur.

R. In argumentum lætitiæ, & ad ſignificandum Evangelium eſſe veram lucem divinæ notitiæ in loco caliginoſo hujus mundi lucentem; quam, ut ſidam lucernam ſequi debet quiſquis ſalvari vult S. *Hieron. contra Vigilant.* Secundò ad monendum eos qui Evangelium audiunt ut fidem vivam in corde accendant, alias enim Evangelium & ſi quæ ſunt Crucis & Crucifixi pretioſa myſteria ad nihil valent niſi ad ſcandalum, quæ alioquin ſunt ad ſalutem omni credenti. *Corinth. 10. & Roma 10.*

I. Genuntne vile miniſterium qui cereos in officiis ſolemnibus deferunt?

Ordo Acolytatus.

R. Minimè, eſt enim ſacrum miniſterium cui in Eccleſia adnexus eſt ordo Acolytatus, ſive Ceroferariorum.

I. Cur in Proceſſionibus aut ſupplicationibus publicis cerei deferuntur?

R. Quia in militia Chriſtiana ſub Crucis vexillo collecta debemus fidei actus exercere, eamque bonis operibus corruſcare facere inſequendo Chriſti veſtigia per imitationem. *Greg. Turon. de gloria Conf. c. 20. & 79.*

I. Quam ob cauſam datur recens baptizato in manibus cereus accenſus?

R. Vide p. 4. c. 2. l. 6.

Cerei deferuntur in funeribus defunctorum.

I. Cur deferuntur cerei in ſepulturis, & funeribus defunctorum?

R. Significamus eos tanquam invictos milites de adverſariis triumphare. Secundò nos illis optare perpetuam lucem, & gloriam ſempiternam.

I. Eſtne hic uſus in Eccleſia antiquus?

Nazian. orat. 2. in Iulian. & orat. 7.

R. Omninò, nam Nicephorus l. 2. c. 21. & 22. ſcribit ad glorioſam Virginem Deiparam, cùm ex humanis excederet, lumen illatum, itemque cùm ad ſepulturam efferretur cereis ardentibus ad Gethſemani deportatam eſſe ut ſepeliretur. Vide apud S. Hieron. funus S. Paulæ.

Et S. Marcellini Papæ & Mart. ad 26. April. in Brev. Rom.

I. Eſtne Feſtum aliquod particulare in Eccleſia cereorum, ſive candelarum?

Feſtum candelarum & Proceſſio.

R. Ita, Feſtum ſcilicet Purificationis B. Mariæ vulgò Candelarum.

I. Cur Feſtum Purificationis B. Mariæ candelarum appellatur?

R. Propter candelas, quæ hâc die ſolemniter in Eccleſia benedicuntur, & in Proceſſione circumferuntur.

I. Cur benedicuntur?

R. Ut fideles qui eis utuntur, ſpiritualem utilitatem referant non ſolùm ex privata ſua devotione, ſed etiam ex precibus & ſolemni benedictione Eccleſiæ.

Cerei in Feſto Purificationis benedicuntur.

I. Cur tali die benedicuntur, & in Proceſſione geſtantur candelæ?

R. Hoc ſit in memoriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem Simeon in ulnis portavit, & lumen ad revelationem gentium prænuntiavit.

I. Quid per candelas iſtas intendimus ſignificare?

R. Declaramus deſiderare nos cum ſancto illo ſene portare Dominum Jeſum Chriſtum per cereum ſignificatum.

I. Quânam ratione ſignificat cereus ille Chriſtum Dominum?

R. Tria ſunt, quæ in cereo inveniuntur, cera, lychnus candidus in cera occultatus, & ignis; cera quam apes ſine commixtione conficiunt, ſignificat Corpus Chriſti operatione ſanctiſſimâ Spiritus ſancti ex intemeratæ Virginis ſanguinibus efformatum; lychnus, ſignificat animam candidiſſimam & innocentiſſimam carne illâ circumdatam, ignis divinitatem juxta illud; *Deus noſter ignis conſumens eſt.*

I. Nihilne eſt in candelis benedictis quod ad beatæ Virginis honorem ſpectet?

Qualiter cerei benedicti ad honorem Vir-

R. Imò planè: geſtatione enim cereorum in die Purificationis teſtamur Virginem neutiquam Purificatione indiguiſſe; erat enim ipſa puriſſima mente & corpore, omniumque virtutum radiis

ginis ſplendent. ſplendida, quod lumen in cera luculenter demonſtrat.

I. Eſtne antiquum in Eccleſia Feſtum Purificationis ſive candelarum?

Purificationis feſtum in Eccleſia antiquum. R. Ita. Conſtat enim Gelaſium Romanum Pontificem circa annum Domini 496. hujus diei celebrandæ in occidentali Eccleſia aperuiſſe viam, dum Lupercalia menſe Februario agi ſolita (ut ſcribit Varro l. 5. de lingua Latina) Romæ ad ea tempora permanentia legibus Eccleſiaſticis abrogavit. Addidit huic ſolemnitati Sergius Papa (ut habet ordo Rom.) Litanias ſic inſtituras, ut exeunte Clero cum populo ab Eccleſia ſancti Adriani procederet cum cereis ad talem uſum benedictis ad Baſilicam S. Mariæ Majoris. *Baron. in notis ad martyrol. Rom. 2. Februarii*

I. Habeſne aliquod exemplum ad hanc ſolemnitatem pertinens?

R. Habeo. In regno Franciæ in villa quæ Quodo dicitur, Virgo quædam fuit nobilis & religioſa, ſed paralytica. *Exemplum.* Quodam tempore cùm in die Purificationis Dominæ noſtræ ſanctæ Mariæ Virginis clericis, aliiſque miniſtris divino cultui vacantibus ſola jaceret, dicebat intra ſe triſtis: Modò hic ſola jaces, nec aliquid obſequii more univerſalis Eccleſiæ hodie B. Dei Genitrici Mariæ impendis. *Cæſarius.* Dum talia in mente volveret, ſpiritus ejus mirabili Dei virtute de corpore eductus, ab Angelo in cœleſtem Jeruſalem eſt deductus, in qua maximam vidit proceſſionem ex diverſis ejuſdem beatæ civitatis ordinibus, Patriarchis videlicet, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, cæteriſque fidelibus, ex quibus bini ac bini ſimul incedebant, & candelas ardentes in manibus geſtabant, antiphonas ſive reſponſoria ad diem pertinentia, more Eccleſiæ militantis, omnes decantabant, & ſtationes debitas obſervabant. *Proceſſio Eccleſiæ triumphantis in Feſto Purificationis B. Virginis.* Angelus verò Virginis ductor, alteri cuidam Virgini, quam noverat eſſe conſimilis meriti, illam ſociavit, candelam porrigens ardentem. Tantus erat decor omnium, tanta gloria, in diſpari tamen claritate ſingularum, ut nulla lingua fari ſufficeret. Salvator verò qui caput eſt omnium Sanctorum, ſplendor gloriæ, & ſol juſtitiæ, indutus pontificalibus, mitram geſtans in capite ſuo cum baculo, chirotecis, & annulo, & reliquis Epiſcopalibus ornamentis, noviſſimum locum ſanctiſſima cum Matre ſua Maria tenebat: cujus pulchritudinem omnis ille cœleſtis exercitus mirabatur, Qui cùm poſt tertiam ſtationem inchoaſſet antiphonam. *Hodie Beata Virgo Maria puerum Ieſum præſentavit, &c.* ingreſſi ſunt templum auro gemmiſque conſtructum. Deinde inceptus eſt Miſſæ introitus, videlicet: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam*, & ab omnibus ſimul decantatus. Interim Chriſto introeunte ad Altare, poſtquam expletum eſt *Kyrie elyſon* à choris alternatim, poſt *Gloria in excelſis Deo, &c.* quod ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus inchoavit, Beatus Protomartyr Stephanus Epiſtolam legit de libro Malachiæ Prophetæ, videlicet, ***Ecce ego mitto Angelum meum,*** ſanctus verò Joannes Evangeliſta dalmaticâ indutus legit Evangelium ſecundùm Lucam, ſcilicet: *Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis Mariæ, &c.* quo perfecto Dominus ſecundùm morem ordinis noſtri ad gradum redit, & ab offerentibus candelas ſuſcepit. Prædicta autem Virgo per ſpiritum ſentiens ſe ad corpus reverſuram, candelam ſuam offerre noluit, etiam Angelo ſuo præcipiente, volens illam ſecum ad terras portare. Quòd Angelus conſiderans, candelam in manu ejus fregit, ſuperiorem partem auferens, & inferiorem illi relinquens, ſicque ad corpus reverſa, partem eandem manu concluſam ſe retinuiſſe invenit. De qua plurimæ fiebant, & fortè uſque hodie fiunt virtutes; Nam aquam ſuperfuſam infirmi bibunt & convaleſcunt. Tam manifeſta & ſublimis erat viſio, ut modum ejus minimè intelligeret, dicens illud Apoſtoli cùm de ea interrogaretur;

Digitized by Google

tur; *Sive in corpore, ſive extra corpus, neſcio*, Deus ſcit. Dominus Euſtachius Abbas de Clauſtro, ſive Hemmenrode viſitator noſter audiens hanc viſionem quibuſdam Abbatibus referentibus deſiderio veritatis cognoſcendæ virginem principaliter adiit, & ab ejus ore, quæ dicta ſunt, audivit.

I. Quæ eſt utilitas cereorum in Eccleſia?

Fructus cereorum benedictorum.

R. Id facilè, cùm ex prædictis, eſt intelligere, tùm ex orationibus quibus Eccleſia in eorum benedictione utitur. Orat enim:

Primò, ut cerei valeant ad ſanitatem animarum, & corporum, terrâ marique.

Secundò, ut de locis, ubi accenſi fuerint, dæmon & quidquid dæmonis ars eſt machinata, depellatur.

Tertiò, ut mentes & corda noſtra inviſibili igne & ſplendore ſancti Spiritûs illuſtrentur, omniumque peccatorum & vitiorum cæcitate careant, ut cernere poſſimus quæ Deo ſunt placita, & utilia ſaluti.

Quartò, ut ignis charitatis cum lumine fidei in animis noſtris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam deducat.

I. Eſtne laudabilis conſuetudo, & apud Catholicos recepta, ut morituris benedictus cereus prætendatur.

Cereus benedictus moribundis prætenſus.

Rit. Rom.

R. Ita planè; eò fine, ut diabolus qui eſt princeps tenebrarum depellatur, utque hâc cæremoniâ teſtemur moriturum id præcipuè in votis habere, ut in numero Virginum Sapientum, quæ cum lampadibus obviam ſponſo procedunt, inveniatur, quemadmodum jam olim cùm baptizaretur, cereumque ardentem in manus acciperet, præmonebatur his verbis: *Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi baptiſmum tuum: ſerva Dei mandata, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei unà cum omnibus Sanctis ejus in aula cæleſti, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum.*

LECTIO VIII.

De Cineribus benedictis.

I. Eſtne etiam antiquus in Eccleſia ſacrorum cinerum uſus?

Cinerum benedictorum antiquus uſus in Eccleſia.

R. Antiquiſſimus; Jam enim olim Job agebat *pœnitentiam in favilla, & cinere.* Vide c. 2. Mich c. 3. Judith c. 2. Eſther. c. 4. Threnorum Jerem. c. 3. Jonæ Prophetæ.

I. Cui rei ſerviebat uſus iſte?

R. Ad ſignificandam & excitandam pœnitentiam, & animi demiſſionem, uti videre eſt in ſcripturis allegatis.

I. Fuitne etiam pridem hic uſus in Eccleſia communiter receptus?

R. Ita; uti colligere eſt ex miraculis Petri Venerabilis Cluniacenſis c. 22.

I. Quam ob cauſam adhibentur modò ſacri cineres in capite Quadrageſimæ?

Sacri cineres in capite Quadrageſimæ quid ſignificent.

R. Ob eandem quam ante diximus, nimirùm ut meminerit homo principii ſui quod fuit cinis, & finis itidem ſui qui erit cinis; ſicque ad humilitatem, & omnem modeſtiam excitetur. Hoc intendit Eccleſia cinerem fidelium capitibus imponens in capite Quadrageſimæ, his verbis: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Secundò, ut excitetur ad pœnitentiam per cineres ſignificatam conſideratione ejus, quòd peccatum in eam nos miſeriam conjecit, ut in cineres redigamur.

I. Quâ ratione poſſunt ſacri cineres ejuſmodi piam cogitationem ingerere?

R. Primò, quia ex opere ipſo actus eſt humilitatis juxta Eccleſiæ inſtitutum, & Sanctorum receptam conſuetudinem.

Secundò, quia cæremoniam ejuſmodi ex obedientia Eccleſiæ uſurpamus.

Digitized by Google

Tertiò, ejuſdem Eccleſiæ ſolennes preces magnam habent vim ut iſtos ſalutares effectus conſequantur fideles, qui ſunt his cineribus uſuri.

Quos effectus & quomodò operentur.

Orat enim 1. ut juvetur homo ad internam cordis humiliatem.

2. Ut benedictio cœleſtis in aſperſos deſcendat, quâ verò compungantur, & de peccatis doleant, conſiderantes per peccatum hominis, & ipſam terram maledictam, ſu ſſe in opere ſuo, & nos omnes in cinerem, & terram redituros.

3. Ut hi cineres ſint ſalubre remedium ad aſſequendam remiſſionem peccatorum, & præmium vitæ æternæ.

4. Ut detur corporis ſanitas ad pœnitentiam pro peccatis agendam, & in bono perſeverandum.

I. Qua de cauſa crux in fronte imprimitur, cum dicitur: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris?*

R. Ut non erubeſcamus pœnitentiam etiam publicè agere, amore, & exemplo Domini noſtri Jeſu Chriſti crucifixi, nos inquam qui pulvis, & cinis, & nihil ſumus.

Pulvis & umbra ſumus, pulvis nihil eſt niſi fumus?
At nihil eſt fumus, nos nihil ergo ſumus.

Sacerdotum capiti ſacri cineres imponuntur, cur?

I. Sed cur Sacerdotibus non frons, ſed caput aſpergitur?

R. Hoc fit partim ad reverentiam ſacrificii, ne in ejus celebratione aliquid cinerum in altare decidat: partim, ut ipſi, qui cæteros homines dignitate, ordine, & poteſtate antecellunt, ſciant ſe brevi cineribus & terrâ tegendos.

Exemplum.

I. Poſſeſne inſigni aliquo exemplo comprobare hanc eſſe laudabilem verèque Chriſtianam & Catholicam cæremoniam ſacris cineribus primo die Quadrageſimæ aſpergi?

Io. Burgman in vita ejus p. 1. c. 8. apud Sur. to. 2.

R. Ita. Solebat S. Lyduina Virgo admiranda die cinerum pro ſanctæ Eccleſiæ more ac inſtituto cineres è Sacerdotis manu ſuſcipere, ſed ſi tardaret Sacerdos, Angelus ejus explebat vices. Cum itaque aliquando Confeſſarius ejus Joannes Walterus ad eam veniſſet; rogaturus num cinere ſancto conſignari vellet, reſpondit illa, ab Angelo ſancto id jam factum eſſe. Stupente illo, quid ſibi illud vellet, Lyduina dixit ut manu tangeret caput ipſius. Fecit ille, & cineres ſenſit, itidemque frontem ſuam etiam communivit. Docuerat eam Angelus, reverenter ſacros illos cineres à ſacerdote percipere, aliosque, ut itidem facerent, adhortari.

LECTIO IX.

De Palmarum ramis.

I. CUr Eccleſia Catholica hanc ſervat ab antiquis temporibus conſuetudinem, ut Dominicâ die, quæ proximè feſtivitatem Paſchæ præcedit, Palmarum, Olivarum, ſimiliumque arborum ramos, ſolemnibus precibus benedicat?

R. Ut illi à populo Chriſtiano in proceſſione geſtentur, & domi ad ſalutares effectus conſerventur.

I. Quid iſta cæremonia ſignificat?

R. Duo, quæ circa Chriſti Domini perſonam geſta ſunt. Unum eſt, inſignis ille ingreſſus in civitatem Jeruſalem hoc ipſo die palmarum, quando plurima turba straverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via, turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: *Hoſanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini; hoſanna in excelſis.* Matt. 21.

Alterum, triumphus ille glorioſus, quem per paſſionem & mortem ſuam devictis hoſtibus de principe hujus mundi, univerſoque inferno reportavit, idque in gratiam noſtri, quos in noſtris meritis, ſed benignâ ſuâ miſericordiâ liberavit. Proinde tam Palmarum victoriam, & trium-

Digitized by Google

triumphum ſignificant: Rami autem olivarum miſericordiam.

Effectus palmarum benedictarum. I. Qui ſunt fructus ſive effectus quos Eccleſia in ſolemni iſta palmarum benedictione rogat, & impetrat piis, qui ejuſmodi ramos benedictos geſtaverint, aut domi ſuæ reverenter habuerint?

R. Rogat primò, ut accipiant protectionem mentis, & corporis in ſalutis remedium, & ad gratiam divinam obtinendam.

Secundò, ut rami ſunt virentibus foliis, ita frondeant opera noſtra virore juſtitiæ, & virtutum multarum pulchritudine.

Tertiò, ut ſicut Hebræorum populus Chriſto his ramis occurrit, & cum ipſo in civitatem Jeruſalem introivit, ita nos bonis operibus inſtructi, Domino obviam procedamus, ejuſque veſtigia ſequentes, per ipſum, & cum ipſo in cœleſtem Jeruſalem admittamur.

Quartò, ut ſicut Chriſtus de hoſte per paſſionem ſuam triumphavit: ita & nos hoc opus miſericordiæ ſæpè animo volventes, amore Chriſti accendamur ad pugnam, & ad victoriam de dæmone, carne & mundo referendam.

Quintò, ut in quemcumque locum importati fuerint hi rami, habitatores, Dei benedictionem conſequantur, & omni adverſitate fugatâ, dexterâ Dei protegantur.

I. Quid facto opus, ut iſtorum fructuum participes efficiamur?

R. Debemus hos ramos ex mente Eccleſiæ devoto animo geſtare, ſervare, & ad pios uſus adhibere.

I. Habeſne ad hanc rem appoſitum exemplum?

Exemplum. R. Ita. Joannes Papa VIII. anno Domini 877. miſit Carolo II. Imperatori palmas virides benedictas, cùm tamen Dominica Palmarum, quâ in Eccleſia ex antiquo inſtituto benedici conſueverunt, non eſſet, ſed earum mittendarum ratio ſic ab ipſo deſcribitur, nimirum ut eſſet ei tanquam triumphus, adverſùs viſibiles & inviſibiles hoſtes, optans illum de cunctis adverſariis triumphare.

LECTIO X.

De Agno Dei.

I. Eſtne ſuperſtitioſum Agnos Dei ad collum geſtare ex more apud Catholicos recepto?

R. Minimè, ſed verò hoc maximè ſanctum eſt.

I. Non ceſſant interim Hæretici contra hanc cæremoniam declamare, illamque vanæ religionis accuſare?

R. Uti ſolent cætera quæque pietatis, & devotionis exercitia.

I. Eſtne antiquus Agnorum Dei uſus?

R. Antiquiſſimus; ut videri poſſit ex traditione à Chriſto, & Apoſtolis accepta manaſſe.

I. Unde hoc colligis?

R. Ex regula à ſanctis Patribus nobis tradita, nimirùm id cenſeri debere traditionem Apoſtolicam, cujus ab omni memoria in Eccleſia uſus fuit, & initium ignoratur.

I. Eſtne igitur antiqua admodum praxis & conſuetudo hujuſce rei in Eccleſia? *Antiquiſſimus in Eccleſia uſus Agnorum Dei.*

R. Ita, Nam in ordine Romano, à Gelaſio, qui vixit ſub annum Chriſti 500. ut conſtantior opinio eſt, collecto, uſus Agnorum, & cereorum benedictorum quaſi uſitatus & antiquus laudatur.

Legimus etiam in vitis Pontificum Leonem III. qui Eccleſiam rexit ab anno Domini 796. atque ad an. 816. Imperatori Carolo Magno agnum Dei donaſſe, quem magnâ reverentiâ ſuſcepit, & pro ingenti theſauro habuit.

Item Urbanum V. qui ſedebat anno 1363. alios itidem Agnos Imperatori

Græcorum miſiſſe; quos cum triumphali pompa in urbem invexit, obviam cum ſupplicationibus totius Cleri, & populi procedens.

I. Cur Imperatores tanti fecerunt Agnos Dei?

R. Quia donum erat iſto tempore pretioſiſſimum, & ſummo Pontifice digniſſimum.

I. Cur tam ratò donabantur?

R. Ut majori in pretio haberentur, quamprimùm enim res iſta in frequentiori, & quaſi promiſcuo uſu fuit, cœpit ejus pretium, & æſtimatio valdè imminui. Profectum eſt hoc ab hominum inſcitia, qui ignorabant quid eſſet Agnus Dei, quid ſignificaret, ex quo componeretur, &c.

Contemptus Agnorum Dei ex inſcitia procedit.

I. Quare ſic appellatur, *Agnus Dei?*

R. Quia præfert figuram ſive imaginem Agni in cera alba impreſſam.

I. Quid ſibi vult iſte Agnus?

Agnus Dei ſignificat Chriſtum Dominum.

R. Indicat Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui eſt Agnus ſine macula, digito quondam præmonſtratum ſancti Præcurſoris Baptiſtæ dicentis: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Joan. 1.

I. Quare S. Joannes Salvatorem noſtrũ vocat Agnum Dei?

R. Ut ſignificet eum eſſe Meſſiam in lege promiſſum, & per agnũ in eadem præfiguratum; prout reverà venit in hunc mundum pro peccatis noſtris ad modum agni manſueti immolari.

Figura Agni Dei

I. Poſſetne aliquas figuras Agni Dei ex veteri Teſtamento in medium adducere?

R. Ita. *Abel obtulit de primogenitis gregis ſui & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Primogenita gregis ſine dubio, erant agni. In Exodo mandavit Deus Filiis Iſraël, ut per familias & domo ſuas ederent agnum aſſum igni. Similiter præcepit iiſdem ut agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum offerrent, unum mane, & alterum ad veſperam; qui Chriſtum in cruce oblatum ſignificabant pro peccatis populi tam diutino tempore commiſſis, quàm veſpertino. Sanè vaticinatus eſt pridem Iſaias, quòd Chriſtus ſicut ovis ad occiſionem duceretur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſceret, & non aperiret os ſuum; uti Prophetam interpretatur S. Philippus Act. 8. Vide Jerem. 11. v. 19.

Gen. 4. Exod. 12. Num. 28. Iſa. 53.

I. Retinetne Chriſtus Dominus etiam in novo Teſtamento hoc blandum & ſuave nomen Agni?

R. Ita. Nam præter id quod S. Præcurſor Joannes hoc nomine eum appellavit, digitoque monſtravit, & Iſaiæ locum proximè adductum Philippus de eodem eſt interpretatus. Sanctus Petrus ad veteres figuras ſuprà recenſitas alludens ſcribit; *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis: ſed pretioſo Sanguine quaſi agni immaculati.* 1. Pet. 1.

Hâc voce agni gaudet etiam plurimùm S. Joannes Evangeliſta, itaque paſſim vocat Chriſtum Apoc. c. 5. & ſeqq. uſque vigeſies ſepties.

I. Ob quas rationes ſive proprietates vocatur agnus Salvator noſter, & taliter nobis per imagines ceræ benedictæ repræſentatur.

Proprietates Agni in Salvatore noſtro notatæ.

R. Ob multas; primò, quia agnus, animal manſuetum memores nos facit manſuetudinis Chriſti. Jerem 11.

Secundò, agnus candidus, & immaculatus appoſitè ſignificat nobis innocentiſſimam puritatem Jeſu Chriſti, qui eſt candor lucis æternæ, ideò efformatur imago agni Dei in cera alba. Uſque adeò ut Gregorius XIII. Pontifex vetuerit etiam ſub excommunicationis cenſura Agnos Dei à ſummis Pontificibus conſecratos depingi, aliquo colore inſici vel minimo notari, *Conſtit. incip. omni certè ſtudio, 8. Kal. Junii 1572.*

Tertiò, Chriſtus Dominus in paſſione ſua, agno valdè ſimilis fuit, *qui coram tondente ſe non aperuit os ſuum.* Iſa. 53.

Quartò, quia Salvator noſter ſæpenumerò,

Digitized by Google

tò, uti ſuprà notatum eſt, per agnos figuratus fuit, præſertim per agnum Paſchalem; ut meritò cantet Eccleſia in ſolemnitate Paſchali.

Victimæ Paſchali laudes
Immolent Chriſtiani;
Agnus redemit oves,
Chriſtus innocens Patri
Reconciliavit peccatores.

I. Cur ſacræ illæ imagines cereæ non ſimpliciter agni, ſed *Agni Dei* vocantur?

R. Quia repræſentant agnum omnium nobiliſſimum, & præcipuum; Hebræi autem ſolent res magnas, excellentes appellare res Dei: ſic dicunt *montes Dei, cedros Dei, &c.*

Secundò, Chriſtus Dominus in imaginibus iſtis vocatur *Agnus Dei*, qui à Deo, id eſt juſſu & voluntate Dei pro hominum redemptione eſt immolatus, aut Dei, id eſt divinus, propter divinitatem, quæ in ipſo erat.

Carem. l. 3. ſec. 1 6. I. Non ſignificat imago Agni Dei benedicta aliud quàm quod dictum eſt?

R. Imò, Nimirùm monemur illa Agnum Chriſtum ejuſque innocentiam in baptiſmo acceptam jugiter & præ oculis habere & conſervare. Ideòque baptizati olim cùm veſtem candidam in Baptiſmo acceptam deponerent Dominicâ in Albis, ejus loco accipiebant hunc agnum cereum, à Pontifice benedictum, quem ſuſpenſum ferrent ad collum. Mutatâ videlicet (inquit Baronius) in religionem ſuperſtitione, quâ ſuis infantibus Gentiles, bullas, ad avertendas faſcinationes ac turpiculâ conſignatas, vel aliter ſuperſtitionibus auctas collo appenderent. Cùm autem & iidem cordis figuram in bullis ſuis ferre conſueviſſent, quò ſic noſcerent ſe eſſe homines ſi corde præſtarent, ità Chriſtiani imaginem Chriſti Agni ſuſceperunt, ut diſcerent ejus exemplo eſſe mites & humiles corde. *An. Chriſti 58.*

I. Oſtenditne Deus aliquando per agni figuram innocentiam & puritatem Sanctorum?

R. Ita. Narrat B. Ambroſius de S. Agnete: Quod eo tempore, quo ejus parentes ſepulchrum virginis frequentabant, apparuerit illa in virginum contubernalium corona pretioſiſſimis veſtibus circumamicta, ad cujus latus adſtabat agnus nive candidior, qui indicabat virginalem ejus puritatem, cum qua ſequitur agnum quocumque ierit. *Serm. de S. Agnete.*

I. Eſtne antiqua in Eccleſia conſuetudo ut cereæ illæ imagines Agni Dei benedicantur?

R. Ita. Nam Alcuinus Abbas qui fuit præceptor Caroli magni Imp. in officiis divinis cap. *de Sabatho Sancto* meminit hujus cæremoniæ jam tum in Eccleſia receptæ. *Antiquus uſus in Eccleſia Romana Agnos Dei benedicendi.*

Similiter Amalarius ejus diſcipulus l. 1. c. 17. Imò Joannes Molanus c. 6. de Agno Dei ſequutus Widmanſtadium docet Agnos Dei jam ante Imperatorem Conſtantinum in Eccleſia fuiſſe, qui verò ſimiliter per ſummos Pontifices benedicebantur, & conſecrabantur, uti poſterioribus aliis ſæculis factum eſt.

I. At videtur hoc Judaiſmum redolere, ut effigientur imagines Agnorum, qui olim non erant aliud quàm umbra futurorum.

R. Minimè: magnam enim & juſtam id faciendi nobis præbent occaſionem proprietates & qualitates Agni ſuprà notatæ, uti etiam Scriptura; quæ frequenter filiū Dei incarnatum Agni nomine nuncupat, docetque pluries in hac forma Agni S. Joanni Evangeliſtæ, quem diligebat plurimùm, in Apocalypſi apparuiſſe, uti notavimus ſuprà.

I. Dic modò ex qua materia conficitur Agnus Dei?

R. Ex cera candida.

I. Quid ſignificat cera candida?

R. Significat humanam Chriſti Domini naturam puriſſimam, ſanctiſſimam & caſtiſſimam. Nam uti apes virgines abſque ulla ſexùs permixtione generant, *Compoſitio Agni Dei ad Chriſtum relata.*

Digitized by Google

rant, ita Chriſtus ex puriſſimis Virginis ſanguinibus de Spiritu Sancto conceptus eſt.

I. Quid præter ceram?

R. Cera illa fontana puta intingitur.

I. Quid hoc eſt?

R. Hoc indicat Chriſti Domini doctrinam puriſſimam & ſinceriſſimam.

I. Cur aqua illa de fonte ſumitur?

R. Ut ſignificetur abundantia doctrinæ Chriſti verbo & exemplo per univerſum orbem manantis.

I. Nihilne aliud ſupereſt?

R. Adhibetur etiam ſacra Unctio ex chriſmate.

I. Quorsùm unctio ex chriſmate?

R. Repræſentat illa Spiritûs Sancti gratiam & chriſmata in Chriſto Salvatore noſtro tanquam in fonte mexiſtentia, de cujus plenitudine nos omnes accepimus.

Admiſcetur quoque balſamum, ut ſignificetur ſuaviſſimus odor vitæ & converſationis Agni iſtius immaculati Chriſti Domini. Et quemadmodum balſamū, ad medicinam adhiberi ſolet, ità ſignificat veram animarum noſtrarum medelam quæ ex pretioſiſſimis Chriſti vulneribus fluit.

Fructus Agni Dei. I. Eſtne fas cuilibet Agnos Dei tangere?

R. Non; ſed iis ſolùm qui res ſacras contingunt, uti Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis. Ratio eſt, quia ſacrâ unctione Chriſmatis imbuti ſunt & ſpecialibus cæremoniis per ſummum Eccleſiæ Pontificem conſecrati.

I. Tantine valet particula ejus, quanti tota & integra imago?

R. Verum quidem eſt quod agnus integer perfectius repræſentet imaginem Agni Paſchalis, qui fuit figura Chriſti Domini pro nobis immolati: nihilominùs quantum ad efficaciam & fructum quem inde ſperamus, perindè eſt ſive partem, ſive integrum habueris, cùm unum æquè ac alterum ſit benedictum.

I. Qui ſunt fructus Agni Dei?

R. Qui in conſecratione petuntur, ſunt iſti. Primò quidem in genere, ut ab omni malo liberemur, omnique bono fruamur. Deindè verò in particulari mala recenſentur, à quibus nos rogat ſummus Sacerdos liberari: nimirum, ab omni tempeſtate maris & terræ, à fulmine, grandine, noxiis ventis, pluviâ, terræ motu, tonitru, peſte, morte improviſa, igne, inſidiis inimicorum, malorumque ſpirituum: denique ab omnibus aliis periculis. Additur etiam, ut parturientibus mulieribus Deus adeſſe dignetur. Hi ferè continentur his ſequentibus verſibus per Urbanum V. Pontificem olim ad Imperatorem Græcorum tranſmiſſis, qui habentur in Cæremoniali Eccleſiæ Romanæ l. 1. ſec. 7.

Balſamus, & munda cera cum chriſmatis unda

Conficiunt agnum; quod munus do tibi magnum:

Fonte velut natum per myſtica ſanctificatum.

Fulgura deſursùm depellit, & omne malignum;

Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis & ungit.

Prægnans ſervatur; ſimul & partus liberatur:

Munera fert dignis, virtutem deſtruit ignis:

Portatus mundè de fluctibus eripit unda.

I. Suntne iſti Agni Dei magnificiendi? *Effectus Agni Dei per ſummum Eccleſiæ Pontificem tertiò impetrantur*

R. Ita, tàm ob effectus prætactos, quàm ob benedictionem ſummi Pontificis illos à Deo impetrantis.

I. Impetratne ſummus Pontifex à Deo quæ in conſecratione petit?

R. Procul dubio; ſi enim ſimplex Sacerdos aquam luſtralem benedicens, uti Eccleſiæ miniſter impetrat à Deo cum efficacia ſuprà notatos effectus iis qui illa piè uſi fuerint, quid non ſperari debet & expectari à conſecratione Agnorum Dei

per

Digitized by Google

per ſummum Sacerdotem factâ, qui quantò in Eccleſia ſublimior eſt, tantò repræſentat expreſſiùs perſonam Salvatoris, qui primò & principaliter operatur benedictionem & fluentes indè gratias? Adde quod S. Petri ſuffragia & merita ſemper comitantur benedictiones & ſolennes preces ſibi in ſede Apoſtolicâ ſuccedentium.

Qualiter debet eſſe diſpoſitus qui fructũ ex Agno Dei cupit percipere.

I. Qualiter diſpoſitus eſſe debet qui cupit hos fructus conſequi?

R. Debet magnâ fide & devotione præditus eſſe, ac ſummi Pontificis benedictionem, & Dei promiſſionem, quæ oranti Eccleſiæ auxilium addixit, intueri.

I. Habeſne exempla quibus comprobes magnam ſacrorum iſtorum orbiculorum energiam contra hoſtes viſibiles & inviſibiles?

Exemplũ.

Ex litteris annuis Societ. Ieſu.

R. Habeo. In miſſione Sedunenſi, quæ in Allobrogum finibus ſita eſt, & tutiſſimum Hæreticorum hâc tempeſtate refugium; quia inter Hæreticos agebatur, diſtribuenda fuerunt Catholicis, quæ Catholicorum ſunt propria. Itaque ceræ cœleſtis Agni ſimulacra diſtributa, tanto in honore à Catholicis habebantur, ut eorum beneficio multa divinitus exorarint. Religioſa mulier ex his ceris particulam dumtaxat quandam in orâ veſtis cujuſdam delirantis fœminæ conſuit. Ea fuit tum illius ſacræ ceræ vis, tum incenſæ mulieris fides, ut continuò ſanata ſit. Aliæ, cùm viros haberent feros & immites, eoſdemque hæreticos, clam in eorum thoracibus, caligiſve hâc eâdem cerâ conſutâ, leniſſimos ſibi & mitiſſimos reddiderunt. Quo factum eſt, ut in pietatis officiis nullo jam ſuis conjugibus impedimento ſint viri.

Pet. Tyreus p. 3. diſp. de dæmoniacis c. 45. n. 87.

Anno Domini 1568 cùm Princeps Auſtriacus numeroſo exercitu in Brabantiam irrumpere tentaret, in agro Juliacenſi propè Trajectum ad Moſam, quemdam Hiſpanum captivum habuit, quem capitis damnatum milites arbori alligatum ſclopetis, vel bombardis occidere conabantur: verùm fruſtrà ſua in eum emiſerunt tormenta ænea: tantùm enim abfuit ut illum ſic arbori alligatum bombardis transverberare, ut nec creberrimis emiſſionibus lædere potuerint. Quo viſo obſtupefacti cœperunt eum veſtibus ſpoliare, arbitrantes hominem, occultis quibuſdam armis munitum, quæ vis tormentorum penetrare non potuerit. Verùm nihil præſidii ab ipſis inventum fuit, præter dependens ex collo amuletum Agni, quo eidem ſublato, primo ictu bombardæ extinctus interiit.

Mart. Delrio l. 6 diſquiſ. mag. ſec. 3. to. 3.

Sub annum Domini 1583 in Trevirenſi ditione, ut ſunt plurimæ illic ſagæ, quædam puerum octo circiter annos natum, ſuis præſtigiis atque carminibus circumventum, in eas ſedes ſolita erat abducere, ubi per licentiam noctis, & tenebrarum nefariis luſibus indulgerent. Hic ſuæ quoque partes puero dabantur, ut dum illæ choreas conſertis manibus inter ſe ducerent, is earum ſaltationem tympano proſequeretur: nec modò ludorum erat chorique ſpectator, ſed ſæpè etiam præſtigiarum, quibus illæ humanis corporibus ac aliis nocerent. Hunc Archiepiſcopus in aula deductum cuſtodiri juſſit, ut Catechiſmo, cujus erat planè rudis, imbueretur: cui cùm Sacerdos noſter effigiem cœleſtis Agni de cervicibus ſuſpendiſſet, noctu adfuit dæmon, graviterque puerũ increpans, quod tam facilè ſe decipi paſſus eſſet, juſſit ceram illam, ni vapularet, abjicere. Territus puer fecit imperata, continuoque dæmon, eo quod tam metuebat amoto, ad muros urbis eum abripit, nigroque impoſitum hirco, ad impuriſſimas ſagarum regiones momento transfert. Qui cùm aliquandiu inter veneficas latuiſſet, reſtituitur iterùm in palatium fractâ implicitâque nodis reſticulâ, undè cera illa pendebat.

Regrediamur tandem ad ſuperſtitionis materiam, cujus occaſione pauca de Eccleſiæ cæremoniis diximus.

Digitized by Google

LECTIO XI.

Non habebis Deos alienos coram me.

I. QUid ſibi volunt iſta verba primo Decalogi præcepto contenta?

Lect. 4. hujus cap. ſub initium.

R. Prohibent alteram ſuperſtitionis ſpeciem, quam diximus ſuprà verſari in cultu falſæ & confictæ divinitatis; & hæc eſt ſecunda pars primi præcepti.

I. Nunquid hic ſecundus ſuperſtitionis modus alias etiam ſub ſe continet ſuperſtitionis ſpecies?

R. ... *divinationes, magiam, vanas obſervationes.*

I. Quare non addis *idololatriam*?

R. Quia magis congruus erit de ea dicendi locus in parte tertia hujus primi præcepti, quando tractabimus verba illa: *Non facies tibi ſculptile ut adores illud*

De ſuperſtitionibus divinationum, &c.

I. Quid hic vocas divinationem?

S. Tho. 2. 2. q. 95.

R. Divinatio generatim in hac materia eſt, quando quis ope vel diſciplinâ dæmonis expreſsè vel implicitè invocati, de aliquo occulto, quod humano modo cognoſcere non poteſt, inquirit. Vide S. Aug. de doctr. Chriſtian. c. 20. Notandum pro fundamento ſuperſtitionum, dæmones eſſe appetentiſſimos honoris, & cultus uni Deo debiti, cujus omninò incapaces ſunt. Hâc occaſione lapſi ſunt de cœlo, & modò divagantur per hunc inferiorem mundum ſeducentes miſeros filios Adam, ad cœli poſſeſſionem creatos, quam ipſi rebellione ſuâ amiſerunt. Vident igitur & iraſcuntur, fremunt & invidiâ tabeſcunt odio implacabili creaturam proſequentes, cùm Creatori nocere non poſſunt. Hinc mundum, qua potuerunt, impleverunt idololatriâ, magiâ, incantationibus, milleque aliis hæreſibus & Atheiſmis.

Dæmones honoris divini appetentiſſimi.

I. Quomodò contingit aliquem peccare per divinationem contra primum præceptum; præſertim contra partem iſtam, *non habebis Deos alienos coram me?*

R. Cùm diabolo tribuitur id quod Deo proprium eſt, (hinc vox *divinatio*) quod fit per conſultationes, atque pacta quædam cum dæmonibus fœderatis, de futuris aliiſque occultis inquirendo, & divinando. Talia ſunt quæ cauſas certas in natura non habent, ſed ex hominum arbitrio, aliaque incertâ causâ pendent. Undè Dominus per Iſaiam: *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos.*

Auguſt. proximè cit.

Iſai. 41.

I. Sciuntne igitur dæmones futura & occulta?

R. Etiamſi dæmones non poſſunt certè cognoſcere futura quæ à libero arbitrio alterius pendent, ut docet S. Auguſtinus l. de divinatione dæmonum. c. 5 & 6. & l. 2. de Geneſ. ad litt. c. 17. Tamen poſſunt longè plura de rebus futuris aliiſque occultis noſſe quàm homines; idque pluribus modis.

C. igitur 26. q. 3. & c. ſciendū ead.

Primò, celeritate ingenii, utpotè nullâ mole corporis aggravantis hebetati. Undè cùm exactè noverint omnes cauſas naturales & vim earum; ut ſolis, lunæ, ſiderum, elementorum, planetarum, animalium, &c facilè colligere poſſent, qui effectus ex iis ſecuturi ſint, vel abſolutè, vel ſi certo modo applicentur. Itaque facilè poſſunt prædicere ventos, tempeſtates, naufragia, mortes.

Quomodo dæmones multa etiam occulta norunt.

Secundò, celeritate motus, ob ejuſdem ſpiritus ad rei inſtantaneam quaſi mobilitatem. Sic vident in longinquis locis cauſas jam poſitas vel effectus inchoatos, & poſſunt celeritate naturæ illos prævertere & alibi prænuntiare. Sic prædicere ſolent incrementa Nili in Ægypto, visâ aquarum copia in Æthiophia, *ut refert Athan. in vita B. Antonii.*

Tertiò, longâ rerum experientiâ. Millies enim obſervarunt quid ex quo ſequi in cauſis liberis ſoleat, quibus rebus voluntas humana impellitur; undè ſæpè

ſit

ſit, ut de futuris liberis veriſſimè conjectent.

Quartò, ſciunt quid ipſi & alii dæmones malorum ſocii, Deo permittente, facturi ſint. Sic poterant prædicere everſionem familiæ Job, & ipſius calamitates.

Quintò, quia eis ab Angelis ſanctis aliqua nonnunquam revelantur, ſecundùm Aug. *l. de divinat. c. 3. & l. 2. de Geneſ. ad litt. c. 17.*

Nolim tamen tibi perſuadeas dæmonem futura contingentia à libero hominis arbitrio dependentia certò cognoſcere. S. Auguſtinus loco cit. & l. de divinat. dæmonum c. 5. & 6. hoc enim, ut ſuprà proximè diximus, ad ſolum Deum pertinet. Cujus ratio eſt, quia, uti ipſe per ſe ſolus eſt Cordiagnoſtes, ſive conſcius cogitationum, & volitionum liberarum, quas mens in ſe ipſa occultat, nec eloquitur aut prodit: Ita ſolus certò prænoſcit futura contingentia & libera, propriè enim ſolùm contingentia ſunt, quæ ſunt libera, vel à libertate alicujus pendent: Quæ enim merè naturalia ſunt, determinata ſunt, ideoque neceſſario eveniunt; unde non ſunt contingentia; quocirca ab eo qui totam ſeriem cauſarum naturalium videt & penetrat, certò prædici poſſunt, uti ſunt eclipſes, cometæ, venti, inundationes, peſtilentiæ, *&c.* Libera verò quæ ab arbitrio voluntatis pendent, indeterminata ſunt, undè prævideri & prædici non poſſunt, niſi à Deo, qui Angelorum & hominum mentes penetrat, & comprehendit, atque certiſſimò ſcit & prævidet, quid quæque voluntas poſitis quibuslibet circumſtantiis liberè ſit volitura, electura, vel factura. Ratio ergò cur Deus præſciat & prævideat futura omnia, eſt infinita ejus acies, & vis cognoſcitiva, infinitus intellectus, infinitum lumen ejus, quod omne verum, ubicumque ſit, prævidet & penetrat. Eſt enim Deus quaſi ſol quidam omnia videns, omnia luſtrans. Fallitur interim ſæpè & fallit dæmon in ſuis conjectationibus, uti exemplis doceri poteſt.

Solus Deus Cordiagnoſtes.

Deus futura contingentia omnia prævidet

Illuſtre eſt exemplum Achab Regis, cui cùm omnes Prophetæ & Divini victoriam contra Syros prædicerent, ſolus Michæas contrarium, ſcilicet cædem & necem, quæ verè ei contigit, prædixit. Simile fuit vaticinium Hananiæ, qui Judæis liberationem ab obſidione Chaldæorum & victoriam promiſit; contrarium enim, idque verè prædixit Jeremias, qui & idcircò Hananiæ mortem juſſu Dei intentavit.

Exempla. 3. Reg. ult. — Jerem. 28.

I. Cur autem permittit Deus dæmoni futurorum præſagium?

R. Primò, ut occulto Dei judicio homines malarum rerum cupidi tradantur illuſionibus dæmonum pro meritis ſuæ pravæ curioſitatis decipiendi. S. Auguſt. lib. de doct. Chriſt. cap. 23. Non enim dæmonum conſortia tantùm vitare debemus quando falſa nobis obtrudunt, verùm etiamſi vera dixerint, itaque evenerint, fugiendi ſunt.

Cur Deus ſinit dæmonem futura prædicere.

Secundò, permittit aliquando Deus à dæmone vera prædici, ne curioſius Chriſtiani ſectentur inordinatam ſciendi cupiditatem, (cùm hominis multis modis antecellat dæmon ſcientiâ & ingenio, qui tamen ob hoc minimè perfectus eſt;) ſed potiùs perfectioni ſtudeant quæ in virtutum conquiſitione verſatur.

Levit. 20. & Deut. 13. & 18.

I. Sed quid opus erat dæmoni permittere verorum prænuntiationem, quæ occaſio futura erat multos in errorem vanarum ſuperſtitionum inducendi?

R. Reſpondet ad hoc S. Clemens lib. 4. recognit. Si dæmonibus nunquam fuiſſet indultum veri aliquid proferre, omninò nec aliquid prædicere vellent, non prædicentes autem, nec quòd eſſent dæmones agnoſcerentur; quod ſi ignorarentur eſſe dæmones in hoc mundo, agonis noſtri & certaminis cauſa latuiſſet.

I. Nunquid etiam aliæ ſubſunt curioſitates ſuperſtitioſæ, præter quam ſciendi occulta & futura?

Digitized by Google

R. Imò: mira videlicet patrandi; mira inquam, non etiam, ut vulgus imperitum autumat, miracula.

I. Quomodò igitur mira iſta diſtinguis à miraculis?

Miraculorum & mirabilium differentia.

R. Opera quæ faciunt dæmones etſi mi- racula videantur, quia celerrimo tempore & à nobis imperceptibili fiunt, non tamen ſunt vera miracula, eo quod fiant vi naturæ. Sic namque noverunt cauſas diſponere, & activa paſſivis applicare, ut illicò ſequantur effectus, qui omnem noſtram notitiam prævertunt, & fugiunt. Hinc Hæretici Valentinus, Marcion, & Baſilides falſi ſunt, putantes hæc miracula eſſe, & quod dæmones ſubſtantiarum eſſent creatores, de quibus D. Athanaſius ſerm. 3 contra Arianos, cùm miracula vera, ſint omnipotentis Dei operationes, nullam in natura cauſam habentes. Vide S. Thom. p. 1. quæſt. 105. art. 7. & 2. 2. quæſt. 178. art. 1. & 2. & 1. 2. quæſt. 113. art. 10. Poſſumus his addere diſcrimen tale inter vera miracula & præſtigia dæmonum; quod illa fiant in profectum fidelium, ut liquet decurſu Sacræ Scripturæ; Iſta verò nulli hominum conducunt, ut ſunt: latrare fictiles canes, excelſos ſaltare montes celerrimo volatu, aërem ſecare homines, & id genus alia. Vide Sanctum Clementem l. 3. recognitionum.

Superſtitionis origo.

Hæc igitur eſt omnis ſuperſtitionis vera ſcaturigo: nimia videlicet curioſitas vanè ſciendi res occultas, & faciendi mirabilia; cui quidem curioſitati ſerviens dæmon prædicit futura, & mira operatur ut tanquam Deus ſuſpiciatur ab iis, qui per peccata ſua à Deo vero deſcivère. Vide S. Auguſtinum lib. 20. contra Fauſtum. Hinc fit, quod qui ſuperſtitioſas vanitates ſectantur, peccent contra virtutem religionis, & conſequenter contra hoc primum præceptum; quia per illas honorem, & cultum Deo debitum tribuunt diabolo.

26. q. 5. nec mirum.

Secundò, quia ſocietatem quamlibet inire cum dæmone per ſe illicitum eſt. Quia eſt ſocietas & amicitia cum profeſſo & perpetuo hoſte Dei; quippè qui per maximum nefas ſibi divinitatem arrogare conatur, maximè cum omne ſtudium diaboli in omnibus actionibus ſit honorem Dei obſcurare, & animas perdere.

Poteſt addi & altera cauſa, quia qui à diabolo opem petit, exponit ſe periculo apoſtaſiæ à Deo, & damnationis æternæ. Facilè enim diabolus, Deo permittente, hominem, qui ſocietatem ipſius flagitat, ſuis artibus à Deo avertit, ſibi obſtringit, ita ut rarò contingat elabi, ut experientia docet. Unde benè dixit celebris quidam Doctor, quod ſicut conſuetudo cum Angelis in hac vita eſt inchoatio quædam æternæ beatitudinis; ita commercium cum dæmonibus eſt initium quoddam æternæ damnationis; cujus etiam ſignum eſt fœditas, miſeria, & horridus vultus eorum, qui ipſis obſtricti ſunt.

Cajet. q. 95. a. 4.

I. Eſtne peccatum adire divinos recuperandæ cujuſpiam rei perditæ gratiâ vel inquirendi de futuris?

R. Ita; quia hoc ſuperſtitioſum eſt, & diabolus in hoc pro Deo colitur, eſtq; cum illo omne commercium, & ſocietas periculoſa, ut proximè notavimus, & multis locis in Scripturis prohibita Lev. 19. Deut. 18. Eccleſiaſt. 34. Levit. 20. Divini jubentur interfici.

I. Habeſne exempla quæ huc faciunt?

Exempla.

R. Manaſſes (præter multa flagitia quibus ſeſe obſtrinxit) obſervabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſerviebat, habebat ſecum Magos & Incantatores, &c. Idcircò ſuperinduxit ei Dominus, & populo illius Principes exercitûs Regis Aſſyriorum, ceperuntque Manaſſem, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem.

2. Paral. 33

Julianus Apoſtata ob magiam, cujus ſtudioſiſſimus fuit, amiſit Imperium, vitam, & animam.

Superſtitioſi malè pereunt.

Va-

Valerianus Imperator cùm Ægyptio cuidam mago aures admoviſſet, adeò eſt depravatus, ut ad magiam humanas victimas immolaret, viſcera ſcrutaretur infantium. Igitur à Sapore Rege in Perſidem abductus, omnium Imperatorum infortunatiſſimus fuit, turpiſſimâ ignominiâ poſt homines natos notatiſſimus. Nam quamdiu ipſe Valerianus vixit, Sapores ipſo incurvato, quaſi ſuppedaneo uſus, pede calcans ejus cervicem, equum conſcendere conſuevit: ultione hac profectò dignus qui Chriſtianam religionem toties pedibus conculcaverat. Immò tandem, & juſſum eſſe excoriari, ſaleque condiri in ſempiternum ejus infortunii trophæum Conſtantinus magnus Imperator pro concione aſſeruit. Hæc Baronius anno Domini 272.

Apud Euſeb.

I. Eſtne etiam contra primum præceptum ex aſpectu ſiderum judicare de futuris eventibus à libero arbitrio aliquo modo dependentibus, ut, de conditione vitæ, de matrimoniis, de liberis, honoribus, opibus, carcere, morte aliiſque caſibus humanis?

Aſtrologia judiciaria vanitas.

R. Planè, ſi quis iſtis ſeriò immoretur; non enim actiones humanæ à ſtellis pendent, ſed à libero voluntatis hominum arbitrio; neque ea quæ homini accidunt ex caſuali aliqua ſtellarum connexione, aut planetarum influentiis ordinem habent, ſed ex ipſiſſima Dei providentia qui regit cœlum & terram. Undè hæc divinatio ſupponens actiones humanas pendere à ſtellis, eſt gravis error contra fidem; inducit enim fatum, & conſequenter tollit liberum arbitrium, Deumque facit auctorem peccatorum, ut oſtendit Origenes apud Euſeb. de præparatione Evangelii lib. *6. c. 8.* & *9.* Proindè qui credit vanitatibus Aſtrologiæ hujuſce judiciariæ, credit diabolo Patri mendacii, ex cujus traditione per homines curioſos ab ipſo deceptos, regulæ hujus artis & ſimilium proceſſerunt, ut docet Lactant *l. 2. divinarum inſtit. c. 17.* Vide Auguſtinum *l. 8. de Civit. c. 17. & l. 2. de doctr. Chriſt. c. 21. 22. 23. 24.* Deniquè Eccleſia omni tempore valde ſeriò prohibuit omnem vanitatem hujus Aſtrologiæ judiciariæ, uti videre licet 26. q. 5. 4. 5. & excommunicatione notavit in Concilio Toletano primo c. ult. ubi dicitur: *Si quis Aſtrologiæ, vel Matheſi credendum eſſe duxerit, anathema ſit.* Vide inſignem conſtitutionem Sixti V. Papæ datam anno 1585. *incip. cœli & terræ Creator Deus*; & *Concilium Provinciale Cameraceuſe II. c. 5. tit. de profeſſ. fid.* Vide etiam aliam conſtit. Urbani VIII. *Kalend. April 1631. incip. inſcrutabilis.*

Illi attendere magnum flagitium.

Aſtrologia judiciaria condemnata & anathemate notata.

I. Nonne igitur verum eſt ſtellas & planetas poſſe aliquando magnam habere connexionem, & ſympathiam cum moribus & affectibus humanis, adeoque ſecretis quibuſdam influentiis ſuis poſſe eſſe & dici cauſas talium & talium reſolutionum?

R. Itaquidem cauſas, quæ inclinent, non autem quæ neceſſitent; & quamvis poſſint homines ex aſtris ſibi interdum vendicare affectionem aut inclinationem aliquam naturalem ad hoc vel iſtud, nihilominùs difficillimum eſt exactè pervidere ordinem, & ſequelam cauſæ in cœlo exiſtentis, ad talem, vel talem effectum hic in terra productum.

I. Sunt igitur condemnandi hujuſce ſuperſtitionis, qui multa in ephemeridibus ſuis vanè garriunt & prædicunt?

R. In iis quæ de ventis, pluvia, ſerenitate, lunæ diſpoſitione, &c. non ſunt reprobandi, quod hæc à cauſa naturali planè dependeant, etiamſi non rarò contingat etiam in iis illos decipi; cùm difficillimum ſit; imò impoſſibile, poſſe ad amuſſim notare conjunctiones omnes ſive præſentes, ſive futuras ſtellarum, ex iiſque earum effectus præcisè colligere; & rursùm quibus ex cauſis occultis, & latentibus poſſunt illi impediri; verùm in iis quæ à libero hominis arbitrio, aut Dei providentia dependent, minimè audiendi ſunt, quandoquidem, quæ in hoc genere conjiciunt, vaniſſima ſint. Neque

Compoſitores Ephemeridũ quatenus recepti.

Digitized by Google

credibile eſt vel ipſoſmet hujus vanitatis auctores velle fidem ſuis ipſorum prædictionibus adhiberi, ſed in id tantùm contendere ut verba, & voces curioſis hominibus ſcientibus, & volentibus modico ære venditent.

S.Tho.2.2. q.95. a. 6. I. Quid cenſes de eis, qui attendunt ad ſomnia?

Somnia. R. Illicitum ſimiliter, & vanum eſt ex ſomnio capere prænotionem de eventibus liberis, niſi conſtet vel probabile ſit ſomnium ex peculiari Dei providentia fuiſſe immiſſum: quale fuit Patriarchæ Jacob Geneſ. 31. Joſephi 33. Nabuchodonoſoris Daniel. 2. Ratio reſponſionis eſt, quia ſomnia non poſſunt illa præſignare naturâ ſuâ, nec etiam ut proveniunt à cauſis naturalibus; ergò ſolùm ex directione Dei, vel malorum ſpirituum: ergò quando non eſt probabile eſſe à Deo, ſi quis ex illis divinet, ſubjicit ſe diſciplinæ dæmonis, eique tribuit futurorum prænotionem; undè hoc eſt contra religionem & primum Decalogi præceptum; itaque ex genere ſuo peccatum mortiferum; hinc prohibetur Levit. 19. *Non augurabimini neque obſervabitis ſomnia* Et Eccleſiaſt. 34. *Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.*

Obſervare ſomnia ex genere ſuo peccatum mortale.

I. Habeſne exemplum ad confirmationem iſtius?

Exemplum. R. Ita. S. Gregorius lib. 4 Dialog. c. 49. ſcribit de quodam, qui dum ſomnia vehementer attenderet, ei per ſomnium longa vitæ ſpatia promiſſa ſunt: Cumque multas pecunias pro longioris vitæ ſtipendiis collegiſſet, ita repentè defunctus eſt, ut intactas omnes relinqueret, & ipſe ſecum nihil ex bono opere portavit.

Confeſſarii. Sint igitur cauti in hac materia Confeſſarii, noverintque ſuorum pœnitentium ſomnia contemnere, præſertim muliercularum quæ ſæpè ſibi perſuadent, & conjiciunt multa & mirabilia ex ſomniis obventura.

Sæpiùs tamen & certius ex ſomniis capiuntur conjecturæ de affectionibus corporalibus; quia immediatè ex corporis diſpoſitione oriuntur. Hoc modo ſi quis incendia per ſomnium videat, flava bile infeſtari judicatur: Si fumum, caliginem, profundas tenebrâs, videat, & alia id genus triſtia, atrâ bile: Si pluviam, nives, grandines, glacies, pituitâ vel frigido phlegmate; ſi ſomniet ſe volare, aut velociſſimè currere, ſignum eſt levis & temperatæ complexionis; ſi gravia onera ferre, aut in anguſtis locis, ubi vix ſe movere queat, verſari, ſignum eſt, vim animalem multitudine humorum gravari.

Ex ſomniis conjecturæ aliquæ à Phyſicis ſumuntur non vanè.

I. Quid de ſomnio illo, quo aliquod ſpectrum irruere & opprimere hominem videtur?

Incubus. R. Latinè, Incubus dicitur. Hoc provenit à craſſo, & tetro vapore in cerebrum irruente & vias ſpirituum animalium intercipiente; eſtque ſignum melancholici, & craſſi ſanguinis & cruditatum.

Galen. l. 3. de locis malè affectis c. 4.

I. Eſtne pariter vanum & ſuperſtitioſum geſtare amuleta brevia, reliquias, verba ſacra, preces deſcriptas, quæ à quibuſdam geſtantur ne poſſint lædi, aut ne effluat ſanguis, aut ab alios ſimiles fines?

Lethanotnomo.

R. Indubiè, ſi contineant aliquas circumſtantias parergas, tanquam neceſſarias. Omnis enim circumſtantia inutilis, ſi tanquam neceſſaria adhibetur, facit ut opus ſit ſuperſtitioſum: cùm enim illa non juvet ut cauſa; neceſſe eſt ut adhibeatur inſtar ſigni: Quod cùm non ſit à Deo, conſequens eſt, ut ad vanas obſervationes, & pacta occulta cum dæmonibus pertineat Cùm enim effectus non poſſit expectari à vi naturali illius rei; nec etiam à Deo qui talia nec per ſe, nec per Eccleſiam inſtituit; reſtat, ut à malignis ſpiritibus expectetur.

In iſtis frequenter committuntur multæ irreligioſitates & ſacrilegia ab iis, qui ſacrâ Scripturâ, Cruce, Sanctorum reliquiis abutuntur, merenturque acriter à

Confeſſarii hæc notent.

Con-

Confeſſariis objurgari. Et quamdiu voluntatem amuleta & brevia ejuſmodi, cùm circumſtantiis jam dictis geſtandi retinent, non ſunt capaces abſolutionis, eo quòd non deſerant affectum peccati. Quod diligenter notent Confeſſarii, præſertim, eorum, qui in caſtris verſantur.

Mille ſunt aliæ ejuſmodi ſuperſtitiones & vanæ obſervationes, quæ paſſim ab auctoribus notantur & magni criminis damnantur.

I. Qui ſunt iſti errones & vagi homines qui fingunt ſe multa ex manuum lineamentis conjectare poſſe & certi aliquid prædicere?

R. Sunt nebulones, qui circa annum Domini 1417. primùm per Germaniam vagari cæperunt; homines nigredine deformes, excocti ſolis calore, immundi veſte, furtis intenti; ſiquidem ejus gentis fæminæ viris ex furto neceſſaria procurant. Anus eorum chiromantiæ & divinationi intendunt, atque interim quæreutibus, quaſi oracula proloquuntur, quot pueros aut maritos ſint habituri; tali aſtu crumenas hominum timantes atque evacuantes. Non ſunt hi Ægyptii, ut vulgus commemorat, ſed eſt populus quidam germaniæ ex variis collectus otioſis hominibus, nulli non Europæ nationi oneroſus, univerſorumque fermè idiomatum non ignotus, qui jam in his, jam in illis locis furando, & fortiter mentiendo, temporalis vitæ compendia, quibus miſeram & ſordidam vitam tranſigat, ſectatur.

Errones improbi vulgò Ægyptii.

I. Debetne locorum Magiſtratus ejuſmodi errones tolerare?

R. Providè cautum eſt Caroli V. Imper. ac Philippi Regis Hiſpaniarum edictis ne ſub pœna capitis omniumque rerum hi ampliùs divagentur, ut habetur *l. 1 ordinat. Imperial. ac Regal. rubrica 1. fol. 27.*

Ligaturæ.

I. Quid ſunt ligaturæ & maleficia impedientia actum matrimonialem?

R. Sunt caſus hîc reſervati Epiſcopo Namurcenſi, nec non cenſurâ eidem etiam reſervatâ notati; & certè magna etiam ratio ſubeſt, cùm id ad magicas ſuperſtitiones pertineat.

Iſtius etiam generis ſunt potiones amatoriæ, quæ philtra dicuntur, quibus cum Valentinianus III. operam daret, hiſce artibus matronarum caſtitatem expugnaturus, miſerè periit dolo Maximi, Romæ in campo Martio ab amicis Aetii occiſus, quem æquè ipſe paulò antè interfecerat.

Exemplum. Baron. ad ann. Christi 554. & 555.

I. Sumitne aliquando Deus vindictam de iis, qui divinationibus, vanis obſervationibus, maleficiis & incautationibus magicis animum addicunt?

Exempla.

R. Ita. Vide qualiter Ochoziæ Regi ob conſultum Beelzebub Deum Accaron mortem prædixit Elias 4. Reg. 1.

Saul coarctatus ab hoſtibus Pythoniſſam conſuluit, poſtridieque ejus diei in peccatis ſuis mortuus, ſeipſum gladio ſuo peremit 1. Reg. 28.

Cùm de Ferrandi Flandrenſis fortuna Mater ejus, quæ ex Portugalia erat, ariolos & divinatores conſuleret, inſequens reſponſum habuiſſet; *Rex in prælio cadet pedibus hominum atque equorum calcatus nec ſepelietur; Ferrandus verò à Pariſienſibus jucundiſſimè excipietur.* Quo oraculo ſtolida mulier decepta, ſecus ac ſperabat pro regni diademate filius carcerem accepit. Nam in bello contra Philippum Auguſtum Francorum Regem captus, Pariſios deducitur, & in turre quam Lupatam vocant, includitur anno Domini 1211.

Robertus Gaguinus de rebus geſtis Franc.

Matrona quædam nobilis in vicinis partibus Tuſciæ, ob carnis vitium à dæmone fuit correpta: cumque antiquus ille hoſtis eam vexatione continua vehementer attereret, propinqui eam carnaliter amantes & amando proſequentes, ad obtinendum ſalutis remedium, maleficis artibus tradiderunt, ut ejus animam funditus extinguerent: cujus carni magicis artibus ad tempus prodeſſe conarentur. Ducta eſt itaque ad fluvium,

S. Greg. lib. 1. Dial. c. 10.

atque in aquam merſa, ibique diutiùs incantationibus agere malefici moliebantur, ut is qui eam invaſerat diabolus, exiret, ſed miro omnipotentis Dei judicio, in eam ſubitò legio intravit. Cœpit ex hoc illa tot motibus agitari, tot vocibus clamoribuſque perſtrepere, quot ſpiritibus tenebatur. Tunc inito conſilio parentes ſua perfidia culpam fatentes, hanc ad venerabilem virum fortunatum Tudertinæ civitatis Epiſcopum deduxerunt, eique reliquerunt. Quã ille ſuſcepta multis ſe diebus ac noctibus orationi dedit, tantoque anniſu precibus incubuit, quanto & in unico corpore contra aſſiſtere legionis aciem invenit. Quam non poſt multos dies ità ſanam, atque incolumem reddidit, ac ſi in ea jus proprium diabolus nunquam habuiſſet.

Pet.Thyr. de locis infeſt. p.1. c.19.n.10.

Sifridus Presbyter Miſnenſis adfert hiſtoriam quæ huc referri poteſt. Anno1269. ſtudioſus quidam miſerè deperibat amore puellam: cùm alia ratione non poſſet, ipſius ſibi copiam à mago per Necromantiam, datâ pecuniæ ſummâ, cupit. Hic ſe, adoleſcentemque circulo includit, ſeveriſſimè ne egrediatur, imperans. Mox ad conjurationes converſo, plurima ſe ſpecies phantaſmatum offert; tandem ipſa quoque, quæ quærebatur imago puellæ. Hic adoleſcens libidine victus, præcepti immemor, tranſgreditur fines, amatam apprehenſurus, ſed maximo ſuo malo, ſiquidem à ſpiritu nequam parieti illiſus, miſeram exhalavit animam.

LECTIO XII.

De remediis adverſùs maleficia.

I. DEclara mihi modò ſi placet aliqua remedia, quæ adverſùs maleficia poſſint adhiberi?

R. Alia ſunt naturalia, alia ſupernaturalia.

Naturalia plerumque parvam vim habent; quia diabolus facilè omnem illorum vim eludit, præſertim ſi non fuerint ſacerdotali benedictione munita, conſultum eſt tamen illa initio experiri, adhibendo ea quæ medici congrua judicabunt, Itaque ſupernaturalia ſeu Eccleſiaſtica, ſunt optima.

Remedia ſupernaturalia contra maleficia.

1. Fides.

Primum, magna fides, & fiducia in Dei protectione. Colligitur hoc clarè ex toto Pſalmo 90. *Qui habitat in adjutorio altiſſimi in protectione Dei cœli commorabitur, &c.* Exemplum vide apud Caſſian. Collat.8. c.18.& 19 Paulinum in vita D.Ambroſii, Greg.l.1. Dialog c.4.

2. Confeſſio Sacramentalis.

Secundum, integra confeſſio peccatorum: ſæpè enim ob peccata permittitur diabolo poteſtas in hominem, quibus deletis illa quoque evaneſcit, illis autem remanentibus, fruſtrà alia remedia adhibes. *Pet. Cluniac. l.1. de miraculis c.6.* de quo etiam vide *librum primum vitæ S. Bernardi c.8.* Itaque qui maleficiis infeſtantur, ſive in ſe, ſive in rebus ſuis, exhortandi ſunt ante omnia ad accuratam peccatorum confeſſionem & vitæ emendationem.

Confeſſio peccatorum præſtantiſſima adverſùs maleficia.

Tertium, ſumptio Euchariſtiæ: nulla enim conventio lucis ad tenebras, nec Chriſti ad Belial. *vide in vita S.Bernardi l.1, c.10.*

3. Communio.

D. Auguſtinus l. 22. de Civit. c. 8 ſcribit domum quandam ab infeſtatione dæmonum liberatam oblato in ea Sacrificio.

Exempla.

Palladius l.1. hiſtor. c.19. refert S. Macharium cùm ei oblata eſſet fœmina maleficio affecta, dixiſſe illud propterea vim in eam habuiſſe, quod quinque ſeptimanis à ſacra Euchariſtia abſtinuiſſet.

4. Exorciſmi.

Quartum, exorciſmi Eccleſiæ. Horum maximam eſſe vim patet, tum ex uſu quotidiano, tum quia in Eccleſia eſt ordo ſpecialiter inſtitutus à Chriſto, vel ut quidam volunt ab Apoſtolis, ad dæmones coërcendos & pellendos: tum quia preces illæ & adjurationes fiunt nomine Eccleſiæ Chriſti ſponſæ, cui Dominus dedit poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem

vir-

Digitized by Google

Luc. 10. virtutem inimici. *Vide S. Cyprianum ep. 2. 55 & 76.*

5. Aqua benedicta. *Quintum*, aqua benedicta quæ ſpecialem vim ex precibus Eccleſiæ habet ad dæmonis infeſtationes avertendas. Vide exempla *S. Marcell. apud Theodoret. l. 5. hiſtor. c. 21. S. Macharii apud Palladium l. 1. c. 19. S Bernardi l. 2. vitæ ejus c. 3.* vide ſup. lect. 6. hujus cap.

6. Reliquiæ Sanctorum. *Sextum*, Reliquiæ Sanctorum, & res aliæ ab Eccleſia benedictæ, ut Agnus Dei, cerei ſacri & ſimilia, de quibus etiam ſuprà.

7. Signum crucis. *Septimum*, ſignum crucis, cujus eſt vis maxima contra omnes diaboli machinationes. Primò quia continet tacitam invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, per meritum Paſſionis Chriſti. Secundò, quia continet totius doctrinæ Chriſtianæ conpendiariam profeſſionem, uti ſuprà lect. 4. præludiali oſtenſum eſt. Tertiò, quia crux eſt inſtrumentum, quo Chriſtus diabolum vicit, & ejus potentiam fregit, quod etiam ipſum Chriſtum crucifixum repræſentat & fidelium memoriæ objicit. Quartò, quia diabolo ingerit memoriam probri & ignominiæ, quam per crucem accepit, & timorem virtutis Chriſti.

Cap. lect. 4. prælud. De efficacia hujus ſigni adversùs dæmones exſtant infinita exempla. Vide Chryſoſt. Homil. 8. in epiſt. ad Coloſſ. Lactant. l. 4 c. 27. Cyprian. ſerm. de paſſione Domini, vitam S. Bern. c. 2. & 3. Gretz. de Cruce.

8. Invocatio nominis Ieſu. *Octavum*, invocatio nominis JESU, beatæ Virginis, Angeli cuſtodis, & aliorum Sanctorum.

9. Oratio cum jejunio. *Nonum*, oratio præſertim conjuncta jejunio. Hæc valet etiam ad peſſimum quoddam genus dæmoniorum expellendum, ut patet Matth. 17. Vide Greg. l. 3 Dial. c. 33. & Pallad. l. 3. hiſtor.

Qui plura ſupradictorum exempla deſiderat, conſulat Delrio. l. 6. c. 2.

LECTIO XIII.

De cultu & invocatione Sanctorum.

I. Suntne audiendi ſectarii moderni, qui poſt veteres hæreticos ſanctorum Angelorum, beatorumque hominum venerationem ſuperſtitioſam eſſe, & huic primo præcepto Decalogi adverſari contendunt?

R. Minimè, falluntur, & ſimplices fallere conantur: ut igitur eorum fraudes clarius detegamus.

Nota primò, honor, cultus, & veneratio perſonæ ob excellentiam debetur.

Nota ſecundò; tres ſunt excellentiæ ſpecies, prima, eſt excellentia divina & infinita, cui ſummus honos & cultus latriæ, Deo proprius reſpondet. *Cultus latriæ.* Secunda, eſt excellentia creaturæ rationalis, in naturalibus virtutibus, ſcientia, miniſterii, gradibus & hujuſmodi conſtituta. *Civilis.* Huic obſervantia civilis reſpondet pro excellentiæ varietate diverſa. Tertia, excellentia, eſt gratiæ & gloriæ, donorumque ſupernaturalium. In qua primum locum obtinet Chriſti humanitas propter unionem ad verbum. Deindè beata Virgo Maria Mater Chriſti, huic Chriſti, & beatæ Virginis excellentiæ, hiperduliæ cultus à Theologis aſſignatur; *Hiperdulia.* ſanctis verò Dei amicis & familiaribus gratiâ & gloriâ ſublimatis, duliæ cultus. Quemadmodum ergò non univocè, ſed per analogiam excellentia Deo & creaturæ tribuitur, ita & reſpondens ei cultus. *Dulia.*

Verùm objiciunt hæretici, *Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies.* Matt. 4. Deut. 6.

Omninò, reſpondent Catholici, adoratione & latriæ cultu, qui eſt, quædam ſumma voluntatis ſubmiſſio, cum apprehenſione Dei, rerum omnium principii primi & finis ultimi; adeoque ſummi boni; qualis adoratio indubiè ſoli Deo convenit. Dixi; *quædam ſumma voluntatis ſubmiſſio, cum apprehenſione, &c.* Nam quantùm ad exteriores hono-

ris & venerationis actus, omnes excepto ſacrificio, cultui Dei & creaturæ communes ſunt. Hinc Abraham Deum adoravit & Angelos; & quia eiſdem vocabulis latinis, cultus Dei & creaturæ ſignificatur, hinc Scripturæ, Eccleſiaſticique Scriptores, nomen adorationis & religionis, cultûs, honoris, gloriæ, ſervitutis, nunc attribuunt creaturis, nunc adimunt, prout variè accipiuntur.

Gen. 17. & 18.

Age verò, ſi Deus ipſe optimus, maximus, Sanctos honorat, *ſi quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus qui in cœlis eſt*; quidni nos cultum & venerationem eis debitam ſecundùm rationem excellentiæ prædictæ non attribuamus? alioquin vates mendax dicendus foret S. Propheta David qui dixit: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.*

Matt. 25.

Pſ. 138.

I. Rectène Catholici faciunt qui Sanctos invocant?

R. Planè. Vult enim Concilium Trid. ut Epiſcopi & cæteri docendi munus ſuſtinentes, fideles diligenter inſtruant, docentes *Sanctos unà cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus offerre, bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere, illos verò qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos eſſe, aut qui aſſerunt vel illos pro hominibus non orare: vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei; adverſarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti, vel ſtultum eſſe in cœlo regnantibus voce vel mente ſupplicare, impiè ſentire, omninoque damnandos eſſe, prout eos jam pridem damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.*

Conc. Trid. ſſ. 25. decret. de Invocat. & vener. reliq. Sanctorum.

Hæreſeos damnantur qui SS invocationem non admittunt.

I. Habeſne exempla è Sacris Litteris petita ad hanc doctrinam de Sanctorum invocatione comprobandam?

R. Habeo. Benedicens Jacob filiis Joſeph, ait: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac.* Et cùm filii Iſraël vitulum aureum adoraſſent, Moyſes oravit Dominum Deum dicens; *Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum, dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum, &c. Placatus eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adverſùs populum ſuum.*

Exempla.

Gen. 48.

Exod. 32.

Similiter Pſalmo 131. libri 3. Reg. c. 15. & l. 2. Paralip. c. 6. Dan. 3. & alibi.

Divus Apoſtolus certior factus de morte, promittit ſe fore memorem Chriſtianorum poſt deceſſum apud Deum. Undè patet S. Petrum & Sanctos vitâ functos curare res mortalium, ideoque eſſe invocandos, vide Tob. 12. ubi Angelus dicit: *quando orabas cum lachrymis & ſepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Similiter Zachariæ 1. Orat. Angelus Deum pro populo Iſraël.

2. Pet. 1.

I. At neſciunt Sancti res noſtras (inquiunt Hæretici) igitur fruſtrâ invocantur?

R. Animæ corporibus exutæ ſecundùm naturalem cognitionem (inquit S. Thom. 1. p. q. 89. a. 8.) neſciunt quæ hic aguntur; ſed Beatis (inquit idem 2. 2. q. 83. a. 4. ad 2.) ut Greg. dicit in 12. moral. in verbo tanquam in ſpeculo manifeſtatur illud, quod decet eos cognoſcere de his quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maximè autem excellentiam eorum decet, ut cognoſcant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde. Et ſic petitiones quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtante cognoſcunt. Alii dicunt ſupernaturali ratione & divina revelatione, Angelorum miniſterio facta, cognoſcere quæ circa nos fiunt.

Sancti res noſtras cognoſcant qualiter.

Cyril. catech. 16.

Augl. de cura pro mortuis c. 15. & alibi.

I. Habeſne exempla è Scriptura, quibus id comprobes?

R. Habeo. l. 2. Machab. c. 15. legitur Hie-

Hieremias Propheta non ſolùm multùm oraſſe pro populo, verùm etiam Judæ gladium porrexiſſe, quo adverſarios proſterneret. Sanè ſi Hieremias diem conflictus ignoraſſet, rerumque gerendarum ſeries ipſum latuiſſet, gladium futuræ victoriæ quomodò procuraſſet;

Exempla. Eliſeus quoque abſens, Giezi peccatum tanquam præſens cognovit 4. Reg. 5.

Sanctus Petrus fraudem Ananiæ & Saphitæ uxoris Act. 5.

S. Benedictus ſimulationem Totilæ, & alia de quibus Greg. l. 2. Dial. c. 14. & 15.

Item Luc. 15. gaudium eſſe dicitur Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, habent ergò Angeli peccatorum notitiam, & eorum reſipiſcentiam non ignorant, ut gaudere valeant.

Luc. 16. Et c. 16. Abraham cognovit ſtatum Epulonis, & vitam quam in mundo in delitiis duxerat, ſimiliter & Lazari ærumnis quas in ſæculo toleraverat; dicit enim: *fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Epulo quoque recordabatur in tormentis quinque fratrum ſuorum.

Præfatio Eccleſiæ. His conſentanea eſt Gelaſii præfatio *diſt. 1. c. invenimus*, quam Eccleſia adſcripſit Apoſtolis: *Æquum eſt & ſalutare te Domine ſuppliciter exorare, ut gregem tuum Paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continuâ protectione cuſtodias, ut iiſdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios, eidem contuliſti præeſſe Paſtores.* Gubernare certè & protegere gregem, cui conſtituti ſunt Vicarii & Paſtores, nequeunt, niſi negotiorum talis gregis aliqualem cognitionem habeant.

Mediator alius eſt principalis & primarius. I. Rurſum dicunt Hæretici, unum eſſe Mediatorem Chriſtum Dominum, per quem acceſſum habemus ad Patrem;

R. Solus Chriſtus Deus homo Mediator eſt principalis, immediatus & primarius; accedit nam ſolus Chriſtus immediatè per ſeipſum ad Patrem, & orat pro omnibus; nobiſque gratiam depoſcit, quaſi ex jure meritorum ſuorum. Vide S. Aug. l. 9. de Civit. c. 15. & Interpretes ad c. 2. prioris ad Timot.

Secundò, ſolus Chriſtus Deus homo exercuit opera Mediatoris, ſeu redemptionis noſtræ in humanitate, à ſe aſſumptâ, ita ut *principium quod* (uti Scholaſtici loquuntur) talium operum ſit Deus, ſeu hic homo qui Deus eſt, *principium quo*, ſit humanitas utpotè in qua, per quam perfecta ſunt hæc omnia opera, puta omnes actiones & paſſiones Mediatoris, & hoc eſt quod Paulus diſertè ait: *Unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* 1. Tim. 2. Sancti ſunt mediatores minus principales, miniſteriales ſcilicet, mediati & ſecundarii, ut ait Cyrillus l. 12. theſauri c. 10. Undè ipſi orant pro nobis non ex jure aut meritis ſuis, quaſi nobis gratiam aliquam ipſi meruerint, eamque nobis quaſi ex debito poſtulent, ſed orant per Chriſtum, Chriſtique meritis innixi, ſuntque mediatores ad mediatorem Græcè μεσίτης, hoc eſt. mediator dicitur quicumque quâvis ratione inter duos diſſidentes medium ſe interponit. *Alius minus principalis & ſecundarius.* Sic Moyſes vocatur medius & mediator inter Deum & populum. Deut. 4. 5. & Gal. 3. Et hoc ſenſu Sanctos pro nobis orantes, mediatores vocat Nazianz. *in orat. ad Greg. Niſſen.* Hieron. *in c. 2. Malach.* Chryſ. *hom. 6. de ſacerd.* Cyrillus *l. 12. theſauri c. 10.* Greg. *l. 1. epiſt. 24. & alii.* *S. Ber. in illud Apoc. 12. Signum magnum apparuit in cœlo.*

I. Videtur hæc doctrina quam tradis de invocatione Sanctorum uti mediatorum & interceſſorum minuere & obſcurare gloriam unius Mediatoris & Redemptoris Jeſu Chriſti?

R. Minimè. Si enim dum viventes in carne, à viventibus ad intercedendum apud Deum interpellantur, non minuunt gloriam Chriſti Mediatoris; cur ejus periculum erit, cum Beati & in cœlo cum Chriſto regnantes à militantibus in terra invocantur.

Secundò. Doctrina iſta maximè illu-

ris & venerationis actus, omnes excepto ſacrificio, cultui Dei & creaturæ communes ſunt. Hinc Abraham Deum adoravit & Angelos; & quia eiſdem vocabulis latinis, cultus Dei & creaturæ ſignificatur, hinc Scripturæ, Eccleſiaſticique Scriptores, nomen adorationis & religionis, cultûs, honoris, gloriæ, ſervitutis, nunc attribuunt creaturis, nunc adimunt, prout variè accipiuntur. *Gen. 17. & 18.*

Age verò, ſi Deus ipſe optimus, maximus, Sanctos honorat, *ſi quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus qui in cœlis eſt*; quidni nos cultum & venerationem eis debitam ſecundùm rationem excellentiæ prædictæ non attribuamus? alioquin vates mendax dicendus foret S. Propheta David qui dixit: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* *Matt. 25.* *Pſ. 138.*

I. Rectène Catholici faciunt qui Sanctos invocant?

R. Planè. Vult enim Concilium Trid. ut Epiſcopi & cæteri docendi munus ſuſtinentes, fideles diligenter inſtruant, docentes *Sanctos unà cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus offerre, bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere, illos verò qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos eſſe, aut qui aſſerunt vel illos pro hominibus non orare: vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei; adverſarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti, vel ſtultum eſſe in cœlo regnantibus voce vel mente ſupplicare, impiè ſentire, omninoque damnandos eſſe, prout eos jam pridem damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.*

Conc. Trid. ſeſſ. 25 decret. de Invocat. & vener. reliq Sanctorum.

Hæreſeos damnantur qui SS invocationem non admittunt.

I. Habeſne exempla è Sacris Litteris petita ad hanc doctrinam de Sanctorum invocatione comprobandam?

R. Habeo. Benedicens Jacob filiis Joſeph, ait: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac.* Et cùm filii Iſraël vitulum aureum adoraſſent, Moyſes oravit Dominum Deum dicens; *Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum, dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum, &c. Placatus eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adverſùs populum ſuum.* **Exempla.** Gen. 48. Exod. 32.

Similiter Pſalmo 131. libri 3. Reg. c. 15. & l. 2. Paralip. c. 6. Dan. 3. & alibi.

Divus Apoſtolus certior factus de morte, promittit ſe fore memorem Chriſtianorum poſt deceſſum apud Deum. Undè patet S. Petrum & Sanctos vitâ functos curare res mortalium, ideoque eſſe invocandos, vide Tob. 12. ubi Angelus dicit: *quando orabas cum lachrymis & ſepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Similiter Zachariæ 1. Orat. Angelus Deum pro populo Iſraël. 2. Pet. 1.

I. At neſciunt Sancti res noſtras (inquiunt Hæretici) igitur fruſtrà invocantur?

R. Animæ corporibus exutæ ſecundùm naturalem cognitionem (inquit S. Thom. 1. p. q. 89. a. 8.) neſciunt quæ hic aguntur; ſed Beatis (inquit idem 2. 2. q. 83. a. 4. ad 2.) ut Greg. dicit in 12. moral. in verbo tanquam in ſpeculo manifeſtatur illud, quod docet eos cognoſcere de his quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maximè autem excellentiam eorum decet, ut cognoſcant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde. Et ſic petitiones quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtante cognoſcunt. Alii dicunt ſupernaturali ratione & divina revelatione, Angelorum miniſterio facta, cognoſcere quæ circa nos fiunt.

Sancti res noſtras cognoſcant qualiter.

Cyril. catech. 10.

Aug. l. de cura pro mortuis c. 15. & alibi.

I. Habeſne exempla è Scriptura, quibus id comprobes?

R. Habeo. l. 2. Machab. c. 15. legitur Hie-

Hieremias Propheta non ſolùm multùm oraſſe pro populo, verùm etiam Judæ gladium porrexiſſe, quo adverſarios proſterneret. Sanè ſi Hieremias diem conſtitutus ignoraſſet, rerumque gerendarum ſeries ipſum latuiſſet, gladium futuræ victoriæ quomodò procuraſſet;

Exempla.

Eliſeus quoque abſens, Giezi peccatum tanquam præſens cognovit 4. Reg. 5.

Sanctus Petrus fraudem Ananiæ & Saphiræ uxoris Act. 5.

S. Benedictus ſimulationem Totilæ, & alia de quibus Greg l. 2. Dial c. 14. & 15.

Item Luc. 15. gaudium eſſe dicitur Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, habent ergò Angeli peccatorum notitiam, & eorum reſipiſcentiam non ignorant, ut gaudere valeant.

Luc. 16.

Et c. 16. Abraham cognovit ſtatum Epulonis, & vitam quam in mundo in deliciis duxerat, ſimiliter & Lazari ærumnis quas in ſæculo toleraverat; dicit enim: *fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Epulo quoque recordabatur in tormentis quinque fratrum ſuorum.

Præfatio Eccleſiæ.

His conſentanea eſt Gelaſii præfatio *diſt. 1. c. invenimus*, quam Eccleſia adſcripſit Apoſtolis: *Æquum eſt & ſalutare te Domine ſuppliciter exorare, ut gregem tuum Paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut iiſdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios, eidem contuliſti præeſſe Paſtores.* Gubernare certè & protegere gregem, cui conſtituti ſunt Vicarii & Paſtores, nequeunt, niſi negotiorum talis gregis aliqualem cognitionem habeant.

Mediator alius eſt principalis & primarius.

I. Rurſum dicunt Hæretici, unum eſſe Mediatorem Chriſtum Dominum, per quem acceſſum habemus ad Patrem;

R. Solus Chriſtus Deus homo Mediator eſt principalis, immediatus & primarius; accedit nam ſolus Chriſtus immediatè per ſeipſum ad Patrem, & orat pro omnibus; nobiſque gratiam depoſcit, quaſi ex jure meritorum ſuorum. Vide S. Aug. l. 9. de Civit. c. 15. & Interpretes ad c. 2. prioris ad Timot.

Secundò, ſolus Chriſtus Deus homo exercuit opera Mediatoris, ſeu redemptionis noſtræ in humanitate à ſe aſſumptâ, ita ut *principium quod* (uti Scholaſtici loquuntur) talium operum ſit Deus, ſeu hic homo qui Deus eſt, *principium quo*, ſit humanitas utpote in qua, per quam perfecta ſunt hæc omnia opera, puta omnes actiones & paſſiones Mediatoris, & hoc eſt quod Paulus disertè ait: *Unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Sancti ſunt mediatores minus principales, miniſteriales ſcilicet, mediati & ſecundarii, ut ait Cyrillus l. 12. theſauri c. 10. Undè ipſi orant pro nobis non ex jure aut meritis ſuis, quaſi nobis gratiam aliquam ipſi meruerint, eamque nobis quaſi ex debito poſtulent, ſed orant per Chriſtum, Chriſtique meritis innixi, ſuntque mediatores ad mediatorem Græcè μεσίτης, hoc eſt, mediator dicitur quicumque quâvis ratione inter duos diſſidentes medium ſe interponit. Sic Moyſes vocatur medius & mediator inter Deum & populum. Deut. 4. 5. & Gal. 3. Et hoc ſenſu Sanctos pro nobis orantes, mediatores vocat Nazianz. *in orat. ad Greg. Niſſen.* Hieron. *in c. 2. Malach.* Chryſ. *hom. 6. de ſacerd.* Cyrillus *l. 12. theſauri c. 10.* Greg. *l. 1. epiſt. 24. & alii.*

1. Tim. 2.

Alius minus principalis & ſecundarius.

S. Ber. in illud Apoc. 12. Signum magnum apparuit in cœlo.

I. Videtur hæc doctrina quam tradis de invocatione Sanctorum uti mediatorum & interceſſorum minuere & obſcurare gloriam unius Mediatoris & Redemptoris Jeſu Chriſti?

R. Minimè. Si enim dum viventes in carne, à viventibus ad intercedendum apud Deum interpellantur, non minuunt gloriam Chriſti Mediatoris; cur ejus periculum erit, cum Beati & in cœlo cum Chriſto regnantes à militantibus in terra invocantur.

Secundò, Doctrina iſta maximè illuſtrat

ſtrat gloriam Salvatoris & Mediatoris noſtri, qui gratiam præſtat, efficaciam tribuit & merita confert Sanctorum precibus & interceſſionibus, ut poſſint & ipſi modo jam declarato eſſe reconciliatores & mediatores hominum, virtute à Chriſto acceptâ. Certè cauſæ primæ dignitas eò magis commendatur, quod plures cauſæ ſecundæ in ejus vim agant. Et verò minimè negamus, imò veraciter pronuntiamus omne quod Sancti agunt, aut impetrant pro ſe aliiſque, hoc fieri aut obtineri per Jeſu Chriſti Mediatoris & Redemptoris merita. Adeò quod ſi Pater cœleſtis gratiam & miſericordiam hominibus Sanctorum intercedentium intuitu largiatur, id omninò non facit, niſi in gratiam Filii & ob ejus merita, quod Eccleſia Catholica non obſcurè teſtatur hunc in modum orationes ſuas concludens: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.*

Notent hæc calumniatores hæretici.

I. Valdè benè, ſed nihilominùs videtur is qui Sanctos invocat non ſentire ſicut oportet de Chriſti bonitate & miſericordiâ, ſed potiùs arguitur diffidentiæ & hæſitationis in fide circa Mediatorem & Salvatorem Jeſum quem habemus advocatum apud Patrem interpellantem pro nobis?

R. Id non poteſt dici; Nam alioqui, quomodò Apoſtolus Paulus commendaret Philemonis fidem quam habet, in Domino Jeſu, & in omnes Sanctos? Græcè εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, id eſt, in, vel, erga omnes Sanctos: uti S. Chryſoſtom. Ambroſ. & alii. Pro cujus intellectu, nota, fidem quam habemus in Dominum Jeſum eandem habemus & in omnes Sanctos; ſicut enim credimus Jeſum eſſe Meſſiam & Salvatorem, Caputque Eccleſiæ Dei, ita pariter credimus Sanctos Jeſu veros eſſe Sanctos, veramque Dei Eccleſiam; & amando ac adhærendo Sanctis, amamus, ac adhæremus Chriſto. Undè qui honorat & invocat Sanctos, nihil detrahit Chriſto, neque in ejus fide hæſitat, imò hoc ipſo honorat & invocat Chriſtum. Hinc Exod. 14. 31. dicitur: *Crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus. Hoc autem (inquit Hiero.) non ſolùm in Moyſe, ſed in omnibus Sanctis ejus eſt, ut quicumque credit Deo; aliter ejus fidem recipere nequeat, niſi credat & in Sanctos ejus: non enim eſt in Deum perfecta dilectio, & fides, quæ in miniſtros ejus odio & infidelitate tenvatur.*

Ep. ad Philemonem.

I. Habeſne exemplum appoſitum ad probandam hanc doctrinam?

R. Aptiſſimum mihi videtur Centurionis exemplum, qui vel in ſingulari illo fidei præconio, quod Dominus impertivit, ſeniores tamen Judæorum ad Salvatorem miſit, ut laboranti puero ſalutem impetrarent. Matt. 8. Luc. 7.

Exemplum.

I. Sed ſupervacaneum videtur Sanctorum patrocinium, quod Deus ſine interprete precibus noſtris occurrat?

R. Has impiorum voces facilè convincunt illa S. Auguſtini: *Multa Deum non concedere, niſi mediatoris ac deprecatoris opera & officium interceſſerit.*

q. 149. ſupe Exod. & Ier. l. 4. de S. Stephano.

I. Poſſeſne hoc illuſtribus exemplis confirmare?

R. Ita, Abimelec, & Jobi amicorum peccata non niſi Abraham & Job precibus condonavit Deus.

Gen. 20. Job. 42.

I. Tradiderunt ne veteres Eccleſiæ Patres & Doctores hanc ipſam de Sanctorum cultu & invocatione doctrinam?

Exempla.

R. Ita paſſim. Legantur potiſſimùm pro hoc argumento Hieron. cont. Vigilant. & Damaſc. l. 4. de fid. orthod. c. 26. videatur etiam Euſeb. l. 3. de præpar. Evang. c. 7. Athanaſ. in ſerm. de Annunciatione, B. Virginem ſic alloquitur: *Intercede, Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.* Similia habet Ephrem. in ſerm. de Deiparâ. S. Baſil. in oratione ad XL. Martyres: *qui aliquâ premitur anguſtiâ, ad hos confugiat, hos oret, ut à malis liberetur.* Nazian. in orat. de S. Cypriano, Athanaſio, & Baſilio, in fine invocans eos, ſic dicit: *Tu*

Digitized by Google

Tu autem è ſupernis propitius nos reſpice, & nos in pace fove, in certamine dirige, & cum teipſo ſtatue. Chryſ. hom. 66. ad Antioch. Amictum purpurâ ſtare ad ſepulchrum piſcatoris aſſerit, & ſaltu depoſito ſupplicare Sanctis, ut pro ſe apud Deum intercedant. Nyſſenus in oratione in Sanctum Theodorum: *Intercede, ait, & deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum: & ſi majore opus ſit deprecatione, Martyrum coge chorum, admone Petrum, excita Paulum, &c.*

De Theodoſio magno ſcribit Rufinus: *Circuibat cum Sacerdotibus & populo orationum loca, ante Martyrum & Apoſtolorum thecas jacebat cilicio proſtratus; & auxilia ſibi fida, Sanctorum interceſſione poſcebat, &c.* vide Aug. tract. 84. in Joan. & ſerm. 17. de verbis Apoſtoli lib. de cura pro mortuis c. 4. Vict. Utic. l. 3. de perſec. Wandal. Leo ſerm. 5. de Epiphania. Gregor. Bed. Bern. a quibus conſentiunt reliqui poſteriores ſcriptores Catholici & communis ſenſus & uſus Eccleſiæ.

I. Quidnam boni vel gratiæ præſtant Sancti iis qui invocant illos?

B. Virgo Mater misericordiæ vulgò appellata, cur?

R. Non poteſt dici quæ & quanta bona iis obveniant qui piè Sanctos colunt & invocant, ut enim modò ſuperſedeam de Dei Matre, quæ vulgò Mater miſericordiæ dicitur, quod per totum orbem nunquam deſinat ſuos pietatis & miſericordiæ dulciſſimos effectus toto ſinu effundere, nunquid, Antonii, Hilarii, Leonardi, Martini in Chriſtianiſſimo ſimul & ampliſſimo Galliarum regno mirabiles ſe exhibuerunt in curationibus ægrotorum, in carceratorum liberatione, aliiſque omnis generis meritis quibus eos Deus donaverat, ut toti mundo tanquam ipſius amici & familiares clareſcerent? Sanè quid non ſoſpitatis accepit totus orbis ex SS. Apoſtolorum Petri & Pauli patrocinio, ex S. Protomartyris Stephani ſuffragiis, ex Beati Confeſſoris Nicolai magni meritis? Lege ſi placet Sanctorum vitas, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, S. Agnetis, S. Agathæ, S. Alexii, S. Dominici, S. Franciſci Xaverii, &c. Et quid ſibi volunt magnifica templa in Sanctorum honorem ædificata & dedicata, quid capellæ, quid oratoria, peregrinationes, vota, imagines, quid inquam, nobis innuunt niſi virtutem & poteſtatem, quàm Sancti à Deo acceperunt ad populos paſſim ſe invocantes beneficiis & gratiis cumulandos, prout à parte rei cumulare nunquam ceſſant.

Sancti invocantibus ſe multa beneficia præſtant.

I. Si habes ad manum affer mihi ſelecta duo exempla, quorum altero cultum & venerationem comprobes; altero eorundem piè & religiosè invocatorum auxilia & opitulationes.

Exempla.

R. Jam plura hactenùs conglobavimus? non pigebit interim, etiam duo, ut petis adjicere. Accipe ergò primum: Temporibus ſextæ Synodi univerſalis quæ Conſtantinopoli ab Agathone celebrata eſt, exorta eſt graviſſima peſtis, ac menſibus Julio, Auguſto, Septembri; tantaque fuit multitudo morientium, ut etiam parentes cum filiis, atque fratres cum ſororibus bini per feretra poſiti, apud urbem Romam ad ſepulchra ducerentur. Pari etiam modo hæc peſtilentia Ticinum depopulata eſt: ità ut cunctis civibus per juga montium, aut per deſerta loca fugientibus, in foro & plateis civitatis, herbæ & frutices naſcerentur: Tuncque viſibiliter apparuit, quod malus & bonus Angelus, qui videbatur venabulum in manu ferre, quoties venabulo illo oſtium cujuſque domûs percuſſiſſet, tot eâ de domo ſequenti die homines interirent. Tunc cuidam per revelationem dictum eſt quod peſtis illa non quieſceret, quàm in Baſilica B. Petri, quæ ad vincula dicitur, S. Sebaſtiani Martyris altarium poneretur, factumque eſt ut delatis ad urbem S. Sebaſtiani Martyris reliquiis, mox ut etiam in dicta Eccleſia altarium conſtitutum eſt, peſtis ipſa quieverit.

Paul. Diac. l. 7. de geſtis Longobard. c. 4. Carol. et Sigon. l. 3. de regno Ital. anno Dom. 682.

Qqq 3 Secun-

Greg. Turon. l. 4. mirac. S. Martini c. 46.

Secundum. Quondam apud Burdegalenſem urbem, domus una ignibus comprehenſa vehementer ignibus exuri cœpit. Cùmque flammis hinc & indè ſpatiantibus, aliæ domus huic diſcrimini ſubjacerent, congregatus in circuitu populus, nomen B. Martini cœpit attentiùs invocare; & ne vicinas domos virtus ejus exuri permitteret, cum lacrymis deprecari; ſicque ad elevatam vocem deflentium, cœpit crepitus flammæ diſcedere. Atque illis clamantibus ad cœlum, advenit ſubitò, Antiſtite impartiente, præſidium: colliſumque ſupplici oratione incendium reſtrinxit plebs per lacrymas, quod nequiverat ſuperare per undas.

I. Acceditne Sanctis aliquid honoris aut emolumenti cultu & veneratione fidelium?

R. Accedit, nimirùm incrementum gloriæ eorum accidentalis.

I. Qui Sanctos injuriâ afficiunt, aut iis detrahunt, caſtiganturne interdùm divinitùs?

Ex Paulino in vit. S. Ambroſii. Baron. to. 5. an. Dom. 397.

R. Ita, etiam in hoc ſæculo. Donatus quidam natione Afer, Presbyter tamen Eccleſiæ Mediolanenſis, cùm in convivio poſitus, in quo erant nonnulli militares Religioſi, detraheret memoriæ ſanctiſſimi Sacerdotis Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi; aſpernantibus illis, & deferentibus linguam nequam, ſubitò gravi vulnere percuſſus eſt, & de eodem loco in quo jacebat, alienis manibus ſublevatus, in lectulum poſitus eſt, atque in ſepulchrum uſque perductus.

S. Bonav. in vit. ejus l. de mirac. Sur. to. 5.

Miles quidam in Provincia Maſſæ B. Franciſci operibus, & miraculorum ſignis impudentiſſimè detrahebat. Inferebat multa opprobria peregrinis ad ipſius memoriam venientibus, & contra fratres publicâ garriebat inſaniâ. Cùm autem ſemel ſancti Dei gloriam impugnaret, addit ſuper peccata ſua blaſphemiam deteſtandam. Si verum eſt, inquit, quod Franciſcus iſte ſit Sanctus, gladio cadat hodiè corpus meum, ſi verò Sanctus non eſt, evadam incolumis; non diſtulit ira Dei condignum inferre ſupplicium, cùm jam facta fuiſſet oratio in peccatum. Morâ enim modicâ interjectâ, dum blaſphemus nepoti ſuo inferret injuriam, accepit ille gladium, & Patrui viſceribus cruentavit. Eodem die mortuus eſt ſceleratus, inferni mancipium & filius tenebrarum, ut cæteri diſcerent miranda Franciſci opera, non blaſphematoriis verbis impetere, ſed devotis laudibus honorare.

I. Quibus modis Sanctos colit & veneratur Sancta Dei Eccleſia?

R. Primò quidem interiori reverentiâ & obſervatione, qualis decet Dei amicos & domeſticos. Secundò, exteriorem cultum defert eorum nominibus, imaginibus, ſepulchris, Eccleſiis, altaribus, reliquiis, &c. Tertiò, eorum implorat ſuffragia. Quartò, feſta Sanctorum obſervat, eorum vitam benè beatèque actam, miracula, &c. populo enarrat. Quintò virtutes eorum imitari ſtudet, vitamque ad eorum normam componere.

CONTROVERSIA.

De Sanctorum invocatione.

QUæſtio movetur, An Sanctos in cœlo regnantes licitum ſit invocare his aut ſimilibus modis: *Sancta Maria, Ora pro nobis, Sancte Petre, ora pro nobis. Omnes Sancti intercedite pro nobis.*

Affirmant Catholici 1. Quia veteres Eccleſiæ Patres ejus nobis exemplum dederunt, uti in lectione declaravimus.

2. Accedit conſuetudo ab Apoſtolis accepta, & in Eccleſia Dei perpetuò retenta & conſervata.

3. Sancti frequenter miraculis comprobarunt ſe viventium preces audire,

Digitized by Google

ac poſſe & velle illos adjuvare, à quibus invocantur. Vide Theodoret. lib. 5. cap 4. & lib 8 ad Græcos. Ambroſ. ſerm. 60. Auguſtin. lib. 22 de Civitat. & alibi. Gregor lib. 3. Dialog. cap. 22. Gregor. Turon. in libris de gloria Martyrum, denique omnes omnium ſæculorum hiſtoricos.

Vide Apoſtolum Rom. 15. Epheſ 6. 1. Theſſ. 5. 2. Theſſ. 3. Coloſſ. 4. Heb. 13.

4. Probatur idem Catholicorum uſus auctoritate Nicæni Concilii II. Gangrenſis c 20. Tridentini Seſſ 25. Denique ſi adhuc viventes in carne à viventibus rectè ad intercedendum apud Deum interpellantur; cur non potiùs jam Beati à miſeris, regnantes in cœlo à militantibus in terra, invocari poterunt.

Hæretici, qui pro more omnem antiquitatem ſpernunt, unanimem Eccleſiæ conſenſum exſibilant, pietatis, religioniſque officia apud imperitam plebem traducunt, hîc multa objiciunt.

1. Sanctorum invocatio pugnat cum primo Decalogi præcepto, ubi dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies.*

2. Unus eſt, inquiunt, Dei & hominum mediator, homo Chriſtus Jeſus.

3. Invocare Sanctos eſt hæſitare in fide, quia Catholici ſive Romani diffidunt & non ſentiunt uti oportet de Dei & Chriſti bonitate & miſericordiâ.

4. Inanis, ſupervacanea & inefficax eſt hæc Sanctorum invocatio, cùm illi res noſtras ignorent, adeòq; exaudire nos non poſſint.

Verùm non valent quidquam hæc argumenta. Nam tria illa quæ primum locum obtinent, facilè hoc diſcurſu diluuntur. Etenim ſi Apoſtolus pluribus illis locis in margine proximè notatis viventium expetens preces, nihil peccat contra primum præceptum; ſi Chriſto mediatori principali nullam facit injuriam; & ſi per hoc nullatenus in fide hæſitat; verbo, ſi non eſt in ejus facto aliquid dignum reprehenſione; quid tantoperè obganniunt Hæretici contra modum agendi Catholicorum, qui pari fide inſtructi interpellant Sanctos in cœlo regnantes? Si enim iſta conſequentia bona eſt & ſolida: Deus vult ſolus adorari & ſibi ſoli ſerviri, ergò Sancti in cœlo beati non poſſunt invocari; Cur non ſit æque bona & ſolida iſta: Deus ſolus vult adorari, ergò non ſunt invocandi Sancti adhuc in terra peregrinantes? Nam vox iſta (ſolus) cum dicis, Deus ſolus vult adorari, æquè excludit Sanctos qui adhuc in terris verſantur, quàm Sanctos in cœlo exiſtentes. Rurſum, ſi conſequentia iſta valet: Chriſtus Jeſus eſt unus ſolus mediator; Ergò Catholici perperam invocant Sanctos in cælo triumphantes; Similiter valebit illa: Solus Chriſtus Jeſus eſt mediator, ergò perperam & malè egit S. Paulus qui vivorum in terris degentium preces & ſuffragia exoravit. Poſtremò, ſi benè ſequitur: Catholici ſanctos cœlicolas invocant. Ergo diffidunt ſibi de bonitate Dei, & Chriſti meritis; Similiter benè ſequetur: S. Paulus implorat Sanctorum adhuc in terris ſuffragia. Ergo hæſitat in fide & confidentiâ de miſericordiâ Dei & efficaciâ meritorum Chriſti Jeſu mediatoris. Verùm plus ſatis ſuprà declarata eſt imbecillitas ejuſmodi objectionum in lectione præcedenti.

Ad 4. objectionem etiam ibi reſpondimus, & qualiter Sancti res noſtras cognoſcant, expoſuimus. Solùm hic addam adverſarios valdè ineptè probare ſuas aſſertiones: *Homo mortuus* (inquiunt ex Job 14.) *ſibi nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, neſciet.* Et: *Viventes ſciunt ſe morituros, mortui verò nihil noverunt ampliùs.* Et rurſùm: *Abraham neſcivit nos, & Iſraël ignoravit nos.* Hæ enim allegationes ut ſummum id efficiunt, non invocandos eſſe Patriarchas aut Sanctos degentes in Limbo, de quo hic non agimus; neſciebant enim illi viventes in mundo, neque res eorum curabant, quia in obſcuro Patrum Limbo degebant, Eccl. 9. Iſai. 63.

bant,

Digitized by Google

bant, quos inter & viventes magnum chaos firmatum erat, teſte Abrahamo. Luc.16. Tantumdem ergò valent iſta argumenta ac ſi dicatur: Qui in imo carcere turris Londinenſis captivi tenentur, neſciunt quid in iſta civitate agatur, ergo neque aulici, qui in Regis Palatio verſantur. Enim verò Sancti novi teſtamenti, qui cum Chriſto triumphant in cœlis, Deo revelante, noſtras preces audiunt & cognoſcunt, noſque & noſtram ſalutem amant; quandoquidem charitas nunquam excidit, ſed magis in cœlo perficitur. Perperam igitur Hæretici hunc locum torquent contra invocationem Sanctorum. Eſto enim Patrum animæ in Limbo orarent pro poſteris, tamen preces & afflictiones ſuorum audire non poterant, quocirca fruſtra poſterorum opem imploraſſent. Ad Deum ergò recurrere, eumque invocare debebant, uti in præcitato loco dixit Propheta. Neque juvat Hagiomachos, quod S. Auguſtinus l. de cura pro mortuis c.13. ex hac Iſaiæ ſententia, probet Sanctos etiamnum neſcire res noſtras; nam reſpondemus S. Auguſtinum hunc æquè ac Iſaiæ locum intelligere de naturali vi rationis, ſeu de naturali modo cognoſcendi, quod ſcilicet animæ beatorum per ſuas vires luminis naturalis, perque aciem ſui intellectûs, naturaliter non cognoſcant res noſtras: quoad naturam enim & naturæ vires, pares ſunt animabus olim in Limbo exiſtentibus. Id ita intelligere Auguſtinum patet ex probationibus quas affert tribus ſequentibus capitibus. Undè Calvinus ingenuè fatetur ex iſtis Iſaiæ verbis nihil poſſe confici contra Sanctorum invocationem. *Sup. lect. præcedenti.*

LECTIO XIV.

De Sanctorum Reliquiis.

Pium eſt & religioſum ſacras reliquias colere. I. Eſtne ſuperſtitioſum ſepulchra, & reliquias Chriſti, Martyrum, aliorumque Sanctorum venerari, ornare, & colere?

R. Minimè, eſt verò id valdè pium & religioſum.

I. Eſtne etiam ejuſmodi pietas & religio antiqua?

R. Planè. Nam in exitu Iſraël de Ægypto, Moyſes aſportanda curavit oſſa Joſeph, uti Patriarcha moriturus filiis ſuis præceperat. Exod. 5. Gen. 50. Exempli 1. 4. Reg. 23.

Cùm Rex Joſias deleviſſet aruſpices, deſtruxiſſet idola, contaminaſſet quoque Tophet in convalle filii Ennon, & contriviſſet ſtatuas, ſuccendiſſetque lucos, converſus vidit ibi ſepulchra, quæ erant in monte: miſitque & tulit oſſa de ſepulcris, & combuſſit ea ſuper altare, &c. ſepulchro hominis Dei qui venerat de Juda dimiſſo intacto, cum oſſibus Prophetæ qui venerat de Samaria.

Vide quæ de Reliquiis S. Joannis ſcribit Baron. *to. 4. ad annum Domini* 362 & rurſùm de reliquiis S. Pauli *tom. 8. ad an.* 594. *V. eundem in Notis ad Martyrol. Ro. ad diem 9. Maii.*

Cùm Imperator Arcadius introduceret ſacras Prophetæ Samuëlis reliquias Conſtantinopolim, tanta adfuit hominum undequaque concurrentium multitudo, ut creditum fuiſſet non ad mortuum ſed ad viventem Prophetam videndum concurriſſe. *Sigebert. in chronic. anni* 406.

Conſtantinus magnus Baſilicam ingentem magnis ſumptibus exſtruendam curavit, in qua SS. Apoſtolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei ſacra oſſa ſolemniter intulit. *S. Hieron. contra Vigilant.*

Quomodo pari pietate prædictas reliquias Juſtinianus Imp. thecis argenteis exornarit, & ad altaris majoris vicinum latus repoſuerit, habes apud Sur. to. 5. 18. Octob.

Placet etiam hic adſcribere Imperatoris Leonis hujus argumenti editam legem: *Decernimus*, inquit, *ne quiſquam in ædes publicas, vel alia loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem & SS. Martyrum reliquias, illicitè* *Lib. 1. Cod. L. 26. c. decernimus tit. 6.*

Digitized by Google

ut inferre conetur, ſed in religioſa æde, conſultu tamen prius, ut oportet, religioſiſſimis Epiſcopis. Vide Conc. Trid Seſſ. 25 de invoc venerat. & Reliquiis Sanctorum, & ſacr Imag.

Prætactis omnibus iſtis piiſſimorum Imperatorum exemplis nihil minus præſtitit æternæ memoriæ glorioſiſſimus Rex noſter Philippus II. Hiſpaniarum & Indiarum Monarcha potentiſſimus, qui in *Anno 1565.* B Eugenii Martyris ex Galliis ad ſedem ſuam Toletanam translatione regios humeros ſacræ ſarcinæ lætabundus & ovans ſuppoſuit, uti refert & laudat Baron. *in notis ad Martyrol. ad diem 15. Novemb.*

I. Quare oſſa, cineres, & reliquias Sanctorum colimus & veneramur, quæ ſpecietenus tam viles ſunt & contemptibiles?

R. Hoc ideò facimus, quia reliquiæ ſunt eorum qui ob ſanctitatem ſuam præcipuâ veneratione digni ſunt, & quibus illæ reliquiæ ad comparandam ipſam ſanctitatem plurimùm olim adjumenti contulerunt Adde, quod divinæ Majeſtati placuit, per ejuſmodi ſacra pignora frequentiſſimè operari miracula, uti comprobant omnes omnium temporum hiſtoriæ.

Sanctis reliquias ſacras magni æſtimarunt. I. Quiſnam è Sanctis magni æſtimavit reliquias ſacras, ex cauſis proximè per te allegatis?

R. Auctor vitæ S. Bernardi narrat, ipſum reliquias S. Judæ Apoſtoli Hieroſolymis ad ſe miſſas mirâ devotione excepiſſe, adeoque moriturum juſſiſſe eas ſecum ſepeliri, & pectori ſuo ſuperponi, eò utique fidei & devotionis intuitu (ait auctor vitæ) ut eidem Apoſtolo in die communis reſurrectionis adhæreret. *Exempla. L. 5. c. 2.*

L. 4. vit. ejus c. 4. n. 17. & 18. S. Franciſcus Borgia tertius ab Ignatio Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis Sanctorum reliquias imagineſque religioſè venerabatur, ſplendideque adornari curabat, affirmans nuſquam gemmas, aurum, & argentum dignius impendi, veritique, quàm in auctoris Dei, Sanctorumque cultum. Cùm manibus eas tractaret, ſummâ animi voluptate in has voces erumpebat: *Salvete pignora nobis in hoc exilio, lacrymarumque valle degentibus à Deo relicta atque depoſita: ſalvete ſalutis noſtra ſpes, atque ſolatium. Erit, erit dies illa, cùm decorem induti ô cineres, hoſpites beati æternâ illâ luce perfruemini, & animæ veſtra ſole candidiores, thronuſque veſter ſupra firmamentum clareſcens.*

Tripartita hiſtoria l. 11. c. 7 & Nicephorus l. 4. c. 3 commemorant piiſſimum Theodoſium (cujus Regalia Monaſterii ſpecimen præ ſe ferebant) indumentum ſordidum & detritum Epiſcopi Hebronenſis defuncti induiſſe, credens ſe aliquid ex defuncti ſanctitate poſſe promereri. B. Antonius, S. Pauli Eremitæ mortui tunicam ſibi vendicavit, quam in ſportarum modum de palmæ foliis ipſe Paulus ſibi contexuerat, diebuſque ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes ſemper ea uſus eſt Antonius. De his reliquiis & beati ſenis exuviis, audi, quanto affectu ſcribat S. Hieronimus: *Obſecro quicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris, cui ſi Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quàm Regum purpuram cum pœnis ſuis* *In vit. Pauli Eremitæ.*

Sanctus Ambroſius pluris æſtimat clavos quibus confixus fuit S. Agricola, quàm auri argentive opulentiſſimos theſauros. *L. ad Virg.*

I. Affecitne Deus variis beneficiis eos qui ſacras reliquias venerati ſunt.

R. Ita, nam earum virtute profligantur dæmones. Metaphraſtes *in vita S. Cyri & Ioannis 31 Ianuarii.* Vide Baron. *in notis ad Martyrol Rom. die 24. Ian* Ubi de reliquiis magni Babylæ Epiſcopi Antiocheni. 1. *Sacrarũ Reliquiarum virtutes.*

Dæmoniaci liberantur. S. *Aug. l. 22. de Civit c. 8. de reliquiis SS. Gervaſii & Protaſii.* 2.

Cæci viſum recuperant. Paulinus in 3.

ta S. Ambroſii ſub finem. Baron. to. 5 anno Domini 400. Bed. l. 1. hiſtor. Angl. c. 18.

4. Muti loquelam Baron. *to. 11. anno Domini* 1054.

5. Curvi & manci membrorum erectionem & reſtitutionem. *Baron. eod. to. an.* 1086.

6. Morbi, peſtes, aëres infectio ceſſant ad ſacrarum reliquiarum circumgeſtationem. Gregor. Turon. *de gloria Confeſſ. c.* 76.

7. Mortui ſuſcitantur. l. 4 Reg. c. 13 *S. Aug l. 22 de Civit. c. 8. ubi de reliquiis S. Stephani Protomartyris.*

8. Maris tempeſtatem ſedant. Greg. *Turon l. 1 de gloria Martyrum c. 79.*

9. Incendia extinguunt, Brev Rom *in feſto S. Agathæ ad 5. Februarii.*

10. Naufragium avertunt, Greg Turon *l. proximè citato c. 83 Baron. to. 8 an. Domini 590. Vide Auguſt. ep. 137 Ambr ep. 83 & ſerm. 91.*

11. Ab omnibus malis liberant. Baron. in Martyrol ad diem 9. Maii. ubi de tranſlatione reliquiarum S. Andreæ Apoſtoli, & de tranſlatione S. Nicolai Epiſcopi Myrenſis.

I. Quandoquidem tantis bonis cumulentur ii qui ſacras reliquias colunt, æquum eſt eas à nobis magno religionis ſenſu honorari.

Plurimũ honorãda ſunt ſacræ Reliquiæ. Damaſc. l. 4 de fid. orthod. c. 4 Vide Aug l. 9. conf c 7. & Hiero. cont. Vigil

R. Optimè dicis: itaque cenſuerunt Sancti Eccleſiæ Patres & Doctores; *Fontes nobis ſalutares* (ait Damaſcenus) *Dominator Chriſtus præbuit, Sanctorum reliquias, multimoda beneficia ſcaturientes. Per has, dæmones abiguntur: infirmi curantur, cæci vident, leproſi mundantur: tentationes & triſtitia ſolvuntur. Quomodo igitur veneranda non ſunt hæc oſſa, templa Spiritûs ſancti ab ipſo reſuſcitanda ad gloriam, unde nobis tot beneficia promanant?*

I. Punivitne Deus interdum contemnentes, vel minùs reverenter tractantes ſacras reliquias?

Exempla.

R. Ita; narrat Gregorius magnus quod ſequitur: Benedictam Sancti Petri Apoſtoli clavem à ſanctiſſimo ejus corpore, tranſmiſi; de quâ, videlicet clave, hoc eſt geſtum, quod narro, miraculum. Dum eam, quidam Longobardorum civitatem ingreſſus in Tranſpadanis partibus inveniſſet: quia Sancti Petri clavis eſſet, deſpiciens: ſed pro eo quod auream vidit, facere ſibi ex illâ aliquid aliud volens, eduxit cultellum, ut eam incideret: qui mox cultellum, cùm quo eam per partes minuere voluit, arreptus per ſpiritum, ſibi in gutture defixit; eâdemque hora defunctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Antharit, atque alii multi ejus homines adeſſent, & is qui ſe percuſſerat, ſeorſim mortuus, clavis verò hæc ſeorſim jaceret in terra: Factus eſt omnibus vehementiſſimus timor, ut eam clavem levare de terra nullus præſumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui ſciebatur orationibus & eleëmoſynis deditus (Minulphus nomine) vocatus eſt, atque ipſe hanc levavit de terra: Antharit verò pro eodem miraculo aliam auream clavem fecit, atque cùm eâ pariter ad ſanctæ memoriæ prædeceſſorem meum tranſmiſit, indicans quale per eam miraculum contigiſſet. Ipſum ergò veſtræ excellentiæ tranſmittere ſtudui, per quam Omnipotens Deus ſuperbientem & perfidum hominem peremit: ut per eam vos, qui eum timetis & diligitis, & præſentem ſalutem, & æternam habere valeatis.

Contemnentes ſacras Reliquias puniuntur.

Baro. to. 7. an. Dom. 58.

Hugonotæ ex Gaſconia in Belgium involantes anno 1568. Monaſterium S. Huberti in Arduenna exuſſerunt, ſed dum eorum veſana rabie omnia eſtracta forent, hoc ſolum intactum ſupererat, quo hujus glorioſiſſimi Pontificis corpus aſſervabatur. Undè in mediâ luce excæcati arraniâ videntur perculſi fuiſſe.

In vit. Huberti.

Cùm Calviniſtæ Turonis oſſa S. Martini in ignem conjeciſſent, ad internecionem

Tho. Bozo de ſignis Eccl. 19. c. 3

*An.*1286. 8.*Sept.* nem cuncti à Catholicis miſerrimè fuere conciſi, ulciſcente Deo injurias ſanctiſſimi viri. Vide Baron. *ad diem* 18. *Mart. in Martyrol.* Ubi Exercitus Gallorum muſcis necatur, ob direptas reliquias S. Narciſſi.

I. Solane ſanctorum oſſa aut eorum corpora pro reliquiis veneramur?

R. Imò, plurimùm etiam honoramus res externas, id eſt, res quæ eorum corpora vel monumenta contigerunt: quales ſunt, veſtes, capilli, barba, cilicia, *&c.*

I. Oſtenditne aliquando Deus ſignis, & miraculis id ſibi placere?

Matt. 9. & Luc. 8. R. Oſtendit. Mulier quædam laboraverat fluxu ſanguinis annis duodecim: expenderat in medicos omnes quas habebat facultates; *Exempla.* Chriſtum in medio turbæ conſpicata, ſi vel fimbriam veſtimenti tangeret, fore ut ſanaretur. Quid multis? vicit pudorem deſiderium ſanitatis. Clam Dominum accedit, fimbriam tangit, & ſanitati reſtituitur. *Act.* 19. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab iis languores & ſpiritus nequam egrediebantur.*

Vide Brev. Rom. Calend. Auguſti, ubi de vinculis S. Petri.

I. Ipſene Deus aliquando ſpeciali honore SS. reliquias dignatus eſt?

R. Ita. Moyſi corpus & B. Catharinæ per Angelos ſepelivit; per oſſa Eliſæi mortuum excitavit; Prophetæ occiſi corpus à leone intactum conſervavit; multaque ad SS. reliquias miracula omnibus ſæculis edidit, *Exempla.* ut de ſuo tempore Auguſtin. teſtatur l. 22. de Civitat. Dei c. 8 lib. 21 cont. Fauſt. cap. 21. epiſt 137. lib. 9. confeſſ. cap. 7. Baſil in Pſalm. 115. Hieron cont. Vigilant. Damaſc. l. 4. de fide c. 16. & nos ſupra hâc eadem lect. expoſuimus.

I. Habeſne inſigne aliquod teſtimonium alicujus Sancti pro reliquiarum veneratione?

R. Habeo. Sancti Ambroſii, in Natali Sanctorum Nazarii & Celſi; *honoro ergo, inquit, in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices: honoro viventis memoriam in perennitate virtutis: honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres: honoro in cineribus ſemina æternitatis: honoro corpus quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod me propter Dominum meum docuit mortem non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & afflixerunt in ſupplitio, ſed glorificant in ſepulchro? honoro itaque corpus quod Chriſtus honoravit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in cœlo.* *Locus inſignis Ambroſii pro ſacris reliquiis.*

LECTIO XV.

De Peregrinationibus.

I. VAcantne ſuperſtitione peregrinationes quas inſtituunt Catholici ad templa & loca Sanctorum reliquiis celebria?

R. Planè vacant; ſunt enim religionis actus, & cultus ſacri ſanctis ipſis Dei amicis & domeſticis delati, qui ſuffragiis ſuis multa nobis promerentur beneficia ſpiritualia & corporalia. Vide Concil. Trid. Seſſ. 25. *decret. de invoc. ven. & reliquiis Sanctorum.* *Peregrinationes ſunt religionis actus.*

I. Fueruntne antiqui Patres ejuſdem ſensûs & doctrinæ?

R. Ejuſdem ipſiſſimæ. Uti enim & facto ita & ſcripto idipſum tradiderunt. *Sancti peregrinationes ſcripto & facto approbarũt.* Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam, ut Chriſtum Dominum quocumque tandem loco reperiſſent, adorarent. Matt. 2.

Vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiophum venit adorare in Jeruſalem.

Divus Ignatius Joannis Evangeliſtæ Diſcipulus ſcribit ad dilectiſſimum Præceptorem ſuum obſecrando, ut per cum ſibi liceat petere Jeroſolymam,

Exempla Act.8. P.1.l.5.c.9

deſiderio viſendorum Sanctorum, præcipuè Virginis Deiparæ, cujus plurimos ſecum confluxum omnibus votis optare aſſerit.

Vide quæ nos de peregrinatione ad ſepulchrum Domini.

Brev Rom ad 13. Decemb.

Lucia Virgo Siracuſana unà cum Matre Eutychia, quæ ſanguinis fluxu laborabat, Catanam ad venerandum corpus B. Agathæ venit: quæ ad ejus ſepulchrum cum ſuppliciter oraſſet, Agathæ interceſſione Matri ſanitatem impetravit.

S. Ioannes Chryſoſtomus hom. 5 de. S. Jobo *agens, quos erga Pauli vincula devotione, ita loquitur: vellem nunc locis in illis verſari, in quibus vincula illa manent, & catenas videre, quas timuerunt quidem dæmones & horrent, & Angelis venerantur. Si Eccleſiaſticis curis eſſem vacuus, corpuſque robuſtum haberem, nequaquam peregrinationem tantam facere recuſarem, quo catenas ſolùm viderem, & carcerem in quo Paulus vinctus. O beata vincula! O beatas manus!* Et in hom. 66. ad pop. *Servorum crucifixi ſepulchra, regiis aulis ſunt clariora, convenientium ſtudio. Nam & ipſe qui purpurâ indutus eſt accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito, ſtat Sanctis ſupplicaturus, ut pro ſe apud Deum intercedant: & ſcenarum fabrum, & piſcatores etiam mortuos, ut protectores orat, qui diademate redimitus eſt.*

Et rurſùm ſerm. in epiſt ad Romanos: *Quis mihi nunc dabit circumvolvi corpori Pauli, affigi ſepulchro, videre pulverem corporis illius adimplentis ea, quæ deerant Paſſionum Chriſti, & Stygmata illius portantis?*

Lect ſequens queſtiuncula 2.

Haud ſeciùs Auguſtinus proponit viſitare ſacras S. Hieronymi reliquias in Bethleem, uti habetur *epiſt. 205 ad Cyrillum Epiſcopum Hieroſolymitanum.*

Certè populum Romanum frequentiſſimo cœtu utramque Baſilicam tam Petri in Vaticano quàm Pauli viâ Oſtienſi die Sanctorum Apoſtolorum inviſere ſolitum profitetur Prudentiùs *hymno 12.* & S. Ambroſius *in hymno ejuſdem ſolemnitatis* de S. Alexio. Vide Brev. Rom. ad 17. Julii.

I. Sed quæ hujus religionis ratio?

Aug l.20. cont. Fauſt c.21.

R. Dicat ſummus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus: *Colimus Sanctos, etiam dum locum Deo in honorem eorum dicata viſitamus, ut ex ipſorum locorum admonitione, major affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſumus. Et quia ſcimus in quibuſdam memoriis Sanctorum, multa miracula ſanitatum, per Sanctos ſuos Dominum operari, quæ aliis locis operari non vult: ſicut & Sanctis quibuſdam in hoc mundo agentibus gratias curationum dedit ille, qui dividit dona ſua prout vult.*

Peregrinationum ratio & fructus.

I. At plures committuntur abuſus circa peregrinationes inſtitutas à multis ad corporis dumtaxat recreationes, & perdiſſimi luxus occaſiones?

R. Id non inficior; ſed non debent idcircò peregrinationes improbari. Quid enim tam ſanctum, quod pravâ intentione non poſſit inficı? Publicanus ille in Evangelio aſcendit ad templum non oraturus ſed multa peccata commiſſurus. Ut non abs re S. Auguſtin. l. cit. c. 20. & Ambroſ. de Eliâ & jejunio invehantur contra eos qui ad Martyrum memorias convenientes genio indulgebant & diſſolutè vivebant. Nimirùm ut alibi Hieronymus: *Abſurdum eſt nimiâ ſaturitate honorare velle Martyres, quos ſcias Deo placuiſſe jejuniis.* Ad ejuſmodi abuſus vulgi in ventrem proni reſpexit devotus ille à Kempis quando ſcripſit: *Raro ſanctificantur, qui multùm peregrinantur.* At abuſus, inquam; certum enim eſt legitimum peregrinationum uſum ab Eccleſia & Sanctis ſemper fuiſſe probatum & receptum. Certè quid valeat argumentum ab abuſu rei ad probandam malitiam ipſius rei, norunt omnes qui Philoſophiam vel a limine ſalutarunt.

Abuſus committuntur in peregrinationibus.

L. de imit. Chriſti.

rem

runt v. c. Sacramenta, Scriptura ſacra, ſunt ſanctiſſima, & tamen eorum abuſus peſſimus.

I. Quis eſt iſte legitimus uſus?

Peregrinationes qualiter ſanctè inſtituantur.

R. *Primò*, Si in die feſto vel Dominico peregrinationem inſtitueris, quod non ita decet, caveto ne eam ob rem Miſſæ non audiendæ periculo te exponas. Prius enim præcepta, dein quod ſuper erogationis eſt, adimplendum.

Secundò, Adjungas te conſortio bono; abſurdum enim eſt, quod frequenter uſu venire ſolet, ut adoleſcentes cum adoleſcentulis adjungantur; abſurdiùs etiam quod moniales cum clericis. Sanctimonialibus certè quibus profeſſio & ſexus curſitationem interdicit, quies & ſtabilitas monaſterii magis convenit. Hinc Hieronymus Paulinum Monachum à peregrinatione dehortatur.

Sanctimoniales peregrinari non convenit.

Tertiò, non miſceantur vani ſermones in viis, ſed potiùs colloquiis piis, vel etiam legendis ſub ſilentio rolariis tempus & labor itineris fallantur.

Ep. ad Paulin.

Quartò, in hoſpitiis, ſi quæ neceſſitas inciderit potus cibique ſumendi, abſtineatur à comeſſationibus & ebrietatibus, frivoliſque & inanibus recreationibus.

Quintò, in peregrinationis loco, ſi res ferat, conſultum eſt ut peccata ſua peregrini factá confeſſione expient, & ſacrâ communione ſeſe reficiant, necnon candelas & pecuniarias eleëmoſynas offerant. Quæ omnia eo animo adimplenda ſunt, ut à Deo per Sanctorum merita & ſuffragia, corporalia, ſpiritualiaque beneficia referantur. Alioquin audebo cum S. Hieronymo dicere: *Non Hieroſolymam vidiſſe, ſed Hieroſolymis benè vixiſſe laudandum eſt.*

Ep. ad Paulin.

I. Habeſne exempla huic doctrinæ accommoda?

Exempla.

R. Habeo: S. Carolus Borromæus (ut alias ejus ſacras peregrinationes taceam) propediem viam vitæ æternæ initurus, in ſolitudinem Varalli montis, ubi ſculptis imaginibus Dominicæ Paſſionis myſteria ad vivum repræſentabantur, ſeceſſit; ibique diebus aliquot voluntariâ caſtigatione aſperam, ſed Chriſti dolorum meditationibus ſuavem vitam duxit.

In actis canonizationis.

Marius Perſa nobili loco natus, cum Martha conjuge pari nobilitate, & duobus filiis Audifáce & Abachum Romam venit Claudio Imperatore, ut Martyrum ſepulchra venerarentur. Ibi Chriſtianos in vincula conjectos fovebant, & opera ac facultatibus ſuis ſuſtentabant, & ſanctorum corpora ſepeliebant. Et, quæ merces tantæ religionis, tamque ſanctæ peregrinationis? Comprehenſi omnes, cùm nec impiorum minis, nec terrore commoverentur ut Diis ſacrificarent, primùm fuſtibus debilitati, deinde funibus attracti, tum admotis candentibus laminis combuſti, & unguibus ferreis excarnificati ſunt. Poſtremò præciſis manibus, & ad collum alligatis, ducti per mediam urbem, via Cornelia ad tertium decimum ab urbe milliarium, necantur: & Martha primum, mox cæteris cervices abſcinduntur.

Brev. Ro. ad 19. Ian.

I. Poteſtne etiam pietatis & religionis nomine commendari, quod ſacræ reliquiæ in publicis ſupplicationibus circumgeſtentur?

Sacræ Reliquiæ in proceſſionibus laudabiliter & ſanctè circumferuntur.

R. Ita; quod etiam miraculis interdum comprobavit Deus. Cùm lues inguinaria populum primæ Germaniæ devaſtaret, & omnes terrerentur, hujus cladis auditu, concurrit Rhemenſium populus ad S. Remigii ſepulchrum, congruum hujus peſtilentiæ flagitare remedium. Accenſis cereis, lychniſque non paucis, hymnis, pſalmiſque cœleſtibus per totam excubat noctem. Manè autem facto quid adhuc precatui deſit in tractatu rimantur inter ſe; & venit ipſis in mentem, revelante Deo, qualiter, oratione præmiſsâ, adhuc majori propugnaculo munirentur. Aſſumptá igitur pallâ de beati ſepulchro, componunt illam in modum feretri: accenſiſque ſuper cruces cereis atque ceroferalibus, dant

Exemplum.

Greg. Turon. de gloria Conf.

 voces

voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis, nec prætereunt ullum hoſpitium quod non hac circuitione concludant. Quid plura? non poſt multos dies, fines hujus civitatis, lues aggreditur memorata. Verumtamen uſque ad eum locum accedens, quo beati pignus acceſſit, ac ſi conſtitutum cerneret terminum, intrò ingredi non modò non eſt auſa, ſed etiam quæ in principio pervaſerat, hujus virtutis repulſu reliquit.

Clem. Abuſionibus & c. ut officium §. compeſcendi de hæret. in 6.

I. Quid ſibi vult quod illiberalem quandoque quæſtum ex circumgeſtatis per diverſa loca reliquiis faciunt nonnulli?

R. Hoc Eccleſia prohibet, & tanquam nundinationem rerum ſacrarum reprobat. X. c. cùm eo. de reliq. & ven. Sanct. & Conc. Trid. ſſ. 5. c. 2. & ſſ. 21. c. 9. & paſſim in provincialibus & Diœceſanis Synodis.

Exempla.

I. Suntne ſancti protectores & defenſores locorum in quibus ſacra eorum pignora quieſcunt?

L. 3. Dial. c. 4.

R. Ita, uti manifeſta docuit experientia in civitatis Turonenſis contra invadentes Normannos defenſione, & liberatione anno 845. Vide Baron. to 10.

Valeria Provinciam (inquit S. Greg.) Longobardis intrantibus, ex Monaſterio reverendiſſimi viri Equitii in beati Martyris Laurentii oratorio ad ſepulchrum ejus fugerunt. Cumque Longobardi ſævientes Oratorium intraſſent, cæperunt eoſdem Monachos *foras trahere, ut eos, aut per tormenta diſcuterent, aut gladiis necarent: Quorum unus ingemuit, atque acri dolore commotus clamavit. Heu, heu, ſancte Equiti, placet tibi quod trahimur, & non nos defendis? ad cujus vocem protinus ſævientes Longobardos ſpiritus immundus invaſit. Qui corruentes in terram tamdiu vexati ſunt, quouſque hoc cuncti, etiam qui foris erant, Longobardi cognoſcerent, quatenus locum ſacrum temerare ulteriùs non auderent. Sicque vir ſanctus dum diſcipulos defendit, etiam multis poſt, remedium illuc fugientibus præſtitit.*

I. Eſtne pium & Eccleſiaſtico uſu receptum, cereos ad ſanctorum ſepulchra & reliquias accendere?

Cereos ad SS. ſepulchra & reliquias accendi Deo gratum eſt. Exemplum. Sur to. 1. Feb. 20. c. 7.

R. Ita, quinimò declaravit aliquando Deus id ſibi gratum eſſe, inſigni miraculo: Mulier quædam quam ſanctus Eucherius Epiſcopus Aurelianenſis de gentilitatis errore ſuâ admonitione revocaverat, cujuſque filium de ſacro fonte ſuſceperat, ad tumulum ejus ceream candelam pondere libræ unius ex devotione collocavit, & incendit, & ea per tres dies noctéſque arſit, nec extincta eſt. Die verò tertio, cuſtos templi ceram ejus candelæ liquefactam redegit in maſſam, & ecce in manibus ejus in tantam molem excrevit, ut idem omninò pondus priſtini cerei inveniretur.

I. Eſtne ſimiliter ſanctum & pium vota ad loca ſancta nuncupare?

Sanctum eſt vota ad loca ſancta nuncupare.

R. Ita. Ut etiam alibi docemus præpropere & abſque prudentia implicare ſe votis periculo non caret: ita aſſerimus abſolutè & ſimpliciter vota Deo aut ſanctis nuncupare ſanctum eſſe & religioſum. Quoad exempla huc pertinentia, vide Horat. Turſelin. in hiſtor. Lauretana, & Juſt. Lipſium in hiſtor. Virginis Hallenſis & Aſpricollenſis, & Servium in Hiſt. Divæ Tungrenſis Hanno-Belgicæ.

Et in illis ſuſtentacula lignea, manus cereas, pedes argenteos, &c. ſuſpendere.

I. Superſtitioſum eſt, & ridiculum, ajunt Hæretici, quod pro indiciis adeptæ ſanitatis coram ſacris altaribus aut ſacrarum reliquiarum loculis ſuſtentacula lignea, manus cereas, pedes argenteos, &c. ſuſpendamus.

R. Hæretici fruſtra hæc calumniantur & ſuperſtitionis traducunt, qui eorum vim & rationem ignorant, & neſcire volunt; Catholici contra, magni æſtimant, & nullis arbitrantur ſe obſequium non exiguum præſtare Deo & Sanctis ejus.

I. Quibus igitur rationibus moveantur Catholici ad hoc faciendum?

R. 1. Ejuſmodi ſuſpendunt ad annunciandum populis mirabilia quæ operatus *1. Ratio.*

Digitized by Google

ſtatuit Dominus per Sanctos ſuos,in ſani-
tatum donis; ut generationi alteri enar-
rent Dei bonitatem & miſericordiam,
nec non honorem quem ſanctis ſuis ex-
2. hibere voluit. 2. Ut monumentum fi-
dei,& virtutis majorum noſtrorum ex-
hibeant poſteritati. Ita Zachariæ 4 qua-
tuor coronæ in templo Domini ſuſpen-
Exempla. ſæ fuerunt ad perpetuam fidei & virtu-
tis eorum, qui eas fieri juſſerant, com-
mendandam & refricandam memo-
riam. Et Greg. l. 2 Dial. c. 1. comme-
morat, Capiſterium, hoc eſt vas ruſti-
cum, miraculosè precibus S. Benedicti re-
paratum in Eccleſiæ ingreſſu fuiſſe ſuſ-
penſum, quatenus præſentes & futuri co-
gnoſcerent univerſi, à quanta Benedi-
ctus puer, converſationis perfectione
3 incepiſſet. 3. Nonnunquam etiam reli-
cta fuêre ad timorem hominibus incuti-
endum; uti leguntur thuribula ſacris
affixa altaribus, ut cunctis conſtaret
quam juſtas ſui facinoris dediſſent pœ-
Nu. 16. nas, qui Aaronis Sacerdotii æmuli
profanum ignem adhibuerant. Vide
4. Auguſt. *ſerm 98. de temp.* 4. Interdum
reſervata ſunt liberationis monumenta
1. Reg. 6. ad jugem accepti beneficii memoriam,
quemadmodum agnoſcimus juxta nu-
merum Provinciarum Phyliſtinorum
quinque anos aureos, totidemque mu-
1. Reg. 21. res factos, atque Domino in latere Arcæ,
Jud. th in qua ſervabatur Manna, collocatos,
ultimo. quod Dominus graviſſima plaga eos af-
flixiſſet, ita ut putreſcerent prominentes
extales eorum. Qua etiam de cauſa
5. gladius Goliath & Holofernis ſervaban-
tur. 5. Aliquando etiam ſuſpenduntur
in perpetuum gratitudinis holocauſtum:
Nam Joſue 4 ita legimus divino oracu-
lo præceptum: *Ite ante Arcam Domini
Dei veſtri ad Iordanis medium, & por-
tate ſinguli ſingulos lapides in humeris
veſtris juxta numerum Tribuum filiorum
Iſrael, ut ſit ſignum inter vos, & quando
interrogaverint vos filii veſtri cras di-
centes, &c.* Pari ratione, ſuſtentacula
lignea, compedes ferreos, manus cereas,
pedes argenteos, & id genus aliorum ſuſ-
pendimus circa altaria, quatenus ea
conſpicientes rapiamur non ſolùm in
memoriam & admirationem miraculo-
rum patratorum, ſed etiam in gratiarum
actionem, quemadmodùm legimus ho-
mines Deum glorificaſſe. Marci 2. &
Joan. 5. quando grabatum incolumes ef-
fecti aſportaverunt.

I. Eſtne iſtiuſmodi antiquus in Eccle-
ſia uſus?

R. Omninò; Nam Theodoretus lib.
8. Græcarum affectionum circa finem de *Uſus*
Martyribus ita loquitur. *Piè verò fide-* *iſtiuſmo-*
literque precatos ea maximè conſequi *di in Ec-*
quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ vo- *cleſia eſt*
torum rei dona perſolvunt; manifeſta ni- *valde*
mirùm adepta ſanitatis indicia: nam alii *antiquus*
quidem oculorum, alii verò pedum, a- *Circa an.*
lii porrò manuum ſimulachra ſuſpendunt *Dom. 390.*
*ex argento, aurove confecta, gratiſſimè
namque accipit eorum Dominus qualia-
cumque ſunt dona, nec exilia, nec vilia
dedignatur, quippè qui ea proferentis
facultate metitur. Hæc itaque omnium
ſpectaculo exporrecta teſtantur morborum
depulſionem cujus ipſa certiſſima ſigna
ſunt à ſanitatem conſecutis allata. Hæc,
inquam, ſepultorum ibi Martyrum, quæ
ſit virtus, oſtendunt* Hæc ille.

LECTIO XVI.

De Templis & altaribus ad honorem Dei & Sanctorum erectis.

I. EX quo tempore ſolent templa & al-
taria ad Dei cultum, & honorem
Sanctorum ædificari?

R. Ab ipſis planè primis Eccleſiæ in-
cunabulis. Nam ut omittam, quod *Eccleſias*
ſæpiùs in novo Teſtamento Apoſtolici *ad Dei &*
ſcriptores nomen *Eccleſiæ* hoc ſenſu u- *SS. hono-*
ſurpent, uti diligenter notavit Card: *rem dedi-*
Baron. ſupra verba Apoſtoli: *Conve-* *care à*
nientibus vobis in Eccleſiam. Euſeb. Cæ- *primo Ec-*
ſar. lib. 2. Eccl. hiſtor. c. 17. & l. 3. c. 23. *cleſiæ naſ-*
ſcribens de diſcipulis Domini ex Philone, *centiâ*
tradit

tempore uſitatum.

tradit beatam illam multitudinem, quæ omnes divendiderat poſſeſſiones, pretium ante pedes Apoſtolorum ponendo, habuiſſe in ſingulis locis conſecratas orationi domos, in quibus ſecedens, myſteria celebrabat, nihil illinc prorſus, quod ad cibum potumque pertinebat, inferens, vel ad reliqua humani corporis miniſteria, ſed legis tantum libros, & volumina Prophetarum, hymnos quoque in Deum, cæteraque his ſimilia, in quorum diſcipinis inſtituta ad perfectam beatamque vitam ſtudiis jugibus coaleſcebat. Et Anacletus ep 3 ad omnes Epiſcopos, docet Eccleſiam à S. Marco Evangeliſta nomine Petri Apoſtoli adhuc ſuperſtitis Alexandriæ fuiſſe conſecratam.

1. Cor. 11.

Exempla.

Allegatur diſt. 22 Sacroſanctam.

Et Antiochiæ Theophilus qui erat cunctis potentibus ſublimior, domum ſuam fecit conſecrari Eccleſiam, in qua Petri cathedra ab univerſo populo eſt conſtituta, in quam confluebant gratia prædicationis quam faciebat S. Petrus. His conſonat S. Ignatius ep 3. ad Magneſianos, inquiens: *Omnes adunati ad templum Dei concurrite.* Vide Niceph. l. 2. Eccl. hiſtor. c. 35. Iren. Apoſtolorum diſcipulum l. 3. contra hæreſes c. 1. & 3.

Refert S. Clemen. l. 10. Recognit. ad Iacob Fremenſ. Domini in fine.

Templorum & altarium conſecratio uſum habet ab initio Eccleſiæ.

Valdè mirum eſt quod in chronic. 5. Saxoniæ legimus, Chriſtum Dominum Eccleſiam ſuis manibus in honorem S. Dionyſii & ſociorum conſecraſſe.

I. Quandonam cœpit uſus Eccleſias & altaria per ſacratum reliquiarum illationem conſecrari?

R. Etiam hoc initium habuit à primis pacatæ ſaltem Eccleſiæ temporibus Vide *Conc. Apoſtolorum. can. 3. & 4. & Conc. Aurelian. 5. can 14.*

Brev. Ro. ad 18. Novemb.

Baro. 10. 3 anno Dom. 324.

Ex locis ſacris qui olim apud Chriſtianos venerationem habuerunt, illa celeberrima, & frequentiſſima fuerunt, in quibus condita ſanctorum corpora vel aliquod veſtigium Martyrum, aut monumentum eſſet In quorum numero ſanctorum locorum in primis ſemper fuit ea Vaticani pars, quam S. Petri confeſſionem appellabant. Nam eò Chriſtiani ex omnibus orbis terræ partibus tanquam ad fidei petram, & Eccleſiæ fundamentum convenientes, locum Principis Apoſtolorum ſepulchro conſecratum ſummâ religione ac pietate venerabantur, &c.

Brev. Ro. ad 9. Novemb.

I. Quorſum Eccleſias & altaria ſacris ritibus conſecrare, cùm non ſint ſubjecta gratiæ aut benedictionis capacia?

R. Eccleſia & altare, & alia ejuſmodi inanimata conſecrantur, non quia ſunt gratiæ ſuſceptiva; ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quandam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui: ut ſcilicet devotionem quandam fideles exinde percipiant, ut ſint paratiores ad divina. Et rurſum ejuſmodi loca ante conſecrationem aquâ luſtrali emundantur, & exorcizantur, ut exinde virtus inimici pellatur.

2. Macha. 3.

S. Tho. 3. p. q. 83. a. 3.

Templa & altaria meritò conſecrantur.

I. Habeſne exemplum ad declarandos hujus ſacrorum locorum emundationis & exorcizationis effectus?

R. Habeo. *Arianorum Eccleſia in regione urbis hujus quæ Subura dicitur, cum clauſa uſque ante biennium remanſiſſet, placuit ut in fide Catholica introductis illic B. Sebaſtiani & S. Agathæ Martyrum reliquiis, dedicari debuiſſet, quod factum eſt. Nam cum magna multitudine populi venientes, atque omnipotenti Domino laudes canentes, eandem Eccleſiam ingreſſi ſumus. Cumque in ea jam miſſarum ſolemnia celebrarentur, & præ ejuſdem loci anguſtia populi ſe turba comprimeret, quidam ex his qui extra ſacrarium ſtabant, porcum ſubitò intra ſuos pedes huc illucque diſcurrere ſenſerunt. Quem dum unuſquiſque ſentiret, & juxta ſe ſtantibus indicaret, idem porcus januam Eccleſiæ petiit, & omnes per quos tranſiit, in admirationem commovit: ſed videri à nullo potuit, quamvis ſentiri potuiſſet. Quod ideircò divina pietas oſtendit, ut cunctis pateſceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret.*

S. Greg. 3. Dial. c. 30. Exemplum.

Immundus ſpiritus porci ſpecie Eccleſiam ritu Catholico reconciliatam deſerit.

I. Ha-

Digitized by Google

Altaria exoſculari ſolent antiqui Chriſtiani.

I. Habueruntne Chriſtiani antiquitùs templa & altaria conſecrata in magna veneratione?

R. Ita planè, ut ex citato ſuprà Brev. Ro. liquet. Et Tertull. l. de pœnit. qui ſcribit ante altaria ſolere Chriſtianos genua flectere, & S. Ambroſius ep. 32. ad Marcellinam ſororem, tradente eoſdem magno pietatis ſenſu altaria exoſculari. Vide quæ nos ſup. p. 2. c. 2. lec. 5.

I. Undè ſumpſit initium quod ad honorem Sanctorum Eccleſiæ & altaria dedicentur & conſecrentur?

Templa & altaria ad honorem SS. dedicari undè ſumpſit fundamentum.

R. Ex eo quod corpora Martyrum ex antiquo more, & ſanctione Felicis Papæ primi ſolebant ſepeliri ſub altari, ut docent. *S. Aug. ſerm. 11. de Sanctis & alii:* Quia enim Martyres inſtar holocauſti erant immolati Deo ſuper altare, ideò ſub eo ſepeliebantur. Id fiebat, *Primò*, ut loco tam ſacro honorarent Martyres. Vide *S. Ambr. ep. 34 ad Marcellinam ſororem Secundò*, ut Martyrum corpora & ſepulchra, orantibus ad altare, eſſent continuum excitamentum devotionis, & virtutis ac fortitudinis quam imitarentur. *Tertiò*, ut Martyres eorum preces apud Deum offerrent & adjuvarent.

Altare olim ſepulchrum Martyris appellatum.

Hinc altare vocabatur *ſepulchrum Martyris, memoria Martyris, Martyrium & Confeſſio.* Martyrium enim Græcè idem eſt ac Latinè confeſſio; puta teſtimonium quod Martyr fidei perhibuit, ac ſuâ morte ac ſanguine obſignavit. Hinc hiſce eorum ſepulchris & altaribus, poſteà, cum ſcilicet ſub Conſtantino Eccleſia pacem adepta eſt, ſuperædificarunt Eccleſiam ſive templum, quod indè pariter vocabant *Martyrium.* Rurſùm indè extenſa vocis ſignificatione, Eccleſia quævis *Martyrium* vocata eſt: quia Martyrum, vel certè Sanctorum reliquias aliquas eò transferebant, ibique condebant, ut ad primævum morem ædificandi altaria, & templa ſuper ſepulchra Martyrum accederent quantum poſſent. Hinc jure Canonico ſancitum eſt, ut altare non conſecretur niſi illatis eò Martyris vel Sancti alicujus reliquiis. Quocircà Sacerdos acceſſurus ad altare, orat, dicitque: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt.*

De conſec. d. 1. c. placuit.

Miſſa. Rom.

Nota interim nos non glorioſæ Virgini Mariæ, Apoſtolis aut Martyribus altaria erigere, aut ſacrificia offerre, cùm non ipſi, ſed Deus eorum Deus, & Dominus noſter ſit. Nec quiſquam dicere aliquando præſumpſit, *Offero tibi Petre, vel ſacrifico tibi Paule, &c.* Cultum namque latriæ, ut aliàs ſæpe inculcamus, ſoli Deo exhibemus.

Aug. l. 8 de civit. c. 27 & l. 22. c. 10. Item l. 20. cont. Fauſt. c. 21. & ep. 29. ad Deo gratias.

Altaria ſub invocatione Sanctorum.

Nihil tamen prohibet diverſa templa vel altaria, diverſis Sanctorum titulis eſſe inſignita & appellata; quia licet omnia unius Dei honori primò, & principaliter dedicata ſint & conſecrata; tamen diverſis nominibus ab invicem propter confuſionem vitandam diſcriminantur, *teſte Aug. vel quiſquis eſt, l de Eccleſiaſticis dogmat. c. 73. & Ioanne Damaſceno, l. 4. Orthod. fidei c 16.*

2. Altaria vel Eccleſiæ Sanctorum nomina ſortiuntur, quòd eorum reliquiæ ibi reconditæ aſſerventur, ut auctor eſt *Ambroſ. l. ad Virgines, & l. 1. de Abraham c. 9.*

3. Quod ſingulari aliquo affectu tales Sancti & Sanctæ Patronorum vice in talibus locis habeantur. *S Leo Papa ſerm. 5. Epiphaniæ & ſerm. 1. in natali Apoſtolorum.*

I. Cur hæretici tantoperè in templa & altaria deſæviunt, eaque demoliuntur?

Hæretici in templa & altaria deſæviũt.

R. Quia ſunt miniſtri diaboli; & ut ille ſemper invidit honori Dei & Sanctorum; ita hæretici totis viribus nituntur evertere loca ſacra in quibus divina officia Deo perſolvuntur.

Exempla.

I, Poſſeſne exemplis probare hæreticos hac in re obſequium præſtare diabolo?

Willielmus Lindanus l. de fug. idol. c. 14. & 15.

R. Ita *Anno 1566. pullulantibus Iconoclaſtarum initiis, quæ jam Antverpiæ & alibi cœperant, Dæmoniaci Amſterodami*

magno numero ſani facti ſunt, dæmonibus videlicet egreſſis, & alibi in hæreticis exagitandis ſatis ſuperque occupatis, quando fanatico furore per menſem Auguſtum Calviniſtæ paſſim templa Belgica diripuerunt, & Sanctorum imagines confregerunt, conculcarunt, exuſſerunt.

Narrant oculati teſtes (inquit idem Lindanus) quando cives Leydenſes anno 1572. monaſterium S. Franciſci extra Rheni portam in ſuburbano amœniſſimo ſitum excurrebant everſuri, quamdam vexilli loco, imaginem diaboli prælongo fixam haſtili prætuliſſe, ut non obſcurum eſſet ſpectatoribus argumentum, cuinam, magiſtro ſuo, illam navarent operam.

I. Dederuntne aliquando pœnas qui templa profanarunt, devaſtarunt, aut eorum immunitatem violaverunt?

R. Ita, quemadmodùm ex ſubjectis exemplis videre licet.

Exempla. Antiochus Rex ob profanatum templum Hieroſolymitanum variis malis ac doloribus affectus miſerrimâ morte interiit.

1. Machab. 1. *1. Machab. 9.* Alcimus præcipiens deſtrui muros domûs ſanctæ interioris, admirabili plaga repentè defunctus eſt.

Chron. Sigeb. anno 429. Anno Domini quadringenteſimo vigeſimo nono, Gundericus Rex Wandalorum captâ Hiſpali, cùm impiè elatus manus in Eccleſiam ipſius civitatis extendiſſet, mox Dei judicio à dæmone correptus interiit.

Greg. Turon. de gloria. Mart. c. 105. *Baro to. 7. Ann. l.* *In Baſilica S. Vincentii Martyris, in qua plebs omnia rerum ſuarum præſidia repoſuerat de reverentia Martyris, quod nullus eas præſumptione auderet attingere, obſeratis oſtiis ſe ab intus cum rebus incluſerat. Circumdantes autem hoſtes, cùm aditum per quem ingrederentur, invenire non poſſent, ignem oſtiis ædis ſubjiciunt. quem diu multumque ſuccendentes, non apprehendebant valvæ, donec impulſu ſecurium comminutis, ingreſſi ſunt, diripientes res, populumque incluſum in ore gladii trucidantes. Sed non diu manſerunt hæc inulta: nam alii à dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumna necati, multi etiam à frigore occupati diverſis in partibus, diverſorum morborum genere vexabantur.* Et poſt pauca. *Multi ex his confitebantur ſe judicio Dei ob injuriam Martyris fuiſſe morti peſſimæ deſtinatos.*

LECTIO XVII.

De Eccleſiarum immunitate.

I. IN quibus rebus cernitur immunitas Eccleſiæ?

R. Potiſſimùm in tribus, videlicet: in perſonis, in locis, & in rebus ſacris.

I. Quid vocas perſonas ſacras?

R. Voco Dei Miniſtros ſpeciali ratione, in Eccleſia per ordinationem ſacram, vel religioſæ profeſſionis emiſſionem, divino obſequio mancipatos. *Immunitas Eccleſiæ in tribus cernitur.*

I. Qualiter oportet habere ejuſmodi perſonas?

R. Nulla iis vis aut injuria inferenda eſt.

I. Qui Sacerdotes Dei malè tractarunt, fueruntne à Deo puniti?

Exempla. Glyc p. 4. Annal. Manaſſ. in Annal. Io. Moſchus Evirat. in prat ſpir. c. 38. R. Ita. Anaſtaſius Imperator, cùm ejeciſſet Euphemium & Machedonium Patriarchas Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ac propter ſanctam Chalcedonenſem Synodum illos Gaytam in Pontum exilio relegaſſet, vidit in ſomnis idem Imperator virum quendam inſignem, veſtitum amictu candido, contra ſe ſtare, codicem ſcriptum ferentem ac legentem. Evolvens autem quinque folia codicis, legenſque Imperatoris nomen, ait illi: Ecce propter perfidiam tuam deleo quatuordecim annos, & digito ſuo illos delevit. Ac poſt duos dies, facto fulgure magno ac tonitruo, pavore turbatus reddidit ſpiritum in ſumma anguſtia pro eo quod impius fuit in ſanctam Chriſti Dei noſtri Eccleſiam, ejuſque Paſtores exilio damnavit. *Anaſtaſius Imp. peſſimè ob malè habitos Epiſcopos & Eccleſiam interiit.*

Juſtina Imperatrix Valentiniani Ma-

tes

tèr Arianæ hæreſeos alumna Eccleſiarum ſtatum perturbans, & exilia Sacerdotibus interminans, Ambroſii precibus, jejuniis & vigiliis ita retunditur, ut quæ illa Sacerdotibus exilia præparaverat, prima cum filio ſortiretur.

Sozem. l. 7. hiſt. Eccleſiaſticæ c. 12. & 13.

I. Quid loca appellas ſacra?

R. Templa, capellas, oratoria ab Epiſcopo dedicata, cœmeteria, monaſteria, &c.

I. Quæ eſt immunitas locorum ſacrorum?

R. Ut in illis nihil profanum exerceatur, ut non fabulæ, non ſtrepitus forenſes, nulla commercia, nullæ diſcurſitationes in illis habeantur, ut ad illa tanquam ad fidum aſylum confugientes, nullus extrahat Epiſcopi injuſſu.

I. Habeſne exemplum quo probes à Deo exactas pœnas ob irreverentiam loco ſacro exhibitam?

Exemplum.

R. Habeo. *De Sancio majore Navarræ atque Caſtellæ Rege omnes ferè rerum Hiſpanicarum Scriptores ferunt, quod cùm die quâdam in venatione aprum inſectaretur, ille fatigatus intra obvios parietes, qui ſupererant memoriæ S. Antonini Martyris ſe recepit, apud reliĉtam ibi ſacram aram conſiſtens, tutum aſylum, Angelorum cuſtodiâ vallari conjunctum. Sic juxta illud oraculum; Homines & jumenta ſalvabis Domine. Cùm Rex venabulo illum appeteret, elatum brachium ad feriendum mox torpedine redditum ſenſit inutile: ſed reatum agnoſcens, Martyrem deprecatus ad priſtinum uſum ſenſit divinitus revocatum, didicitque ſuo damno, quanta deberetur locis ſacris immunitas, etiamſi corruiſſe viſa fuiſſent, ut nec beſtiam illuc fugientem lædere licuiſſet.*

Baro. 10. 11. anno 1031.

Pſ. 35.

I. Quid tandem ſunt res ſacræ quas immunitate vis gaudere?

R. Sunt bona, prædia, cenſus, vaſa ſacra, aut ſuppellex quævis ad Eccleſias, & alia loca ſacra, vel etiam ad perſonas Eccleſiaſticas pertinentia.

I. Quânam immunitate gaudent res illæ?

R. Ut non poſſint pignorari vel alienari, emi, vendi aut quomodolibet diſtrahi abſque Prælatorum conſenſu Vide Juſtin. Imp. in L. Sancimus I. Cod. de ſacroſ. Eccl. Et in Authent. Præterea Cod. eod. & Imp. Gordian. in l. 1. Cod. de ſepulch. violat. Vid X. l. 3. tit. 49. de immunit. Eccl. in 6 & in Clem. unic.

I. Habeſne exempla huc pertinentia eorum qui in profana rerum ſacrarum contrectatione deliquerunt?

R. Habeo. Notum eſt exemplum Balthaſaris Dan. 5.

Exempla.

Genſericus cùm immaniſſima perſecutione in Catholicos crudeliſſimè deſæviret, mittit Proculum quemdam in Provinciam Zeugitanam, qui cunctos Domini Sacerdotes coarctaret ad tradendum miniſteria divina vel libros, ut primò armis eos nudaret, & ita faciliùs inermes hoſtis callidus captivaſſet. Quibus ſe non poſſe tradere clamantibus, ipſe rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de palliis altaris (pro Nefas) camiſias ſibi & femoralia faciebat. Qui Proculus hujus rei executor fruſtatim ſibi comedens linguam, in brevi turpiſſima conſumptus eſt morte.

Victor de perſec. Wand.

Leo Conſtantini Copronymi filius, religioſus quidem & pius ab initio, verùm ubi coronam Eccleſiæ à Mauritio donatam geſtaſſet, carbunculi morbo vexatus, ardenti febre tandem extinguitur.

Glycas p. 4. Anna. Zona to. 3. Ann.

I. Debentne Epiſcopi & alii Eccleſiarum Rectores magnis animis immunitatem Eccleſiaſticam tueri, & ſi opus fuerit, pro ea inviolabiliter conſervanda fortiter occumbere?

I. Ita. Hujus rei illuſtre exemplum habes in Breviario Romano ad diem 29. Decemb. de S. Thoma Cantuarienſi.

LECTIO XVIII.

Non facies tibi ſculptile ut adores illud.

I. QUid prohibetur hâc 3. parte primi præcepti?

Declaratur pars primi Præcepti.

R. Quod dictum eſt in 2. parte. *Non habebis Deos alienos coram me*; hoc ipſum perfectiùs explicatur dum prohibentur coli figmenta. Prohibentur igitur fieri imagines, aut ſtatui ſimulachra ad cultum divinitatis, quaſi vel ipſa imago eſſet Deus, vel creatura per eam repræſentata, vel quaſi aliqua imago divinitatem exprimere poſſet. Tertull. l. 2. cont. Marcion. In hac igitur lectione de Imaginibus; in ſequenti de Idololatria agemus.

Aug. in quæſtion. ſuper Exod. q. 7. l. 2.

I. Pugnatne adverſus hoc primum Decalogi præceptum, quo verus unius Dei cultus ſtatuitur, receptus in Eccleſia Imaginum uſus.

R. Minimè, ſatis enim novimus Imagines nec vivere, nec ſenſu aliquo prædicatas eſſe; undè nec ipſis adgeniculamur tanquam aliquid ab Imaginibus, aut ſimulachris rogaturi, ſed illas dumtaxat honoraturi; quod Deum aut Sanctos, quos coram imaginibus colimus repræſentent.

I. Eſtne hic uſus & doctrina Eccleſiæ?

R. Eſt, uti ex Conc. Nic. II. act. 2. colligere licet, ubi habentur hi verſus ex Græco latinè redditi:

Hoc Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa.
Hunc recolas, ſed mente colas, quod cernis in illa.

Vid Conc. Trid. ſſ. 25. *de invoc. ven. & reliqq. Sanctorum & ſac. Imag.*

Deus hic non prohibet abſolutè imagines effingi.

I. Non prohibet ergò Deus abſolutè ſculpi imagines, aut fieri ſimulachra?

R. Non, ſed cum hac tantum conditione, ut pro Diis non habeantur, aut quaſi Dii colantur.

I. Poſſes id probare?

R. Ita, Nam Exod. 25. ſic habetur: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi.* Et num. 21. *fac ſerpentem æneum & pone eum pro ſigno, qui percuſſus ab ignitis ſerpentibus aſpexerit eum, vivet.* Vide Amb. ſerm 55. & Aug. ſerm. 101. de temp. Hinc argumentor in hunc modum: Moyſes ex Dei mandato ſtatuit in medio populi ad Idola proniſſimi, ſerpentem æneum etiam poſt prohibitionem ſculptilium imaginum; cur non licebit Chriſtianis crucis effingere imaginem, ut in illam reſpicientes pio mentis oculo Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum intueantur, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra? *Salomon fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis.* Et poſt pauca: *Poſuitque Cherubim in medio templi interioris, &c.* Et cur non poterimus ſimilitudinem Angelorum & beatorum ſpirituum effingere, præſertim eorum qui corporali interdùm ſpecie apparuerunt?

Joan. 6.

3. Reg. 6.

Idem Salomon Dei afflante numine, fecit duodecim boves qui mare fuſile ſuſtinerent; & cur nobis fas non ſit fingere aut ſculpere imagines duodecim Apoſtolorum per hoſce boves ſignificatorum?

3. Reg. 7.

Æquè poteſt Scriptura prudentibus & litteratis, ac ſimplicibus & idiotis imago, erroris occaſionem dare.

Si Spiritu ſancto inſpirati Scripturas ſacras verbo vel ſcripto locuti ſunt Sancti Dei homines in gratiam & conſolationem ſapientum & prudentium; cur non ea ipſa quæ in Scripturis divinis continentur myſteria, liceat æquè imaginibus & ſimilitudinibus exponere parvulis & illiteratis ad ſuam ipſorum conſolationem & inſtructionem? Et, ſi rectè diſcernimus & dijudicamus nullam ſacris Litteris ſubeſſe divinitatem quæ adoretur; cur tantum periculum eſſe poteſt, ne imperita multitudo Catholicorum imaginibus eam ſubeſſe cenſeat?

I. Sed poſſunt ſimplices facilè in errorem & abuſus induci per imagines?

R. Ideò

Digitized by Google

R. Ideòne tollendi libri ſacri, quòd ſacrilegi homines iis abutantur? Alii cibo, alii potu abutuutur, ideòne mox cibus, potuſque mali & interdicendi? Si ejuſmodi ratiocinationibus ex abuſu deſumptis deferre neceſſum eſt, quid veret, quin ſol, lunæ, ſtellæ & bona firmamenti pars evellatur, ne occaſio præbeatur inſipientibus & vanis hominibus loco numinis ea colendi? Sap. 13. Sufficit quod Epiſcopi doceant, & doceri curent quod decrevit Concil. Trident. Seſſ. 25. de invoc. & vener. & de reliquiis Sanctorum & ſacris Imag.

Huc accedit SS. Patrum conſenſus, qui priorem hanc iſtius præcepti partem: *Non habebis Deos alienos coram me*, intellexerunt de Idololatria interiori; illam verò poſteriorem: *Non facies tibi ſculptile, &c.* de exteriori. Clem. l. 6. ſtrom. Origen. hom. 8. in Exod. Theod. quæſt. 38. in Exod. Auguſtin. quæſt. 71. in Exod.

I. Quem ergò fructum ex imaginibus capimus?

Utilitates ſacrarum Imaginũ.

R. *Primò*, Sanctorum imagines ſunt Idiotis & litteras neſcientibus, inſtar librorum, quibus inſtruuntur, quid ipſi egerint aut paſſi ſint. Gregor. lib. 9. epiſt. ad Serenum. *Secundò*, omnibus paſſim memoriam refricant vitæ, & hiſtoriæ Sanctorum ut illorum exemplo niti, ad eorum vitam ac mores noſipſos conformemus. *Tertiò*, charitatem erga Deum, & ejus amicos ſanctos adaugent, & devotionem excitant. Undè refertur in Synodo VII. quod Gregor. Nazianz. conſpectâ imagine Abrahæ immolantis Iſaac, lacrymas temperare non valuerit. *Quartò*, Imagines ſunt fidei noſtræ profeſſio: atteſtamur enim nobis eorum vitam, & doctrinam placere, quorum imagines diligimus & honoramus; ac proindè deteſtari non ſolùm idololatriam, ſed omnem quoque impietatem, & hæreſim contra quas decertantes ſancti fortiter obierunt. *Quintò*, Imagines ad Chriſti ac Sanctorum honorem pertinent, magnos enim & celebres viros, ſtatuis & picturis honoramus, teſte Euſebio l. 7. hiſtor. cap. 14. Hinc volebat Plato, lib. 11. de legibus, virorum præſtantium imagines proponi. Si enim terreni Regis, Ducis, aut Philoſophi imago honoranda ſit, quantò magis Chriſti & ſanctorum? *Sextò*, proſunt ut fidelium mentes ab evagatione revocent, piis meditationibus foveant, ac denique ut locum ſacrum exornent.

Vide Greg. Nyſſen. de S. Theodoro Martyr.

I. Si tantoperè nobis utiles ſunt imagines, cur eas hæretici confringunt, & igni tradunt?

R. Quia miniſtri ſunt diaboli, ut ſuprà de templorum demolitionibus diximus: qui Chriſto & ſanctis ejus honorem invidet, & ideò imagines, earumque cultum abolere ſatagit.

Exemplũ.

I. Invidetne diabolus honorem ſanctis imaginibus impenſum?

Sophro. prat. ſpirit. c. 45.

R. Ita. *Dicebat Abbas Theodorus Æliotes, quòd fuerit quidam incluſus in monte Olivarum certator maximus. Impugnabat autem illum fornicationis ſpiritus. Die verò quâdam cùm inſtaret illi vehementer, cœpit ejulare ſenex & dicere dæmoni:* Recede jam à me qui mecum conſenuiſti. *Apparuit autem dæmon viſibiliter, dicens: Iura mihi, quia nemini dices, quæ tibi dicturus ſum, & te non ampliùs oppugnabo. Iuravitque illi ſenex dicens: per inhabitantem in altiſſimis, nemini dicam, quæ mihi dixeris. Tunc ait illi dæmon: Noli adorare hanc imaginem, & ultra te non impugnabo.*

Diabolus invidet honorem imaginibus impenſum.

Habebat autem hæc imago expreſſam figuram Dominæ noſtræ Dei Genitricis Mariæ, ferentem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ait incluſus dæmoni: Dimitte me ut deliberem: In craſtinum autem ſignificavit hoc ipſi Abbati Theodoro Æliotæ, tunc habitanti in Laura Pharan, narravitque illi omnia. Senex autem ait recluſo. Verè Domine Abba, illuſus es, quia juraſti dæmoni. Ve-

Digitized by Google

rumtamen benè feciſti hoc revelans: Expediret autem tibi potius, nullum in urbe lupanar omittere, quod non ingrediaris, quàm ut neges te adorare Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum matre ſua. Confirmatum igitur & corroboratum pluribus verbis reliquit eum in loco ſuo. Apparuit ergò dæmon incluſo rurſus, dicens: Quid hoc eſt, peſſimè ſenex, nonne juraſti mihi quod hoc nemini diceres & quare dixiſti ei qui venit ad te? Dico tibi, quod ut perjurus in die judicii judicaberis. Reſpondit incluſus, dicens: Scio quidem quia juravi; verumtamen Dominum & Creatorem meum adorabo, tibi autem non obediam.

Cur diabolus det operam abolendis imaginibus.

I. Undè concepit dæmon tantùm odium in ſacras Chriſti & Sanctorum imagines?

R. Ex eo quòd ab initio Eccleſiæ ædificari cœperunt templa, & in iis ſacræ reliquiæ ac imagines ſanctorum publicæ venerationi exponi, in iis ferè locis, ubi ipſe in idolis à Gentilibus colebatur.

I. Quid præterea ex ſublatis imaginibus promittit ſibi dæmon?

R. Rem nimirum ſuam utiliori compendio facere; id eſt animas in peccata pertrahere. Conatur enim per hæreticorum prædicationes hominibus perſuadere impoſſibilia obſervatu eſſe Dei præcepta; quòd fides abſque bonis operibus ſufficiat; Nunc autem cùm imagines ſanctorum ob oculos nobis ponunt, quid Sancti egerint, quidve paſſi ſunt, corruit facilè omnis diabolica doctrina, & quivis claré advertit, quòd verè poſſibilia ſint Dei mandata, & quòd ſanctè magnis animis reſtiterint non tantùm infidelitati, ſed etiam cuilibet alii peccato uſque ad mortem. Vide S. Greg. epiſt. ad Epiſcopum Maſſilienſem l. 9. epiſt. 9.

Iconoclaſtæ puniti.

I. Dederuntne pœnas qui ſacras imagines è medio ſuſtulerunt, aut irreverenter habuerunt?

Exempla.

R. Eo tempore cùm Guenſii in Belgio tumultuarentur & Monaſterium Franciſcanorum propè Embricam demolirentur; quidam novis dogmatibus dementatus ſupervenit & omnibus jam ſtatuis, imaginibus, & altaribus vaſtatis & exturbatis invenit adhuc reſiduam ibi ſtatuam D. Antonii. Quam iſte protinùs ſacrilegâ manu arripiens, in terram colliſit, pedibuſque conculcavit, & quibuſcumq; poterat indignis modis exagitavit. Aſſiſtebat forte mulier quæpiam Catholica quæ hominem compellans, ait: Quid in te peccavit D. Antonius? quòd ſtatuam ejus tam fœde tractas? Ille protinùs: Quid mihi obſtrepis de S. Antonio: Si quam ille vim, aut virtutem habet, declaret. Nec mora, ille in ſanctum blaſphemus, è veſtigio, igne ſacro, quem vocant D. Antonii, corripitur, totoque corpore uſtulatur, & tandem ſacro igne totus, Deo vindicante, excarnificatus animam exhalat.

Bredemb. l. 3. collat. c. 27.

Bredemb.

Antverpiæ cum eodem anno ac deinceps Iconomachi paſſim Eccleſias devaſtarent, in Monaſterio Franciſcanorum ſimili furore debacchati ſunt; cumque altaria, ſtatuas, ac imagines univerſas eſſent demoliti, progreſſi ſunt tandem ad imaginem B. Virginis Deiparæ amictam ſole & lunam ſub pedibus habentem, ex laqueari Eccleſiæ dependentem. Hanc verò nulla vi, nec arte, quantumcumque fatigarentur, luxare nedum deturbare potuerunt, invictâ illâ & immotâ, invitis omnibus iſtis perdurante, & de furore hoſtium ſuorum triumphante. Ipſi nos eandem imaginem eodem in loco etiam tùm pendentem, paulò pòſt conſpeximus, inquit idem auctor c. 22.

Imaginũ ſacrarum religiosè habitarũ effectus & virtutes.

Anno Domini 560. Iudæus quidam imaginem Salvatoris de Eccleſia furtim deponens, eam telo transfixit, & eam clam in domum ſuam deferens, cùm vellet flammis exurere, ſe ſanguine imaginis cruentatum videns, præ ſtupore eam abſcondit; quam Chriſtiani requirentes, &

per

per veſtigia ſanguinis invenientes, eam ſanguinolentam receperunt, & Iudæum lapidarunt. Ex Sigeberti chronic. & Gregor. Turon. Baron. to. 7. anno Domini 560.

I. E contrà ceſſitne illis benè qui venerandas Chriſti, & Sanctorum imagines in pretio habuerunt?

Exempla. R. Ita. Vide exemplum de S. Joanne Damaſceno, ſup. p. 2. c. 11. lect 8.

Gregorius Pontifex cum ſæviſſima peſtis Romæ graſſaretur, ac multa ſimul alia calamitates accederent, religioſam in die Reſurrectionis ſupplicationem inſtituit, & Virginis Dei Genitricis imaginem in publicum efferri curavit, piamque circumgeſtationem Deus præſenti miraculo comprobavit. Etenim quacumque ferretur imago, peſtilentis cœli gravitas depulſa, & optata ſalubritas in urbe conſecuta eſt. Ubi gratulantibus omnibus Deo, ecce ibi Angelus, qui ſanctam Virginem his vocibus è cœlo alloqueretur: Regina cœli lætare, alleluya, quia quem meruiſti portare alleluya, reſurrexit ſicut dixit, alleluya. *Quam orationem ſimul atque Gregorius coram audivit, divino ſpiritu ſtatim excitatus eam in hunc modum explevit:* Ora pro nobis Deum, alleluya. *Quod canticum indè manſit ſolemne in Eccleſia, & Paſchalis lætitia argumentum quotannis eſſe conſuevit.*

Baro. to. 8. an. Domini 590.

In Martyrolog. Roman. ad diem 23. Februarii ſic habetur: *Conſtantinopoli S. Lazari Monachi: qui cum ſacras imagines pingeret, Theophili Imp. Iconoclaſtæ juſſu diris ſuppliciis excruciatur, & manus ei candenti ferro comburitur: ſed Dei virtute ſanatus, abraſas imagines ſanctas pingendo reſtituit, ac demum in pace quievit.*

Vide m Mart. ad 22 Ian. de imagine S. Anaſtaſii Mart.

I. Eſtne toleranda Catholicorum conſuetudo qui Chriſti, & Sanctorum imagines, non in templis ſolùm, ſed etiam in domibus privatis & publicis compitis ad cultum & venerationem eis exhibendam ſtatuunt?

R. Planè. Vide quæ in lec. 5. prælud tradidimus de imagine crucis. Imò valdè utiliter in cubiculis ſuis & oratoriis Catholici venerandas Chriſti crucifixi, & Beatiſſimæ Virginis imagines pro matutinis ac veſpertinis precibus ſuis, & aliis etiam diurnis animi recollectionibus exponunt.

LECTIO XIX.

De Idololatria.

I. IMagines Chriſti ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habere & retinere, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiri, eſtne Idololatria? *S. Tho. q. 94.*

R. Minimè, docuimus enim in præcedenti lectione nos in Imaginibus ſacris Deum ac Sanctos venerari, qui eſt religionis actus; Idololatria autem non eſt religio, ſed ſuperſtitio. Secundo docuimus id ſanctum eſſe ac religioſum & ab Eccleſia olim uſitatum.

I. Quid verò *Idololatria*? *Idololatria quid ſit.*

R. Appoſitè moves hanc quæſtionem, nam reverà qui nos Idololatriæ circa imaginum cultum accuſant, non intelligunt neque ſciunt quid ſit *Idololatria*.

Idololatria igitur propriè non eſt aliud, quàm cultus quo quis aliquid creatum colit loco Dei, ſeu eo cultu qui ſoli Deo congruit. Sic dicta, quod plerumque in idolo, vel per idolum exercebatur.

I. Quid eſt Idolum?

R. Eſt imago vana, vel rei quæ non eſt, undè meritò imagines falſorum Deorum vocantur idola, quia ſunt ſimilitudines Numinum quæ non ſunt. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo.* I Cor. 8.

I. Non committunt igitur Idololatriam Catholici genuflectentes, coram Imagino Chriſti, aut B. Virginis? *Catholici adorantes ſive honorantes imag. non*

R. Minimè.

I. Declara.

R. Pri-

Digitized by Google

ab Idololatria ſunt immunes.

R. *Primò*, Imagines in Eccleſia Catholica non ſunt inanes, vanæ, mendaces, chimericæ: repræſentant enim nobis verum Numen & Sanctos, quæ ſunt realitates & entia realiſſima, adeòque honore & cultu digniſſima. *Secundò*. Idololatræ adorabant idola & ſimulachra argentea, lignea, lapidea iis ſeſe ſubmittentes: Catholici verò ab imaginibus nihil expectant, neque in iis ſpem ſuam collocant, ſed in Deo & Sanctorum ſuffragiis quos in imaginibus venerantur Vide Conc. Trid. Seſſ. 25. *in decreto de invoc. ven. & Reliq. Sanctorum & ſacris Imag.*

Hæc ut meliùs intelligas; adverte; ſicut in cultu religionis concurrunt tres vel quatuor actus; ita in Idololatria. *Primò*, opinio divinitatis, vel perfectionis Deo propriæ. 2. Affectus reverentiæ, quo quis vult ſe illi, tanquam Numini ſubmittere. 3. Externum ſignum, quo interior exiſtimatio & ſubmiſſio ſignificetur; quod ſignum quale ſit, non refert, nam omnia ſigna externa honoris præter ſacrificium, communia ſunt Deo & creaturis; ſed ex intentione utentis determinantur ad excellentiam divinam vel creatam ſignificandam, ut ſuprà lect. 1. hujus capitis dictum eſt.

I. Age modò, cur genua flectendo coram imagine more Catholicorum non committitur Idololatria?

R. Quia id non agunt ex opinione divinitatis, ſive alicujus excellentiæ Deo propriæ.

I. Quam igitur ob cauſam genua flectunt?

R. Quodcumque honoris & venerationis officium quod coram imagine exercemus, procul dubio, ad imaginem aliquo modo terminatur, eamque afficit, nam aliàs non veneraremur aut honoraremus imagines; ſed tamen motus animi qui in imaginem ut in ſignum fertur, longè differt ab eo quo in ſignatum & prototypum fertur, tanquam in rem per ſe, abſolutè, ac independenter honore dignam: in imaginem verò fertur, ut in ſignum prototypi; ratione cujus honor exhibetur quidem imagini, ſed imperfectior quàm ſit perſonæ intelligenti proprius, qui vocatur, *latria*, *dulia*, *vel hyperdulia*. Et hæc eſt mens, ſenſus & exiſtimatio Catholicorum, qui ſciunt quidem omnem imaginis honorem in exemplar tranſire, quanquam mediatè & conſequenter, non immediatè ac formaliter; docent tamen imaginibus deberi honorem & venerationem, non ſolùm quia in eis, coram illis aut per illas exemplar honoramus, ſed etiam, quia honoris officia in ſe immediatè terminant. Imagines enim oſculamur, geſtamus, loco honorifico collocamus, coram eis caput aperimus, genua flectimus, procumbimus, aliaque id genus honoris officia exercemus. Quia tamen omnis excellentia imaginis in relatione ad rem ſacram conſiſtit, ſequitur non abſolutum & independentem, ſed relativum honorem ei deberi, & à Catholicis impendi. Animos advertite hæretici, & dicite, quid in iſto peccent Catholici, & quâ ratione de Idololatria accuſandi veniunt.

Imagini non abſolutus, ſed reſpectivus cultus impenditur.

Certè adoravit Jacob faſtigium virgæ Joſeph, & in eo poteſtatem ejus à Deo ipſi conceſſam in Ægypto, vel potiùs Meſſiæ venturi ex virga Jeſſæa & Iſraëlitica, puta B. Virgine; nonne in facto ſuo Idololatra cenſendus ſanctus Patriarcha? Imò verò ex hac adoratione virgæ, ſive ſceptri Joſephi Patres Concilii Niceni II. probant adorationem, & cultum imaginum, eumque non in imagine hærere, ſed ad prototypum ſuum referri & tranſire docent. Sicut enim Jacob incurvans ſe ſceptro Joſephi, non ipſum ſceptrum, ſed Joſephum Principem (cujus ſymbolum & imago erat ſceptrum) adoravit: ità cùm veneramur imagines, non tam imagines quàm Sanctos, quorum ſunt imagines, veneramur. Si Catholici in imaginum veneratione ſuperſtitioſi ſunt, quidni ſuperſtitioſus fuit

Gen. 48.
Heb. 11.

Digitized by Google

fuit Jacob, qui ſceptrum Joſephi adoravit.

I. Fueruntne igitur aliqui uſque adeò cœci & ſtulti, ut idola pro Deo colerent.

R. Ita. Multi gentiles putabant ipſa idola lignea, lapidea, argentea, aurea, eſſe Deos: alii qui tamen ſapientiores, uti Philoſophi, ſciebant ipſa idola non eſſe Deos, ſed tantùm in idolis ipſis Deos repræſentari: veruntamen omnes tàm hi, quàm illi, ipſa idola uti Deum, vel numen aliquod adoraverunt, & adoranda crediderunt: idque quia putabant idola eſſe corpus Dei, aut eſſe ſimulachrum Dei, aut eſſe locum & ſedem Dei, cui quaſi naturaliter adhæreret, & præſens eſſet Deus. Denique cenſebant omnes, idolum habere aliquid numinis, ut cùm ad illud irent, ad Deos ſe ire putarent, ait Cicero l. 1. de natura Deorum; iiſque quia videbant idolum loqui, & oracula dare. Vide Auguſtinum ſæpiùs id genus argumenti tractantem in libris de Civit. Dei, l. 3. c. 12. l. 4. c. 10. & ſeqq. l. 6. c. 9. l. 7. c. 23. l. 18. & alibi.

Excipe hic paucos gentilium ſapientiſſimos, qui idola colebant non ex animo, ſed metu legum, & ut populum metu Deorum in officio continerent, ut teſtatur præcitato loco Cicero.

En quo labitur humana etiamſi docta infirmitas & cœcitas, ſi à Deo deſeratur, ſibique relinquatur.

Idololatria magnum peccatum.

I. Eſtne Idololatria grave peccatum?

R. Graviſſimum; quia honorem divinum & divinitatem ipſam quantum in ſe eſt, transfert ad creaturam: ſicut graviſſimum in Republica cenſetur crimen, ſi quis alium quàm legitimum Principem pro Rege habeat, eique honorem regium deferat. Vide Sanctum Thomam ar. 3.

I. Suntne Sancti vehementer idola execrati?

Sancti vehementer idola execrati.

R. Ita. S. Euſtratius militum ſub Diocletiano Dux in Armenia, cùm à Lyſia præfecto compelleretur ad idola colendum, reſpondit intrepidè: Execrandos dæmones & ſurda ſimulachra, nullus homo unquam qui compos eſſet mentis, cenſuit adoranda. Dictum eſt enim: *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, pereant.* (Jerem. 10.) Quare igne aduſtus, & virgis laniatus, nullam dedit vocem aut vultûs mutationem, quaſi in alieno corpore pateretur, irridenſque tyrannum & acerbiſſima quæque paſſus, tandem ad rogum quaſi ad epulas accedens, indè potius cum flamma ad Deum evolavit. Feſtum ejus recolit Eccleſia 13. Decembris.

7 Martii.

Similiter S. Perpetua, & S. Felicitas cum cognatis revocato, Saturnino, & Secundolo damnatæ ad beſtias, euntes ad amphitheatrum alacres & intrepidè canebant: *Omnes Dii gentium dæmonia, Dominus autem fecit cœlum & terram.* Quocirca juſſu Præſidis multis alapis cæſæ, majori tamen animi & vocis contentione eundem verſum iterarunt, laudantes & glorificantes Deum. Ac generosè ingredientes amphitheatrum; mox S. Perpetua & Saturninus à leonibus, S. Felicitas verò à leopardis dilacerata in cœlum evolarunt anno Domini 205. imperante Severo.

Theod. l. 3. hiſt. c. 17. Mart. Rom. 9. Octob.

Similiter S. Publia Mater S. Joannis Chryſoſtomi, mortuo marito, chorum virginum inſtituens, factaque Abbatiſſa, transeunte Juliano Apoſtata cum ſuis virginibus contentiori voce cecinit illud Davidicum: *Simulachra gentium argentum, & aurum*: Et, *Similes illis fiant, qui faciũt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

Julianus indignatus juſſit eas tacere. At Publiâ jubente fortiùs & alacriùs cecinerunt. *Exurgat Deus & diſſipentur inimici ejus.* Quare Julianus Publiam alapis cædi, genaſque ejus cruentari juſſit. Illa verò hanc contumeliam pro ſummo honore ducens, domum reverſa, tyrannum, ut ſolebat, ſpiritualibus cantilenis perſtrinxit.

Digitized by Google

Origo & progreſſus Idololatriæ.

I. Quæ fuit origo Idololatriæ?

R. Prima origo Idololatriæ fuit deſiderium præſentiæ mortuorum: nempè quo parens mortuum filium proſequebatur, ei ſtatuam erigens, in qua veluti præſentem retineret & cerneret. Huic accedebat tyrannis, per quam jubebat eum à domeſticis coli, ut non mortuus, ut in Deos relatus videretur. Colligitur hoc ex Sap. 14. ubi dicitur: *Initium fornicationis exquiſitio idolorum &c.*

Primus modus Idololatriæ in cultu mortuorum.

Secundus in cultu vivorum

Secundus Idololatriæ modus fuit, quo ipſæ ſtatuæ per ſe, tanquam numine plenæ & animatæ coli cœperunt: & quia diabolus ſtatuis illis mox, ut dicatæ erant, ſe inſinuabat, eiſque motum, vocem, & quaſi vitam dabat, ac reſponſa per eos edebat; putabant etiam ſe poſſe Deos facere, quã poteſtatem miratur & extollit Mercurius Triſmegiſtus, ut refert S. Aug. l. 8. de civit. c. 23.

Tertius in cultu partium mundi.

Tertiò, capti pulchritudine & admirandâ virtute corporum cœleſtium & elementorum, nec conſiderantes undè eam haberent, etiam his cultum divinum cœperunt exhibere, & eorum imagines dedicare. Vide Sap. 13.

Quartus in cultu cujuſvis rei utilis vel noxiæ.

Quartò, creſcente pravâ conſuetudine, eouſque hæc Idolomania invaluit, ut ſi aliquid eſſet quod aliquam utilitatem vel noxam adferret hominibus, mox pro Deo coleretur, ut commoda ſui generis conferret, incommoda averteret. Sic bovem, ovem, capram, canem, ſerpentem, crocodilum, &c. coluerunt. Vide Auguſtin. lib. 4. c. 8 & lib. 6. c. 9. & 7. c. 23. de civit. Imò omnibus ferè rebus quæ ad uſum humanum pertinent, Deos vel Deas præficiebant, ut melius ſuccederent, ut oſtendit S. Auguſtinus locis citatis.

Cùm enim perſuaſum haberent, ad negotia hujus vitæ, ut rectè cedant, & adverſitates vitentur, occultâ quâdam directione alicujus numinis, & inviſibilis cujuſdam virtutis opus eſſe (hæc enim apprehenſio naturaliter eſt omnibus inſita) hoc numen cùm neſcirent eſſe ſimplex & unicum, in partes innumeras pro diverſitate negotiorum vel operum ſecuère, & ſingulis negotiis ſingula numina præpoſuère, v. g. aliud rei bellicæ, aliud rei nauticæ, aliud agriculturæ, aliud venationi, aliud nuptiis, &c.

I. Cur Deus cùm traderet Hebræis Decalogum tam ſeriò & tam expreſsè prohibet eis Idololatriam in his verbis: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea neque coles: Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.* **Exod. 20.**

R. Quia Dominus Iſraëliticam gentem ducturus erat in terram promiſſionis, in qua habitabant gentes, quæ adorabant & colebant idola, dæmones, ſolem, lunam, reliquaſque creaturas, &c. diligenter ei præcepit, ne facerent ullam ſimilitudinẽ, &c. Poſtquam autem ab Idololatria abduxiſſet, juſſiſſetque tabernaculum teſtimonii fabricari, Moyſes ſenſibilia Cherubim, habentia hominum formam, &c. formavit.

Epiph. in Conc. Nic. II. act. 6. Tertul. l. 2. cont. Marcion.

LECTIO XX.

De Irreligioſitate.

POſtquam ſatis prolixè de ſuperſtitione, vitio religioni per exceſſum oppoſito egimus; oſtendimuſque per cæremonias Eccleſiæ, cultum Sanctorum, & ſacrarum reliquiarum, necnon uſum & venerationem imaginum, nihil cum ſuperſtitione commune habere, proximum eſt ut de irreligioſitate eidem virtuti per defectum, etiam oppoſitâ, aliquid dicamus.

I. Quid igitur irreligioſitas?

Irreligioſitas.

R. Eſt vitium religioni oppoſitum per defectum, uti ſuperſtitio oppoſita eſt eidem virtuti per exceſſum. Habet verò irreligioſitas duas principales & huic loco proprias ſpecies, Tentationem Dei videlicet & ſacrilegium. Vide S. Tho. 2. 2. q. 97. 98. 99. & 122.

I. Quid

I. Quid eſt tentatio Dei?

Tentatio Dei. R. Tentatio Dei eſt quando quis abſq; juſta cauſa aliquid dicit vel facit, ad capiendum experimentum divinæ potentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ, miſericordiæ, voluntatis aut alterius attributi, v.g ſi voluero ambulare ſuper aquas ad inſtar S. Petri, aut me purgare per ferrum candens. &c. ſi relictis cauſis ſecundis, quæ ſunt ad manum, totum me committam divinæ providentiæ, exſpectaturus ab eo miraculum. Huc refer duella graviſſime ab Eccleſia prohibita.

C. omnibus, & C. conſuluiſti 2. q 4.

C Monomachiam ibid. & Conc. Trid Seſſ. 25. c. 9. de ref.

I. Tentatio Dei eſtne grave peccatum?

R. Ita. Nam eſt contra reverentiam divinam, ut prætermiſſo communi rerum ordine auxilium extraordinarium à Deo petatur vel exſpectetur. Vult enim Deus ordinem naturalem, quem inſtituit ſervari; undè qui ſecus agit, videtur liberiùs & audaciùs cum Deo agere, quàm conveniat noſtræ humilitati, & illius celſitudini. Immò non caret iſte modus cum Deo agendi, ſuſpicione perverſæ, aut ſaltem modicæ fidei.

I. Si quis exemplo Chriſti vellet jejunare abſque omni cibo, & potu quadraginta dies, & quadraginta noctes, tentaretne Deum?

R. Ita; Nam hoc eſſet expectare, & extorquere quodammodò à Deo extraordinarium auxilium, ſine quo jejunare taliter omninò non poſſet. Si qui Sanctorum mirabilia quædam fecerunt, quæ omnem naturæ modum & ordinem ſuperant, id minimè fecerunt abſque divino inſtinctu & inſpiratione, ex qua ſcirent ſe opem extraordinariam à Deo poſſe petere & exſpectare. Iſtius generis fuerunt Abraham petens à Deo ſignum undè ſciret ſemen ſuum poſſeſſurum terram Chanaam, & Gedeon Judic. 6. vide in vita S. Simeonis Stylitæ, & S. Catharinæ Senenſis.

Gen. 15.

Miracula Quod ad miracula ſpectat, quæ Sancti ad Dei gloriam, & converſionem gentium patrarunt, nihil irreligioſitatis habent, cùm in nomine Domini, ab iis qui miraculorum dono præditi, vel peculiari Dei inſtinctu ad hoc impulſi erant, facta ſint.

I. Cur tentationem Dei ad primum hoc Decalogi præceptum refers.

R. Jam ſatis inſinuavi, quia qui tentat Deum, irreverentiam ſummæ ejus Majeſtati infert, agens cum eo tanquam cum hiſtrione.

I. Quid eſt *Sacrilegium?*

Sacrilegium. R. Eſt violatio rei ſacræ, ſive eſt injuria & irreverentia quæ fit Deo, indignâ tractatione rei ſacræ.

I. Quot ſunt ſacrilegii ſpecies?

Variæ ſacrilegii ſpecies. R. Diſtinguendæ ſunt ſpecies ſacrilegii ſecundùm diverſitatem rerum ſacrarum Porrò D. Thom. ponit tria genera rerum ſacrarum: tribuitur enim ſanctitas perſonis & locis, & aliis rebus ad cultum Dei ordinatis Et hoc modo ſtatuit tres ſpecies ſacrilegii. Primam, quâ violatur perſona. Secundam, quâ locus. Tertiam, quâ res alia. *ſup. lect. 17.*

Ex violatione perſonæ ſacræ I. Declara mihi paulò ampliùs quid pertineat ad 1. ſpeciem?

R. Huc pertinet 1. percuſſio clerici. 17. *q. 4. can Si quis ſuadente.*

2. Si à perſonis Eccleſiaſticis exigantur vectigalia per Principes ſæculares contra canones. Vide Conc. Trid. Seſſ. 25 c. 20. de reform diſt. 96 & 11 q. 1. per totam & X. de immunit. Eccleſ. & in jure civili Authen ut clerici proprios Judices conveniant collat. 6.

Item huc ſpectat, earumdem perſonarum pertractio ad tribunal ſæculare *X. de foro compet. Si diligenti, & in 6. eod. c 2.*

3. Fornicatio ordine ſacro initiati, Religioſi, & Religioſæ, & cujuslibet votum caſtitatis habentis 30, q. 1. c. finali.

I. Quid pertinet ad ſecundam ſpeciem?

R. Omnia quæ fiunt contra ſanctitatem loci ſacri.

1. Effractio vel incendium loci ſacri;

 eject-

Digitized by Google

Ex violatione ſacri loci. everſio altaris; nota ſunt è Scripturis ſacrilegia Regis Antiochi 1. Machab. 1. 2. & 6. & l. 2. c. 4. & 8. Nabuchodonoſoris Dan. 1. Balthaſaris Dan. 5. & nobis ob oculos indies verſantur Calviniſtarum nefanda ſacrilegia, quæ pro reformatæ ſuæ religionis impietate ubique committunt.

2. Effuſio injurioſa ſanguinis, effuſio ſeminis, excommunicati vel infidelis ſepultura, extractio violenta perſonæ quæ aſyli cauſâ eò ſe contulit; quod intellige, niſi ſint perſonæ in Bulla Gregor. XIII. exceptæ, quæ juſſu Epiſcopi extrahi poſſunt.

3. Huc etiam referri poſſunt, mercatus, deambulationes, clamores, & alia ejuſmodi profana, quæ per ſe cultum divinum impediunt *c. decet. 2. de immunit. Eccle.*

4. Ingreſſus intra ſepta Monaſterii monialium ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta. Vide Concil. Trident. Seſſ. 25. c. 15. *de reg. & monial.*

I. Quomodò committitur ſacrilegium quoad res alias?

Ex violatione rei ſacræ. R. Multæ ſunt res aliæ ſacræ quæ aliquo modo temerari & profanari poſſunt.

1. Sacramenta quæ ſanctitatem efficiunt.

2. Quæ rebus ſacris adminiſtrandis ſunt inſtrumenta, ut vaſa ſacra, veſtes ſacræ, ornamenta.

3. Scripturæ, ſive verba ſacra, quæ res ſacras & ſanctas ſignificant.

4. Imagines ſacræ, quæ Chriſtum Dominum, & Sanctos repræſentant.

5. Reliquiæ Sanctorum, vel certè rerum ſacrarum particulæ.

6. Dies Dominici & Feſti, qui ſunt menſura actionum ſacrarum.

7. Bona Eccleſiaſtica, quæ ad ſuſtentationem perſonarum Eccleſiaſticarum vel inſtaurationem ſacrorum locorum, aut ad perfunctionem divinorum ſunt dedicata.

I. Optimè. Sed quibus modis circa hæc omnia committi poteſt ſacrilegium?

R. Ad hanc ſpeciem ſacrilegii quæ circa res ſacras verſatur, *Primò*, referenda eſt omnis injuria, omniſque abuſio Sacramentorum: item perceptio & adminiſtratio eorumdem, præſertim ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, in ſtatu peccati mortiferi. Dixi *præſertim ſanctiſſimæ Euchariſtiæ*; quia cùm illa ſupremum locum inter Sacramenta teneat, utpotè, quæ non ſolùm ſanctitatem efficit, ſed etiam ipſum fontem ſanctitatis realiter continet, ejus violatio, aut indigna tractatio graviſſimum ſacrilegium eſt.

Secundò, abuſio & violatio vaſorum ſacrorum, ut ſi quis utatur calice conſecrato ad potandum, ſicut Balthaſar vaſis templi: ſi ex veſtibus ſacris conficiat ſibi veſtes profanas, uti caligas & thoraces, prout multi fecerunt hæretici; ſi res hujuſmodi ſurripiat, &c. *Dan. 5.*

Tertiò, abuſio ſententiarum ſacræ Scripturæ ad ſuperſtitiones, ad facetias, ad amatoria, ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, diabolicas incantationes, divinationes, ſortes, libellos etiam famoſos, &c. Item ad ſtabiliendas hæreſes ut docet S. Thom. Item irreverentia omnis quæ committitur in recitando vel cantando officio divino. *Conc. Trid. Seſſ. 4. decret. de edit. & uſu ſac. librorum. 2. 2. q. 99. a. 2.*

Eodem pertinet muſica laſciva vel profana rebus divinis adhibita.

Quartò, confractio imaginum ſacrarum vel indigna earum tractatio, ſi idfiat, ut Sancti per eas non colantur, vel ex contemptu illorum, ficut fit ab hæreticis; ſi indecorè pingantur vel ſculpantur.

Quintò, ſi Reliquiæ Sanctorum indecorè habeantur, ſi diſſipentur, ſi igni tradantur eo animo ne colantur. Vide exempla ſuperiori lectione 16.

Sextò, ſi dies ſacri operibus ſervilibus vel aliis prohibitis violentur. Exempla vide infrà c. 4. lect. 1.

Digitized by Google

Septimò, invaſio bonorum vel jurium Eccleſiaſticorum, retentio Eccleſiæ legatorum, *&c.* Vide in Canonibus 17.q.4. ſuprà lect.17.

Octavò, huc etiam accedunt qui decimas, Eccleſiis obvenientes, variis artibus ſubtrahere aut impedire moliuntur. Vid. Conc. Trid. Seſſ.25.c.12. Exempla habes infra c.8 lect.2.

I. Ditioreſne effecti ſunt Principes qui modernis hæreſibus infecti bona Eccleſiaſtica diripuerunt, templa ſpoliaverunt, monaſteria deſtruxerunt, & piis quibuſcumque fundationibus potiti ſunt?

R. Minimè, quin potiùs pauperiores evaſerunt; *Mala enim parta pejùs dilabuntur* Audi exemplum

Exemplum mirabile.

Nic. Sander. de ſciſmate Anglic.

Anno Domini 1543 argenteus nummus qui ſolebat in Anglia purgatiſſimus extare, ab Henrico VIII in æreum converti cœptus eſt, non ſine manifeſta Dei vindicta in ſacrilegia, & rapinas regias conſtituta & expetita. Cùm enim tot ac tanti monaſteriorum in Anglia theſauri eſſent, ut eorum vel decima pars etiam avariſſimi Regis mentem explere potuiſſet, tamen Henricus cum theſauros ubique omnes, cùm cruces argenteas, aureas, omniaque ſacra vaſa, cùm altarium ornamenta, cùm omnem ſupellectilem mille penè monaſteriorum, cùm omnia prædia, fundos, fructus, jura, & actiones in ſuam poteſtatem redegiſſet, cùm prætereà decimas & annatas omnium beneficiorum per univerſam Angliam exigeret, & adeò cùm ipſum plumbum ligna atque lapides monaſteriorum ubique venderet, ex eoque debuiſſet in æternum omnia civibus ſuis tributa, & vectigalia remiſiſſe (id quod facturum ſe ſimulabat, ut cives eò libentiùs in monaſteriis evertendis ipſius libidini aſſenſum præberent) imò cùm debuerit quocumque Chriſtiani orbis Rege, argento præſertim & auro ditior extitiſſe; adeò tamen in contrarium ea res ex Dei juſtiſſima voluntate ceſſit, ut multò pauperior intra paucos annos poſt expilationem iſtam fuerit, quàm unquam antè aut ipſe, aut majores ejus fuerunt. Quin ille ſolus plura tributa, & vectigalia civibus ſuis impoſuit, quam omnes ſimul Reges per quingentos ante annos fecerant. Cumque ſtantibus adhuc monaſteriis, vulgo Pſeudo-Evangelici jactitarent neminem in Anglia pauperem deinceps fore, ſi ſemel clauſtra ſacra dirumperentur, & theſauri, quibus Abbates incubarent, prædiaque & agri, quibus pauci jam monachi alerentur in manus plurium devenirent; adeò nihil eorum reipſa extitit, ut pro ſingulis, qui antea oſtiatim victum quæritabant, nunc viginti ad minimum non modò idem vitæ genus ſequantur, ſed etiam quod miſerrimè quæritant, interdum vix inveniunt.

Henrici VIII. cupiditas & impietas in expilandis locis ſacris per Angliam.

I. Nunquid etiam ſacrilegii ſpeciem habet, quando quis contra ſacros canones plura ſimul pinguia beneficia retinet?

Pluralitas beneficiorum.

R. Ita planè. Vide in extravagante Joannis XXII. quæ inde emergant incommoda.

I. Eſtne periculoſum plura ſimul retinere beneficia, præſertim ea quæ incompatibilia dicuntur?

L. 1. de p. univ. bonoc. 19. 10.

R. Ita; Nam Alexander III.c. *Quia in tantùm*, de præbendis. Dicit hoc certum continere periculum animarum, & probatur exemplo ſequenti: ego in quadam civitate Epiſcopali (inquit Thomas Cantipratenſis) annis undecim adolevi, ubi ſexaginta duo Canonici ſub præbendis ducentarum ferè librarum Pariſienſium in matrice Eccleſia ſerviebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Vide ergò qualem vindictam Dei vidi in ipſos turpiſſimos detentores. Mihi teſtis & Judex ſit Sancta Trinitas unus Deus, quod paucos eorum vidi communi morte defungi, ſed ſubitò omnes & reprobè mori: ita quod quidam eorum, audito quòd unus ſociorum in nocte ſanus, manè mortuus inventus eſſet, comploſis manibus dixit: Et quid vultis? ſecundùm uſum

Ibid. habes aliud n. 6. Exemplum.

& conſuetudinem Eccleſiæ mortuus eſt, ut videtis. Vidi ego ipſe in Eccleſia eadem infra paucos annos quatuor Archidiaconos ſic defungi. Vide lector, mirare miraculum. Primus eorum de equo phalerato, & grandi cecidit, fractiſque cervicibus expiravit. Secundus, manè ſedens in cathedra mortuus eſt repertus. Tertius, in choro ſtans, cùm ad Miſſam elevatio corporis Chriſti fieret, cecidit ſtupidus, & ſubtractâ loquelâ cum ſenſu, quaſi brutum animal, die tertiâ ſine Sacramentis Eccleſiaſticis eſt defunctus. Quartus, confeſſionem peccatorum & Sacramenta recuſans, mortuus eſt, & extra cœmeterium ſepultus.

I. Quid verò de illis qui pretio, vel aliis illicitis pactis beneficia obtinent, vel potiùs extorquent?

Simonia. R. Simoniam committunt, quæ turſum eſt alia ſacrilegii ſpecies. Vid 1. q. 1.

I. Simoniaci damnantne animas ſuas?

Act. 8. R. Ita. Dixit enim B. Petrus Simoni Mago (undè Simoniaci) offerenti Apoſtolis pecuniam, & dicenti: *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum, dixit inquam Petrus: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c.*

¶ Hactenus ſatis de primo Decalogi præcepto, ubi tractavimus de fide, ſpe, charitate, & religione, viriiſque iiſdem virtutibus oppoſitis, ut de infidelitate, atheiſmo, hæreſi, præſumptione, deſperatione, & cæteris quibus primum Decalogi præceptum violatur.

I. Nihilne ſupereſt notatu dignum circa hoc præceptum?

S. Th. 1. 2. q. 100. a. 7. ad 4. R. Nihil, niſi acerba comminatio in eos, qui legi divinæ non obediverint; & magnifica Dei promiſſio eis facta qui præcepta Dei ſervaverint; ait enim: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, &c.*

I. Quid hoc ſibi vult quòd *Zelotem ſe Deus* dicit.

R. Zelus hic Dei non cruciatum animi, ſed tranquilliſſimam ſinceriſſimamque juſtitiam ſignificat, qua animam impunè non ſinit fornicari. Sequitur enim. *Reddens iniquitatem* (pœnam iniquitatis) *patrum in filios, in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me.* Quod intellige de filiis qui peccata parentum imitantur. Ita communiter Patres. q. d. Ego Deus tam ſeverè ſum juſtus, ut peccata parentum in filios, qui eos imitantur, vindicem, ut tam filii quàm parentes in filiis ſuis puniantur. Licet enim videar ſilere aliquamdiu, ſi tamen videam filios, aut nepotes iiſdem veſtigiis inſiſtere, & menſuram patrum implere, gravior in eos incumbet animadverſio mea, quam ſi nulla parentum peccata præceſſiſſent. Solet enim Deus non ſtatim ad peccata vindicanda proſilire: ſed expectare donec menſuram peccatorum à ſe definitam multitudine ſuâ, & enormitate homines compleverint, uti patet ex Scripturis. Cùm verò completa fuerit hæc menſura, tunc uno quaſi gurgite effundit iram ſuam Deus, graviuſque punit poſteros, non quam merentur, ſed quam puniviſſet, ſi ſoli ipſi peccaſſent.

S. Aug. cont. Adimant. c. 11. Exod. 20. Deut. 5. Deus Zelotes qualiter dicatur. Gen. 15. Matt. 23. Menſura peccatorum certa & definita.

I. Sed quæ merces conſtituta eſt obſervantibus præcepta Dei?

R. Sequitur in textu: *Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Exod. 20. Deut. 5.

I. Quid circa hæc animadvertis?

R. Quantum Dei Juſtitiam ſuperet ejus bonitas ac miſericordia. Iraſcitur tertiæ quartæque generationi Deus, miſericordiam verò in millia impertit. Miſericordia Dei ſuperexaltat ejus judicium.

I. Quæ eſt hæc miſericordia quam facit Deus in multa millia, diligentibus ſe?

R. Non aliam arbitror quam vitam æternam promiſſam eis qui ſervant mandata.

I. Quid ex his addiſcimus?

R. Deum

Digitized by Google

R. Deum multos peccatores non paſſurum, ſed in eos acriter ac ſeverè animadverſurum. Vide Deut. 7. & Joſue 24. Proinde dicebat Regius Pſaltes: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.*

Pſ. 118.

I. Nonne valdè mirum eſt homines tam facilè impingere in præcepta Dei?

R. Ita planè, cum Deus fortis & Zelotes tantas pœnas conſtituerit in tranſgreſſores, ac tantam miſericordiam promiſerit diligentibus ſe ſive obſervantibus præcepta ejus.

Appendix hæc minarum & promiſſionis pertinet ad omnia præcepta.

I. Pertinetne hæc appendix comminationis, & promiſſionis Dei, dumtaxat ad primum præceptum?

R. Licet ob ſummum ſcelus prævaricationis primi præcepti, atque hominum ad id committendum propenſionem, aptè hoc loco pœna proponitur; communis tamen eſt omnium appendix præceptorum, & omnis lex ad præcepta ſervanda homines pœnâ, & præmio inducit.

DE SECUNDO PRÆCEPTO.

CAPUT TERTIUM.

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.

LECTIO PRIMA.

S.Tho. 2. 2. q 122. a. 3. 2.

I. Quid ſignificatur hoc 2. præcepto, *non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum?*

R. Quemadmodum primo præcepto mandatum eſt, ut unus Deus ſanctè colatur & adoretur (quod maximè fit in ſpiritu, & interna mentis diſpoſitione, cum Deus ſpiritus ſit) ita hoc ſecundo præcepto mandatur, ut ſanctè quoque & reverenter nominetur. E contra prohibet hoc ſecundum præceptum abuſum divi nominis & irreverentiam. Itaque agitur hic de honore & inhonoratione, quæ in Deum verbis defertur.

I. Quibus modis honoratur Deus verbis, & quibus modis inhonoratur?

R. Quatuor. 1. quidem honoratur Deus verbis cum ex affectu charitatis nomen ejus ſanctè eloquimur. 2. honoratur juramento, 3. votorum nuncupatione. 4. denique invocatione ac laude honoratur.

I. Declara mihi 1. partem quomodò Deus pronunciatione religioſâ nominis ejus honoratur?

R. Si magnâ fide & reverentiâ, ſi ex affectu charitatis ſacroſanctum Dei vel Jeſu nomen pronuntietur; v. c. ſi agitatus, neſcio, quibus vanis vel etiam impuris phantaſmatibus, dixero: *Bone Ieſu, Ieſu poſſide cor meum!* ſi metu perculſus, exclamavero: *Ieſu!* de aliis nominibus par eſt ratio, v. g. *Deus meus, Pater ſancte, &c.* Quanquam debeat nobis ſemper præ cæteris ſanctius eſſe nomen Jeſu ob rationes 1. p. c. 3. lect. 1. adductas.

I. Quomodò verò inhonoratur Deus verbis?

R. Quando abſque juſta cauſa, aut ex prava conſuetudine nomen ejus pronuntiatur; v. c. quando quis irâ percitus vindictam ſpirans dicit: Deus, &c. Quando continuò tritum illud militare verbum *per Deum* verſatur in ore. Quando per neſcio quam pravam conſuetudinem ad ſingulos diſcurſus dicitur: *Ieſus ita, Ieſus non.*

I. Declara mihi ſecundam partem?

R. Dixi nos honorare Deum juramento.

I. Quid eſt jurare? *Iuramentum.*

R. Eſt vocare Deum in teſtem & confirmationem veritatis.

I. Eſtne licitum jurare? S.Tho. 2. 2. q. 98 a. 4.

R. Proculdubio, quandoquidem juramentum ſit actus religionis, quo Deus tanquam prima & infallibilis veritas honoratur; Et, *omnis controverſiæ hominum finis, ad confirmationem, eſt juramentum,* *inquit Apoſtolus.* Deut. 6. Heb. 6.

I. Ju-

Digitized by Google

I. Jurarunt ne aliquando Sancti?

R. Ita, tam in veteri quàm in novo teſtamento. Imò Deus ipſe dignatus eſt aliquando promiſſa ſua juramento confirmare. Gen. 21. 24. 25. 47. Exod. 22. Iſai. 15. 45. 65. 1. Cor. 15. 2. Cor. 1. Rom. 1. & 9. Pſalm. 14. & 109. Luc. 1. Act. 1. Heb. 6.

Deus & Sancti jurarunt.

I. Non deſunt tamen graves auctores qui videntur omninò improbare juramenta?

R. Ita eſt, præſertim Græci; S. Chryſoſtomus, Eutymius, Theophylactus, apud quos, ut ſatis apparet, invaluerat prava conſuetudo leviter & temerè jurandi. Hinc tam crebrò & tam acriter in homiliis ad populum Antiochen. inſectatur S. Chryſoſtomus hoc vitium, & mirantibus quòd aſſiduè idem declamaret, reſpondet: *Dico & repeto quod ſoleo, quia vos dicitis & repetitis quod ſoletis*: aſſeritque ſe ab hac repetitione non deſtiturum, donec ipſi à jurejurando deſiſtant. Cautè igitur legendi ſunt ipſi auctores in hac materia, & ſciendum quem in ea ſibi finem propoſuerint; tollendi nimirum pravam & abſurdam ad ſingula verba & abſque cauſa jurandi conſuetudinem. Refert ergò plurimum, ut, dum ſanctos Patres legimus, advertamus, quo ipſi tempore, quâ occaſione, & apud quos ſcripſerint.

Quidam auctores videntur juramenta abſolutè prohibere, quomodo intelligendi?

Nota.

I. Qui ſimpliciter & abſolutè negant quoquo modo jurare licitum eſſe, errantne?

R. Ita, quemadmodùm Pelagiani, Waldenſes, Wicleſiſtæ & etiamnum Anabaptiſtæ docent nullum juramentum Chriſtianis eſſe licitum, Judæis verò, utpotè imperfectis, fuiſſe permiſſum.

I. Quo fundamento nituntur, ut hunc ſuum errorem ſtatuant?

R. Scripturæ malè intellectæ. Matth. c. 5. *Ego dico vobis non jurare omninò.*

I. Non prohibet igitur ibi Chriſtus Dominus omne juramentum?

R. Minimè, ſed ſolùm vult docere, ut ait S. Aug. & Chryſoſt. malam eſſe propenſionem ad jurandum: & licet juramentum bonum ſit, oriri tamen à malo nec eſſe per ſe appetendum: idque primò ne conſuetudine jurandi in perjurium labamur. *Jurationi* (inquit Eccle. c. 23.) *non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo ejus plaga.*

Ita allegatum Matth. locum intellexit S. Aug. l. de mendacio c. 15. & in ep. 89. ad Hilar. *Monet Dominus*, inquit, *non jurare, non quia peccatum eſt verum jurare, ſed quia eſt graviſſimum peccatum falſum jurare: quo citiùs cadit qui jurare conſuevit.*

Secundò, quia reverentia nominis divini hoc poſtulat; quæ ratio innuitur apud Evangeliſtam Matthæum cit. loco.

Tertiò, quia ea deberet eſſe fides & veritas hominum præſertim Chriſtianorum, ut injuratis credi poſſet; iiſque de facto alii crederent.

Hinc juramento ſobriè utendum eſt neceſſitate id exigente ad confirmationem veritatis, ubi alia teſtimonia & probationes non ſuppetunt. Vide S. Thom. art. 5. Sicuti enim ille longiſſimè ab homicidio ſe ſubtrahit, qui nequidem fratri ſuo iraſcitur; & ab adulterio, qui mulierem non videt; ita procul iſte eſt à perjurio, qui non jurat omninò.

Verùm, quemadmodùm neceſſum eſt interdum medicinæ poculum ob infirmitatem curandam haurire, venam ſecare, theriacam ſumere, ita jurandum aliquando in humanæ imbecillitatis remedium, ad fidem dictis conciliandam apud homines, quibus non ſufficit *ita, & non*; & tunc juramentum, quod eſt ampliùs quam *ita, & non*; non eſt malum, ſed à malo eſt, ſcilicet ab ejus, cui juratur, incredulitate & pervicacia.

Similia.

Hæc ipſiſſima eſt S. Aug. doctrina & interpretatio: *Si jurare cogeris*, inquit, *ſcias* ...

L. de ſer. Domini in monte.

ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid ſuades: quæ utique infirmitas, malum eſt. Itaque non dixit: quod amplius eſt, malum eſt. Tu enim non malum facis, qui benè uteris juratione, ut alteri perſuadeas, quod utiliter perſuades; ſed, à malo eſt illius, cujus infirmitate jurare cogeris.

I. Undè ſciemus juramentum fore legitimum nulliſque obnoxium ſcrupulis?

R. Quando illud comitabuntur certæ quædam conditiones & circumſtantiæ, quas Jeremias adfert prophetiæ ſuæ c. 4.

Vide S. Hiero. in illum locum. *Jurabis*, inquit, *vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*

I. Quid eſt jurare *in judicio?*

R. Hoc eſt, cùm prudentia, diſcretè, præmediatè, providè, reverenter, & ex neceſſaria cauſa. Hinc ad jurandum non admittuntur pueri. 22. q. 5. c. *Honeſtum.*

Tres juramenti circumſtantiæ.

I. Eſtne aliquando grave peccatum jurare abſque circumſpectione & judicio?

R. Ita, ſi quis ex prava conſuetudine id faciat, exponens ſe periculo jurandi quod falſum eſt.

I. Mercatores qui in officinis ſuis aſſiduè jurant per animam ſuam, per Deum, &c. tanti rem valere, peccantne?

R. Ita, quia ut plurimum id faciunt abſque judicio & diſcretione requiſitis.

I. Animadvertitne aliquando Deus in eos, qui indiſcretè jurant, atque ita nomen Dei in vanum aſſumunt?

Exemplum.

Ex Simeone Metaphraſte Lippeloo. 14. Feb.

R. Ita. *Eorum qui ab immundis vexabantur ſpiritibus, ingens quotidie ad D. Auxentium Abbatem confluebat multitudo, ex quibus plurimi ſanctiſſimis ejus precibus ſunt curati. Die quodam venerunt ad eum duo, morbo elephantiaco turpiter deformati, ut ſanitatem ab eo perciperent. Quibus vir ſanctus: Noſtis, inquit, fratres, qua de cauſa ira Dei in vos deſæviat? Vos frequenter leviſſimis de cauſis ſacroſanctum illius nomen ſumitis, juratis, ac pejeratis, adeoque juſto illius judicio præſens hæc calamitas vos premit. Sed jam tandem peccatum veſtrum agnoſcite & ad mentem redite, ut ſanitatem conſequamini. Hæc cum dixiſſet, omnes ad precandum hortatus eſt; & ipſe flexis genibus, & ingenti lacrymarum vi profuſa, tandem ſurgens oleo ſancto à vertice ad pedes uſque eos inunxit, & ſanos atque incolumes à ſe dimiſit.*

I. Nunquid etiam illud eſt juramentum indiſcretum, & abſque judicio, quando dicunt homines: hoc eſt tam verum quàm Deus; vel hoc eſt tam verum, quàm Deus eſt in miſſa, &c.

R. Omninò, nihil enim eſt Deo, qui eſt prima & infallibilis veritas, æquiparandum. Et hoc eſt ſumere nomen Dei in vanum; in quo notabilis infertur nomini Dei irreverentia, dum veritati humanæ & fallibili comparatur.

I. Quid eſt jurare in *juſtitia?*

R. Hoc eſt, ut quod juramus non ſit iniquum, illicitum, aut alicui nocivum.

I. Eſſetne igitur peccatum, ſi quis ſub juramento affirmaret ſe tale vel tale peccatum commiſſurum; v. g. ſe occiſurum, ſe proximum decepturum, *&c.* *Juramenta contra juſtitiam emiſſa illicita.*

R. Ita; eſt enim contra juſtitiam; & ſi grave peccatum eſt id jurare, at certè majus nefas juramentum illud opere complere. Vide Matth. 14. & Marci 6. temeritatem Herodis in jurando, & ejuſdem impietatem in exequendo quod juraverat, de quibus Auguſtinus ſerm. 316. In novis: *Puella ſaltat*, ait, *& Mater ſævit, & inter delicias & laſcivias convivantium temerè juratur, & impiè quod juratur, impletur.* Dum videlicet miſſo ſpiculatore juſſit afferri caput Præcurſoris in diſco, & decollavit eum in carcere.

Simile quoque fuit juramentum Jephte de quo S. Thom. in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. ad 3. *miſerabilis eſt neceſſitas, quæ ſolvitur parricidio.* Vide eundem S. Doctorem 2. 2. q. 88. art. 2. ad 2. Judic. 11.

Act 23. Tale etiam fuit Judæorum jusjurandum, qui devoverunt ſe dicentes, ſe non manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.

I. Quid igitur faciendum, ſi fortè juramento devinxeris te ad aliquid illicitum, vel nocivum proximo perpetrandum?

R. De juramento quidem pœnitentia concipienda eſt, cavendum verò quàm maximè ne id quod illicitum eſt, & iniquum, etſi juratum, opere compleatur. Juraverat David dicens: *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat,* 1. Reg. 25. v. 22. *ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum* (Nabal) *pertinent uſque mane, mingentem ad parietem*; tamen ad Abigail preces occurrentis cum annona & commeatu converſus conſilium mutavit, & dixit: v. 36. *Vade pacificè in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam.*

I. At verò ſi utrimque arctor neceſſitate peccandi, ex una quidem parte complendo per effectum quod malè juravi, aut certè perjurium admittendo ſi non implevero, quid melius eſt, & utrum præſtat?

R. Hoc poſterius, procul dubio; nam in perjurium impingendo, nemini niſi tibi ipſi noces, at verò ſi executioni, quod malè juratum eſt, etiam demandaveris, præter peccatum quod jurando admiſiſti, etiam proximum graviter lædis, injuriâ eum afficiendo in corpore, in fortunis, &c.

Dist. 13. c. duo mala. Audi hujus casûs reſolutionem clariſſimam datam in Concilio Toletano 8. c. 2. *Duo mala licet ſint omninò cautiſſimè præcavenda, periculi tamen neceſſitas, ſi unum ex his perpetrare compulerit, id debemus reſolvere, cui minori nexu colligamur. Quod autem levius, quidve gravius ſit, rationis perpendiculo investigandum eſt. Etenim dum pejerare contingit, Creatorem quidem offendimus, & nos tantummodò commaculamus: Cùm verò noxia promiſſa complemus, & Dei juſſa contemnimus, nosipſos quoque crudeliori mortis gladio trucidamus, ac proximis impiâ crudelitate nocemus.*

I. Si ergò juravero per damnationem animæ meæ, &c. me inimicum meum interfecturum, nunquid obligatus ſum ad id faciendum.

R. Hoc eſt quod dicimus, ſi advertis, minimè licere: Semper enim teneris etiam poſt emiſſum juramentum, ſub periculo damnationis animæ tuæ, non occidere.

I. Cujus igitur valoris eſt ejuſmodi juramentum?

R. Tale eſt ac ſi diceres: volo damnari, niſi damnem me occidendo proximum meum contra expreſſum Dei mandatum, quod eſt abſurdiſſimum. Exemplum. Audi Sophronium: In prat. ſpir. c. 110. *Cùm quidam inter duos fratres pacem componere vellet, rogatu alterius reſpondit alter: Reconciliari nequeo, quia juravi per crucem ultra illi non reconciliari. Quo audito, ait pacificator, juramentum tuum talem habet vim, ac ſi dixiſſes, per pretioſam crucem tuam, Chriſte, non obſervabo mandata tua, ſed inimici tui diaboli voluntatem faciam.*

I. Si quis juraret ſe non intraturum Religionem, vel quod non fiet Clericus, teneturne juramento?

R. Minimè, nam Deus qui religionis conſilium dedit, eſtque boni propoſiti inſpirator, non vult aſſumi in teſtem promiſſionis factæ contra ſuum conſilium aut inſpirationem: non tamen peccat juramentum ſervando, cùm licitum ſit non intrare religionem, ſed multò meliùs facit ſi non ſervet, quia juramentum illud illicitum eſt, & nullam habet vim obligandi contra majus bonum à Deo inſpiratum. Vide S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2 & Cajetanum ibi. & Sotum l. 8. q. 2. a. 2. Nau. c. 12. n. 16. S. Antoninum 2. p. tit. 10. c. 6. § *tertius caſus.*

I. Eſtne illicitum jurare in confœderationibus Statuum rebellantium contra ſuum Regem aut Principem? Juramenta confœder-

R. Ita,

vaſorum contra Principem.

R. Ita, eſt juramentum contra juſtitiam, debent enim ſubditi legitimo ſuo Principi ex juſtitia ſubeſſe & obedire.

Iuramenta hæreticis & infidelibus ſervanda.

I. Debetne fides jurata ſervari hoſtibus, infidelibus, & hæreticis?

R. Ita, non enim tantoperè attendi debet cui, quàm, per quem, (inquit S. Hier.) juretur.

I. Ceſſitne malè iis qui hoſti fidem non ſervarunt?

Sup. c. 17. Ezech.

Exempla.

Joſue c. 9.

R. Ita; Idcircò enim Sedechias in Babylonem captivus abductus eſt, quod fidem Nabuchodonoſori datam, & juratam minimè ſervaſſet, uti notat S. Hieronymus ſuprà. Religioſus magis hac in parte fuit Joſue, qui cum Principibus, fidem Gabaonitis infidelibus etiam fraudulentis non violavit, ſed vitâ ſalvâ ad altaris miniſterium eos aſtrinxit. Compoſitis inter Regem Uladislaum, & Amurathem Turcarum Imperatorem rebus omnibus, Rex Hungariæ violato fœdere, prior, eidem Turcarum Imperatori bellum movit; initoque prælio, Turca, cum ſuos in pugna non ſine magna cæde fugari conſpicaretur, ad expianda fidei violatæ piacula, ad ulciſcendam Chriſtianorum perfidiam, & ad vindicandum jus reſciſſæ pacis, depromptum è ſinu Codicem initi ſanctiſſimè fœderis explicat, intentiſque in cœlum oculis. Hæc ſunt, inquit, Jeſu Chriſte, fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſere; per Numen tuum ſanctè jurarunt, datamque ſub nomine tuo fidem violarunt, perfide Deum ſuum abnegarunt: Nunc Chriſte, ſi Deus es, ut ajunt, & nos hallucinamur, tuas, meaſque injurias, te quæſo, ulciſcere: his qui ſanctum nomen tuum nondum agnovêre, violatæ fidei pœnas oſtende. Vix hæc dixerat, qui ultimum impetum in ſe expectabat, cùm prælium quod anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cœpit; nam camelorum onerariorum interventu à cæde ad prædam Hungari animos converterant. Tandem trucidato Rege Uladislao, Hungari in fugam conjecti nobilem victoriam Amurathi reliquerunt.

Anton. Bonfin. l. 6. de rebus Hungaricis Dec. 3.

LECTIO II.

De Perjurio.

I. Quomodò juramentum præſtatur in veritate? *S. Tho. 2. 2. q. 98. a.*

R. Nunquam poteſt res falſa aut mendacium aſſeri cum juramento.

I. Quomodò appellatur ejuſmodi mendacium?

R. Appellatur Perjurium. *Vide S. Tho. q. 98.*

I. Eſtne grave peccatum ſcienter jurare falſum?

Magnum peccatum ſcienter falſum jurare.

R. Ita; nam *primò* per hoc magna irrogatur Deo injuria in profanatione divini nominis contra expreſſum præceptum: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Pro quo, Nota. Deus Opt. Max. ſacroſanctum ſuum nomen nobis reliquit tanquam certiſſimum, & infallibile ſigillum, quo dictorum & promiſſorum veritates obſignarentur: qui autem falſum jurat, illo utitur tanquam ſigillo ad obſignandam falſitatem, qui eſt abuſus divini nominis omninò ſacrilegus, quaſi Deus ignoret aliquid, aut paratus ſit iniquitati noſtræ patrocinari.

Secundò, qui falſum jurat, graviter decipit proximum; imò non ſoli proximo ſuo aut alicui individuo homini nocet; Verum etiam toti humanæ ſocietati, quam diſſolvi neceſſe eſt, ſi fides ſaltem jurato non habeatur. & hæc eſt ratio cur perjuriorum pœnæ apud omnes nationes ſint valde graves, ut videre eſt apud Covarruviam *in cap. Quamvis pactum* p. 1. §. 7. Quod ad pœnas canonicas. *Vide 22. q. 1.*

Tertiò, perjurus ſibi ipſi infert injuriam divino ſeſe judicio addicens: quid enim aliud eſt, dicere: *Per Deum ſic eſt*, niſi vindictam de me ſumat Deus ſi res aliter ſe habeat? rurſùm ſi dixero digitis in cœlum protenſis, *ſic me Deus adjuvet*, quid aliud effero, niſi, non ad-

juvet me Deus; aut, maledictio & vindicta Dei ſint ſuper meum caput, ſi ita non eſt? hinc comminatus eſt Deus perjuris maledictionem ſuam, Zachar 5 *maledictio veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter.*

I. Jurare falſum per creaturas, puta, per cœlum, per terram, eſtne etiam magnum peccatum?

R. Ita.

I. Quomodò cum non invocetur Deus in teſtem?

R. Reſpondeo, Juramenta per creaturas facta, cenſentur per Deum fieri cujus eæ ſunt, & cujus ſumma veritas, & perfectio in omni creatura elucet Vide Matth. c. 5 v 35 & c 23 v. 16.

I. Licetne jurare per caput, per ventrem, per ſanguinem Dei?

R. Graviſſimè id prohibitum eſt in Jure Canonico. 22. q. 1. *c. Si quis.* Et hæc eſt blaſphemia, uti ex eodem capite liquet, & ratio ſuadet; quia per ejuſmodi juramenta tribuuntur Deo, qui ſpiritus eſt, membra & corpus humanum, quod ei minimè convenit.

I. Prohibemurne jurare per creaturas?

Licet jurare per creaturas

R. Nil minùs, imò æquè licitum eſt, per creaturam jurare ac per Creatorem; dummodò conditiones, & circumſtantiæ ſuprà allegatæ adſint.

I. Juratumne etiam interdum Sancti per creaturas.

Gen. 15. Gen. 42. Deut. 40.

R. Ita, Jacob per timorem Iſaac Patris ſui juravit; Joſeph fratribus ſuis jure jurando dixit, per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis. Moyſes cœlum, & terram in teſtem invocavit. Et in Eccleſia Dei uſu receptum eſt, ut per ſacra Evangelia, per Reliquias ſanctas, *&c.* juremus.

I. Poſſumuſne etiam execratorium juramentum jurare per creaturas. v. c. *ima dehiſcat terra mihi?*

2. Cor. 1.

R. Ita; ſi ſubſit neceſſitas, & aliæ juramenti conditiones adſint. Ita jurabat Sanctus Paulus: *Teſtem Deum invoco in animam meam.* q. d. ſi mentior, Deus vindex puniat & damnet animam meam.

I. Eſtne perjurium, & grave peccatum, quando falſum ſub juramento execratorio tanquam verum confirmamus, v. g. *ſi hoc verum non ſit, malè peream, auferat diabolus animam meam, &c.*

Juramentum execratoriũ falſum periculoſum.

R. Ita, graviſſimum id eſt perjurium, & periculoſiſſimum.

I. Permittitne aliquando Deus, ut ab iis intercipiamur malis, quibus nos per execrationem devovimus?

Horrendũ Exemplũ.

Ex autographo gallicè excuſo Atrebati anno 1601. cum approbat.

R. Ita. *Anno Domini 1599. die vigeſimâ nonâ Novembris, quidam nomine Antonius de Haeck, vulgò Cruck, exactor vectigalium publicorum in diſtrictu oppidi Gerardimontium in Flandria eò venit, diverſatuſque eſt in hoſpitio, cui inſigne, navis aurea, ut cum aliis ſociis ſuis rationes ſubduceret. Quod cum facerent, exorta eſt quæſtio inter eos de quadam pecuniæ ſumma, quam ſocii affirmabant fuiſſe Antonio ritè perſolutam; Antonius etiam adhibito juramento negare, optans ſe ab illo igne, qui tum in cubiculo ardebat, abſumi, ſi quidquam ſummæ ejus unquam recepiſſet. Vt tota rei veritas pateſieret, vocari juſſerunt duos Scabinos, in quorum manibus, nullâ habitâ ratione ſalutis animæ, & tremendi judicii Dei, idem Antonius pejeravit. Veſpere facto ſolutus eſt cœtus, quiſque ſe, quo voluit recepit, negotio in craſtinum dilato. Remanſit in hoſpitio Antonius, lectum parari juſſit, & faſcem in camino accendi; inſidentem ſcabello averſum ante ignem reliquit hoſpes, nullum incendii periculum ſuſpicatus; conſumpto jam penè faſce antequam è cubiculo exiret. Poſtero manè reſeratis foribus Antonium exuſtum inveniunt, præter tibialia faſciaſque crurales, quæ omninò illæſa, & intacta remanſerunt cum interiori tibialium parte, quæ faſciis aſtringebatur; ſedes etiam*

ipſa,

Digitized by Google

ipſa, cui præcedenti nocte matula ſtannea ſuperpoſita fuerat, combuſta; matula verò liquefacta erat: ſcabellum autem cui inſidentem reliquerat hoſpes Antonium, penè igne conſumptum, aurum argentumque quod penes ſe habebat perjurus concrematum & liquefactum, ſexaginta florenis: ſuper quibus erat contentio, intactis illæſi, quæ repertis. Audita hujus rei fama miſerunt Sereniſſimi Belgarum Principes Gerardimontem, qui totius rei eventum ſciſcitarentur, & ſcriptis diligenter commendarent; atque ita rem habere cognoverunt, uti narratum eſt.

I. Quid remedii contra jurandi conſuetudinem?

R. Ea frenanda eſt timore perjurii, & pœnarum comminatarum in appendice hujus præcepti; de quibus Eccleſiaſtici c. 23. dicit: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet de domo illius plaga.* Iſtud remedium tradit S. Auguſtin. ſerm. 116. in novis: *Juravimus*, inquit, *& nos paſſim habuimus iſtam deterrimam conſuetudinem, & mortiferam, dico charitati veſtræ; ex quo Deo ſervire cœpimus, & quantum malum ſit, in perjurio vidimus, & timuimus & veteroſiſſimam conſuetudinem timore frænavimus; frænata reſtringitur, reſtricta langueſcit, & langueſcens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit.*

Remedia cont. conſuetud. Ex S. Auguſtino.

Secundò, exuitur paulatim illa conſuetudo, ſi is qui conſuevit jurare, imponat ſibi aliquam caſtigationem, & vindictam quotieſcumque juravit, vel voveat Deo ſe daturum unum aſſem vel duos pauperi; vel ſemel jejunaturum aut aliud opus pœnale facturum quotieſcumque juraverit. Undè S. Joan. Chryſoſt. *hom. 5. ad populum Antioch.* Cùm videris teipſum vel alium quemquam ſervorum vel filiorum, vel uxorem hoc malo, (videlicet frequenter jurandi) captos & continuè commonefactos nec correctos, jube non pranſos cubare, & hanc tibique & illis damnationem impone: damnationem non damnum ſed lucrum ferentem.

Ex S. Joan. Chryſ.

LECTIO III.

De Voto.

I. Dixiſti initio hujus capitis nos Dei nomen honorare Voto; Quid igitur eſt *Votum*? *S. Tho. 2. 2. q. 88. a. 5.*

R. *Votum eſt promiſſio Deo facta de meliori bono.*

I. Si proponam apud me aliquid ad Dei gloriam facere, v.g. ſingulis feriis ſextis ſingulis annis jejunare; vel jacens æger in lecto, & recogitans annos præteritos vitæ meæ malè exactos concipio propoſitum vitam emendandi, & in particulari toties vel toties confitendi & communicandi; vel apud me ſtatuo ſi Deus vitam mihi produxerit peregrinari ad B. Virginem Hallenſem, aut Aſpricollenſem, aut quid ſimile, eſtne hoc Votum?

Propoſitum & votum aliquid faciendi differunt.

R. Non, ſed ſolum eſt propoſitum bonum, & ſimplex deliberatio hoc vel iſtud faciendi, quæ nulli nos aſtringit; at Votum eſt ſeria, & expreſſa promiſſio Deo facta veniendi, eundi, aliquid boni faciendi, &c. quæ valde diſtinguenda ſunt præſertim à Confeſſariis, quibus incumbit ſuis pœnitentibus ſæpè in hac materia hallucinantibus ſatisfacere. Vide c. Litteraturam. *De Voto & Voti redemptione.*

I. Declara mihi quo modo & quibus verbis emitti ſoleat votum?

R. His aut ſimilibus: Voveo, votum facio, promitto Deo hoc facere, hoc dare, &c. Si convaluerit filius meus promitto unam libram ceræ Dominæ Hallenſi.

I. Eſtne igitur neceſſarium ut votum fiat verbis expreſſis.

R. Non; poſſumus enim nos Deo obligare mentaliter. *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* *1. Reg. 16. v. 7.*

Sufficit quod quis verè intendat ſe obligare.

I. Utrùm, qui conceptum bonum propoſitum non adimplet, peccet mortaliter?

R. Si nullo aliàs præcepto ad id quod propoſuit obligante, tenetur, non eſt peccatum mortale. v.c. jacens æger in lecto propoſuit in corde ſuo peregrinari ad Montem acutum, jejunare ſingulis feriis ſextis, &c. ubi convaluerit, non obligatur ſub mortali ad exequendum bonum propoſitum.

I. Quid igitur committitur mali in omiſſione bonorum propoſitorum.

Quid peccat qui nō adimplet bonū propoſitum.

R. Si abſque ulla cauſa, ſola animi levitate propoſitum mutes, admittis inconſtantiam quæ non eſt niſi venialis. Si autem aliquâ ratione nitaris, ut quia ſentis incommoda, &c. non eſt propriè inconſtantia, nec nullum peccatum: nemo enim tenetur perſiſtere in bono, quantumvis illud magnum ſit, ex ſolo bono propoſito, ſed ut teneatur, debet aliundè ad illud eſſe aſtrictus, v.g. præcepto, promiſſione, contractu. Et tunc quidem, ſi materia notabilis ſit, tenebitur illud ſub mortali adimplere. Exempli gratia: propono audire Miſſam omnibus diebus Dominicis, propono non fornicari, propono quotidie legere roſarium, ad quod legendum particulari voto teneor. Nam in ſimilibus caſibus, præceptum aut votum obligat ad faciendum aut evitandum id quod propoſui facere aut evitare.

Vota facere Sanctis quid importet.

I. Quomodò dicis quod votum ſit promiſſio Deo facta, nonne etiam B.V. & aliis Sanctis vota nuncupamus?

R. Quando B.V. aut Sanctis vota facimus, ſic accipiendum eſt, ut votum deferamus Deo (quem in Sanctis agnoſcimus) Sanctis autem, promiſſionem honorariam pertinentem ad cultum duliæ. Aut, quod idem eſt, vovemus Deo nos præſtituros, quod Sanctis promittimus.

I. Suntne Deo grata ejuſmodi vota, præſertim ea quæ ad honorem Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ emittuntur?

R. Ita, quemadmodum manifeſtatum eſt ſequenti exemplo: *Liberio ſummo Pontifice, &c. Brev. Rom. ad diem 5. Auguſti.*

I. Quæ eſt materia voti?

R. Eſt meliùs bonum, quod ut plurimum, eſt opus aliquod ſupererogationis, aut conſilii.

I. Quomodò contigit in voto nomen Dei aſſumi in vanum?

R. Si vota non rectè fiant; aut ſi ritè facta non adimpleantur.

I. Quid cauſæ eſt, cur vota Deo facimus, an ut certior fiat noſtri in eum affectus, aut certè ut voti executione ei proſimus?

R. Minimè; ſed ut fœlici quâdam neceſſitati animum noſtrum à bono propoſito labilem ad meliora conſtringamus ac quodammodo compellamus.

I. Eſtne Deo gratum quod votis nos aſtringamus?

Vota ſunt Deo grata

R. Ita, in hoc enim apparet devotio, & animi promptitudo, quâ ei ſervire & placere contendimus.

Exemplum.

I. Habesne exemplum?

Ioan. Tritthem de orig. Frāc.

R. Habeo. Clodoveus Francorum Rex bellum cum Germanis habuit. Factum eſt autem ut confligente utroque exercitu, Franci vehementer cæſi valdè inciperent deficere. Quod ubi Rex Clodoveus animadvertit elevatis in cœlum oculis cum lacrymis oravit, dicens. *Domine Jeſu Chriſte, quem uxor mea prædicat eſſe Filium Dei, ſi dederis mihi victoriam de hoſtibus meis, in te credam, & baptiſma in tuo nomine ſuſcipiam:* Cumque hæc orans diceret, Alemanni mox in fugam convertuntur, qui ubi Regem ſuum viderunt occiſum à Francis, Clodoveo ſe ſubjiciunt omnes, dicentes: Ne ampliùs perſequaris populum, oramus, jam tui ſumus, & tibi fideliter perpetuò ſerviemus. Et ille bello prohibito Alemannos in deditionem accepit, & tributum impoſuit.

Vota in vita diſcrimine facta.

I. Eſtne utile quod vota Deo, & Sanctis nuncupemus, quando in aliquo diſcrimine verſamur?

R. Ita.

Digitized by Google

Exempla. R. Ita. Imò gentiles ipſi cum Jona Propheta fecerunt votum Deo cœli. Jonæ c. 1. & 2.

In vit. ejus apud Sur. 9. Maii. *Gregorius Nazianzenus Athenas inviſere cupiens incommodo tempore mari ſe commiſit. Itaque coortâ repente tempeſtate ſummum vitæ periculum vectores ſubierunt; prorſus ut venti in apertam navis perniciem conſpirare viderentur. Ibi verò cum alii omnes corporis mortem deflerent, Gregorius de animæ exitio, atque internecione ſollicitus veſtem lacerabat, tantiſque clamoribus, & querelis vectores omnes exterrebat, ut nemo eſſet, qui non omni ſui ipſius curâ abjectâ, illius luctui ſeſe ſocium adjungeret, nondum enim ſacris aquis à primi parentis delicto, quod in omnes derivatur, expiatus erat. Itaque ut præſens animæ periculum evaderet, poſt lacrymas, & preces multiplices ardenti pietate fuſas, voto ſe obſtrinxit fore, ſi ſalvus evaderet, & ad regenerationis lavacrum perveniret, ut ſe perpetuâ ſervitute Deo conſecraret. Hoc votum protinus optata ſerenitas conſecuta eſt, tantaque tranquillitas, ut ipſe non modò Gregorius per inſperatam ex tempeſtate ſalutem, Dei manifeſtè miſericordiam, ſed & ii qui variis, multiſidiſque erroribus tenebantur, unius ac ſummi Dei potentiam intelligerent, ſeque pari cum Gregorio alacritate ad Chriſti fidem cultumque reciperent.*

Cùm Pipinus Major domus regni Francorum Saxonibus, & Weſtphalis adhuc Gentilibus debellatis Coloniam Agrippinam reverteretur, & Weſtphali impatientes dominii Chriſtianorum, congregata nova militum manu ipſius exercitum ex improviſo propè Werdam invaſiſſent, facto à Pipino voto, Deo, & S. Suvilberto primo Werdenſi Epiſcopo, Saxonum & Friſiorum appellato Apoſtolo, de viſitando eum ſupplicationibus ejus corpore, quod ibidem Werdæ quieſcebat; immenſa continuò lux ſuper Chriſtianorum exercitum ſplendens, tantùm paganis ex ea fermè excæcatis timorem incuſſit, ut ſtatim armis depoſitis ſeſe iterùm Pipino ſubjecerint, qui in gratiarum actionem, Sancti ſepulchrum diſtaleatus cum primoribus ſuis viſitavit, & regalia ipſi munera obtulit. Narrat iſta S. Ludgerus primus Monaſterienſis Epiſcopus in epiſtola ad Xixfridum Trajectenſem Epiſcopum de miraculis S. Suviberti. *Apud Sur. in append. vit. S. Suvib. 1. Mart.*

I. Eſtne neceſſarium vovere?

R. Non. Dicit enim Scriptura: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris; quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate & ore tuo locutus es. Diſplicet enim Deo infidelis & ſtulta promiſſio, multoque meliùs eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.* Deut. 23. Eccl. 5.

I. Eſtne Deo gratius, opus ex voto factum, quàm ſine illo?

R. Planè. Plus enim tribuit is qui arborem cum fructibus offert, quàm qui fructus ſolos donat. Atqui vovet, non ſolùm opus bonum, ſed & liberam facultatem Deo conſecrat. *Anſel. l. ſimilit. c. 84*

I. Meliùs ergò faceret, meo judicio, puella quæ virginitatem Deo voveret, quàm quæ ſine voto contineret?

R. Indubiè, & rationem ejus modò dedimus, firmioris enim reſolutionis, & promptioris, ad ſervandam caſtitatem, voluntatis ſpecimen dat quæ vovet; utpote, quæ felici ſe aſtringit neceſſitate continendi; quàm illa quæ hactenus molliter voluntatis ſuæ languori abblandiendo manet in libertate ſua. Hinc S. Auguſtin. *Dicit virginitatem non tam ſuſpici, quia virginitas eſt, quàm quia dedicata.* Obſervetur nihilominus præcautiones quas dabimus ſequenti lectione. *L. de Virgin. c. 8.*

L E-

LECTIO IV.

De diviſione Votorum.

Votum aliud abſolutum, aliud conditionale.

I. Quotuplicia ſunt Vota?

R. Votorum aliud eſt abſolutum, aliud conditionale. Abſolutum eſt: v. g. promitto Deo me intraturum Religionem. Sub conditione eſt hoc: ſi convaluero ex hoc morbo; vel, ſi ex tali diſcrimine liberatus fuero, intrabo religionem.

I. Quandonam adimplendum eſt votum abſolutum?

R. Primo tempore commodo, præſertim ſi vovens intenderit ſe quamprimum obligare.

I. Quandonam conditionatum?

R. Primo etiam tempore, quo conditio fuerit adimpleta. v. g. in caſu poſito, quam primùm convaluero.

I. Habeſne aliam voti diviſionem?

Reale, perſonale & mixtum.

R. Habeo. Aliud enim eſt votum reale, aliud perſonale, aliud mixtum. Reale eſt quod ſpectat ad bona, & facultates voventis. Perſonale quod perſonam tangit. Mixtum quod utrumque. Declaro hoc exemplis. Voveo donare capellæ Beatiſſimæ V. Aſpricollenſis centum aureos; ecce votum reale. Voveo ire ad Aſpricollem, Beatiſſimam ibi Virginem honoraturus, en perſonale. Voveo ire ad Aſpricollem, ibi offerre Beatiſſimæ Virgini centum aureos, hoc eſt votum mixtum.

I. Obligamurne interdum adimplere votum per alium emiſſum?

R. Reſpondeo cum diſtinctione: aut enim votum eſt perſonale, aut reale, aut mixtum; ſi votum ſit merè perſonale, non obligat niſi perſonam voventis. v. g. Frater meus voverat intrare religionem; jejunare ſingulis feriis ſextis, &c. Ratio eſt, quia hæc vota ſolùm ſunt de actionibus perſonalibus, quæ à ſola perſona voventis ſunt exequendæ. Si votum ſit reale; exempli causâ, parens meus decumbens ex infirmitate emittit votum ædificandi capellam ad honorem Dei, Beatiſſimæ Virginis Mariæ; aut alterius cujuſpiam Sancti, idque abſque ulla reſtrictione aut appoſita conditione; ſi moritur parens re infectâ, teneor ego ejus hæres adimplere votum hoc, quod eſt omni ex parte reale. Si mixtum fuerit, v. g. emiſit votum peregrinationis ad B. V. Lauretanam cum promiſſione donandi ibi centum aureos, tenebor ad votum adimplendum quâ parte reale eſt, non ſimiliter quâ parte perſonale. Undè ſatisfecero mittendo centum aureos, etiamſi illuc non vadam.

I. Habeſne rurſum aliam voti diviſionem.

Votum aliud temporale, aliud perpetuum.

R. Ita. Alia enim ſunt vota temporalia, quæ pro aliquo dumtaxat tempore obligant: v. g. voveo jejunare ſingulis feriis ſextis unius anni; alia ſunt perpetua, quæ perpetuò obligant; tale eſt votum caſtitatis perpetuæ.

Aliud ſimplex aliud ſolemne.

Sunt & aliæ plures votorum diviſiones, inter quas principalis eſt, ut votum dicatur ſimplex, aliud ſolêne. Votum ſimplex eſt, quod abſque ſolemnitate fit, ſive privatim, ſive publicè.

I. Quid votum ſolemne?

C. unic. de voto & voti redempt. in 6.

R. Votum ſolemne vocatur, quod ſuſceptioni ſtatus immutabilis conjunctum eſt, quale eſt illud, quod annexum eſt ex Eccleſiæ decreto ſuſceptioni Ordinis ſacri, per quem immutabiliter dedicatur quis ſtatui Eccleſiaſtico: & illud, quod emittitur profeſſione religionis approbatæ.

I. Quare tale votum vocatur ſolemne?

R. Quia Ordo ſacer, & profeſſio religionis ſunt in Eccleſia ſolemnes quidam actus, à quibus ſolemne dicitur.

I. Qualiter differunt votum ſimplex & ſolemne?

R. Votum ſolemne caſtitatis in aliquo iſtorum actuum ſolemnium emiſſum, ab illo certam quandam vim ſeu qualitatem ex decreto Eccleſiæ obtinet; nempè quod irri-

Digitized by Google

irritum reddat matrimonium, ſi attentetur, paupertatis votum, incapacem faciat dominii; Denique quod ægerrimè poſſint laxari.

I. Nonne etiam votum ſimplex caſtitatis impedit matrimonium?

R. Ita quidem, ſed non dirimit, ſi contrahatur. Undè peccatur quidem mortaliter ab impedito voto ſimplici in contrahendo matrimonio, ſed regulariter tenet matrimonium.

I. Peccatur ne toties mortaliter, quoties votum aliquod infringitur?

R. Ita, ſi materia ſit notabilis momenti.

Non temerè vovendum.

I. Non decenter ergò leviter, & abſque prudenti circumſpectione emitti vota, ſed potiùs (quod monet Evangelium) priùs ſedendum, & computandum, ſi, qui cogitat ædificare, habeat ſumptus, vires, & facultates ad perficiendum?

R. Optimè dicis; Qui enim ſecus faceret, manifeſto diſcrimini ſe exponeret peccati multiplicis, quod in voti tranſgreſſione committeretur.

I. Quid igitur tu cenſes hac in parte?

R. Vota jam facta omninò eſſe adimplenda, ſi nihil in contrarium obſtet; quoad facienda autem velim nihil præcipitari, ſed prudentem & peritum Confeſſarium conveniri, ejuſque per omnium judicio ſtari.

I. Quid de illis præſertim filiabus quæ cum vix ab heri & nudiuſtertius devotioni ſe addixerunt, ſtatim ad perpetuam Virginitatem vovendam prorumpunt?

Non ſunt facilè recipienda vota caſtitatis perpetuæ devotarũ inchoantium.

R. Exiſtimo quod ſtultè agant non penſantes ſatis, quanti id ſit momenti; & quod nimium ſibi præſumant, dum credunt pariformem ſe omni tempore devotionis ſenſum, & ſucceſſum habituras. Hinc mille conſcientiarum anxietates & inquietudines, hinc diverſæ artes & importuna ſtudia ad extorquendas diſpenſationes Confeſſarii autem, quæ ejuſmodi præpoſteris auſibus communicant, non pollent experientiâ, & prudentiâ ad ſuum miniſterium requiſita, neque ſatis compertam habent ſexûs fœminei inſtabilitatem, & inconſtantiam.

Simile.

Reperies nonnullos qui è littore ſolventes dùm ſe mari committunt, vino adhuc in lagenis recenti, alioque apparatu integro, exultant, & beatos ſe exiſtimant. ſed ubi maris commotio naufragium ob oculos ponit, vel etiam rerum omnium penuria ingruit, tædet illos ſalis & undarum, pœnitetque terras navigio reliquiſſe: ita planè agitur cum devotis illis inchoantibus, quæ tam leviter, & tam temerè perpetuæ caſtitatis vota emittunt.

I. Quid ergò aget Confeſſarius cum ſuis pœnitentibus, quæ præmaturos illos, & præpoſteros fervores præ ſe ferunt.

R. Videat Conc. Prov. II. Cameracenſe tit. 8. c 10. ubi prohibetur Confeſſariis ne filiarum ſibi confitentium vota perpetuæ caſtitatis admittant, re cum Epiſcopo priùs communicatâ.

I. Danturne caſus in quibus votum non obliget?

Pluribus caſibus votum non obligat.

R. Ita. Referam ſolùm quatuor, qui ſunt frequentiſſimi: 1. Eſt, ſi materia voti fiat impoſſibilis. v. c. Vovi jejunare omnibus, & ſingulis feriis ſextis per annum in pane & aqua; incido in morbum, quo durante, de medici præſcripto, oportet me pluries in die refici.

2. Si per circumſtantiarum mutationem facta ſit materia voti illicita. Caſus eſt: Emiſeram votum caſtitatis; duco uxorem nullâ diſpenſatione obtentâ, in hoc caſu teneor conjugi reddere debitum matrimoniale. Reddere, dico, non exigere, priuſquam legitimè fuerit mecum diſpenſatum.

3. Eſt, ſi per adimpletionem voti, ponerem fortè obicem majori bono. Exempli gratia: Vovi peregrinari ad terram ſanctam; poſtmodùm voveo religionem; tunc ceſſat obligatio manans ex priori voto; quia majoris momenti eſt, & Deo gratius ut religioni me mancipem, quàm ut ad terram ſanctam proficiſcar.

Digitized by Google

4. Eſt, ſi materia voti quæ ab initio bona erat, facta ſit poſtmodum indifferens. v. c. Voveram non tranſire per illam plateam, aut vicum, non intrare domum iſtam, &c. in quibus occurrere mihi ſolebat peccati periculum, ratione perſonæ cujuſdam, quam ерdite amabam, & à qua ſimiliter amabar, modò defuncta eſt ejuſmodi perſona, adeòque mutatis circũſtãtiis, mutatur etiam materia voti, ceſſante ſcilicet periculo, ob quod me huic voto obſtrinxeram.

I. Undè ſciam, obligetne votum meum, an non?

R. Conſule ſuper hoc peritum aliquem Confeſſarium.

LECTIO V.

De Blaſphemia.

I. Qui blaſphemant, aſſumuntne nomen Domini in vanum?

R. Ita.

Blaſphemia. I. Quid eſt *blaſphemia?*

R. Eſt attribuere Deo vel Sanctis, quod iis non convenit, vel detrahere quod iis convenit, v. c. quando peccatores dicunt: *Non videbit Dominus*; aut, quando Hæretici affirmant Deum eſſe auctorem peccati. Sanctos non cognoſcere preces & vota noſtra. Aut ſi quis æger per impatientiam dicat: Deus me injuſtè affligit. Deus non amat me, *&c.*

I. Eſtne grave peccatum blaſphemia?

R. Eſt peccatum uſque adeò atrox at-
3. Reg. 22. que immane, ut interdum ſacræ Litteræ,
Job. 2. ſi de blaſphemia ſermo incidat, maledictionis nomine utantur. Deinde blaſphemare nomen Domini proprium, eſt dam-
Apoc. 16. natorum, *blaſphemaverunt Deum cœli, præ doloribus, & vulneribus ſuis.* Quem-
Blaſphemia graviſſimum peccatum. admodum igitur ſolent juſti in hoc mundo ſacroſanctum Dei nomen ſummis laudibus extollere, benedicere, & prædicare, quod Angelorum & Cælitum proprium opus eſt, ita peccatores Dei & Sanctorum cum eo regnantium nomen impuro, & contaminato ore blaſphemare atquè execrari audent, quod dæmonum & deſperatorum in gehenna proprium eſt. Sunt igitur blaſphematores nominis Dei, in hoc canibus deteriores, qui Dominos ſuos nunquam mordent niſi in rabiem acti. Rurſùm tam execrabile erat apud Judæos hoc blaſphemiæ peccatum, ut cùm audirent vel audiviſſe crederent verbum blaſphemiæ, obturarent aures ſuas, & veſtimenta ſua lacerarent. Vide Act. 7. & Matth 26.

I. Animadvertitne Deus graviter in blaſphemos?

R. Ita. Sic enim locutus eſt ad Moy- *Exempla*
ſen Levitici 24. *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet* *Deus animadver-*
eum populus univerſus. Meritò autem, inquit Theod. q. 33. *Blaſphemia aptavit tit gravi-*
legem & pœnam homicidii, ejuſque reum *ter in bla-*
lapidari juſſit, quia blaſphemator Creato- *ſphemos.*
rem cùm interficere non poſſit, lingua ferit. 4. Reg. 19.
Undè Auguſt. *Non minus, ait, peccant qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.*

Nota eſt etiam pœna blaſphemi Sennacherib, qui ob blaſphemiam cum centum octoginta quinque millibus cæſus eſt: ſic & Paulus blaſphemum tradidit Satanæ 1. Timot. 1. Ita blaſphemus Pharao, dicens:
Non novi Dominum, merſus eſt in mari 3. Reg. 20.
rubro. Ita Syri, dicentes: *Deus montium eſt Dominus eorum, & non Dominus vallium*, multi à paucis Iſraëlitis in valle prælio cæſi ſunt.

Ita blaſphemus Antichriſtus dejicietur in tartara. Apoc. 13 & 19.

Narrat Gregorius Turonnenſis, quod L. 2. hiſtor.
cum Aureliam obſiderent Gothi, Ania- c. 7.
nus urbis Epiſcopus cum Clero Litanias per muros decantabat: audiens id Sacerdos apud Gothos captivus exclamavit: Caſsâ ſpe duceris Aniane ſi verbis adverſarios abigi poſſe credis, eadem precationes aliis urbibus non profuerunt. Audierunt Sancti, & illico blaſphemum vitâ ſpoliaverunt.

verunt. Iulianus Apoſtata in bello Perſico divinitùs lanceâ inter coſtas percuſſus, ſanguinem ſuum manu in cœlum jaculatus: Exple, *inquit,* iram tuam Galilæe, *(ita Chriſtum vocabat)* viciſti, viciſti. *Ita Sozom. Ruffinus, Eutropius.*

Arius in Filium Dei blaſphemus, alvum purgaturus, viſcera effudit & expiravit.

De Neſtorio diximus ſuprà parte 2. lectione 5.

L. 4. Dial. c. 18.

S. Gregorius ſcribit de quodam quinquenni puero, qui eo quod blaſphemare didiciſſet, nec ideò à patre redargutus fuiſſet, in ſinu patris expiravit, cujus anima à dæmonibus viſibiliter apparentibus in infernum deportata fuit.

I. Habeſne etiam aliqua recentia exempla?

Exempla recentia.

R. Habeo. *Hæretici Hallas capere cogitabant. Ex illis unus accedens ad urbem: Ego, ait, meis manibus Hallenſi muliercula (ita vocabat ſtatuam Beatæ Virginis) naſum abſcindam. Audit Virgo, & procurat ut eidem plumbeâ glande ex urbe miſſa naſus auferatur. Vixit ille miſer nomine Ioannes Zvvickius, fuitque ipſiſmet Hollandis aſſiduo ludibrio multis annis.*

Iuſt. Lipſius in Virg. Hallenſi.

Ante annos triginta Hollandi Hæretici B. V. Aſpricollenſis ſacellum expilarunt. Fuit inter eos eques habens equum cæcutientem, qui veniens ad ſacellum, irridens, dixit: Si Maria hic miracula facit; illuminet meum equum. Audiit Virgo blaſphemum, moxque viſum equo reſtituit, ipſum verò equitem blaſphemum excæcavit. Ita P. Cornelius à Lapide, qui per id tempus ibi degebat, & mira Virginis ope manus Hollandorum effugit.

In c. 24. Levit.

I. Puniuntne etiam leges humanæ blaſphemos?

R. Graviſſimè, tam Pontificiæ quàm Cæſareæ. Vide quæ notavimus ſuprà lectio. 2.

Beatus Ludovicus Franciæ Rex fecit Edictum contra blaſphemantes nomen Domini, vel Virginis glorioſæ. Adjiciens pœnam igniti cauterii in fronte tranſgreſſoris imprimendi. Et cum ſemel quidam ſecundum ſæculum generoſus in hoc vitium lapſus fuiſſet denuntiatus in judicio; multique apud Regem intercederent, ut pœna illa in alteram commutaretur, attentâ nobilitate ejus, nequaquam acquievit, dicens: Ego pro gratia reputarem mihi ut tale ſignum in fronte mea poneretur, dummodò tantum ſcelus de regno meo aboleretur.

S. Anton. 3 p. chronic. tit. 19 c. 4. § 4.

Paul. Æmil. l. 7. hiſt. Fran.

I. Suntne Sancti vehementer deteſtati blaſphemiam?

Exempl.

R. Ita. S. Apollonia maluit ſe in flammas præcipitem dare, quàm cum perſecutoribus impia verba proferre.

Martyrol. Rom. 9. Feb.

I. Quâ ratione igitur debent Confeſſarii blaſphemos in pœnitentiali foro tractare?

R. Debent Sacerdotes Domini pro qualitate criminis ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere, inquit Conc. Trid. Seſſ. 14 c. 8. & condignam pro modo culpæ pœnitentiam injungere Seſſ. 14. c. 8. Undè Conc. Lateran. Seſſ. 9. jubet blaſphemos durè & ſeverè à Confeſſariis haberi. Vide Conc. Prov. Cameracen. II. tit. 1. c. 8.

Blaſphemi ſeverè debent à Confeſſariis haberi.

I. Eſtne grave peccatum ſeipſum diris devovere?

Exempl.

R. Graviſſimum eſt, periculoſiſſimumque ſcelus.

Mart. Del rio to. 2. diſquiſ. magic. l. 3. q. 7 ſec. 2.

In Saxonia Virgo opulenta formoſo juveni, at tenuioris fortunæ matrimonium promiſit. Hic, quid futurum, prævidens, illam prædivitem, & ſexus ratione mutabilem, fidem vix ſervaturam eſſe, puellæ reſpondit. Illa contrà diris ſe execrari his verbis cœpit, ſi alteri quàm tibi nupſero, tunc me diabolus in nuptiis illis abripiat. Quid fit? poſt intervallum aliquod mutat animum, nubit alteri, priore ſponſo ſpreto: qui eam ſemel atque iterùm promiſſi diræque imprecationis admonuit. Sed illa poſthabitis his omnibus, nuptias cum altero ſponſo, relicto priore, celebrat. Ipſo die nuptiali co-

gnatis, amicis, & convivis hilaribus, ſponſa, vigilante conſcientiâ, redditur triſtior ſolito. Tandem diaboli duo ſub ſpecie duorum equitum in ædes nuptiales adveniunt, excipiuntur, adducuntur menſæ, hiſque remotis, choreæ, unique his ſponſa honoris cauſa tanquam peregrino adjungitur: cum qua bis ſaltavit, & tandem eam è conſpectu parentum, & amicorum ſummo cum gemitu & lamentatione per oſtium in altum ſuſtulit. Altero die parentes & amici mœſti ſponſam quærunt, ut delapſam forte ſepelirent: ſed ecce iidem ſocii occurrunt; veſtes & aurum deferentes, additis his verbis: Non in has res ſed in ſponſam à Deo nobis fuit poteſtas conceſſa.

Exod. 20. *Nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit Nomen Domini Dei ſui fruſtrà.*

I. Cur huic & primo præcepto quædam minæ ſunt ſuperadditæ?

S.Tho.1.2. q.100.a.7 ad 4. R. Quia pœnæ & ſupplicii terror peccandi licentiam vehementer coërcere ſolet. Demonſtrat id etiam, quanta ſit hominum proclivitas ad peccata his præceptis duobus prohibita committenda; ut non ſolùm ſatis fuerit legem ferre, niſi etiam minæ adderentur. Sup lect. fin cap. praced. Nam quod ad Idololatriam primo præcepto vetitam attinet, minæ addendæ erant, ut intelligeret, quicumque hoc ſcelere ſe aſtrinxerit, Deum non impunè laturum, quoad ſecundum autem præceptum, ut fideles intelligerent diverſa ſupplicia, quibus quotidie affliguntur, ſibi infligi, quod huic præcepto non obtemperent, cautioreſque in dies fiant, ne jurationi facilè aſſueſcant; nam ſi omnis verbi otioſi in extremo judicio reddenda ratio eſt; quid de graviſſimis ſceleribus dicendum, quæ magnam divini nominis deſpicientiam præ ſe ferunt?

DE III. PRÆCEPTO.

CAPUT IV.

Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.

LECTIO PRIMA.

I. QUid tertio hoc præcepto fidelibus imperatur? S.Tho.1.2. q.100.a.5. in c & 2.2. q.122.a. 4 in c.

R. Ut Sabbathum (quod eſt fidelibus Chriſtianis Dominica dies) piis operibus ſanctificent.

I. Quis ordo, ſive, quæ connexio trium horum præceptorum primæ tabulæ?

R. Hæc quæ ſequitur, ex rebus humanis ſimilitudine ſumptâ: Dominis tria à ſervis debentur. 1. Fidelitas, ut nullum alium præter ſuum, pro vero Domino agnoſcant, neque cum hoſtibus ejus ſocietatem ineant: quæ primo præcepto à Deo exiguntur. 2. Servi Dominis ſuis honorem ac reverentiam ore ac verbis debent, quod ſecundum præceptum continet; ut ore ac verbis nomen Dei ſanctificemus. 3. Servi Dominis famulatum, obſequium, & externi operis cultum debent, quæ tertio iſto præcepto jubentur; ut Deo plenam ſervitutem animo, ore, ac opere, privatim & publicè exhibeamus. Paulò aliter S. Thomas 2.2.q.122. a. 4. Canones & ordo trium præceptorum prima tabula.

I. Quandonam debemus Deum externo cultu venerari, & eidem gratias agere?

R. Æquum & juſtum eſſet hominem ſine intermiſſione iſta Deo exhibere, ſed quoniam hæc ab iis, qui humanarum rerum occupationibus detinentur, non facilè præſtari poſſunt, certum tempus conſtitutum eſt, & deputatum hoc tertio præcepto, quo ea commodè effici queant.

I. Quemnam igitur hebdomadis diem ſuis obſequiis deputavit Deus?

R. Je-

Digitized by Google

R. Judæis, ex ſeptem diebus ultimam ſive Sabbathum religioſum, divinisque actionibus conſecratum eſſe voluit.

I. Cur verò præ cæteris diem Sabbathi?

Gen. 2. Deut. 5.

Duabus de cauſis Judæi Sabbathum celebrarunt.

R. Duas potiſſimum ob cauſas. 1. Ut Judæi aſſiduum haberent monumentum conditæ hujus admirandæ mundi machinæ & creationis per ſex dies ab Omnipotente Deo perfectæ, poſtquam requievit Deus ab omni opere quod patrarat: ideò in memoriam tanti beneficii, diem illum ſanctificari voluit. Inſuper, ut etiam error ille Philoſophorum quorumdam confutaretur, dicentium mundum ab æterno fuiſſe. Etenim feſtum diem creationis mundi celebrando, quandoque mundum habuiſſe principium confiteretur. Altera cauſa eſt, quia cum homo per ſex hebdomadæ dies, ſervos ſuos & ancillas ac jumenta ad laborem impulerit ac delaſſarit, voluit Deus ut ſeptimo die, id eſt, Sabbatho requieſceretur à labore ſervi, ancillæ, boves & aſini; Dominique erga operarios ſuos miſericordes eſſe diſcerent, & non crudeles, imò etiam erga ipſamet jumenta commiſerationem inducerent.

Philo de opif. mundi.

I. Cur modò non ampliùs Sabbathum, ſed diem Dominicam celebramus?

R. Quia Dominica dies nobis Chriſtianis, Sabbathum Judæis erat, requietionis dies.

I. Quare non æquè nos Chriſtiani Sabbathum ut Judæi colimus, cùm adeò rationabiles obſervationis ejus cauſæ ſuppetant?

Vide S. Th. opuſ. 7

Sabbathū graviſſimis de cauſis in diem

R. Graviſſimis certè de cauſis Sabbathum in Dominicam mutavit Deus, uti & Circumciſionem in Baptiſmum, Agnumque Paſchalem in Sanctiſſimum Sacramentum, omneſque veteris teſtamenti ritus. Undè, ſi Judæi Sabbathum feſtivè coluerunt in memoriam creati mundi, quod eo die creationi mundi finis fuerit impoſitus; potiori profectò jure à nobis Dominica in memoriam ejuſdem creationis celebratur, quia die Dominicâ creationem illam Deus exorſus eſt. Et, ſi Judæi diem ultimum ſeptimanæ detulerunt Deo, quantò meliùs Chriſtiani faciunt deferendo primum? Præterea in Dominica die, trium principalium beneficiorum redemptionis noſtræ memoria recolitur. Nam in Dominica Chriſtus natus eſt, in Dominica reſurrexit, & in Dominica in Apoſtolos Spiritum ſanctum demiſit. Denique Sabbathum quietem illam deſignat, quam in Limbo ſancti Patres habuerunt; at verò Dominica gloriam illam ſignificat, quam etiamnum beatæ animæ poſſident, & adhuc eorum corpora poſſeſſura ſunt in cœlo. Et ideò coluerunt Sabbathum Judæi, quia poſt mortem in Limbum deſcenderunt ſuam ibidem quietem capturi, Chriſtiani verò ideò Dominicam ſuam colunt, quia poſt mortem ad Paradiſi gloriam, ſi legi à Deo ipſis datæ conformiter vixerint, aſcendent.

Dominicum apud Chriſtianos commutatum.

I. Videor aliquando intellexiſſe legem Decalogi naturalem eſſe, qui fit ergò quod Sabbathum in Dominicam mutatum ſit?

R. Præceptum hoc de ſanctificando Sabbatho, quatenus diem, & tempus aliquod Dei cultui publico, & externo dandum præcipit, morale eſt & naturale. Hoc enim faciendum eſſe, dictat lex naturæ: quatenus verò diem ſeptimum ſive Sabbathum ad hoc determinat, eoque quieſcere jubet, Cæremoniale eſt, ideoque jam in lege nova abolitum. Ita S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1.

Præceptum de Sabbatho partim morale, partim cæremoniale.

I. Cur Chriſtianorum Sabbathum dies Dominica appellatur?

R. Quia videtur de illa die Scriptura velle dicere: *Hæc dies quam fecit Dominus*; præſertim cum eo die Redemptor noſter poſt conſummatum liberationis humanæ opus redivivus apparuerit, & ſuâ reſurrectione ad vitam æternam nobis aditum patefecerit. *Diem Dominicam*

Dies Dominica, cur ſic dicta.

eam (ut ſcribit Innoc. I. ep. 1. ad Decent.) *ob venerabilem Reſurrectionem Domini noſtri IESV Chriſti non ſolùm in Paſcha celebramus, verùm etiam per ſingulas hebdomadas ipſius diei imaginem frequentamus.* Addit aliam etiam rationem S. Auguſtinus, ideò dies iſte dicitur Dominicus, quia in eo tantum Domini noſtri cultui vacandum nobis eſt.

I. Eſtne antiquiſſimum Chriſtianorum Sabbathum ſive dies Dominica?

Dies Dominica antiquiſſima.

R. Ita. Nam anno primo à paſſo Chriſto, in Feſto Pentecoſtes incepit, quando Evangelium palam promulgari cœpit, & omiſſis Judæorum Feſtis Chriſtianæ ſolemnitates ſubſtitutæ ſunt. Ac proindè primus feſtus dies occurrens, fuit Dominica dies. Nam feſtum Nativitatis & Reſurrectionis Chriſti, nonniſi poſt complures menſes celebrari potuerunt. Ita primâ Sabbathi conveniſſe fideles ad frangendum panem ſcribit S. Lucas Act. 20. & S. Joannes: *Ego*, inquit, *Ioannes fui in ſpiritu in Dominica die.* Ejuſdem diei meminit S. Clemens can. 65. Apoſtolorum, Ignatius, Juſtinus, Tertullianus, & alii veteres.

Apoc. 1.

I. Fuitne omni tempore in Eccleſia celebris diei Dominicæ ſolemnitas?

Fuit ſemper admodum celebris dies Dominica.

R. Ita, nam SS. Patres non ſolùm ejus diei magnificam mentionem in ſuis ſcriptis faciunt, ſed etiam eorum plerique ſermones & homilias ſuper Dominicas ſcripſerunt. Nec mirum; habet enim dies Dominica præ reliquis feſtis multas & ſingulares prærogativas, dicente S. Leone Papâ: *Dies Dominica tantis divinarum diſpenſationum myſteriis conſecrata eſt, ut quidquid eſt à Domino inſigne conſtitutum, in hujus diei dignitate ſit geſtum. In hac die mundus ſumſit exordium; In hac per Reſurrectionem & mors interitum, & vita accepit principium, &c.*

Ep. 79.

I. Expone ſi placet latius quæ ſunt diei Dominicæ prærogativæ?

Prærogativa diei Dominicæ.

R. I. Die Dominica mundus ſumpſit exordium, ut mox, ſanctus Leo, & lumen affulſit orbi; creatique Angeli, qui ſunt univerſi nobiliſſima pars.

II. Poſt diluvium arca Noë requievit ſuper montem Armeniæ Gen 8.

III. Hebræi ſicco veſtigio tranſierunt mare rubrum Synod. Cæſar. in ep. Bedæ ſuper celebratione Paſchæ.

IV Cœpit manna de cœlo pluere. Aug. Origen.

V. Chriſtus Dominus in die Dominica natus eſt, ut creditur. VI. Synod. can. 8.

VI. Eâdem die ſtella Magis apparuit Matth. 2.

VII. Baptizatus fuit Chriſtus in Jordane. Matth. 3.

VIII. Primum ſignum fecit vino in aquam mutato. Joan. 2.

IX. Pavit quinque millia virorum exceptis mulieribus & parvulis, quinque panibus & duobus piſcibus, è quibus etiam tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Matth. 14.

X. Venit Jeſus Hieroſolymam, & accipientes ramos palmarum, proceſſerunt obviam ei, & clamabant: *Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſraël.* Joan. 12.

XI. In hac die per Reſurrectionem & mors interitum, & vita accepit principium. Ut S. Leo ſuprà. *Marc. 16.*

XII. In die Dominica, quæ eſt una, id eſt, prima Sabbathorum ſive Septimanæ, venit Jeſus, & *ſtetit in medio diſcipulorum, & dixit eis, Pax vobis.* Et dedit illis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata. Joan 20.

XIII. Miſit eâdem die Dominus Jeſus diſcipulos ſuos ut docerent omnes gentes. Matth. 28.

XIV. In die Dominica miſit Dominus Spiritum ſanctum in diſcipulos ſuos, qui cœperunt loqui, & Evangelium prædicare toti mundo, variis linguis, *prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Act. 2.

XV. Multi opinantur in die Dominica venturum ad judicium, Auguſt. ſer. 25. de

Digitized by Google

25. de temp. Hilar. proœmio in Pſal. & alii.

I. Quid neceſſe fuit cultui divino præfixum aliquod tempus deſtinare?

R. Id certè perſuadebat omnis ratio. Nam ſi omne tempus Deus à nobis exegiſſet, ob tot & tanta collata beneficia, & miſericordiæ ſuæ munera, juſt itinè procul dubio id fecilſet, nec enim ſufficientes ullo modo ſumus pro tanta gratia par reddere obſequium; quid igitur mirum eſt, aut magnum, ſi homo ſtatuto ſaltem aliquo tempore à negotiis corporiſque laboribus feriatus, Deum piè colat ac veneretur.

I. Quibuſnam privilegiis & immunitatibus donarunt Imperatores dies Dominicos?

R. Anno Chriſti Domini trecenteſimo vigeſimo primo, Conſtantinus Imperator hanc de feriando die Dominico edidit ſanctionem: *Sicuti indigniſſimum videbatur, diem ſolis ſua veneratione celebrem, altercantibus jurgiis, & noxiis partium contentionibus occupari: ita gratum ac jucundum eſt, eo die, quæ ſunt maximè votiva, compleri, atque ideò emancipandi, & manu-mittendi die feſto cuncti licentiam habeant, &c.* Vide Euſeb. in vita Conſtantini l. 4. c. 18. & 19.

Impp. privilegiis & immunitatibus donarunt diem Dominicam.

Anno verò ſalutis humanæ quadringenteſimo ſexageſimo nono Leo I. Imperator ad conciliandam ſibi in ſummo diſcrimine divinitatem, menſe Decembri, de ſanctificandis feſtis diebus, prohibendiſque in eiſdem Circenſibus, ſceniciſque ſpectaculis ejuſmodi promulgavit ſanctionem: *Dies feſtos Majeſtati altiſſimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ſemper honorabilem decernimus venerandum, ut à cunctis executionibus exeuſetur. Nulla quemquam urgeat admonitio, nulla fidejuſſionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio deliteſcat; ſit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox ſileſcat; reſpirent à controverſiis litigantes, & habeant fœderis intervallum; ad ſeſe ſimul veniant adverſarii non timentes; ſubeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, tranſactiones loquantur. Nec huc hujus tamen religioſi diei otia relaxantes quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eo die ſibi vendicet ſcena theatralis, aut circenſe certamen, aut ferarum lachrymoſa ſpectacula, & ſi in noſtrum ortum aut natalem celebranda ſolemnitas inciderit, differatur. Amiſſionem militiæ, proſcriptionemque patrimonii ſuſtinebit, ſi quis unquam hoc die feſto ſpectaculis intereſſe, aut cujuſcumque Iudicis apparitor prætextu negotii publici, vel privati, hæc quæ hac lege ſtatuta ſunt crediderit temeranda. Data Idibus Decembris Conſtantinopoli Zenone & Marcellino Coſſ.*

L. 3. de fer. Cod. Theod.

LECTIO II.

I. QUâ ratione Sabbathum ſive diem Dominicam ſanctificare oportet?

R. *Primò*, gratiarum actione & oratione. Eſt enim hæc dies inſtituta tanquam memoriale beneficiorum Dei. Propterea dicitur nobis: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*, id eſt, ut Sabbathum Domino conſecres, eique eo die religionis officia tribuas. *Secundò*, mandatur fidelibus ab Eccleſia, ut Miſſam audiant in die Dominica, quæ eſt determinatio exercitii neceſſarii in eadem die. Ad hoc diligentiſſimè plebem ſibi commiſſam exhortabatur S. Auguſtinus ſerm. 251. de temp. Et licet Eccleſia ſancta ad aliud nos non obliget, nihilominùs convenientius eſt, ut integer ille dies feſtus, aut potior illius pars in oratione, lectione ſpirituali, in obeundis Eccleſiis, audiendis concionibus, & catechiſmis ſimilibuſque ſpiritualibus exercitiis tranſigatur, quia ille eſt finis propter quem inſtituta ſunt feſta.

Quid ex præcepto agendum ut dies Dominica ſanctificetur.

Quid ex congrue.

I. Quæ

Digitized by Google

I. Quæ fuerunt primorum Chriſtianorum exercitia diebus Dominicis obſervari ſolita?

Qualiter primi Chriſtiani ſanctificabant diem Dominicam.

R. 1. Fideles conveniebant in Eccleſia ad lectionem, concionem, ſacrificium, communionem, orationem, & ad cætera officia divina *Act 13. Inſt Apol.*

2. Faciebant collectam eleëmoſynarum pro neceſſitatibus pauperum. *1. Cor. 14. & 16.*

3 Dominica dies erat primis Chriſtianis dies gaudii & lætitiæ, ut patet ex Tertull. l. de corona milit. quam ob cauſam die Dominicâ non jejunabant.

4. In die Dominica non flectebant genua, ſed ſtantes precabantur (quod uſque in hodiernam diem ex cæremoniis Eccleſiæ Romanæ uſum obtinuit) ob lætitiam Dominicæ Reſurrectionis. *Tertul ſup. Hilar. præfat. in Pſal. Aug ep. 119. Alexand III. c. Quoniam X de Feriis.*

I. Quidnam fieri prohibitum eſt die Dominica?

Quæ prohibita in die Dominica.

R. *Primò*, prohibemur in ea facere quodcumque opus ſervile; adeoque jubemur, quæcumque divinum cultum impedire poſſunt, omninò vitare: Ideircò enim dicitur: *Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, &c* Non, quod opus ejuſmodi (ſervile) ſuâ naturâ, aut turpe, aut malum ſit; ſed quoniam mentem noſtram à divino cultu, qui finis præcepti eſt, abſtrahit.

C. 1. & c. fin. de fer.

Secundò, præter opera ſervilia in die Dominica, prohibita ſunt negotiatio ſive mercatura, actus judiciales, qui placita dicuntur; proceſſûs inſtructio, &c.

I. Si opera ſervilia in die Dominica vetita ſunt, utique non licebit campanas pulſare, menſas apparare, coquere cibos, quia illa opera ſervilia ſunt?

R. Præceptum illud prohibens opera ſervilia, ſub duplici conditione intelligitur. *Prima* eſt, ut ejuſmodi opera non ſint, quæ ad ſuſtentandam humanam vitam neceſſaria non ſint. Quare, coquere cibos, parare menſam, pharmaca ægris adhibenda componere, & ſimilia, permittuntur, quæ pridie parari commodè non poſſunt. *Altera* eſt, ut etiam illa opera non intermittantur quæ cultui divino non inſerviunt; unde pulſare campanas, parare altaria, ornare templa, aut alia officia in Eccleſia peragere quæ alio die non poſſunt, permittitur. Ideò à Domino dictum eſt, *Sacerdotes in templo Sabbathum violare, & ſine crimine eſſe.* Matt. 12. Et Diſcipulis ſpicas vellentibus, eaſque manducantibus dixerunt Phariſæi: *Ecce Diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbathis*: At ille: *Non legiſti quid fecerit David?* 1. Reg. 21. hinc Chriſtus Dominus, ut hujus præcepti intelligentiam aperiret, & non eſſe ab omni proiſûs opere ceſſandum, demonſtraret, miracula fecit & alia bona opera: nam Sabbatho manum aridam curavit, mulierem inclinatam ſanavit. Matt. 12. Luc. 13.

I. Poſſuntne terræ proventus, ſi periclitentur die Dominico aut etiam alio feſto condi & præſervari?

L. 1. X. de fer. c. licet.

R. Planè, id ſacris Canonibus permiſſum eſt. Imò etiam plura alia opera ſervilia, quando ea fieri rationabili de cauſa induliſerit Prælatus.

I. Nunquid ergò debemus ab omni opere diebus Dominicis, & Feſtis vacare, à quo abſtinebant Judæi?

Non ſabbatizant Chriſtianorum Judæis.

R Non, ſed ſufficit quod diximus. Vide S. Thom 2. 2. q. 122 ar. 4. ad 4.

I. Eſtne Chriſtianis illicitum obſervare Sabbatha cum Judæis?

R. Ita, ſic enim fieret profeſſio quædam infidelitatis, quaſi adhuc teneremur ad obſervationem figurarum, & cæremoniarum legis veteris, à quibus exempti ſumus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, uti docet Apoſtolus Gal. 4. & Coloſſ. 2. Imò res iſta vehementer ab Eccleſia prohibita eſt ſub excommunicationis pœna; *Non oportet Chriſtianos judaizare, & in Sabbatho vacare, ſed operari eos in eodem die, Dominicum præponendo eidem diei, quod ſi inventi fuerint judaizare, anathema.* Conc. Laodic. c. 2. 9.

I. Ni-

Dies Sabbathi apud Chriſtianos cultui B. Virginis dicata.

I. Nihilne igitur devotionis ſibi reliquum ſervarunt Chriſtiani in die Sabbathi?

R. Imò, die enim Sabbathi colunt præcipuè B. Virginem Mariam.

I. Cur B. Virginem præcipuè colunt in die Sabbathi?

R. Potiſſima ejus ratio videtur eſſe, quod Virgo ſanctiſſima die Sabbathi quo Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conditum erat in ſepulchro, firma & conſtans in fide Reſurrectionis ejuſdem Domini noſtri perſeveraverit, Apoſtolis & Diſcipulis omnibus hæſitantibus, & in fide vacillantibus.

I. Nonne ſaltem oportet nos Chriſtianos æquè ac Judæos à peccato abſtinere diebus Dominicis & Feſtis?

R. Procul dubio, quia omnes omninò homines à peccato abſtinere omni tempore oportet. Debent verò Chriſtiani diebus iſtis vitare peccata, potiſſimum detractionis, vanæ recreationis, ebrietatis, commeſſationis, otioſitatis & laſciviæ.

I. Cur illa potiſſimum debent vitare iſtis diebus?

R. Quia neſcio quid plus proclivitatis & occaſionis nanciſcitur Chriſtianus ad illa diebus feſtivis, quando ab omni corporali exercitatione vacat. *Vide S. Antonin. 2 p. tit. 9. c. 7. § 4. & Conc. Tolet. III. c. 22.*

Sancti docuerunt nos feſta celebrare.

I. Docueruntne nos Sancti ritè ſanctificare Sabbathum, ſive feſta celebrare?

In Regiſtro.

R. Ita. S. Greg Nazianz. orat. 4. in Julian. *Feſta celebremus non corporis nitore, non veſtitus mutatione, ac magnificentiâ, non commeſſationibus & ebrietatibus, quorum fructum cubilia, & impudicitias eſſe didiciſtis; ſed animi puritate, & mentis hilaritate, &c.* Et S Gregorius magnus. *Dominico die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodè orationibus inſiſtendum, ut ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.*

I. Eſtne reprehenſione dignus qui Dominicis diebus, & feſtis cultiore veſte induitur?

R. Minimè, ſed laudem potiùs meretur.

Exemplum. Tho. Stapl. in vita.

Thomas Morus tantâ devotione dies Feſtos & Dominicos celebrabat, ut nunquam nequidem carcere incluſus, veſtem non mutarit; cumque dicerent nonnulli perperam id fieri, cùm in hominum conſpectu non eſſet, dicebat ſe id non hominum gratiâ, ſed Dei & religionis facere.

Fructus quos conſequuntur qui feſta ritè celebrant.

I. Quid commodi conſequitur qui dies feſtos religioſè colit?

R. Fructus & commoda colentium feſta, deſcribit Iſaias c. 58. cum ait: *Si averteris à Sabbatho* i. à Sabbathi transgreſſione, *pedem tuum*, quia in Sabbatho longum iter, omneque opus ſervile, quod pedibus aut manibus fit, erat prohibitum; *& ſi averteris*, hoc enim hic repetendum eſt, *facere voluntatem tuam in die ſancto meo*, q.d. ſi in Sabbatho qui eſt dies Sanctus Domini, qui ejus cultui dedicatus, non tantùm quieveris ab opere; ſed etiam non ſequaris tuam voluntatem, & concupiſcentias, indulgendo gulæ & genio, ſed vacando orationi, concioni, lectioni, meditationi; *& vocaveris Sabbathum delicatum*, delicatè & tenerè obſervandum, *& ſanctum Domini glorioſum* glorificaveris, æſtimaveris, & colueris Sabbathum quaſi diem ſanctum, & gloriæ & glorificationi Domini dedicatum; hoc autem ô Chriſtiane præſtabis, *dum non facis vias tuas*: actus, mores, & vitia conſueta, *& non invenitur voluntas tua*, ut impleas tuam gulam & concupiſcentiam; ſed ut totus Deo, Deique voluntati cognoſcendæ, amandæ, & adimplendæ vaces. *Ut loquaris ſermonem*, ſcilicet, qui non prodeſt. q. d. ſi Sabbatho abſtinueris à confabulationibus, vanis, ridiculis, nugoſis, detractoriis, petulantibus, obſcœnis ac rixoſis. Ad hæc enim homines carnales invitat otium Sabbathi.

Tunc delectaberis ſuper Domino. Tria

Digitized by Google

hic præmia Sabbathum Deumique colentibus promittit. Primum quod magnam habebunt ſpiritûs delectationem in rebus ad Deum pertinentibus, *& juſtollam te ſuper altitudines terræ*; Secundum eſt hoc præmium, q.d. ſi Deum, Deique feſta colueris, ſuſtollet te Deus in altum, ut ſcilicet in Deo, & cœlo mente fixus, magno animo hoc terræ punctum, & terrena omnia contemnas ſive proſpera ſive adverſa, eaque cum S. Paulo arbitreris ut ſtercora. *Et cibabo te hæreditate Iacob Patris tui* q.d. Replebo te ſpiritualibus bonis in hæreditate cœleſti; Tertium eſt hoc Sabbathi Deique cultûs præmium. Denique adjiciet Deus & temporalia bona, uti promittit ipſe Levitici 26. v. 2. & 4.

Tria præmia colentibus Sabbathum promiſſa.

I Qualiter verò puniuntur qui diem Dominicum & feſta violant?

R. *Primò* in corpore, puta morbis & caſibus, ut crura & brachia ſibi frangant laborando. *Secundò*, in bonis damna patiuntur, à furibus ſpoliantur, eorum boves & equi, *&c.* moriuntur, domus conflagrat, *&c.* fiuntque pauperes. *Tertiò* bonis ſpiritualibus privantur. Peccant enim *primò* in Deum Patrem, cujus potentia die Dominico mundum creavit. *Secundò*, in Filium, qui eodem die nos redemit, opus redemptionis noſtræ complendo. *Tertiò*, in Spiritum ſanctum qui eo die ad nos miſſus eſt.

Pœnæ eorum qui feſta violant.

Audi Jeremiam c. 17. *Si non audieritis me, ut ſanctificetis diem Sabbathi, & ne portetis onus, &c. ſuccendam ignem in portis ejus, & devorabit domos Ieruſalem & non extinguetur.* Audi Ezech. c. 20. *Sabbatha mea violaverunt, dixi ergò, ut effunderem furorem meum in deſerto, & conſummarem eos.* Vide 2. Eſdræ 13. v. 15. Ira Deus violantem Sabbathum morte punit, *Exod. 31. v. 14. & Num. 15. v. 35. Vide 2. Machab. 14. v. 4. & ſequentibus.* Ubi Nicanor contemnens Sabbathum Judæorum ab eis cæditur.

Exempla. Vide Gregorium Turon. de gloria Confeſſ. c. 81. Ubi narrat contemnentem feſtum B. Martani igne fuiſſe punitum. Et c. 99 narrat de alio, qui in feſto laborans oculi & faciei contortione punitus eſt.

Sub urbis Turonicæ territorio apud vicum Languvienſem, mulier quædam, conſperſa Dominica die farina panem formavit, quem ſegregatum prunis cinere ferventi contegit decoquendum, quod cum feciſſet, protinus ejus manus dextera divino igne ſuccenſa cœpit exuri. At illa vociferans, & plangens, baſilicam hujus vici, in qua Reliquiæ B. Ioannis Baptiſtæ continentur, petiit. Et orationę fuſa vovit, poſt hac in die divino nomini conſecrata nullam operam exercere, & niſi tantùm orationi vacare. Nocte verò ſequenti obtulit cereum altitudinis ſtaturæ ſuæ; tunc in oratione pernoctans, tento tota nocte manu propria cereo, extinctis ardoribus incolumis eſt egreſſa.

Greg. Turo l. 1. de glo. Mart. c. 6.

In Gemblacenſi Parochia dum Pater-familias Dominica die mixturam ſegetum præ penuria panis moleret in uſus familiæ, ſubitò juſta Dei indignatione arſit farina cum putoris nigredine, ad exemplum poſteris, ne quis præſumat ſimile.

Chron. Sigeberti anno Do. 1126.

Quidam auſu temerario die Dominica jungens boves agrum ſulcare cœpit, apprehenſaque ſecuri, ut aliquid emendaret in vomere, protinus contractis digitis manubrium in dextra ejus inhæſit: cumque præ dolore nimio cruciaretur, poſt duos annos veniens ad B. Martyris Iuliani baſilicam, vigilias fideliter celebravit; ſtatim in ipſa die Dominica reſerata manus, lignum, quod invitus tenebat, emiſit; magnam inferens populo diſciplinam, ut quod die Dominica fuerat perpetratum, ipſa quoque die Dominica purgaretur. At ille magnificans gloriam Martyris, receſſit incolumis, nec ultra die Reſurrectionis Dominicæ auſus eſt operari.

Greg. Turon l. 2. mirac. c. 11.

S. Verſus Epiſcopus Fanenſis (quæ civitas eſt inſignis in Vmbria) religioſè colitur in ea urbe & Diœceſi die 15. Maji, in quo cum omnes

omnes vacarent ab operibus, ſolus Bubulcus in agro Fanenſi deprehenſus fuit arans fundum, undè admonitus, cur feſtum violaret S. Urſi civitatis Patroni; cum irriſione reſpondit imprudenter ſi ipſe eſt Urſus, ego ſum canis: non diſtulit ira Dei condignum blaſphemò, & diei feſti violatori inferre ſupplicium, nam illicò ipſe velut alter Core, Dathan, & Abiron, ſolo dehiſcente cum aratro, & bobus terra hiatu abſorptus eſt eo loci, ubi nunc dicitur villa Roſciani, ubi adhuc inexplebilis voraginis monſtrantur veſtigia. Atque extat in publicis tabulis hujus miraculi fides, quod & traditione continuâ à Patribus acceptum, uſque hodie communi omnium Fanenſium ore celebratur.

LECTIO III.

I. SUntne aliquæ Dominicæ præ cæteris celebriores, & quæ majori devotione coli debent?

Tres Dominicæ principaliſſ.

R. Ita, ſunt tres principales: nimirum Dominica Palmarum, Dominica Reſurrectionis, & Dominica Pentecoſtes.

I. Quid verò in particulari notatu dignum eſt circa Dominicam Palmarum?

Matt. 21. & Joan. 12

R. Quod tali die Redemptor noſter ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis, ſtratis veſtimentis Diſcipulorum, ovans intraverit Jeroſolymam, turbis quæ præcedebant, & quæ ſequebantur acclamantibus: *Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis.*

Dominica Palmarum.

In hujus rei memoriam celebratur hâc die per omnes Eccleſias ſolemnis proceſſio, in qua clerus & populus deferunt ramos benedictos palmarum. Vide ſup. c. 2 l. 9.

I. Obtinuitne dudum uſus, ut Dominica Palmarum ſolemniter celebretur?

R. Ita, *legimus enim in vita S. Mariæ Ægyptiacæ ſcripta per Paulum Diaconum Neapolit. Monachos, qui tempore Quadrageſimæ in interiorem ſolitudinem monaſterii ſe, & pœnitentiæ majoris gratia ſeſe receperant; ſolitos ad monaſterium reverti Dominica ante Reſurrectionem, quo die, inquit hiſtoria, Eccleſia ſancta ſolet celebrare Dominicam, & ſolemnitatem Palmarum.*

De S. V. Tereſia ſuperiori ſæculo ad meliorem vitam nata traditum eſt, quod ingenti præparatione, & præcipua devotione ſoleret Dominica Palmarum corporis Dominici communionem ſumere, tanquam Chriſtum Redemptorem noſtrum ad menſam adhibitura, quem nullus Jeroſolymus poſt tot fauſtas acclamationes, de quibus ſuprà, invitaverat, ſed abiit, inquit Matthæus, foras extra civitatem in Bethaniam. Qualiter Dominus Deus Dominicam Palmarum miraculis illuſtrarit, Vide Greg. Turon l. 2. de miraculis B Mariæ cap 33. L. 4. vitæ c. 12.

C. 21.

I. Dominica Reſurrectionis fuitne omni tempore ſolemniſſima habita?

Dominica Reſurrectionis ſolemniſſima.

R. Planè ſolemniſſima, uti communis omnium Chriſtianorum uſus & SS. Patrum ſcripta teſtantur. S. enim Greg. *hom. 22 ſuper cap. 20. S. Ioannis* vocat eam ſolemnitatem ſolemnitatum. Et Ven. Beda l. 3. hiſtor. Angl. *maximam ſolemnitatum.*

I. Eſtne etiam Dominica ſive ſolemnitas Paſchatis valde antiqua?

Exemplum.

R. Antiquiſſima Nam S. Hieronymus ſcribit in vita Pauli Eremitæ, quod S. Antonius, depoſito in foſſam ſancto corpore defuncti, ut aliquid pius hæres ex inteſtati bonis poſſideret, tunicam ejus ſibi vendicaſſe, quam in ſportarum modum de palmæ foliis ipſe ſibi contexuerat, diebuſque ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes, ſemper Pauli tunica veſtitum eſſe.

Solemnitas Paſchatis ab Apoſtolis inſtituta.

Imò, longè ante ex Conc. I. Nicæno apparet ſolemnitatem Paſchatis inſtitutam fuiſſe, ut proindè ab initio Eccleſiæ per Apoſtolos ipſos fidei noſtræ Patres fuiſſe indictam meritò debeamus exiſtimare.

I. Quare tam ſolemniter colunt fideles Dominicam Reſurrectionis?

R. Quia iſtâ die (quæ erat una, id eſt, prima Sabbathorum, q. d. prima dies ſeptimanæ) Chriſtus Dominus devictâ morte reſurrexit. Hinc ſingulis hebdomatibus in Eccleſia Catholica ſolemnem ejus commemorationem facimus, quæ eſt dies Dominica. Vide Baronium anno Domini 159. n. 1.

I. Quænam eſt Dominica Pentecoſtes?

Dominica Pentecoſtes. R. Eſt Dominica ſeptima poſt Paſcha. Numera enim à Dominica Reſurrectionis dies quinquaginta, & reperies quod Dominica ſeptima ſit dies quinquaſima, id eſt, Pentecoſtes.

I. Fuitne omni tempore ſolemnis apud Chriſtianos dies iſta Dominica?

R. Ita, prout mox vidimus ex S. Hieronymo.

I. A quo tempore cœpit hæc Dominica ſolemniter celebrati?

R. Ab ipſis Eccleſiæ exordiis. Sanctus enim Lucas Act. 2. ejus mentionem facit, æquè ac S. Paulus 1. Cor. 16. teſte Epiphan. hæreſ. 75. & Auguſtino ep. 118.

I. Quam ob cauſam celebrat Eccleſia tam ſolemniter Dominicam Pentecoſtes?

R. Quia in illa deſcendit Spiritus ſanctus, qui per Apoſtolos legem novam promulgavit in Sion.

I. Cur ſolemniſſimis illis Paſchæ & Pentecoſtes Dominicis adjuncti ſunt etiam alii feſti dies?

R. Quia myſteria quæ in illis diebus celebrantur, ſunt tam ſublimia, tamque excellentia, ut unâ die ſatis dignè recoli nequeant?

I. An præter Dominicam obſervare alia feſta neceſſarium ſit?

Alia etiam feſta præter Dominicam obſervanda. R. Sunt utique multa alia obſervanda: non modò Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed etiam B. Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum, omnia nimirum illa quæ ab Eccleſia ad obſervandum propoſita ac præcepta ſunt. Sed nos principaliter de Dominica egimus, quia feſtus ille dies antiquiſſimus eſt, & præ cæteris ſæpiſſime celebratur: quemadmodum & apud Judæos feſta multa fuerunt, verùm antiquiſſimum, maximum, & quod præ reliquis frequentiùs celebratum fuit, erat Sabbathum. Quare etiam in Decalogo non niſi Sabbathi mentio fit expreſſa, cui, uti diximus, dies Dominica ſucceſſit.

I. Quæ ad obſervationem feſtorum debitam neceſſaria ſunt?

R. Vide quæ ſuprà initio lectionis præcedentis de ſanctificatione Sabbathi ſeu Dominicæ tradidimus, nulla enim in hoc utrorumque eſt differentia.

I. At obganniunt hic more ſuo hæretici, neque volunt Sanctorum feſta celebrari?

R. Remitte illos ad Eccleſiæ praxim, notatam à S. Auguſtino l. 10. cont. Fauſt. Manich. *Populus Chriſtianus*, inquit, *memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo, Regi Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit; ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad augendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum, quo adjuvante poſſumus.* Sup. c. 2. l. 10. *Sanctorum feſta quibus de cauſis celebrata.*

***

DE IV. PRÆCEPTO.

CAPUT V.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

LECTIO PRIMA.

Præcepta primæ tabulæ hominem informant in iis quæ ad Deum.

NOta, priora primæ tabulæ (de quibus hactenus) præcepta homines de iis, quæ Deo præſtare tenentur, inſtruunt: Verum ſcilicet Dei cultum, interiorem & exteriorem, corde, ore, ac opere, privatim & publicè. Sequuntur modò præcepta ſecundæ tabulæ, quæ hominis erga proximum officium explicant; hoc eſt, ea quæ charitas proximo debita dictat tribuenda. Et quoniam inter proximos maximè conjuncti ſunt parentes, per quos tamquam particulare principium noſtri, accepimus eſſe & vivere; ideò præcepto primo poſterioris tabulæ, id eſt, 4. præcepto Decalogi jubemur honorare parentes. Vide S. Thom. 2. 2 q. 122. ar. 5. in O.

Præcepta 2. tabulæ hominis erga proximum officium aperiunt.

I. Quis honor à filiis debetur parentibus?

R. Sub una voce *honoris*, quatuor intelligenda ſunt: *Opitulatio, obedientia, reverentia exterior, & amor interior.*

Honor parentibus debitus plura importat.

Et primò quidem ante omnia obligati ſumus Patri ac Matri vitæ ſubſidium afferre. Subſidium autem illud in Sacra Scriptura *honor* appellatur. Vide S. Hier. ſup. c. 15. Matt. Nam valdè rationabile eſt, ut filii, qui vitam à Patre ac Matre ſuſceperunt, eorumdem vitam conſervare nitantur.

Subſidia corporalia parentibus deferenda à filiis.

Præclarum eſt in hoc genere exemplum ciconiarum, quæ cùm parentes ſenuerunt, eos plumis ſuis fovent, eſcaſque afferunt, & piâ viciſſitudine juvenes reddunt, quòd à parentibus parvuli ſuſceperunt. S. Amb. 5. Hexam. & ex eo S. Thom. opuſc. 7.

I. Quid ſi fortè parentes divites fuerint nulliuſque ſubſidii indigentes?

Subſidia ſpiritualia parentibus à filiis impendenda.

R. Si temporali ope non egent; at certè non accidet, ut eis ſupervacanea ſit opis ſpiritualis ſubventio, v. g. orationis, conſilii boni, &c. Undè ſi periculosè ægrotant, danda erit filiis præcipua opera ne quid prætermittant, quod vel ad peccatorum confeſſionem attinet, vel ad reliqua Sacramenta, quæ à Chriſtianis hominibus percipi debent, cum mors appropinquat. Idque iis curæ ſit, ut pii, religioſique homines eos crebrò interviſant; qui vel imbecilles confirment, & conſilio juvent; vel optimè animatos ad ſpem immortalitatis erigant, atque ad benè beatèque moriendum diſponant; & tandem mortuis parentibus funus faciant, exequias cohoneſtent; juſta & ſacrificia anniverſaria curent; & poſtremò, ſi quæ ab iis legata ſunt, diligenter perſolvant.

I. Punivitne Deus interdum filios qui parentibus egenis defuerunt.

Exemplum. Cantip. l. 2 apum c. 7. p. 4.

R. Ita, *quemadmodum ſequenti exemplo manifeſtè declaratur: In Normannia partibus filius quidam à parente ditatus, & honeſtis nuptiis auctus, die quâdam videns parentem jam pauperem, & ſenem baculo innixum, ut eſurientem animam ſatiaret, ad ſe venientem, anſerem vero infixum abſcondi jubet, familicumque Patrem domum remittit. Anſer mox producitur, ut peraſſetur, & ecce bufo magnus ei inhærens in ingrati filii faciem inſilit, ut nullâ vi aut arte excuti potuerit. Nimirum prædicatione mutâ publicabat quem parentibus filii honorem debeant.*

I. Quam debent filii parentibus obedientiam?

Obedire debent filii parentibus.

R. *Ut parentibus obediant per omnia*, uti ad Coloſſ. 3 ſcribit Apoſtolus; per omnia, inquam, quæ Deo placita ſunt.

I. Poſſeſne hoc Sanctorum exemplis confirmare?

Gen. 22. R. Ita. Iſaac eùm à patre ad ſacrificium vinciretur, modeſtè ac ſine recuſatione paruit.

Jerem. 35. Rechabitæ, ne à patris conſilio unquam diſcreparent, vino ſe in perpetuum abſtinuerunt.

I. Quid ſi parentes mandarent filiis amplecti hæreſes, deſerere fidem Catholicam, impedirent ingreſſum religioni, &c. tenerenturne obedire?

Luc. 14. Matt. 10. R. Minimè. Tunc enim locum haberet, quod dicit Chriſtus: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & uxorem, & filios*, Chriſto, Chriſtique legi adverſantes, *non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

I. Obediveruntne ſancti Deo potiùs quàm parentibus, quando de negotio ſalutis agebatur?

Exempl. *Ado in Martyr. ad 9. Ian. Sur. to. 2.* R. Ita docet exemplum quod ſequitur: *Cùm S. Martyr Iulianus vinculis ferreis arctatis per civitatem ſub præconis voce circumduceretur, & perveniſſet ad locum, ubi filius (Martiani) Præſidis, Celſus nomine, in ſcholis erudiebatur, puer idem Celſus vidit multitudinem albatorum circa Sanctum Martyrem: & coronam pretioſiſſimis lapidibus renitentem ſuper caput ejus. Quæ viſa cum ſuis condiſcipulis narraret, diceretque æquiſſimum eſſe tam excelſo Deo ſervire, qui ſibi famulantes tantis bonis cumularet, ſubitò divinitus inſpiratus projecit volumina magiſtrorum, & veſtimenta, quibus erat indutus, & celeri curſu pervenit ad pedes vincti Martyris. Ad quod factum ſtupens tota penè civitas accurrit: cùm reliquis Præſes & Mater pueri ejulantes adveniunt. Sed cum puerum à Beati ſocietate ſeparare non poſſent, cùm Beato Iuliano tenebricoſo ac tetro carceri traditur, qui ſubitò fulgore & fragantiâ perfuſus eſt, & poſt multa ſuperata tormenta, martyrii palmam adeptus eſt, malens beatiſſimis Chriſti Martyribus ſuæ regenerationis patribus, quam impiis idolorum cultoribus ſuæ carnis progenitoribus conſociari.*

Illuſtre quoque eſt in hoc genere exemplum Hermenegildi Martyris apud S. Greg. l. 3. Dial. c. 31. *Sup. lect. 3. prælud. 3.*

I. Quam debent filii parentibus reverentiam?

Reverentia parentibus debita. R. Debent verbis & geſtis exterioribus ſuaviter, & ſubmiſsè agere cum eis; conſolari eos in afflictione poſitos; acceptare æquo animo eorum reprehenſiones; petere veniam ſi quando eos offenderint. Joſeph cum in Ægypto honore & amplitudine Regi eſſet proximus, patrem, qui in Ægyptum venerat honorificè excepit: & Salomon Regum maximus matri advenienti aſſurrexit; eamque veneratus, in regio ſolio ad dexteram collocavit. *Exempla.* Gen. 46. 3. Reg. 2.

I. Punivitne Deus interdum eos qui parentibus inferre necem minabantur?

Exempla. R. Ita. Abſalon ſuſpendio interiit. 2. Reg. 15. Chramnus Clotarii Regis filius ſæpè adverſus Patrem rebellans, & ab eo ſæpè ad veniam receptus, prælio cum patre in minore Britannia commiſſo victus captuſque juſſu patris tugurio incluſus eſt, & igne conſumptus cum uxore ac filiabus, quas ad rebellionem habuerat impellentes. *Greg. Turon. l. 4. hiſt. Franc. c. 21 Baro. to. 7. an. 564.*

Carolus Craſſus Ludovici Francorum Regis filius à dæmone horribiliter vexatus fuit coram Rege & aulicis; quibus in tormentis faſſus eſt ideò hoc ipſi accidere, quod contra Regem parentem ſuum conſpiraſſet. *Sigebert in chronic. anno* 878. *& Martinus Polon. anno* 872.

An. 1358. menſe Aprili ipſis S. Georgii feriis Guillielmus Bavarus Hannoniæ & Hollandiæ Comes phreneſi correptus fuit, ut neceſſe fuerit eum ad vitæ reliquum, arcta firmaque cuſtodia occludere, per triginta nimirum annos uſque ad extremum vitæ diem. Creditum eſt juſto id Dei judicio contigiſſe, quod Domina Margarita Auguſta rebellis *Iac. Meier. l. 3. Annal. Flãd. an. 1358.*

bellis admodum, & inobediens, extitiſſet.

I. Qui fit quod reperiantur filii uſque adeò impii & inhumani, qui non modò deferre parentibus debitum honorem detrectent, verùm etiam contra eos audent inſurgere, injuriâ afficere, maledictiſque proſcindere?

R. Sæpè id accidit ex malâ educatione, parentibus nimiam eis libertatem & diſſolutionem permittentibus. Undè cecinit Poëta:

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.

Secundò, interdum etiam ex pravâ cum malè morigeratis converſatione.

I. Nihilne præterea debent filii parentibus?

Amor internus parentibus debetur.

R. Imò, amorem videlicet internum & benevolentiæ affectum quo bona eis temporalia & ſpiritualia non ſolùm exoptent, ſed etiam quantum in eis eſt, & occaſio fert, cum effectu procurent.

I. Quâ ratione contingit hoc præceptum à filiis violari defectu benevolentiæ, & amoris interni?

R. Hoc præceptum violant filii qui parentes odio proſequuntur, qui in proſperis non congratulantur, & in adverſis minimè compatiuntur.

I. Quare hæc omnia debent filii parentibus?

Vid. S. Tho opuſc. 7.

R. Eo quòd, uti jam ſuprà notavimus, ipſi filios in hanc lucem ediderunt, in quo Dei Vicariam quodammodò operam præſtant, per ipſos in Chriſto regenerantur, ad Dei cultum & religionem perducuntur, bonis moribus inſtruuntur, & ad beatam vitam diriguntur. *Memento* (inquit Sapiens,) *quòd niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis: Memor eſſe debes, quæ & quanta pericula* (mater) *paſſa ſit in utero ſuo.* Eccl. 7.

LECTIO II.

Parentum erga filios officium.

I. Quod eſt parentum erga filios officium?

R. Debent parentes filios ſuos in fide Catholica, & bonis moribus inſtruere. *Vos Patres* (ſcribit Apoſtolus Epheſ. 6.) *educate filios veſtros in diſciplina & correptione Domini.* Et Eccleſiaſticus c. 7. parentes admonet: *Filii tibi ſunt? erudi illos; & curva illos à pueritia eorum: filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum & non oſtendas faciem hilarem tuam ad illas.* Sanè ab educatione pendet tota vita hominis, imò ſalus & beatitudo æterna.

Sancti piè educarunt proles ſuas.

I. Dederuntne ſancti operam bonæ filiorum educationi?

R. Ita. Abraham Geneſ. 18. Tobias c. 4. *Exempla.*

Ingens fuit Elcanæ, & Annæ circa filioli ſui Samuëlis inſtitutionem pietas, dum eum totum Deo conſecrant, ut cunctis diebus vitæ ſuæ ei jugiter inſerviat. 1. Reg. 1.

Raguel, & Anna filiam ſuam Saram piè & pudicè educatam dimittentes, monent eam ut honoraret ſocerum, diligeret maritum, regeret familiam, gubernaret domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhiberet. Tob. 10.

Magno etiam fervore Mathathias filios ſuos, ne à veritate ejuſque propugnatione deficiant, exhortatur; cujus præcepto, pio illi animo ſedulò obſecuti ſunt. 1. Reg. 2.

Illuſtria ſunt in hoc genere exempla Sanctæ Monicæ Matris S. Auguſtini, & Blanchæ Matris S. Ludovici, quæ filios ſuos ſanctè educarunt. Vid. S. Aug. in confeſſ. Paul Æmil. l. 7. hiſtor. Franc. Vid. S. Hieron. epiſt. ad Lætam. & Brev. Rom. 22. Nov.

Carolus Magnus Imp. maximâ curâ liberos educavit. Nunquam domi ſine ipſis cœnavit; nunquam iter fecit quin filii adequitarent, filiæ vehiculo extremum *Æmil. l. 2. hiſt. Franc.*

mum

Digitized by Google

mum agmen claudente ſubſequerentur : ipſos liberalibus ſtudiis inſtitui juſſit. Mares, ſimul ac per ætatem licuit, more Germanorum equis, armis, venationibus exercuit : fœminas verò etiam lanificio colo, fuſoque, ne otio torperent, aſſuefecit.

I. Quid ſi parentibus, ſive per negotia, ſive aliter minimè liceret liberorum educationi intendere?

R. Committant illos Pedagogis, & Præceptoribus eruditis & Deum timentibus; uti jam olim conſtitutum eſt in Concilio Mogunt. can. 45. *Dignum eſt, ut parentes filios ſuos donent ad ſcholam ſive ad monaſteria, ſive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè diſcant, ut domi alios edocere valeant.*

I. Qua ætate debent inſtrui pueri?

A prima ætate erudiēdi ſunt pueri.

R. Statim ac movere linguam ad loquendum didicerint. Ex tunc enim docendi ſunt ſacroſancta *Ieſus* & *Mariæ* nomina pronuntiare; & ſuccedente ſenſim ætate *Ave Maria*, & rudimenta deinceps fidei recitare.

I. Cur taliter à prima ætate docendi pueri?

Gen. 8. Prov. 22.

R. *Quia ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Et: *ſtultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.* Adde quod: *adoleſcens juxta viam ſuam graditur, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.*

Pueri (inquit S. Baſilius) ſunt velut cera mollis; cui quamlibet voles imaginem imprimes, ſive Angeli, ſive mali dæmonis. Quocirca S. Hieron. *Difficulter, ait, eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem revocet? recens teſta, diu & ſaporem retinet & odorem, quo primum imbuta eſt.*

Exempla.

Græca narrat Hiſtoria, Alexandrum orbis domitorē, & in moribus & in inceſſu à Leonidis Pædagogi ſui non potuiſſe cavere vitiis, quibus adhuc parvulus fuerat infectus. Hinc S. Placidus quinquennis traditus S. Benedicto efformandus, à puero vitæ monaſticæ ſe aſſuefecit, factuſque eſt illuſtris Religioſus & Martyr. Et S. ipſe Benedictus pueros paſſim ad ſuum Ordinem recipiebat, ut à tenetis annis aſſueſcerent auſteritati & diſciplinæ monaſticæ.

Sub diſciplina S. Benedicti educati pueri.

I. Strictone jure tenentur parentes, ſuos liberos benè educare?

R. Ita, ſtrictiſſimo. Hac enim lege Deus & natura eos parentes eſſe voluerunt.

I. Qui non audet filium peccantem extremo virgæ contingere ne eum affligat, amatne revera filium prout oportet?

R. Minimè; ſed potiùs: *qui parcit virgæ* (ut eſt in proverbio Salomonis) *odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Simili modo Deus quos amat, caſtigat, juxta illud: *Quem diligit Dominus corripit: & quaſi Pater in filio complacet ſibi.* Quare ſicut maximum ſignum eſt odii, & indignationis Dei, cùm non corrigit peccatores, ſic maximum amoris indicium eſt cùm eos caſtigat, juxta illud Pſalmi: *Deus tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eorum.* Et 2. Machab. 6. *Etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficii eſt indicium.*

Prov. 13. 24. Idem 3. 12. Pſal. 98.

Hinc ſcitè dixit quidam de matribus plus nimio filiis ſuis abblandientibus *nutrices eſſe corporum ſed novercas animarum.*

Exempla.

Noſtrâ ætate (ait S. Bernardinus) *in Hiſpania citerioris oppido, cui nomen Sui, non ita procul Valentia, adoleſcens fuit, qui per parentum inobedientiam eò devenerat, ut anno octavo decimo propter latrocinia & publica facinora in vincula conjectus, & ſuſpendio damnatus ſit. Erat etiam tum prorſus imberbis: pendenti verò jam atque exanimi ſubitò prorupit barba; moxque ſpectante populo coma capitis planè caneſcunt, ut ætatem referret hominis nonagenarii. Miraculo rei accitus*

Hom. 2. Dom. 1. Quadrag. ſer. 17.

cum

Digitized by Google

cum populo, & toto clero accurrit Epiſcopus: omnes in genua proſtrati expectant, dum oſtendat Deus, quid ſibi monſtrum hoc velit. Atque ecce tibi, Epiſcopus editiorem capiens tumulum, ad omnes ait, voluiſſe eum oſtendere, quantum de vita iis detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt; victurum enim hunc juvenem fuiſſe ad eam ætatem, quæ jam apparebat in facie, niſi ipſos ſeptuaginta annos parentum inobedientia detraxiſſet.

I. Damnanturne aliquando parentes ex eo quòd liberos ſuos in timore Dei non educaverint?

Exempla. R. Ita. Legitur de quodam parente, qui unà cum filio ſuo fuit damnatus; & oſtenſum fuit cuidam fideli in viſione, quod Pater ille & filius ſuus ſe invicem graviſſimè affligerent, & maledictis & exprobrationibus impeterent. Nam Pater dicebat ad filium: tu mihi es cauſa tantæ damnationis; quia ut te ditarem & exaltarem, temporalia congregavi & cupidus fui. Filius verò dicebat ad Patrem: tu mihi es cauſa hujus miſeriæ: quia à Dei ſervitute me retraxiſti: & ne te offenderem manſi in ſæculo.

Dion. Carth. de 4. noviſſ. a. 41.

I. Deteſtaturne Scriptura parentes qui nullam in educandis prolibus curam ponunt?

R. Ita. Vid. c. 13. Proverb. & c. 30. Eccleſiaſtici, & S. Hieronym. ep. ad Gaudent.

I. Punivitne Deus etiam in hoc mundo parentes prolibus malè agentibus indulgentes?

R. Ita. Vid. 1 Reg. 4. & 2 cap. ſuper quo dicit S. Greg. paſtoral p. 2. c. 6. *Quia falſâ pietate ſuperatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud diſtrictum judicem ſemetipſum cum filiis crudeli damnatione percuſſit.* Et S. Leo: *Meruit eorum delicta tolerando, divina juſtitia unà cum filiis ſententiam experiri, propterea quod ſegni indulgentiâ diſſimulavit plectere peccatores.*

I. Quas pœnas merentur parentes, qui exemplo Athaliæ Matris Ochoziæ proles ſuas peſſimis moribus imbuunt, hæreticam pravitatem docent, fraudibus & mendaciis aſſuefaciunt, mundi vanitates, & pompas ſæculares eis indulgent, & filias præſertim, à ſuſpectis converſationibus non removent?

R. Merentur ſanè ut ſuſpenſa ad collum molâ aſinariâ dejiciantur in profundum maris. Matt. 18.

I. Habeſne hujuſce rei exempla terribilia? *Exempla.*

R. Habeo. *Prætextata, nobiliſſima quondam fœmina, jubente viro Hymetio, qui patruus Euſtochii Virginis fuit, habitum ejus, cultumque mutavit: & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propoſitum & matris deſiderium: Et ecce tibi eâdem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba proferentem: Tune auſa es viri imperium præferre Chriſto: tune auſa es caput Virginis Dei tuis attrectare manibus? quæ jam nunc areſcent, ut ſentiant excruciata quid feceris: & finito menſe quinto ad inferna duceris; ſi autem perſeveraveris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis & filiis. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignificavit interitus. Mulier quædam damnata apparuit S. Brigittæ, quæ filiam ſuam ſæculi vanitates docuerat. Mater iſta mortua videbatur quaſi ſerpere de tenebroſo lacu & luto, cujus cor abſtractum erat, & labia præciſa, mentum quoque tremebat; dentes verò ejus nitentes, albi & longi collidebantur. Nares erant corroſæ, & oculi eruti dependentes ad genas. Pectus verò apertum erat plenum vermibus; pedes ejus erant quaſi bufonum, &c. Tunc autem iſta mater mortua alloquebatur filiam vivam dicens: Audi lacerta & venenoſa filia mea. Væ mihi quod nunquam fui mater tua. Ego ſum quæ poſui te in nidum ſuperbiæ, in quo tu calefacta creſcebas donec ad ætatem perveniſti,*

S. Hier. ep. ad Lætam de inſtit. filiæ.

S. Brigit. in revelat. l. 6. c. 52.

& tantùm tibi placuit quod in eo ætatem tuam conſumpſiſti. Propterea dico tibi, quod quoties tu oculos vertis cum ſuperbia viſu, quam ego te docui, toties projicis bulliens venenum in oculis meis cum intolerabili ardore. Quoties autem loqueris ſuperbia verba, quæ didiciſti à me, toties glutio amariſſimam potionem. Summa, quoties imitaris infeliciſſimæ matris mores quos didiciſti à me, toties pœna mea horribiliter augeſcit in gehenna.

I. Qui proles ſuas percutiunt, maledictis inceſſunt, aut quovis alio modo durius tractant, peccantne?

Epheſ. 6. R. Ita. Nam non vult Apoſtolus quod parentes ad iracundiam provocent filios ſuos.

Exempla. I. Habeſne hujuſce rei exemplum?

In vita S. Zenobii apud Sur. 25. Maii. R. Habeo. *Cum plures diverſis oppreſſi languoribus pro obtinenda ſalute confluerent ad tumbam S. Zenobii Epiſcopi Florentini, inter alios puer quidam à dæmone miſerabiliter oppreſſus nullâ viâ vel modo ingreſſum in Eccleſiam invenire poterat; nam hic cùm olim febribus laboraret, & ob contractam ſitim, matri nocturno potiſſimum tempore poculum offerenti ingentes moleſtias adferret; illa tandem feſſa, & ſomno oppreſſa eum iterum à puero excitaretur, indignanti animo poculum cum dira hac imprecatione tradidit, dicens: unà cum hoc diabolum bibe: quod nec minùs ſecutum eſt. Mox enim malignus poculo adſuit, qui ſævâ adeò crudelitate eum exagitavit, ut vix ullis vinculis conſtringi, remedio verò nullo liberari potuerit. Tandem piis quorundam precibus & jejuniis adjutus aditum ad S. Zenobii monumentum invenit, ubi à malo hoſpite non ſine aſtantium horrore, tandem liberatus fuit.*

Ivo Magiſt. in theat. exempl. in 16. § 15. *Civis quidam Mediolanenſis Filio unice mortis auctor fuit ob diſciplinam, & correctionem in tenera ætate, non adhibitam: cùm enim videret Filium adultum rebus ludicris, & inanibus addictum, præter conſuetudinem eum increpare cœpit. Filius id indignè ferens, adverſus inſolita patris monita contumax, obtemperare renuit. Pater id ægrè ſuſtinens filium opprobriis, & maledictis onerat. Egredere domum meam nequam, nunquam te videant oculi mei niſi in terram dejectum: opto ut hac die in hoſtium tuorum gladios incurras. Filius, velut furiis quibuſdam inſtar Cain actus, patris conſortium fugiens in quemdam impegit debitorem, à quo importunè pecuniam exigens, eodem die percuſſus occiſus eſt, & in domum Patris illatus; ob quem caſum Pater velut amens barbam vellere, & indignè ſe furiis agitare cœpit, ſeque flebiliter arguere quod filium adhuc mollem & tenerum non caſtigaſſet: id enim ſi pro more piorum parentum feciſſet, non ei tantum nefas accidiſſet.*

Magna proinde opus eſt prudentiâ in educatione liberorum, ut opportunè ſi deliquerint, corrigantur, & quando rem benè geſſerint, ammeantur. *In prolium educatione magnâ prudentiâ opus.*

I. Ignoro autem quare præceperit Deus in lege veteri filiis, ut Patri ac matri ſuccurrerent; non verò patri ac matri ut ſuccurrant filiis, præſertim cum minorennes ſunt, eorumque adjutorio indigent?

R. Obligatio profectò parentes inter ac filios reciproca eſt; & quemadmodum hi obligati ſunt ſubvenire, revereri & obedire parentibus, ſic quoque illi obligati ſunt, non ſolùm de victu veſtituque providere filiis, ſed etiam ad omne bonum impellere & informare. Eſt tamen amor parentum in filios uſque adeò naturalis & ingenitus, ut aliâ lege ſcriptâ opus non ſit, quæ eos obligationis in filios ſuos admoneat. E contrario verò ſæpiſſimè videre eſt, filios non reſpondere amore ſuo amori parentum, ideòque neceſſarium fuit legem aliquam ferri, quæ eos obligationis ſuæ in parentes memores faceret.

I. Nihilne hîc eſt quod famulos, & famulas tangat?

R. Imò

Epheſ.6. Coloſ.3. 1.Pet.2. ad Tit.2.

R. Imò, jubentur enim hoc præcepto honorare & morem gerere Dominis ſuis, quamdiu in eorum famulatu verſantur; quâ ratione id fieri debeat, declarat Apoſtolus: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Christo: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes; ſicut Domino & non hominibus: ſcientes quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.* Quod præceptum S. Petrus non tantùm ad bonos, & modeſtos, ſed etiam ad moroſos, & diſcolos Dominos extendit.

Servorum erga Dominos officium.

I. Quid ſi herus aut hera præciperet ſervis ſuis aut ancillis quidpiam contra Dei legem, v.c. occidere, furari, &c. teneanturne illi obedire?

R. Minimè. Obediendum enim eſt magis Deo quàm hominibus. Vide quæ ſupr. l.1. de obedientia filiorum familias diximus.

I. Quid reciprocè debent Domini ſervis & ancillis?

Dominorum erga ſervos reciprocum officium.

R. Debent eis curam, & providentiam paternam in exploranda eorum fide, moribus & vitâ, operam dantes eorum correctioni ſi deliquerint, curantes ut debitis temporibus templa frequentent, in rudimentis fidei inſtruantur, Eccleſiæ Sacramenta ſuſcipiant; ſi ægrotaverint, ſaluti animæ neceſſaria provideant. Alioquin audituri ſunt ab Apoſtolo: *Qui ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, eſt infideli deterior.*

1.Timot.5 Vide Ambroſ. ſer.33

I. Habeſne exempla eorum qui præcipuam ſervorum, & familiæ curam geſſerunt?

Exempla.

Gen.17. Pſal.100.

R. Ita. Abraham cunctos ſuos domeſticos tanquam ejuſdem ſecum religionis, eodem die circumcidit, ac ſequi viam Domini præcepit. Et Regius Propheta: *Non habitat, inquit, in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabit.*

S. Elzearius Comes Ariani optimè inſtituit familiam ſuam.

Familia ab Elzeario Comite optimè inſtituta.

Primò, voluit ut omnes è ſua domo tam mares, quàm fœminæ quotidie ut minimum miſſam unam integrè audiant.

Secundò, ut vivant caſtè & purè: qui ſecus facerent, eos ſuâ domo expellebat. Nolebat enim ut quiſquam pane ſuo veſceretur quem ſciret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, & ne illius peccatum ipſe fovere videretur.

Tertiò, ut omnes quâlibet hebdomadâ ſemel confiteantur peccata ſua, & ſingulis menſibus devotè percipiant Euchariſtiæ Sacramentum.

Quartò, ut virgines & matronæ manè uſque ad prandium precibus, & piis exercitiis vacent, à prandio manuariis operibus ſeſe occupent.

Quintò, ut nemo auſus ſit blaſphemare Deum, ſacroſanctam Virginem, vel aliquem ſanctorum: nec quiſquam falsò juret aut leviter abſque cauſa: nec impudica vel inhoneſta verba proferat. Hujus conſtitutionis violatores hâc ratione puniri voluit, ut vel toto prandio coram aliis ſederent in terra, ſolo pane & aquâ contenti: vel toto die in cubiculo manerent incluſi, communi cibo veſcentes.

Sextò, ut nulli fas ſit ludere teſſeris aut alio luſu illicito, turpi ac inhoneſto.

Septimò, ut omnes è ſua familia, pace, amicitiâ, & concordiâ inter ſe fruantur, alius alium non offendat, neque verbo, neque facto. Si quid à quoquam aliter ſit attentatum, mox cum offenſo redeat in gratiam.

Octavo, ut quotidie à prandio, vel aliâ horâ veſpertinâ fiat aliqua collatio ſpiritualis inter illos ipſo præſente de verbis Domini pro animarum informatione.

I. Caretne periculo ſi Domini negligant ea quæ in familia à ſervis aut ancillis geruntur.

Cantip. l. 2 apum c. 53. p. 10 & Iac de Vitriac. l. 13. c. 11. R. Minimè. Quanti quâdam die ancillæ Dei S. Mariæ d'Oignies pro ſalute animæ matris defunctæ, apparuit mater defuncta ſub miſſam aſſerens ſe damnatam, quod parum ei curæ fuiſſet quid in familia contra Dei præcepta agreretur.

I. Undè manat iſtiuſmodi Dominorum obligatio erga ſervos & ancillas?

R. Ex eo quòd tametſi ſervorum conditio diſpar ſit fortunâ, non tamen naturâ diſpar eſt, ſervorum enim ſuorum Domini creatione fratres ſunt, & communi Deo ac Domino ſerviunt. Ita S. Auguſtin *(L. 19 de civ. c 16.)* ex nomine Patris familias, ſervos quaſi filios & fratres vocatos ad eandem cœleſtem hæreditatem, tractandos eſſe docet.

(In ſentent n. 163.) *In Domino* (ait idem S. Doctor) *juſtè viventes ex fide, & ab illa adhuc civitate peregrinantes etiam qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare: quia non dominandi cupiditate, imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbia, ſed providendi beneficio.*

LECTIO III.

De amplitudine vocabuli Patris.

I. TAntumne carnales parentes jubemur hoc præcepto honorare?

R. Imò etiam Eccleſiaſtici Præſides, Paſtores, & Sacerdotes in ſacris litteris *Patres* dicuntur, quemadmodùm ex Apoſtolo conſtat qui ad Corinthios *(Cor. 4.)* ſcribens: *Non, inquit, ut confundam vos hæc ſcribo, ſed ut filios meos cariſſimos moneo: nam ſi decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, ſed non multos Patres: nam in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Et in Eccleſiaſtico, ſcriptum eſt: *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* *(Eccl. 44.)* Deinde ii quibus aut imperium, aut Magiſtratus, aut poteſtas commiſſa eſt, qui Rempublicam gubernant *Patres* appellantur. *(4. Reg 5.)* Sic Naaman à famulis Pater vocatus eſt, inſuper etiam Patres dicuntur ii, quorum fides, probitati ſapientiæque aliqui commendantur. Quare Eliam & Elizæum filii Prophetarum patrem vocabant. *(4. Reg 2.)* Poſtremò *Patres* dicimus ſenes, & ætate grandævos, quos etiam venerari debemus. Hos omnes complecti lex videtur, & mandare, patres, cujuſcumque ſint generis, præſertim verò eos ex quibus progeniti ſumus, à nobis colendos & honorandos. De Magiſtratibus Politicis in ſubſequentibus lectionibus potiſſimum agemus.

I. Suntne igitur à nobis ex hoc præcepto honorandi Epiſcopi, Præsbyteri, cæterique Eccleſiaſtici Ordinis homines?

R. Ita, nam ut mox audivimus, ſub patris vocabulo cenſentur in ſacris litteris, adeoque in hoc præcepto comprehenduntur etiam patres ſpirituales. Ratio eſt, quia ſi eſſe, & vivere naturale habemus à parentibus carnalibus, at certè vivere & eſſe ſupernaturale habemus ab Eccleſiæ Paſtoribus, qui ſunt Patres noſtri ſpirituales: Ipſi enim (ut verbis Apoſtoli loquar) in Chriſto nos genuerunt per Evangelium, per Sacramentorum adminiſtrationem, per alimenti ſacri, puta, verbi Dei continuam exhibitionem.

I. Mandatne Scriptura ſacra in terminis expreſſis honorem Præsbyteris, & Eccleſiæ miniſtris deferri?

R. Ita, frequenter. *In tota anima tua time Dominum & Sacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & miniſtros ejus non derelinquas. Honora Dominum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* *(Eccleſiaſtici.)* Ubi nota Spiritum Dei tertiò inculcare hac ſententia honorem Sacerdotibus debitum, quoties Dei timorem & honorem commendavit; non obſcurè ſignificans velle ſe poſt Deum Sacerdotibus primum honorem haberi tanquam ejuſdem vicariis & locum tenentibus.

Hanc Doctrinam ſæpius Gentium Doctor ſcriptis & prædicationibus ſuis commendavit. *Qui benè præſunt Præsbyteri,* *(1. Tim.)*

1.Tim.5. byteri ; inquit, *duplici*, id eſt multiplici & abundanti *honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*. Et ad Hebræos ſcribens : *Obedite*, inquit, *præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Idem ex Apoſtolorum doctrina jubet S. Clem. *Presbyteris , ſi aſſiduè in ſtudio docendi Verbum Dei laboraverint, ſeponatur dupla etiam portio in gratiam Apoſtolorum Chriſti quorum locum tenent, tanquam conſiliariis Epiſcopi , & Eccleſiæ coronæ: ſunt enim Concilium & Senatus Eccleſiæ.*

Hebr.13.

L. 2. conſtit. Apoſtol.c.28.

I. Quâ ratione poteſt plebs Chriſtiana induci ad honorem Presbyteris cæteriſque Status Eccleſiaſtici miniſtris impendendum?

R. Argumento ſumpto ab excellentia iſtius Ordinis de qua nos infrà, p.4 c. 6 lec 2.

Eccleſiaſticos viros impensè colebant Sancti.

I. Impensène coluerunt Sancti Eccleſiaſticos homines?

R. Ita Nam imprimis Apoſtolus præclarum illud benevolentiæ teſtimonium Galatis tribuit: *Teſtimonium enim perhibeo vobis : quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis , & dediſſetis mihi.*

Gal 4.

Exempla. Bonav. in vit S. Franciſci.

De S. Franciſco Minorum parente tradunt dicere ſolitum, ſi cui Sanctorum è cœlo in terram delapſo, & cum illo Sacerdoti fortè occurriſſet, priùs ſe Sacerdotis manibus oſculum daturum, deinde reverentiam facturum Sancto, plus ſe debere illi ſignificans, qui Chriſti vicem in terris gereret , quam illi , quem jam cum Chriſto in cœlis regnare cognoſceret.

Scribit Severus Sulpitius S. Martinum cùm Treveros ad Maximum ſe contuliſſet, precibus Imperatoris ad convivium accedere coactum, pateram regiam ſibi oblatam juſſu Maximi ambientis eam ab illius manu ſumere ubi ebibiſſet, presbytero ſuo tradidiſſe, quod nullum exiſtimaret digniorem qui poſt ſe biberet.

Sed & quam dignius eundem Martinum Auguſta ejuſdem Maximi uxor, fœmina ſanctiſſima , convivio ſolis manibus ſuis parato exceperit, eique per ſeipſam in modum famulæ miniſtraverit, reliquiaſque devotè comederit, apud eundem auctorem narratum invenies. Hæc deſcribit fuſius Baron. in Annal. ad an Chriſti 386.

Dial, 2. c.7.

Quàm parum deferant Politici noſtri Sacerdotibus.

Norint hæc Domicelli & Politici noſtri temporis, qui venerandos Chriſti Sacerdotes vix extremo ſuæ menſæ loco dignantur ; quique etiam in templis & Eccleſiaſticorum conſeſſibus primas cathedras ambiunt & conſectantur.

I. Non habes ad eorum confuſionem exemplum aliquod ſingulare?

Exemplum.

R. Habeo. Conſtantinus magnus Imp. operam bonam navaverat ut juſſu ſummi Pontificis apud Nicæam Bithiniæ convocaretur generale Concilium ad Arianam hæreſim convellendam. Ipſe pro ſua modeſtia , Epiſcoporum ibi congregatorum conventum ultimus introivit, inferioreque ſubſellio (cum hoc ſibi Patrum juſſione concedi petiiſſet) reſedit.

Euſeb. l. 1. & hiſtor. trip.

Mali etiã ſacerdotes honorandi & colendi.

I. Debetne etiam malis ſacerdotibus honos attribui?

R. Ita, tribuitur enim honos non tam ipſorum gratia, quam ejus , quod gerunt, miniſterii. Secundò ſacerdotes mali tantùm nobis boni præſtant in Sacramentorum adminiſtratione, & quarumlibet aliarum rerum ſacrarum diſpenſatione, ſi de effectu principali agitur, quantum boni & probati ſacerdotes. Vis enim & energia rerum iſtarum non ab eis , ſed à Deo ut principali agente manat. Hinc ſacrificiis ſuis Deum placant, & à populis Dei vindictam avertunt, gratiam & benedictionem eis impetrant, quantumvis ipſi peccatis onuſti exiſtant.

Exemplum.

Eremita quidam ex relatione alicujus ſiniſtram conceperat opinionem de ſacerdote quopiam à quo ſolebat ſacram communionem ſumere. Unde factum eſt ut

L. doctrina SS. Pat. cont. jud. temer.

die quadam in ſuum eremum ſacerdotem illum excipere noluerit, moxque vocem quaſi de cœlo audivit, qua diceret: Homines juriſdictionem meam uſurpant. *Hoc audito in extaſim raptus fuit, viſuſque ſibi eſt eminus conſpicere puteum, ſitulam, & cordam ex auro, aquamque inde hauſiam cryſtallinam: videbat inſuper leproſum aquam haurientem & in vas mittentem. Eremita ille libenter aquam guſtaſſet, ſed leproſum ſubveritus abſtinebat. Facta rurſum voce qua diceret:* Quidni bibis ex aqua illa? quid mali ab eo qui haurit, ſi haurit duntaxat, & in vas mittit? *Eremita ad ſe reverſus, & viſionis intelligens myſterium evocavit ad ſe Presbyterum illum, & ab illo, uti olim conſueverat, ſacramenta percepit.*

Mala ſacerdotum vita nihil impedit virtutem Sacramentorum.

I. Iſtud exemplum cum familiaribus iſtis ſimilitudinibus mihi vehementer arridet; non habes inſuper alias ſimilitudines quibus probes ſacerdotum malam vitam nihil nobis officere, neque impedire efficaciam divinorum ſacramentorum, nec eorum virtutem inquinare?

Simile.

R. Habeo. Fax accenſa conſumit ſe, & tamen tibi in tenebris ambulanti lucem præſtat.

Fabricatores arcæ Noë diluvio perierunt, & Noëmo ejuſque familiæ ſalutem attulerunt.

Aquæ baptiſmales ad baptizati contactum ſordeſcunt, & ejus animam lavant.

Similiter ſacerdotes mali ſibi ipſis damnationem acquirunt, aliis ſalutem.

Non licet de ſacerdotibus detrahere.

I. Licetne ſacerdotibus detrahere, eorum agendi modos irridere, & lapſus propalare?

Ep. ad Heliod.

R. Minimè verò. *Abſit,* (ait S. Hieronym.) *Ut de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claves regni cœlorum habentes quodammodo ante diem judicii judicant.* Quod etiam ſeriò inhibet Scriptura ſacra in illis verbis: *Diis non detrahes*, ex interpretatione S.Gregorii, Cyrilli, Theodoreti, & aliorum SS PP. Exod. 22.

I. Profer, ſi placet, exemplum ejus qui ſacerdotum nævos libenter & ſtudioſè occultarit.

Exemplum.

R. In Concilio Niceno, cujus proximè meminimus, Conſtantinum Imp. permulti Epiſcoporum adierunt ſuper contentionibus, & querimoniis inter ſe exagitatis ejus judicium expetentes. Imperator libellos ſingulorum expoſtulationem continentes, ſibique porrectos ſimul tenens dixit: *Nequaquam ad ſe, aut Iudicem aliquem ſæcularem ſpectare judicium de iis ferre hominibus, quos Deus in terris conſtituit omnium judices, proinde ad divinum examen ſua referant diſſidia, neque à ſe ipſo exſpectent illarum rerum ſententiam.* Et ſimul his dictis omnes libellos, nullo eorum introſpecto, in ignem conjecit exurendos, ut refert Euſeb. hiſt. Eccleſiaſtic. l. 10. Sozom. l. 1. c. 16. Socrat. l. 1. c. 5. Nicolaus Pont. ad Michaelem Imp. Imò ſolitus erat dicere, quod ſi ſacerdotum quempiam vidiſſet nefas admittentem, libenter ſe regali purpura obtecturum. Ita Theod. l. 1 c. 11. Vid. S.Greg. ep. 34. & l. 25. moral c. 22.

I. Qualiter inſtruendus eſt populus ne uſque adeò proclivis ſit in ſacerdotum, & Eccleſiaſticorum moribus carpendis.

R. *Primò* quidem ex Dei verbo, quo multoties jubemur Eccleſiæ Dei miniſtris, ſive ii boni ſint, ſive etiam diſcoli honorem deferre. *Qui vos ſpernit, me ſpernit; qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Luc. 10.

Detrahentes ſacerdotibus à Deo puniti.

Secundò, ab exemplis vindictæ Dei deſævientis in illos qui ſacerdotibus antiquæ legis detrahebant.

Maria ſoror Moyſi ex lepra hanc ob rem fœdata fuit.

Exempla.

Core, Dathan & Abiron terra dehiſcente

Digitized by Google

Num.11.&16. cente ſunt abſorpti. Ex quibus exemplis formare licet ejuſmodi diſcurſum: Si Dei vindicta minimè pepercit iis qui ſacerdotio antiquæ legis, figuris, & umbris dumtaxat deſervienti detrahebant; ſinetne impunitos qui in lumine Evangelii venerando Chriſti ſacerdotio, fungentibus, obtrectare non ceſſant?

Tertiò, argumento ſumpto ex conſideratione beneficiorum quæ nobis ſacerdotes impertiuntur, de quibus hac ead. lect. & infrà 4. p. c. 7 lect. 2.

Ho. 10. in 1. ad Theſſ. Audi Chryſoſt *Per ſacerdotes generati eſtis generatione æterna. Per ipſos eſtis regnum aſſecuti. Per manus ipſorum fiunt omnia. Per ipſos vobis porta cæleſtes aperiuntur. Nemo ſeditionem agitet, nemo contendat. Qui Chriſtum diligit, cujuſmodicumque ſit ſacerdos, eum diligat, quod per eum ſit veneranda aſſecutus Sacramenta. Dic mihi ſi velles videre regiam multo auro ſplendentem, & gemmarum ſplendore coruſcantem, inveneris* Simile. *autem eum qui habet claves, ille autem rogatus ſtatim aperuerit & intromiſerit, an non ipſum omnibus præponeres, non æquè atque oculos amares, non oſculareris? Hic cœlum tibi aperuit. &c.*

I. Quibus ſimiles ſunt qui ſacerdotibus, religioſis, & aliis Eccleſiaſticis perſonis maledicunt, eos irrident, contemnunt, infamandi occaſiones captant?

In Pſ. 106. Simile. R. S. Aug. eos comparat exiſtentibus in medio maris in navicula; qui gaudent ſi nauclerus in ſcopulos impingat, navemque malè dirigat, non advertentes quantum inde ſibi ipſis periculi immineat.

I. Oportetnè etiam religioſos honorare?

Religioſi quoque honorandi. R. Ita Sunt enim religioſi Deo dicati, qui ſuis precibus, mortificationibus & aliis bonis operibus mundum magnoperè adjuvant.

Exemplum. *S. Franciſcus Minoritarum Antiſtes cùm oppidum quodcumque ingrederetur, tanti concurſus fiebant, ut penè comprimeretur. Hoc inter cætera de eo fertur, aliquando eum conſtitiſſe, veſtemque ac manum omnibus ad ſe accedentibus oſculandum præbuiſſe.*

Plat. de bono ſtat. relig l 2. c. 37. *Quod intuens ejus comes ac diſcipulus, cùm admiratus eſſet, ac deinde ſolus à ſolo cauſam ſciſcitaretur; ſcito, ait Franciſcus, ne minimam quidem mihi ab his debiti honoris partem perſolutam eſſe. Quo reſponſo, cum ille multò adhuc magis obſtupuiſſet, cauſam reddidit, quoniam homines illi non ipſum honorarent, ſed Deum in ipſo, qui es quicquid religionis, aut quidquid honorum habebat, contuliſſet.*

LECTIO IV.

I. Debemuſne etiam Regibus, Principibus, Magiſtratibus honorem, obedientiam & fidelitatem? Principibus & Magiſtratibus debetur honos.

R. Ita, tanquam Patribus conſcriptis qui ad Reipublicæ gubernacula ſedent, & communem tranquillitatem procurant.

I. Mandatne Scriptura ſacra expreſſis verbis honorem perſolvendum Principibus & Magiſtratibus.

R. Mandat planè. *Subjecti eſtote* (ait 1. Pet. 2. S Petrus) *omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Et Coapoſtolus ejus Paulus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, &c.* Rom. 13. Et alias ſæpiùs hanc doctrinam inculcat idem Apoſtolus.

I. Debeturne etiam honos, obedientia & fidelitas Principibus & Magiſtratibus improbis, & Remp. malè adminiſtrantibus? Etiam improbis & malè regentibus.

R. Ita. Habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia divinæ poteſtatis eſt inſtar: in quo-

quo etiam Dei providentiam veneramur, qui publici muneris procurationem eis attribuit, quibuſque utitur tanquam poteſtatis ſuæ miniſtris. Adeò quod, non improbitatem aut nequitiam eorum; ſed divinam auctoritatem, quæ in illis eſt, reveremur. Nam & Davidis magna in Saulem officia extiterunt, cum ei tamen eſſet offenſioi; quod innuit illis verbis:
Pſ. 119. *Cum iis qui oderunt pacem eram pacificus.*

Exempla. S. Mauritius cum ſociis fidelem militiam militavit ſub Impp. infidelibus Diocletiano & Maximiniano, eorum voluntati in omnibus obſequens, quæ divinis præceptis non adverſabantur. Vid. Aug. ſup. Pſ. 124. Proptereà dixit ſuprà Apoſtolorum Princeps: *Omni humanæ creaturæ*, id eſt, omni cui ſubjectio debetur, ne quis infideles & impios excipiat. q. d. qualis qualis ſit, etiam infidelis, impius, imprudens, raptor, *&c.* ſi ſuperior eſt, hoc ſolo nomine ei ſubjecti eſtote. Ubi

Nota, vocat Principes & Magiſtratus humanam creaturam, vel quia creati hominibus, vel potiùs quia ipſi ſunt humanæ creaturæ, id eſt, homines creati Principes à Deo: ſunt ergo creaturæ Dei, quia ex hominibus ad hanc dignitatem à Deo electi & evecti ſunt. Et quia præ cæteris ipſi ſunt viva imago Dei creatoris, in quibus ſcilicet Deus ſuam majeſtatem, jus & imperium repræſentat.

Loquitur directè S. Petrus de Principibus civilibus, uſque jubet ſubjici fideles, ne per Chriſtum ſe ab eorum dominio exemptos putent; argumento tamen ſumpto à pari vel minori, vel à minori ad majus, idem de Principibus Eccleſiaſticis, puta Epiſcopis & Prælatis, ſcilicet iis ſubjici debere laicos quoslibet in rebus ſpiritualibus, ex hoc loco concludit S. Baſil. conſtit. monaſt. c. 23. Et ex loco S. Pauli ſup. allegato S. Bern. ep. 183. ad Conradum Imp. Legi, inquit, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit;* quam ſententiam cupio vos cuſtodire in exhibenda reverentia Chriſti Vicario, ſicut ipſum vobis vultis ab univerſo ſervari imperio.

LECTIO V.

De officio Principum & Magiſtratuum Chriſtianorum.

I. QUod eſt officium Principum, & Magiſtratuum Chriſtianorum?

R. Amare juſtitiam, quâ impios, maleficos, turbulentos, aut quovis modo ſcandaloſos è Repub. tollant. Principis inſuper eſt tanquam Patris & Paſtoris conſulere ſubditis: pauperes, pupillos & viduas inſtar filiorum amare, fovere, tueri, complecti. Hoſpitalium & locorum piorum rectæ adminiſtrationi ſtudere. Omnibus exemplo prælucere in Religionis obſervantia, pietatis zelo, benignitate, animi moderatione, æquitate, fortitudine, prudentiâ, morum integritate, ac præſertim in ſtudio temperantiæ. Certè Principes monet Sapiens, ut ſicut poteſtate, ſic juſtitiâ, id eſt, omni virtute præcellant & præeant ſubditis. *Principis officium.* Sap. 1. & 6.

Pulchra eſt ad hanc rem Imp. Baſilii exhortatio ad Leonem filium c. 10. *Cave, inquit, ne regni malus cuſtos degeneris aliquid, atque indigni committas: ſed ſicut cæteris prælatus es ut omnibus imperares, ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas, virtus enim omni principatu, omnique poteſtate præſtantior eſt. Si ergo dignitate quidem reliquis præſtas omnibus, virtute autem ab alio præcelleris; Imperator es in eo quòd minoris excellentia eſt, in eo verò quod præclarius eſt, Imperator non es, imò alterius imperio ſubes. Ne ſit ergò veluti ſuppoſititius & adulterinus Dominus, cum te alius præſtantior reperiatur; ſed verus Imperator, cum cæteris omnibus virtute antecellas.* *Baſil. Imp. ad filium exhortatio.*

Quia verò Chriſtianus Princeps, etiam regni Chriſti miniſter eſt, ac Eccleſiæ filius, ideò non ſolùm temporalem pacem *Principis Chriſtiani officiũ.*

Digitized by Google

pacem curare tenetur; ſed præterea adniti, ut in omni pietate ſubditi quietam & tranquillam vitam agant, Deoque ſerviant. Tunc ſanè Princeps Chriſto ſervire cenſetur, quando poteſtate ſuâ utitur ad dilatandum Chriſti regnum, ad tuendam ejus Eccleſiam contra ſacrilegos, blaſphemos, hæreticos, alioſque hoſtes; denique quando ſuis legibus, & armis Dei cultum promovet; Sacerdotii, clerique dignitatem propugnat, Eccleſiæ immunitatem, jura, bona, libertates, & privilegia tuetur. In hoc enim Reges (ait Auguſt.) in quantum Reges ſunt, Deo ſerviunt, ſi in regno ſuo bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ ad divinam religionem. Vid. eundem l. 5. de civit. c. 24.

Cont. Creſcon. c. 51. & ep. 50. ad Bonif.

Exempla. Ita ſervivit Deo Rex Ezechias, lucos & templa idolorum, & excelſa deſtruendo l. 4. Reg. 18. & Joſias c. 23. Servivit Rex Ninivitarum univerſam civitatem ad placandum Deum compellendo. Servivit Darius mandando populis ut paverent Deum Danielis. Servivit Nabuchodonoſor lege terribili prohibendo ne blaſphemaretur Deus. Servivit Artaxerxes omnes Judæos ad cuſtodiam legis gravi comminatione compellendo. Servierunt denique Duces Machabæi leges & ritus patrios propugnando.

Dan. 6. & 14.
1. Eſd. 7.
1. Machab. 5.

Audiant Principes quod eis inculcat S. Fulgentius: *Clementiſſimus imperator non ideò eſt vas præparatum ad gloriam quia apicem terreni principatus accepit, ſed ſi in imperiali culmine rectâ fide vivat, & vera cordis humilitate præditus culmen regiæ dignitatis ſanctæ religioni ſubjiciat, &c. Si præ omnibus ita ſe ſanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus paci & tranquillitati per univerſum mundum prodeſſe ſuum faciat principatum.*

L. de prædeſt. & gratia Chriſti.

Exempla. Talis fuit Conſtantinus, Theodoſius, Carolus magnus, S. Ludovicus in Gallia, S. Stephanus in Hungaria, S. Leopoldus in Auſtria, S. Wenceslaus in Bohemia, S. Hermenegildus in Hiſpania, S. Henricus in Germania, S. Caſimirus in Polonia, qui impensè Eccleſiam & Rom. Pontificem coluerunt ac propugnarunt, ejuſque filii eſſe & nominari ambierunt.

I. Si Reges, Principes, vel Magiſtratus quidpiam contra juſtitiam, contra fidem, aut contra Eccleſiæ immunitatem præcipiant, eſtne ipſis obtemperandum?

R. Si quid improbè, ſi quid iniquè imperent, cum id non ex poteſtate, ſed ex injuſtitia atque animi perverſitate agant, omninò non ſunt audiendi. Nec enim Regum poteſtatem niſi intra terminos ſuos colere nos oportet, uti mandavit Dominus verbis iſtis: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Tu autem (ait Chryſoſt.) cum audis reddenda Cæſari quæ ſua ſunt, illa ſolùm dici non dubita, quæ pietati & religioni non officiunt; nam quod fidei ac virtuti obeſt, non Cæſaris, ſed diaboli tributum eſt ac vectigal. *Matt. 22.*

I. Quid ipſis in ſimili cauſa reſpondendum eſt?

R. Id ipſum quod magnus ille Hoſius Cordubenſis in Hiſpania Epiſcopus Conſtantio Imperatori Ariano reſpondiſſe fertur: *Non te immiſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum qui imperium tuum malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini fias obnoxius. Reddite, ſicut ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Non ergo fas eſt nobis imperium in terra tenere, neque tu thimiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes, ô Imperator.* *S. Athan. l. ad ſolit. vit. agentes.*

Et S. Ambr. *Noli gravare te, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt,* *Relat. 23. q. 8.*

c. convenior.

ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere: ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubjectus. Scriptum eſt enim: Quæ Dei, Deo; quæ Cæſaris, Cæſari; *Ad Imperatores Palatia pertinent, ad Sacerdotes Eccleſiæ; Publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum. Item dicitur mihi mandaſſe Imperatorem, debeo & ego unam baſilicam habere Reſpondeo non licet tibi ullam habere. Quid tibi cum adultera? adultera eſt enim quæ non eſt legitimo Chriſti conjugio copulata.* Et infrà: *Naboth ſanctum virum poſſeſſorem vineæ ſuæ &c.*

LECTIO VI.

De ſubditorum erga Principes officio.

Subditorum ad Principes officium.

I. IN quibus potiſſimùm tribuitur honos Regibus, & Principibus debitus?

R. In tribus his: Primò, ut qui eorum poteſtati ſubjecti ſunt, Dominos ſuos ament, eiſque ex animo bonum quodcumque ſeu temporale, ſive etiam ſpirituale exoptent, Deumque pro felici eorum ſtatu deprecentur ut in pace ac tranquillitate ſub eis quietam in omni pietate vitam agant. Hoc eſt quod diſcipulo ſuo Apoſtolus commendabat: *Obſecro igitur primum fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt.*

1 Tim. 2.
1. Pet. 2.
Tertul. apolog. c. 30.

Secundò, ut de Dominis & ſuperioribus ſuis honorificè loquantur, eorum actiones benè interpretentur; neque ſiniſtrum aliquid de iis obloquantur Scriptum eſt enim: *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Et: *Deum timete: Regem honorificate.*

Exod. 22.
1. Pet. 2.

Permittit Deus ut Principes impiè regnent

I. Contingit interdum Principes impiè vivere, & negotia publica eorum culpâ minimè ſuccedere.

R. Verum eſt, ſed non debent ideò ſubditi conqueri de Regum & Principum vitiis, ſed de ſuis propriis, quia ob ea Deus iniquos eis dat Principes, juxta illud: *Dabo tibi Regem in furore meo.* Et: *Qui regnare facit hominem hypocrytam propter peccata populi:* Quæ verba explicans S. Gregorius docet id quod dicimus. Culpam ergo, inquit, proprii magis accuſet operis, quàm injuſtitiam gubernantis. Scriptum namque eſt: *Dabo regem in furore meo.* Quid ergo illos nobis præeſſe deſpicimus, quorum ſuper nos regimina ex Domini furore ſuſcipimus?

& malè adminiſtrant, ob peccata populi.
Oſeæ. 13.
Job. 34.
L. 25. moral. c. 14.

Duo illuſtria hujus rei exempla refert Anaſtaſius Nicænus.

Exempla.

Primum. Cùm Phocas Imper. inquit, quaſi tyrannus ſæviret in innocentes, Monachus quidam ſæpè cum Deo expoſtulabat: *Cur Domine eum feciſti Imperatorem?* Cui reſponſum eſt cœlitus. *Quoniam non inveni pejorem.*

Secundum. Monachus quidam hypocrita, & ſceleſtus Angeli monitu creatus Thebaidis corruptiſſimæ Epiſcopus, cùm ex facto honore inſoleſceret, audivit ab Angelo: *Cur ſuperbis o infelix? Non es creatus Epiſcopus, quod dignus ſacerdotio ſis, ſed quod ei vitæ tali digna ſit Epiſcopo.*

Tertiò tributa & vectigalia, aliaque publica ſubſidia Principibus pendi debent, quibus quaſi mercede aluntur & conducuntur à Republica ut illi ſerviant, eamque defendant. Hoc mandat expreſſè Apoſtolus iſtis verbis: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

Rom. 13.

Ubi nota *tributum & vectigal* ab Apoſtolo dici *debita*. Quia Reſpublica lege juſtitiæ debet Principi juſtum ſtipendium adminiſtrationis, & ſubſidium neceſſarium ad conſervationem publicæ tranquillitatis: hoc enim tacitè promiſit dum eum ſibi præpoſuit. Quod ſubmoneo, ne faciles ſint Confeſſarii in abſolvendis iis qui quovis quæſito colore aut prætextu vectigalia ſolvere detrectant.

Tributa principibus lege juſtitiæ debita.

I. Eſt

I. Eſtne etiam honos deferendus ſenibus?

Senes honorandi. R. Ita, gerunt enim Patrum noſtrorum imaginem: hinc ſcriptum eſt; *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, & time Dominum Deum tuum.* (*Levit. 19.*) Idem Timotheo diſcipulo ſuo inculcat Apoſtolus: *Seniorem ne increpaveris.* (*1. Tim. 5.*) Vult nimirum Paulus ſenes haberi quaſi Patres, ut ſi peccent, moneantur quidem ab Epiſcopo, ſed eâ reverentiâ & lenitate, ut potiùs eos obſecrare, quàm admonere videatur.

I. Peccantne qui ſenes deſpiciunt, aut irrident?

R. Ita, quandoquidem illi inſtar Patrum noſtrorum ſunt, & mandat Scriptura illos coli & honorari.

Ut ſis longævus ſuper terram, &c.

S. Tho. 1. 2. q. 100. a. 7. ad 3. I. Voluitne Deus ſingulariter hujus quarti præcepti obſervantiam inculcatam?

R. Ita. Nam nudo præcepto contentus non fuit; verùm etiam promiſſis, & minis nos ad illius cuſtodiam invitavit & provocavit.

I. Quænam hæc promiſſa, quæ minæ fuerunt?

R. Quarto præcepto addidit Deus verba hæc: *Ut ſis longævus ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Ac ſi diceret: Qui Patri ac Matri honorem debitum deferunt, pro mercede vitam longam obtinebunt, qui verò eis non deferunt, graviter peccant, & inſuper hac pœna mulctabuntur, & vitâ longiore privDentur.

I. Eſtne hæc pœna rationabilis?

S. Tho. in opuſc. R. Omninò, nam iniquum eſſet vitâ longiore frui, qui inhonorat illos à quibus vitam accepit.

I. Maledicta & imprecationes quibus parentes filios ſuos diſcolos & rebelles laceſſunt, habentne interdum vim & efficaciam?

Gen. 9. R. Ita. Cham filius Noë cum tota poſteritate à Deo fuit maledictus, quod Patrem in tabernaculo nudatum fratribus ſuis irridendum nunciaſſet. *Exempla.*

Narrat S. Auguſtinus decem fratres qui Matri moleſtiam multam feceſſerāt, ejus maledicto hoc à Deo potiſſimum poſtulantis ut extorres patria, & circumeuntes alienas terras, omne humanum genus ſuo terrerent exemplo, horribili membrorum tremore perculſos (maternas preces vindicta Dei proſequente) communem patriam egreſſos paſſim fuiſſe per diverſa loca diſperſos.

I. Non ergo parvi æſtimanda eſt benedictio aut maledictio parentum?

R. Benè dicis, quandoquidem qui à parentibus benedicuntur, benedictionibus, qui verò maledicuntur, maledictionibus replentur. *S. Ambr. l. de bened. Patriarch. c. 1.*

DE V. PRÆCEPTO.

Non occides.

CAPUT VI.

LECTIO PRIMA.

I. QUÆ eſt hujus quinti præcepti poſt antecedentia connexio?

R. Poſt præcepta religionis tria, & quartum pietatis, quibus Deo & parentibus debitum officium reddere jubemur, congruo ordine deinceps nocumenta proximis inferri vetantur; inter quæ ſummum eſt hominem vita privare: ideòque quinto præcepto hominem occidere expreſſè prohibetur, implicitè verò quævis injurioſa vis perſonæ proximi illata; imò etiam ira, indignatio, odium, rancor, & omnis internus affectus ad proximi læſionem tendens, quæ ſunt quaſi via & inchoatio homicidii. *Ordo hujus præcepti cum antecedentibus.*

 I. Quid

S. Tho. in opuſc. 7.

I. Quid igitur eſt homicidium?

R. Eſt occiſio hominis injuſta?

Idem. 2. 2. q. 64. a. 1. & ſeqq.

I. Quando Magiſtratus aut Judices occidunt latrones alioſque ſontes, impinguntne in hoc præceptum?

Magiſtratus juſtè occidunt malefactores.

R. Minimè. Magiſtratus enim & Judices ſecundùm leges malefactores occidentes non injuſte occidunt, ſed juſtitiæ actum exercent.

I. Declara id non eſſe contra hoc præceptum?

R. Quia finis quem intendit hoc præceptum eſt ut homines & pacem & concordiam inter ſe conſervent. Quis autem non videat ſontes de medio tollere plurimum ad pacem, & tranquillitatem Reipub. conducere? Adde Judices id agere ut
Rom. 13. Dei miniſtros, vindices in iram eis qui
Exod. 22. malè agunt, quibus Deus præcepit ne maleficos patiantur vivere. Vid. S. Th. 2. 2. q. 64. ar. 2.

I. Puniebantne ſancti ſceleratos, & malefactores morte?

R. Ita, teſtatur de ſe ipſo David Regum clementiſſimus: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Pſal. 100.

I. In quos potiſſimum ſontes animadvertere debent Judices & Magiſtratus?

R. Quemadmodum medicus ſolet membra, quæ ſua tabe totum corpus inficerent, & ad interitum perducerent, abſcindere; ita Judex eos ſolos tollit, quos Reipub. noxios reperit, qui pacem atque tranquillitatem publicam turbant quales pro populorum, & regionum varietate ſecundùm leges interfici jubentur. Apud Judæos adulter morte puniebatur, non autem fur; apud Chriſtianos verò fur occiditur, non adulter.

I. Licetne hæreticos morte mulctare?

R. Conſequitur manifeſtè ex dictis. Si enim civilis concordiæ perturbator juſtè vitâ privatur, quantò magis falſæ religionis diſſeminator, cùm nihil validius animorum concordiam diſcindat, quàm partium ſtudium quod religionum diverſarum zelo fovetur. Exempla domeſtica hujus noſtri Belgii, & vicinæ Franciæ, Angliæ, Germaniæ nimis id probant. Vid. quæ ſup. in 1. p. c. 10 lect. 2 diximus.

I. Eſtne homicidium enorme peccatum?

R. Ita, uſque adeò enorme, ut in cœlum clamare dicatur; id eſt, celerem & Gen. 4.
atrocem à Deo vindictam expoſcere. Apoc. 6.
Sunt ergò hæc peccata atrocia phraſi Scripturæ in cœlum clamantia: *Primò*, homicidium, præſertim fratris, quale fuit Caini. *Secundò*, peccatum Sodomorum. *Tertiò*, merces operariorum defraudata. *Quartò* oppreſſio viduarum, pupillorum & pauperum.

Quatuor peccata in cœlum clamantia.

I. Quibus maximè rationibus hujus peccati gravitas populo declarabitur?

R. *Primò*, uſque adeò homicidium deteſtatur Deus in ſacris Litteris, ut ab ipſis beſtiis cædis hominum pœnam ſe repetiturum dicat; ac belluam, quæ hominem læſerit, occidi jubeat. *Secundò*, vetuit Judæis eſum ſanguinis, ut eos manſuetudinem doceret, & quam longiſſimè avocaret à crudelitate in homines exercenda. *Tertiò*, homicidium eſt peccatum contra naturam: quælibet enim ſpecies ſibi ſimilem diligit. *Quartò*, cùm in Geneſi prohibitum ſit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem ſuam, & ſimilitudinem creavit; inſignem Deo injuriam is facit, quaſique violentas illi manus inferre videtur, qui ejus imaginem è medio tollit. *Quintò*, homicidæ ſunt humani generis, atque adeò naturæ hoſtes acerbiſſimi, qui, quantum in eis eſt, univerſum Dei opus evertunt, cùm hominem tollunt, cujus cauſa is omnia quæcumque creata ſunt, ſe feciſſe teſtatur. *Sextò*, facit homicida contumeliam Angelo Cuſtodi ejus quem occidit, juxta illud. *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis; dico enim vobis*; &c. *Septimò*, ſolet

Gen. 19. Jac. 5. Exod. 21. Gen. 9. Exod. 25. Matt. 18.

Deus

Exempla. *Gen.* 4.

Homicidia ſolet Deus quãtumvis occulta propalare

Deus homicidas torquere conſcientia perpetrati ſceleris, ut nullo loco tuti poſſint conſiſtere. Ita commiſſo fratricidio Cain vagus & profugus gemens, & tremens dicebat: *Omnis igitur qui invenerit me occidet me.* Ita Nero trucidatâ matre ajebat ſe ſpecie maternâ exagitari verberibus furiarum Dione teſte. *Octavò*, Deus providentiâ ſuâ propalat ut plurimùm hoc nefas, quantumvis clam commiſſum. *Tu feciſti abſconditè, ego autem faciam in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu Solis.* Mira alia homicidiî occulti detecti, & puniti exempla habet Plutarchus *de ſera Numinis vindicta.*

Exempla.

S. Greg. l. 3. Dial. c. 5.

Sabinum Canuſinæ civitatis Epiſcopum, cùm ad exemplum vitæ ſequentium in longum ſenium vita traheretur, ejus Archidiaconus ambitione adipiſcendi Epiſcopatûs accenſus extinguere veneno molitus eſt. Qui cùm vini fuſoris animum corrupiſſet, ut mixtum vino veneni ei poculum præberet refectionis horâ, cùm jam vir Dei ad edendum diſcumberet, ei præmiis corruptus puer hoc, quod ab Archidiacono ejus acceperat, veneni poculum obtulit. Cui ſtatim venerabilis Epiſcopus dixit: bibe tu hoc quod mihi bibendum præbes. Tremefactus puer deprehenſum ſe eſſe ſentiens, maluit moriturus bibere, quam pœnas pro illa tanti homicidii culpa tolerare. Cumque ſibi ad os calicem duceret; vir Domini compeſcuit dicens, non bibas, da mihi ego bibam, ſed vade, dic ei qui tibi illud dedit: ego quidem venenum bibo, ſed tu Epiſcopus non eris. Facto igitur ſigno Crucis venenum Epiſcopus bibit ſecurus. Eademque horâ in loco alio, in quo erat Archidiaconus ejus, defunctus eſt; ac ſi per os Epiſcopi ad Archidiaconi viſcera illa venena tranſiiſſent, cui tamen ad inferendam mortem venenum quidem corporale defuit, ſed hunc in conſpectu æterni Judicis venenum ſuæ malitiæ occidit.

Tempore quo dira fames multos premebat, duo inopes ejus vitandæ cauſa peregrè profecti ſunt. Illis autem obiter quidam ex longinqua regione ſe comitem adjunxit. Interrogatus ab illis cujas eſſet, aut quo iter intenderet, reſpondit, ad S. Walburgam, & nos, inquiunt, eò tendimus: ſed interim nos fame premimur, & præ defectu virium ægrè pedes promovemus. At ille: Deo, inquit, fratres mei, itineris prolixitatem commendantes quæramus locum aptum ubi quieſcamus, & cibo refocillemur. Reperto loco pariter conſederunt, & ille de eſcis ſuis proferens, obtulit illis. Sumpto cibo ait ad illos: jam etiam pauliſper quieſcamus, ſed excubias agat unus ex nobis, ne quid periculi accidat dormientibus. Probant illi conſilium, ſed mente malignâ. Nam altero è duobus his ſe dormire ſimulante, alter vigilabat: tertius qui ſe illis adjunxerat, nihil ſibi metuens intrepidus dormiebat. Tum ſurgentes illi ſceleſti, hominem innoxium crudeliſſimè jugularunt: ſed cùm anxii eſſent quid facerent de cadavere, tandem alter id in ſuos humeros ſuſtulit, in aliquem locum ſecretum illud projecturus. Ecce autem dum illud conatur à ſuis humeris excutere, tam tenaciter ſibi illud ſentit inhærere, ut nullâ vi id poſſet à ſe avellere. Mirè igitur & miſerè diſcruciatur miſer homicida, videns ſe ſuum facinus celare non poſſe. Intereà quidam ei amicus fit obvius, qui conſpecto cadavere, non ſine multa admiratione ſciſcitabatur undè id eſſet. Ille amico fidens refert: quid actum ſit, orat ut ſuæ calamitatis velit miſereri. Non cunctatur ille, diſtrictoque enſe, brachia cadaveris hominem arctius complectentia etiam articulatim nititur diſſecare, ut à tanta ignominia amicum liberet. Stupendum miraculum! ſimul atque manu ſuâ cadaveris lacertos attigit eos præcidere volens, etiam ipſe tenaciſſimè adjunctus eſt cadaveri atque homini illud ferenti, ita ut ſe ab illis abſtrahere non poſſet. Mox igitur ductus pœnitentia rogavit Dominum ut

Sur. tom. 3. ad 1. Maii. & Ribadi. in flor.

Digitized by Google

ob beatiſſimæ Virginis Walburgæ merita ſui miſereatur. Cùmque ſic oraret, & multa Walburgæ nuncuparet vota, abſolutus eſt horribili nexu illo: nec tamen deſerebat miſerum illum cadaveriferum, ſed ad Rheni littus uſque eum comitabatur. Quo cùm ventum eſſet, non ferens alter tum cadaveris pondus, tum intolerabile dedecus, in Rhenum eum cadavere ſe præcipitem dedit. At verò tam immanem homicidam Rhenus ferre non ſuſtinens quamprimùm hominem ſceleſtum cum cadavere in littus evomuit.

I. Numquamne licitum eſt privato homini occidere abſque publica auctoritate?

Licitum eſt privato homini occidere quibuſdã caſibus.

R. Imò. Fas eſt occidere injuſtum invaſorem ob defenſionem vitæ ſuæ, & integritatis membrorum cum moderamine inculpatæ tutelæ. S. Thom. 2. 2. q. 64. ar. 7. Similiter licitum eſt mulieri adoleſcenti, & cuivis alteri pro defenſione pudicitiæ occidere invaſorem ex communi DD. ſententia.

I. Si dans operam rei licitæ, vel etiam illicitæ adhibita ſufficienti cautela ne inde aliquid incommodi ſequatur hominem occiderit, imputabiturne ei in culpam homicidium?

R. Minimè, quia mors iſta nec in ſe, nec in cauſa fuit volita, ſed eſt verè fortuita. Vid. Aug. ep. 154.

I. Eſtne prohibitum ſe ipſum occidere?

R. Procul dubio. Non enim dictum eſt, *Non occides alterum*, ſed ſimpliciter. *Non occides* Ubi prohibetur occiſio cujuſvis hominis ſine legitima auctoritate, ut docet S. Auguſtinus l. 1. de civit. c. 17.

Exempla. I. Habeſne exempla è ſacris litteris petita eorum qui ſe crudeliter occiderunt?

R. Ita. Achitophel Conſiliarius Regis David: *Videns quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtravit aſinum ſuum, ſurrexitque & abiit in domum ſuam, & in civitatem ſuam, & diſpoſitâ domo ſuâ ſuſpendio interiit.* 2. Reg. 17.

Judas Iſcariotes Chriſti proditor *projectis argenteis in templo, receſſit; & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Vid. Sanctum Auguſtinum tract. 5. in Joan. ubi verba iſta tractat: *Qui odit ſuam animam in hoc mundo.* Matt. 27. Act. c. 1.

I. Debentne impendi privatæ preces, aut etiam publica Eccleſiæ ſuffragia animabus eorum qui ſibi manus intulerint? *Non oratur pro iis qui ſe occiderunt.*

R. Nullo modo: id enim expreſsè vetuit Eccleſia: *placuit ut hi qui per ferrum aut venenum, aut præcipitium, aut ſuſpendium, aut quolibet modo violentia ſibi ipſis inferunt mortem, nulla pro ipſis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ad ſepulturam cadavera eorum deferantur.* Quod ſi Scriptura interdum, aut Eccleſiaſtica hiſtoria honorificè meminerint eorum qui ſe in ignem vel in mortem præcipites dederunt, non errantes, ſed Deo obedientes hoc feciſſe credendi ſunt, ut ſcribit Auguſtinus l. 1. de civitat. c. 26. Vide Breviar. Rom. ad 9. Febr. *Conc. Brac.* 1. c. 34.

I. Eſtne hoc præcepto prohibitum alia animalia occidere?

R. Minimè, quia in bonum hominis ea creata ſunt, & ideò quando ad vitam hominis ſuſtentandam animal utile eſt, occidi poteſt. Aug. l. cit. c. 20. & 21. Gen. 9. Pſal. 8.

I. Qui venenum cuipiam propinat ad eum interimendum, ſitne homicida reus? 1. Cor. 10.

R. Indubiè; poſuit enim ex animi electione cauſam mortis; & ſiquidem mors fortè non ſequatur, commiſit tamen in animi præparatione homicidium.

I. Suntne etiam rea homicidii matres quæ tenellos parvulos in eodem cubili ſibi applicatos etiam ignoranter ſuffocant?

R. Ita. Id enim abſque evidenti periculo fieri non poteſt, quod cauſa eſt cur nulla excuſationis juſta ratio prætexi poſſit.

I. Eſt-

Digitized by Google

I. Eſtne id grave peccatum?

2. q. 4. c. cōſuluiſti & c. fin de his qui fil. occid.

R. Ita planè. Eſt enim ſpecies quædam parricidii, & in hac Diœceſi Namurcenſi caſus Epiſcopo reſervatus. Synod. Namurcenſi anni 1604. tit. 6. c. 13.

I. Fœminæ quæ poculum ſumunt ad procurandam abortum, peccantne contra præceptum, *Non occides*?

R. Ita, ſi fœtus fuerit animatus. Imò, quicumque ad hoc conſilium, auxilium, favorem præbuerit, homicidii reus exiſtit. Homicidium enim committitur, non ſolùm manu vel gladio, verùm etiam juſſione, permiſſione, conſilio, vel quâvis aliâ cooperatione. Hoc modo David Uriam occidit; Caiphas cum Judæis Salvatorem noſtrum. Quod ſi fœtus animatus non fuerit, aliquo tamen modo homicidii culpa tenetur, & ejus ſuſtinere debet pœnam qui abortum procuraverit. *Si quis cauſa explendæ libidinis, vel odii meditatione homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, ut homicida teneatur. Vid. conſtit. Sixti V. incip. effrenatam.*

l. 5. de homicid. c. ſi aliquis l. ſi mulierem ff. ad leg. Cornel. de ſicariis.

I. Numquid plures ſunt in hac homicidii materia caſus?

R. Sunt & alii ſexcenti. Huc referri poſſunt.

I. *Primò*. Mulieres prægnantes quæ ſaltant aut aliquid quippiam agunt, quod earum diſpoſitioni minimè convenit; ex quo fit ut abortum patiantur, aut etiam fœtus præmaturos emittant.

Secundò. Medici qui artis præcepta ignorantes medicamenta incongrua præſcribunt, ex quibus mors, vel notabile ſanitatis nocumentum ſequatur.

Tertiò. Quicumque valetudini ſuæ ex potûs aut cibi intemperantia, vel etiam ex paſſionibus effrænibus iræ, triſtitiæ, amoris graviter officit.

Quartò. Maritus qui ſævit in uxorem, in filios, in ſervos, & è converſo filii qui parentibus per immanes vexas & afflictiones mortis cauſam præbent.

I. Poſſetne homicidii culpa ex ſola omiſſione contrahi?

R. Ita Exempli cauſa: poſſes à morte proximum eruere nullo tuo damno notabili: pauperem in extrema famis neceſſitate verſantem paſcere & non facis. Ita Principes, qui maleficos & fontes communi Reipub. detrimento ſinunt vivere, non evadunt culpam homicidiorum & mutilationum quas iſti nebulones perpetrant. Nimirùm (ut quidam ait) *in bonos ſævit qui parcit malis*.

I. Non habes exemplum aliquod ad manum quo Principes hac in parte officii ſui commonefiant?

R. Habeo, Rex Achab quod ſibi defuiſſet in tollendis impiis, audivit ab aliquo Prophetarum: *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, &c.*

Exemplū. 3. Reg. 20. v. 42.

LECTIO II.

I. SAtiſne eſt ad hujus præcepti obſervationem manus à cæde continere

R. Minimè, vetat enim hoc præceptum etiam mutilationem, læſionem, & quamcumque injuriam proximi corpori illatam. Imò, interprete ipſo Chriſto Domino, ne iraſci quidem cuiquam licere in Evangelio traditum eſt; adeò quod omnis homicidii via, gradus, occaſio & radix, quæ ſunt odium, rancor, rixæ, ſimultates, verba injurioſa hoc præcepto amputentur prorſus & reſecentur. Cui interpretationi adſtipulatur diſcipulus quem diligebat Jeſus in Epiſtola: *qui odit fratrem ſuum homicida eſt*; non actu & opere, ſed affectu & voluntate.

S. Thô. 2. 2. q. 65. Matt. 5. 1. Joan. 3. v. 15.

I. Quando Patres-familias filios ſuos caſtigant, aut magiſtri & præceptores diſcipulos, offenduntne in hoc præceptum?

R. Nullo modo; nam corrigere delinquentes eſt actus juſtitiæ, dummodò moderamen ſervetur.

Ne-

Neque prorſus peccant qui ex affectu pœnitentiæ corpus ſuum flagellis aut ferreis catenis diverberant, ciliciis affligunt, jejuniis & abſtinentiis comprimunt, dummodò id rationabili obſequio faciant ex Superioris vel Confeſſarii judicio.

I. Cædere aliquem aut vulnerare, eſtne grave peccatum?

17. q. 4. c. 52. *quis ſuadente.* R. Ita, ſi inferas, vel ſaltem inferre intendas notabile nocumentum.

I. Eſtne majus peccatum in Clericos aut eccleſiaſticas perſonas manus violentas inferre, quàm in laicos?

Optare ſibi mortem pro diverſit. affect. licitum aut illicitum. R. Ita, eſt enim excommunicatio lata in eos qui id agunt. Non ſolet autem excommunicatio ferri niſi ob gravia & enormia delicta.

I. Eſtne vetitum ſibi ipſi vel alteri optare mortem, morbum, peſtem, &c.

R. Ita, ſi ejuſmodi vota vel imprecationes oriantur ex pravo affectu ſibi vel alteri nocendi. Alioquin optare ſibi mortem ad fruendum Deo, eſt actus charitatis. Hoc ſenſu dicebat David: *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* Pſal. 141.

Similiter etiam optare corporis ergaſtulo liberari ad evadendum peccati periculum cum S. Paulo exclamante: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Rom. 7.

I. Qui proximum ſuum opprobriis, aut dicteriis laceſſunt, peccantne contra hoc præceptum?

R. Ita. Id enim manat ex pravo affectu nocendi, aut ut minimùm contemnendi proximum, undè ſæpè prorumpitur in rixas, & interdum in pugnas & in verbera.

I. Qui alteri exprobrat ſive ſermone, ſive etiam geſtu corporis defectum, fortunæ conditionem, aut aliquid ſimile, peccatne?

R. Ita, id enim frequentiſſimè procedit ex iracundia, odio, aut quopiam pravo affectu contemnendi proximi.

I. Oſtenditne Deus aliquando hoc ſibi diſplicere?

R. Ita. Comes Gueldriæ Ottho curſorem ſuum cum litteris Pariſios miſerat curſu præpeti rediturum. Quem redeuntem Comes Ottho interrogans quæſivit ſi Regem Franciæ Ludovicum vidiſſet? At ille, ubi more ſubſannantis contorſit collum: Vide, inquit, vidi miſerum illum papellardum Regem Caputium habentem capitis ſuper ſcapulas. Hæc dicens faciem contorſit ex adverſo, & ſic facies contorta remanſit toto tempore vitæ ſuæ. *Exemplū. Cantip. l. 2. apum. c. 53 p. 63.*

I. Suntne hic etiam prohibita *odium & iracundia?*

R. Indubiè, quemadmodum ex Chriſti Domini interpretatione ſuprà docuimus.

I. Quid eſt *odium*? *Odium proximi* S Tho. 2.2. q. 34. & 158.

R. Eſt voluntas quædam obſtinata dilectioni proximi oppoſita, quæ nullo modo reconciliationi ejus à quo injuriam accepit, vult intendere, ſed potiùs occaſiones injuſtæ vindictæ quærere.

I. Eſtne fugiendum odium?

R. Ita, ſummoperè enim diſplicet Deo, uti ex ſequenti parebit exemplo. *Exemplū.*

Venerabilis Jacobus exemplo de Vitriaco Crucem Hieroſolymitanam ob ſalutem multorum in Brabantia prædicavit. *Cantip. l. 2. apum. c. 18.* Contigit autem ut pacificaturus inimicitias mortales, injuriam paſſum primò ſuppliciter, deindè proſtratus pedibus ejus ſemel, iterùm & tertiò cum multitudine populi præſente rogaret, nec proficeret in rebellem. Converſus autem ad populum dixit palam omnibus: Conteſtor vos, quia qui ſpernit nos, ſpernit & eum qui mittit nos. Rogate ergò Dominum ut tale ſignum oſtendat in obſtinatum hominem quo cunctis præſentibus pateat eum hoſtiliter contra ſe in tentione odii contra proximum hoc egiſſe. Nec mora: ubi vir ſanctus orationem explevit, miſer ille averſis oculis ſemel & iterùm, & tertiò in terram corruit: oreque cruorem ſpumans & ſaniem hoto-

Digitized by Google

horroris maximum ſpectaculum omnibus præbuit. Tunc flente populo reverendus vir fusâ prece ſtratum erexit. Qui mox integerrimè ſoſpitatus, ubi ante ſe inimicum vidit, quaſi aliquid amiciſſimum rogaturus cum lacrymis veniam petiit, ruenſque in oſcula ejus, ad lacrymas & laudem Chriſti omnium corda commovit.

LECTIO III.

De bello & duello.

In bello juſto licet occidere.

I. SUntne rei homicidii qui hoſtes in bello occidunt?

R. Si de illis agatur qui ſub Principe habente juſtas belli cauſas militant. Certùm eſt illos uti executores Principis aut Reipublicæ non peccare: at qui contra legitimum Principem rebellantes pugnant, tot homicidia committunt, quot homines occidunt.

S.Tho. 2.2. q.40. ar.1.

I. Eſtne igitur bellum aliquandò juſtũ & licitum?

R. Omninò. Nam Deus qui nihil injuſtum mandare poteſt, filios Iſraël pugnare voluit contra Chananæos, Madianitas, Amalecitas, uti patet Exodi 17. Num. 15. Deut. 20. Et Saüli præceptum à Deo eſt: *Vade, interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos uſque ad internecionem.* Imo Scriptura Deum ipſum pugnare aſſerit: Deus, ait, qui ductor veſter eſt, pro vobis ipſe pugnabit. Undè Abrahæ revertenti ex pugna benedixit Melchiſedech.

1.Reg. 15. 2.Paralip. 20. Gen. 14.

I. Inveniunturne interdum homines probi & juſti ex iis qui caſtra ſequuntur?

R. Indubiè. Ecce enim Abraham uti vir probus & juſtus ex prælio reverſus benedictionem accepit. Et David vir ſecundùm cor Dei prælia Domini præliati aſſeritur. Similiter Cornelius Centurio dicitur religioſus ac timens Deum; & militem timentem Deum ad ſe vocat. Undè,

1.Reg. 25. Act. 10.

Nota, 1. Joannem Baptiſtam militibus, *quid faciemus & nos,* interrogantibus reſpondiſſe: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris*, non mandaſſe: arma abjicite, militiam deſerite, neminem percutite, neminem vulnerate & occidite; quia ſciebat eos cùm hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed Legis miniſtros. Pro clariori hujus materiæ intelligentia, Nota 2. Quemadmodum unicuique privato homini vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ licet, ut nuper dicebamus; ita jure divino & naturali fas eſt ſummo Reipublicæ moderatori injurias à ſe, ſuâque Republicâ propulſare, belloque improborum audaciam reprimere, ac illata damna vindicare; hoc enim per bellum agitur ut vitæ & ſaluti civium conſultum ſit. Sunt enim Principes, ut etiam ſuprà tradidimus, Dei miniſtri, legum ejus atque ſalutis publicæ defenſores, ſcelerumque vice Dei ultores.

Aug. l. 22. contra Fauſt. c. 74

Exempla.

I. Oſtenditne Deus aliquandò manifeſtis miraculis bella nonnunquam eſſe juſta?

R. Ita, ut cùm ad ſonitum tubarum muri Hiericho corruerunt: extendente manus Moyſe hoſtes devicti ſunt: ab uno Samſone Philiſtæi cæſi: ad ſtrepitum curruum & equorum, & exercitus plurimi fugati Syri: per Angelum centum octoginta quinque hominum millia cæſa.

Joſuë 6. Exod. 17. 4.Reg. 7. 4.Reg. 19.

I. Quænam requiruntur conditiones ut bellum ſit juſtum?

R. Tres. I. eſt legitima bellum indicentis auctoritas. II. belli juſta cauſa. III. eſt intentio recta.

Tres conditiones ad bellum juſtum requiſita.

I. Suntne duella juſta & licita?

R. Minimè, cùm non habeant juſti belli conditiones; & propterea Eccleſia valde illa deteſtatur, uti ex Concilio Tridentino colligere licet, ſic loquente: *Deteſtabilis duellorum uſus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum*

Conc. Trid. ſ. 25. c. 19. & c. 1 & 2 de torneã

morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe pœnitus eliminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alieno nomine Domini temporales qui locum ad monomachiam in territoriis ſuis inter Chriſtianos conceſſerint; eo ipſo ſint excommunicati; ac juriſdictione & dominio civitatis, caſtri, aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur: Et, ſi feudalia ſint, directis dominis acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ, juxta ſacros Canones, puniri debeant; & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Illi etiam qui conſilium in cauſa duelli, tam in jure quàm facto dederint; aut aliâ quâcumque ratione ad id quemquam ſuaſerint, necnon ſpectatores excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, nonobſtante quocumque privilegio, ſeu pravâ conſuetudine etiam immemorabili. Vid Conſtit. Clem V. incip Illius vices. Ubi pœnæ duellantibus à Concil Trid. inflictæ repetuntur, & extenduntur.

Eccleſia ſummoperè deteſtatur duella

G. 2. de cler. pugn. in duello, de torneā. per totam, & toto tit. de homicid.

De an. 1592.

I. Cur Eccleſia tantoperè deteſtatur monomachiam ſive duellum?

R. Quia per illud homines corporis, & animæ æternam jacturam faciunt.

I. Quis eos ad hoc inducit?

R. Generis humani juratus hoſtis diabolus.

I. Quamobrem?

R. Pro re vaniſſima, pro re nihili, pro puncto imaginarii honoris.

I. Hoc quidem, ſed mundus, & mundi lex dicit: Niſi duellum ab æmulo oblatum acceptes, ignavus, vilis, inglorius habeberis?

Mundi ſtolidi de duellos ſtolida judicia

R. Dicat Chriſtianus ſe hâc lege non teneri, ſed lege Chriſti, qui duellum vetat; ſe mundi ſtolidi ſtolida judicia contemnere; malle ſe à ſapientiſſimo Chriſti, & virorum Chriſtianorum judicio pendere, qui duellum rem eſſe infamem, temerariam, ſtulram & deteſtabilem cenſent: veram fortitudinem Chriſtianam ſpectari in tolerantia injuriarum, mortis & martyrii, tum in defenſione patriæ, Reipublicæ, fidei.

Exemplum.

B. Felix de Cantalicia ex Ord. FF. Minorum Capucinorum cùm die quâdam incidiſſet in duos exertis jam gladiis ad duellum paratos, cœpit inclamare forti voce & magno zelo: Heu fratres mei, ſiſtite paululùm, obſecro vos per ſalutem veſtram unicum mihi verbum ante conflictum dare, dicat unuſquiſque Deo gratias, Deo gratias: *urget eos, & compellit dicere* Deo gratias, *& ſtatim his verbis prolatis manſuefactos animos ad concordiam reducit propoſitâ eis peccati gravitate, & charitatis Chriſtianæ obligatione.*

DE VI. PRÆCEPTO.

CAPUT VIII.

Non mœchaberis.

LECTIO PRIMA.

I. QUid vetat ſextum præceptum?

R. Vetat primò & principaliter mœchiam ſive adulterium, quo injuria viro fiat in uxore, qui per matrimonii conjunctionem ita fiunt duo una caro, ut neuter ſui corporis poteſtatem habeat, ſed injuſtitiam committat tam vir, quàm uxor, ſi alteri quàm conjugi corporis ſui poteſtatem faciat: adeò quod rectè atque ordine illam quæ hominis vitam à cæde tuetur, legem, hæc quæ de adulterio eſt, ſequatur, ut ſanctam illam & honorabilem matrimonii conjunctionem, nemo aliquo adulterii ſcelere violare audeat. Vel dic: ordo & connexio hujus præcepti cum antecedentibus talis eſt: Mandavit-t nobis, u

S. Tho. 1. 2. q. 100 a. 5. in c & 2. 2. q. 122. a. 6 ad 2.

Connexio ſexti præcepti cum ſuperiori-

Deus *bus.*

Deus in quatuor primis præceptis quæ erant religionis ad Deum, & pietatis & obſervantiæ ad parentes; in quinto demùm, quæ ſunt juſtitiæ ad proximum; & quia nihil injuſtius quàm homini vitam auferre per homicidium, ideò quintum præceptum vetat homicidium: ſed quia poſt vitam nihil habet homo carius honore, ideò poſt vetitum quinto præcepto homicidium, vetatur hoc ſexto adulterium.

Adulterium. I. Quare dicis ſexto præcepto vetari primò & principaliter adulterium?

R. Quia etſi fiat ad litteram ſola expreſſio adulterii, rectè tamen Sancti Patres ſub prohibitione adulterii in expreſſis terminis facta, etiam cæterarum ſpecierum luxuriæ, per quas ad adulterium facilè devenitur, prohibitionem hoc præcepto fieri intellexerunt. Vid. D. Ambroſ. l.1. offic. c. 50. & Auguſtin, quæſt. 61. emp. Exod.

I. Quid vocas adulterium?

R. Adulterium eſt legitimi thori violatio, ſive alienus ſive proprius ille ſit, etenim ſi maritus cum muliere ſoluta rem habet, ſuum ille thorum violat: ſi verò ſolutus vir alienam uxorem cognoſcat, adulterio thorus alienus fœdatur. Vid. S. Tho. 2. 2. q. 154.

I. Quæ ſunt aliæ libidinis ſpecies, quas implicitè hoc præcepto veritas aſſerit?

De illis in ſpecie lect. ſeq. R. Generatim omnis illicitus concubitus, & inordinatus ad veneream delectationem membrorum uſus, juxta Chriſti doctrinam: *Dictum eſt antiquis non mœchaberis: ego autem dico vobis: Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.* Matt. 5.

I. Nonne ſunt in hac materia multa quæ ſilentium, & erubeſcentiam potiùs quàm ſermonis copiam merentur?

Nota, cautus & prudens debet eſſe Catechiſta in hac materia. R. Planè, ita eſt. Unde Catechiſta de illis coram ſuo auditorio, non niſi ſumma cum prudentia & circumſpectione loqui debet. Verendum enim eſt dum is latè & copioſè nimis explicare ſtudet, quibus modis homines ab hujus legis præſcripto diſcedant, in illarum rerum ſermonem forte incidat, unde excitandæ potiùs libidinis materia, quam reſtringuendæ illius ratio emanare ſolet.

I. Quandoquidem omnia libidinum genera hoc præcepto æquè ut adulterium prohibita eſſe intelliguntur, cur de adulterio ſolo ſpecialis, & explicita fit mentio?

R. Ratio iſtius eſt, quia præcepta ſecundæ Tabulæ axioma illud Evangelicum reſpiciunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & generaliter complectuntur omnem, & quamcumque injuriam quæ proximo poteſt inferri: & adulterium evidentius, quàm alia quæcumque libidinis ſpecies injuſtitiam non tantum in conjugem, ſed etiam in civilem ſocietatem continet. Vid. S. Auguſtin. lib. 2. de adult. conjug. cap. 8. Adde eos qui venereâ quâcumque labe ſeſe polluunt, adulterina contagia facilè contrahere. Matt. 7. & Luc. 6.

Adulterium graviſſimum nefas. I. Eſtnè adulterium grave peccatum?

R. Etiam graviſſimum. Unde antiqui omnes graviſſimè in adulteros animadverterunt; & patet, jam in lege naturæ id ſcelus vetitum fuiſſe, ex conqueſtione Abimelech dicentis Abræ: *Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? Quare non indicaſti quod uxor tua eſſet? Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, ubi tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam & vade.* Gen. 12.

Quantum quidem ad pœnas adulterii, ſatis apparet ante legem Moyſi adulteros igne cremari ſolitos. Judas enim Jacobi Patriarchæ filius audiens nurum ſuam Thamar fornicatam fuiſſe, mox pronunciavit: *producite eam ut comburatur.* Si pro ſimplici fornicatione ſtatuta erat pœna ignis, quid minus pro adulterio fas eſt exiſtimare? Gen. 38.

In lege autem Moyſi (uti fatentur Judæi Joan. 20. mandatum eſt adulteros lapidari. Vid. Gen. 20. Deut. 22. Levit. 20.

Hierem. 4. & alibi. Ex quibus liquet quanto odio, quibuſve ſuppliciis proſecutus ſit Deus adulteria; qui etiam ad inveſtigandum adulterium mulieris, quod teſtibus probari non poteſt, mandavit aquas amariſſimas, in quibus illi cum execratione maledicta congeſſit, lege lata ut eam adjuret, & dicat; *Si non dormivit vir alienus tecum, & ſi non polluta es deſerto mariti thoro, non te nocebunt aquæ iſtæ amariſſimæ, in quas maledicta congeſſi. Si autem declinaſti à viro tuo atque polluta es, & concubuiſti cum altero viro his maledictionibus ſubjacebis: det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo ſuo: putreſcere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus diſrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumeſcente putreſcat femur. Et reſpondebit mulier, amen, amen. Scribetque Sacerdos in libello iſta maledicta, & delebit ea aquis amariſſimis, in quas maledicta congeſſit, & dabit ei bibere.* Et poſt pauca, *quas cum biberit, ſi polluta eſt, & contempto viro adulterii rea, pertranſibunt eam aquæ maledictionis & inflato ventre computreſcet femur: eritque mulier in maledictionem & in exemplum omni populo, &c.*

Aquæ amariſſimæ. Num 5.

Miraculoſa proba adulterii in lege veteri.

c. 19 & 20. Lege librum Judicum, ubi reperies pluſquam ſexaginta millia è populo Iſraël occiſa ob adulterium cum uxore cujuſdam Levitæ commiſſum.

2. Reg. c. 11. *& ſeq.* Verum, quid non eſt paſſus David in pœnam commiſſi adulterii cum Berſabee uxore Uriæ?

Vid inſuper lib. Job. cap. 31. & Eccli. 23.

I. Punivitne etiam interdum Deus adulterii crimen in nova lege?

Exemplū. R. Inter alias res à S. Marcello Pariſienſi Epiſcopo geſtas; illud de nobili quadam matrona narratur; quæ per omnem ferè vitam nefariæ libidinis contagione turpiter polluta, tandem obnoxia crimini è vita exceſſit. Ejus cadaver in tumulum illatum ſerpens immaniſſimus frequentare cœpit: credo, ut quam viventem in crimen pertraxerat, mortuam etiam ſua ſævitia depaſceret. Hoc cognito B. Marcellus cum ſerpente pugnaturus ad locum acceſſit. Cumque coluber de ſylva ad tumulum, obvio Marcello, rediret, cœpit ſupplici capite & blandiente caudâ veniam precari. Tunc vir ſanctus caput ejus baculo ter percutiens belluam recedere juſſit. Illa ſanctiſſimi viri imperio nequaquam reſiſtere auſa, fugam cœpit, quàm populus, præcedente Pontifice, tribus ferè millibus proſecutus eſt. Deinde acriori increpatione adhibitâ: ab hac inquit, die, aut deſerta tene, aut in mare te demerge; moxque demiſſa bellua evanuit, & populum incredibili gaudio exultantem, & Domino laudes concinentem reliquit.

Fortunat. Epiſc. in vit. ejus apud Zachar. Lippel. ad 1. Nov.

I. Animadvertitne etiam eccleſiaſticum tribunal in adulteria?

R. Omninò, vid Conc. Trid. ſſ. 24. c. 8. de reform. & 34. diſt. c. is qui & c. fraternitatis. Item c. fin. concubinæ de ſent. excom. & c. 1. in fin. de cohab. cler. & mul.

Iure canonico adulteria damnata.

I. Decreveruntne etiam nationes omnes, graves pœnas in adulteros?

R. Ita, apud Arabes, Parthos, aliosque ſemper capitis pœna in adulteros fuit conſtituta, teſte Alex. ab Alex. l. 4. c. 1.

Et omnium gentium legibus.

Cumani adulteram in foro omnibus videndam exponebant, deinde aſino per totam civitatem circumvehebant, ut totâ ſuâ vitâ eſſet infamis.

Plutarch. in problem.

Tenedius Rex legem tulit in adulteros, ut utriuſque corpus ſecuri concideretur, ejuſque legis exemplum in filios edidit.

Plato lib. 9. de legibus, fornicantem mortis ſupplicio condemnat: adulteram impunè à viro occidi poſſe aſſerit.

Romani adulteros capite plectebant, uti tradunt, qui de geſtis Romanorum ſcripſerunt. *L. Iulia.*

I Qui-

I. Quibus ſimiles efficiunt ſe adulteri per ſua adulterina commercia?

Exemplum.

R. Ipſi teterrimo Cacodæmoni. Adulter quidam de latere conjugis intempeſtæ noctis ſilentio vice quâdam exurgens, completo cum aliena flagitio, domum lunâ lucente redibat. Cujus faciem per feneſtram intrantis uxor eminùs contemplata, horrificè exclamat: ad cujus clamorem ancillæ domûs, & famuli concurrentes, mox ad conturbatum Domini pariter aufugerunt quaſi à conſpectu dæmonis exturbati. Quod ut adulter vidit, animadvertit faciam ſuam à forma propria receſſiſſe, & divino judicio ſecundùm vilitatem peccati, confuſionis ignominiam induiſſe. Ergò ubi diluxit uſque manè, properat verſus Eccleſiam, ut confeſſus ſacerdoti, ſpeciem propriam recipere mereretur. Cui cùm vaccæ & pecudes villæ procedentes ad paſcua longius obviarent, mox diros dedère mugitus, & quaſi ſubitò minati fulmine retroactæ, quaquaverſum diffugiunt. Idem Paſtores & obvii quique fecerunt. Sacerdos autem in oſtio Eccleſiæ ad dicendas horas reſidens, mox ut illum vidit, ſignavit ſe, & intrans Eccleſiam oſtium poſt ſe clauſit. Tunc miles ante foras Eccleſiæ ſeſe proſternens miſerere, inquit, pater ſancte, miſerere miſerrimo peccatori. Non ſum ille qui videor, ſed hoc in me, peccatis meis, accidit, ut in me larvalis facies videatur, ſed pœnitenti injunge quod vis, & ſic de me quod voluerit Deus, exſpectabo. Nec mora, ubi miles cum mira contritione, & lachrymis eſt confeſſus, larvalis illa confuſio deterſa eſt, & propriam faciem cum ſua integritate recepit.

Cantip. l. 2. apum c. 30. §. 42.

I. In materia adulterii uter gravius peccat, vir, an fæmina?

In adulterio vir gravius peccat, mulier periculoſius.

R. Uterque quidem graviter & mortaliter offendit Deum, at vir gravius, fæmina verò peccat periculoſius.

I. Quare vir gravius?

R. Ex eo quod vir, maſculâ, adeoque majori virtute præditus eſſe debet, & rationis ductum gnavius ſequi; uti mulieri, quæ eſt fragilioris ſexus, exempla virtutum præbere debeat, præſertim continentiæ, & caſtitatis. Vid. Aug. l. de adult. conjug c. 8.

I. Quare peccat mulier adultera periculoſius?

R. Quia ejus peccatum plura invehit damna, quàm peccatum viri. *Primò*, enim adulterium ejus inſignem turpitudinis notam familiæ inurit. Unde ſacris Litteris ita proditum eſt. *Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam; turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.* Prov. 6. *Secundò*, pro legitima prole ex adulterio nata ſupponitur, undè injuſtitiæ magnæ ex ſucceſſione naſcuntur, aliaque plura conſequuntur incommoda. Vid. Cajet. 2. 2. q. 154. ar. 8. *Tertiò*, ipſi etiam proli plurimùm nocet, quod ſit ex adulterio nata; nam certo patre deſtituitur, qui curam inſtitutionis ejus habeat; ſimiliter hæreditate, qua ſe honeſtè ſuſtentet; denique à ſacris ordinibus, honeſtioribuſque Reipub. functionibus excluditur.

I. Quâ ratione poterit mulier adultera hiſce incommodis providere, præſertim ne proles illegitima cum liberis ſucceſſionem adeat, conſcientiamque ſuam liberare?

R. Accedat Confeſſarium prudentem & timoratum, à quo intelligat quid ſibi agendum. Confeſſarii ipſi habent ſuas Summas, *Angeli, Silveſtri. Tabien. Roſel. Cajet. & aliàs*; diligenter legant illas, *verbo Andulterium*.

LECTIO II.

I. QUæ ſunt aliæ libidinis ſpecies hoc ſexto præcepto prohibitæ? S. Tho. 2. 2. q. 154.

R. Hactenus quidem de adulterio, occurrit modò fornicatio ſimplex. *Fornicatio.*

I. Quid eſt fornicatio ſimplex?

R. Eſt concubitus viri ſoluti, cum muliere ſoluta. Soluti, inquam, ob omni

Digitized by Google

ni vinculo matrimonii, cognationis, voti, *&c.*

I. Eſtne fornicatio ſimplex peccatum?

R. Nullo modo licet de eo dubitare.

I. Quare hoc?

R. Quia id manifeſtè tradit Scriptura:

1. Cor. 6. 2. Cor. 6. Apoc. 21. *Clem. ad noſtram de haret.*

Neque fornicarii, neque adulteri, regnum Dei poſſidebunt. Et: *fornicatores & adulteros judicabit Dominus.* Judicabit, inquam, & igni addicet mortique ſecundæ.

I. Eſtne igitur ſimplex fornicatio peccatum mortale?

Fornicatio ſimplex peccatum mortale.

R. Ita, nam præcepto ſexto, *Non Mœchaberis*, non ſolum mœchiam ſive adulterium, ſed etiam inceſtum, ſodomiam, fornicationem, omnemque concubitum & libidinem, quæ matrimonii limites egreditur, vetitam eſſe, tradunt paſſim Rabbini & omnes Eccleſiæ Patres. Imò Apoſtolus proximè citatus fornicationem connumerat adulterio, idololatriæ, aliiſque peccatis, quæ ſunt contra legem naturæ, & Decalogi, quæque homines naturâ ſuâ excludunt à regno Dei.

I. Quomodo dicis ſimplicem fornicationem peccatum eſſe, & quidem mortale, cùm non appareat cui damnum, & injuria irrogetur, præſertim cùm adeſt liberrimus utriuſque partis conſenſus, & ſi nata fuerit proles, eidem benè proſpicietur, & rectè educabitur?

R. Jam ſufficienter declaratum eſt ex ſacris litteris fornicationem ſimplicem eſſe peccatum: idque mortale: quod dicis de injuria, ſanè fornicatio, infert damnum mulieri, quæ ideò infamis redditur; & proli, quæ illegitima naſcitur; item facit ipſi Chriſto injuriam, in eo quod cùm ſimus membra ejus, faciamus nos membra meretricis, dicente Apoſtolo:

1. Cor. 6.

Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergò membra Chriſti, faciam membra meretricis? abſit! An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur? Erunt inquit, duo in carne una. Adde ex eodem Apoſtolo, membra noſtra templum eſſe Spiritûs ſancti. Undè injuriam faciunt Spiritui ſancto, & quaſi ſacrilegi ſunt, qui per libidinem polluunt corpora ſua, quæ ſunt templum Spiritûs ſancti. Undè.

S. Seraphia Virgo & Martyr, cùm Præſes ei diceret: Ubi eſt templum Chriſti quem adoras? & quo ſacrificio? reſpondit; ego caſtitatem colens templum ſum Chriſti, cui meipſam in ſacrificium offero. Ait Præſes: ſi caſtitas tibi ablata fuerit, templum Chriſti eſſe deſines. Ad quem Virgo: Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. *Immiſit igitur Præſes duos juvenes qui illam violarent; ſed illâ orante, terra motus extitit, juveneſque exanimati cecidère. Verùm illius precibus vita reſtituti ſunt.* Ita habet ejus vita apud Sur. 3. Sept. *Denique qui fornicatur, injuriam facit ſanguini Chriſti, quo ablutus eſt, prædicante eodem Apoſtolo, & Corinthios à fornicatione dehortante his verbis?* Empti eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. *Æquiſſimum enim eſt ut magno pretio à ſervitute redemptus, ſuum Dominum obſequio honoret, non autem corporis inquinatione offendat.*

Exemplum.

1. Cor. 6.

I. Eratne etiam fornicatio ſimplex in veteri lege prohibita?

R. Ita. Expreſsè enim cavebat Deus: *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, neque ſcortator.* Imò, ipſa naturæ lex ſatis docet hujuſce ſpeciei libidinoſa commercia illicita eſſe, & naturæ inimica.

Deut. 23. *Fornicatio ſimplex in lege veteri prohibita.*

I. Quâ ratione?

R. Quia fornicatio repugnat primæ hominis creationi, & primævæ matrimonii inſtitutioni, quâ Deus, ipſius naturæ omniumque Dominus, uſum membrorum generationi deſervientem matrimonio alligavit, & extra illud homini facultatem ademit. Plurium enim cum una muliere concubitus ſpeciem humanam interimit, ad cujus conſervationem & perfectionem natura tota fertur: quemadmodum ſi ſumpto veneno individuum deſtruas, cujus conſervationi & inco-

Fornicatio etiam natura inimica.

Digitized by Google

incolumitati natura ipſa ſummoperè intendit. Quod ſi fortè concubitus fornicarius unius dumtaxat ſit cum una, repugnat id ſaltem bono prolis, quæ rectè educari non poteſt in fornicatione, ſed tantùm in matrimonio, ab ipſo auctore naturæ ad hanc ipſam rem inſtituto.

I. Oſtenditne Deus aliquando verbo, & facto peccatum fornicationis ſibi diſplicere?

R. Ita, in Deuteronomio jubetur lapidari puella, quæ ante nuptias in domo Patris fornicata eſt. Et Sapiens Eccleſiaſtici 19. *Qui ſe jungit fornicariis, erit nequam, putredo & vermis hæreditabunt illum.* Denique Num 25. ob fornicationem Hebræorum cum filiabus Moab, cæſa ſunt ex eis viginti quatuor millia.

Exempla.

Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo, ſtudioſus quidam miſerè deperibat puellam: cum alia ratione non poſſet, ipſius ſibi copiam fieri per Necromanticum data pecuniæ ſumma, cupit. Hic ſe circulo, adoleſcentemque includit, ſeveriſſimè ne eundem egrediatur, imperans. Mox ad conjurationes converſo, plurima ſe ſpecies phantaſmatum offert; tandem ipſa quoque, quæ quærebatur, imago puellæ. Hic adoleſcens libidine victus, præcepti immemor, manum extendit, amatam apprehenſurus, ſed maximo ſuo malo; ſiquidem à ſpiritu nequam parieti illiſus miſeram exhalavit animam.

Sifridus Presbyter l. 2. ſua epitome a. 1260 apud Pet. Thyr. de locis inſeſt p. 1. c. 39. n. 16.

Quod ſi libidinoſorum aliqui mortem effugiunt; at certè intolerabiles dolores ac pœnarum cruciatus, quibus non rarò plectuntur, haud effugiunt: nam mente cæci (quæ pœna eſt graviſſima) ita fiunt, ut neque Dei, neque famæ, neque dignitatis, neque vitæ ſuæ rationem habeant; hocque pacto adeò nequam & inutiles fiunt, ut nihil grave committi eis debeat, & ad nullum ferè officii munus idonei exiſtant. Hujus rei exempla à Davide, & Salomone petere nobis licet, quorum alter, poſtquam adulterium commiſiſſet, repentè ſui diſſimillimus ex mitiſſimo crudelis efficitur, ut Uriam de ſe optimè meritum certæ morti obtulerit: alter cùm ſe totum in mulierum libidinem profudiſſet, ita à vera religione ſeſe avertit, ut alienos Deos ſequeretur. Aufert enim, ut Oſeas dixit, hoc peccatum cor hominis, ſæpeque excæcat.

Ob libidinem homines mente excæcantur, & ad omnia fiunt inutiles.

Exempla. *1. Reg. 11.*

I. Qui manent in concubinatu, propinquam apud ſe peccati occaſionem ſemper habentes, poſſuntne à Confeſſariis abſolvi.

R. Minimè, niſi primùm verè contriti ſint, & promittant occaſionem hujuſmodi primo quoque tempore ſe deſerturos, aut certè ex modo confitendi & pœnitendi confeſſario credulitatem bonam & valde apparentem faciant ſe deinceps in peccatum non relapſuros. *Vid. Nav. in Manuali c. 3. 14. & 10.*

Concubinarii.

I. Conſultòne faciunt laſcivi juvenes, qui per fornicationes, ardorem carnis extinguere putant?

R. Toto cœlo aberrant; nam concupiſcentiæ ardor per peccatum magis ac magis accenditur, difficillimeque peccandi habitus ſenſualitati inſitus ad malum nimis propenſus emendari poteſt. *Voluptas*, ait S. Hieron. *inſatiabilis eſt, & quantò magis capitur, tantò plus utentibus ſe, famem creat. E contrario*, Beati eſurientes & ſitientes juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. *Sicut juſtitia ſaturat, ſic iniquitas ſubſtantiam non habens, vana comedentes fraude deludit, & uteros devorantium vacuos derelinquit.* Adeò quod ipſi pœnitentes in mediis etiam auſteritatibus, per novam vitæ mutationem aſſumptis, carnis aculeis miſerum in modum pungi & dilacerari non deſinant.

Hieron. in Oſee.

S. Maria Ægyptiaca totidem annos, quot Veneri ſervierat, ſcilicet ſeptemdecim, carnis ſtimulos pœnitens paſſa eſt, ut narrat *Sophronius Hieroſolym. Patriarcha in ejus vita.*

Exemplum.

I. Quæ

I. Quæ eſt tertia ſpecies luxuriæ hoc præcepto prohibita?

Inceſtus. vid. Aug. l. 2. de civit. c. 4. & l. 15. c. 16. R. Tertia ſpecies eſt *inceſtus*, dum quis cum conſanguinea vel affine in gradu prohibito, fornicariè commiſcetur; de quo Levit 19. *Homo ad propinquam ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus.* De hoc peccato arguebat Herodem ſanctus Chriſti præcurſor, *Marci* 7

I. Eſtne declarandus in confeſſione gradus cognationis vel affinitatis ab eo qui cum cognata vel affine peccavit.

R. Ita. Nam pro ratione gradus propinquioris vel remotioris, gravius aut levius eſt peccatum inceſtus, in ſua ſpecie. Imò in hac Diœceſi Namurcenſi inceſtus in 1 & 2 cognationis & affinitatis gradibus cenſetur in caſibus Epiſcopo reſervatis!

Synod. ann. 1604 tit. 6. c. 13.

I. Quæ eſt quarta?

Amos. 2. Ezech. c. 22. R. Eſt *ſtuprum*, quando virgo defloratur.

I. Unde ſumit hæc ſpecies peculiarem ſuam deformitatem?

R. Ex eo quod virginale ſignaculum tollatur, minuſque apta reddatur ad honeſtum conjugium quæ deflorata eſt. Vide Exod. 22. Deut. 22. Adde quod patri virginis (in cujus tutela eſt) injuria fiat.

I. Quæ eſt quinta ſpecies?

Raptus. R. Eſt *raptus*, dum contra voluntatem copula vi extorquetur à muliere, vel contra ſuam aut patris voluntatem ex domo patris fœmina educitur, etiamſi intentione eam in uxorem ducendi. Quid de raptu ſtatuerit Eccleſia, conſule Synod. Trident. ſſ. 24. c. 6. de refor. matrim.

I. Quæ eſt ſexta?

Sacrilegium. R. Sacrilegium, quod hoc loco, nihil eſt aliud, quàm violatio perſonæ Deo dicatæ, vel loci ſacri per actum venereum.

I. Quæ ſunt pœnæ conſtitutæ in ſollicitatores & corruptores ſacratarum Virginum, & in eos qui conſilium vel auxilium ad id præbuerint.

R. Jure Cæſareo capite plectuntur. Cod. Juſtinian. l. ſi quis & authent. tit. de ſanctiſſ. Ep. ſc. in fin. Et jure Canon. ſimilis pœna ſancita eſt 27. q. 1. Si quis rapuerit.

I. Contactus inhoneſti commiſſi vel admiſſi à non conjugibus cauſâ delectationis carnalis, ſuntne etiam hoc præcepto vetiti?

R. Planè, & quidem ſub mortali. Id docet Apoſtolus: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt immunditia, impudicitia, luxuria, &c.* Gal. 5. Ubi impudicitia ponitur inter peccata quæ excludunt à regno Dei; impudicitia autem propriè conſiſtit in turpibus & fœdis contactibus. vid S. Tho 2. 2. q. 154 a. 4. Idem tradunt SS. Patres, Cypr ep. 62 ad Pompon. S. Baſil l. de vera virginit. & alii. Ratio eſt, quia hujuſmodi contactus non ſolent fieri niſi propter voluptatem veneream, quæ illicitur ex reſolutione ſeminis; imò ad eam per ſe & proximè diſponunt, & hoc ordinariè ex illis ſequitur, ut paſſim Doctores tradunt; atqui intendere hanc delectationem extra matrimonium, eſt peccatum mortiferum, ergo.

I. Contactus qui fit circa ſeipſum quæſitâ voluptate carnali per ſui corruptionem, eſtne magnum peccatum?

R. Ita, & vocatur *mollities*, ſive *pollutio*, quæ eſt peccatum contra naturam.

I. Quid vocas peccatum contra naturam? *Pollutio voluntaria.*

R. Peccatum contra naturam in hac materia eſt, quo peccatur non ſolùm contra rationem naturalem, ſed etiam contra naturæ uſum & ordinem, quem natura illius actus poſtulat, ut ſequi poſſit conceptus.

I. Meminitne Scriptura hujus peccati pollutionis?

R. Ita, tanquam rei deteſtabilis, ob quam Deus Her & Onan Judæ filios morte percuſſit. Gen. 38. De hoc peccato ſcribit Apoſtolus: *neque molles regnum &c.* 1. Cor. 6.

Dei

Digitized by Google

Dei non poſſidebunt. Et: *Omnis fornicator aut immundus &c. non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.*

Epheſ. 5. I. Quid de iſto peccato tradunt Theologi?

R. Cardinalis Toletus in Sacerdotum inſtructione docet hoc peccatum emendatu eſſe difficillimum, idque ex eo quod ſemper adſit occaſio relapſus ad manum, adeoque eſſe univerſale, ut credat potiſſimam mundi partem (ex iis qui damnantur) ob hoc peccatum damnati. Vid. ſummam Benedicti ad 6. Præceptum Decalogi.

Exemplum. I. Habeſne ad hanc rem exemplum?

R. Habeo, vidit Chriſtina mirabilis in ſpiritu mundum hoc peccato pollutionis plenum, & obrutum, ideoque Deum toti mundo graviſſimas intentare plagas, quas ut averteret, ipſa ſeſe miris & horrendis pœnis excruciabat. Plura alia exempla vide apud Cantip. l. 2. apum c. 30.

S. Chriſtina vidit orbem mollitie perditum.

I. Quâ ratione deterrebitur laſciva juventus ab his ſordibus?

R. Utatur Confeſſarii, oblatâ occaſione, exemplo ſupra allegato Her & Onan conjugum ſe in actu conjugii retrahentium, Deique in illos vindictam declarabunt.

Si enim iſto ſæculo tam rudi & inculto Deus ita punivit Her & Onan: quomodo puniet in luce hac & lege Evangelii Chriſtianos qui ſe polluunt?

1. Cor. 6. *Secundò* allegabunt locum Pauli: *Nolite errare, neque fornicari &c. neque molles &c. regnum Dei poſſidebunt.*

Tertiò declarabunt periculum ejus qui in hoc peccatum labitur, niſi ſtatim per ſeriam pœnitentiam reſurgat. Nam habitus facilè contrahitur, quem poſteà exuere difficillimum eſt, nectunturque naturali ad malum propenſione funes libidinis inextricabiles, qui auctorem ſuum in abyſſum pertrahant, eumque gehennæ inſolubiliter aſtringant.

Remedia contra mollitiē. I. Quænam remedia debent præſcribi iis qui pollutionem committunt?

R. *Primò*, quidem valebunt proximè dicta, ad horrorem tam infamis peccati pœnitentibus incutiendum.

Secundò, Card. Toletus cenſet nullum efficacius remedium huic malo poſſe adhiberi, frequenti confeſſione eidem Confeſſario continuè factâ.

Tertiò, plurimum valet Sanctiſſimi Sacramenti devota perceptio.

Quartò, Beatiſſimæ Virginis & Sanctorum interceſſio.

Poſtremò, qui mollitiei aſſueverunt, lachrymis, jejuniis, magniſque pœnitentiis Dei miſericordiam flectere, gratiamque impetrare ſatagant, ad concupiſcentiæ ardorem, carniſque aculeos compeſcendos. Vide infrà. *Luxuriæ remedia.*

Quòd verò ad iſtius peccati confeſſionem attinet, diligenter erunt aperiendæ circumſtantiæ. Nam v. g. ſi pollutionem committens, cogitatione, & deſiderio reflexerit ſe ſuper cognata aut affini, inceſtum ultra pollutionem perpetravit, eritque explicandus gradus cognationis vel affinitatis; ſi ſuper maritata, adulterium; ſi ſuper Virgine Deo dicata, ſacrilegium, *Vid. Nau. c. 16. n. 6.*

I. Eſtne *pollutio nocturna*, ſive ea quæ in ſomnis accidit, peccatum?

R. Tametſi pollutio nocturna quæ dormienti accidit, propriè loquendo peccatum non ſit, cùm dormiens ob ſopitam rationem dominium actionum ſuarum non habeat; poteſt tamen pollutio in ſomnis interdum in ſua cauſa peccatum eſſe aut mortale, aut veniale. De ea igitur ex ipſa cauſa definiendum eſt. Nam ſi cauſa mortalis fuerit, ipſa quoque pollutio mortalis erit; ſi venialis, venialis. *Pollutio nocturna.*

I. Declara hoc exemplis?

R. Declaro. Aliquando contingit pollutio ex præhabitis laſcivis, & obſcænis cogitationibus, quæ adhuc remanent in phantaſia etiam dormientis; ſi fuerint ejuſmodi cogitationes in ſua cauſa cognita ab eo qui pollutionem patitur, ſub ratione cauſæ mortalis, tunc cenſen-

da erit pollutio ex tali cauſa proveniens mortalis; ſi fuerint tantummodò veniales, pollutio ſimiliter erit tantùm venialis.

Secundò, accidit pollutio non rarò ex gula; ut in eo qui intemperanter veſcitur calidis cibis; vel in potu vini modum excedit; tunc ſi exceſſus ejuſmodi prævisus ut cauſa pollutionis, (quia jam aliàs expertus eſt, & advertit ſe proclivem eſſe ad pollutionem, eamque frequenter ſibi inde evenire) mortalis fuerit, pollutio ex tali cauſa prævisa erit quoque mortalis.

Tertiò, contingit interdum ex naturæ debilitate, quando ipſa ſuopte marte ſeſe exonerat, & ex illa cauſa nullum debet æſtimari peccatum.

Quartò, quandoque provenit pollutio procurante nequitia dæmonis, per turpium phantaſmatum immiſſiones, nullis etiam præcedentibus, de turpibus rebus, cogitationibus: Id accidit quibuſdam piè & caſtè viventibus, in feſtis præſertim quando communicandum, aut cum maxima devotione celebrandum, quo non obſtante poterit ſacerdos etiam extra caſum neceſſitatis ſine peccato & meritoriè celebrare, dum devotio trahit, pietas ſuadet, aut ſuſceptum officium exigit. Ratio eſt, quia in eo nullum eſt peccatum, cùm, ut ſupponimus, pollutio acciderit in ſomno, abſque conſenſu in vigiliis ſequente, vel prævio, dummodo tamen addit idem auctor, ſe non ſentiat celebraturus, vel excommunicaturus, magis hebetem, aut ad carnalia reflexum.

LECTIO III.

I. OFfendimuſne Deum ſolo opere in hac materia?

R. Imò, etiam verbo & cogitatione.

I. Qualiter Deum offendimus verbo?

Verba impudica. R. Dum verba laſciva proferuntur, obſcœna carmina decantantur, libri impudici leguntur, aut epiſtolæ turpibus amoribus (quanquam ſub obſcuris terminis) refertæ conſcribuntur.

I. Suntne verba ejuſmodi impudica, cantilenæ, ſcripturæ perniciosæ?

R. Planè, ut verè dici poſſint lethiferum virus, quo, præſertim juventus incauta intoxicatur.

I. Cujus rei indicium eſt, talibus cibis libenter paſci?

R. Indicium manifeſtum eſt impudici animi. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Et cenſent medici ex graveolente ſpiritu, de vitio hepatis & indiſpoſitione ſtomachi. Matt. 12.

I. Quibus argumentis declarabitur indecentia, & abſurditas turpiloquii?

R. Allegandа eſt doctrina Apoſtoli dicentis. *Fornicatio autem, & immunditia aut avaritia, nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos; aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet.* q. d. Dedecet Chriſtianos quos Chriſtus ſanguine ſuo in Sacramentis mundavit, defœdare linguas ſuas cœno impudicitiæ. Sanè ſi ſordidum eſt ut vaſe aliàs mundo, & in honorem per figulum efformato indiſcriminatim utaris ad vinum propinandum, & ad ventris recipienda excrementa; ita abſurdum eſt Chriſtianam linguam, ſuper quam, velut ſuper aureum ciborium venerabilis Euchariſtia reponitur in ſacra communione, fieri immunditiæ & turpiloquii fœdiſſimum inſtrumentum. Epheſ. 5. *Vid. Chryſ. in moralis homil. 14.* *Simile.*

I. Subſecutane eſt aliquando ultio divina loquentis turpia?

R. Ita. *Cùm S. Walericus Abbas hyberno tempore foris ad ſuum Monaſterium rediret, in ipſo itinere ob nimiam frigoris acerbitatem ad Presbyteri cujuſdam domicilium cum ſociis ſeſe calefacturus divertit. At illi qui tantum hoſpitem venerari, & reverenter habere debebant, ad turpia, & obſcœna verba una cum ejus loci Iudice prorumpunt. Ille contra, ut conſueverat corruptis hominum vulneribus ſalubria cœleſtis verbi* *Exemplum.* *Sur. to. 2. 1. April.*

reme-

Digitized by Google

remedia adhibebat, ait que ad illos: Non audiviſtis filii illud ex Evangelio, de omni verbo otioſo reddituros nos rationem in die judicii? *His verbis nihil illi permoti, contempto viro Dei, multo etiam impuriores vomebant ſermones. Tum ille, volui quidem, inquit, in tam acri frigore, nonnihil corpus meum ad ignem refovere, ſed veſtra impuriſſima lingua etiam frigidum hinc abire compellunt. His dictis excuſſo in eos pedum ſuorum pulvere abſceſſit. Ecce autem in procaces, & ſpurcos illos mox ultio divina graſſatur: & Presbyter quidem repentè utroque orbatus eſt lumine, & Judicis membra genitalia computruerunt. Tum illi præſentem Dei vindictam malè experti conantur verbis ſupplicibus ad ſe virum ſanctum revocare, ſed fruſtrà. Et alter quidem cæcus permanſit, alter verò contracto corpore, & putreſcente inguine extinctus eſt.*

I. Deteſtabanturnè Sancti caſtitatis amatores impudica verba?

Exempla. R. Ita. S. Bernardinus adhuc puer tantâ erat honeſtate, & integritate præditus, ut ſi quid audiviſſet turpiter dici, adeò commovebatur, ut rubore taliter in vultu perfunderetur, ac ſi quis colaphum ei impegiſſet. Inde factum eſt, ut ſi fortè pueri, & adoleſcentes inter ſe de rebus parum honeſtis verba miſcerent, viſo Bernardino mox dicerent: faceſſant hi ſermones, ecce enim Bernardinus adeſt. *Sur. to. 2. 20. Maii.*

S. Edmundo Archiepiſcopo Cantuarienſi admodum adhuc adoleſcenti, deambulanti aliquando per pratum quoddam, cum ſodalibus (à quibus, quia ſcurrilitates & ineptias narrabant, cùm celeriter ſe ſubduxiſſet ne conſcientiæ puritatem vel nugis puerilibus vel ſcurrilibus contaminaret) puer JESUS apparuit candidus & rubicundus, & ſic eum prior affatus eſt: *Salve dilecti mihi.* Ille id audiens, vocem ignoti pueri admiratus eſt, & reſpondit, neque tui notitiam aliquam habeo, neque me puto tibi eſſe notum. Tum puer JESUS: Et quinam, inquit, fieri poteſt ut ego tibi tam ignotus ſim, cùm in ſcholis ad latus tibi aſſideam, & ubicumque ſis, comes ſemper individuus tibi adſim? Subjunxitque: Reſpice in faciem meam, & vide quid illic ſcriptum ſit, reſpexit ille, & vidit cœleſtibus exaratum litteris: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.* Hoc eſt, inquit puer JESUS, nomen meum quod tu debes infigere animo tuo, ſemperque noctibus imprimere fronti tuæ, quod tibi magno præſidio erit adverſus mortem repentinam. His dictis omni melle dulcior puer ille, in quem deſiderant Angeli proſpicere diſparuit, ſed non parum ſuavitatis in ejus pectore reliquit. *Sur. to. 6. 16. Novemb.*

LECTIO IV.

I. SUntne cogitationes carnales & inhoneſtæ peccatum?

R. Ita planè. Nam teſte Legiſlatore noſtro Chriſto Domino: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c.* Sicut enim ex fonte ebulliunt aquæ, ſic ex corde, id eſt, ex voluntate, pravo luxuriæ affectu imbutâ ſcaturiunt malæ cogitationes libidinis, quæ ex corde in os ebulliunt, dum eaſdem eloquimur, & ex ore in opus erumpunt, dum eaſdem reipſa perpetramus. Matt. 6. Matt. 15.

Eſtne igitur neceſſarium aperire in confeſſione pravas libidinis cogitationes vel etiam deſideria eorumque numerum ſi ad opus minimè pervenerunt?

R. Procul dubio. Nam verſaſſe animo duas diverſas cogitationes libidinoſas, aut prava deſideria in materia luxuriæ tantumdem eſt, ac ſi duas cogitationes malas in diverſa materia habuiſſes, v. g. unam furandi, alteram fornicandi.

I. Sufficitne declarare numerum ejuſmodi pravorum deſideriorum?

R. Minimè; debent enim inſuper ipſæ ſpecies aperiri, hoc eſt, in qualem per- *Cogitationum.*

& pravorum deſideriorum numerus & ſpecies in confeſſione declaranda.

ſonam vel in quem actum voluntas & deſiderium ſeu affectus ferebatur.

Gravius enim peccatum eſt concupiſcere mulierem conjugatam, quàm liberam: & aliud eſt deſiderare copulam cum cognata, aliud cum ſanctimoniali, vel quavis alia perſonâ Deo dicata. Nam quantum ſpecies actûs externi diverſificantur ex diverſitate perſonarum cum quibus actu peccatur; tantum diverſificantur etiam cogitationes & deſideria, & mutantur in tot ſpecies mentalis luxuriæ.

I. Eſſetne ergo peccatum, ſi animo volvas cogitationes obſcœnas, in iiſque tibi complaceas ad carnalem delectationem abſque tamen voluntate ulteriori actum perpetrandi?

Cogitationes moroſæ.

R. Ita, & illæ ſunt cogitationes quas Theologi moroſas appellant, à mora quam ratio cum advertentia trahit in non repellendo.

I. Suntne iſtæ cogitationes peccata mortalia?

R. Ita, ſi materia ſecundùm ſe ſit talis, & adſit complacentia, ut dictum eſt, cum perfecta rationis advertentia.

I. Bone Deus! quotus quiſque eſt, qui non pulſetur interdum & inquietetur laſcivis & turpibus cogitationibus & phantaſmatibus?

R. Perpauci, fateor; verum attende quod dico: pulſari, inquietari, aut agitari turpibus & libidinoſis cogitationibus; aut etiam ſentire laſcivos & inordinatos luxuriæ motus, peccatum non eſt; ſed iis conſentire, in iis ſibi complacere, & ſine juſta aliqua cauſa voluntariè immorari, hoc peccatum eſt. Neque id mirum, nam qui ex libera voluntate conſenſum præbet delectationi ex opere illicito promananti, afficitur ipſi operi malo: impoſſibile enim eſt delectari re aliquâ cui non afficeris; At ſimili rei affici peccatum eſt, ergo.

I. Sed undè ſciam num cogitationi malæ conſenſum præbuero necne; adeoque num ad id confiteri tenear necne?

Diſtinguendi gradus cogitationum.

R. Ad hoc notandi ſunt & accuratè diſtinguendi cogitationum gradus. Nam aliquæ earum (etiam in hac materia) nullâ ratione ſunt peccatum: iſtiuſmodi ſunt cogitationes & imaginationes, ſive repræſentationes quæ ſubitò nobis forinſecus ingeruntur, ſive à ſpiritu immundo, ſive ab aliquo objecto, ſenſibus noſtris expoſito, ſive etiam ab ipſa naturali cauſis commotione.

Primus gradus.

De his cogitationibus (quæ ſunt materia conflictus, victoriæ & meriti) non oportet nos admodum ſollicitos aut inquietos eſſe, quandoquidem ipſi animo nullam inſpergant labem: ſufficit, ſi commendemus nos Domino Deo, & viriliter ejuſmodi ſuggeſtiones, commotiones aut phantaſmata rejiciamus, vel ſi nimis importunæ ſint & frequentes, contemnamus. *Statim ut libido titillaverit ſenſum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem*: Deus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro.

Hiero. epiſt. ad Euſtoch. de cuſtod. Virgin.

I. Ita quidem; verum in dubio hæreo, veritus ne fortè iis conſenſerim?

R. Si iſtiuſmodi cogitationes cum dolore & tædio ſuſtinueris, ſi ad Deum aut Sanctos recurreris; ſi pœnitentiam aliquam ad tentationem propulſandam adhibueris, manifeſtum indicium eſt, quod benè fuerit animus tuus diſpoſitus ad non conſentiendum, & quod revera non conſenſeris.

I. Rurſum dubito, num omnem fecerim diligentiam ad reſiſtendum, vel etiam num vitio meo ejuſmodi cogitationum pericula ultrò non adierim: &c.

R. Si de quapiam dubites, accede Confeſſarium tuum, & quicquid eſt rei expone, ab illo de omni veritate inſtruendus.

Secundus gradus.

Nonnullæ iſtarum cogitationum ulteriùs progrediuntur, & pulſant paululum (quanquam imperfectè, & abſque notabili reflectione ſuper re cogitata) voluntatis noſtræ conſenſum, adeò quod mens

& ra-

Digitized by Google

& ratio noſtra nondum planè excitata, neque ſibi perfectè præſens moram aliquantulam trahat ad iis reſiſtendum: Et in hoc caſu cogitationes libidinoſæ non ſunt plus quàm veniale peccatum, etiamſi materia ex genere ſuo ſit mortalis.

Tertius gradus. Aliæ ſunt acceptatæ & admiſſæ perfecto conſenſu voluntatis ſuperioris, quæ delectatur & ſibi complacet in rebus illicitis, quam is conſentire nollet in executionem actus externi. Vid. S. Aug. l. 12. de civit. c. 12. Tales cogitationes mortales ſunt, ſi materia eſt talis; & ſunt illæ quas moroſas appelamus.

Fundamentum iſtius diſtinctionis cogitationum in tres gradus, invenitur in verbis iſtis S. Jacobi: *Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua.* En primus gradus, qui peccatum non eſt, uti diximus; nam idem S. Apoſtolus pronunciat beatum virum qui ſuffert tentationem. *Ep. c. 1.*

Secundò, *Deinde Concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum*: Veniale nimirùm, quando ſenſualitas ipſa delectatur quidem, ſed abſque plena & abſoluta deliberatione rationalis voluntatis.

Tertiò, *peccatum verò cùm conſummatum fuerit*, per plenam advertentiam, perfectam reflexionem, & omnimodam deliberationem, *generat mortem*, tunc enim eſt peccatum mortale.

Quartus gradus. Quarti tandem generis ſunt cogitationes, illæ quibus reſolvimus, & ſtatuimus exequi rem mortaliter malam. Hæ cogitationes ſunt ejuſdem ſpeciei cum ipſa re quam exequi meditamur, immò unum & idem in individuo peccatum, ſi ſint præambulæ & quaſi continuæ cum actu principali. De his pronuntiavit Dominus, quod *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam jam mœchatus eſt in corde ſuo.* *Matt. 5.*

I Doce modum exprimendi in confeſſione Sacramentali cogitationes malas?

R. Quoad illas quæ ſunt *Primi gradûs*, confitere tali modo: Habui turpes & inhoneſtas cogitationes; illis per Dei gratiam ſciens & volens non inhæſi; immò graves mihi erant & moleſtæ, earumque me tædebat, nihilominùs veritus ne quid minus præſtiterim, & officio meo non ſatisfecerim in repugnando; vel etiam ne occaſionem iis dederim per oſcitantiam, mentis divagationem, aut nimiam ſenſuum libertatem, de iis me quantum poſſum & debeo, accuſo. Nota, poſſunt cogitationes iſtæ omitti in confeſſione, quando certò conſtiterit ad primum gradum pertinuiſſe. Immò timoratis præſtaret eas tacere. *Modus confitendi cogitationes inhoneſtas.*

Quoad ſecundi gradûs. Habui cogitationes inhoneſtas, illis aliquantulum immoratus ſum, abſque tamen plena advertentia; illas non rejeci tanto conatu aut promptitudine quibus oportuit; undè pro modo negligentiæ meæ dico meam culpam, *&c.*

Quoad tertii gradus, Habui cogitationes carnales & obſcœnas in tali, vel tali ſpecie; in illis habui plenam & perfectam complacentiam, cum integra advertentia & hoc toties.

Nota, contra imperitæ multitudinis errorem, nihil referre quod modiciſſimo tempore praxis cogitationibus ſis immoratus, quando perfectus fuit conſenſus. Non enim hic mora temporis conſideratur, ſed mora, quam trahit, etiam minima, mens & ratio in non reſiſtendo, cùm advertit ſe ad id teneri. *Non mora temporis attēditur in hac materia, ſed mora quã ratio admittit in non reſiſtendo.*

Nota etiam conſenſum, de quo in hac materia frequens incidit mentio, nihil eſſe aliud, quam moram illam deliberatæ voluntatis cum perfecta advertentia non interruptam, cùm poſſit & debeat. Quod populo valdè inculcandum eſt, qui perſuadet ſibi nullam aliam cogitationem illicitam eſſe, niſi quæ ad actum exequendum ſe determinaverit. *Conſenſus in cogitationibus moroſis quis ſit.*

Quoad quarti gradûs, Habui illicitas & inhoneſtas cogitationes in tali, vel tali ſpecie; illis voluntariè immoratus ſum cum omnimoda advertentia & conſenſu; imò perverſam meam voluntatem executioni demandaſſem, ſi ſeſe obtuliſſet occaſio,& hoc, ab ultima mea confeſſione, toties.

LECTIO V.

De variis libidinum occaſionibus.

I. SUnt-ne etiam libidinum occaſiones hoc ſexto præcepto prohibitæ?

R. Ita Proportione quâdam, quemadmodum ſuprà præcepto quinto diximus, non ſolùm homicidium prohiberi, ſed quæcumque etiam alia, quæ velut præambula, viam & aditum eidem parant, ita hic prohibentur non tantùm adulteria, fornicationes & quævis aliæ libidines in ſua ſpecie perfectæ, verùm etiam omnes & quæcumque occaſiones ad id quomodolibet inducentes.

I. Quæ ſunt occaſiones iſtæ?

R. *Convivia, crapula & ebrietas.*
Chorea & tripudia,
Impudici aſpectus,
Oſcula & tactus impudici,
Veſtium luxus fucataque larva,
Otium. De quibus ordine dicendum.

De conviviis & ebrietate.

I. Quonam præſertim tempore, vel quâ nam occaſione ad inhoneſta & venerea provocatur, fertur, & inducitur homo, ſive aſpectu alterius ſexûs, ſive ſermone, aut alterius cujuſvis geſticulationis levitate?

R. Sanè in conviviis & inter vina maximè.

Convivia & crapula. I. Ergòne fatendum eſt convivia, intemperantiam, crapulam & ebrietatem caſtitati & pudicitiæ inimica eſſe?

R. Omninò, docet enim Apoſtolus in vino, id eſt, in crapula, & ebrietate luxuriam eſſe. *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria* q.d. Quandoquidem ſtricto & expreſſo mandato prohibuerit Deus luxuriam, cavete vobis ab intemperantia, ſympoſiis & ebrietate quæ ordinariè diſponunt hominem ad venerea; & advertite quod qui effectum vetuit, pariter cauſam vetuiſſe cenſendus ſit. Nihil notius exemplo Loti, qui ebrius geminum cum filiabus commiſit inceſtum. *Exempla. Gen. 19.*

Noë, vir aliàs perfectus, otius nudatus & à filio illuſus eſt.

Baltaſſar Babyloniorum ultimus Monarcha dum laſcivè cum concubinis ebrietatem miſceret, temulentus vidit manum ſcribentem: Mane Thecel, Phares; & eâdem nocte regno & vitâ à Cyro ſpoliatus eſt.

Holoferni, vino ſomnoque ſepulto, à Judith caput reſectum eſt.

Herodes inter pocula, ſaltatricis veſano amore captus, caput præcurſoris Baptiſtæ amputavit, ut meritò Sanctus Baſilius: *Vini fervor corpori infuſus incendium fit ignitorum inimici vinculorum: rationem enim ac mentem deprimit, voluptates & cæteros animi affectus malos velut apum examen excitat; Quis currus equorum indomitorum ita præceps fertur Dominum ſuum excutiens? quod navigium ita gubernatore deſtitutum, ita fluctibus exagitatum & confuſum, quod non ſit ſecurius ebrio?* *Hom. de ebriet.*

Non omittendum hic quod Salomon dixit: *Luxurioſa res vinum & tumultuoſa ebrietas.* *Prov. 20.*

I. Non poſſunt ergò caſti eſſe aut continentes, qui abdomini ſerviunt, & genio indulgent?

R. Ex SS. Patrum ſententia non poſſunt. Sanctus quidem Hieronymus: *Venter*, inquit, *mero æſtuans facilè deſpumat in libidinem.* Et: *Semper ſaturitati juncta eſt laſcivia: vicina ſunt venter & genitalia, ut membrorum ordine eſt ordo* *Ep. ad Euſtoc. 83. ad Ocean. & in c. 1. ad Tit.*

Digitized by Google

do vitiorum. Nunquam ego ebrium, caſtum putabo.

In Epiſtolis.

Et Sanctus Bernardus: *Periclitatur caſtitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam ſæculo.*

I. Quinam potiſſimum debent ſe à menſis & conviviis removere?

Qui potiſſimum conviviis & vino abſtinere debent.

R. Eccleſiaſtici homines maximè. vid. 1.Tim.3. & hujuſce rei figuram in Nadab & Abiu. Levit 10. Hinc. eſt quod Eccleſia, tam ſeriò iis ſobrietatem commendat, in Concil. Lateranenſ ſub. Innoc. III. c. 15.

c. à crapula & ebrietate de vid. & honeſt. cler.

A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant; unde vinum ſibi temperent & ſe vino: nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cùm ebrietas mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum.

1.Tim.5.

Secundò, menſas & convivia fugere debent viduæ, nam *quæ in deliciis eſt (vidua,) vivens mortua eſt.*

Tit.2. *Hiero. ad Euſtoc.*

Tertiò, juvenes & adoleſcentes de quibus idèm Apoſtolus ſcribit ad Titum: *Iuvenes ſimiliter hortare, ut ſobrii ſint.* Vinum enim & adoleſcentia, prima ſunt arma dæmonum, & duplex incendium voluptatis: quid oleum flammæ adjicimus.

I. Cur hi homines ab intemperantia ſibi cavere debent?

R. Ut caſtitatem, ad quam ex voto, vel ex conditione ſtatûs, quem pro tempore obtinent, obligantur, illibatam ſervent.

I. Quânam ratione inſtituebant convivia, potuque & cibo utebantur Sancti?

Exemplū. L.10.confeſſ.c.31.

R. Ecce, quod de ſe confitetur magnus Auguſtinus: reficimus quotidianas ruinas corporis, edendo & bibendo, priuſquam eſcas & ventrem deſtruas, cùm occideris indigentiam meam ſatietate mirificâ, & corruptibile hoc indueris incorruptione ſempiternâ. Nunc autem ſuavis eſt mihi neceſſitas, & adverſus iſtam ſuavitatem pugno ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis, ſæpiùs in ſervitutem redigens corpus meum. *Et infrà:* hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia trâſeo, in ipſo tranſitu inſidiatur mihi laqueus concupiſcentiæ. *Et poſt pauca;* his tentationibus quotidie conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos, quia conſilium mihi de hac re nondum ſtat. Audio vocem jubentis Dei mei: *Non graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Ebrietas longè eſt à me, miſereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſubrepſit ſervo tuo, miſereberis, ut longè fiat à me. Nemo enim poteſt eſſe continens niſi tu des &c. Luc.21.

Quare idem S. Aug Amb. Chryſ. aliique Sancti convivia, licèt invitati, adire noluerunt; domi verò ſuæ convivium & convivas ſacrâ lectione condiebant. Vid. S.Chryſ.hom.32.in Matth. Clem.Alex.2. pædag.cap.1 & 2. S.Paulin.epiſt 31. S Ambroſ.apud. S.Auguſtin l.6.Confeſſ c.2. S. Hieron.epiſt.22. S.Gregor.l.1.epiſt.71 qui omnes egregiè docent qualia & quàm ſobria debent eſſe Chriſtianorum convivia.

Tertullianum hîc præterire non poſſum, qui totum Chriſtiani convivii ritum ita deſcribit: Cæna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim agape, quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine, facere ſumptum: ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus. Nihil utilitatis, nihil immodeſtiæ admittit: non priùs diſcumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur; editur quãtum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam Deum per noctem adorandum. Ita fabulantur, ut qui ſciant Deum audire: æquè oratio convivium dirimit. *Et paulò pòſt:* Convivium etiam

Antiquorum Chriſtianorum convivia

ſo-

ſolemne majores inſtituerunt;idq, Chariſteria appellaverunt,quibus,præter cognatos & affines,nemo interponebatur,ut ſi qua inter neceſſarios quærela eſſet orta, apud ſacra menſæ,& inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis,tolleretur.

I. multane mala ſecum trahit gula & intemperantia?

R. Plurima. Nam per intemperantiam primorum parentum omnia mala in orbem invecta ſunt; & quod ad ſupradicta de in temperantia, caſtitati ſemper infeſta propriùs accedit, S. Auguſtinus: *Adam*, inquit, *nonniſi intemperantiâ provocante Evam cognovit. Quàdiu enim in illis manſit temperata parſitas, manſit & impolluta virginitas: & quamdiu jejunarunt ab interdictis epulis, tamdiu & à pudendis jejunarunt peccatis, fames enim amica virginitatis eſt, inimica laſcivia, ſaturitas verò caſtitatem prodit, nutrit illecebram.*

Ser. 77. de tempore.

Nos infrà in remediis ebriet attingemus aliqua.

Incommoda gulæ & ebrietatis recenſent paſſim SS. Patres Amb. *de Elia & jejunio.* Chryſ. *hom. cont. crap. & ebriet.* Baſil *hom. in ebriet.* Aug. *ſer. 231.* qui *ſerm. 33. ad fratres* narrat quod ſequitur: Filius cujuſdam probi viri nomine Cyrilli in civitate Hipponenſi ebrius patrem trucidavit, propriam matrem jam impiægnatam oppreſſit, ſororem unam violare voluit, duas reliquas diris vulnerum plagis ſauciavit.

Horrendũ ebrietatis exẽplum.

I. Quâ pœnâ mulctabuntur illi qui in hoc ſæculo intemperantiam & ebrietatem ſectati fuerint?

R. Pœnâ divitis epulonis qui defunctus & in inferno ſepultus guttam æquæ non habuit, quia dum viveret, epulans quotidie ſplendidè, micas panis Lazaro negavit.

Ambr. ſup. Luc. c. 16.

I. Punivitne Deus etiam in hoc mundo ebrioſos & ventri addictos?

R. Ita. Vide hiſtoriam Holofernis, Judith. 21. & Regis Balthaſatis, Danielis 5. de quibus ſuprà.

Exempla.

Aliud refero recentioris memoriæ. *In Flandriæ Comitatu Prioratus eſt, nomen loci taceo: tres ibi, nomine tenus, Monachi degebant, re ganeones & concubinarii: ſua cuique erat, nec pudor aderat ſimul belluari & libidinari: quâdam die in ſeram noctem com compotatione protractâ, unus, minùs ſceleroſus: Sat, ait Bacho, libidinique datum, Deo gratias ſaltem agamus. Ego verò, ſubinfert alius procacior, cacodæmoni gratias ago, & agendas cenſeo, cui operamur: & cum riſu menſâ relictâ in lectos ruunt ſinguli cum ſcorto; vix decubuerant, ecce tibi in triclinium, vi januâ reſeratâ, dæmon, magni, atri, & trucis viri ſpecie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli obambulat, & lectos circumſpicit torvo vultu; deindè horrendâ voce: ubi qui mihi gratias egit? Adſum, refert ille. Lecto abſtrahit pavitantem, & fermè præ metu animam afflantem. Traditum cocis; jubet infigi veru, & luculento igne probè aſſari. Parent promptè; aſſatur infelix, emoritur planiſſimè. Aſſi corporis nidore cubiculum impletur. Demùm venator ad ſuperſtites ſub ſtragulis trepidantes vix vivos; digni vos etiam, ait, pari ſupplicio, nec deeſt voluntas mihi. Vetor vi majore. Invitus abeo & moneo; reſipiſcite, aut manent terribiliora. Diſparent larvæ, nec tamen his aliis animus rediit vel vox, niſi clarâ jam luce. Vbi ſurrexêre, collegam inveniunt mortuum & (ne viſum inane putes) aſſum.*

Mart. Del rio to. 2. diſquiſ. magic. l. 4. p. 1. q. 7.

Terribilis in monachos diſſolutos vindicta.

Sedebant viri quidam in taberna honeſti quantum ad ſaculum, & bibebant: & cùm incaluiſſent mero, cœperunt conferre de diverſis ad invicem de immortalitate animæ, & quid futurum ſit poſt hanc vitam. Tunc unus, vaniſſimè, inquit, à clericis iſtis decipimur qui dicunt animas ſine corporibus vivere poſt mortem. Hoc dicto in riſum omnibus concitatis, advenit homo ſtaturâ fortis & magnus, & reſidens cum illis, vinum poſtulat, bibit, quæritque quis ſermo ſit inter eos? De immortalitate animæ, inquit u-

Cantip. l. 2. apum c. 57.

nus;

Digitized by Google

nus, qui vellet meam emere, viliſſimo pretio darem eam, & pretium ejus darem in communi omnibus ad bibendum. Tunc cachinnantibus omnibus, Ille qui ſupervenerat, ſalem, inquit, mercatorem quæro, paratus ſum eam emere, dicito quanti dabis? Et ille elato vultu: tanti, inquit; mox convenientibus eis in pretio, ſolvit emptor ſtatim pecuniam, & iatantibus omnibus biberunt pleno calice non curante ad primum illo, quod animam ſuam vendidiſſet. Veſpere autem facto: tempus eſt, inquit emptor, ut quiſque noſtrum ad propria revertatur. Vos tamen, antequam ſeparemur, date judicium. Si quis equum emerit capiſtri vinculo alligatum, numquid cum equo in jus ementis cederet & capiſtrum? Qui omnes pariter reſponderunt, utique cederet. Nec mora, venditorem quæſtionis & reſponſionis horrore trementem, emptor cum anima & corpore, videntibus omnibus ſurſum levavit in aëra, & ſecum, ut certum eſt, ad inferna pertraxit, diabolus enim erat in hominis ſpecie. Quis enim alius ſe diceret animarum mercatorem, niſi ille, in cujus figura olim ad Abraham dictum eſt: Da mihi animas, cætera tolle tibi?

Gen. 14. I. Eſtne igitur ebrietas grave peccatum?

R. Eſt peccatum mortiferum, ſi voluntaria ſit, & pervenerit uſque ad violentam uſus rationis privationem. Nam Apoſtolus Paulus in ep. ad Gal. connumerat ebrietatem operibus carnis, de quibus ſcribit, quod, *qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

1. Cor. 6. Idem rurſum aliâ ſuâ epiſtolâ inculcat dicens: *Nolite errare, neque fornicarii, &c. neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.*

Cæteræ etiam Scripturæ de ebrietate ſic meminerunt, ut de re Deo exoſa, & in ſuo judicio punienda Prov. 23. Eccleſiaſtici 19. & 31. Iſai. 5. & alibi. Idipſum probatur etiam ex Patribus citatis ſup. qui valdè acriter in ebrietatem velut in vitium deterrimum & graviſſimum invehuntur. In illis lubet audire judicium Eccleſiæ Doctoris longè præſtantiſſimi: Qui ebrietatē exiſtimat non exiguū eſſe peccatum, ſi ſeſe non emendaverit, & pro ipſa gaſtrimargia pœnitentiam non egerit, cum adulteris, & homicidis æterna ſine remedio eum pœna manebit, ſecundùm Paulum: *Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* Et ſubdit Auguſtinus. Et hæc quidem non ſolùm ſæcularibus dicimus, ſed etiam clericis; quia quod pejus eſt, multi ſunt etiam majoris Ordinis clerici, qui cùm aliis ſobrietatis bonum deberent jugiter prædicando inculcare, non ſolùm hoc non faciunt, ſed etiam ſe, alioſque inebriare non erubeſcunt. *Aug. ſerm. 232. de temp.*

Accedit quod ebrietas multa alia ſecum peccata trahat, ut ex ſuperioribus exemplis patuit.

I. Sed quibus ſignis cognoſci poterit an quis fuerit perfectè & uſque ad culpam lethalem ebrius?

Signa ebrietatis. R. *Primò*, quando quis poſtridiè non meminerit quid dixerit, egerit, quomodò domum venerit, aut cubitum conceſſerit, à quo deductus vel adjutus, aliàs autem id probè meminiſſe ſolet, magnum habet ſignum heſternæ ebrietatis. Ratio eſt, quia dum quis ratione utitur, reflectit mentem ſuper ſuos actus, & ita retinet geſtorum memoriam; quod ſi non fecerit, non videtur rationis compos fuiſſe.

Secundò, ſi commiſit, quæ nunquam integrâ mente ſolet: ut ſi locutus aut fecit turpia & abſurda, cùm aliàs ſit caſtus & prudens: ſi juravit, blaſphemavit uxorem & familiam turbavit, cùm aliàs ſit modeſtus & benignus; indicia enim hæc ſunt, rationem & prudentiam fuiſſe conſopitam, & hos inſolitos motus ex nimio potu perturbatâ imaginatione proceſſiſſe.

Tertiò, qui novit diſcernere inter bonum & malum, licitum & illicitum, vitare

Digitized by Google

tare mala ac eligere bona, non videtur eſſe ebrius; etiamſi non poſſit rectà incedere, & omnes domus ei verti videantur: talis enim diſcretio non poteſt cum defectu rationis conſiſtere. Hæc tradit Leſſius l.4.c.3 ſub finem, qui valdè conſideratè dixit inſ. ſigno: *Magnum ſignum habet heſternæ ebrietatis*; & paulò poſt: *Non videtur rationis compos fuiſſe* Nam ſignum iſtud fallit interdum, & quæ ibi dicuntur, accidunt non rarò ei qui mentis compos fuit. Poteſt id probari primò experientiâ. Secundò, oblivio rerum heſternâ luce peractarum, videtur induci poſſe à ſtomacho cibo, potuque, etiam citra ebrietatem, oppleto, denſiorem fumorum nebulam ad cerebrum per noctis quietem tranſmittente, quæ non habent ſui cauſam ſaltem immediatam, ebrietatem; ſed potiùs ſtomachi vitium, copioſiorem illam caliginem efformantis, & ad ſpecierum in cerebro reſidentium perturbationem & confuſionem ſubmittentis, maximè, ſi aliquarum rerum adſit recordatio.

I. Qualiter huic tam turpi vitio curatio adhiberi poteſt?

R. Primò, conſiderari debent multa gravia mala quæ ſecum trahit ebrietas. *Mala ebrietatis.* Nam facultates exhaurit; Prov 21. *Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Secundò corpus fœdum, imbecillum & morbidum efficit, hinc enim eſt oculorum lippitudo, narium coryza, oris graveolentia, anima fœtida, membra tremula; *Vid. Plin. l.14. c.22* Hinc capitis diſtillationes, tuſſes, fœdique ſcreatus. Hinc apoplexia & paralyſis membrorum, articulares morbi. Vid. S. Chryſoſt. *hom. contra crapulam tom 5* Tertiò, ebrietas reddit hominem ad bonum inutilem; nimirùm non ſolùm ad opera pietatis, ſed etiam ad ſtudia litterarum, ad politica, ad mechanica: denique ad omnem vitæ uſum. *Simile.* Corpora noſtra terrena fiunt, eo modo quo ſi pluvia nimium grandis, & diuturna fuerit, terræ infunditur, & hæc in lutum reſolvitur, ut nulla in ea cultura fieri poſſit: ſic & caro noſtra quando abundantiore potu fuerit inebriata, nec ſpiritalem culturam accipere, nec fructus animæ neceſſarios poterit exhibere. Plura vide apud Auguſtinum ſerm. 231. & Chryſoſt. ſup. Hinc Philoſophorum quiſpiam dixit: anima ſicca ſapientiſſima. Quartò homines beſtiis ſimiles, & etiam viliores. Cùm enim cætera animalia ampliùs quàm eis opus eſt, bibere nolint, illi & duplum & triplum, quàm eis expedit, potum accipiunt. Auguſt. Baſil. citati & Chryſoſt. hom 58. in Matth. Quintò, ſecreta prodit. *Nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas*. *Prov. 23.* Vid. Ambroſium l. de Elia & jejunio c.17. Sextò, ad mores abſurdos & gravia crimina excitat. Vid. Hieronymum ſuprà cap 1 ad Tit. & Ambroſ. lib. proximè citat. Iſtius rei ſidem faciunt exempla ſuprà allata. Septimò, difficillimè curatur: ratio eſt, quia vinum corporis habitum immutat, hepar accendit, fauces exſiccat: quo fit ut ſitis bibendo augeatur.

Ebrietatis curandæ modus. Adhibendus igitur erit curationis modus, quem S. Auguſtinus docet ſerm. allegato. Qui ſe de hoc malo deſiderat liberare, quo modo ſibi intervallo dierum potum addendo ad ebrietatis tenebras pervenit; ita paulatim ſubtrahendo ad ſobrietatis lumen redeat. Qui ſi ſimul totum, quod ampliùs accipiebat, ſubtraxerit, ubi nimiâ ſiti cœperit exardeſcere, cum grandi amaritudine clamet & dicat, malle ſe mori, quàm ſibi bibendi & inebriandi conſuetudinem tollere: nec attendit quod tolerabilius eſſet illi carne mori, quàm in anima per ebrietatem interfici. Et ideò ut nec ardorem nimium patiatur, & de tam gravi malo liberetur, per intervalla dierum ſicut diximus, aliquid de nimietate potus ſubtrahat, quouſque ad rationabilem bibendi conſuetudinem redeat.

Deinde ad turpiſſimi vitii curationem non parùm conducet, ſi ad abſurdos & abſonos ebriorum agendi modos attenderimus, qui tantoperè omnibus viſi ſunt,

ut

Digitized by Google

ut non dubitarit S. Chryſoſt. ebrietatem appellare *Commune noſtri generis opprobrium.*

Narrant ſolitos Lacædemones liberis ſuis ebrium de trivio ſcurram exhibere, ut portenti tam ridiculi conſideratione, ebrietatis abominationem conciperent.

LECTIO VI.

De choreis & tripudiis.

I. Eſtne illicitum choreis & tripudiis vacare?

2. Reg. 6. R. Sunt licita aliqua, alia illicita tripudia, vide Armillam verbo *Chorea.*

Propheta David tripudiavit ante arcam Domini. Maria Propheriſſa Soror Aaron ſumpſit tympanum in manu ſua: Egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus procinebat, di-

Exod. 15. cens: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in mare.*

Lib. 1. Reg. c. 8. Cùm reverteretur percuſſo Philiſtæo David, egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſraël cantantes choroſque ducentes in occurſum Saül Regis in tympanis lætitiæ, *&c.*

I. Nunquid poſſent etiamnum chori duci, & fieri tripudia abſque peccato?

R. Procul dubio poſſent, ob honeſtam recreationem abſque periculo laſciviæ aut impudicitiæ: Ita interdum graves & honeſti viri ſaltant & recreant ſe in nuptiis aut amicorum conviviis.

I. Quaſnam igitur choreas cenſes illicitas?

R. Quæ non niſi ex vanitate & ſtultitia fiunt à laſcivis juvenibus & mulierculis, præſertim in locis ſuſpectis.

I. Diſplicentne Domino Deo ejuſmodi choreæ?

R. Ita, multa enim ibi committi ſolent quæ honeſtatem dedecent, & caſtitati adverſantur.

I. Quænam?

R. Vaniloquia, laſcivi aſpectus, petulantes contactus, geſtus incompoſiti, ſermones parum pudici, complexus & oſcula, quæ in talibus circumſtantiis ſunt valdè periculoſa.

In ejuſmodi choreas invehuntur acerrimè SS. Patres. Auguſtin ſup. Pſalm. 32. & ſerm. 231. de temp. S. Ambroſ. l. de Elia & jejunio cap. 18. Chryſoſtom hom. 49. ſupr. Matt.

I. Habeſne exempla quibus laſcivientes, & petulcos juvenes choreis frequentandis deterreas?

R. Habeo. *In Gallia juxtà Laudunum, ſicut à Presbytero villæ percepimus, quidam chorizantes ſaltibus ſuper pontem, diſrupto ſubitò ponte fortiſſimo, in aquis validis totaliter ſunt ſubmerſi.* Exempla. Cantip l. 2. apum c. 1. §. 14. Idem §. 15.

Vidi & ego adhuc puer in choreis procaciſſimam ſaltatricem, quæ me præſente poſt choreas inſolenter cum adultero luctabatur, & cùm ceſſaſſet, ſubitaneâ morte percuſſa miſerabiliter expiravit.

Sub Rodolpho I cùm Trajecti, juvenes, puellæ, viri, & fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, & venerabile Christi Sacramentum deferretur; nec illi proſternerentur intenti vanitatibus, mox ponte decidente, ducenti propè mortales perierunt. Albert. Crantz. l. 8. metrop. c. 29.

I. Eſtne etiam peccatum choreas & chorizantes ſpectare?

R. S. Joan. Chryſoſt. ſup. alleg. reſpondet hoc modo: Etſi fortè contingat neminem in ejuſmodi ſpectaculis moveri ſuperbiâ ob veſtium luxum, aut quâcumque aliâ perverſâ cupiditate titillari: nihilominus quid aliud eſt alienis peccatis ſe immiſcere, quàm ſe eorum participem efficere.

I. Fueruntne aliqui à Deo puniti ob cantilenas chorizantium cum vana complacentia auditas?

R. Legitur de Sorore S. Damiani, quod ob

Matt. Feliſ in Decal. præcep. 3. c. 14

ob delectationem nimiam quam habuit in cantilena ex cubiculo in choreis audita, octodecim diebus punita ſit pœnis Purgatorii, ut ipſa poſteà cuidam ſancto revelavit.

I. Eſtne magnum peccatum diebus Dominicis & Feſtis, tempore Divinorum Officiorum ſaltare & choros ducere?

R. Ita, uti ex ſubjecto patet exemplo:

Exemplū.

In vita S. Eligii Epiſc. Noviomenſi. l. 2. c. 20. apud Sur.

Cùm aliquando dies natalitius B. Petri Apoſtoli haud procul Noviomenſi oppido, in vico quodam celebraretur, B. Eligius illic ſuo more conſtantiſſimè prædicabat Verbum Dei: dicebatque profligandos & exterminandos eſſe cunctos dæmonum ludos, nefandas ſaltationes atque choreas, vanas quoque & impias ſuperſtitiones. Sed ea verba præcipuè ejus loci habitatores indigniſſimè ferebant, quod legitimas, ut ipſi putabant, conſuetudines eorum abolere vellet. Tractarunt tunc quidam impii de nece viro Dei inferendâ, ſi pergeret eorum nugas inſectari. Nihil ille commotus, majore etiam libertate, ut erat Martyrii avidus, objurgationes ſuas redintegravit. Frendebant adverſarii, minaſque identidem ingeminabant. Tum S. Eligius nihil ſe proficere cernens, rei indignitate permotus Dominum Ieſum Chriſtum oravit ut permitteret homines improbos & refractarios à dæmonibus, quorum præceptis petulanter obſequerentur, poſſideri. Dixit, & confeſtim cœperunt homines nefarii à dæmonibus arrepti multis modis debacchari. Multis autem rogantibus ut Deum pro eis deprecaretur: Sinite, ait, re ipſâ experiri illos quibus hactenus morem geſſerint. Atque ita illo anno uſque ad anniverſarium ejus ſolemnitatis diem manſerunt illi obſeſſi à dæmonibus. Ipſa autem ſolemnitate juſſit illos omnes (homines ampliùs quinquaginta) exhiberi palam, porrigenſque aquam benedictam illicò curavit illos; cumque eos probè inſtituiſſet, & graviter objurgaſſet, & ſanos à ſe dimiſit.

I. Quid præſtaret, utrè colum, aratrum ducere, aut quomodolibet aliter operari in die Feſto, an choreas ducere?

R. Præſtaret ſanè totum diem Feſtum labori impendere, quàm ſaltationi aut choriſationi. S. Auguſtinus tract. 3. in Joan. conc. 1. in Pſal. 32. Conc. Tolet. III. cap 23.

I. Nonne viros Eccleſiaſticos imprimis dedecet ſaltatio, & tripudium?

R. Planè, imò vindicta divina aliquando eos inſecuta eſt.

Exemplum. Crantz. l. 10. metrop. c. 23. & l. 10. Saxon. c. 5.

Ludovicus Marchio Miſnenſis, ad Magdeburgenſem Archiepiſcopatum evectus, choreas & carmina non omiſit: Plus in eo valebat patrius mos, quàm Chriſti religio. Ad dies carniſprivii vocavit miniſterialium ſuorum puellas, & matronas in oppidum Calven, ipſeque primus in prætorio ſpatioſo choreis intererat fœminarum reſtim ducens. Die Lunæ ad veſperam apparuit ignis in camera leviſſimus, qui vel à puero reſtingui potuiſſet. Nemo occurrebat, ſed ad gradus feſtinabant univerſi tantâ contentione, ut pondere victa domus, crepitu ingenti edito ſubſideret, & per ſchalas lapideas Archiepiſcopus manu tenens dominam, cum trecentis aliis rueret, & poſterâ die moreretur.

Eccleſiaſticis hominibus nuptialia convivia interdicta. refertur c. Presbyteri d. 34.

Hinc inter convivia quæ Eccleſiaſticis viris vitanda diximus, maximè cenſentur nuptialia. De quibus olim in Concilio Agathenſi ſtatutum hoc emerſit: *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi nuptiarum evitent convivium; nec his cœtibus miſceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obſcæni motus corporum choreis & ſaltationibus exhibentur, ne auditus & viſus ſacris miniſteriis deputati turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur.*

Funeſti chorearū exitus.

I. Numquid funeſti ſæpè exitus comitantur ſaltationes & tripudia?

R. Ita, quemadmodum in ſuperiori exemplo vidiſti, & ex ſequentibus magis patebit.

Exempla.

Sedit populus (Iſraël) *manducare & bibere.*

Digitized by Google

bibere, & ſurrexerunt ludere, ſaltando Exod. 32. ſcilicet, cantando, choros agendo: hos e- Judic. 21. nim deſcendens de monte vidit Moyſes. Quod peccatum fuit maximum, & cauſa tum confractionis tabularum legis, tum internecionis quaſi viginti millium hominum. *Filii Benjamin cùm vidiſſent filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exierunt repentè de vineis, in quibus latitabant, & juxta numerum ſuum rapuerunt ſibi de his, qua ducebant choros, uxores ſingulas.*

Matt. 14. & Marc. 6. *Die natali Herodis ſaltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vndè cum juramento pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo, at illa pramonita à matre ſua, da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſta, & contriſtatus eſt Rex: propter jusjurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore pracepit afferri caput in diſco.* L. 3. de virgin. ſubivit. Nimirùm (ut S. Ambroſius ait) *pramium ſaltatricis mors eſt Propheta.*

I. Qui in choris ſaltantium alienâ veſte utuntur, putà, viri fœmineâ, fœminæ virili ſexum mentientes, peccantne graviter?

R. Sæpenumero datur hac ratione occaſio occulta libidinis & aliis vitiis. *Mulier* (ait Herodot.) *cum veſte ſimul etiam* Deut. 22. *pudorem exuit*. Et prohibitum eſt in Lege: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœmineâ, abominabilis enim apud Deum eſt qui facit hac.* Non tamen videtur eſſe peccatum mortale ſi vir & fœmina veſtes ſexus commutent ex levitate, ſi abſit ſcandalum, aut intentio; periculumque libidinis, ut do- S. Thom. & Cajet. & ex iis Navar. Enchir. c. 23. num. 21. vid. Concilium Gangrenſe c. 83.

Exemplum. I. Qui pro amore Dei choreas in hoc mundo contempſerint, mercedemnè in cœlo accipient?

R. Ita. *Virginem quandam nobilem choreas miro deligentem affectu interrogabat quidam Frater Pradicator dicens: ſi daretur tibi optio pro carentia gaudii unius diei integro anno frui delitiis: vel pro anno evitata chorea tota vita voluptatibus potiri, quidnam eligeres? qua reſpondente: libenter carerem unius diei,* Ioan. junior in ſcala cali. *imo anni vanitatibus, pro totius vita comparandis delitiis, ſubjunxit Pradicator: vis ergò amorem hujus tranſitorii ſaculi deſpicere, ut cum Chriſto, B. Virgine & omnibus Sanctis poſſis gaudiis cali perenniter perfrui; qua poſt aliquantam ſilentii moram reſpondit: oſtendite mihi quod in calo chorea ducatur, & faciam quod ſuadetis. Cui Pater Pradicator ad iſtius probationem aliqua Scriptura loca exhibuit, illique probabilem adjecit rationem dicens: beatitudo Sanctorum eſt omnium deſiderabilium copia & fruitio; ſi igitur delectaret Sanctos in cœlis choreas ducere, & ibi non eſſent, ſine dubio non eſſent plenè & perfectè beati. His illa auditis reſpondit ſe ad honorem Dei & ſanctiſſima Virginis Maria choreis & aliis hujus mundi illecebris libenter cara turam. Paucis poſt annis feliciter mortua eſt, ejuſque anima à ſanctiſſima Dei Matre & Virginum choris in cœlum deducta, ubi choreis & omni voluptate perfruitur in ſempiternum.*

LECTIO VII.

De impudicis aſpectibus.

I. EStne peccatum in materia luxuriæ, ſi vir reſpiciat fœminam in facie, aut fœmina virum?

R. Minimè. Nec enim ſimpliciter dicit Salvator noſter: *Qui viderit mulierem jam mœchatus eſt in corde ſuo*; ſed *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*. Adeò quod non aſpectus ipſe, ſed affectus qui ex aſpectu naſcitur, hic prohibeatur, uti docet S. Ambroſius epiſt. 118 dixi, *qui ex aſpectu naſcitur*, hinc S. Hom. 14. Baſilius fatetur aſpectum ipſum ſine periculo non eſſe, quando ad alium ſexum fertur.

Digitized by Google

Epiſt.127. I. Quid igitur agendum in converſatione hujus ſæculi, ſi aſpectus ipſe alterius ſexus non vacat periculo?

R. *Oculi veſtri* (inquit S. Auguſt.) *etſi jaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nulla. Neque enim quando proceditis, fœminas prohibemini videre, ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tactu & affectu, ſed aſpectu quoque appetitur, & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; quia oculus impudicus, impudici cordis eſt nuntius Et cùm ſe invicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in ſe diligit fixum, ab aliquo ſe non videri cùm hoc fecerit; videtur omninò, & à quibus ſe non videri arbitratur Sed etſi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo ſuperno inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideò putandus eſt non videre, quia tantò videt patientius, quantò ſapientius? Illi ergò vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœmina malè placere, &c.*

B. Auguſtini ſanum conſilium de aſpectu mulierum.

I. Eſtne periculoſum adeoque illicitum fixo & curioſo obtutu in alterum ſexum intendere?

R. Si ulterius non abripiatur intentio, quàm ut curioſo iſto aſpectu paſcatur, non eſt ibi plus mali, quàm ſoleant inveniri in actione otioſa, quæ nullum ſibi inhoneſtum finem præfigit: Nihilominùs non vacant ejuſmodi aſpectus magno periculo, attenta præſertim perſonarum conditione, earumque diſpoſitione, loco, tempore, &c. Hinc fit quod adoleſcentium & juvenum aſpectus in ſpecioſas fœminas directus, & infixus, maximè ſi ſolus cum ſola in cubiculo aut triclinio poſt menſam verſetur, certiſſimum periculum habeat Nam tales aſpectus efficiunt, ut phantaſia cum otio apprehendat perſonam viſam non tantùm ut ipſo intuitu pulchram, ſed etiam ut tactu delectabilem; ex qua imaginatione naturaliter ſequitur in affectu complacentia & delectatio: in ſanguine commotio, & hinc conſequenter in membris rebellio. En quò diſcriminis incautos animos vocat malè cuſtoditus oculus, ut meritò dixerit Eccleſiaſticus: *Nequius oculo quid creatum eſt?* Accedit quod humani generis hoſtis ſuas hîc partes agat, phantaſiam ſpeciebus rei viſæ replendo, quæ ſenſum affectum alliciunt, naturamque commovent. C. 31.

I. Sapitne modeſtiam vel honeſtatem quod filiæ plateas pompaticè obambulent compoſitæ & circumornatæ ut ſimilitudo templi?

R. Sanè Dominus noſter apud Marcum refert ejuſmodi oculorum & aſpectus impudentiam ad ea quæ hominem commaculant ſive coinquinant, & de corde impuro procedunt. De ſimilibus conqueritur Iſaias: *Filiæ Sion ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & compoſito gradu incedebant.* Rectè ſanctus Baſilius haſce fœminas comparat baſiliſco; quia utraque ſuo aſpectu viros inficit & necat. Vid. S. Chryſoſtomum hom. 27. in Matthæum. C. 7. Iſai. 3.

I. Quid ex ſimili inceſſu poteſt conjici?

R. Nihil aliud quàm quod Eccleſiaſticus dicit: *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoſcetur* q. d. Impudicitia cordis mulieris fornicariæ ſe prodit oculis, palpebris & vultu, ſi eos attollat, iiſque inverecundè circumſpiciat & vagetur; tum quia elati oculi ſignum ſunt elati, ideoque impudici cordis: ſuperbia enim eſt mater impudicitiæ, ſicut humilitas pudicitiæ. Tum quia vagi oculi ſignificant vagos amores, & concupiſcentias mentis, juxtà illud Poëtæ: *Oculi ſunt in amore duces.* Quæ cauſa fuit cur Legiſlator Seleucus ſanxerit adulterorum oculos exucu- C. 26. Proper. l. 2. eleg. 15.

Digitized by Google

ruendos, teſte Ælian l. 13. variæ. hiſt. c. 14. Vid. S. Greg. l. 21 moral. c. 2. & S. Baſil. l. de virginit.

I. Si tanta nobis ab oculis clades, præſtaret ergò utroque orbum eſſe oculo, quàm videntem?

Apologet. c. 48. R. Ita quidem ſentiebat Democritus, uti refert Tertul. & ſibi ipſi oculos eruit, quod diceret ſe mulierem abſque concupiſcentia intueri non poſſe. Ridet hoc Tertul. dicitque Chriſtianum cum Dei adjutorio poſſe fœminas videre oculis, eorum uſu, quoad concupiſcentiam frænato.

I. Nunquid Philoſophus iſte faciebat ad litteram quod Salvator noſter docuit

Matt. 5. in Evangelio: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & projice abs te?*

R. Nihilominus. Debet enim textus ille etiam quoad litteram intelligi figuratè non de ipſo oculo, ſed de pravo ejus uſu, qui animæ fornicationis periculum

Prat. ſpirit. c. 60. creat. Sapientius egit ſanctimonialis quædam de qua Sophronius, ab adoleſcente adamata, quæ, cùm eam ille ubique proſequeretur, rogavit quid illi tantoperè in ſe placeret, cumque adoleſcens reſponderet: Oculi; illi enim, inquit, ſeduxerunt me; mox illa cultro effodit ſibi oculos, ne ampliùs eſſent ipſi ſcandalo: q. d. accipe quod amaſti, & me proſequi deſine; compunctus ille animum & vitam in melius commutavit. In textu ergò illo Matthæi reſpicit Chriſtus ad concupiſcentiam viſus, de qua dixit: *Si quis viderit mulierem, &c.* occurritque tacitæ objectioni huic; Si oculus eſt mœchus, quid ergò cum illo agendum eſt? Eſt ergò hic parabola & metaphora petita à Chirurgo, q. d. Sicut læſi curant ut chirurgus membrum etiam nobiliſſimum v. g. oculum aut manum dextram abſcindat, ſi inde totius corporis ſalus pendeat; ita vos moneo quodvis potius damnum ſubire, quàm culpam, aut quicquid eſt vobis offendiculo, licèt tam charum ſit, & neceſſarium quàm manus dextra aut oculus, id tamen rejecetis & abjiciatis etiamſi cum dolore magno, v. g. aſpectum, familiaritatem, ſocietatem etiam cognatarum, uxoris, filiorum, &c.

Intellectus textus Evangelici de eruendo oculo.

I. Habueruntne ſancti magnam rationem oculorum & aſpectus?

R. Ita. Sanctiſſimus Job: *Pepigi*: ait, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Subdit: *Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis.* Job. 31.

Sancti magnam habuerint oculorum rationem.

De B. Hugone Gratianopolit. legimus cùm per quinquaginta duos annos fuiſſet iſtius urbis Epiſcopus, ac ordinariè matronarum confeſſiones etiam crebrius confitentium exciperet, nullam tamen ex facie, ſed aliquas ex voce duntaxat agnoviſſe. Adeò erat continens, & exactus oculorum cuſtos. S. Thomas de Aquino etſi caſtitatis cingulo ad lumbos per Angelum præcinctus, maximam tamen oculorum ſuorum rationem ſemper habuit, illoſque à fœminis velut à colubris diligentiſſimè avertit, ſolitus dicere: Quando ipſi agimus quod in nobis eſt Deus gratia ſua nos protegit; ſi verò diſcrimini nos ultrò exponimus, permittet nos in illud corruere. Exempla.

Valdè mirum eſt quod de Alphonſo Rodriguez Societatis IESV coadjutore memoria proditum eſt, totos quadraginta annos fœminas nunquam in facie aſpexiſſe, cum famoſiſſimi collegii janitorem ageret.

I. Malene ceſſit iis qui oculos malè cuſtodierunt?

R. Peſſimè. *David ſurgens de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambulans in ſolario domus regiæ, vidit mulierem ſe lavantem ex adverſo ſuper ſolarium ſuum, miſſiſque nuntiis tulit eam & dormivit cum ea.* Exemplum. 2. Reg. 11.

I. Suntne aſpectus deteriores iis de quibus hactenus?

R. Omninò. Nam ſi aſpectus (ex curioſitate) fiat in partibus inhoneſtis circa alterum ſexum, non poteſt excuſari à peccato mortali quia eſt res valdè fœda,

Digitized by Google

fœda, contta natutalem honeſtatem, & valdè ad libidinem provocans. Vide exemplum duorum ſenum Judicum. Dan 13.

Si autem ejuſmodi aſpectus circa eundem ſexum vel circa ſeipſum fiat, valdè etiam repugnat ingenuo pudori; adeò quod primi parentes ſtatim poſt tranſgreſſionem non ſint paſſi ſe nudos videri, ut ait S. Autoninſ ſuprà in marg. cit. & plerumque naturam excitat, ut proindè gravi culpâ non vacet.

LECTIO VIII.

De oſculis & inhoneſtis contactibus.

S.Th.2. 2. q.4 154.a. 4.c.

Oſcula aliqua licita.

I. AN oſcula ſint licita?

R. Oſculum causâ amicitiæ ſecundùm conſuetudinem patriæ, per ſe licitum eſt. Nam tale oſculum non eſt aliud quàm teſtari ſigno externo benevolentiam & unionem animorum fundatam in conjunctione ſanguinis, vel profeſſionis; ut olim inter Chriſtianos; vel in aliqua alia cauſa honeſta, undè etiam delectatio, hinc conſequens, licita eſt. *Salutate invicem*, (ſcribebat Paulus) *in oſculo ſancto.*

Rom.16. & 1.Cor. 13.

Si verò oſculum fiat cauſa delectationis ſenſualis extra matrimonium, eſt illicitum & periculoſum; etiamſi qui illud figit, non intendat ulteriorem voluptatem, quàm quæ præcisè ex ipſo oſculo naſcitur, & ſeponat periculum conſenſûs & ulterioris conſensûs. Ratio eſt, quia per oſculum tale repræſentatur propinquus ipſe concubitus, & contactus qui per oſculum fit, corpus magis commovet, & ad ſeminationem ſpiritûs concitat quàm aſpectus. Atqui, ſi tantam vim habet aſpectus ad commovendum homines ad libidinem, ut ſuprà notavimus; quantò majorem habebunt oſcula, quæ opus ipſum illicitum multò expreſſiùs repræſentant imaginationi tanquam præſens, illudque per conjunctionem genarum & faciei quodammodò inchoant.

Oſculum periculoſum & illicitum.

I. Habeſne exemplum alicujus ſancti qui numquam voluit oſculum admittere?

Exem;lū.

R. *Euſebius Vercellenſis temporibus Diocletiani & Maximiani adhuc catechumenus, parvus cum parentibus Romam venit, & ab Euſebio Papa baptiſma & nomen accepit Papa verò Euſebius ab Angelo, antequam eum baptizaret, qualis & quantus vir exiſteret instructus eſt, & quo eum nomine vocaret. In ipſo ejus baptiſmo manus angelicæ viſæ ſunt, quæ eum de ſacro fonte levaverunt. Virgo ſemper manſit, nullamque fœminam poſt baptiſmum, nec etiam matrem oſculando tetigit, non deſpiciendo matrem, ſed culpam fugiendo. Cùm autem matrona quædam nobilis ejus pulchritudine capta vellet ejus cubiculum adire, tota nocte plateas urbis circuivit, & ad ejus cubiculum cuſtodientibus Angelis pervenire non potuit: undè in craſtinum compuncta ad pedes ejus provolvitur, & veniam petens, quod cogitaverat crimen fatetur.*

S. Antonin. 2 p. hiſtor. tit. 10.c.1.§.2.

I. Quid de cæteris contactibus?

R. Quoad illos qui fiunt ad manus, ad genas, & alias partes honeſtas à perſonis matrimonio ſolutis, pari ferè modo dicendum quo proximè de oſculis diximus. Apoſtoli pronunciatum eſt: *Bonum eſt mulierem non tangere.* De quo verbo dixit ſenior quidam: filioli, ſal ex aqua eſt, &, ſi appropinquaverit aquæ, continuò ſolvitur & deficit. Similiter vir ex muliere eſt; ſi appropinquat mulieri, ſolvitur & ipſe.

1.Cor. 7. *Prat. ſpir. c.217.*

Alius Pater ſic diſcipulos ſuos docuit: Pluvia bona eſt, & terra bona; tamen ex eorum commixtione fit lutum, quo cæteræ res fœdantur. Sic & manus viri, licet bona fuerit, ac ſimiliter mulieris, ex mixtione tamen illarum nonnunquam cogitatio vel affectio mala conſurgit. Nempè, qui tangit picem inquinatur ab ea.

Quoad alios verò contactus partium verendarum, ſi fiant cauſa voluptatis ejus quæ præcisè ex ipſo contactu naſcitur, eſt peccatum mortiferum, etiamſi

deſit

deſit ulterior intentio. Ita S. Thom. & Cajetan 2. 2. q. 154 art. 4 Nav. in Ench r. c. 16. nu 13. Vid. Apoſtolum ad Gal. 5. ibi *Manifeſta ſunt opera carnis, &c.* ubi, impudicitia, quæ propriè conſiſtit in turpibus contactibus, ponitur inter peccata quæ excludunt à regno Dei. De his valdè ſeriò loquitur S. Cypr. *Certè ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio & oſculatio, & conjacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis complectitur?*

Ep. 62. ad Pompon.

I. Sed quæ eſt aſſertionis tuæ ratio?

R. Quia ejuſmodi contactus per ſe & proximè ad voluptatem reſolutionis ſeminis diſponunt, & hæc ordinariè ex illis ſequitur, ut Doctores tradunt; ergò pertinent ad eandem ſpeciem mortalem tanquam occaſio & cauſa propinqua. Hinc S. Baſilius monet: *Tactum verò ut ſenſuum omnium pernicioſiſſimum, & ſuaviſſimè blandientem ſenſuſque reliquos in ſuas illecebras pellicientem, immaculatum quam maxima poterit cura ſervabit.* Loquitur de Virgine.

L. de vera virgin.

I. Non poteſt ergò admitti contactus ille cauſa medicandi?

R. Si contactus partium verendarum fiat cauſâ medicandi, vel alia, quæ cenſeatur neceſſaria aut juſta, nullum eſt peccatum, ex communi Doctorum ſententia, talis enim contactus eſt honeſtus moraliter, quia conſentaneus rectæ rationi.

LECTIO IX.

De immoderato cultu & ornatu fœminarum in veſtibus & aliis.

I. PEccantne graviter fœminæ in exceſſu ornatus?

R. Non deſunt graves Doctores, qui exiſtiment exceſſum fœminarum per pigmenta & comam appoſitiam, per intortos capillos, per pectoris nuditatem, per ornamenta aurea & gemmata, per novas veſtium formas, præſertim ſi his utantur ſupra ſtatum, vel præter receptam conſuetudinem eſſe peccatum mortale. *Primò*, propter ſcandalum, quia talis ornatus allicit intuentes ad libidinem, & irritatum concupiſcentiam. *Secundò*, quia adulterant opus Dei, & illud emendare volunt, quod in injuriam cedit auctoris. *Tertiò*, quia Scriptura & Patres hunc exceſſum graviter reprehendunt. 1. *Petr.* 3. 1. *Timot*: 2. *Iſai.* 3. *Vid. S. Baſil ſerm. in divites avaros Cypr. l. de diſcipl. & habit. Virg. Tertul. l. de habitu fœminarum & cultu mulierum. Nazianz. adverſ. mulieres ambitiosè ſe ornantes. Ambr. exhort. ad Virgines & alios.*

Sed communior DD. ſententia eſt contraria. *S. Thoma, & Cajet. in Comment. Silv. verbo ornatus. q. 4. Roſel nu. 12. Fumi n 1. Nav. c. 23. nu. 18.* qui exceſſum in hoc ornatu cenſent per ſe non eſſe peccatum mortale, ſed ſolùm veniale. Dico (per ſe) quia per accidens ratione alicujus malitiæ extrinſecæ poteſt eſſe grave peccatum.

I. Quid vocas *malitiam aliquam extrinſecam? Primò*, malum finem & pravam intentionem, ut ſi fiat animo pertrahendi ad libidinem? *Secundò*, ſi talis exceſſus eſſet aliquâ lege vetitus ſub gravi pœna v. g. excommunicationis, eaque ſervaretur. *Tertiò*, ratione contemptus proximi, ut ſi quis ita propter ornatum ſe extollat, ut proximos deſpiciat, vel affectu ornatus, proximi ſalutem nihili pendat, non curans an ſcandalizetur an non. *Quartò*, ratione affectus; ut ſi ornatus eſſet illi cauſa furandi, non ſolvendi debita, non dandi eleëmoſynam, quando ſub peccato mortali tenetur. *Quintò*, ratione affectus, ſi mirùm ita afficiatur ornatui, ut in eo ultimum finem collocet: ſive ut paratus ſit propterea mortiferè peccare.

I. Sed quomodo ſolvis argumenta contrariæ ſententiæ?

Reſpondetur argumentis

R. *Ad Primum*, dico quando aliquid non eſt per ſe malum, ſed indifferens, exceſſus in appetitu vel uſu illius (ſepoſitâ

Digitized by Google

omni alia malitia extrinſeca, quam hic *contraria ſententia.* ſepoſitam volumus) non eſt niſi peccatum veniale, ut patet in appetitu, vel uſu divitiarum, honorum, voluptatum. Atqui eſſe pulchrum, lautum, ſplendidum in cultu corporis, per ſe non eſt malum, ſed indifferens; ergò inordinatio quæ eſt in nudo exceſſu iſtorum non eſt mortifera, ſed pertinet ad quotidiana peccata, quæ homines in amandis, utendiſque temporalibus, plerumque ſolent committere: difficile enim eſt in hujuſmodi, rationis menſuram ſervare. Nec magis urget quod dicitur de nudatione *Cajetanus, Fummus & Nav. ſup.* pectoris; præſertim ubi ea eſt conſuetudo: nam pars illa honeſta cenſetur, nec natura, aut pudor humanus poſtulat illam abſolutè tegi. Neque etiam debet ex eo cenſeri ejuſmodi ornatus vel denudatio ſcandaloſa, quod multi occaſione illius putentur ad prava deſideria provocandi, ut rectè Doctores tradunt: alioquin pulchritudo naturalis etiam partium quas vulgò expoſitas ipſa natura voluit, ſcandaloſa eſſet, cùm non minùs illa homines malè diſpoſitos provocet ad prava deſideria, quàm cæteræ adſcititiæ. Itaque etiamſi fœmina putet aliquos peccaturos, non tamen ideircò ſub peccato mortali tenetur talem ornatum dimittere, ſicut is qui à multis odio habetur, non tenetur à publico abſtinere, ut inimicis non detur occaſio odii. Ratio eſt, quia ornatus iſte ſolùm remotè ad malum provocat: ergò non tenetur ab eo abſtinere, ne alii peccent: alioqui perpetuò abſtinere deberet (cum illa occaſio ſit perpetua & univerſalis) quod nimis grave eſſet humanæ conditioni. Sufficit igitur ut ei peccatum proximi diſpliceat, & illius ſalutem non contemnat. Confirmari poteſt, quia quod illi peccent, ex eorum provenit malitia, non ex conditione ornatus: ſicut enim circa hanc peccant, ita etiam circa alias eximiæ pulchritudinis: atqui id quod ex aliorum malitia provenit, non tenemur cum tanto gravamine noſtro impedire.

Nota tamen, grave peccatum eſſe hujuſmodi morem inſoliti veſtitus aut denudationis pectoris introducere, ubi id non eſt conſuetum; inſolita enim magis movent: & res ipſa etiam ubi eſt recepta, ob periculum libidinis, tanquam illicitum, eſſet abroganda, uti DD. monent. *Graviter peccant fœminæ novitates inſoliti cultus introducentes.*

Ad ſecundum. Non propriè dicitur adulterare opus Dei, qui fucos & pigmenta adhibet, quia non facit illud deterius, ſed ſolùm facit videri pulchrius. Neque id facit intentione emendandæ artis divinæ, vel operis Dei, quà Dei eſt, ſed ſupplendi defectus naturæ, vel juvandi opus naturæ, quà naturæ eſt. Poteſt enim natura per artem juvari. *Ad tertium.* Scripturæ illæ, vel continent exhortationem, cùm nullum verbum præceptivum habeant; vel, ſi continent præceptum, agitur de illis quæ ſe ornabant, ut aliis placerent, ut notat S. Thom. ex Gloſſa: vel certè propter ædificationem Ethnicorum expediebat illo tempore præcipi. Patres verò & ſpeciatim S. Cypr. loquuntur de illis quæ ornabant ſe propter laſciviam, vel in contemptum Dei, ut S. Thom. ad 2. ait; vel quæ id faciebant eum contemptu ſalutis proximi. Addo, illis temporibus propter exemplum Ethnicorum, hujuſmodi moderationem fuiſſe magis neceſſariam, ideoque potuiſſe ab Eccleſiæ Prælatis præcipi, & lege ſtatui.

Hæc paulò fuſiùs à me notata ſunt ex doctiſſimo noſtri temporis Theologo *L. 4. in fin.* R. P. Leonardo Leſſio, ut ſciant Paſtores noſtri quomodo ſe in hac materia habere debeant. Etſi enim omnes ſint hortandi ad moderandum cultum corporis, totumque externum apparatum, juxta ſui ſtatùs conditionem; non tamen aliquis cogendus eſt ſuperfluum ornatum deponere, denegatâ ei abſolutione; niſi conſtet aliundè connexum eſſe peccatum mortale: quod ex ſuprà dictis judicandum eſt.

I. Negari tamen non poteſt, fœmi-

nas

Digitized by Google

eas multum temporis in ſui cultum & immoderatum ornatum inutiliter conferre?

Exemplum.

R. Id verum eſt, & Sanctis olim lachrymas elicuit. B. Nonnus Epiſcopus videns Pelagiam tanto veſtium luxu, & pompâ totius urbis oculos ad ſe rapientem & illicientem, ubertim flevit: rogatus cauſam dixit; duæ res ſunt quæ movent; una quidem hujus mulieris perditio: altera, quod ego qui nomen Chriſtianum profiteor, non tantùm ſtudeo placere Deo vitæ innocentia, quantùm hæc mulier turpibus placere cupit hominibus. Verùm orans pro ea, & concionans ita pupugit cor ejus, ut ex ea alteram Magdalenam effecerit, videlicet Pelagiam pœnitentem. Ejus vitam & actus mirabiles conſcripſit magnâ fide oculatus teſtis Jacobus Diaconus ejuſdem Nonni.

In vita ejus apud Sur. 8. Octob.

I. Conſuluntne honori ſuo fœminæ pompatico iſto faſtu?

R. Minimè. Nam, ut quod ſint caſtæ, vix creditur. Hinc Claudia veſtalis occaſionem iſtis Verſibus dedit:

Caſta quidem, ſed non eſt credita; rumor iniquus
Læſerat, & falſi criminis acta rea eſt.
Cultus, & ornatos variè fudiſſe capillos
Obfuit, ad rigidos linguaque prompta ſenes.

Ovid. 4. faſt.

Et verò magnam eſſe diſſonantiam ſuperbiæ cum caſtitate, dicemus infrà lect. 12.

Audi modò quid S. Cypr. l. de habitu virginum dicat: *Ornamentorum ac veſtium inſignia, & lenocinia fucorum non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt.*

Quid, quod Tertul. mulieres comptas vocat *infeliciſſimas publicarum libidinum victimas*?

I. Punivitne Deus aliquando luxum & pompam fœminarum?

Luxus & ornatus fœminarū maximè

R. Ita, vide horribilia exempla ſup. c. 5. l. 2.

I. Quo in loco potiſſimum luxus hic & ornatus fœminas dedecet?

dedecet in templo.

R. In templo, ubi Apoſtolus vult *mulierem obtectam orare propter Angelos.* Angeli enim templum oberrant & ſingulorum habitum, geſtus & vota explorant. Undè quàm dedeceat mulieres pompaticè & immodeſtè ornatas orationis gratiâ templum adire docet S. Chryſoſtomus: *An ſaltatura*, inquit, *ad Eccleſiam pergis? numquid hic nuptias & laſciviæ oblectamenta conquiris? num, ut tui ſpectaculum præbeas veniſti? num tibi nunc inſtruendus eſt thalamus? Non iſte eſt ſupplicis habitus; acceſſiſti ut Deum pro peccatis tuis depreceris, ut cum gemitu & lachrymis veniam petas: quid teipſam ornare improbe & intempeſtivo ſtudio contendis?* Quod ſi theatralis ille & obſcænus habitus in templo oraturas dedecet, quid de percepturis Sacramenta pœnitentiæ, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ dicemus? Audi, de hac re quid cenſuerit S. Carolus Borromæus: *Itaque mulierum earum confeſſiones non audiantur, quæ ceruſſatæ veniunt, quæ fucis utuntur, quæ faciem ſtibiis depingunt, quæ ex auribus monilia geſtant, quæ levibus & vanis ornamentis, quæ pannis aureis, aliiſve ſimilibus laſciviis comptæ accedunt; & ut ſemel omnia dicam, quæ veſtes modeſtas non habent, nec ſimplici cultu incedunt, &c. Sic enim hujus Sacramenti reverentiam decet, & ita prorſus cognitioni peccatorum, & de iis dolori intimo conſentaneum eſt, cùm ſcilicet cogitare debeant quod ante tribunal & judicium Domini Dei ſui ſeſe ſiſtant, ac quaſi peccatrices miſericordiam & veniam ſuppliciter de iis imploraturæ veniant.*

1. Cor. 11.

Comment. in ep. 1. ad Timot. c. 2.

S. Carolus Borromæus ſtuduit abolere ejuſmodi faſtus. In inſtit. paſtoral. p. 2. c. 14.

Idem fuit judicium S. Domini noſtri Urbani VIII. P. qui per Provinciarum Belgii ordinarios decretum fieri mandavit omnibus Superioribus Eccleſiaſticis tam ſæcularibus quàm regularibus, occaſione *Quod non ſine Divinæ Majeſtatis gravi offenſa, tolerari diutius*

Et S. D. N. Urbanus Papa VIII.

poſſit mulierum nonnullarum his in partibus nimius faſtus & luxus, dum immemores quod in Eccleſiis Apoſtolus iis injunxit, non verentur immodeſto & procaci habitu, pectore nudato, coma frontem genaſque circumcingente, pravis item nigris cataplaſmatibus, quæ muſcas appellant, faciei & pectori applicatis, cum graviſſimo ſcandalo ſeſe in Eccleſiis exhibere, & ſic etiam accedere ad tremenda myſteria Corporis & Sanguinis Chriſti, necnon ad Confeſſionem ſacramentalem, omiſſis in ea cancellis inverecundè ante faciem Confeſſarii abſque repagulo & debito interſtitio provoluta.

Quod quidem mandatum à Perilluſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino meo Namurcenſi Epiſcopo pro ſua Diœceſi factum eſt in hunc modum qui ſequitur: [*Nos Engelbertus des Bois Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Namurcenſis, omnes Eccleſiarum, Capitularium, Monaſteriorum aliorumque locorum, Parochiarum Diœceſis noſtræ Superiores Eccleſiaſticos tam ſæculares quàm regulares, etiam exemptos, ſeriò hortamur, eiſque auctoritate Apoſtolica mandamus, ut omnes ejuſmodi abuſus non tantùm vitent, ſed etiam quantùm fieri poterit, impediant, non admittendo mulieres ad menſam ſacram, neque ad confeſſionalia, ſed neque ſi fieri poſſit, ad Eccleſias, niſi habitu & tota compoſitione corporis modeſta, & congrua. Nullo modo etiam ipſæ admittantur ad confitendum peccata ſua quàm genuflexæ interpoſitis cancellis, niſi opus ſit eas propter infirmitatem extra templa audire.*

I. Debentne mulieres quæ in juventute modum exceſſerunt in cultu & ornatu corporis, iſtius agere pœnitentiam?

Exemplum. R. Ita, ad exemplum S. Pelagiæ ſuprà, & S. Paulæ de qua ſcribit ſanctus Hieronymus in epitaphio, quod peccata levia ita plangebat, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream. Cumque à nobis crebriùs moneretur, ut parceret oculis & eos ſervaret Evangelicæ lectioni, ajebat: *Turpanda eſt facies quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibio ſæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu: mollia linteamina & ſerica pretioſiſſima aſperitate cilicii commutanda. Quæ viro & ſæculo placui, nunc Chriſto placere deſidero.*

I. Horrueruntne Sancti mollitiem veſtium?

R. Ita. *Sanctus Franciſcus, veſtis horrebat mollitiem, aſperitatem amabat, aſſerens propter hoc Ioannem Baptiſtam ore divino fuiſſe laudatum, ſi quando verò in data ſibi tunica lenitatem ſentiret, chordulis eam texebat interius, quia non in caſulis pauperum, ſed in palatiis Principum, dicebat veſtium requirendam eſſe mollitiem.* Addebat: *Dæmones aſperitate terreri, mollitie invitari.* *Exemplum.* *S. Bonav. in vita ejus.*

I. Nonne etiam fœminæ docuerunt ſuo exemplo ornatum hujus ſæculi contemnere?

R. Ita S. Franciſca Romana in id maximâ ſollicitudine incumbebat, ut matronas Romanas à pompis ſæculi & ornatus vanitate revocaret. Quapropter domum oblatarum ſub regula S. Benedicti congregationis montis Oliveti adhuc viro ligata in urbe inſtituit. *Exempl.*

LECTIO X.

De otio, ejuſque fuga.

I. EStne enim otium occaſio quædam libidinis?

R. Ita, ſic enim loquitur Spiritus Domini per Prophetam; *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus.*] *Ezech. 16.*

I. Qui fit quod per otium præbeamus occaſionem libidini?

R. Ejus ratio eſt, quia non poteſt animus noſter ullo modo manere otioſus.

Si

Si illum circa res honeſtas non occupaveris, defluet nullo negotio ad res illicitas, vanas; & inhoneſtas. Adeò verum eſt, quod *homines nihil agendo malè agere diſcunt*. Hanc rationem dat Sanctus Chryſoſtomus: Sicut, inquit, terrâ non occupata ſemente, aut conſitione quamlibet herbam producet: ſic & anima quoties nihil habet quod agat rerum neceſſariarum, cùm omninò cupiat aliquid agere, pravis actionibus ſemet tradit. Et quemadmodum oculus non deſinit cernere, atque ob hoc cernit bona, ſi quando mala ſint objecta: ſic & cogitatio quoties ſe abducit à neceſſariis, circa inutilia jam verſatur; nam undequaque perſpicuum eſt, quod occupatio ac ſollicitudo valet primum incurſum repellere. Hinc S Antonius à Deo audivit: *Antoni, quæris Deo placere? Ora, & dum orare non poteris, manibus labora, & ſemper aliquid facito.*

Cato. *Hom. 7 in 2. ad Corint.* *Similia.* *Exemplũ.*

Tritum eſt illud:

Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora:
Sic erit hora brevis, & labor ipſe levis.

Otium multis malè ceſſit

I. Habeſne exempla eorum quibus otium malè ceſſit?

Exempla. R. Ita. Quamdiu David exercuit ſe in militia, non inſultavit ei luxuria; ſed poſtquam otioſus domi remanſit, laboravit adulterio, & homicidium commiſit.

Samſon, dum cum Philiſtæis pugnavit, non potuit capi ab hoſtibus; ſed poſtquam delituit in ſinu fœminæ, & otioſè cum ea remanſit, mox capitur & excœcatur ab hoſtibus.

Salomon, quamdiu occupatus fuit circa ædificationem templi, non ſenſit luxuriam, ſed mox ut receſſit ab opere perſenſit inſultum luxuriæ, & adoravit vitulum aureum.

I. Quibus ſimiles ſunt qui inerter & otioſè vivunt?

Similia. R. Navi quæ in littore manet.
Aquæ quæ non fluit, ſed ſtat.

Ferro, quo nemo utitur. Sanè ferrum quod exercetur, ſplendet, ac argento ſimile eſt; illud autem quod non movetur, rubigine conſumitur. *S. Chryſ. hom 35. in Acta.*

I. Sed cur cenſes otium tantoperè conferre ad libidinem?

R. Sacræ Litteræ & ratio ſuprà allegata id perſuadent. Imò, definitio amoris hæc eſt: *Animi curâ vacantis paſſio.* Undè Diogenes Synopæus apud Laërtium, ait *amorem vacantium*, id eſt, otioſorum, *eſſe occupationem*. Et Poëta: *Amor quid?*

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus. *Ovid.*

Et

Quæritur Ægiſtus quare ſit factus adulter? *Martial.*
In promptu cauſa eſt: deſidioſus erat.

Multam enim malitiam docuit otioſitas. Unde monet idem auctor: *Mitte illum* (ſervum) *in operatione, ne vacet.* Sicut enim lapides molendini vento rotati, ſi frumentum quod molant, non habeant, in ſeipſos agunt, ſeſeque atterunt & comminuunt; ita mens hominis otioſa eſſe nequit: quare ſi honeſto labore non occupetur, ad vana, inhoneſta, carnalia, ad murmura, detractiones, aliaque ſcelera cogitanda & deſignanda deflectit, uti jam ſuprà monuimus. Eccli. 33. *Simile.*

Quocircà Sanctus Hieronymus monet ruſticum: *Facito, inquit, aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum.* *Ep. 4.*

Certè primus hominum parens otioſus Paradiſo excidit: Paulus verò in laboribus & ærumnis poſitus raptus fuit in Paradiſum; uti notavit *Chryſ hom. 1. ad populum.* *Exempla.*

I. Ex jam dictis colligo ſomnum plurimùm etiam officere caſtitati. *Somnus officit caſtitati.*

R. Rectè. Quis enim tam otioſus quàm dormiens? vidiſti cadaver hominis mortui linteo involutum ad ſepulturam efferendum, ſimilis eſt homo dormiens.

Digitized by Google

Ovid.

Stulte quid eſt ſomnus, gelida niſi mortis imago. At verò plus in hoc ſepulchro vivorum ineſt ad libidinoſas commotiones periculi, quàm in alio quovis loco. Eſt enim cubile velut fornax ubi ignis iſte ſtygius accenditur. Ibi ejus materia diſponitur per quietem & calorem internum corporis, qui tunc minimè diſſipatur, (uti ſolet interdiu quando ſeſe exercet homo in occupationibus:) & fovetur illo calore intrinſeco per operimenta varia comparato. Ob has & ſimiles rationes lectulo, primo manè ſeſe proripiunt, nec niſi ſerò admodum, & cùm corporis reficiendi neceſſitas urget, illum repetunt, qui caſtitati conſultum volunt.

I. Doce me igitur quâ ratione ſomnum ſalutariter capere oporteat?

Ad fratres de monte Dei.

Modus utendi ſomno ex S. Bern.

R. Docebit te S. Bernardus in ſubjectis verbis: Cave in quantum potes, ſerve Dei, totus aliquando dormias, ne ſit ſomnus tuus non requies laſſi, ſed ſepultura corporis ſuffocati: non reparatio, ſed extinctio ſpiritûs tui. Suſpecta res eſt ſomnus, & ex magna parte ebrietati ſimilis. Nullum tempus tam deperit de vita noſtra, quàm quod ſomno deputatur. Iturus ergò ad ſomnum ſemper aliquid defer tecum in memoria & cogitatione; in quo placidè obdormias, quod nonnunquam etiam ſomniare juvet, quod etiam vigilantem te excipiens in ſtatum heſternæ intentionis reſtituat. Sic tibi nox ſicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis. Placidè obdormies, in pace quieſces, facilè evigilabis, & ſurgens facilis & agilis eris ad redeundum in id, undè non totus diſceſſiſti. Sobrium cibum, ſobriumque ſenſum, ſequitur ſobrius ſomnus. Carnalis verò ſomnus & brutus, & ſicut dicitur, Letheus, abominandus eſt ſervo Dei.

I. Quomodo occupabitur fæminarum genus, quod ad otium & illecebras eſt propenſiſſimum?

Prov. 31.

R. Cum muliere forti ſe ſuaſque filias linificio & lanificio diſcant aſſueſcere, hoc enim eſt proprium fæminarum opus, ut ad hoc natæ, & à natura fictæ, factæque eſſe videantur; idque duplici fine & fructu quem hîc intendimus; primò ad fugam otii: altero ad cuſtodiam honeſtatis & caſtitatis. Operi enim dum intendunt, amaſios fugiunt, eiſque attendere nequeunt. Quocircà ab omni ævo ſtrenuarum fæminarum etiam Principum & Reginarum, hæc in lana & lino fuit occupatio.

Lanificiū & linificium opus fæminarum.

Laudatur Anna uxor Tobiæ, quod ibat quotidiè ad opus textorium.

Exempla. Tob. 2.

S. Hieronymus inſtituens Virginem Demetriadem: *Habeto, ait, lanam ſemper in manibus; vel ſtaminis pollice fila deducito; vel ad torquenda ſubtegmina in alveolis fuſi vertantur.* Et alibi: *Diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice deducere.* Carolum Magnum (ſcribit Eginhardus illius Cancellarius) ita filias inſtituiſſe, ut lanificio ſe aſſuefacerent. Rogatus cur filias lanificio occuparet, duas dedit cauſas: *primò,* ut otium vitarent; *ſecundò,* ut; ſi ad paupertatem per adverſam fortunam redigerentur, hoc opere ſibi victum pararent.

Ad Lætam de inſtit. filiæ.

In vita ipſius.

Hoc in opere eminuit S. Elizabetha Andreæ Hungarorum Regis filia, quæ per ſummam injuriam à cognatis, caſtris & poſſeſſionibus ſpoliata; lanam manibus operabatur & linum, ut de ſui laboris impendio ſe aleret, & pauperes. Ita nobiliſſimis orta natalibus mundo ſe fecit ignobilem, ut nobilitaretur in cœlis, pro corona ſuſcipiens cinerem; cilicium pro faſcia pectorali, fuſum lanæ & lini pro ſceptro. Unde & meruit in cœlum defixa videre Dei Filium Jeſum ad ſe inclinatum, cœlis patentibus, eumque inter alia conſolationis lenimenta audire dicentem: *Si tu vis eſſe mecum, ego ero tecum, & a te nullatenus ſeparabor.* Ita habet ejus vita.

S. Franciſcus otium, omnium malarum cogitationum ſentinam, docebat ſummo

S. Bonav. in vit. ejus l. 4. c. 5. 9. 5

perè

perè fugiendum : exemplo demonſtrans rebellem carnem & pigram, diſciplinis continuis,& fructuoſis laboribus eſſe domandam. Undè corpus ſuum *Fratrem aſinum* appellabat, tanquam laborioſis ſupponendum oneribus, crebris cedendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. Si quem verò cernebat otioſum & vagum aliorum velle manducare labores, *Fratrem muſcam* nominandum cenſebat: eo quod talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem ſe omnibus reddat, propter quod dixit aliquando: *volo fratres meos laborare & exercitari, ne otio dediti per illicita corde aut linguâ vagentur.*

LECTIO XI.

Remedia contra luxuriam.

I. QUæ mihi remedia contra ſpurcum & infame libidinis peccatum?

Octo luxuriæ remedia, quatuor lectionibus declarata.

R. Illa ſunt multa & varia quæ quatuor lectionibus combinatim exponemus. In hac enim paucis complectemur duo remedia.

Primum erit, ut initiis tentationis ſtatim occuramus per actus timoris & amoris Dei.

Alterum, ut caſtitatem turpidini virtutem oppoſitam colamus, & magni æſtimemus.

In ſubſequenti lectione duo paria adferemus?

Tertium, Orationem cum lectione ſacra; &

Quartum, Sacramentorum frequentationem.

In tertia.

Quintum, Fugam mulierum; &

Sextum, Senſuum refrænationem.

In quarta lectione.

Septimum, B. V. Mariæ & Sanctorum interceſſionem; &

Octavum, Noviſſimorum recordationem.

I. Undè primum iſtud, *de forti ſub initio tentationis reſiſtentia*, remedium petis?

R. Ex SS. Patribus, Sanctorumque exemplo.

S. Cyprianus; *Diaboli primis tentationibus*, inquit, *obviandum eſt, nec coluber foveri debet, donec in ſerpentem formetur.* *Ser. de jejunio.*

S. Hieronymus Eccl. 9. *Diabolus ſerpens lubricus eſt, cujus capiti, hoc eſt, primæ ſuggeſtioni ſi non reſiſtatur, non eſt, dubitandum quin in penetrale cordis furtim illabatur.*

Et in epiſt. ad Euſtochium: *Nolo ſinas cogitationem libidinis creſcere, nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat. Dū parvus eſt hoſtis, interfice. Audi Pſalmiſtam dicentem. Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram. Quia enim impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere innatū medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus & allidit ad petram; petra autem erat Chriſtus.*

Et Caſſianus: Illius præcepti jugiter meminiſſe debemus: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum*, & ſecundùm Dei principale mandatum ſollicitè ſerpentis obſervare noxium caput, id eſt cogitationum malarum principia, quibus ſerpere in animam noſtram diabolus tentat, ne ſi caput ejus per negligentiam penetraverit cor noſtrum, reliquum ejus corpus, id eſt, oblectationis ſenſus illabatur. Qui procul dubio, ſi fuerit intromiſſus, morſu virulento mentem interimet captivatam. Emergentes etiam peccatores terræ noſtræ id eſt, ſenſus carnales in matutinis ortus ſui nos oportet extinguere, & dum adhuc parvuli ſunt, allidere filios Babylonis ad petram. Qui niſi dum tenerrimi ſunt, fuerint enecati, adulti per conniventiam in perniciem noſtram validiores inſurgent. *L. 6. inſtit. c. 13.* Prov. 4.

Similiter Gregorius: *Prima ſerpentis* (diaboli) *ſuggeſtio mollis ac tenera eſt.* *L. 32. mor. c. 7.*

Digitized by Google

eſt, & facilè virtutis pede conterenda; ſed, ſi hac invaleſcere negligenter permittitur, eique ad cor aditus licenter præbetur, tantâ ſe virtute exaggerat, ut captam mentem deprimens ad intolerabile robur excreſcat.

I. Cujus autem virtutis pede conterenda eſt prima ſuggeſtio.

R. Timoris & amoris Dei, ut in itio lectionis diximus.

I. Quâ ratione timorem Dei ad hanc rem applicabis?

R. *Primò*, generatim. Vide quæ ſup. p. t. c. 9. lect. 2 *de timore Domini* tradidimus. *Secundò*, magis in particulari repetendo ea quæ diximus in ſuperioribus Lectionibus hujus Capitis, ubi occaſione datâ nunquam omiſimus docere, quàm ſit odio divinæ majeſtati impurus homo & impuritas ejus.

I. Habeſne exemplum alicujus fœminæ quæ ex timore Dei etiam in maximis anguſtiis conſtituta renuit peccare?

Dan. 13. R. Ita, præclarum eſt exemplum Suſannæ, quæ falſi adulterii à duobus ſenibus accuſata mori prælegit quàm facinus admittere. Dicebat enim in anguſtiis poſita: *Si hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.* d. q. Melius eſt mihi mori corpore quàm animâ: ſatius eſt Dei, quàm hominum, præſentiam & offenſam revereri. Homines enim cùm occiderint corpus, (ut ex Evangelicis verbis ait Bernardus) animæ non habent ultra quid faciant, ille autem timendus eſt, qui poteſtatem habet & corpus & animam mittere in gehennam.

Ex timore Dei eligit Suſanna mori potius quàm peccare.

Rectè S. Chryſoſtomus homil. de Suſanna: *Suſanna*, inquit, *aſpernabatur quod audiebat, quia timebat eum quem nihil latebat: Falſi enim teſtes poſſunt lædere famam, non occidere conſcientiam.* Omnia ſi perdas, animam ſervare memento.

I. Quomodo timori adjunget ſe comitem amor Dei, ut animum hominis à peccati cogitatione abducat?

R. Hoc vel ſimili diſcurſu: Si benè noſſes, ô anima fidelis, conditionis tuæ decus & honorem: Rex Majeſtatis & gloriæ tenerrimè & ſinceriſſimè amat te. Ille, ille, pulcherrimus & ſpecioſiſſimus, perfectiſſimus, nobiliſſimus, omnipotentiſſimus, nuptias tuas ambit; en tibi loquitur, in illum intende; & poſtquam ejus ſpeciem pleno hauſeris intuitu, dic: nunquam certè, ô anima mea, felicius connubium, nunquam, ah!! nunquam tam beatæ nuptiæ, tam fortunata ſponſalia!

Diſcurſus animæ fidelis ad Jeſu nuptias anhelantis.

Quidni huic totis affectibus jfigamur, totis medullis copulemur, totis infigamur amoribus?

Ergonè propter hoc, (1 propter carnale connubium) relinquit homo Patrem & matrem; & propter hoc, id eſt; propter amorem Domini mei Jeſu Chriſti, non derelinques omnem creaturam, quæ in tuam conjuravit perniciem; inſeparabiliter adhæſurus ei qui ſolus & poteſt & vult te ſalvare & in æternum beare? O pulchritudo antiqua quàm ſerò te amavi! Quis mihi det, ut utriſque te ulnis amplectar, & non deſeram te! Amet, qui volet, creaturas, hoc mihi fixum & certum, non niſi Creatorem Deum ac Dominum meum amare, hic mihi ſufficit, Deus meus & omnia.

I. Habeſne exemplum ejus quæ ob Dei amorem carnales nuptias & mundi illecebras reſpuit?

R. Ita. Suſanna Virgo nobiliſſima, quod Galerii Maximiani, filii Diocletiani Imperatoris conjugium recuſaret, ut quæ virginitatem Deo voverat; poſt multa tormentorum genera, quibus variè tentatum eſt ſanctum Virginis propoſitum, domi ſuæ juſſu Imperatoris gladio percuſſa, ad duplex virginitatis & Martyrii præmium migravit in cœlum.

Ex amore Dei alia Suſanna mundi illecebras reſpuit. Exemplũ. Brev. Ro. 11. Aug.

I. Quod eſt ſecundum remedium, quod

pro

1. Remed. Æſtimatio caſtitatis. pro altero puncto hujus lectionis propoſuiſti?

R. In eo verſatur remedium iſtud, ut magni faciamus caſtitatem.

I. Quamobrem prædicas tanti æſtimandam caſtitatem?

R. Partim, perſuaſus Scripturæ teſtimoniis, partim Patrum elogiis, partim Sanctorum exemplis.

Caſtitatis in ſcripturis commendatio. I. Quid de Caſtitate prædicant Scripturæ?

R. Primò. Spiritus Sanctus cum exclamatione dicit: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius: quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines!*

Sap. 4.

Eccli. 26. *Et: Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.*

Apoc. 14. Et alibi de virginibus: *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnum quocumq; ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.*

Matt. 19. Luc. 20. Rurſum: *In Reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.*

1. Cor. 7. Et: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu; quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Ex quibus infert Apoſtolus: *Igitur qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit: & qui non jungit melius facit.*

2. Cor. 11. Idem Apoſtolus alibi: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino ut ſim fidelis; æmulor enim vos Dei æmulatione; deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

I. Quid Patres de caſtitate?

PP. de caſtitate elogia. R. Audi Tertul. l. de bono pudicitiæ c. 1. *Pudicitia*, ait, *flos morum, honos corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præludium omnis bonæ mentis; quamquam rara, nec facilè perfecta, vixque perpetua, tamen aliquatenus in ſæculo morabitur, ſi natura præinſtruxerit, ſi diſciplina perſuaſerit, ſi cenſura compreſſerit.*

De bono pudic. Tertullianum ceu magiſtrum ſecutus more ſuo B. Cyprianus: *Pudicitia*, ait, *eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domûs, concordiæ caput, &c. pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt: hæc nos commendat Domino, connectit Chriſto: hæc expugnat omnia de membris illicita deſideriorum prælia, pacem noſtris corporibus inducit: beata ipſa, & nos beatos efficiens.* Et ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, paulò poſt impudicitiæ hæc dat epitheta: *Cupiditatum infeſta rabies, incendium conſcientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnans ſanguinis, & familiæ fidem, alienis affectibus ſuos inferens filios, in aliena teſtamenta ſobolem ignoti & corrupti generis inducens.*

Impudicitiæ epitheta.

Tom. 3. S. Ephrem ſerm. de caſtitate: *O caſtitas mater dilectionis, & angelicæ vitæ ratio! O caſtitas quæ munde es corde, ac dulci guſture, biluriqùe aſpectu! O caſtitas, quæ homines ſimiles Angelis reddis! O caſtitas, quæ Dei filium ita exaltaſti in Patria æterna, ut & eos qui emerant ipſum, redimeres! O caſtitas donum Dei benignitatis diſciplina, cognitioniſque plena! O caſtitas portus tranquillus in ſumma pace ac ſecuritate conſtitutus. &c.*

Ad Philip. 3. Caſſianus l. 6. Inſtit. monaſt. *Nulla Virtute tam propriè carnales homines ſpiritualibus Angelis imitatione converſationis æquantur, quàm merito & gratia caſtitatis; per quam adhuc in terra degentes, habent municipatum in cœlis, quem depoſita corruptela carnali habituros ſanctos promittitur in futurum, hic jam in carne fragili poſſidentes.*

L. 2. c. 26. S. Aug. in libris de civitate Dei: *Tanta vis eſt probitatis & caſtitatis, ut omnis, vel penè omnis ejus laude moveatur hu-*

mana natura: nec uſque adeò ſit turpidine vitioſa, ut totum amittat ſenſum honeſtatis.

S.Bernardus: *Quid caſtitate decorius! quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit. Differunt quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed felicitate non virtute. Sed, etſi illius caſtitas felicior, hujus tamen fortior eſſe cognoſcitur! Sola eſt caſtitas quæ in hoc mortali & loco & tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat.*

I. Velim modò ut quanti æſtimaverint Sancti caſtitatem exemplis demonſtres?

Ad Eccleſ. Verſel. Exempla SS qui caſtitatem admodum coluerunt.

R. Audi Virginum, ideòque Martyrum glorioſas coronas & triumphos celebrantem S Ambroſ. l.3 epiſt.25 ſub finem. Apud nos, inquit, & puellæ de mortis appetentia ſublimes, uſque ad cœlum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnetem, quid Pelagiam

1\. loquar, quæ ad mortem, quaſi ad immortalitatem feſtinaverunt? *Et poſt pauca ſubjicit raram S. Pelagiæ fortitudinem?*

Quid autem ſublimius S.Pelagia? quæ vallata perſecutoribus, priuſquam tamen in eorum conſpectum veniret, aiebat: Volens morior, nemo me continget manu, nemo oculo protervo violabit virginem. Mecum feram pudorem, mecum incolumem verecundiam, nullum prædones lucrum ſuæ capient inſolentiæ: Pelagia Chriſtum ſequetur, libertatem nemo auferet, nemo captivatam videbit fidem liberam, inſignemque pudicitiam & proſapiam prudētiæ. Quod ſervum eſt, hic manebit, nullos in uſus debitum. Dixit & fecit: nam antequam à ſatellitibus comprehenderetur, ex alto ſe præcipitans Virgo & Martyr evolavit in cœlum, uti refert idem S. Ambroſius *l 3. de virgin. S. Chryſ. & alii.*

2\. Audi triumphos S. Victoriæ Virginis & Martyris: hanc enim hiſce verbis ad virginitatem ſervandam impulit S Anatolia: O Victoria vince diabolum, & eſto vera victoria. Ego die quâ explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Chriſti, vidi per viſum juvenem auro redimitum, ſplendidum in veſtibus purpureis atque gemmatis, qui gratâ facie, & læto vultu me conſpiciens, ait: *O virginitas, quæ morte non vinceris, quæ à morte perpetua liberas! O virginitas quæ non in operibus tenebrarum, ſed ſemper in lumine verſaris! Virginitas purpura regalis eſt, quam qui induit, reliquis fit eminentior, virginitas gemma eſt pretioſa. Virginitas theſaurus eſt Regis immenſus. Huic fures inſidias tendunt. Hanc tu evigilans ſollicitè cuſtodi; quantumque te plus habere cognoſcis, inſtantius cuſtodi ne perdas.* His & ſimilibus verbis, dictis, & factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum ſuorum ipſa diſtribuit pauperibus. Sicque factum eſt, ut agentibus ſponſis earum Aurelio & Eugenio, quia nubere illis virgines Chriſti noluerunt, à Decio Imperatore urbe Româ pulſæ, ad prædia ſponſorum ducerentur, ubi fame & inediâ ita afflictæ ſunt, ut vix ad veſperum modicus panis cibarius eis daretur: Nulloque pacto efficere ſponſi potuerunt, ut vel ad nubendum, vel ſacrificandum animæ illarum inclinarentur. B. igitur Victoria, in virginitatis propoſito invincibiliter perſiſtens, poſt multa miracula facta, inter quæ plurimas virgines Domino aggregaverat, percuſſa eſt gladio in corde à carnifice Talariarcho. Qui leproſus factus, intra ſex dies vermibus conſumptus expiravit. Hæc Ado in Martyrologio, ad 29. Decembris.

S.Pulcheria Auguſta Filia Arcadii Imperatoris, Virgo fuit perpetua & glorioſa, utpotè quæ Theodoſium Imperatorem fratrem ſuum juniorem, in pietate omnique virtute ad regimen educavit; eoque mortuo ipſi ſuccedens in Imperium nupſit Marciano, eumque creavit Auguſtum, ut majori auctoritate regnum adminiſtraret; ſed virginitatem, quam antea Deo voverat, in matrimonio conſervavit, ac to-

tam

Digitized by Google

tam ſe fidei tuendæ, & hæreſi Eutichetis extirpandæ impendit. Quapropter tota Synodus Chalcedonenſis ei acclamavit: *Nova Helena, munimen Orthodoxorum & gloria Eccleſiarum.*

Denique quod in Imperatricibus rarum eſt, ſuâ caſtitate, juſtitiâ, & ſanctitate meruit catalogo Sanctorum adſcribi die 10. Septembris.

4. Talis quoque fuit S. Cunegundis quæ caſtitatem pariter cum Henrico Imperatore marito ſuo conſervavit, atque in jus teſtimonium nudis pedibus illæſa ſuper candens ferrum ambulavit; ac mortuo marito monaſterium à ſe fundatum ingreſſa, Monachamque profeſſa, quindecim annos mirâ humilitate, abſtinentiâ & pœnitentiâ traduxit Undè Sanctorum faſtis adſcripta legitur die 3. Martii; nimirum in tanto Imperii faſtigio caſtitas, quaſi ſol toti orbi clarius effulger.

L. 8. c. 4. 5. Memorabile eſt illud, quod Euſebius Cæſarienſis narrat: Matronam fuiſſe Romanam eximiâ pulchritudine, cujus turpi amore Maxentius Tyrannus exarſerit. Miſſos igitur ſatellites principio facilè, mortis metu, aſſenſum exto rſiſſe à marito, deinde magnâ pecuniæ vi mulieris animum tentaſſe. Cùm id minus procederet, ita armatos veniſſe, ut vi abducerent: illam igitur, ubi ad oſtium arma conſpexit, diſſimulato conſilio quaſi ad exornandam ſe, moram exiguam poſtulaſſe: tum ſecretius ingreſſam cubiculum, adacto per pectus gladio vitam abjeciſſe, ne caſtitatem amitteret. Nimirum oſtendit illa, ut Euſebius ait, orbi terrarum ſolam Chriſtianorum continentiam, nec pecuniâ expugnari, nec morte extingui poſſe.

6. *Vita ejus apud Sur. c. 16. ad diem 11. Sept.* S. Elzearius Comes Arriani cum conjuge Delphina intactam ſervavit virginitatem. Quocirca D. Mablina nobilitate & pietate illuſtris, vidit in Spiritu Sanctum juvenem ſplendidè indutum, per amplam planitiem manibus ferentem vexillum candidum & illuſtre, cujus elegantia & ſplendor totum aërem & planitiem illam illuminaret; ſequebatur autem eum innumera multitudo hominum cujuſvis ætatis, ſexûs & ordinis. Cùmque illa viſionis explicationem à Deo poſceret, audivit: Hæc eſt virginitas & caſtitas Elzearii, quem totus orbis venerabitur, & multi eum ſequentur.

Caſimirus, Patre Caſimiro, Matre Elizabetha Auſtriaca, Poloniæ Regibus ortus, virginitatem quam ab incunabulis ſervavit illæſâ, ſub extremo vitæ termino (ſpiritum autem Deo reddidit, anno ætatis vigeſimo quinto) fortiter aſſeruit, dum gravi eſſet preſſus infirmitate, & conſtanter decrevit, mori potius, quàm caſtitatis jacturam ex medicorum conſilio ſubire: *Ex Brev. Rom.* 7.

8. *Mulieres Leodienſes à caſtitate commendatæ.* Narrat Jacobus de Vitriaco, vir doctus S. E. R. olim Cardinalis, ſuâ ætate fuiſſe virgines complures, quæ Leodienſi urbe ab hoſtibus, occupatâ, ſuis habitationibus ejectæ ſint, Ex his aliquas ad templa confugiſſe: alias, quæ id minus poterant, in flumen ſe præcipitaſſe, quod mortem caſtitatis violationi poſtponerent, partim in cloacas inſiliiſſe ut nullam odoris rectitudinem cum libidinis fœtore comparandam oſtenderet, Nec dubia erat mors, niſi admirabili prorſus modo ſic à Deo fuiſſent conſervatæ, ut in tanta multitudine nulla prorſus vel vitæ vel caſtitatis detrimentum acceperit: præclarum verò quod uni ex hoc numero contigit, Laborantem illam exceperant cymbulâ duo milites, exceptamque ſollicitabant ad flagitium, At illa, cùm mori potius mallet quàm corrumpi, tanto ſaltu iterum ſe in undas dedit, ut eodem impetu ſcapham; everteret, corruptoreſque illos mergeret Ipſa verò abſque omni aut corporis aut animi damno, fluvio obſequente, ad littus emerſit.

Miram caſtitatis fragrantiam & ſuaveolentiam odorari licebit in vita SS. Juliani & Baſiliſſæ apud Sur, die 9. Junii: è contra luxuriæ fœtorẽ in vita S. Cathari-

Digitized by Google

næ Senenſis apud eundem Sur. 30. Apr. Hanc lectionem cum exclamationibus S. Athan. tract. de virginitate concludentis finiam: *Magna virtus continentia, magna gloria caſtitatis, magna ſunt virginitatis praeconia. O virginitatis divitia incomprehenſitiles! O virginitatis corona immarceſſibilis! O virginitas templum Dei & S. Spiritus domicilium! O virginitas margarita pretioſa, apud multos latens, à paucis verò vix invenitur! O continentia amica Dei, & apud Sanctos laudata! O continentia vulgò inviſa, ſed iis qui te digni ſunt, nota! O continentia morte & inferos effugiens & immortalitati adhærens! O continentia gaudium Prophetarum! Apoſtolorum gloria! O continentia, Angelorum vita, & Sanctorum hominum corona Beatus qui tenet, beatus qui per patientiam ſibi conſtanter adhæret: quoniam poſtquā paululum laboraverit, multa recipiet munera in te. Beatus qui per totum hoc tempus jejunarit, quia in æterna Hieroſolyma habitabit, cùmque Angelis choreas ducet, cùmque ſanctis Prophetis & Apoſtolis requiem habebit.*

S. Athan. tract. de virginitate.

LECTIO XII.

I. Quæ ſunt 3. & 4. remedia quæ in hanc lectionem repoſuiſti?

R. Tertium quidem eſt oratio, & piorum librorum, præſertim ſacræ ſcripturæ lectio. 4. verò Sacramentorum pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequentatio.

3. Remed. ratio & pia lectio.

I. Undè duo hæc remedia petis?

R. Ex ſacris Litteris pro more meo & Sanctorum praxi.

I. Quid de oratione & pia lectione ad hanc rem ſacræ Litteræ?

R. Primò ſapientiſſimus hominum de ſe eloquitur: *& ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis: Deus Patrum meorum & miſericordiæ, &c.*

Sap. 8. & 9

Et Paulus Doctor gentium: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi.* *2. Cor. 12.*

I. Sed non obtinuit S. Apoſtolus id pro quo inſtanter Dominum rogavit?

R. Imò verò, oratione ſuâ obtinuit, ut gratiæ Dei ſufficienti fideliter cooperans virgo maneret. Et nos hoc ipſum indubiè obtineremus ſi magnâ inſtantiâ & fideli perſeverantiâ expoſceremus, dicente Auguſtino: *Utique dares* (eſſe continentem) *ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & fide ſolidâ in te jactarem curam meam*, fecit & hoc, nam dicit & orat: *Da quod jubes, & jube quod vis. Imperas nobis continentiam. O amor qui ſemper ardes & nunquā extingueris, charitas Deus meus accende me. Continentiam jubes, da quod jubes & jube quod vis* Eſto, ſtimulum carnis à Paulo non abſtulerit Deus, at oratione obtinuit ut fortiter pugnaret, tentationes vinceret, virgo permaneret. vide S. p. 2. c. 9. lec. 3.

6. Confeſſ. c. 11.

L. 10. c. 29

Humilis orationis præmium caſtitas.

Certè humilitatis, humiliſq; orationis præmium eſt caſtitas; ſicut ſuperbiæ condigna caſtigatio, eſt luxuria, uti docet S. Gregorius; nam *multis inquit, ſæpè luxuria ſeminarium ſuperbia fuit: quia dum eos ſpiritus quaſi in altum erexit, caro in infimis merſit. Hi enim ſecretò primùm elevantur, ſed poſtmodum publicè corruunt, quia dum occultis intumeſcunt motibus cordis, apertis cadunt lapſibus corporis.* S. Aug. *Audeo dicere, ſuperbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipſo, in quo ſe extollunt, humilientur.*

26. Moral. c. 13. Virgines ſuperbæ ſunt ruinæ proxima.

Serm 55. de verbis Domini.

Sanctus Fulgentius: *Ut integra permaneat Deo dicata virginitas, ſicut cuſtoditur integritas corporis, multo amplius cuſtodienda eſt humilitas cordis. Si qua enim verè virgo eſt Chriſti, non poteſt Chriſto, niſi humilitate conjungi.*

I. Habeſne exempla eorum qui pro caſtitate obtinendâ oraverunt, eamque impetrarunt? *Ep. 3.*

R. Ita

Digitized by Google

De virginitate. c. 18.

R. Ita Abbas Serenus apud Caſſian. cùm pro perfecta caſtitate impetranda jugi ſupplicationi ac lachrymis indefeſſus inſiſteret, adveniens ad eum Angelus in viſione nocturna, ejuſque velut aperiens uterum, ignitam carnis ſtrumam

Exempla. de ejus viſceribus avellens, ac projiciens, ſuiſque omnia, ut fuerant, locis inteſtina reſtituens, ecce, inquit, incentiva carnis tuæ abſciſſa ſunt, & obtinuiſſe te noveris hodiernâ die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter popoſciſti

Pſ. 118.

S. Cæcilia cilicio armata, cum gemitu orans cum Pſalte. *Fiat Domine cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar*, caſtitatem Angelicam, ejuſque cuſtodem Angelum meruit obtinere; quin & eandem Valeriano ſponſo, Tiburtio ejus fratri, multiſque aliis inſpiravit, ac velut apis argumentoſa,

Aug. ſup. pſ. 64.

virginum mella favoſque contexuit. Aliud de S. Thoma Aquinate notum eſt ex Breviario Romano ad ſeptimam Martii infra lect. 14. Et ut aliquid de lectione

Greg. l. 4. ep. 84. l. 8. conf. c. 12.

ſacra dicamus, quid ſunt Scripturæ ſacræ aliud quàm epiſtola quædam omnipotentis Dei ad ſuam creaturam? In illis ſanè reperire licebit, quod olim Auguſt. qui codicem Apoſtolicum arripiens, aperiens, & legens in ſilentio Capitulum, quo primum conjecti ſunt oculi ejus, feliciter in iſta verba incidit: *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis veſtris.*

Rom.

In Scripturis inquam, reperire licebit, id & aliud quodvis genus antidoti vitiis noſtris curandis & divina bonitate præparatum & accommodatum.

Exempla. De Cæcilia glorioſa virgine cantat Eccleſia quod ſemper Evangelium Chriſti gerebat in pectore ſuo, & non diebus neque noctibus à colloquiis divinis & oratione ceſſabat.

Sancta Theodoſia ducta ad infamem locum, ubi caſtitate ſpoliaretur, nullis ſe aliis tuebatur armis, quàm quod attentiſſimè perlegeret Evangelia: Nimirum, *eloquia Domini, eloquia caſta*. Audivit eloquia Domini Petrus, audivit Matthæus, audiverunt cæteri Apoſtoli, & mutati ſunt in viros alteros, audivit Maria Magdalena, audivit mulier Samaritana, & in mulieres caſtas evaſerunt; audivit Antonius, audivit Arſenius, audiverunt alii ſexcenti & mundum deſeruerunt, vitam cælibem & caſtam amplexati; & modo qui habet aures audiendi, audiat, nec enim deſinit nobis Dominus eloquia caſta proferre ex Prophetis, ex Evangelio; ex illis quidem quid caſtius ſermone iſto. *Isai 56.* *Non dicat Eunuchus: ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit.* Nomen, id eſt memoriam famæ & gloriæ, Imò nomen, id eſt prolem & ſobolem illuſtriorem & diuturniorem non carnis, ſed ſpiritus; quæ nimirum virgines, Chriſti utique ſponſas decet. Ex Evange- *2. Cor. 11.* lio autem quotidie aures noſtras pulſat verbum hoc clarius & ſplendidius argen- *Matt. 19.* to igne examinato & purgato: *Sunt Eu-* *v. 12.* *nuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum: Qui poteſt capere, capiat.* q.d. Qui vult ſibi vim inferre, qui vult libidini generosè reſiſtere, qui vult ad arduum continentiæ culmen conſcendere, ille eandem amplectatur, capiat, & capeſſat. Omnes ſanè fideles habent potentiam, non proximam, ſed remotam ad continendum. Omnes, inquam, habent continentiæ donum in actu primo, quo poſſunt continere ſi velint, ſi videlicet vires & gratiam ad continendum aſſiduè à Deo efflagitent, ac Dei gratiæ, per *Continere* cuſtodiam cordis & oculorum, fugam *eſt in ho-* otii, macerationem carnis, &c. coope- *minis po-* rentur. Nec enim ſuaderet aut conſu- *teſtate* leret Chriſtus Dominus quod non eſt a- *quomodo?*

L. 1. cont. Iovin.

liquo modo in hominis poteſtate. Ita paſſim omnes Eccleſiæ Patres. Audi pro omnibus unum Hieron. *Proponit agonotheta præmium, invitat ad curſum, tenet in manu virginitatis bravium, oſtendit puriſſimum fontem, & clamat: ſi quis ſitit veniat ad me, & bibat: qui poteſt capere, capiat.*

I. Sed quî fit quod non imus, bibimus, capimus & nos ;

Exempla. S. Athan. in vita.

R. Audi quod dico: potuit una vox Evangelii : *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, magnum illum Antonium jam tum juvenem, nobilitate & opibus inclytum, tanto Evangelicæ paupertatis amore incendere, ut è veſtigio, bonis omnibus ſeſe exueret, & cæleſtem in terris vitam monaſtica profeſſione complecteretur.

Potuit divina Scriptura Victorinum turgidum tum urbis Rhetorem, à gentilitia ſuperſtitione & faſtu, ad Chriſtianam fidem humilitatemque inflectere.

Aug. l. 8. conf. c. 2.

Potuit Paulina lectio, uti ſuprà vidimus, hæreticum Auguſtinum, non tantùm orthodoxis adjungere, ſed & fœdiſſimo Veneris quotidianæ barathro erutum ad continentiam, ad caſtitatemque, non dicam maritalem, ſed religioſam cælibem omninò & intactam impellendo provehere.

Cur ex frequenti ſacrarum litterarũ lectione non ſequitur in nobis illa vita mutatio quæ in Sanctis.

Potuit una Evangelii lectio : *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum* : Beati qui lugent, *quoniam ipſi conſolabuntur* : Simeonem Stylitem illico convertere, eoque provehere, ut octoginta annos continuos in columna eodem pede conſiſteret, ut perdius & pernox orationi vacaret, penè ſine cibo & ſomno viveret, ut portentum orbis, neque tam homo quàm Angelus in carnem lapſus eſſe videretur ; Cur ergo, inquis, nos qui toties ſacras Litteras legimus, hos æſtus, has vitæ mutationes non perſentiſcimus ? quia eas obiter & oſcitanter legimus ; quia eas non ut verbum Dei reverenter recipimus ; non eis ut epiſtolæ omnipotentis Dei miſſæ ad nos intendimus. Plerique noſtram ſacram Scripturam non ſibi, ſed aliis dumtaxat ediſcunt, ut doctorem ſcilicet, ut eccleſiaſticum agant; videlicet, ut quod bonum aliis appetimus, eo noſipſos fraudemus ; & ut mercenarii theſaurum tam nobilem, non nobis, ſed aliis effodiamus.

4. remed. frequentatio Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ.

I. Quid jam affers pro ſtabiliendo 4. remedio, quod eſt, ut dixiſti, frequentatio Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ?

R. Dico imprimis maximam vim ſupernaturalem Sacramentis à Chriſto inſtitutis ineſſe, ad peccatum ex animis fidelium ſtirpitus eradicandum, gratiamque largè conferendam, ad ſuperandas tentationes, motuſque pravos compeſcendos, eorum qui his dignè utentur; Attamen non omnium Sacramentorum parem eſſe rationem. Non enim putandum eſt Chriſtum Dominum ſic in Eccleſia inſtituiſſe Sacramenta, ut omnibus æqualiter & indiſcriminatim uteremur ad gratiam conſequendam. Voluit ille, ut Baptiſmum & confirmationem omnes ſemel tantum, non æquali tamen neceſſitate, acciperent; Extremam Unctionem, ſuo tempore ; Ordinem & Matrimonium pro ſua quiſque vocatione, aut ſemel, aut rarò; frequentationem reliquis duobus ſervavit, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. In horum uſu quo quis eſt frequentior, eò plus virium divinitus accipit, cum ad omne genus officii Chriſtiani ; tum maximè ad conſervandam puritatem.

I. Ex dictis tuis colligo: ſi quævis gratia divina hoc proprium habet ut animum ejuſque vires adverſum tentationes corroboret, multo amplius ipſum præſtabit illa gratia, quæ frequenti confeſſione, & communione, quotidianis acceſſionibus augetur?

Vis gratiæ admirabilis.

R. Optimè colligis. Addo tantum ut rem magis capias: S. Thomam Doctorem Angelicum docere, per unicum gratiæ mini-

mini-

minimum gradum (ut Theologi loquuntur) ſi quis modò ſuos labores & operam conjungat, ſatis poſſe ad omnes cujuſcumque generis tentationes ſuperandas. Ex qua doctrina hoc conficio argumentum: hæc ſi præſtat quævis gratia, ad omnes cujuſcumque generis tentationes, quod illa præſtabit tot incrementis per frequentationem pœnitentiæ & Euchariſtiæ, uti diximus, aucta, adverſus tentationes à ſolis ſenſibus & carne noſtra exortas, ſi & piè à nobis per Sacramenta accipiatur, & per labores noſtros otioſa eſſe non permittatur.

Hæc promiſcuè de utriuſque Sacramenti effectu.

I. Sed, cur non etiam dicis aliquid de cujuſque effectu in particulari, & efficacia?

R. Votis tuis lubens obſecundo, & iis quæ præmiſſa ſunt ſubjungo: confeſſionem ſacramentalem, magnum ſemper robur habere ad vitiorum deſtructionem, virtutumque redintegrationem; at certè ad obſcænæ turpitudinis ſubjugationem, puritatiſque reſtitutionem vim habere maximam.

I. Quare hoc?

R. Quia plurimum confunditur pœnitens cùm abditiſſimas mentis impuræ cogitationes & ſordes cum infamibus ſæpe-numerò actionibus conjunctas ſacerdoti declarat. Durum planè frænum, veſanæ libidinis confeſſio. Huc refero illud Ambroſii: *Quem commiſſi pudet, neſcit poſtea tale quid committere, unde ſimiliter erubeſcat.* Et rurſum moneo quod ſupra; ut quem commiſſi verè pœnitet, confeſſarium minimè variet aut immutet, ſed omnia (quæcumque tandem acciderint) uni viro prudenti, pio & erudito, quem ſemel in confeſſarium elegerit, fideliter & integrè aperiat, ab eoque quaſi à Chriſto vicario monita ſalutis & peccatorum remedia exſpectet. Iſte eſt optimus modus ſeſe ex turpitudinis cœno expediendi. Eſto, confuſionem patieris, ſi relapſus fueris. Sed, *eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Quia nimirum confuſio iſta tanquam frænum, ut dixi, à relapſu retrahit, & in bonam ſatisfactionem ſive pœnitentiæ partem tibi ſupputabitur. Ut hic rurſum valeat illud Amb. *Plurimum ſuffragatur reo verecunda confeſſio; & pœnam quam defenſione evitare non poſſumus, pudore ſublevamus.* Ubi peccandi libido ſenſum titillaverit, confundere, & dic adverſario tuo qui ſollicitat ad malum: Quomodo poſſum hoc malum facere, & in Deum meum peccare. Si autem peccaſti? pro anima tua ne confundaris dicere verum; & peccatum tuum confiteri. Imò verò cum confuſione & erubeſcentia plenè & integrè explica peccatum tuum coram confeſſario, & erit tibi confuſio adducens gratiam?

I. Quomodo iſta duo conveniunt *Non confundaris pro anima tua dicere verum; & cum confuſione explica peccatum tuum coram confeſſario?*

R. Optimè ſibi conveniunt, monet per Eccleſiaſticum ſermo divinus; ne quis ita confundatur vel erubeſcentiâ impediatur in confeſſione peccatorum, ut fortè ſubticeat peccatum neceſſariò confitendum v. g. pudendæ libidinis abſurditates: Ego verò auctor ſum ut peccata quæcumque & qualia quis commiſerit, plenè & integrè, (cum confuſione tamen & erubeſcentia) confiteatur, quia quod homo Dominum Deum Opt. Max. offenderit, confuſio & erubeſcetia maxima eſt.

Ita pulchrè more ſuo S. Bern. *Eſt pudor adducens peccatum, & pudor adducens gloriam; bonus pudor eſt, quo peccaſſe aut certè peccare confunderis: & omnis licet humanus arbiter fortè abſit, divinum tanquam humanum tantò verecundius revereris aſpectum, quantò & verius Deum quàm hominem cogitas puriorem, tantoque eum gravius offendi à peccante, quantò conſtat longius ab illo eſſe omne peccatum; hujuſmodi procul dubio*

Apolog. Dav. c. 6.

Maxima vis confeſſionis contra luxuria ſabem ex duplici ratione.

1. ratio. Eccli. 4.

in pſ. 37. Gen. 39. Eccli. 4.

Cum erubeſcentia & confuſione confiteri adducit gloriam.

Serm. ad milites templi. c. 12.

Digitized by Google

dubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatum omninò non admittit, aut certè admiſſum & pœnitendo punit, & confitendo expellit, ſi tamen gloria etiam noſtra, hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quod ſi quiſpiam confiteri confunditur, id quoque unde compungitur: talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conſcientia perdit, quando malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obſtruſo labiorum oſtio, non permittit exire; cùm eum exemplo David dicere potiùs oporteret: & labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti *qui & ſeipſum redarguens, puto ſuper hominum ſtulto & irrationabili pudore*: quoniam tacui, inquit inveteraverunt oſſa mea.

2. Ratio.

Altera crebræ confeſſionis utilitas, eſt quod nullâ te magis dæmon ab impuris ſuggeſtionibus cohibetur, quàm ſi viro probo ac prudenti, (confeſſario verò id fit tutius) fœdas ipſius machinationes confidenter aperias. Pulchrè id Caſſianus: *Non valebit*, inquit, *ignorationi ejus callidus hoſtis illudere, qui univerſas cogitationes in corde naſcentes, pernicioſa verecundia neſcit obtegere, ſed eas maturo examine, vel reprobat vel admittit: illicò namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marceſſit, & antequam diſcretionis judicium proferatur, ſerpens teterrimus velut è tenebroſo & ſubterraneo ſpecu, virtute confeſſionis protractus ad lucem & traductus quodammodo ac dehoneſtatus abſcedit Tamdiu enim ſuggeſtiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde. Legimus in vitis Sanctorum Patrum quandam importuniſſimè vexatam undecies repetita tentatione; ad patrem ſpiritualem recurriſſe toties, eoque conſtantiæ ſtudio tandem dæmonem, libidinemque fugaſſe.*

Collat. 2.

Exemplum. d. 2. contra forn.

I. Age modò, quâ ratione ſacram Sinaxim contra impuritatem valere plurimum?

R. Quia nimirùm in ſacra Communione *Paravit Dominus nobis menſam Corporis ſui, adverſus eos qui tribulant nos* Species ò quiſquis es, decepit te, & amore vano inanis creaturæ captus es: fac quod ſuadeo; ſpecioſo formâ præ filiis hominum præbe modò cor tuum, ejus Carni & Sanguini communica in Sacramento, Carni, inquam, & Sanguini hypoſtaticè Divinitati unitis, quæ proindè amore ſancto arctiſſimè ſibi te devincient, & in aliam transformabunt creaturam. Hic ſcilicet proprius eſt ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ effectus: quod in hac, re ipſa præſens Chriſtus Redemptor noſter tum humanâ, tum divinâ naturâ, quá poteſt omnia, per ſe ipſe, ſine alio inſtrumento novam hanc mutationem efficit, voluntatem confirmat in bono, & hominem ſibi conjungit. Præſertim cùm ſancti Patres de hac ipſa re loquentes affirment eum non modò per gratiam, & dona ſuæ præſentiæ in animam ingredi, ſed cum ipſo quodammodo corpore miſceri; ut proprium hujus Sacramenti ſit frangere & debilitare vires cupiditatum, quarum in carne eſt radix; idque ita, ut non modò rationem non ſuperent, ſed ſponte ei pareant; cùm repugnandi potentia indies hujus Sacramenti uſu minuatur. *Sedat enim*, inquit Cyrillus, *cùm in nobis maneat Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* S. Bernardus dicit, duo, hoc Sacramentum in nobis efficere; unum, quod *ſenſum minuat in minimis*; alterum, *quod in gravioribus peccatis, tollat omninò conſenſum.* Et alibi; *Si quis veſtrum*, ait, *non tam ſæpè modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, &c. gratias agat Corpori & Sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti in eo.* Eſt enim hoc Sacramentum frumentum electorum, & vinum germinans virgines. Caro enim Chriſti virginea quæ nos alit in Euchariſtia, nos ſui ſimiles efficit, puta virgines, æternum florentes, immortales. Solemnus amnis, amoris eſt remedium.

Sacra Euchariſtia contra impuritatem valet plurimum.

Pſ. 22.

L. 4 in Ioan c. 17.

Serm. 4. in cœna Domin.

De altaris Sacramento & ablu. pedum.

Ezech. 9.

Exempla.

dium; eo enim qui loti fuerint, ſive viri, ſive fœminæ, cupiditatis obliviſcuntur, ait Pauſan. in Attic. Selenno longe nobilior eſt Chriſti Sanguis, qui, ut S. Chryſoſtom. *Impuri amoris flammas reſtinguit, & regiam in nobis reformat imaginem.*

J. Habeſne exempla ad propoſitum?

S. Catharina Senenſ. virgo angelica & ſupra modum ſancta ex virtute Euchariſtiæ.

R. Ita. Sancta Catharina Senenſis virtute Euchariſtiæ effecta eſt virgo Angelica, & virgo talis, ut facta ſit portentum ſæculorum omnium; nam primò, familiariſſimè agebat cum Chriſto, cumque eo que legebat preces horarias. Secundò, Chriſtus eam ſibi in ſponſam annulo in digito inſerto deſpondit. Tertiò, ex ſola Euchariſtia vivebat ſine cibo corporali, ita ut ſi eum ſumeret, videretur moritura, eumque removere cogeretur. Quartò, cùm illa peteret à ſe auferri ſuam voluntatem, ſuumque cor, oraretque: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* Da ergò mihi Domine cor novum, da cor tuum; Chriſtus annuens, aperto latere exemit ei cor (ita ut aliquot dies viveret ſine corde) At poſt triduum aliud ei cor inſeruit: *Accipe*, inquit, *filia cor meum, ut deinceps non tibi ſed mihi vivas.* Undè illa deinceps orans dicebat: *Domine commendo tibi cor tuum non meum.* Quintò, poſt hanc cordis commutationem planè mutata eſt, adeò ut videretur eſſe Angelus & agere vitam cœleſtem. Quocircà ipſa affirmabat Confeſſario ſuo, dicebatque; *Ego non ſum illa quæ fui, tota ſum alia: nam cor meum ita ardet charitate, ut ignis corporalis præ illo ardore mihi non ardere, ſed frigere videatur: ac tanto gaudio in mente perfundor, ut me non capiam, imò mirer quomodò gaudio non dirumpar & amoriar: inſuper tantum in me ſentio amorem erga proximos, tantumque zelum animarum, ut omnes labores, omnia tormenta, etiam mortem pro qualibet ſubire optem, ut eam ſalvem*

Sextò crebrò rapiebatur extra ſe in extaſes, videbatque arcana & ineffabilia. Undè rogata à Confeſſario ut ea explicaret, reſpondebat: verba, inquit, noſtra nimis demiſſa ſunt, tantumque ſignificant res terrenas: quare impoſſibile eſt mihi humanâ voce res tam ſublimes, & tam anguſtas eloqui, nec, ſi ego eloquerer, vos ea capere & comprehendere poſſetis.

In vita ejus.

Ita habet in ejus vita Raymundus, qui fuit ei à confeſſionibus, ac deindè Generalis Ordinis S. Dominici.

In ſtimulis virtutum adoleſcent. Chriſt.

Audivi aliquandò (inquit Baldeſanus) civem quemdam Ferrarienſem de ſe narrare ſolitum, adoleſcentem ſe tam vehementes ſenſiſſe carnis incitationes, ut nec unquam à tentationibus interquieſceret; & aliquoties etiam rueret in peccatum. Avidum tamen ſalutis acceſſiſſe virum religioſum, petiiſſe conſilium: illum dixiſſe hoc tantùm: uxorem duceret. Se feciſſe, poſt aliquot annos uxore mortuâ ſe pertimuiſſe, ne in priſtinas miſerias recideret. Abhorrentem tamen à ſervitute (ſic appellabat conjugium) quam aliquot annos agrè ſubiverat, dediſſe ſe in preces, confeſſione purgaſſe, divinis epulis confirmaſſe animum. His ce rebus ita ſibi vires adverſus furias appetituum creviſſe, ut ſeipſum admirans & dolens ſuperioris ætatis infelicitatem diceret: Heu me miſerum! & cur non olim adoleſcens incidi in hominem, qui non diceret: uxorem duc, ſed utere frequenter Sacramentis.

LECTIO XIII.

5. Remed.

I. PRogrediamur ſi placet ad quintum & ſextum infamis vitii remedia, quæ nuper, ſi recordor, ad hanc lectionem deſtinaſti?

R. Optimè recordaris. Igitur quintum luxuriæ remedium quod huic lectioni addixi, eſt *fuga mulierum.*

Fuga mulierum.

I. Eſtne conſuetudo & familiaritas cum mulieribus perículoſa?

R. Dicat expertiſſimus Salomon: *Luſtravi univerſa animo meo, &c.* & quid tan-

Digitized by Google

Salomon invenit amariorem morte mulierem.

tandem curioſè omnium rerum indagator reperiſti? Inveni, inquit, *amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator eſt, capietur ab illa.* Primò; mulier amarior eſt morte, quia mors ſemel enecat, at mulier quotidiè, imò ſingulis horis & momentis amaſios ſuos importunis ſuis poſtulationibus, querelis, clamoribus, litibus, rixis cruciat, ut videatur eos enecare; ſed ita ut illi mortis dolores, agones & angores jugiter ſentiant, numquam verò moriantur, ſed vivi ſemper in longa & viva morte perſiſtant. *Experto*, inquit S. Hieronymus *Credendum eſt Salomoni.*

Secundò, fœmina eſt laqueus venatorum, quia quot in ea ſunt corporis ornamenta, tot ſunt juvenum laquei, & mentis irretiendæ vincula.

Tertiò, ſagena eſt cor illius, primò quia toto corde, mente, animo meditatur mille meretricias artes & dolos, quibus amaſios illiciat, capiat, & perdat. Secundò cor accipe non ſolum, ſed cum oculis ſive oculatum. In oculis enim radiat cor & amor: quare oculi fœminæ ſunt peſtiferi, ut baſiliſci, ait S. Baſil. qui ſolo intuitu enecat intuentes ſe.

In cap. 3. Iſaiæ.

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Fæmina.

Ut dixit Virgilius Poëta. Et alius.

Fæmina fax ſatanæ, fœtens roſa, dulce venenum,
Urit enim vultu, viſu, riſu, cute, cultu.
Hujus ab illecebris (ſapiens vis eſſe) caveto.

Hom. 21. ex variis in ſancti Matt. locis.

Ut meritò de ea dixerit ſanctus Chryſoſtomus: *Quid eſt aliud mulier*, inquit, *niſi amicitiæ inimica, & ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta.* Videtur mihi etiam ingenioſè & ſapienter Poëta, damna omnia libidinoſæ mulieris complexus eſſe duobus Verſibus. Sic enim de ea reſpectivè canit:

In Emblem. cui titulus: libido vetita.

Corpus opes, animam, conſortia, fœdera, famam.
Debilitat, perdit, necat, odit, deſtruit, aufert.

Quartò, *vincula ſunt manus illius*; q. d. multi capti ſunt ab ea, perindè ac ſi colligati eſſent in carcere, juxta illud Proverbiorum 7. *Statim eam ſequitur, quaſi agnus laſciviens, & ignorat quod ad vincula ſtultus trahatur.* Ita videmus nonnullos viros bonos, etiam Eccleſiaſticos, fœminarum, quarum confeſſiones audiunt, vel quas in pietate promovere ſatagunt, ſenſim occulto amore, ſi non carnali, certè ſenſuali ita ſubtiliter capi, ut ipſimet ſe eo teneri neſciant, certè charitas & virtus talium virorum etiam ſenum & religioſorum cùm nimis familiariter, blandè & crebrò agunt cum mulieribus molleſcit, infirmatur & putreſcit, non aliter quàm ſanum contactu putridi marceſcit.

Nota. Epiſt. ad Nepotian.

Quocircà S. Hieronymus Nepotianum monet dicens: *Omnes puellas & virgines Chriſti aut æqualiter ignora aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior Davide, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Ægrotanti tibi quilibet frater Sanctus aſſiſtat, & germana vel mater, vel probatæ quadam apud omnes fidei. Scio quoſdam convaluiſſe corpore, & animo ægrotare cœpiſſe.*

Exemplum.

Lib. 4. Dial. c. 11.

Mirum eſt quod de Urſino Presbytero animam penè agente narrat S. Gregorius. Hic venerabilis Presbyter cùm longam vitæ implêſſet ætatem, anno quadrageſimo ordinationis ſuæ inardeſcente graviter febre correptus, ad extrema deductus eſt. Sed cùm eum mulier quædam conſpiceret ſolutis jam membris quaſi in morte diſtentum, ſi quod adhuc ei vitale ſpiramen ineſſet, naribus

Digitized by Google

naribus ejus appoſitâ curavit aure dignoſcere. Quod ille ſentiens, cui tenuiſſimus ineſſet flatus, quantulo adniſu valuit, ut loqui potuiſſet, infervéſcente ſpiritu collegit vocem atque erupit, dicens recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. Eſt enim, uti Sanctus Baſilius monet, mulier ſimilis igni. *Mulieris carnem non velis tangere, ne per tactum ejus inflammetur cor tuum, & ſpiritu tuo labaris in perditionem. Sicut enim fœnum proximans igni comburitur; ita qui tangit mulieris carnem non evadit ſine damno animæ ſuæ, & licet corpore caſtus evaſerit, mente tamen ac corde corruptus abſcedit.*

Admonit. ad filium ſpirit.

Mulier ſimilis igni.

Idem de ſancta Virginitate, fœminam comparat magneti: ſicut enim magnes trahit ad ſe ferrum, licet diſſitum, ſic virum ad ſe pellicit ſpecies & vox fœminæ. Undè de ſua amaſia dicebat quidam.

Magneti.

Baſiliſco.

Ut ferrum magnes, mea me ſic attrahit Agnes.

Idem in cap. tertium Iſaiæ mulierem comparat baſiliſco, ut mox audivimus.

Quintò, *Qui placet Deo effugit illam.* Magnum ergò Dei donum eſt ab ea liberari, quod Deus Sanctis ſuis concedit. Præmium enim ſanctitatis eſt caſtitas.

I. Sed quod hujus mali remedium?

R. Unicum quod ſuggerit Apoſtolus: *Fugite fornicationem.* Id eſt, fugite aſpectus, colloquia, conſuetudinem fœminarum; & quod dicit Sapiens: *In medio mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Nam ſicut tinea innaſcitur veſtibus, atque ab eis ſuam trahit originem: Ita in ipſo mulierum aſpectu, & converſatione cum eis, inſita eſt iniquitas viri, quæ indè velut naturaliter progignitur, non minùs mentem hominis corrumpens quàm tinea veſtes. Sicut ergò veſtes diligenter cuſtodiendæ ſunt, ne eis corrumpens tinea ingeneretur; ita & mens hominis vigili cuſtodiâ munienda eſt, ne ei à mulierum conſortio corruptio ingeneretur, quæ ſi ſemel admittatur, ſicut ingenerata veſti tinea, ſemper ſerpit & totam veſtem erodit: ita & libidinoſa cogitatio in mente recepta paulatim proſerpit & totam ejus pulchritudinem exedit, niſi tempeſtivè occurratur. Huic Apoſtolicæ & Sapientum doctrinæ venuſto diſticho occinit Poëta his verbis:

1. Cor. 6.

Eccli. 42.

Ianſen. in Comment.

Quid facies facies Veneris cùm veneris ante?

Ne ſedeas, ſed eas; ne pereas per eas.

Hinc Joſeph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, & quaſi ad morſum rabidiſſimæ canis, ne paulatim virus ſerperet, pallium, quod tetigerat abjecit.

Exempla. Gen. 39. Hieron. cont. Iovin. l. 1.

Refert Cardin. Vitriaco de ſancta Maria d'Oignies, quod ipſa jejuniis ita corpus maceraſſet & ſiccaſſet, ut per plures annos ne primos quidem libidinis motus ſenſerit: cumque quidam vir gravis caſto & ſpirituali affectu manum ejus ſtringeret, indeque ſentiret carnis motus, illa hoc ignorans, audivit vocem de cœlo; *noli me tangere.* Nec intellexit, ſed eam narravit alteri qui rem intellexit; & deinceps à tali contactu abſtinuit.

De altera hujus lectionis parte, id eſt, de ſenſuum internorum & externorum refrænatione ſatis ſuperque in ſuperioribus lectionibus egimus, præſertim lectione 4. 5. 6. & 8. hujus capitis quo lectorem remittimus.

6. Remed. de ſenſuum internorum & externorum refrænatione.

I. Saltem more tuo adfer hic exemplum quod iſti materiæ ſerviat.

R. Facio lubens: ſcribit S. Hieronymus de S. Hilarione, anno ætatis decimo quinto ſolitudinem ingreſſo: Titillabat ſenſus ejus, & pubeſcenti corpori ſolita voluptatum incendia ſuggerebat. Cogebatur tyrunculus Chriſti cogitare quod neſciebat, & ejus rei animo pompam volvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque ſibi, & pectus pugnis ver-

Exemplum.

verberans quaſi cogitationes eædem manus poſſet excludere: ego, inquit aſelle faciam ut non calcitres; nec te hordeo alam, ſed paleis: fame te conficiam & ſiti gravi, onerabo pondere: per æſtus indagabo & frigora, ut cibum potiùs quàm laſciviam cogites. Herbarum ergò ſucco, & paucis caricis poſt triduum vel quatriduum deficientem animam ſuſtentabat orans frequenter & pſallens, & raſtro humum fodiens, ut jejuniorum laborem, labor operis duplicaret.

LECTIO XIV.

I. LIbenter etiam audiam quæ pro ſeptimo & octavo luxuriæ remediis diſſeres?

7. Remed. B. Virgin. & ſanctorum patrocinia.

R. Gaudeo equidem ſemper tibi gratus eſſe quæ dico. Septimum igitur quod propoſueram remedium eſt Beatiſſimæ Virginis Mariæ cæterorumque Sanctorum, eorum præſertim, qui caſtitate excelluerunt, imploratum patrocinium. Ad iſtud nos ſancti hortantur: *Ita quæcumque eſtis virgines, ad Matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretioſiſſimam, & incorruptibilem poſſeſſionem patrocinio ſuo vobis conſervabit:* Et fauſto planè ſucceſſu illam quotidiè adeunt, quibus eſt virtus & illibata puritas cordi, cum Eccleſia orantes;

S. Chryſ. ſer apud Metaphraſt.

Hymnus Eccleſiæ.

Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.

Egregia enim Maria (inquit Ambroſ.) *quæ extulit ſignum ſacræ virginitatis, & intemeratæ virginitatis pium Chriſto vexillum levavit: cùm ad cultum virginitatis Sanctæ Mariæ advocentur exemplo.* Porrò nullum Virgini gratius exhibebis obſequium, nullo obſecrationis genere efficacius ejus opem ſollicitaveris, quàm ſi ad ejus honorem & imitationem bonam operam caſtitatis ſtudio navaveris. *Vt impetres ejus ſuffragium* (inquit Bernardus) *non deſeras converſationis exemplum.* Ita virgines S. Ambroſius hortatur: *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas; vitaque B. Mariæ, de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi; ubi tanquam in exemplari magiſteria probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis oſtendunt.* Sed præter imitationis ſtudium; alia erunt ſive dignitatis Deiparæ, ſive noſtræ ſubmiſſionis præſtanda indicia, quibus nos Virgini devotos eſſe palam profiteamur. In hoc genere ſunt imagines aut domi expoſitæ, aut fortè de collo appenſæ; peregrinationes ad loca Virgini ſacra piè ſuſceptæ; vota ad ejus honorem nuncupata; jejunia, aliæve corporis auſteritates, diebus potiſſimum Sabbatinis; aut ſolemnitatum ejuſdem pervigiliis uſurpatæ. Denique precum quarumdam formulæ conceptæ ad Virginis venerationem: Ut ſunt Officium B. Mariæ, Litaniæ Lauretanæ, Roſarium, & alia ejuſmodi, quæ velut quotidianum penſum ſanctiſſimæ Matri ab ejus clientibus exſolvitur. Tum verò maximè ad dulciſſimam matrem eſt recurrendum, cùm majus aut vicinius urgentis tentationis eſt periculum. Revocanda enim tunc ad animum eſt illa D. Bernardi admonitio: *Si inſurgant venti tentationum: ſi incurrant ſcopuli tribulationum; reſpice ſtellam, voca Mariam.* Neque eſt quod impetrandi auxilii ſpem minuat, ſeu peccatorum gravitas, ſeu vitii longo tempore confirmati pertinacia; nam quantùm B. Virgo habet erga nos miſericordiæ, tantùm apud Deum habet potentiæ: ut tantò certius illi confidere debeamus, quantò major eſt noſtra miſeria, quæ illius commoveat ampliùs miſericordiæ viſcera. Hujus rei exemplo ſit deſperatiſſimus ille Theophilus de quo Metaphraſtes, & nos ſuprà p. 2. c. 11. lectione 8. retulimus.

De inſtit. virgin. 49. c. 5.

Hom. 4. ſup. miſſus l. 2. de Virgin.

Hom. 2. ſup. Miſſus.

I. Su-

I. Solétne B. Virgo opem ferre iis qui eam invocant contra impudicitiæ diſcrimina?

Exempla. R. Ita. Cùm S. Thomas Aquinas à ſcorto in caſti adoleſcentis cubiculum ad impium facinus ingreſſo ſollicitaretur; filium & matrem inclamans concluſus pugil ita precatus eſt: *Ne ſinas, quæſo, ò Domine Ieſu, & tu ſanctiſſima Mater, & Virgo Maria ut tam immani me ſceleri obſtringam!* Vix Virginem implo- *In ejus vita.*rat, ſubitò maſculos animos concipiens, propè in fugam furere cœpit; pro telo eſt, quidquid occurrit; titionem arripit è foco, inſilit in monſtrum, & procul abigit; inſignis victor qui virginitatis cingulum ab Angelis lumbos perſtringentibus ad victoriæ memoriam & fructum glorioſè reportavit.

Quæ ibi in hanc rem à me allata ſunt, facile in Angelorum, divorumque caſtimoniæ tutelarium, quos etiam ſingulari ſtudio coli oportet impetrandum patrocinium transferri poterunt. Horum felicitati gratuletur, hos revereatur, hos faciat ſuos deprecatores; qui virtutem amat, ſimilibus aut aliis formandi formulis!

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancta MARIA, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix immaculata, ora.
Sancta Virgo Virginum intemerata, ora.
S. Michaël, ora.
S. Gabriël, ora.
S. Raphaël, ora.
S. Angele cuſtos, ora.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes SS. Beatorum ſpirituum ordines, orate.
S. Joannes Baptiſta, ora.
S. Joſeph Virginis ſponſe, ora.
Omnes Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate.
Omnes SS. Diſcipuli Domini, orate.
Omnes SS. Innocentes, orate.
Omnes SS. Martyres, orate.
Omnes SS. Pontifices & Confeſſores, orate pro nobis.
Omnes SS. Doctores, orate.
Omnes SS. Sacerdotes & Levitæ, orate.
Omnes SS. Monachi & Eremitæ, orate.
S. Agnes, ora.
S. Catharina, ora.
S. Cæcilia, ora.
S. Barbara, ora.
S. Margaretha, ora.
S. Martha, ora.
S. Urſula cum ſodalibus, ora.
S. Lucia, ora.
S. Thecla, ora.
S. Apollonia, ora.
S. Dorothea, ora.
S. Catharina Senenſis, ora.
S. Clara, ora.
S. Bibiana, ora.
S. Scholaſtica, ora.
S. Aldegundis, ora.
S. Suſanna, ora.
Omnes SS. Virgines, orate.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.

ORATIO.

URe igne Spiritus Sancti renes noſtros & cor noſtrum Domine, ut Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, tibi caſto corpore ſerviamus & mundo corde placeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

I. Quæ eſt altera hujus lectionis pars?

R. Reſtat octavum & ultimum, quod propoſueram, libidinum remedium; videlicet, noviſſimorum recordationem. Iſtud eſt fortiſſimum propulſandis voluptaribus telum, noviſſimorum recordatio. Opponit enim timorem cupiditati; & delectationi leviſſimæ atque incertiſſimæ, graviſſimarum certiſſi- *8. Remed. noviſſimorum recordatio forte contra voluptatis telum.*

tiſſi-

tiſſimarumque pœnarum æternam acerbitatem. Quare propriiſſimè huc pertinet iſtud Sapientis: *Memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis.* Singula quatuor noviſſima in hoc Catechiſmo ſuis quæque locis partim in 1, partim in 4. parte expoſuimus; ad quæ pro materia lectorem lubens remitto: At hic recentem ſuggero, vivamque eorum memoriam & meditationem, tùm præſertim cùm tentationum vis eſt acrior, & vehementior inſultus: ſunt enim eo tempore ita repræſentandæ res futuræ, ac ſi animus non diſtantes ſed jam præſentes intueretur.

Eccli. 7.

I. Quo modo id fiet?

R. Quiſquis caſtitatis eſt ſtudioſus, efformabit frequenti exercitio in mentis tabella iſtiuſmodi vivas imagines, iiſque meditandis definiet ſibi quotidiè certum tempus, ſive mane, ſive veſperi, quo ſepoſitis aliis curis, ſolus, loco quieto, ſecum, neque obiter, neque otioſè; ſed attentè & ſeriò reputet, atque in intimo corde ſentiat mortem, Judicium, Cœlum, & Inferos.

Mortis meditatio.

I. Valetne plurimum mors recogitata ad perimendum voluptatis ſenſum?

R. Planè, quod ſtatim ex ipſius cadaveris horrore apparet.

Exemplũ.

Beatus Franciſcus Borgia Dux quondam Gandiæ ex hoc ipſo converſionis ſuæ argumentum ſumpſit. Vide in ejus vita. *Nihil ſic* (inquit Gregorius) *ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quàm ut unuſquiſque hoc, quod vivum diligit, quale ſit mortuũ penſet.* Idem ſenſit S. Auguſtinus: *Si diem,* ait, *mortis ſuæ* (homines) *jugiter cogitare vellent, animam ſuam ab omni cupiditate vel malitia prohiberent.*

Lib. 16. moral, c. 29.

Serm. 3. de Innoc.

I. Homines non modò mortem, ſed vel leviſſimam ejus cogitationem refugiunt.

R. Tu ultrò etiam advoca, & ſtatim, ac vim tibi à turpibus cupiditatibus inferri ſenties, ita tecum loquere: incertus eſt vitæ meæ terminus, mortiſque dies, & lubeat laſcivire? quid ago imprudens? diem neſcio neque horam, quid ſi hoc die hâc horâ, hoc momento moriar? quàm brevi evolarint evanidæ, fumoſæque iſtæ voluptates? cur amo cutem meam, velut quiſpiam ex Epicuri grege porcus? hocne eſt Chriſtiani factum? quid? fœdis delitiis diffluam, mox turpe cadaver & vermium pabulum futurus? *Vir quidam religioſus, cùm ſciret ſepultam fæminam, cujus memoria ipſius aliquando ſollicitabat animum, ingreſſus ſepulchrum abſtulit putridi cadaveris partem. Hanc panno involutam ſervabat, ut cùm ſentiret libidinis commotionem, fœtorem iſtum ſubitò applicaret ad nares non minore ſui victoriâ, quàm moleſtiâ ſenſuum.*

Exemplũ.

2. p. l. contra fornic.

Hæc attenta mortis cogitatio non poteſt non ingerere ulteriorem de judicio quod mortem illicò ſubſequitur recordationem; ex qua ſanctiſſimus Job in vocem iſtam anxietatis plenam erumpebat: *Quid faciam cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum & pondus ejus ferre non potui.*

Iudicii meditatio

Job. 31.

Ad iſta fræna vocat Sanctus Baſilius caſtitatis amatorem. *Si quando te ſenſeris ad unum aliquod cieri & proſilire peccatum; tibi ad mentem revoca formidabile illud nec ulli mortalium tolerabile Chriſti judicium.* Poſthac judicii iſtius formam omnem deſcribit: tum ita concludit: *hoc tu time, & ejuſmodi timore eruditus quaſi fræno quopiam coërce animam, & inhibe ad vitioſam concupiſcentiam propendentem.*

Eodem ut confugerent, ſuos enim hortabatur inſignis Athleta Antonius: *Ceſſabit,* ajebat, *amor mulierum, libidinis extinguetur incendium; ſi ante oculos ſemper habeamus ultimæ retributionis adventum: quia major formido judicii, & pœnarum timor horridus ſimul & lubrica carnis incentiva diſſolvit, & ruentem animam quaſi ex alta rupe ſuſtentat.*

Athan in vita.

Rarum exēplum habes apud Sophron. in prat. ſpirit. c. 10.

Si hæc non ſufficiunt prurientis carnis reprimendæ laſciviæ, vivus ad inferos deſcende, ne mortuus ab eo qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam, eo pertraharis. Conſilium eſt Iſidori: *Quando impulſu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metus, & æterni tormenta incendii ante oculos proponantur, quia nimirùm omnis pœna gravioris ſupplicii formidine ſuperatur. Sicut enim clavus clavum expellit, ita ſæpè recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ.* Sed hujus rei momentum enucleatius Beatus Proſper expendit: *Cogitate*, ait, *quale malum ſit ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, Beatiſſima Sanctorum omnium ſocietate privari, fieri patriæ cœleſtis extorrem, mori vita beata, morti vivere ſempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & Angelis ejus expelli, ubi ſit mors ſecunda damnatis exilium, vita ſupplicium; non ſentire in illo igne, quod illuminat, ſentire quod cruciat, exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis amarâ caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edaciſſimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri: hæc & ſimilia multa cogitare, nihil eſt aliud quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare.* Hæc profectò qui ſigillatim & attentè cogitaret, egone inquiet, ut pro exigui Babylonici calicis hauſtu, pro favo mellis, calicem iræ Domini uſque ad fæces, piecem, ſulphur, fumum, hauriam, neque exhauriam æternum miſer? At ſi quis mihi unquam diceret, ubi flagitio iſti conſenſeris, mox in rogum ardentem conjiciêre: profectò caverem conſentire, ne gratis mihi tam diras pœnas accerſerem; ineptiret ille ad inſaniam uſque (comparatio eſt S Chryſoſt.) qui ut ſemel jucundo ſomno frui poſſet, per totum vitæ tempus ſe graviſſimis doloribus excruciandum traderet; at ego magis infamis & excors ſum, ſi pro ſordidiſſimis, breviſſimiſque voluptatibus me ſempiternis inferorum ignium cruciatibus addicam. Non emam tanti æternùm pœnitere; fruſtrà blandiris, fruſtrà ſollicitas improba nequitiarum nundinatrix caro, fruſtrà venditas, non emam; quid enim? ſordidæ ſunt iſtæ voluptates, & pecudum potiùs quàm hominum. Poteriſne ô maleſuada caro, habitare cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis? non ſunt, omninò non ſunt condignæ voluptates, deliciæ, veneres hujus temporis, ad futuram pœnam quæ revelabitur in damnatis. Quod enim momentaneum eſt, & leve voluptatis libidinoſorum, æternum tormentorum pondus operatur in eis.

L. 2. de ſum. bono c. 19.

Inferi meditatio.

Iſai 3.

I. Horreo ad ea quæ dicis, habeſne etiam hic exemplum?

Exemplū. Spec. exēpl. diſt. 9.

R. Verè horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Horribile quoque eſt exemplum quod ſubjungo: *Pœnitentiarius quidam Summi Pontificis ex familia S. Dominici, cùm ex certis indiciis deprehendiſſet cujuſdam mulieris confeſſionem ſibi ſacrilegè factam fuiſſe, ad eam rediit, ut ad confeſſionem peccatorum integram adhortaretur: verùm jam illa è vivis exceſſerat; dat ſe vir pius in preces, cùm ecce die poſt obitum tertio infelix mulier prodit in conſpectum. Draconi illa velut equitans inſidebat, hærebant capiti pro capillis lacertæ, ut furiis ſolent, duo tetri angues collum monilium inſtar circumplexi os triſulcum ad depaſcenda ubera exertabant: duo item fœdi bufones oculorum utroſque orbes compleverant, ex auribus igneæ ſagittæ duæ emittebantur; jam ex ore uti è fornacula ſulphureorum ignium globi undabant; duo denique canes rabido dente crudeliter manus diſcerptas vorabant, horruit qui ſpectabat, quis enim non perhorreſceret? at illa primò juſſit metum ponere, tum in hæc verba prorupit: ego illa ſum infelix quæ nuper ad aurem peccata explicui, verùm quia turpe peccatum, quod admittere minimè puduerat, puduit fateri; huic pœna in æternum adjudicata ſum.*

Horribilis pœna mulieris laſciva.

Digitized by Google

Damnata ob peccati reticentiā in confeſſione.

ſum. Lacerta, quæ capite toto horripilant, ornatum capitis puniunt, bufones obſcœnos aſpectus caſtigant; ſagittæ ignitæ cantum, ſermonis, quæ impuram laſciviam vindicant: ſerpentes verò illi qui ubera, & canes qui manus dirè ac immaniter dilaniant, & hic equus draco qui incredibili me cruciatu lancinat, tactus actuſque impudicos vitæ impuræ damnant. Plura dicere parabat, cùm repentè eo quo venerat vectore, flens ac ejulans aſportata eſt rurſum ad inferos.

I. Habeſne aliud exemplum quo probes hujus octavi remedii uſum Sanctis benè ceſſiſſe.

Exemplū.

R. Ita. *Martinianus florente ætate cùm in Eremum non ita procul à Cæſarea Paleſtinæ ſeceſſiſſet, tentatus eſt à muliere quadam perdita. Quæ cùm primum miſerabilem mendicitatis habitum, quo neceſſitatis obtentu admitteretur, ſibi ſumpſiſſet: deindè admiſſa, occultæ formæ venuſtatem ſplendore veſtium exornaſſet; tanta verborum malitia obrepſit adoleſcentis animo, ut jam flagitium non recuſaret; feciſſetque ni ſubitò illum divina gratia reſpexiſſet. Itaque reverſus ad ſe, cùm acerbiſſimum de cogitato facinore dolorem concepiſſet, adſtante atque aſpectante muliere, nudus pedibus, ſemel iterumque ſaltu ſe in ignem dat; uſque eo dum doloris acerbitas ambuſtum illum; nec jam pedibus conſiſtentem humo affligeret, dicebatque, ſi non potes ſuſtinere hunc ignem, & ejus ardorem, quare tibi vis ignem æternum, & ejus ardorem intolerabilem peccando præparare & ſuccendere! Sic ceſſavit tentatio, ignisque concupiſcentiæ ignis æterni conſideratione ſopitus fuit. Claudam hunc locum exclamando cum S. Hieronymo:* O ignis infernalis luxuria! cujus materia gula, cujus flamma ſuperbia; cujus ſcintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.

Ignis concupiſcētiæ ignis infernalis conſideratione reſtinctus.

In Ep.

Æterna retributionis meditatio.

Nunc verò, ſi honore magis quàm infamiâ luceris, & præmio potiùs quàm propoſitis ſupplicus traheris, converte oculos, mentemque in cœlum & illic intuere immortalem virginum gloriam, agnum in monte ſtantem, Reginam Virginum adſtantem, circumſtantes caſtiſſimarum mentium choros, Cytharœdorum more novum carmen occinentium; finge te audire omnem harmoniam, ſpectare quaſi oculis tantam felicitatem, auribus haurire *canticum novum, quod nemo poteſt dicere, niſi centum quadraginta quatuor millia qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ* Deo *& Agno: & in ore eorum non eſt inventum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.* Ad hæc audita, dicamne etiam oculis ac mente conſpecta? inardeſcit animus, jamque cupit illic aſſiſtere, ubi ſe ſperat ſine fine gaudere. Sed ad magna præmia perveniri non poteſt niſi per magnos labores. Undè & Paulus egregius Prædicator, dicit, non coronabitur niſi qui legitimè certaverit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum. Sancti cùm in hoc pulvere, in quo nunc ſumus, adhuc verſarentur, viriliter depugnarunt; nos ad primum pugnæ ſignum, aut manus dabimus, aut turpiter cedemus; ſine certamine non reportatur triumphus. Lacedæmonii, cùm viris heroicis poſt mortem publicè coronatas ſtatuas honorificentiſſimè locarent, hanc adſcribebant epigraphen; *Eritis ſicut illi, ſi fueritis ſicut illi.* Dictum id nobis exiſtimemus; eritis ſicut virgines in victoria; ſi fueritis ſicut illi in pugna.

Apoc, 14.

Greg hom. 37. in Evang.

* * * * * * *

DE VII. PRÆCEPTO.

CAPUT VIII.

Non furaberis.

LECTIO PRIMA.

S.Tho.1.2. q.100.a.5. in c.&2.a a.6.ad 2.

I. QUid præcepto ſeptimo continetur?

R. Poſtquam Deus præcedentibus duobus præceptis hominum vitam & pudicitiam communiit, paternâ curâ etiam res externas hoc præcepto tueri dignatur, expreſsè vetans, ne rem alienam invito Domino clam auferamus, implicitè verò, ne rem alterius quoquo modo injuſtè vendicemus, & ne quovis modo damnum in temporalibus, vi, fraude clam vel apertè inferamus.

Connexio & ordo hujus ſeptimi præcepti poſt duo antecedentia.

I. Nunquid etiam aliquid nobis hoc præcepto commendatur?

R. Ita planè, eſt enim hoc præceptum ſicut & ſuperiora diviſum in duas parges. In quarum prima vetatur omnis injuria quæ proximo in rebus externis infertur; in altera verò mandatur nobis ut cum omnibus juſtè vivamus, quod ſuum eſt cuique tribuendo: & inſuper charitatem chriſtianam prout proximi neceſſitas exigit, & facultates noſtræ ferent, exercendo. De quibus ordine dicemus.

I. Quid igitur eſt furari?

R. Furari generatim loquendo, eſt auferre vel retinere rem alienam contra juſtitiam; propriè verò & ſpeciatim furari; eſt auferre vel retinere rem alienam occultè invito Domino.

Furti definitio.

I. Cùm omnem injuſtam rei alienæ uſurpationem Deus hic prohibere velit, cur potiùs furti, quàm rapinæ meminit?

R Quia furtum latiùs patet & ad plura pertinet quàm rapina, quâm tantummodò illi facere poſſunt, qui potentiâ & viribus præſtant. Quamquam nemo non videt, excluſis ejuſdem generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora majori ratione prohiberi.

I. Punivitne aliquandò Deus eos qui rem alienam furto abſtulerant?

R. Ita, Quidam per vigiliam feſtivitatis S. Juliani Martyris equum alicujus, qui tunc fortè ad eandem ſolemnitatem venerat, furto comprehendit, aſcenſoque velociter totâ nocte properat, ſed ceu ut qui lumen perdiderat veritatis, non inveniretur à luce: & cujus pectus cupiditatis tenebræ obſederāt, ejus & furtivam fraudulentiam nox celaret. De talibus enim dicebat in Evangelio Dominus: *Omnis qui malè agit, odit lucem.* Albeſcente igitur cœlo dicebat, jam ſecutus ſum: nam triginta leucas à Sancti Baſilica elongatus ſum: jam ſecus propriam domū eſſe me credo Dum hæc tacitus revolveret intra ſe, factâ jam die cognoſcit ſe ipſi vico propinquum inter populos divagati, timenſque ne ſcelus ſuum patefieret publico, cautè caballum in loco, unde digreſſus fuerat repoſuit: ſic miſer virtute Martyris totâ nocte detentus in circuitu vici fuit & c⁻ſu ione deluſus. Fur nocturnus apum alvearia furatus erat, quæ juris Eccleſiæ S. Medardi erant, Illæ, collecto agmine, furem aggreſſæ in fugam vertetunt, aculearis ſtimulis hominem pungentes, nec dimittentes, donec ad ipſum S. Medardum ipſe totus vulneratus perveniſſet, adhuc undequaque apibus circumſeptus; quo cùm vellet nollet, perveniſſet, provolutus ad S. Medardi veſtigia ſupplex ſibi admiſſum crimen demitti poſtulavit Medardus pro ſua clementia ignovit efflagitanti, manumque extendens, benedictionem, ſigno crucis edito, ut Epiſcoporum mos eſt, ei abſolutionis ſignum impendit. Apes velut non ignaræ Epiſcopalem benedictionem homini delictum abrogaſſe, & Eccleſiæ reconciliatum hominem, non eſſe ulterius defatigandū,

Exempla. Greg. Turon l.1. mirac.c.18.

Joan.3.

Fortunatus Presbyter in vita S Medardi apud ur. tom.3.

à moleſtia ceſſarunt, dimiſſoque homine, velut parentes Medardi juſſis in loca ſua redierunt.

I. Eſtne furtum, quando filii-familias aliquid parentibus ſurripiunt?

R. Ita. Quia rem alienam uſurpant invitis Dominis, nam etſi parentum bona ſint filiis debita, ut in ea poſt mortem ſuccedant: needum tamen eorum ſunt domini, multò minùs eorum habent adminiſtrationem; ut eis ad libitum uti poſſint. Quare peccant mortaliter, ſi notabilem ſummam parentibus ſuffurentur: *Qui trahit aliquid à Patre, & à Matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicida eſt.* Hæc tamen notabilis ſumma debet eſſe major in filio, quàm in famulo vel externo, quia pater plus indulget filio quàm externo: unde & facilius filius à reſtitutione excuſatur, uti docet Petrus Navar. & ex eo Leſſius l. 2 de injur. fortun. c. 13.

Prov. 28. v. 24.

I. Eſtne etiam furtum quando famuli aut famulæ ſuis dominis & heris aliquid auferunt?

R. Ita, ex conſimili ratione. Contrectant enim bona dominorum præter, imò contra eorum aſſenſum & voluntatem; cujus rei ſignum eſt, quod oſtendant palam id ſibi diſplicere quando fraudem advertunt. Eſto, ſurripiant tantum eſculenta, & poculenta eis in modum remunerationis communicanda, quorum opera interdum in re familiari utuntur. Ejuſmodi enim prætextus ad nihil conducunt, niſi ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Famulorū furta Deo diſplicent.

I. Manifeſtavitne quandoque Deus id ſibi diſplicere?

R. Ita. *Quodam tempore Exhilaratus puer tranſmiſſus à domino ſuo fuerat, ut Dei viro (Benedicto) in Monaſterium vino plena dua lignea vaſcula, quæ vulgò flaſcones vocantur deferret; qui vinum detulit, alterum verò in itinere pergens abſcondit. Vir autem Domini, quem facta abſentia latere non poterant, vinum cum gratiarum actione ſuſcepit, & deſcendentem puerum monuit dicens: Vide fili, ne de illo flaſcone quem abſcondiſti bibas, ſed inclina illum cautè, & invenies quid intus habet. Qui confuſus valdè à Dei homine exivit. Et reverſus volens adhuc probare quod audierat, cùm flaſconem inclinaſſet, de eo protinus ſerpens egreſſus eſt. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per id quod in vino reperit, expavit malum quod fecit.*

Exempla. S Greg. l. 2 Dial. c. 18.

I. Auferre aliquid minimum v. g poma aliquot ex alieno horto decerpere, eſtne furtum?

R. Ita. Vide confeſſ. S. Auguſtin. l. 2. c. 7. & 8.

I. Qui taliter eſt animo diſpoſitus ut multum ſurriperet ſi occaſio adeſſet, reverâ autem parum tantum aufert, quia non plus invenit, peccatne graviter?

R. Ita. quia tam magnum eſt peccatum, quàm latè patet voluntas & intentio furandi. *De corde exeunt mala cogitationes & furta,* &c. Vide S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. & 6. Matt. 15.

I. Qui in extrema neceſſitate conſtitutus tantùm ſubtrahit de bonis alienis, quantùm ſatis eſt ad ſublevandam ſuam indigentiam, committitne furtum? S. Tho. a. 7

R. Minimè, ſi aliter evidenti & urgenti neceſſitati ſubveniri non poteſt: Cavendum tamen à ſcandalo; neque plus accipiendum eſt quàm ad ſuſtentandam vitam in præſenti neceſſitate ſatis eſt. Sunt enim in extrema neceſſitate omnia communia, ſaltem quoad jus utendi, ita ut licitè quivis illis anguſtiis preſſus poſſit occupare, ſibique vindicare rem quamlibet adeò ſibi neceſſariam, & ex ejus uſu ſibi & proximo opitulari. Eſt communis ſententia D.D.

Quod valdè notare debent Confeſſarii, ne duriùs æquo ſuos pœnitentes tractent, qui id tantum acceperunt, quo extremè indigebant ad vitæ ſuæ meram conſervationem; ad quod natura ipſa jus tribuit. Hoc ſenſu dixit Ambroſius: *Eſurientium panis eſt quem detines, nudorum*

Leſſ. l. 2. c. 12. dub. 12.

Serm ſi & refertur diſt. 47. c. Sicut hi.

Digitized by Google

rum indumentum quod recludis, miſerorum eſt redemptio, pecunia quam in terra fodis.

I. Si auferam cuipiam rem parvi momenti, quam tamen ille maximi facit, & propter quam valde perturbabitur, vel diras imprecabitur, peccabone graviter?

R. Indubiè, ſi prævideris, vel prævidere potueris id fuiſſe ſecuturum.

I. Quænam cenſenda eſt quantitas notabilis ut ſit peccatum mortale in materia furti?

Quantitas notabilis & mortifera in materia furti.

R. Communior ſententia Doctorum modernorum ſtatuit quantitatem duorũ regalium. Quæ non mathematicè, ſed moraliter ſunt intelligenda, ſicut juſta rerum pretia, quæ no conſiſtunt in indiviſibili termino.

I. Surripiendo gallinam v. g. aut rem aliam viliorem duobus regalibus, magno incommodo vel mœrore afficiam miſerã perſonam, cui ejuſmodi gallina, vel res alia computatur in bonam partem cenſus ſive rei familiaris, committone peccatum mortale?

R. Ita. Quamvis non in ſpecie furti, cùm res quæ ſurripitur non ſit notabilis pretii; eſt autem peccatum mortale contra charitatem proximi, qui ex hoc notabili incommodo aut triſtitia afficitur.

Inventa.

I. Si quis inventa ſibi retinuerit, committitne furtum?

14. q. 5. c. ſi quid.

R. Ita. Nam clara ſunt verba Auguſtini: *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.*

I. Quid, ſi dominus rei neſcitur?

Cajet. in Summa.

R. Si poſt diligentem inquiſitionem dominus repertus non fuerit, inventa pauperibus, vel aliis piis operibus ſunt impendenda. Eſt ferè communis DD. ſententia & eam tenet S. Thom. 2.2. q. 62. art. 5. ad 3. certè hæc videtur eſſe Domini voluntas, ut ſic ei res ſua aliquo modo proſit, & quiſque de rebus ſuis perditis ita fieri cuperet; niſi inventor fortè ipſe verè pauper fuerit; quo caſu confeſſarius poterit ei rem inventam vel in totum vel in partem permittere, prout judicaverit in Domino convenire.

I. Qui viribus pollens non operatur, ſed circuit vicos & civitates eleëmoſynas colligens & mendicato victitans, peccatne contra hoc præceptum?

Validi mendicantes.

R. Ita. Imò qui turmatim ſolent vagari & otiari, ruſticis infeſti (uti ſolent nullius frugis nebulones, telluris inutile pondus, quos Ægyptios vocant) debent poſt carceris ergaſtula flagellati in exilium deportari, uti docetur l. 2. rubrica 1. a. 4. fol. 34. Ordinationum Imperialium & Statutorum Regalium. Neque eis permitti debet ut eleëmoſynas per Eccleſias colligant. Vid. Bullam Pii V. Kal. Auguſti 1566 quæ incipit: Cùm primùm Apoſtolatus.

I. Quare debent ejuſmodi validi mendicantes, otioſi, vagabundi procul pelli?

R. Quia non ſolùm furantur, ſed ut plurimùm etiam bona & fortunas proximi vi illatâ invadunt; undè rapinam committunt quæ eſt ſpecies furto gravior.

I. Quare dicis quod rapina ſit ſpecies furto major?

Rapina.

R. Quia rapina includit violentiam, quæ fit Domino ſciente, quæ furtum excludit. Itaque novam rationem injuriæ continet, quia novam rationem involuntarii. Alterum enim eſt involuntarium, tamen alterum eſt longè magis involuntarium, & alterius rationis. Undè patet rapinam eſſe gravius peccatum quàm furtum, cæteris paribus ut docet S. Tho. a. 9. & ibidem Cajet.

I. Eſtne furtum grave peccatum?

Oſeæ 4.

R. Eſt ex genere ſuo peccatum mortiferum. *Audite*, inquit Propheta, *verbum Domini, Filii Iſrael, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra, Maledictum, & mendacium, & homicidium, & fur-*

furtum, & adulterium inundaverunt. Zacha. c. 2 *&c.* Et alius Propheta: *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur judicabitur, &c.* Et Apo- 1. Cor. 9. ſtolus Paulus: *Fures regnum Dei non poſſidebunt.*

I. Undè poteſt adhuc colligi furari eſſe grave peccatum.

R. Ex multis incommodis quæ ex eo manant. Qui enim furatur dat cauſam mille ſuſpicionum & judiciorum temerariorum, quæ de his & de illis ſæpenumerò perperam concipiuntur; hinc odia, inimicitiæ, & innocentium interdum condemnatio. Verùm quod rei caput eſt, furtum ſubſequitur reſtitutionis obligatio; *non enim dimittitur peccatum*, inquit Auguſtinus, *niſi reſtituatur ablatum*. Quantam verò id patiatur difficultatem ſatis declarat Propheta: *Væ ei, qui multiplicat non ſua; uſquequò & aggravat contra ſe denſum lutum?* Ubi Propheta opes injuſtè Habacuc. comparatas vocat denſum lutum, ex quo quis non niſi difficultate maximâ poteſt ſe expedire.

LECTIO II.

Sacrilegiū in materia furti. I. SUntne etiam aliæ plures ſpecies injuſtitiæ hoc præcepto prohibitæ?

R. Ita. Primò, ſacrilegium quod committit qui rem ſacram accipit, aut profanam in loco ſacro tanquam in aſylo depoſitam. *Vide quæ ſuprà diximus hâc eâdem parte c. 2. l. 20. & Leſſium l. 2. c. 45. dub. 2. ſeqq. Vide etiam 17. q. 4. c. qui, quis c. ſacrilegium, c. qui rapit. & 14. q. 4. c. ſi quis Syl. verbo Sacrilegium.*

Sacrilegiū cum vi illata loco ſacro notatum ex communicatione. I. Quid ſi ad furandum effringantur fores Eccleſiæ, aut vis inferatur feneſtris aut muris ejuſdem?

R. Eſſet crimen excommunicatione notatum, c. conqueſti 22. de ſent. excommu. Nota tamen alterum non ſufficere, ſed utrumque debere conjugi, effractionem, & ſpoliationem, ut Cajet. c. 21. v. excom. & Navar. n. 94. docent.

I. Habeſne exemplum huc pertinens? *Exempla.*

R. Habeo. Leo Conſtantini Coptonymi Filius religioſus quidem & pius ab initio: verùm ubi coronam Eccle- *Zonar to. 3. Niceph. 18. c. 42.* ſiæ à Mauritio donatam geſtaſſet, carbunculi morbo vexatus ardenti febre tandem extinguitur, uti ſuprà notavimus.

Fures ſpoliantes aliquandò Capellam *Sur. to. 6.* S. Edmundi Angliæ Regis & Martyris ita ſe quaſi compedibus vinctos ſenſerunt, ut nullatenus ſe loco movere potuerint, donec pœnitentiam egiſſent reſtitutione factâ.

I. Adminiſtratores bonorum Eccleſia- *Varia ſacrilegii ſpecies.* ſticorum, hoſpitalium, aliorumq; piorum locorum, qui per cupiditatem prædictorū locorum bona, ſenſus ac jura, fructus emolumēta, ſeu quaſcumque obventiones in ſuos uſus converterint, committuntne furtum?

R. Imò committunt ſacrilegium. Vide *Seſſ. 22. c. 11.* Concil. Trid. Patet hoc ex multis canonibus 17. q. 4. etſi enim hæc bona nullam in ſe ſanctitatem habeant, tamen jure naturæ & canonico, ob reverentiam, quæ cultui divino debetur, debent eſſe ab occupatione ſæcularium immunia. Similiter antè dicti adminiſtratores qui in mora fuerint reddendorum computuum, ſi inde Eccleſia & loca pia notabile detrimentum patiantur. Rurſum qui variis artibus *Trid. 25. c. 12. de refor.* decimas Eccleſiis obvenientes, ſubtrahere moliuntur, aut qui ab aliis ſolvendas temerè occupant, & in rem ſuam vertunt.

I. Quare ſolvuntur decimæ Eccleſiis & Sacerdotibus?

R. Quia jure divino & naturali, mi- *De decimis.* niſtrantibus populo ſpiritualia debetur ſuſtentatio; ut oſtendit S. Paulus ad Cor. 9. ubi inter cætera ait: *Si nos vo-* 1. Cor. 9. *bis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* & 1. ad *Decimæ omni jure Eccleſiis debitæ ſunt.* Timoth. 5. *Qui benè præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. dicit enim Scriptura: Non alligabis bos* bovi

Digitized by Google

bovi trituranti. Denique Dominus Luc. 10. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Quibus locis apertè ſignificatur eſſe debitum, non gratiam, miniſtros Eccleſiæ ſuſtentari. In cujus rei figura Abraham dedit decimas Melchiſedech ex omnibus ſpoliis quæ Babylonius in bello ademerat. Vide Hebr. 4. v. 4.

Gen. 14

I. Cur præcisè ſolvitur decima, ſive decima pars?

Denarius ſymbolum perfectionis.

R. Eccleſia determinavit hanc quotam, videlicet decimam partem: quia denarius ſignificat perfectionem; eſt enim terminus numerorum ſimplicium, omnes illos continens: cæteri ex ipſo ſemel vel ſæpius repetiti, & ex alio ſimplici componuntur. Unde denarius ſymbolum eſt perfectionis. Itaque decimam Deo in miniſtris ſuis tribuentes ſignificamus nos Deo debere etiam in oblationibus & largitionibus bonorum noſtrorum temporalium omnem perfectionem: novem autem retinentes nobis, ſignificamus nos eſſe imperfectos, & expectare perfectionem à Deo per ipſius miniſtros. Si Judæi decimam ſuis Sacerdotibus ſolvebant, qui umbris tantùm futurorum deſerviebant: Quantò majori ratione Chriſtiani quorum juſtitia abundare debet (pluſquam Scribarum & Phariſæorum) decimam ut minimum debent ſolvere miniſtris novi Teſtamenti, qui ſunt multò digniores, præſtantque functiones longè graviores & excellentiores? Vide S. Auguſt. ſerm. 219 de tempore, & ſuprà Pſal. 246. Clem. l. 2. conſt. Apoſtolic. c. 29. 38. 39. S Hieron. ſup. c. 3. Malach.

16. q. 1. & ext. de decimis. & Clem. 1. eodem.

I Nonne decimæ ſunt meræ eleëmoſyne in Eccleſiam ejuſque miniſtros collatæ?

Affirmare decimas Eccleſiis debitas non eſſe niſi meras eleemoſy-

R Minimè. Jam enim dixi, decimas eſſe ſubſidium naturali, divino, & canonico jure Sacerdotibus debitum propter miniſterium ſpirituale. Secundò Conc. Later. ſub Innoc. III. c. 54 docet decimas ante quodlibet aliud debitum vel tributum eſſe ſolvendas.

Tertiò Concil. Conſt. ſeſſ. 8. damnavit Wiclef, qui docebat decimas non eſſe ullo jure Sacerdotibus debitas, ſed eſſe meras eleëmoſynas.

nas hæreticum eſt.

Unde reſponſio noſtra eſt de fide. Vide Concil. Trid. ſup. cit. ubi excommunicari mandantur, qui eas aut ſubtrahunt, aut impediunt; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvi. Vide S. Bern. ep. 95. ad Theobald. Comitem.

ſſ. 25. c. 12.

I. Quâ ratione perſuadebis populo ſpontaneam & liberalem decimarum ſolutionem?

Spontaneè & liberaliter ſolvenda decima.

R Allegarem locum illum Malach. c. 3. *Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam, &c.* Et quod habet S. Auguſtinus l. 50. Homil. hom. 48. *Majores,* inquit, *noſtri adeò bonis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant. Modò autem quia diſceſſit devotio Dei, acceſſit indictio fiſci. Nolumus cum Deo partiri decimas, modò autem totum tollitur; hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus. Dabis impio militi quod non vis tradere Sacerdoti.*

C. Majores 16. q. 6.

c decimæ 16. q. 1.

I. Punivitne aliquando Deus illos qui decimas Eccleſiis debitas ſolvere detrectarunt?

R. Ita. *Canutus Danorum Rex cum ſummo ac pio ſtudio contenderet, ut Chriſti miniſtris liberalius, & commodius de decimis & primitiis provideretur, inſigni cujuſdam Blacconis perfidia traditus, ab inſana plebe trucidatur. Quo facto tanta frumentorum penuria univerſam Daniam invaſit, ut maxima populi pars alimentorum inops, inedia conſumeretur. Enimverò abundè ſeges finitimis erat, ut privata gentis, non publica terrarum ultio videretur. Nec prius Danicis agris fœcunditas reſtituta eſt, quàm populus ad cor converſus pœnitentiam ageret, ſe tam ſanctum Regem occidiſſe, qui tam juſta &*

Exempla. Martyrol. Uſuardi 6. idus Julii.

2. Molan. Orat. 2. & 3. de decimis.

honeſta pro Chriſti miniſtris poſtulaſſet Iamque experimento didicerant ſe juſtè novem frumentorum partes amiſiſſe, qui decimam ex eis Deo & Dei miniſtris reddere noluiſſent Refert ex Cranszio, Vſuardo, & aliis Ioannes Molanus 26. Novemb. S. Bellinum Epiſcopum Paduanum cùm divitem quemdam nomine Thomam Capinacsum cogeret ad ſolvendas decimas; ab eo in itinere interfectum, atque cùm poſt mortem multis miraculis clareſceret, ab Eugenio IV. catalogo Martyrum adſcriptum eſſe.

Exemplum.

Homicidam autem à Deo punitum ad ſummam egeſtatem redactum & ab omnibus dereictum, in carcere miſerè vitam finiiſſe; poſteros ejus verò templum in honorem S. Bellini Deo dicatum numquam ingredi potuiſſe, quin & paulò poſt omninò defeciſſe.

I. Habeſne inſuper alias furti ſpecies?

Aliæ furti ſpecies.

R. Ita. Fures ſunt qui pauperum & pupillorum loca curantes uni proprio commodo ſtudent & in ſua emolumenta cunctas rationes & computus adaptant.

Qui operariorum mercedem defraudant vel aliter quàm conventum ſit, invitis illis ſolvunt, & hoc annumeratur peccatis in cœlum clamantibus.

Qui debitis ſe non exonerant; creditores circumveniunt, debita inficiantur, aut debito tempore merces emptas non ſolvunt, foro doloſè cedunt, magno Reip. communique damno.

Operarii qui conventam diurnam operam ignaviter præſtant, temporis nullam rationem habentes.

...ac ead. 65.

Qui fraude, vel quàvis arte vectigalia & tributa Principibus debita ſubtrahunt fures ſunt; mandavit enim Chriſtus Dominus: *Cæſari reddenda quæ ſunt Cæſaris.* Matt 22. & S. Paulus prædicavit, *cui tributum, tributum dandum eſſe* Rom. 13. de his nos plura alibi.

I. Qui hæredes vel teſtamentorum executores, defunctorum ultimas voluntates non curant executioni demandari, impinguntne contra hoc præceptum. *non furtum facies?*

R. Omninò. Tenentur enim illi ad ea præſtanda & exſolvenda onera quæ teſtamento ſcripſit defunctus; præſertim illa quæ piè legari aut in eleëmoſynam donari voluit animæ ſuæ bono.

I. Quid de mercatoribus?

Mercatores.

R. Plerique eorum animam venalem habent; qui mille pravis artibus & deceptionibus proximum circumveniunt; qui contractus illicitos ineunt; qui augendæ rei præpoſterâ cupiditate accenſi mendaciis, juramentis & perjuriis multis contra omnem religionem ſeſe obſtringunt, & non rarò diris ipſis devovent.

I. Nonne etiam interdum nobiles fures ſunt, & ſocii furum?

R. Planè Ut nihil dicam de iis qui caſtra ſequuntur; quorum pleriſque nulla fides, nulla pietas, nulla omninò conſcientia: Nobiles qui à ſuis ſubditis indebita, vi aut metu extorquent, furibus annumerandi ſunt; iiſque non malè adjunxeris, Prætores, Officiales, Publicanos, Receptores, burſam ſuam ſine modo & juſtitia replentes.

I. Eſtne illicitum vendere beneficia aut officia Eccleſiaſtica?

C. 2. l. 10. Simoniæ.

R. Ita, & peccatum ſimoniæ, quæ ut alibi diximus, & eſt ſpecies ſacrilegii, quâ res ſacra indignè tractatur, dum pretio temporali æſtimatur & in contractum deducitur.

I, Qui pecuniam ſive quodvis aliud pretium ſumunt pro mutuo, peccantne etiam contra hoc præceptum?

R. Ita, & uſuram committunt, ſi hoc lucrum ſumunt immediatè ex mutuo, id eſt, ex vi pacti mutationis. Vid Leſſi. l 2. c. 20.

Vſura S. Th. 2. 2. q. 78.

I. Quare non licet ex mutuo lucrum accipere?

R. Quia eſt contra jus naturæ, ut idem bis ſeu duplici pretio vendatur, Sed uſurarius hoc facit: nam vel accipit uſuras pro ſorte, & ſic pro eadem re duplex pretium

Cur non licet ex mutuo lucrum accipere.

Digitized by Google

tium accipit, nempè ſummam ſorti æqualem, & prætereà uſuram; vel accipit eas pro uſu ſortis, & ſic vendit alteri uſum rei non ſuæ, ſed ipſius: Nam per mutuum transfertur dominium in mutatarium, & conſequenter etiam uſus rei.

Item uſus rei illius non diſtinguitur à ſubſtantia rei, ſi æſtimationem ſpectes: nam uſus illius eſt alienatio, & quaſi conſumptio ſubſtantiæ: Ergò pro uſu rei, & pro ſubſtantia rei non poteſt diſtinctum pretium accipi. Vide Covar. l. 3. variar. c. 1. n. 5.

I. Non eſt illicitum ex elocatione domus accipere pretium?

R. Verum eſt. Sed hic diſparitas eſt rationis; nam hæc duo diſtincta ſunt, domus videlicet, & uſus ejus, non ergò mirum ſi pro his duobus aliquid ſeparatum & diſtinctum accipi poſſit. Aliud eſt in mutuo prout proximè diximus.

I. Non licet ergò mihi quidquam lucri deſumere ex eo quod proximo meo per mutuum rem gratam fecerim?

R. Iniquum eſt principaliter ſperare lucrum ex mutuo, tanquam pretium ejus & ex juſtitia debitum; teneris enim proximo in neceſſitate conſtituto mutuum gratis dare & abſque ulla ſpe & intentione retributionis. *Mutuum date nihil inde ſperantes.*

Luc. 6. *Dives difficile intrabit in cœlum.*

I. Deus bone quanti fures & uſurarii.

R. Planè ità eſt. Unde dicebat Dominus: *Amen dico vobis, quia difficilè intrabit in regnum cœlorum.*

Matt. 19. *Cupido pecuniæ, ſive avaritia magnum peccatū.*

I. Quæ eſt iſtius rei ratio?

R. Quia cupido divitiarum facit eas coacervari per fas & nefas.

I. Eſtne grave peccatum iſta cupido ſive avaritia?

R. Ita; vocat enim Apoſtolus illam: *Idolorum ſervitutem*: & alibi dicit: *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* (Coloſ. 3. — 1. Tim. 6. — Eccli. 10.)

Et Sapiens: *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam: Hic enim* (qui eam amat) *& animam ſuam venalem habet.* Quia pro auro vendit animam ſuam diabolo, uti faciunt magi & ſagæ. Hujus rei exemplum fuit Judas, qui vendendo Chriſtum, vendidit animam ſuam dæmoni, ideoque ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. Vide S. Baſilium in diteſcentes avaros, Homil. 6. & 7. & S. Ambroſ. l. de Nabothe Iſraëlita.

I. Quid divitibus avaris præcepti dares ad curanda eorum vitia?

R. Nullum aliud quàm quod Apoſtolus iiſdem prædicari vult per diſcipulum ſuum Timotheum: *Divitibus hujus ſæculi*, inquit, *præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* 1. ad Tim. 6.

Igitur Apoſtolus hic ſeptem præcepta dat divitibus.

Septem præcepta divitibus dat Paulus.

Primum eſt ut in ſuis opibus ſpes ſuas non defigant.

Secundum, ut ſperent in Deo vivo.

Tertiò, vult Apoſtolus divitibus præcipi benè agere, id eſt, ut bona operentur, & fugiant luxum aliaque peccata & mala opera, quæ opes conſequi ſolent.

Quartò, vult divites fiant in bonis operibus, multa ſcilicet bonorum operum merita ſibi accumulando: veræ enim divitiæ ſunt non aurum & argentum, ſed virtutes & virtutum opera.

Quintò, ut facilè tribuant, id eſt, ut faciles ſint ad dandam eleëmoſynam.

Sextò, ut communicent, id eſt, ut rerum ſuarum uſum communem faciant per mutuum, commodatum, aliſque modos à donatione diſtinctos. Vult enim divites ſua liberalitate non tantùm donare, ſed utenda dare: opes enim eis ad uſum datæ ſunt, tum proprium, tum alienum.

Septi-

Digitized by Google

Septimò, vult Apoſtolus divites theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum; id eſt, firmas opes, & benè fundatas, ſcilicet ſpirituales, cæleſtes & æternas: putà virtutes & virtutum pietatiſque opera. Has enim opes quaſi fundamentum ſolidum opponit incerto divitiarum hujus ſæculi. Ut apprehendant vitam veram, ſcilicet beatam & æternam in cœlo, ubi Chriſtus admonet ut collocemus theſauros noſtros, *ubi neque ærugo neque tinea demolitur.*

Matt. 6. v. 19.

LECTIO III.

De reſtitutione.

S. Tho. 2. 2. q. 62.

I. QUid eſt reſtitutio?

R. Eſt actus juſtitiæ quâ res accepta redditur, vel damnum illatum compenſatur.

I. Eſtne reſtitutio neceſſariò facienda?

R. Ita, eſt de neceſſitate ſalutis.

I. Qui hoc fit?

Reſtitutio neceſſaria neceſſitate ſalutis.

R. Quia neceſſarium eſt ad ſalutem, ſervare Dei præcepta. Atqui præceptum ſeptimum quod vetat furari, jubet omnem injuſtitiam & omne damnum proximo illatum ſarciri, idque ex lege juſtitiæ.

Fur reſtituere nolens abſolvi non poteſt.

I. Qui in confeſſione accuſat ſe damnum quodvis, per homicidium, per adulterium, furtum, rei alienæ detentionem, infamiam, ſive alio modo proximo iniquè intuliſſe, poteſtne abſolvi ſi voluntatem reſtitutionis faciendæ non habuerit?

R. Minimè, talis enim non eſt diſpoſitus ut decet, quandoquidem velit manere in ſtatu peccati, ſive injuriæ illatæ: nam, non reſtituere in hac materia, perindè eſt ac proximo injuriam facere.

Ep. 54. ad Macedonium recitatur 24. q. 6. ſi res aliena.

Notanda ſunt hìc verba Auguſtini: *Si res aliena propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

I. Quid ſi reſtitutio ſit impoſſibilis?

R. Ad impoſſibile nemo tenetur, Propterea ſubdit Auguſt. *Si, ut dixi reſtitui poteſt. Plerumque enim qui aufert, amittit ſive patiendo malos, ſive ipſe malè vivendo, nec aliud habet undè reſtituat. Huic certè non poſſumus dicere, redde quod abſtuliſti; niſi cum habere credimus, & negare.*

Adhortatio ad Confeſſarios.

Nota Confeſſarios, ſi voluerint officio ſuo ſatisfacere, diligentem operam ſtudiis navare debere, cum materia injuſtitiæ ampliſſima ſit, cujus eos notitiam habere oportet, ut in tribunali conſcientiæ rectè poſſint judicare, & animas à peccati laqueis abſolvere.

Reſtitutio & ſatisfactio multum refert.

Nota ſecundò, magnam eſſe differentiam inter reſtitutionem quæ fieri debet proximo quando damnum illatum eſt vel res ejus ablata; & ſatisfactionem, quæ Deo fit, ob culpam contra ipſius majeſtatem commiſſam; eſt enim pœnitentes reperire uſque adeò bardos, forte etiam Confeſſarios, qui exiſtiment ſe plenè officio functos, ſi peccatum injuſtitiæ confeſſi fuerint & ſatisfactionem à confeſſario injunctam adimpleverint, nulla reſtitutione factâ; quaſi Deus cum peccato remitteret ſimul quamlibet injuriam proximo illatam. Qua de re confeſſarii, pœnitentes ſuos diligenter inſtruere debent, ne alienorum peccatorum participes fiant, eandemque cum illis damnationem incurrant.

I. Habeſne exemplum.

Exemplum. P. 2. c. 10. §. 2.

R. *Horrendum exemplum narrat P. Philippus d'Outreman in ſuo Pædagogo Chriſtiano: Uſurarius quidam nobilis in Italia confitebatur Sacerdoti peccata abſque propoſito ab uſuris deinceps abſtinendi. Confeſſarios, quod rectè monerent, & abſolutionem negarent diverſis vicibus mutavit. Tandem incidit in quendam Religioſum, qui cæteros ſcrupuloſitatis accuſabat, & placentia loquebatur, hominemque toties quoties relapſum abſol-*

Digitized by Google

abſolvebat: & quod prædives eſſet uſurarius ille, epulabatur quotidiè ſplendidè, confeſſarie ad menſam ſæpè ſæpius adhibito. Cùm autem veſpere quodam lautè ſimul fuiſſent epulati, Religioſo ad monaſterium reverſo, ſubitanea morte defungitur dives, & unà cum Confeſſario à dæmonibus duobus, qui in ſervorum ſpecie è monaſterio eum acceſſerant, tanquam agonizanti ſpirituales ſuppetias laturum, ad inferos corripitur jure merito, ut qui culpa particeps fuerat, eſſet & pœna.

Notent & hortentur Confeſſarii.

Audiant Confeſſarii, audiant Concionatores, audiant animarum curatores, audiant Epiſcopi, audiant Superiores omnes quod iis minatur Ezechiel, ſi officio ſuo defuerint: *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël: & audies de ore meo verbum & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via ſua impia, & vivat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram* Et capite 33 *Quod ſi ſpeculator viderit gladium venientem & non inſonnerit buccinâ, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram. Si diligenter*, ait ſanctus Auguſtinus, *attendistis, omnes Sacerdotes in grandi periculo eſſe cognoſcetis Ipſis enim conteſtatur Spiritus ſanctus dicens* Iſaiæ 58 *Clama ne ceſſes.* Et Ezech. 33. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram.*

Ezech. 3.

Et 33.

Sacerdotum periculum.

I. Proſequamur ſi placet materiam reſtitutionis, quiſnam tenetur reſtituere?

Quis debet reſtituere.

R. Quicumque damnum intulit proximo in corpore, in vita, in fama, in fortunis, ſive in quacumque alia re, tenetur ad reſtitutionem,

Quicumque mandavit & conſuluit, adjuvit & conſentit ad furtum: qui participavit; qui fures receptavit, aut furta in domo ſua occuluit; qui non impedivit cùm poſſet, & deberet impedire.

I. Filii-familias qui pecuniam aut quidvis aliud parentibus ſurripiunt, tenenturne ad reſtitutionem?

R. Haud dubiè, quandoquidem, ut in ſuperiori lectione vidimus, furtum committunt. Dummodò res vel ſumma, ut ibidem notavimus, ſit notabilis. Ita ſtudioſi in Univerſitatibus, ſi expenderint in res turpes aut vanas (ut in ludum, in compotationes, in fœminas) notabilem ſummam contra voluntatem parentum, ex his pecuniis, quas parens iis ad honeſtos uſus dedit, v. g. ad emendos libros, victum, veſtes, tenentur ad reſtitutionem. Navar. cap. 17. num. 164. Ratio eſt, quia parens non conceſſit iis pecunias ad tales uſus, ſed ad alios; neque intendit illas ſimpliciter donare, ſed cum reſtrictione ad uſus determinatos, v. g. ad emendos libros; ita ut filius non accipiat earum dominium ad alios uſus. Nota tamen ſi talis expenderit more aliorum ſuæ conditionis in eleëmoſynas, ludum, & honeſtas recreationes, non erit cogendus ad reſtitutionem: præſumitur enim parens id permittere, niſi conſtet de contraria voluntate. Nav. ſup. nu. 157.

I. Quid ſi matre conſciâ, id à filiisfamilias fiat?

R. Nihil refert; non eſt enim adminiſtratio bonorum familiæ regulariter & ordinariè niſi penes patrem.

I. Qui mutuum acceptum non reddunt, vel ſunt in mora, aut fortè non totum, non æquè bonum, ubi acceperunt, tenenturne ad reſtitutionem?

R. Ita abſque dubio: imò etiam ad omne intereſſe quod indè emergit. Similiter etiam qui debita ſolvendo damnificat in aliquo creditorem. Ratio manifeſta eſt.

I. Quantum reſtituendum eſt?

R. Quantum acceptum, retentum, vel

Quantū

debitum eſt; ſi id neſcitur determinatè, ad arbitrium viri boni prudentis.

I. Quid ſi defuncto, cui non eſt hæres, manſerim debitor quinque vel ſex florenorum, nonne ſatisfecero ſi curaverim v. g. unam Miſſam ad animæ ejus refrigerium celebrari?

R. Certè non; quia aliquis accepta eleëmoſyna tot florenorum, dicet ordinariè decem aut etiam plures Miſſas pro defuncto: undè non ageres hâc ratione utiliter rem proximi tui, neque competenter reſtitutionem.

Cui?

I. Cui facienda eſt reſtitutio?

R. Illi qui damnum paſſus eſt, aut ejus hæredi.

I. Quid ſi Eccleſiæ aut pauperibus reſtituam, nonne id ſufficiet?

Non ſufficit Eccleſia aut pauperibus reſtituere, ſi Dominus comparet.

R. Minimè, nec enim Eccleſia aut pauperes damnum paſſi ſunt, ut ſupponitur. Quod ſi damnum paſſo aut ejus hæredi reſtitutio fieri non poſſit, reſtituatur ſaltem Eccleſiæ aut pauperibus?

I. Reddidero libenter duplum Eccleſiæ aut pauperibus?

R. Id non ſufficit. Si enim debes Joanni v. g. non ſatisfacis ſolvendo Petro, ita quoque non ſatisfacis reddendo Eccleſiæ id quod debitum eſt alicui in particulari; niſi ut dixi, cui res debetur non reperiatur.

Quomodo reſtituendum?

I. Sed quomodo reſtituetur ei, cui res competit, honore ſalvo?

R. Primò. Hæc eſt difficultas quæ furtum ſemper conſequi ſolet. Cætera peccata, ſi legitimè confeſſa fuerint, id eſt, integrè cum dolore, & emendationis propoſito, abſolvuntur, & actum eſt; ſola injuſtitia ſecum trahit id oneris, videlicet reſtituendi. Undè fit ut multi ex iſto luto non emergant.

Secundò. Reſpondeo, non deeſt modus honeſtè id & abſque honoris detrimento faciendi: Age cum tuo Confeſſario; interpoſitâ perſonâ alicujus amici, vel ipſius etiam Confeſſarii, qui parti læſæ his ſimilibus dicat verbis: *Domine, quidam tibi ſurripuit vel retinuit quod tibi hodie in manus trado; ignoſce illi ob amorem Dei ſuppliciter id expoſcenti, pollicentique ſe deinceps ejuſmodi non admiſſurum, cujus apud Deum jam verè pœnituit.*

I. Sufficitne hoc modo reſtitutionem facere?

R. Ita, dummodò omne damnum aut injuria compenſetur.

Quando.

I. Quandonam facienda eſt reſtitutio?

R. Facienda eſt ſtatim, ſi fieri poteſt, vel ſaltem, petendus terminus. Vide S. Tho. 2. 2. q. 62. a. 8. Ratio eſt, quia retinere rem alienam invito Domino eſt contra præceptum negativum, non furaberis; & præcepta negativa ſemper, & ad ſemper obligant. Ut S. Thomas & cæteri Theologi docent. Adeò quod ille maneat in continuo ſtatu peccati mortalis, qui cùm poſſit reſtituere rem contra juſtitiam acceptam, continuat eam retinere, & quantò diutius eam retinet, tantò gravius peccat; prout & illi qui cum in vita poſſint, ſtatuerunt tamen non ante mortem id facere, quamvis expreſsè teſtamento caverint ut id fiat. Sunt enim, ut ſuperiùs dictum eſt, in ſtatu damnationis, & peccatorum ſuorum contritionem non habent. Hinc infertur quod multi damnantur ob non ſolutionem debitorum, nullum ſibi de ea ſcrupulum conſcientiæ incutiendo, credentes ſe, antequam per ſententiam condemnentur, non teneri; quia quoties quis alienum injuſtè retinet, & conſiderare debet ſe illud debere, & proponit formaliter vel virtualiter non reſtituere, ſine ulla juſta cauſa, quæ eum excuſet, toties mortaliter peccat. Nam quemadmodum qui concubinam retinet, non eſt pœnitens, ſed pœnitentiæ illuſor, & confitendo, peccatum peccato adjicit; ſic qui opere & voluntate ſine juſta cauſa alienum retinet, non eſt verè pœnitens. Nav. c. 17. n. 64. Ob quas cauſas excuſetur quis à reſtitutione, vel ſaltem poſſit eam differre, vide Leſſ. l. 2. c. 16.

Multi damnantur quod negligant ſolvere debita.

I. Eſt

Digitized by Google

I. Eſtne verum quod defunctus non poſſit è Purgatoriis pœnis liberari niſi perſolutis integrè debitis?

R. Non. Poteſt enim Martyr, aut certè perfectè contritus occubuiſſe, vel etiam in Jubilæo plenè fuiſſe ab omnibus peccatis abſolutus; & ſic rectà vadit ad cœlum; Quod ſi fortè ob negligentiam venialem non ſolutorum debitorum tantiſper Purgatoriis pœnis detineatur, certè deletâ culpâ veniali relaxabitur & pœna. Vide S. Thomam quodlib. 6. ar. 13.

LECTIO IV.

De Eleëmoſyna.

S. Th. 2. 2. q. 32. a. De eleëmoſyna eſt præceptum.

I. QUod eſt ſecundum, quod hic dicebas eſſe præceptum?

R. Eſt eleëmoſyna.

I. Quomodo cenſes hic eleemoſynam eſſe præceptum?

R. Quia, ſi non demus pauperi quod ſupereſt nobis, ad ſtatum honeſtè ſecundùm conditionem noſtram gerendum; hoc ipſis ſurripimus & furamur; uti aſſerunt & ſubſcribunt SS. Patres,

Mirus præſtantiſſimorum Eccleſiæ Patrum in hac doctrina conſenſus.

ſanctus Baſilius oratione ad divites, in illud Evangelii, deſtruam horrea mea: *At tu*, inquit, *nonne ſpoliator es, qui quæ diſpenſanda accepiſti, propria reputas: eſt panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam tu in conclavi conſervas, diſcalceati calceus, qui apud te marceſſit, indigentis argentum, quod poſſides inhumatum, quocircà tot pauperibus injuriam facis quot dare valeres.*

Sanctus Ambroſius ſerm. 81. *ſed ais*, inquit, *quid injuſtum eſt, ſi cum aliena non invadam, propria diligenter ſervem; ô impudens dictum! propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detuliſti?* Et infrà: *Non minus eſt criminis habenti tollere, quàm cùm poſſis & abundes indigentibus denegare.*

Sanctus Hieronymus in ep. ad Hedibiam q. 1. *Si plus*, inquit, *habes, quam tibi ad victum veſtitumque neceſſarium eſt, illud eroga, & in illo debitricem eſſe te noveris.*

S. Auguſt. in Pſ. 147. *Superflua*, inquit, *divitii neceſſaria ſunt pauperi: res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua poſſidentur.*

Idem in Hom. 8. ex libro 50. Hom. ſic loquitur: *Defert tibi Deus honorem & quaſi tibi dicit: prior de communi tolle, quod ſufficit de neceſſitatibus domus tuæ; quod reliquum, da Chriſto.* Sanctus Chryſoſtomus hom. 34. ad populum Antiochenum, *numquid*, inquit, *grave quidpiam & oneroſum à nobis requiris? neceſſitatem excedentia, vult nos facere neceſſaria; quæ nequidquam & inutiliter repoſita ſunt; hæc vult benè diſtribui.* Et aliquando poſt: *ſuarum rerum es, ô homo, diſpenſator, non minùs quàm qui Eccleſiæ bona diſpenſat.* Et mox: *non ad hoc accepiſti, ut in delicias abſumeres, ſed ut in eleëmoſynam erogares: nunquid enim tua poſſides? res pauperum tibi ſunt credita, ſive ex laboribus juſtis, ſive ex hæreditate paterna poſſideas.* Hæc ille, qui de ſuperfluis loquitur, non de iis quæ ad perſonam vel familiam neceſſaria ſunt. Sanctus Bernardus ep. 42 ad Henricum Archiepiſcopum Senon. ſic ait: *Noſtrum eſt, pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter ſubtrahitur, quod vos inaniter expenditis. Noſtrum*, id eſt, *nobis debitum eſt, non ex juſtitia, ſed ex charitate.*

Porrò ne quis dicat hæc, concionatoriè per exaggerationem dici, didacticè & ſcholaſticè S. Thom. 2. 2 q. 87. a. 1. ad 4. *Dominus*, inquit, *non ſolùm decimam partem, ſed omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi.* Et q. 66. a. 7. ita definit: *Res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi.*

Denique in 4. Sent. hanc eandem eſſe teſtatur communem Theologorum ſententiam.

Hæc adducere placuit ex doctrina Sanctorum doctiſſimorumque Patrum,

Digitized by Google

ne quis exiſtimaret doctrinam noſtram traditam nimis eſſe rigidam ac ſeveram.

I. Habeſne exemplum alicujus Sancti, qui hanc ſententiam ſibi duxerit in praxi ſervandam?

Exemplũ. R. Ita. Sanctus Franciſcus teſte S. Bonaventura, & aliis in ejus actis, quæ ſibi quaſi pauperi data erant, ſi pauperior quis ab eo eleëmoſynam petiiſſet, illicò non tam donabat, quàm juri ſuo cedebat. Undè audiens vetulæ cujuſdam inediam, dixit: frater mi, reſtituamus alienum hoc (pallium ſuum denotans) quod ego retinebam, donec æquioris tituli poſſeſſor appareret. Jam apparuit pauperrima quædam ſoror noſtra, ad quam rogo ut mittas hoc meum pallium, cum quibuſdam panibus ex eleëmoſyna collectis. Quæ dum fratres portaverint dicant, quod ſuum erat ſibi dari: reputo enim, quæ nobis conferuntur, in noſtrum cedere uſum, donec indigentior ſupervenerit.

S. Bonav. in vita ejus.

Remunaratur Deus eleëmoſynas. Sed vide miram Dei providentiam, & remunerationem Eodem tempore aliqui ex Pontificiis detulerunt tot panni ulnas, quot S. Patri, ejuſque ſociis veſtiendis ſufficiebant.

I. Quid eſt eleëmoſyna?

R. Eſt beneficium ſeu charitatis actus quo alterius miſeriæ ex commiſerationis affectu ſubvenimus.

I. Non habent illi charitatem quos pauperum non miſeret?

1. Joan. 3. R. S. Evangeliſta Joannes putat impoſſibile eſſe quòd charitatem quis habeat & pauperum non miſereatur. *Qui habuerit*, inquit, *ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

I. Quotuplicia ſunt genera eleëmoſynæ ſeu miſericordiæ?

Eleëmoſyna duo genera. R. Sunt duplicis generis, corporalia ſcilicet & ſpiritualia: quoniam vel ad corporalem, vel ad ſpiritualem miſeriam proximi ſublevandam ſpectant.

I. Quot ſunt opera miſericordiæ corporalia?

Opera miſericordiæ corporalia. R. Septem: Eſurientes paſcere, potum dare ſitientibus: Operire nudos: Captivos redimere: Ægrotos inviſere: hoſpitio peregrinos ſuſcipere: mortuos ſepelire.

I. Quot ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia?

Opera miſericordiæ ſpiritualia. R. Sunt & ipſa ſeptem: Peccantes corrigere: Ignorantes docere: Dubitantibus rectà conſulere: Pro ſalute proximi Deum orare: Conſolari mœſtos: Ferre patienter injurias: Offenſam remittere. Quæ his vulgatis verſiculis comprehenduntur:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

Cujus numeri rationem elegantem videre licet apud S. Thomam, qui metro indulget, ut conſulere intelligatur tam quoad ſpeculativum, quàm practicum intellectum. Adeoque etiam docere complectatur.

I Quiſnam tenetur ad faciendam eleëmoſynam?

R. Quilibet poteſt facere eleëmoſynam aliquam, ſive corporalem, ſive ſpiritualem. Poteſt enim quilibet habere ad manum aliquid, quo alterius miſeriam ſive corporalem ſive ſpiritualem ſublevet. At hîc de ſola corporali eleëmoſyna agimus.

I. Inveniturne in Scriptura aliquod præceptum quo mandetur eleëmoſyna?

R. Ipſum præceptum Decalogi ſcriptum fuit in tabulis legis: Cujus Eccleſiaſticus cap. 29. apertè meminit: *Propter mandatum aſſume pauperem, & propter inopiam ne dimittas eum vacuum, perde pecuniam propter fratrem.* Hâc brevi Eccli. 29. ſententiâ oſtenditur eleëmoſyna eſſe præcepti divini & naturalis: divini quidem, quia præceptum hoc morale, quod etiam in nova lege obligat, ſæpe in

Scrip-

Digitized by Google

Scripturis divinis inculcatur: naturalis autem, tum quia jus naturæ dictat, etiamſi ſcriptum non eſſet, in neceſſitate ſubveniendum proximo, ſicut in inopia nobis ſubventum vellemus; tum etiam quia res ipſa loquitur pecuniam eſſe rem multò viliorem, quàm ſit frater, ut meritò propter ipſum illius eſſe faciendam jacturam moneat Eccleſiaſticus.

c. 11. Et apud S Lucam: *Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*: Vid. Greg. à Valentina diſp 3. q 9. de eleëmoſyna puncto 4.

c. 25. Rurſùm apud S. Matthæum: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare: ſitivi & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me, &c.* Et infrà: *Tunc dices & his, qui à ſiniſtris erunt: diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus. Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare: ſitivi & non dediſtis mihi potum, &c.* Et paulò poſt: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Ex quo Evangeliſtæ loco, deduco tale argumentum: nullus damnatur ob aliquod omiſſum quod non obligat ſub præcepto; atqui reprobi hìc damnantur ob omiſſam eleëmoſynam; ergò illa eſt in præcepto.

Ephes. 4. Ad hæc, Apoſtolus præcepit: *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat undè tribuat neceſſitatem patienti.* Præceptum (inquit in eum locum Hieron.) Apoſtoli non implet, qui ad hoc tantum laborat ut ipſe non indigeat, & à cæteris rettahit manum.

I. Quandonam obligamur ad eleëmoſynam ſub præcepto?

Eleëmoſyna eſt in præcepto duobus caſibus.

R. In duobus caſibus. Primus eſt; proximo extremè indigenti teneris ex præcepto de ſuperfluis vitæ, etiamſi perſonæ ſint neceſſaria, ſuccurrere. Eſt communis omnium Doctorum ſententia, ut fatetur Nav. Hìc locum habet iſtud: *Si non paviſti, occidiſti.* Secundus caſus eſt: teneris proximo in neceſſitate gravi conſtituto eleëmoſynam tribuere ex præcepto ſub mortali, de ſuperfluis perſonæ. Eſt S. Thomæ multis locis, & communior Theologorum. Cajet. to. 2. trac. 5. de præcepto eleëmoſynæ, Richard. in 4. diſt 15. q. 2. a. 2. Major ibid. quæſt. 5. Angel. Sylv. aureæ armillæ verbo eleëmoſyna. Covar. l. 3. variar. reſol. c. 14. Pet. Navarræ l. 3. de reſtitutione c. 1. n. 358. concl. 3. & plurium aliorum.

I. Ex quibus bonis facienda eſt eleëmoſyna?

Prov. 3. Tob. 4. R. Ex propriis facientis eleëmoſynam. *Honora Deum de tua ſubſtantia.*

I. Si pauperi donarem, id quod obligor reſtituere proximo, valeretne eleëmoſyna?

R. Jam diximus præcedenti lectione quod non.

I. Ad quem ſpectat eleëmoſynam facere?

Quinam obligentur eleëmoſynam.

R. Ad omnes qui habent bona ſuperflua, eorumdemque adminiſtrationem.

Quoad eos qui non ſunt ſui juris, neque aliquid habent proprium, non poſſunt eleëmoſynam dare; v g. filii-familias, Religioſi, ſervi, ancillæ, niſi fortè aliquid minimum, in quo præſumi poteſt de voluntate Superioris. Quod ad uxorem ſpectat, ſervandus eſt mos patriæ: Regulariter & ordinariè non poteſt quidquam notabile donare abſque mariti aſſenſu. *Neque dicat facio de meo quod volo, nam ipſamet ſui-ipſius non eſt* Aug. epiſt. 199.

I. Quomodo facienda eſt eleëmoſyna?

Quomodo facienda eſt eleëmoſyna?

R. Hilariter. *Hilarem enim datorem diligit Deus. Declina*, inquit Sapiens, *pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & reſpondet ei in pacifica manſuetudine.* Se-

cundò, eleëmoſyna fiat ſtatim; qui citò
Cor. 9. dat, bis dat. *Cor inopis*, inquit idem, *ne*
Eccli. 4. c. 7. *afflixeris*, *& ne protrahas datum angu-*
ſtiati. Id ſervabat miſericordiſſimus Job,
cùm diceret: *Si oculos viduæ expectare*
Job. 31. *feci*, *&c.* Tertiò latenter, ſecretò; &
abſque oſtentatione. *Te autem faciente*
Matth. 6. *eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid*
faciat dextera tua, ut ſit eleëmoſyna tua
in abſcondito, &c. Intellige quantum ad
te attinet, & quoad fieri poteſt quatendo
ſecretum. Quartò liberaliter, quantum
media ferunt. Pulchrè docebat Tobias
Tob. 4. filium ſuum, dicens: *ex ſubſtantia tua*
fac eleëmoſynam, & noli avertere faciem
tuam ab ullo paupere; ità enim fiet ut nec
à te avertatur facies Domini: Quo mo-
do potueris, ità eſto miſericors. Si mul-
tum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exi-
guum tibi fuerit, etiam exiguum libenter
Commendatio eleëmoſynæ. *impertiri ſtude. Præmium enim bonum*
tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Quo-
niam eleëmoſyna ab omni peccato & à
morte liberat, & non patietur animam ire
in tenebras. Fiducia magna erit coram
ſummo Deo, eleëmoſyna, omnibus facienti-
bus eam.

Ex quo tamen nolim putes impunè ti-
bi licere peccare, rapere aliena, & fa-
cere quidquid libet, modò des eleëmo-
Eccli. 15. ſynam; *Nemini enim mandavit Domi-*
nus impiè agere, & nemini dedit ſpatium
peccandi. Et hunc nonnullorum, e-
tiam Chriſtianotum, errorem refert &
Ench. c. 70. ex hoc loco refellit S. Auguſtinus. *Sa-*
nè cavendum eſt, inquit, *ne quiſquam*
exiſtimet, infanda illa crimina, qualia
qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt
quotidie perpetranda, & eleëmoſynis quo-
tidie redimenda. In melius quippe eſt vi-
ta mutanda, & per eleëmoſinas de pec-
Vid. S. Tho. 1. 2. q. 113. a. 4. ad 1. Pet. Ribad. l. 2. de prin. Chriſtian. c. 20 *catis præteritis eſt propitiandus Deus,*
non ad hoc emendus quodammodò, ut ea
ſemper liceat impunè committere. Ne-
mini enim dedit laxamentum peccan-
di, quamvis miſerando deleat jam facta
peccata, ſi non ſatisfactio congrua negli-
gatur.

I. Habeſne exemplum in promptu ali-
cujus, qui eleëmoſynam libenter largie-
batur, ſub illa ſpe quod per eam cœlum
ſibi compararet?

R. Robertus Galliæ Rex Hugonis Ca-
peti filius eleëmoſynis coronam Galliæ in
ſua familia ſtabilivit: Nam mille egenis
victum quotidianum præbebat, & cum *Exempla.*
aliò curiam transferret, illis jumenta,
plauſtra, ac rhedas dari jubebat ut comi-
tes eſſent, & pro ipſo Rege continuas pre-
ces Deo funderent.

Miſericordiâ erga Pauperes excelluit
B. Amadeus tertius Dux Sabaudiæ. Nam
non fuit contentus ſolo miniſterio famu-
lorum in Pauperibus reficiendis, ſed ipſe *Bellar. in*
propriis manibus ad menſam illis mi- *vitis SS.*
niſtrabat; certus ſe Chriſto in pauperi- *Principũ.*
bus miniſtrare, cùm Dominus dixerit:
Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus Matt. 25.
meis minimis, mihi feciſtis. Accidit ali- v. 40.
quando ut Legatus magni alicujus Prin-
cipis, cum Duce Amadeo colloquens
peteret, an non aleret magnam copiam
canum venaticorum, de more aliorum
Principum; reſpondit Amadeus ingen-
tem omninò numerum canum optimo-
rum à ſe nutriri; quos ſi placuerit vide-
re, ſequenti die, tali horâ adeſſet. Adfuit
ille ad horam indicatam, & Dux intro-
duxit Legatum in proximum triclini-
um, unde in ſubjectam aulæ planitiem
proſpectus erat, Ibi menſam illi admira-
bundo oblongam ſtratam, & cibis om-
nis generis refertam, accumbenteſque
ad eam mendicos quamplurimos oſten-
dit, atque hiſce hominem verbis affa-
tur: Iſti, vir amice, canes ſunt, qui-
bus in vita hac, cujus brevis, incertaque
periodus eſt, cœlum ego venor; ali-
mentaque mihi comparo, quæ manna
omni præſtantiora famem mihi in perpe-
tuum ſiſtant. Ac dicenti inter alia Le-
gato, inveniri ſæpius homines impto-
bos, inerteſque, qui paupertatem ſimu-
lent, & mendicando, quam manibus
laborando, quæ ad victum neceſſaria
ſunt, comparare ſibi velint, reſpõdit Dux,

No-

Digitized by Google

Sapiens Ducis reſponſum. Nollim, inquit tam anxiè iſta inquirere: nam, ſi in actiones noſtras ſic inquireret Deus, malè omninò nobiſcum ageretur; ſed ille pius & clemens *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Sic & nobis melius eſt, in tanta multitudine bonorum eleëmoſynam dividere in aliquos indignos, quàm dum paucos indignos repellere à noſtra liberalitate curaremus, plurimis verè pauperibus injuriam faciamus.

Raphaël. Volater. l. 2. Geographia. *Addit Volaterranus* dicere ſolitum. Etſi alios canes haberem, nullum per eos leporem, vel cervum, vel aprum caperem, qui mihi centum aureis non conſtaret. Malo equidem reditum meum in re magis ſeria collocare.

I. Eſtne aliquando divinitùs punita tenacitas eorum qui illiberales in pauperes fuerunt.

Exemplũ. Geneb. l. 4 Chronograp. ſup. an. Dom. 970. R. Ita. Anno Chriſti nongenteſimo decimo quarto, Ottone magno rerum potiente, cùm dira fames Germaniam infeſtaret, Epiſcopus Moguntinus, Hatto nomine, plurimos pauperes in horreo congregatos, eâ ſpe, quod eſcæ, vel panis nonnihil ex Epiſcopi liberalitate accepturi eſſent, concremavit, dicens; nihil differre eos à muribus, frugibus tantum conſumendis natos. Quam tyrannidem Deus protinus ultus eſt. Præcepit namque muribus, ut catervatim illum invaderent, ac diu noctuque affligerent, vivumque devorare feſtinarent. Itaque ille in turrim in medio Rheni juxta oppidum Bingium extructam, & ab hoc caſu, murium turrim vocatam, aufugit: ſed nec ibi à morſibus murium tutus eſſe potuit. Nam mures facto agmine per Rhenum natantes in turrim conſcendêre, juſtum Dei judicium executuri. Quod agnoſcens miſer horrendâ morte inter mures periit. Ferunt, quod mures nomen quoque ejus delentes à parietibus, & tapetibus abraſerint.

Immiſericors in pauperes miſerè periit.

LECTIO V.

De fructibus eleëmoſynæ.

I. Quâ ratione perſuadebitur divitibus hujus ſæculi, ut liberaliter eleëmoſynas in egenos conferant.

R. Exponantur iis, eleëmoſynæ fructus corporales, & ſpirituales.

Eleëmoſynæ fructus corporales I. Qui ſunt eleëmoſynæ fructus corporales?

Primus. R. Deus providet & de omnibus proſpicit eleëmoſynatio, qui benè facit, miſeretur, & dat eleëmoſynam indigenti, juxta illud Pſaltis & Pauli: *Qui ſeminat in benedictionibus, & de benedictionibus metet*, &c. *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locupletati abundetis.* Illuſtrari hoc poteſt duplici ſimilitudine. Prima putei. Nam ſicut putei continuò exhauſti, & copioſiore & pulchriore fluit aquâ: dimiſſi verò & quieti facilè putent: ſic & opes reconditæ inutiles ſunt, translatæ in pauperes fructum pariunt. Altera, uberum: ſicut enim, inquit Clemens Alexandrinus, ad ubera quæ ſuguntur, vel mulgentur, lac ſolet confluere; ità & opes confluunt ad eos qui erogant illas. Vide Chryſoſtomum hom. quod eleëmoſyna eſt ars omnium quæſtuoſiſſima. Memorabile iſtius rei exemplum exſtat in Prato ſpirituali, de nobili quodam Conſtantinopolitano, qui cùm omnia ſua in pauperes diſtribuiſſet, filio nihil niſi Chriſtum curatorem reliquit: Quare Chriſtus ſe ei curatorem præſtitit, monuitque divitem primarium, ut illi filiam unicam in uxorem traderet, eumque omnium bonorum hæredem ſcriberet, qui id ipſum fecit, juvenique dixit: ecce bonus curator tuus miſit tibi uxorem. Vide S. Cyprian. tract. de opere & eleëmoſ. & S. Baſil. hom. 13. de eleemoſ. Adeò verum eſt

2. Cor. 9. *Similia.* *Baſil.* *L. 3. Pædagogii 97.* *Exemplũ.*

Digitized by Google

Prov. 28.

eſt quod dixit Sapiens: *Qui dat pauperi non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.*

Exemplũ.

Sic S. Joannes, ob liberalitatem cognominatus Eleëmoſynarius, Patriarcha Alexandrinus, dicebat ſe quotidianâ experientiâ diſcere, quod quo plus daret pauperibus, eò plus à Deo reciperet: Videbo Domine quis citius deficiat, an tu mihi dando, an ego egenis diſtribuendo. Deus enim, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, eleëmoſynam ob hoc non ſolùm inſtituit, ut paſcantur indigni, ſed etiam ut dantibus accreſcerent beneficia; atque adeò magis propter dantes, quàm propter accipientes. Et propterea vera eleëmoſyna eſt, ſic dare, ut gaudeas te dare, puteſque te accipere magis quàm dare.

Leont. in ejus vita.

Hom. de eleëmoſyna collat. in Sanct.

Secundus. Exod. 1.

Secundò Deus ſolet temporaliter remunerare eleëmoſynam parentum fœcunditate & munere filiorum. Ita obſtetrices Ægyptias quæ quaſi matres ſervaverunt & aluerunt infantes Hebræorum contra præceptum Pharaonis jubentis illos ſuffocari, Deus remuneratus eſt amplâ ſobole, & familia. Abrahamo & Saræ in præmium hoſpitalitatis exercitæ in Angelos, omneſque peregrinos, natus eſt Iſaac. Id conſiderans Eliezer ſervus Abrahæ cum ejus juſſu Iſaaco uxorem quæreret Rebeccam, ab ea petiit hauſtum aquæ: quæ eum illicò & ipſi & camelis potum affatim præberet, ex hac ejus hoſpitalitate conjecit Eliezer, eam fore congruam Iſaaco uxorem, foreque fœcundam, uti ob eandem fuerant Abraham & Sara. Sic Elias & Eliſeus ſuos hoſpites præmio filiorum, quos ipſi precibus à Deo impetrarunt, remunerati ſunt.

Gen. 24.

Exemplũ.

Tertius. Eccli. 29.

Tertiò, *eleëmoſyna ſuper ſcutum potentis, & ſuper lanceam, adverſus inimicum tuum pugnabit.* Ita legimus nonnullos qui liberales extiterunt in animas defunctorum, ut eas è Purgatorii pœnis liberarent, cùm ab hoſtibus undique impeterentur; ab animabus, quas liberarant viſibiliter apparentibus armatiſque, quaſi ab exercitu cinctos & defenſos illæſos abiiſſe.

Fructus ſpirituales eleëmoſynæ.

I. Qui ſunt fructus ſpirituales eleëmoſynæ?

R. Primò, dum facimus eleëmoſynam, ſeminamus noſtra temporalia in terra pauperum; verùm meſſis iſtius ſementis colligitur in cœlo. *Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Qualiter id egerit Sanctus Laurentius, vide in vita ejus. Undè monebat Chriſtus Dominus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Pſal 111.

10. *Auguſti.*

Eleëmoſyna eſt ſemen.

Nota, eleëmoſyna eſt ſemen; 1. ſemen jacitur in terram, & in ea operitur; ita eleëmoſyna abſconditè & latenter facienda eſt, uti præced. lect. juxta illud Sap. *Conclude eleëmoſynam in ſinu pauperis.* Eccleſiaſtici 29. 2. ſemen abjici videtur & perdi dum terræ mandatur; at non ita eſt, nam glorioſè renovatur & multiplicatur in meſſe colligendum; ita eleëmoſyna eſt ſemen benedictionis æternæ nobis in cœlis repoſitæ ad tempus meſſis, quando colligentur primum zizania. 3. ſemen fert fructum centuplum; ita eleëmoſyna confert nobis ſpiritualia bona, quæ comparatione temporalium in eleëmoſynam diſtributorum, & meritò ſui ita erunt, quaſi ſi parvo numero centenarius numerus comparetur, *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis.* 4. ſemen uno anno jacitur in terram, altero colligendum eſt & metendum; ita eleëmoſynam largimur in anno gratiæ, ejus fructus percipitur in anno gloriæ.

Prov. 19.

Sophron. in prat. ſpirit c. 135.

Exemplũ.

I. Habeſne exemplum quo oſtendas Deum multiplicare ſemen eleëmoſynæ, & augere in futura vita incrementa frugum juſtitiæ noſtræ?

R. Ita. Cum Evagrius Philoſophus audiſſet in Eccleſia, centuplum dari in cœlo pro eleëmoſyna, libras ſexaginta dedit *Syneſio* Epiſcopo diſtribuendas pau-

Digitized by Google

pauperibus, acceptâ ab eo ſyngraphâ, quod pro una centum in cœlo eſſet accepturus; juſſitque moriens filiis, ut ſyngrapham hanc manui ſuæ, dum ſepeliretur, inſererent. Quo facto, die tertiò à morte apparuit Evagrius in ſomnis Epiſcopo dicens: vade ad ſepulchrum meum & recipe chirographum tuum, nam debitum commune recepi, imo centuplum à Chriſto, & à te promiſſum; manè Epiſcopus cum Clero ivit ad ſepulchrum, ex manu Evagrii ſyngrapham accepit, cujus hic erat tenor: *Evagrius Philoſophus Epiſcopo ſuo. Noluerim te pater ignorare, quod pecuniam omnem, quam tibi vivens dedi, centuplicatam, ſicut promiſeras, recepi, quare nullâ deinceps ratione mihi adſtringeris.*

Tob.4. Secundò eleëmoſyna ut nuper diximus, *ab omni peccato & à morte liberat; & non patietur animam ire in tenebras. Nunquam memini me legiſſe* (inquit alibi Hieronymus) *malâ morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit. Talis enim habet multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri.*

Actor.9. Exemplū. I. Habeſne appoſitum ad hanc rem exemplum?

R. Habeo. *In Ioppe fuit quædam diſcipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleë moſynis quas faciebat; factum eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cùm laviſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. Cùm autem propè eſſet Lydda ab Ioppe, diſcipuli audientes quia Petrus eſſet in ea, miſerunt duos viros ad eum rogantes: Ne pigriteris venire ad nos. Exurgens autem Petrus, venit cum illis, & cùm adveniſſet, duxerunt illum in cœnaculum: & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes quas faciebat illis Dorcas. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua, oravit; & converſus ad corpus dixit: Tabita, ſurge. At illa aperuit oculos ſuos, & viſo Petro, reſedit. Dans autem illi manum, erexit eam; & cùm vocaſſet Sanctos & viduas, aſſignavit eam vivam.*

Tertiò, eleëmoſyna eſt quaſi alter baptiſmus, ait Sanctus Ambroſius ſerm. 32. S. Leo ſerm. 2. de collect. S. Hieronym. in Pſalm. 133. Hoc eſt quod Chriſtus Dominus dicebat? *Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Luc.11.

Quartò, eleëmoſyna cauſam apud Deum aget, & peraget, ut in judicio non ſuccumbas. *Superexaltat miſericordia judicium.* Ubi textus Græcus habet: *adverſus judicium gloriatur miſericordia.* Hinc peractum judicium concludet Chriſtus Dominus favorabili iſtâ ſententiâ: *Venite benedicti Patris mei, &c. Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare, &c.* Jac.2. Matth.25.

Quintò, eleëmoſyna eſt velut ſacrificium propitiatorium, & expiatorium peccatorum: uti notavit S. Auguſt. hom. 29. inter 80. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Vide S. Auguſtin. l. 10. de civit. c. 5. Hebr, 1.

Sextò, eleëmoſyna hominem facit ſimilem Deo, Deus enim, eſt ipſum in ſe bonum; natura autem boni eſt ut ſe aliis communicet. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt*, ait Chriſtus Lucæ 6. vide Sanctum Leonem ſerm. 10. de quadrag. & Nazianz. orat. 16. ad pauper. foven. *Nihil*, ait, *adeò divinum habet homo quàm benè facere.* Deus enim maximè hoc titulo gaudet quod vocetur, *Pater miſericordiarum. & Deus totius conſolationis.* 2.Cor.

I. Si tanti ſunt eleëmoſynæ fructus & elogia, multis igitur meritis privantur, qui non habent undè eleëmoſynam faciant, v.g. Religioſi, &c.

L.4.inſinuat.c.8. *Exemplū*

R. Nequaquam, prout ex ſubjecto patebit exemplo. S. Gertrudis auditâ lectione Evangelii quod in Ecclesia feria 2. hebdomadæ primæ Quadrageſimæ recitatur: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare, &c. Venite benedicti Patris mei.* Quaſi conqueſtura Dominum acceſſit, dixitque; heu mihi Domine, nobis non licet hoc opus miſericordiæ exercere, cùm in Religione nihil proprii poſſideamus. Doce me igitur quâ ratione potero tantarum benedictionum particeps fieri, quas promittis iis qui miſericordiam in proximum fecerint. Ad quod Dominus, quandoquidem inceſſanter ſitiam & eſuriam hominum ſalutem, ille mihi dabit manducare, qui conabitur quotidie aliquem habere ædificationis ſermonem ad proximum, ad eum inſtruendum & in viam ſalutis dirigendum. Et qui ſacram Scripturam aut quemlibet alium ſpiritualem librum legerit ob compunctionem & devotionem, ille mihi propinabit poculum ſuavis hauſtus ad reſtinguendam ſitim meam. Rursùm, qui operam dabit quotidianæ animi recollectioni, ut de me totâ ſpiritûs contentione ſaltem per horam recogitet, hic me grato admodum hoſpitio colliget. Qui ſingulis diebus conabitur alicujus virtutis actum exercere, libenter id officii acceptabo tanquam veſtem quâ operiar. Qui magno animo tentationem aliquam ſuperaverit, ille tantumdem effecerit, quaſi me in infirmitate viſitaſſet. Denique eo loco habebo eum, qui diligenter pro impiorum converſione & animarum in Purgatorio exiſtentium liberatione oraverit, ac ſi me in carcere viſitaſſet, & infirmitatibus meis ſolatium præbuiſſet.

Qui non poteſt opera miſericordia corporalia exercere, ſpiritualia exerceat.

DE VIII. PRÆCEPTO.

CAPUT IX.

Non loqueris contra proximum falſum teſtimonium.

LECTIO PRIMA.

I. Quod eſt octavum præceptum? *S.Tho. 1.2. q.100.a.5. in c. & 2.2 q 122.a.6. ad 2.*

R. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*

I. Quæ connexio hujus præcepti cum præcedentibus?

R. Poſtquam ſuperioribus quatuor præceptis quæ ad ſecundam tabulam pertinent & proximum concernunt prohibitæ ſunt injuriæ operum, rectiſſimâ methodo hîc injuriæ verborum vetantur.

I. Dic igitur in ſumma, quid prohibet octavum hoc præceptum? *Ordo & connexio hujus octavi præcepti poſt præcedentia.*

R. Peccata quæ linguâ contra proximum committuntur; in quibus primum locum obtinent falſa teſtimonia in judicio prolata; ſecundò tamen & minus principaliter, prohibentur omnia & quæcumque peccata quæ contra honorem proximi linguâ committuntur. Vid. S. Greg. 3. moral. c. 8.

I. Quinam hoc præceptum tranſgrediuntur, loquendo contra proximum falſum teſtimonium?

R. Quicumque falſum teſtimonium dicunt, accuſationes & calumnias, ſtudio cauſam proximi in judicio injuſtè ſubvertendi, ſive per corruptionem Judicis, ſive accuſatoris, ſive rei doloſè reſpondentis, aut veritatem fateri nolentis; ſive demum corrumpendo Advocatum, Procuratorem, Aſſeſſorem, Scribam. Huc igitur reducuntur peccata eorum, qui negotia juſtitiæ pertractant,

ſtant, ut Judices, Advocati, Teſtes, Notarii, Accuſatores, Procuratores, &c.

Falſum teſtimonii grave peccatum.

I. Eſtne grave peccatum, loqui falſum teſtimonium in judicio?

R. Ita, & quo majorem tuo teſtimonio intuleris injuriam proximo, eò majùs eſt peccatum. Nam ſi in materia criminali teſtimonium falſum dicitur, ubi de capite agitur, longè gravius eſt peccatum, quàm in materia civili, ubi de fortunis diſceptatur. Similiter, quantò majori authoritate pollet, contra quem dicis falſum teſtimonium, tantò enormius eſt peccatum; nam reverà honor perſonæ eminentioris; majoris eſt pretii, quàm perſonæ vilioris, & conſequenter ejus jactura notabilior eſt, & pluris facienda.

I. Vindicatne Deus aliquando inſontes in vitæ perditæ diſcrimine conſtitutos à calumniis falſorum accuſatorum & teſtium?

Exempla.

R. Ita. Vid. Dan. 6. & 13.

Narciſſum Hieroſolymorum Epiſcopum turpis & infamis criminis falsò inſimularunt tres perjuri teſtes: Ac, cùm primus ſibi incendium, ſecundus morbum regium, tertius cæcitatem imprecatus eſſet ni verum diceret, hæc ſingula ſingulis uti optarant, Deo puniente obvenerunt uti refert Euſeb. l. 6. hiſtor. cap. 7.

Qualiter S. Athanaſius à calumniis inimicorum ſuorum fuerit liberatus. Vide Brev. Rom. ad 2. Maii. Illuſtre valdè eſt quod legimus in vita S. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ, quæ cùm falsò eſſet accuſata apud Regem Dionyſium, quod pediſſequum quemdam adamaret; Rex credulus pediſſequum neci, puta incendio, deſtinavit, ut in fornacem calce ardentem projiceretur. Secretò ergò juſſit præfectos fornacis, ut pediſſequum quem poſtridie manè eò miſſurus erat, rogaturum an perfeciſſet id quod Rex juſſerat, illicò in fornacem conjicerent. Itaque manè eò pediſſequum mittit: ille in via audit pulſari ad ſacrum in Eccleſia vicina, eò divertit; audit ſacrum unum, alterum & tertium. Interim Rex putans eum jam in fornacem conjectum, mittit alterum pediſſequum prioris æmulum, qui eum æquè ac Reginam falsò accuſarat. Venit ille, rogat num peracta ſint quæ Rex juſſerat. Præfecti ex indicio à Rege dato putantes hunc eſſe, quem Rex fornaci deſtinarat, ſubitò eum arripiunt & in fornacem intrudunt. Supervenit deindè finitis miſſæ Sacrificiis pediſſequus prior; quem Rex neci deſignarat, rogat fornacis cuſtodes, an Regis juſſa compleverint. Affirmant illi: redit pediſſequus ad Regem, idque renunciat. Obſtupeſcit Rex, remque inveſtigans reperit alium quem ſubmiſerat concrematum. Rogat ergò nuncium, ubi tam longas moras traxerit. Reſpondet ille, ſe audito pulſu rei ſacræ interfuiſſe, eò quod Pater moriens, hoc ei monitum dediſſet, ut ſacrificiis omnibus quæ inchoari vidiſſet, aſſiſteret, donec illa finirentur. Intellexit indè Rex innocentiam Reginæ & pediſſequi, ac calumniam æmuli, juſtumque Dei judicium, qui necem quam illi inſonti ſtruxerat, in ipſummet ſontis caput retorſerit.

I. Puniuntne etiam ſacri canones falſos teſtes & calumniatores?

R. Ita. Vide Gratian. p. 3. q. 5. c. 9. *Conſtituimus.*

I. Etiamne liberavit interdum Deus per miraculum homines juſtos ab impetitione falſorum teſtium & calumniatorum?

R. Ita. Aliquando per confeſſionem & propriam depoſitionem ipſorum defunctorum. Vide Brev. Rom. ad 7. Maii; aliquando etiam veritate per os ipſorum infantium, omni aliàs ſenſu carentium publicatâ.

Exempla.

I. Habes exempla?

Greg. Turon. l. 2. hiſtor. Francorum c. 1.

R. Habeo. S. Brixius Epiſcopus Turon cùm falsò inſimularetur fornicationis, quaſi pater eſſet infantis, quẽ perpere-

Digitized by Google

rat lotrix veſtium ejus, dixit: afferte infantem ad me. Cùm allatus fuiſſet (erat autem infans triginta dierum) ait ad eum Epiſcopus: adjuro te per Jeſum Chriſtum Filium Dei Omnipotentis, ut ſi ego te generavi, coram cunctis edicas. Et ille: non es, inquit, tu pater meus. Populo autem rogante, ut quis eſſet pater, interrogaret, ait Sacerdos: non eſt hoc meum: quod ad me pertinet, ſollicitus fui. Vobis ſi aliquid ſupperit per vos quærite.

Sophron. in Prato ſpirituali c. 114. narrat Danielem Abbatem qui rogante marito, orans ſuper uxore ejus, ei prolem impetraverat, cùm impii ei detraherent, quaſi ipſe prolis eſſet pater, puerulum interrogaſſe: quis eſt pater tuus infans? cui infans: hic: oſtendens digito ſuo verum patrem, Erat autem infans viginti quinque dierum.

I. Qui rei & damnati ſuos Judices, vel etiam calumniantes in cauſa injuſta, citaverunt ad Dei tribunal ibi cauſam dicturos, fueruntne interdum exauditi?

Exempla. R. Ita. *Scribit Fulgoſius, equitem Neapolitanum cum Templariis confratribus ſuis ad ſupplicium raptum ad Clementem V. & Philippum Pulchrum Franciæ Regem, quorum authoritate necabatur, de feneſtra proſpectos, exclamaſſe: quando mihi inter mortales nullus jam ſupereſt, ad quem appellem; ad juſtum Iudicem Chriſtum, qui nos redemit, appello; ut ante ejus tribunal intra annum & diem vos ſiſtatis, ubi cauſam meam exponam; Intra annum verò uterque, rationem Deo redditurus, mortuus eſt.*

Tho. Cantip l. 1. apum c. 35. p. 2. *Quidam adoleſcens conſobrinus majoris Præpoſiti Leodienſis ex devotione Monaſterium S. Iacobi intravit. Quo audito Præpoſitus Monaſterium acceſſit, indè violenter rapuit juvenem, & nudatum ſancto habitu, induit ſæculari. Abbas ergò Monaſterii Epiſcopo conqueritur, & totum Clerum pro injuria interpellat. Hoc cùm indignanter audire vix vellet Epiſcopus, & Abbatem potiùs duris verbis impeteret: Flexis Abbas genibus cum moderamine verborum dixit Præpoſito. Iudicem contra te, ô Præpoſite, in terra habere non poſſum; ideò contra te Deum ſummum Iudicem interpello, ut infra quadraginta dies, uterque noſtrûm compareat coram illo, ſententiam pro meritis accepturus. Ad hæc Præpoſitus cachinnans cum ſuis irriſum hominem repulit. Quadrageſimo die, circa nonam mortuus eſt Abbas. Et cùm pro eo ſolemniter pulſaretur, ſedens in balneo Præpoſitus, quæſivit à circumſtantibus, quid hoc eſſet, reſponſum eſt Abbatem S. Iacobi modò eſſe defunctum, & pro eo pulſationem fieri tam ſolemnem. Recordatus Præpoſitus quadrageſimam diem eſſe appellationis, conſternatus, dixit ſuis. Citò, videte quid faciam, mortuus ego ſum: hodiè oportet me comparere coram ſummi judicis tribunali. Et ſtatim in adſtantium manibus cum magno ejulatu expiravit, ibi procul dubio reſpondere compulſus, ubi cauſarum ſtrepitus ceſſant, Iuriſperitorum advocatio conticeſſit, ubi nec preces, nec pretium liberabunt.*

I. Quando & quomodo peccatur contra hoc præceptum, cognitam veritatem celando?

R. Iſti ſunt caſus maximè obvii. Quando teſtes à Judice interrogati ſecundùm ordinem juſtitiæ, non declarant veritatem. Quod ſi fortaſſis teſtimonium ejuſmodi, tanti ſit momenti, ut ejus defectu proximus veniat in diſcrimen honorum temporalium, honoris aut vitæ: obligabitur teſtis ad omne & quodcumque intereſſe.

Advocatorum officium. Advocatus qui aliquam ſuſcepit cauſam, debet illam ita inſtruere, ut rei veritas evidenter appareat, undè graviter peccat, qui abſque ſtudio & juriſprudentia id facit, cum obligatione reſtituendi damna & intereſſe. S. Tho. 2. 2. q. 7. Navar. in manuali c. 25. n. 28. & Summiſtæ verbo, *Advocatus.*

Si

Digitized by Google

Si Advocatus in cauſæ progreſſu advertat cauſam, ejus patrocinium ſuſcepit, non certo niti fundamento, debet diligenter eum Juriſperitis conferre, & ab ejuſmodi patrocinio deſiſtere, quando repererit nullum probabile ejus eſſe fundamentum, ne clientibus ſuis expenſas inutiles creet. Quamvis ſi cauſa eſt dubia ob varietatem opinionum Doctorum, aut ob diverſos intellectus legis, quâ eſt decidenda, poterit ad finem uſque ſine peccato proſequi, ſi pars ſua id admonita voluerit.

Advocati tenentur pauperibus gratis & pro Deo patrocinari, quando nullus eſt alius qui id faciat, alioquin offendunt Deum mortaliter. S. Thomas, Sotus, & alii.

Notarii qui per ignorantiam aut aliter conficiunt inſtrumenta ſecus quàm oporteat, addendo aliquas clauſulas obſcuras, aut neceſſarias omittendo; tenentur ad omnia damna & intereſſe, quæ ex eorum culpa eveniunt. Qui enim ſuâ culpâ cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur.

I. Quinam impingunt in hoc præceptum per ſecreti revelationem?

R. Notarius, qui revelat, quod ſecretò ipſi commiſſum fuerit, & alia capitula à ſe jurata, cùm creatus fuit Notarius, non ſervat. Vide Summiſtas verbo. Notarius.

Secretorũ revelatio. Quiſquis revelat ſecreta peccata proximi cum detrimento corporis, honoris, aut bonorum ejus temporalium graviter offendit, ſecundùm rei revelatæ momentum, eſtque obnoxius reſtitutioni omnium damnorum inſecutorum.

Secreta aliquando propalanda. Qui abſque neceſſitate divulgat id, quod ſub ſecreto acceperat, tenetur ad intereſſe. Dixi abſque neceſſitate, oportet enim aliquando ſecreta propalare, nimirum quando in ſpiritualem aut corporalem proximi ruinam vergunt. Vide S Thomam q. 70. ſalvo in omnibus Confeſſionis Sacramentalis ſecreto, de quo inferiùs part. 4. cap. 5.

Qui litteras aliorum obſeratas aperit, ex quo notabile proximo damnum obvenit, graviter peccat & ad reſtitutionem damni tenentur.

Qui chartas & libellos famoſos à ſe, vel ab aliis compoſitos publicat cum detrimento notabili famæ & honoris proximi peccat mortaliter, q 1. c. 1. & 2. Cod. de libell. famoſ. l. 1.

LECTIO II.

De Mendacio.

I. Quid eſt mendacium?

R. Mendacium eſt ſignificatio falſi, vel putati falſi pro vero, ſive in verbo, ſive ſignis æquivalentibus proferatur, cum intentione proximum decipiendi. S Tho. 2. 2. q. 110. vide S. Auguſtinum l. de mendacio c 3. *S Tho. 2. 2. q. 110.*

I. Quare dicis, *Sive ſignis æquivalentibus*?

R. Ad declarandum quod mentiri contingat ſignis æquè ac verbis.

I. Faſne eſt aliquando mentiri?

R. Minimè: generatim enim omne mendacium hoc præcepto prohibetur.

I. Quotuplex eſt mendacium? *Mendacium triplex.*

R. Triplex: nimirum, jocoſum, officioſum, & pernicioſum.

I. Quid intelligis per mendacium *jocoſum?* *Iocoſum.*

R. Eſt mendacium joco prolatum; cùm diſcurſibus noſtris, ut magis placeant, intermiſcemus falſa quædam & fabuloſa abſque alicujus præjudicio. De ſimilibus mendaciis accuſat ſe S. Auguſtin. 1. confeſſ. c. 19.

I. Quid eſt mendacium *officioſum?* *Officioſum.*

R. Illud vocamus mendacium officioſum quod nemini incommodat, alicui verò utile eſt. Tale erat v. g. conſilium quod dedit Chuſai Abſalon.

I. Non licet ergò mentiri mendacium quod nemini quidem nocet, prodeſt verò alicui plurimùm, v g. ad ſalvandam vitam proximi.

 R. Non

Digitized by Google

Eccli. 7. R. Non. Nunquam enim licet mentiri. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Neque facienda ſunt mala ut eveniant bona, Innoc. 3. c. ſuper eo. Vide S. Auguſtin. relatum 22. q. 2. c. primum. Et ne dicas, mentior tantùm jocosè vel officiosè, ut aliis proſim, vel ut eos recreem: quia ex aſſiduitate mentiendi, & linguæ volubilitate quandoque mendacium proferes, illudque ſibi non cogitanti excidet, etiam cùm agetur de fama, de bonis & vita proximi, ac per habitum inadvertenter eum infamabis, eiusque cauſâ, ut bonis, & ſubindè vita ſpolietur. Hoc eſt quod ſubdit Sapiens: *Aſſiduitas enim illius*: (mendacii) *non eſt bona.* Rursùm ex mendacio facilis eſt lapſus ad perjurium; qui enim crebrò mentitur, & crebrò jurat, impoſſibile eſt, ut ſæpè non juret falſum.

Omne mendacium vetitum eſt.

Omne mendacium illicitum eſſe apud Chriſtianos certum eſt & de fide.

Non refert quod aliqui Patres cenſuerunt mendacium interdum licere, & nonnunquam illo utendum tanquam elleboro & medicamine, uti putavit Plato l. 2. de Repub. Illi enim errarunt, & contra eos ſcribit Auguſtinus l. de mendacio, & l. contra mendacium. Certum enim jam adeoque de fide eſt, omne mendacium eſſe peccatum & illicitum; Patet id Prov. 12. *Abominatio eſt Domino labia mendacia.*

I. Habeſne exemplum ad hanc rem comprobandam?

Exemplũ. R. Ita. *Anthimus Epiſcopus Nicomedienſis, cum quæreretur à ſatellitibus Maximiani, ultro occurrit eis qui eum minimè noverant, & convivium eis exhibuit, deindè ſe eſſe Anthimum renunciavit. Quod cùm audiviſſent, obſtupuerunt hominis libertatem & charitatem, cumque dicerent ſe lubenter eum dimiſſuros, & ut recederet, ſuaderent, relaturi Imperatori Anthimum quidem multum ſe quæſiviſſe per univerſam Nicomediam, at non potuiſſe tamen eum invenire; non ſic, inquit, neque enim vel ſolu labru mentiri vos patiar. Ille igitur vinctus ad tribunal Tyranni perducitur, & multa tormenta paſſus tandem capite plectitur, glorioſo martyrio Chriſti victima effectus.*

Sur. 27. April. & Metaphraſt.

I. Hæc duo mendaciorum genera, jocoſum ſcilicet & officioſum, ſuntne gravia peccata?

R. Non ſunt ex natura ſua niſi venialia.

I. Quid eſt mendacium *pernicioſum?*

R. Illud quod proximo damnum adfert, ſpirituale vel temporale. Vide Nav. c. 18 n. 4. *Mendacium pernicioſum.*

I. Eſtne hoc mendacium grave peccatum.

R. Ita, ſi damnum quod infertur, aut inferri intenditur, ſit notabile.

I. Mendacium igitur pernicioſum eſtne peccatum mortale?

R. Ita, reverà, & de illo dicit Scriptura: *Os quod mentitur occidit animam.* Sap. 1.
Et: *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Pſal. 5.

I. In quibus caſibus poteſt quis inferre grave damnum proximo per mendacium pernicioſum?

R. In his & ſimilibus: in tractatibus, pactis, fœderibus, ſigillis, judiciis, perjuriis, falſis teſtimoniis, in contractibus, in detractionibus, calumniis, adulationibus, &c. ita ut latiſſimè hoc peccatum pateat, & ad omnes penè homines ſubrepat. Pernicioſiſſimum autem eſt illud mendacium, quod in fidei vel morum doctrina committitur, v. c. Si quis prædicaverit hæreſes. Si quis affirmaverit, minutas uſuras licitas eſſe. Si quis dixerit mendacium internum licere. Secundò; Si Confeſſarius ignarus præcipitanter reſponderit pœnitenti qui injuſtitiam commiſit non teneri ad reſtitutionem. Vel, quod ſibi nullum facere ſcrupulum debeat circa aliquem contractum injuſtum, vel dubium, & valdè implexum.

I. Eſtne licitum uti ſubindè mentalibus reſtrictionibus & locutionibus amphibologicis? *Reſtrictio mentalis.*

R. Ità,

Digitized by Google

Leſſ l. 2. c. 42. dub. 9. n. 47. R. Ità, ſi juſta aliqua & rationabilis cauſa ſuppetat id faciendi; nam etſi mentiri nunquam liceat, veritas tamen interdum poteſt celari. Vide Auguſtinum in Pſal. 5.

I. Sumpſitne aliquando Deus in hoc mundo vindictam de mendacio?

Exempla. R. Ita. Exploratores, quos miſerat Moyſes ad explorandum terram promiſſionis, reverſi terruerunt populum ſuis *Num. 13. & 14.* mendaciis, ideoque ſubita morte correpti perierunt.

Act. 5. Ananias & Saphira mentiti ſunt Spiritui ſancto & mox ad pedes Petri uterque cecidit & expiravit.

I. Oditne Deus mendacium?

Prov. 6. R. Ita maximè. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus, Oculos ſublimes, linguam mendacem & cætera.*

I. Quare Deus tantoperè odit mendacium?

Mendacium eſt peccatum diabolicum. R. Quia peccatum diabolicum eſt. Primum enim mendacium dixit diabolus: Gen 4. *Nequaquam moriemini.* Undè Joannis 8. dicitur de diabolo: *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus* ſcilicet mendacii.

I. Amatne Deus veritatem & illos qui fugiunt mendacium?

R. Ita: Nam iſti Deo aſſimilantur, qui eſt veraciſſimus, imò ipſa veritas.

I. Eſtne magni meriti apud Deum abſtinere à mendacio?

R. Ita. Legitur in vitis Patrum de quo- *Exemplum. Peraldus 2. p tract. 9 c. 5. litt. d.* dam Eremita, quod viſitatus fuerit ab aliis Eremitis, iſtuc Angelorum miniſterio adductis. Qui dixit illis quærentibus aliquid de ejus converſatione: hoc cuſtodivi ex quo converſus ſum, quod nunquam mendacium de ore meo procederet; nec unquam poſtpoſui amorem cœleſtium, amori rerum terrenarum. Ideò nec gratia Domini in his mihi defuit: quidquid enim petii à Domino, illicò conſecutus ſum: & infra triduum ſicut ipſi præviderunt, mortuus eſt, & anima ejus ab Angelis ipſis videntibus, in cœlum recepta.

LECTIO III.

De aliis linguæ vitiis.

I. QUid eſt *detractio?*

R. Eſt famæ proximi occulta denigratio. *S. Tho. 2. 2. q. 72 uſque ad 77.*

I. Eſtne grave peccatum detractionis? *Detractio*

R. Ita; gravius eſt furto. *Melius eſt enim nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* *Prov. 22.*

I. Eſtne interdum detractio magnorum damnorum cauſa?

R. Ita, uti videre eſt in libro Eſther. Ibi impius Aman tantùm profecerat ſuis detractionibus & ſuſurrationibus apud Regem Aſſuerum, ut univerſus populus Iſraël in proximum mortis diſcrimen venerit, ni Deus aliter providiſſet.

I. Punivitne aliquando Deus detractores?

R. Ita. Novi (inquit Tho. Cantiprat.) *L. 2. apum c. 37. p. 3.* ordine, non re, nomine, non actibus Sacerdotem, qui in tantum vitio linguæ *Exemplum.* deditus erat, ut potius de ſe peſſima mentiretur, quàm non ſocios vel cohabitantes ſibi criminibus infamaret. Hic ante mortem raptus in furiam, tanta in ſe *Horrenda detractoris pœna.* debacchatus eſt cæde, ut propriis dentibus linguam maledicam laniaret, & palam cunctis oſtenderet, quod quia linguâ ſuâ doloſè egerat, & venenum ſub labiis ejus, quaſi ſepulchrum patens guttur illius fœtorem teterrimum exhalaret: & per quæ peccaverat, per eadem torqueretur.

I. Si quod de proximo refertur, verum eſt, eritne detractio.

R. Ita: ſit verum, ſit falſum; ſive id ex teipſo, ſive tanquam ab aliis dictum, referas; ſi verè noces, aut nocere intendis famæ proximi, committis peccatum detractionis.

I. Eſtne grave peccatum, quando proxi-

proximus diffamatur ex culpa falsò ipſi impacta.

R. Ita. Nam præter detractionem, committitur etiam mendacium pernicioſum.

I. Detractio eſtne peccatum mortale?

R. Ita, ſi notabiliter per illam noceas vel nocere intendas famæ proximi.

I. Cui ſimilis eſt detractor?

R. Serpenti: *Si mordeat ſerpens in ſilentio nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Vide S. Bonaventuram in vita S. Franciſci. c. 8 §. 1.

Eccli. 10.

Detractio pernicioſiſſima.

I. Quæ eſt detractio pernicioſiſſima?

R. Illa quâ de doctrina Chriſtiana, de Concionatoribus, Sacerdotibus, & Religioſis detrahitur: uti ab hæreticis ordinariè factitatur.

I. Qui aurem præbet detractoribus, eſtne detractionum particeps?

R. Ita. Imò vix dici poteſt, utrum damnabilius ſit proferre, an audire detractiones S. Hier. ep. ad Nepotian. circa finem, S. Bernard. l. 2. de conſideratione ad Eugen. in fine.

Audire detractiones quale peccatū.

I. Quid ſi quis non libenter illas audiat, non contradicit tamen, neque opponit ſe detractoribus?

R. Si quâ auctoritate aut ſuperioritate polles ſuper detractorem, teneris illum reprehendere, alioquin graviter peccas, conſentiens malo: ſi verò nullâ ſuperioritate prævales, & non reſiſtis cùm proficere poſſes monitione tuâ, ſive ob metū vel reſpectum humanum, ſive ob verecundiam contraire non audes, peccas quidem etſi non æquè graviter, uti in caſu antecedente. Poteſt tamen contingere, ut delictum mortale ſit contra charitatem, quando notabilis eſſet detractio, & certa affulgeret ſpes proficiendi. Vide Leſſ. c. 11. dubit. 4 n. 21. Si nullo modo ſis ſuperior & credas monitione tuâ te nihil effecturum, magis verò obfuturum, tace, & peccatum proximi tibi diſpliceat.

I. Quid agendum eſt in medio detractorum, ſi non eſt ſpes monitionibus proficiendi?

Quomodo ſe gerendum in medio detractorū.

R. Macheres, ſi quis verbum detractionis protuliſſet, illicò in ſomnum incidebat ait Caſſianus l. 5. de Juſt. renunt. c. 29. Thomas Morus Angliæ Cancellarius, vir ſapientiâ & virtute celebris, audiens detractionem, ſumptâ aliundè occaſione altò eloquium divertebat; exempli gratiâ, inquiebat: dicat quiſque quod volet, ego dicam domum illam pulcherrimè extructam, eumque qui illam fabricavit, excellentem in ſua arte eſſe architectum. Ita Stapleton. in ejus vita. Vid. S. Joannem Chryſ. hom. 3. ad pop. & S. Bernard. ſerm. 24. in Cantica. Hinc Gentiles Jovem in Creta pingebant ſine auribus, ut hâc effigie omnes, præſertim Principes admonerentur, non oportere eos aures præbere delatoribus.

Exempla.

Monet Sapiens: *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire.* Seps iſta, quâ auris contra detractiones & detractores eſt ſepienda, eſt timor Dei, qui animum obfirmet, ut ab iis aures avertat & occludat, vultumque triſtem & ſeverum oſtendat, imò detractorem increpet, & à ſe ableget. Nam, ut ait Salomon: *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Sepis ergò aures ſpinis, quando eas claudis, & avertis quando oſtendis faciem triſtem, gravem & tetricam, quæ indicet te invitum ægreque audire, ac detractorem tibi eſſe tædio, & moleſtiam creare.

Eccli. 28.

Prov. 25.

I. Eſtne detractio, ſi Magiſtratui detuleris aliquem hæreticum, aut domum peſte infectam?

R. Minimè, ſi intentio recta ſit, impediendi ne hæreticus vel domus infecta civitatem viru ſuo labefactet.

I. Quid eſt *Contumelia?*

Contumelia.

R. Contumelia eſt peccatum quo alicujus præſentis honor & exiſtimatio palam violatur, ſive id verbis, ſive geſtibus, aut quibuſvis aliis ſignis fiat, v. c. dicendo, tu es fur, tu es perjurus, tu es

eſt nequam, &c. Vide S. Thom. 2. 2. q. 72.

I. Eſtne grave peccatum Contumelia?

Contumelia grave peccatū. R. Ita, gravius detractione; nam ultra hoc quod in fama & honore læditur, etiam patitur confuſionem coram hominibus, non ſine violentia & injuriæ augmento. Adeò quod detractio ſe habeat reſpectu contumeliæ, proportione ſervata, ſicut furtum reſpectu rapinæ.

I. Quid eſt *Diſcordia?*

Diſcordia. R. Eſt pacis perturbatio, & inter amicos unionis deſtructio.

I. Undè naſcuntur inter homines diſcordiæ?

R. Ut plurimùm ex contentionibus & injuriis hinc indè inter amicos invicem exortis; non rarò etiam ex ſuſurrationibus, quæ miro interdum, ſed impio artificio legitimas amicorum conjunctiones labefactant.

I. Diſplicentne Domino Deo ejuſmodi artificia?

Suſurrationes. R. Ita, quàm maximè; hinc ablegandos vult iſtiuſmodi auctores & diſcordiarum ſeminatores à ſuo populo: *Non eris criminator, neque ſuſurro in populo.* Tales fuêre plerique Regis Saulis Conſiliarii, qui non deſiſtebant Regem contra Davidem exacerbare. Levit.19.

I. Qui diſcordias excitant peccantne graviter?

R. Ita, deſtruunt enim amicitiam, quæ ob utilitatem indè emanantem, pluris valet quàm honor.

I. Quâ ratione poterimus cum proximo reconciliari cum quo interſunt nobis diſcordiæ?

R. Si demiſsè nos apud eum habeamus, vehementerque proteſtemur deteſtari diſſentiones & diſcordias.

I. Ad quid tenentur qui proximi honorem quoquo modo labefactarunt, aut ſuſurrationibus ſuis diſcordias inter amicos ſeminarunt.

R. Coram Deo pœnitere ejus illos oportet, & quod ad proximum ſpectat, congruam pro injuria reſtitutionem facere.

I. Qualiter eſt facienda reſtitutio?

Reſtitutio in honori, & famæ qualiter facienda. R. Si confictis mendaciis proximi honori detraxiſti, debes canere palinodiam, liberèque dicere, quod malè de proximo ſis locutus, & mentitus; imò ſi res tanti mereatur, idipſum jurare; & in ſumma hoc agere, ut efficaciter & plenè revoces quæ mendaciter dixiſti, & omne damnum proximo illatum ſarcias.

Quod ſi fortaſsè illa quæ dixiſti vera ſint, ſed occulta, ſimiliter teneris ad palinodiam recantandam (quandoquidem contra juſtitiæ ordinem iſta propalaveris) affirmando te malè locutum, & injuriam proximo intuliſſe.

Et in omni caſu reſtituenda ſunt quævis damna & intereſſe, quæ proximus ex infamia aut honoris jactura injuſtè irrogata ſubiit.

LECTIO IV.

Proſecutio ejuſdem materia.

I. QUid eſt *Murmuratio?*

Murmuratio. R. Eſt murmur, ſive querimonia impatientis hominis ſecreta vel publica de proximo detrahens tempore, & modo præpoſteris, & coram quibus non oportet. S. Antonin. 2. p. t. 7. c. 2. Cajet. verbo murmuratio.

I. Quænam eſt peſſima murmuratio?

R. Quando murmuratur contra Deum, ejuſve juſtitiam, miſericordiam, providentiam, ut olim murmurabant Iſraëlitæ Num 13. & ſæpè alibi.

Secundò, quando ſubditi murmurant contra ſuos Superiores Eccleſiaſticos aut ſæculares, obloquendo de modis eorum agendi, regendi, &c.

I. Diſplicentne Deo ejuſmodi murmurationes?

R. Ita, ultra quàm dici poteſt. Quod evidenter teſtatus eſt in vindictam quam ſumpſit de Core, Dathan, & Abiron. Nu. 17. quos vivos ima dehiſcens terra abſorbuit.

I. Quid eſt *adulatio?*

Adulatio.

R. Sunt verborum lenocinia, ſive laudes & blandimenta ficta & ſimulata, quæ ſuaviter demittuntur in aures eorum, quorum aucupando favori aut gratiæ ſtudetur.

I. Multumne mali adferunt adulatores ſuis aſſentationibus?

Adulatio nocentiſſimum malum.

R. Ita, plurimum, nam uti dicebat Origenes, retinent homines molliter vinctos ſericis funiculis, ut eos ſuffocent & ſtrangulent, id eſt ut in peccatis ſuis moriantur. Quiſque enim ſibi complacet, ut id agat, de quo non ſolùm nulla ſecutura eſt reprehenſio, ſed potius laus & approbatio. Undè nihil æquè perniciosum homini, aut moribus tam infeſtum, quàm adulatio, adeò quod nocentior ſit homini lingua aſſentatoris, gladio perſecutoris, inquit S. Auguſt. in Pſal. 69. Vide Greg. l. 18. moral. c. 1.

Bion interrogatus quod eſſet animal omnium maximè noxium? Si de feris, inquit, percunċteris, tyrannus; ſi de mitibus, adulator. Teſtis eſt Laertius. L. 1. c. 6.

I. Suntne Principes cordati ejuſmodi blaterones deteſtati?

L. 8. c. 14.

R. Ita. De Conſtantino Imp. ſcribit Nicephorus, quod adulatores odiſſet cane pejus & angue, illoſque ſolitus eſſet *aulæ tineas & ſorices* appellare.

Sigiſmundus Imp. teſte Æneâ Sylvio audiens adulantem: Diis ſimilis es, ô Imperator: alapam ei impegit, dicentique: Cur me cædis; Imperator reſpondit: cur me mordes adulator?

I. Eſtne adulatio grave peccatum?

Eſt adulatio grave peccatum pluribus modis.

R. Ita, ſecundùm quod materia quæ adulationibus approbatur, & laudatur, notabilis eſt: exempli cauſa: Si per adulationem, ut cujuſpiam bonam gratiam ſive favorem ineas, ejus lethiferum peccatum approbes, v. g. ebrietatem, fornicationem, *&c.* De ſimilibus loquitur Iſaias: *Væ qui dicitis, malum bonum, & bonum malum.* Vide S. Greg. l. 7. moral. c. 17. & Ezech. c. 13. num. 18. *Tales ſunt*, ait S. Maximus, *adulatores, qui ſcurram, vocant gratioſum; obſcœna loquentem, civilem; iracundum, ſtrenuum; parcum, providum, prodigum, liberalem. Tales laudatores illis quidem ore benè precantur, ſed corde execrantur: nam hac laude, omnem execrationem in illorum vitam inducunt, imò eos æternæ damnationis obnoxios faciunt, ipſa vita approbantes.*

Iſai. c. 5.

Serm. de malis.

Secundò, attento fine quem ſpectat adulator, ejus adulatio poteſt eſſe peccatum mortale, v. g. ſi per oſtentationes ſuas intendat grave proximi corporale vel ſpirituale damnum. De ſimili adulationis modo loquitur Scriptura: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis.*

Prov. 27.

Act. 12.

Tertiò, quando adulator dat alteri occaſionem Deum mortiferè offendendi, uti adulatores Herodis, de quo Joſephus, Cæſareæ ludis, inquit, pro Auguſto celebrandis cùm vacaret, die quodam in theatrum proceſſit Herodes, amictus veſte totâ ex argento mirabili contextâ, quæ radiis exorientis Solis percuſſa, ſpectantibus horrorem venerationi mixtum incuteret; mox adulatores acclamantes, Deum conſalutabant, rogantes ut faveret propitius. hactenus eum ut hominem reveritos, nunc agnoſcere & fateri in eum quiddam natura mortali ſublimius. Quam impiam adulationem cùm nec caſtigaſſet, nec repuliſſet, divinam ſenſit vindictam, & cùm graviſſimis doloribus cruciaretur, converſis in amicos oculis: *En ego ille*, inquit, *veſtra appellatione Deus, vitam relinquere jubeor fatali neceſſitate veſtrum arguente mendacium: & quem immortalem ſalutaſtis, ad mortem rapior.*

L. 19. antiq. c. 7.

Exemplum.

Quartò, vid. Conc. Trid. ſſ. 4. decret.

de

Digitized by Google

de edit. & uſu ſacrorum librorum. *Poſt hac temeritatem, &c.*

I. Quid agendum eſt quando adulatores ſuis blanditiis nos lactant?

R. Placet hîc Catonis conſilium.

Cùm te quis laudat, judex tuus eſſe memento,
Plus aliis de te, quàm tu tibi credere noli.

Idipſum monet Spiritus Sanctus: *Fili,* Prov. 1. *ſi te lactaverint peccatores non acquieſcas eis.*

I. Quandonam periculoſiſſimæ ſunt adulationes?

R. Quando amici & cognati illius qui in vitæ diſcrimine verſatur, mortique inſtat, adulantur, aſſeruntque nullum ſubeſſe periculum, ſumendos eſſe animos, nondum advenisse tempus ſuſcipiendorum Sacramentorum, &c. naturam vitæ protrahendæ avidam eſſe, placentia loquendo, non ſine periculo æternæ mortis, quæ hâc ratione non rarò incurritur.

I. Ut video, plurima ſunt linguæ peccata, multique ejus lapſus?

R. Veriſſimum id eſt, nullus eſt qui non linguâ interdum labatur. *Si quis in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir,* S. Iacob. in ep. ait S. Jacobus. Vide ejus ep. cathol. c. 3. ubi noxas & damna linguæ demonſtrat ex duodecim partim argumentis, partim attributis. Primum eſt v. 3. quod inſtar equi ſit effrænis.

Duodecim attributa & damna malæ linguæ. Secundum v. 5. quod modica licet, magna tamen exaltet.

Tertium ibidem, quod ſit inſtar ſcintillæ, quæ totam ſylvam comburit.

Quartum v. 6. quod ſit univerſitas iniquitatis; Quintum ibidem, quod maculet totum corpus; Sextum, quod inflammet totam rotam nativitatis, & vitæ noſtræ; Septimum, quod inflammetur à gehenna; Octavum, quod magis indomita ſit, quàm omnes feræ, ideoque à nemine domari poſſit; Nonum, quod ſit inquietum malum; Decimum, quod ſit plena veneno mortifero; Undecimum quod cùm ſit data, & dicata benedictioni Dei, ſimul tamen maledicat proximis; Duodecimum, quod ſit quaſi fons monſtroſus, eructans ſimul aquam dulcem & amaram. Certè ſtatuendum nobis eſſet & seriò omni die proponendum cum Propheta; *Dixi; cuſtodiam vias meas; ut non delinquam in* Pſal. 38. *lingua mea.*

I. Habeſne exemplum alicujus qui ex iſto Pſalmi verſiculo profecerit?

R. Ita. Pambus Abbas, cùm ſine litteris eſſet, acceſſit ad quemdam ut doceretur: qui cùm audiſſet primum verſum Pſalmi trigeſimi octavi; *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Secundum verſum non paſſus eſt audire, dicens: Si potuero opere hoc implere, hic verſus tantummodò mihi ſufficiet. Cumque Doctor qui ei tradiderat verſum, culparet eum per ſex menſes minimè ad ſe veniſſet, reſpondit: quia verſum illum adhuc opere non implevi. Poſteà verò cùm multos ſupervixiſſet annos, à quodam noto rogatus an didiciſſet verſum; quadraginta & novem annis, inquit, vix eum implere valui. *Tripart. l. 8. c. 1. Pet. de natalibus. l. 6. c. 38. Exemplum.*

Rectè iterùm monet Ethnicus ille; Cato.

Virtutem primam eſſe puta, compeſcere linguam:
Proximus ille Deo, qui ſcit ratione tacere.

DE IX. PRÆCEPTO.

CAPUT X.

Non concupiſces uxorem proximi tui.

LECTIO UNICA.

I. QUid prohibetur hoc præcepto nono?

R. Explicitè quidem prohibetur adulterii deſiderium, implicitè verò omnia carnis voluntaria deſideria.

I. Quid

I. Quid neceſsè fuit ſexto præcepto, *non mœchaberis*, addere hoc nonum: *Non concupiſces uxorem proximi?*

R. Ne quis opera dumtaxat externa vetari arbitraretur, & interiores animi cupiditates Deo non diſplicere (quo in errore verſabantur Judæi Match 5) voluit Deus declarare expreſſo addito præcepto, juſtitiam veram coram ſe, non minus interioris hominis rectitudinem, quàm externi operis exigere. Lex enim Dei ſpiritualis eſt, non minus cohibens affectum quàm opus externum. Omnia enim Deo aperta & nuda ſunt. In hac ergò Dei lege tanquam in ſpeculo, naturæ noſtræ vitia, contemplamur: & diſcimus interna deſideria ſpiritui & rationi contraria vitioſa eſſe; internumque concupiſcentiæ inordinatum motum non eſſe à Deo, ſed ex peccato in nobis eſſe ortum, juxta illud Apoſtoli: *Concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret: non concupiſces.* Id eſt, interioris animi motus & deſideria nullo externo prodita ſigno pro factis reputari neſciebam, niſi lex Dei me inſtruxiſſet ac docuiſſet omnem rei malæ, injuſtæ ac vetitæ deliberatam ac voluntariam concupiſcentiam eſſe non minus peccatum, quàm opus externum.

Rom. 7.

I. Quid autem cenſes de concupiſcentia ſive fomite in membris noſtris reſidente?

R. Dico illam non eſſe peccatum, quandoquidem peccatum non in membris noſtris, ſed in voluntate ſedem habeat. Secundò, lex non carni aut ſenſui, ſed homini datur; & de actibus humanis qui ſunt in hominis poteſtate, diſponit. Primi autem illi motus carnis, qui reluctante quoque homine ſæpè inſurgunt non ſunt actus humani, neque in hominis poteſtate, ideoque minimè hâc lege Dei vetantur, quidquid obganniat Calvinus & ejus ſequaces.

Motus concupiſcentiæ involuntarius non eſt peccatum.

Non obſtat quod Apoſtolus concupiſcentiam ſive fomitem aliquoties peccatum appellet, nam ideò ſic eam vocat, quia ex peccato originem habet & ad peccatum inclinat, uti multis locis docet S. Aug. & Conc. Trid. definivit.

Rom. 6. 7. 8.

I. Non ſunt igitur concupiſcentiæ motus involuntarii neceſſariò in confeſſione aperiendi?

ſſ. 5. decret de peccato orig. §. 5.

R. Non, cùm ut dictum eſt, peccata non ſint. Vide & repete plura huc pertinentia ex c. 7. hujus tertiæ partis, præſertim lect 4.

I. Breviter igitur & dilucidè quæ concupiſcentia hîc prohibetur, vel non prohibetur?

R. Naturalis illa cupiditatis vis & ordinata, quæ fines ſuos non egreditur, non vetatur, multoque minùs ſpiritualis illa rectæ mentis cupiditas, quâ ad eorum appetitionem incitamur, quæ carni repugnant. Ad hanc enim ipſam ſacræ Litteræ non adhortantur: *Concupiſcite ſermones meos & tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me.* Itaque hoc interdicto non ipſa concupiſcendi vis, quâ tum ad bonum, tum ad malum uti licet; ſed uſus pravæ cupiditatis, quæ carnis concupiſcentia, & peccati fomes vocatur, ac ſi animi offenſionem adjunctam habeat, ſemper in vitiis numeranda eſt, omninò prohibetur. Ergò ea tantum concupiſcendi libido vetita eſt, quam carnis concupiſcentiam vocat Apoſtolus, illi ſcilicet concupiſcendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus à Deo conſtitutis continentur.

Sap. 6. Eccli. 24.

Vſus pravæ cupiditatis prohibetur.

Ad Gal.

I. Cur Deus permittit nos moleſtis cogitationibus agitari, & ipſis etiam interdum carnis ſtimulis pungi?

R. Ad agonem, & promerendam coronam, legitimè certantibus propoſitam. In iſtius rei figuram voluit Dominus Jebuſæos non deleri funditùs, ut haberent filii Iſraël hoſtes, contra quos dimicando ſe exercerent.

Conc. Trid. ſup. §. 5 Vit. Iud. 2. v. 1.

I. Habeſne exemplum huc ſpectans?

R. Ita, *Dominus IESVS. ait aliquando ad Brigittam: Cur turbaris & ſolli-*

Exemplum.

cita

Digitized by Google

cita es, filia. Reſpondit illa, quia diverſis, Lud. Bloſ. in monil. ſpirit. c.4.
& inutilibus, maliſque affligor cogitationibus, quas removere nequeo, & terror judicis tui me pungit Cui Dominus, hæc, inquit eſt vera juſtitia, ut ſicut prius delectabaris vanitatibus mundi, contra voluntatem meam; ità modò tibi moleſta ſint varia perverſaque cogitationes contra voluntatem tuam. Verumtamen time judicium meum, moderatè & cum diſcretione, firmiter ſemper in me confidens Deo tuo. Certiſſimè enim ſcire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur & quas deteſtatur eſſe purgationem animæ atque coronam. Si tu illas prohibere non potes, fer patienter, ac voluntate eis renitere: & quamvis ipſis non conſentias, time nihilominùs, nè indè ſuperbias & cadas: nam quicumque ſtat, ſolius Dei virtute ſtat.

I. Rectene ſibi conſulunt qui primis concupiſcentiæ motibus fortiter reſiſtunt aſſumpta pœnitentia vel alio quovis modo?

R. Ita Et hoc quidem pro fræno eſt ne pars inferior ad illicita feratur, nequidem in minimis. Notum eſt quod de S Benedicto in vita ejus narratur. *Agitabatur caſtiſſimus vir carnis prurientis ſtimulis; quid ageret? per vepres & dumeta corpus tam diu volutavit, dum à ſaucia & cruentata carne, omnis libidinis ſenſus abſcederet.* Exempla.

Vidi, inquit Cantiprat. Sanctum virum magiſtrum Guidonem Presbyterum Beghinarum in Nivella, de quo certiſſimè ferebatur, quia cùm in Sonegie Oppido Hannoniæ ſcholas regeret adoleſcens, incautè ſemel fœminam contemplatus, per annos tres, etiam ipſâ mortuâ in tantum tentatus eſt, ut, excepto eo quod vigilans ſuſtinebat, omni nocte in ſomnis crederet eam eſſe præſentem. Sentiens ergò circa ſe diabolum non ceſſare, de nocte clam tumulum mortuæ mulieris aperuit, nareſque & faciem in cœno putrefacti corporis tamdiu tenuit, ut penè fœtore nimio ſuffocatus, quaſi mortuus caderet reſupinus. Quæ res in tantum valuit ſancto viro, ut nullum poſteà ſtimulum in carne ſentiret. L.2 apum c.30. d.31.

DE X. PRÆCEPTO.

CAPUT XI.

Non concupiſces rem proximi.

LECTIO UNICA.

I. QUid prohibet decimum præceptum?

R. Hoc præcepto cavetur ne rem alienam ſive mobilem uti argentum, animalia, &c. ſive immobilem v.c. domum, agrum, aliaſve poſſeſſiones concupiſcamus.

I. Eſtne igitur peccatum, quando dicimus utinam rem iſtam vel iſtam haberem?

R. Mimimè; ſi juſto pretio illam nobis comparatam vel acquiſitam velimus.

I. Si quis quærens occaſionem, rem alienam ſurripiendi & impediretur, quominus id faceret, peccaretnè?

R. Ita, committeret enim furtum voluntate, etſi non re. Undè ad reſtitutionem nullam talis tenetur.

Nota, poterit hic Catechiſta breviter & ſummariè repetere decem præcepta Decalogi, & conſuetum Catechiſmi tempus utiliter tranſire.

FINIS

Tertiæ partis hujus Catechiſmi.

PARS QUARTA CATECHISMI.

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

CAPUT PRIMUM.

LECTIO PRIMA.

S.Tho.3.p. q.60. & ſeqq.

QUID tractatur in quarta parte Catechiſmi?

R. De Sacramentis Eccleſiæ.

I. Cur tractandum eſt de Sacramentis in Catechiſmo?

R. Quia doctrina iſta, & Dei juſſu neceſſaria eſt, & utilitate uberrima. Sunt enim Sacramenta, ſigna quædam myſtica, ſive inſtrumenta, quibus fides, ſpes, charitas, (de quibus hactenus) obtinentur, exercentur, augentur, conſervantur, ac etiam reparantur. Hoc eſt quod Sacroſanctum Concilium Tridentinum dixit: *Per quæ* (Sacramenta) *omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur.* Adde quod abſque Sacramentis, Religionem univerſam Chriſtianam extingui prorſus neceſſe ſit. Habent igitur Sacramenta ſublimem in Catechiſmo locum & neceſſariam quoque tractationem.

Proœmio de Sacramentis.

S.Aug.l. 19. contrà Fauſtum & ep. 118. ad Ianuarium c.1.

I. Cur Sacramenta inſtitui apud Chriſtianos oportuit, nonne ſatis erat fide, ſpe, & charitate Deum colere?

R. Minimè. Nam divinus cultus duplex eſt; interior & exterior. Interior, quo per intellectum & affectum Deo conjungimur, fide, ſpe, & charitate perficitur. Exterior eſt profeſſio quædam cultus interioris, quem externis quibuſdam & viſibilibus ſignis, ritibuſque declaramus. Deus enim qui bonorum noſtrorum non eget, quippe beatus per ſe totuſque perfectus, tamen ſicut totum ipſe hominem cum corpore, tum animo conſtare voluit, ſic eundem quoque totum, hoc eſt, ſecundùm omnem ſui partem repoſcit, à quo ſincerè ſtudioſeque colatur, animâ quidem ſecundùm exteriorem cultum cum interiore conjunctum, quod multis ſanè modis, ſed vel maximè & ſaluberrimè per uſum Sacramentorum præſtatur. Secundò, ob humani ingenii imbecillitatem: ſi quidem ad earum rerum notitiam, quæ mente, atque intelligentiâ comprehenſæ ſunt, niſi per ea, quæ aliquo ſenſu percipiuntur, nemini aſpirare licet. Quod declarat S. Chryſ. his verbis: *Si homo corporis concretione caruiſſet, nuda ipſa bona, neq; ullis integumentis involuta, ei oblata eſſent; quoniam verò anima corpori conjuncta eſt, omninò opus fuit, ut rerum, quæ ſentiuntur, adminiculo, ad ea intelligenda uteretur.*

Sacramenta inſtituta ex multiplici ratione.

1. Ut cultū etiam exteriorem Deo tribuamus.

2. Ut humani ingenii imbecillitatem adjuvarent.

Ho.38 in Mat. & ho. 60. ad pop.

Tertia

3. Ut credentis tarditatem erigant.

Tertia cauſa eſt, quod animus noſter, non facile commoveatur ad ea, quæ nobis promittuntur credenda. Quare Deus à mundi exordio, quæ facere inſtituerat, verbis quidem frequentiſſimè indicare conſuevit: interdum verò cùm opus aliquod inſtitueret, cujus magnitudo promiſſi fidem abrogare poſſet, alia etiam ſigna, quæ nonnunquam miraculi ſpeciem haberent, verbis adjunxit. Hinc promiſſionem ſuam de Iſraelitico populo per Moyſen liberando, multâ ſignorum varietate firmavit. (Exod. 4.) Ad eum modum in nova lege Chriſtus Salvator noſter cùm nobis peccatorum veniam, cæleſtem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus eſt, quædam ſigna oculis & ſenſibus ſubjecta inſtituit, quibus eum quaſi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promiſſis futurum dubitare nunquam poſſemus.

4. Ut parata & certa ſit ad repellendos animi morbos medicina.

Quarta cauſa fuit, ut illa tanquam remedia, atque Evangelici Samaritani medicamenta, ad animarum ſanitatem præſtò eſſent. Virtutem enim, quæ ex Paſſione Chriſti manat, hoc eſt, gratiam, quam ille nobis in ara Crucis meruit per Sacramenta quaſi per alveum quemdam, in nosipſos derivare oportere: ut ſint ipſa Sacramenta velut uberrimi Salvatoris noſtri fontes, ex quibus nos aquas ſalutis, cum gaudio hauſuros, Iſaias c. 12. vaticinatus eſt. (*S. Ambr. l. 5. de Sacr. c. 4.*)

5. Ut ſint veræ Religionis ſymbola & ſanctæ ſocietatis vincula.

Quinta etiam cauſa accedit, cur Sacramentorum inſtitutio neceſſaria videri poſſit, ut ſcilicet notæ quædam & ſymbola eſſent, quibus fideles internoſceremur; cùm præſertim nullus hominum cœtus queat, ut etiam à Divo Auguſtino traditum eſt, (*L. 19. cont. Fauſt. c. 11*) ſive veræ ſive falſæ Religionis nomine, quaſi unum corpus coagmentari, niſi aliquo viſibilium ſignorum fœdere conjungatur. Utrumque igitur præſtant novæ legis Sacramenta, quæ & Chriſtianæ fidei cultores ab infidelibus diſtinguunt, & ipſos fideles ſancto quodam vinculo inter ſe connectunt.

6. Sunt teſtimonia noſtræ fidei, ejuſque declar. Rom 1.

Præterea aliam etiam juſtiſſimam fuiſſe cauſam Sacramenta inſtituendi ex illis Apoſtoli verbis: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, oſtendi poteſt: Sacramentis enim fidem noſtram in hominum conſpectu confiteri & notam facere videmur, v. c. ad Baptiſmum accedentes palam teſtamur nos credere ejus aquæ virtute quâ in Sacramento abluimur, ſpiritualem animæ purgationem fieri.

7. Sunt humilitatis excitandæ inſtrumenta. Sacr. definitio.

Poſtremò, Sacramenta humanæ mentis ſuperbiam edomant ac comprimunt, noſque ad humilitatem exercent, dum ſenſibilibus elementis ſubjicere nos cogimur ut Deo obtemperemus; à quo anteà impiè defeceramus, ut mundi elementis ſerviremus.

I. Quid eſt Sacramentum?

R. *Eſt inviſibilis gratiæ ſignum viſibile ad noſtram ſanctificationem à Chriſto Domino inſtitutum.* (S. Tho. 3. p. q. 60.)

I. Cur dicis quod Sacramentum ſit *inviſibilis gratiæ ſignum viſibile?*

R. Quia aliud eſt quod in Sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus. Signum videmus externum: occultam verò & ſpiritualem gratiam, quæ res dicitur Sacramenti, accipimus. Sacramenta ergo ſigna dicuntur, quoniam externâ quâdam ſpecie & ſimilitudine, id nobis referunt, & declarant, quod per ipſa Deus nobiſcum, inviſibiliter atque ſpiritualiter agit.

I. Quare dicis, *ſignum à JESU Chriſto ad noſtram ſanctificationem inſtitutum?*

R. Ut ſignificem Sacramenta, quam gratiam ſignificant, etiam continere, nobiſque ad noſtram ſanctificationem verè & certò conferre. (*Conc. Tri. can 6 de Sacramentis in genere.*)

I. Declara id paulò ampliùs?

R. Ut exempli causâ in Sacramento Baptiſmi, exterior ablutio, quæ ſordes corporis purgat, efficax eſt ſymbolum interioris ablutionis, qua ſpiritualiter anima purificatur. Sic res aliæ viſibiles & externæ, ut oleum, panis, vinum, qua-

rum

Digitized by Google

tum in Sacramentis neceſſarius eſt uſus, aptè nobis conſtituuntur, tum ad ſignificandum, tum ad conferendum homini divinam gratiam animæque ſalutem, modò ad hæc non indignè accedat. Per Baptiſmum etenim regeneramur & renovamur; per Confirmationem augemur & roboramur; per Euchariſtiam nutrimur & reficimur, per Pœnitentiam, reſtituimur & ſanamur in vita ſpirituali; in qua per reliqua itidem Sacramenta, pro ſua quiſque ratione, juvamur atque provehimur, ut ſuo deinde loco aperiemus.

Aug. in Pſ. 73. Tit. 3. Actor. 8. Joan. 6. Joan. 20.

I. Quis ſignis iſtis externis vim iſtam contulit?

R. Chriſtus Dominus qui paſſionis ſuæ fructum, & Sanguinis ſui pretium hoc modo diſpenſatum voluit ad animarum noſtrarum ſanctificationem.

I. Quomodo dicis Sacramenta gratiam quam ſignificant verè & infallibiliter producere? conferturne igitur gratia omnibus Sacramenta ſuſcipientibus?

Ser. de cœna Dom.

R. Ita, in ritè diſpoſitis Sacramenta ſemper ſuum effectum operantur. *Sacramenta enim, quantum in ſe eſt* (ut Cyprianus loquitur) *ſine propria virtute eſſe non poſſunt, nec ullo modo Divina ſe abſentat Majeſtas myſteriis, quamvis etiam ab indignis adminiſtrentur.* Quod de Baptiſmo aſſerit Auguſtinus: *Baptiſmus Chriſti verbis Evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici & immundi, quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit, ſive ad ſalutem benè utentium, ſive ad perniciem malè utentium.* Et illuſtrat ſimili: *An verò, inquit, Solis vel etiam lucernæ lux, cùm per cœnoſa diffunditur, nihil inde ſordidum contrahit, & Baptiſmus Chriſti, poteſt cujuſquam ſceleribus inquinari.*

L. 3. contra Donatiſtas c. 10.

Simile.

Diſpoſitio ad recipienda Sacramenta.

I. Quæ eſt diſpoſitio neceſſaria ad dignè & cum fructu recipienda Sacramenta?

R. Utendum eſt hic aliqua differentia: nam alia ſunt *Sacramenta mortuorum*: ſic dicta, quod ſpiritualiter per peccatum mortuos ad vitam revocent; ejuſmodi ſunt Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ. Cætera quinque dicuntur *Sacramenta vivorum*, quod in ſui receptione vitam ſpiritualem ſupponant; cùm iis proprium ſit corroborare, nutrire, poteſtatem tribuere ſuper Corpore Chriſti vero conſecrando, vel ſuper Corpore ejus myſtico adminiſtrando; reliquias peccatorum perpurgare; gratiam cauſare ad matrimonii onera leniter portanda, &c. quæ omnia ſupponunt in anima ejus qui illa ſuſcepturi ſunt, vitam gratiæ.

Sacramenta alia vivorum dicuntur, alia mortuorum.

His ita ſuppoſitis ad quæſtionem tuam reſpondeo, illum qui actuali mortifero peccato tenetur, ſufficienter diſpoſitum fore per attritionem (quæ eſt contritio imperfecta) ad recipienda Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ. Ratio eſt, quia iſta ſunt Sacramenta mortuorum inſtituta ad vivificandas animas. Reliqua exigunt veram contritionem, vel ad minus, attritionem bonâ fide æſtimatam contritionem: Nam cùm ſint Sacramenta vivorum, ſupponunt in ſuſcipientibus vitam ſpiritualem.

Si de Sacramentis mortuorũ agitur, diſpoſitio erit ſufficiens ipſa attritio, etiam in illo qui tenetur peccato lethifero.

I. Si proprius eſt, ut dicis, Sacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ effectus, ut mortuas animas vivificent, & peccata remittant, quid opus eſt ad illa recipienda diſpoſitione?

R. Verum quidem eſt quod infantes baptizandi nullam diſpoſitionem Sacramento ſuſcipiendo præmittant; ut enim Adami voluntate tantùm peccaverunt, ita per Chriſtum abſque aliqua ſua cooperatione juſtificantur: ita quoque certum eſt, quod qui in peccato lethifero actuali exiſtit, ſi ad vitam gratiæ revocari intendat, debet per actum propriæ voluntatis à peccato averti & ad Deum Creatorem ſuum converti; quemadmodum proprio voluntatis motu à Deo

ſua

Digitized by Google

ſuo ſeſe averterat & ad peccatum converterat. Quæ ad Deum converſio (quam attritionem vocamus) debet eſſe ex motivo aliquo ſpirituali, quandoquidem nulla operatio dumtaxat naturalis ſufficiens eſt ad ſalutem, prout in pluribus Eccleſiæ Conciliis definitum eſt De ejuſmodi converſione, ſive diſpoſitione loquitur manifeſtè Scriptura: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Actor. 2.

Quando de Sacramentis vivorum agitur requiritur contritio vel certè actualis confeſſio.

I. Quid agere debet, qui conſcius ſibi peccati mortalis, parat ſe ad recipiendum aliquod Sacramentum vivorum?

R. Diſtinguendum eſt; nam ſi de Sacroſancta Euchariſtia quæritur, neceſſariò præmittenda eſt confeſſio Sacramentalis, dummodò non deſit copia Confeſſarii. Trid. ſſ. 13. c. 7. & can. 11. de qua re ſuo loco. Quoad alia Sacramenta ſufficiet elicere actum contritionis. Nihilominùs ſecuriſſimum ſemper erit confiteri, eò quod actus contritionis perfectæ, ſit valdè arduus, & difficilis; atque ita, reverentia, quæ Sacramento debetur, videtur ſuo jure id exigere, ut quantum fieri poteſt, diſpoſitio ad illud fiat præmiſſa confeſſione; idque ut major certitudo, moraliter loquendo, de diſpoſitione requiſita habeatur.

Quæ cauſa eſt cur pueri quicumque grandiores ad confeſſionem mittantur præviè quàm Sacramentum Confirmationis ſuſcipiant. Vid. Conc. Prov. II. Cameracenſ. tit. 7. cap. 1. & Mechl. tit. 14. cap. 2. Et pro iis qui ſe ad matrimonium accingunt, vide Trident. ſſ. 24. de reform. Mat. c. 1.

Mali Miniſtri non impediunt vim Sacramentorum.

I. Impeditne vita improba miniſtri Sacramenti effectum?

R. Minimè, diximus enim ſuprà proximè, Sacramentum quantum in ſe eſt, ſemper operari effectum, ſi in recipiente non ſit poſitus aliquis obex. Secundò, ſciendum eſt principalem Sacramentorum miniſtrum eſſe Chriſtum Dominum, utpotè eorum inſtitutorem, dicente Apoſtolo: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.* 1. Cor. 3. Si Deus adeſt Sacramentis, inquit Auguſtinus & verbis ejus per qualeſlibet adminiſtrentur, & Sacramenta Dei ubique recta ſunt, & mali homines quibus nihil proſunt, ubique perverſi ſunt. *L. 5. cōtra Donatiſtas c. 19.* Vide eundem tract. 2. & 6. in Joan. & Conc. Trident. ſſ. 7. can. 6. 7. & 8. de Sacramentis in genere: ubi definit Sacramenta ex opere operato diſpoſitis conferre gratiam.

I. Quid hoc eſt, Sacramenta operari effectum ſuum *Ex opere operato*?

R. Hoc eſt per nudam, & meram operationem Miniſtri conferentis Sacramentum, etiamſi diſpoſitus non ſit. Ratio ejus eſt, inſtitutio Chriſti, qui nullo modo pendet ab aliqua Miniſtri diſpoſitione. Non diffitemur tamen quin diſpoſitio & devotio Miniſtri ſpiritualem aliquam utilitatem ex abundanti, ad Sacramenti diſpenſationem conferre poſſit, & hoc eſt, quod dicimus in Scholis *Ex opere operantis.*

I. Habeſne exemplum quo probes Miniſtrum ſua pravitate, gratiæ Sacramentalis virtutem impedire non poſſe?

R. Ita. Ex S. Joannis Evangelio, Sancti Patres docuerunt Judam Iſcariotem pluries baptizaſſe: ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuiſſe legimus: ita ut præclarè S. Auguſtinus ſcriptũ reliquerit: *Dedit Baptiſmum Iudas, & non baptizatum poſt Iudam: dedit Ioannes & baptizatum eſt poſt Ioannem. Quia ſi datũ eſt à Iuda, Baptiſma Chriſti erat: quod autem à Ioanne datum, Ioannis erat: non Iudam Ioanni, ſed Baptiſmum Chriſti etiam per Iudæ manus datum Baptiſmo Ioannis, etiam per manus Ioannis dato, rectè præponimus*: Nimirum, & per indignos, inquit Chryſ. conſuevit Deus operari, & nihil propter Sacerdotis vitam Sacramenti gratia læditur. Joan. 4. *Exemplũ.* *Tract. 5. in Ioan.*

I. Quæ ſunt partes ad conſtituendum unumquodque Sacramentum neceſſariæ?

Digitized by Google

R. Illæ tres: materia, forma, & intentio Miniſtri id agendi quod Eccleſia in ſimili agit, vel, quod idem eſt, id agendi, quod Chriſtus Dominus inſtituit.

LECTIO II.

Omnium Sacramentorum auctor Chriſtus Dominus. I. Quis eſt auctor & inſtitutor Sacramentorum?

R. Omnia Sacramenta novæ legis à Jeſu Chriſto Domino noſtro ſunt inſtituta *Conc. Trid. de Sacramentis in genere can. 1 & Florent. in decreto Eugenii ad Armenos.*

Ratio 1. Nota, cùm nulla creatura per ſe vim ſacrificandi haberet, ſed Deo totius puritatis fonti id proprium ſit, patet unum eundemque Deum in Chriſto juſtificationis & Sacramentorum auctorem agnoſcendum eſſe. *2.* Præterea Sacramenta eam vim & efficientiam continent, quæ ad intimam animam penetrat: cùm verò unius Dei potentiæ proprium ſit in corda & mentes hominum illabi, ex hoc etiam perſpicitur Sacramenta à Deo ipſo per Chriſtum inſtituta eſſe. *3.* Accedit, quod Sacramenta ſint quædam peccati remedia: non eſt autem infirmi, ſed medici præſcribere quibus pharmacis ægritudo ſanari debeat. *4.* Poſtremò Sacramenta ſunt præcipuæ quædam Religionis Chriſtianæ cæremoniæ, quibus Deus colitur: ad Deum ergo ſolum ipſius Religionis auctorem pertinet ejuſmodi cæremonias inſtituere. *L. 1. de conſ. Evangelii c. 5.* Unde laudat Auguſtinus Socratis ſententiam dicentis, unumquemque Deum ritibus à ſe inſtitutis coli velle. Conveniebat enim ad Dei gloriam, ſalutemque noſtram promovendam ut auctoritas inſtituendi Sacramenta nulli creaturæ communicaretur, quo ſalutis *Aug. tract. 5. in Ioan.* auctorem promptius agnoſceremus, nec in homine, vel in alia pura creatura, ſpem noſtram ſed in Deo ſolo collocaremus.

Nota 2. Deus eſt auctor principalis gratiæ, inſtrumentum conjunctum & immediatum eſt ſacro-ſancta humanitatis Redemptoris noſtri unita verbo, inſtrumentum ſeparatum ſunt Sacramenta. Hoc ſenſu dixit Conc. Trid. Sacramentum Baptiſmi noſtræ juſtificationis eſſe cauſam inſtrumentalem. *ſſ. 6. c. 7.*

I. Quot ſunt Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta?

R. Septem, nec plura, nec pauciora, quemadmodum ex Scripturis probatur, & Patrum traditione ad nos pervenit, & Conciliorum teſtatur auctoritas. *Trid. de Sacram. in gen. can. 1.*

I. Quæ ſunt?

R. Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, Matrimonium.

I. Eſtne in Scriptura Sacra in terminis expreſſa mentio iſtorum ſeptem Sacramentorum?

R. Non.

I. Quare ergò ſic ea appellamus?

R. Sequimur hac in parte Eccleſiæ auctoritatem, quæ traditioni ſacræ innixa eo modo vult ea appellari: quod bonæ mentis viro Catholico ſufficere debet.

Congruentia ſeptenarii numeri Sacri I. Cur Sacramenta numero ſeptenario conſtant?

Con. Conſtant. ſſ. 15. Florent. in decreto dato Armenis. R. *Primò*, ratio iſtius numeri eſt à priori, inſtitutio Chriſti. *Secundò*, convenientiſſimus eſt iſte numerus ab analogia corporalis & ſpiritualis vitæ. Quemadmodum enim homini ad vitam naturalem privatim & publicè traducendam, ſeptem ſunt neceſſaria; ut ſcilicet in lucem edatur, incrementum & robur accipiat, cibo alatur, & ſi morbo laboret, opus eſt remedio quo ſanetur, ac ut perfectè convaleſcat, opus eſt virium imbecillitatem ægritudine contractam refici, morbique reliquias tolli: ex parte autem Reipublicæ neceſſarius eſt magiſtratus, cujus auctoritate regatur, ac poſtremò neceſſarii ſunt parentes qui legitimâ prolis generatione humanum genus conſervent ac propagent. Ad eundem modum in vita ſpirituali, per Baptiſmum *Vid. S. Tho. 3. p. q. 65. a. 1. in c. ...*

Digitized by Google

tiſmum naſcimur, per Confirmationem roboramur, per Euchariſtiam nutrimur, per Pœnitentiam à vulneribus curamur; per Extremam Unctionem è peccatorum reliquiis ſanamur & contra extremam luctam roboramur, per Ordinem poteſtas conferendi Sacramenta & Eccleſiam regendi datur, per Matrimonium populus Chriſtianus multiplicatur. Ecce quanta ſalutis ac beatæ vitæ adjumenta nobis divinitùs parata!

Non eſt par omnium Sacr. neceſſitas.

I. Æqualiſne eſt omnium Sacramentorum vel neceſſitas, vel dignitas?

R. Quamvis omnia Sacramenta divinam & admirabilem virtutem in ſe contineant, adeoque nullum non in magno pretio haberi debeat, tamen non parem omnia & æqualem neceſſitatem aut dignitatem habent. Sunt namque ex iis tria, quæ tametſi non eâdem ratione, tamen præ cæteris neceſſaria dicuntur. Baptiſmum enim unicuique ſine ulla adjunctione neceſſarium eſſe his verbis Salvator declaravit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Pœnitentia verò illis tantummodò neceſſaria eſt, qui ſe poſt Baptiſmum aliquo mortali peccato obſtrinxerunt. Neque enim extremum exitium effugere potuerunt, niſi eos admiſſi peccati ritè pœnituerit. Ordo præterea etſi non ſingulis fidelibus, toti tamen Eccleſiæ omninò eſt neceſſarius. Verùm ſi dignitas in Sacramentis ſpectetur, Euchariſtia ſanctitate, & myſteriorum numero ac magnitudine longè cæteris antecellit, quæ amplius ſuis locis declarabuntur, cùm de ſingulis Sacramentis agetur.

Conc. Tri. ſ. 7. c. 3, & 4.
Bapt. neceſſitas. Joan. 3.
Pœnit. neceſſitas.
Ordin. neceſſitas.
Euchariſtia dignitas.

I. Qui ſunt præcipui Sacramentorum effectus?

R. Diximus ſup. in definitione Sacramenti effectum qui Principem locum merito obtinet, eſſe gratiam, quam uſitato à Doctoribus nomine juſtificantem vocamus, quâ anima Deo grata efficitur vitæque æternæ capax.

Trid. ſ. 7. de Sacr. in gen can. 5. & 7. 8.

I. Quo pacto fieri poteſt, ut tanta res, & tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, ut v. c. quemadmodum S. Auguſtini ſententiâ celebratum eſt, *Aqua corpus abluat, & cor tangat?* *Tract. 80. in Ioan.*

R. Id quidem humanâ ratione atque intelligentiâ comprehendi non poteſt, ut meminiſſe oportet quod ſuprà tradidimus, Sacramentorum auctorem eſſe Chriſtum Dominum, & fidei lumine cognoſcere, omnipotentis Dei virtutem eis ineſſe, quâ id efficiant, quod ſuâ vi res ipſæ naturales præſtare non poſſunt.

I. Numquid voluit clementiſſimus Dominus hanc noſtram fidem juvare aliquibus miraculorum ſignificationibus ab initio naſcentis Eccleſiæ, cum Miniſtrari Sacramenta cœptum eſt.

R. Ita. Nam Salvatorem noſtro in Jordane baptizato cœlos apertos eſſe, & Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie apparuiſſe commemorat Scriptura, ut admoneremur ejus gratiam, cum ſalutari fonte abluimur, in animam noſtram infundi: & legimus, cum Pentecoſtes die Apoſtoli Spiritum Sanctum acceperunt, factum fuiſſe repente de cœlo ſonitum tanquam advenientis Spiritus vehementis & apparuiſſe illis diſpertitas linguas quaſi ignis; ex quo intellectum eſt, Sacramento Confirmationis eundem nobis Spiritum tribui, eaſque vires addi quibus poſſimus carni, mundo, & ſatanæ, perpetuis ſcilicet hoſtibus noſtris fortiter repugnare & reſiſtere. Atque his & ſimilibus miraculis cæterorum etiam Sacramentorum (quibus Apoſtoli & primi Eccleſiæ Patres illa miniſtrarent) vim miraculis declaratam, & initio naſcentis Eccleſiæ aliquamdiu viſam Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur.

Sacramentorum vis mirac. declarat. Matt. 3. Marc. 10. Luc. 3.

I. Si unus eſt idemque omnium Sacramentorum effectus, gratia juſtificans, quid opus fuit plura inſtituere Sacramenta?

R. Non id otioſè & abſque cauſa fe-

 dum

De Sacramẽtorum effectu.

ctum eſt, nam, etſi quidem verum eſt: omnia Sacramenta ritè diſpoſitis gratiam juſtificantem conferre, at ſingula quæque particularem inſuper ſuum; habent effectum, cujus gratiâ ſunt inſtituta. Vide S. Thom. 3. p. q. 62. a. 2. & S. Bonav. in 4. d. 1. q. 6. a. 1. Sunt autem effectus illi quædam auxilia ſpecialia ad Sacramenti finem obtinendum neceſſaria, v. c. in Baptiſmo conferuntur auxilia conducentia ad puritatem vitæ, quam in eo accepimus, conſervandam: in Confirmatione auxilia neceſſaria ad fidem conſtanter profitendam, & ſic in cæteris conferuntur ſuſcipientibus auxilia ſpecialia gratiæ, ad proprium finem Sacramenti ordinata, quæ etiam à Theologis gratiæ Sacramentales dicuntur. Pro quo, Nota, etſi gratia habitualis & dona virtutum dent nobis vitam ſpiritualem, niſi tamen Deus ſæpè ſingularibus auxiliis nos præveniat, nos non poſſe diu omnibus tentationibus reſiſtere & gratiam conſervare; quare opus eſt auxiliis actualibus ad hoc conducentibus, quæ Deus ſingulis gratiis Sacramentalibus propria annexuit, & quodammodò, unà cum gratiâ in actu primo contulit dando homini jus ratione illius gratiæ, ut illa pro loco & tempore & in actu ſecundo conferantur; quæ per uſum Sacramentorum & facilius & certius acquiruntur, quam per quævis alia media, orationis, &c.

S. Tho 3. p. q. 60. o.

Proprii & particulares ſingulorum Sacrament. effectus.

Trid. ſſ. 6. cap. 22.

Trium Sacr. proprius effectus.

I. Numquid etiam eſt alius præter jam dictos Sacramentorum effectus?

R. Ita, & ille quidem non omnibus communis, ſed trium tantummodò proprius, Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis ſacri, eſt character quem animæ imprimunt.

I. Quid eſt ille character?

Trid. ſſ. 7. can. 9.

R. Character eſt velut inſigne quoddam animæ impreſſum, quod deleri nunquam poteſt, eique perpetuo inhæret, ut proindè nullo unquam tempore liceat aliquod horum trium Sacramentorum iterari.

I. Quid nobis præſtat character?

Sacr. characterem imprimẽtia non iterantur.

R. Hoc præſtat; tum ut apti ad aliquid ſuſcipiendum, vel peragendum efficiamur; tum ut aliquâ notâ alter ab altero internoſcamur. Ac Baptiſmi quidem charactere, utrumque conſequimur, ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei, & eo præterea fidelis populus à gentibus, quæ fidem non colunt, diſtinguatur. Idem autem in charactere Confirmationis & ſacri Ordinis licet agnoſcere: quorum altero veluti Chriſti miles ad ejus nominis confeſſionem armamur, & contra inſitum nobis hoſtem ac ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus inſtruimur, ſimulque ab iis qui nuper baptizati, tanquam modò geniti infantes ſunt, diſcernimur: alter verò tum poteſtatem Sacramenta conficiendi & miniſtrandi conjunctam habet, tum eorum qui hujuſmodi pietate præditi ſunt, à reliquo fidelium cætu diſtinctionẽ oſtendit.

I. Quem fructum capis ex doctrina de Sacramentorum effectu?

R. Ex priore quidem, quod utilis admodum ſit Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequentatio, tum ad gratiam ſubinde amiſſam recuperandam, vel etiam conſervatam augendam; tum ad robur & vires ſpirituales, quibus reſiſtere valeamus peccato, ejuſque illecebris; comparandas.

Exemplũ.

Birgerus S. Brigittæ Pater ſolebat ipſe ſingulis ſextis feriis peccata ſua humiliter confiteri; ſæpiſſimè his utens verbis: ita me qualibet ſexta feria comparare volo ante Deum, ut quicquid cæteris diebus ille mihi præſtiterit, ferre æquo animo poſſim; memor erat illius ſententiæ: Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. *Fecit ſimiliter ejus filius quoad vixit, qui etiam poſt confeſſionem ſecretò acerrimis flagellis cædebat corpus ſuum, ut paratus in flagella Chriſtum flagellatum in ſuo glorificaret corpore, & cum vitiis & concupiſcentiis jugiter carnem ſuam crucifigeret. Ex poſteriore autem qui eſt cha-*

In vita B. Brigittæ apud Sur. to. 4. Iul. 23. c. 1.

racter.

Digitized by Google

vacter , non modicam utilitatem ſumere licet, ut ſemper & ubique meminerimus nos dignè Sacerdotis Chriſti inſignia religioſiorū ſuprà multitudinem vitæ expreſſione circumgeſtare.

Sur. in ejus vit. 6. Dec. I. Habelne etiam pro hac parte exemplum?

R. Habeo *Divus Nicolaus, Epiſcopus Myrenſis factus, (licet priſtini ejus mores* Exemplū. *accurata caſtigatione eſſent compoſiti) haud tamen ignorans aliam eſſe privati hominis rationem, aliam magiſtratum gerentis, vitam omnem, moreſque pro dignitate transformandos putavit. Igitur unica in die refectione, eaque veſpertina contentus, totum diem publicis negotiis impendebat. Inter cœnandum nunquam ſacrorum librorum lectio aberat; vel certè aderant Sacerdotes eruditione & vita probati, à quibus ſuaviori aliquo animi cibo alebatur. A menſa in cubiculum ſe recipiens totus in cœleſtium contemplationum campum diffundebatur, & animum diurnis, alieniſque curis diſtractum nocturna meditatione collectum fovebat. Inter quas delicias meliore noctis parte abſumpta, tandem dimiſſa humi membra brevi admodum ſomno reficiebat. Tunc etiam cœpit uti veſte viliori, & neglectiori quàm ante ſolebat, in qua nullus omninò nitor eſſe aut faſtus poterat, ſed caſtigata potiùs humilitatis & modeſtiæ ſignificatio: nec enim alio quovis pacto poterat ſapientiùs aut faciliùs Sacerdotum in veſtitu luxuriem amputare. Et tamen tantùm abſuit ut ea rei aliquid detraxerit de ejus opinione, ut etiam multùm auxerit.]*

LECTIO III.

I. **E**Stne etiam cæremoniarum in Sacramentorum adminiſtratione antiquus uſus?

R. A primis Eccleſiæ, adeoque Apoſtolorum temporibus illud ſemper ſervatum eſt, ut Sacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis celebrarentur; ut non immeritò earum auctores Apoſtolos dixeris. Vide S. Dionyſ. in Hierarchia Eccleſiaſtica. S. Baſil. lib. de ſancto Spiritu c. 27. & Conc. Trid. ſſ. 22. c. 4.

I. Suntne magni faciendæ, & in Sacramentorum adminiſtratione diligenter obſervandæ ceremoniæ?

R. Ita. Vide Conc. Trid. ſſ. 7. can. 13. Audi Damaſcenum: *Quæ Chriſtiana Religio terroris neſcia ſuſcipit, & in tot ſæcula ſervat inconcuſſa, minimè vana ſunt, ſed utilia, Deo placita, ſalutique noſtræ conducibilia plurimùm.* Ser. de defunctis.

I. Quem fructum habent ceremoniæ, præcipuè quarum ſolemnis eſt uſus in Sacramentis.

Cæremoniarum circa Sacramentorum adminiſtrationem quis fructus.

R. Sacramentis cæremoniæ ſolemnes & Eccleſiaſticæ adhibentur multis & gravibus de cauſis: Primùm, ut Sacramentorum adminiſtrationem ſpectantes, admoneantur nihil hic profanum, ſed arcana quædam & divinis plena myſteriis geri, quæ ſingularem reverentiam exigant. Deindè, ut ad Sacramenta ipſa accedentibus cultum promoveant interiorem, quem Deus præcipuè poſtulat. Quippe cultus interni veluti ſigna, teſtimonia & exercitia ſunt cæremoniæ. Præterea ut Sacramenta miniſtrantes majori cum dignitate & fructu munus ſuum obeant, veteris Eccleſiæ inſtitutis, Sanctorumque Patrum veſtigiis fideliter inhærentes. His demùm Eccleſia tota (quod pulcherrimum eſt) honeſtam religioſamque diſciplinam exercet ac retinet, fovetque publicam tranquillitatem, quæ ſæpè rituum externorum immutatione graviter interturbatur.

I. Si quando cæremoniæ omittantur, Sacramentum abſque illis collatum ſubſiſtitne?

R. Tametſi cæremoniæ prætermitti ſine peccato non poſſunt, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat, tamen, ſi quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum eſt. Huc revoca quæ ſup. de cæremoniis in genere

tradidimus. Quoad cæremonias quibus ſingula Sacramenta adminiſtrantur, locus erit infrà cùm de ſingulis Sacramentis.

I. Suntne Sacramenta veneranda, & ſummo in pretio habenda?

Sacramēta in ſummo pretio habenda.

R. Ita. Primùm quidem quia à Deo & Domino noſtro in lege nova inſtituta; deindè quia gratiam Dei nobis neceſſariam, eamque ubertimam non modò ſignificant, verùm etiam ceu vaſa quædam ſacra divini Spiritûs continent. Ad hæc quoniam adversùs peccatum præſentiſſima quædam ſunt remedia & divina medicamenta noſtri Samaritani. Poſtremò, quia bonis gratiam habentibus, eam ipſam conſervant, augent, amplificant. Sacramentorum vis, inquit Auguſtinus, inenarrabiliter valet plurimùm; & ideò contempta ſacrilegos facit; impiè quippè contemnitur, ſine quo non poteſt perfici pietas.

L. 19. cont. Fauſt. c. 11

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

CAPUT II.

LECTIO PRIMA.

S. Tho. 3 p. q. 66. & ſeqq.

I. Quid eſt Baptiſmus?

R. Eſt novæ legis primum & maximè neceſſarium Sacramentum in ablutione corporis exteriore & legitima verborum enunciatione juxta Chriſti inſtitutionem conſiſtens.

I. Quare dicis quod baptiſmus ſit *primum Sacramentum*?

Baptiſmus primum Sacramentum.

R. Quia qui baptizatus non eſt, non poteſt eſſe capax alicujus Sacramenti, Sacramenta enim ſunt ſolorum Chriſtianorum; at Chriſtianus non eſt, qui nondum eſt baptizatus. Nullorum ſanè bonorum, aut hujus vitæ operationum eſt capax, qui per generationem naturalem non eſt in lucem editus: ita nullum Sacramentum, aut quodvis aliud ſpirituale bonum percipere poteſt, qui Chriſti baptiſmo regeneratus non eſt. Ut enim eſſe naturale tanquam fundamentum ante omnem operationem ſupponi debet, ita eſſe ſpirituale per baptiſmi regenerationem præcedit quamvis accretionem & perfectionem ſpiritualem.

Simile.

I. Quare dicis quod baptiſmus ſit *maximè neceſſarium Sacramentum*?

Et maximè neceſſarium.

R. Quia juſtificatio hominis (quæ eſt translatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum) poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Concil. Trid. ſſ. 6 c. 4. — Joan. 3.

I. Eſtne parvulis neceſſarius baptiſmus?

R. Omninò, nam intelligis verba Chriſti Domini eſſe generalia, ad omneſque ſine ulla exceptione extendi; & ratio quam ibi adfert, rem hanc amplius probat: *Quod enim natum eſt ex carne, caro eſt.* Et: *Oportet vos naſci denuò.* Vide Conc. Trid. ſſ. 5. de peccato orig. & c. Majores, de Baptiſmo & ejus effectu.

Parvulis eſt neceſſarius Baptiſmus.

I. Eſtne antiqua & univerſalis conſuetudo in Eccleſia baptizandi infantes?

R. Antiquiſſima, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, de qua omnes Patres meminerunt. Undè ſemper credit Eccleſia infantes abſque baptiſmo perire. Ut in Conc. Carthag. Milevit. & Trid. ſſ. 6. c. 3. & ſſ. 7 can. quinto, definitum eſt. Vide S. Aug. ep. 90 & 92. Hinc meritò (inquit idem S. Doctor) quàm diligentiſſimè recurritur ad baptiſmum cum parvulis, qui in vitæ diſcrimine verſantur.

Baptizandi infantes antiqua & univerſalis in Eccleſia conſuetudo.

Hortandi ſunt igitur magnoperè fideles, ut liberos ſuos quamprimùm ad Eccleſiam deferendos & ſolemnibus cæremoniis

Digitized by Google

moniis baptizandos curent: nam cum pueris infantibus nulla alia ſalutis comparandæ ratio, niſi eis baptiſmus præbeatur, relicta ſit: facilè intelligitur quàm gravi culpâ ſeſe illi obſtringunt, qui eos Sacramenti gratiâ, diutiùs quàm neceſſitas poſtulet, carere patiuntur, cùm præſertim propter ætatis imbecillitatem infinita penè vitæ pericula illis impendeant.

I. Recipiuntne parvuli in baptiſmo aliquam gratiam?

R. Procul dubiò, nam tametſi nullum fidei actum propriâ operatione eliciant, credunt nihilominùs parentum ſuorum vel Eccleſiæ fide. Vide Auguſtinum ep. 23 ad Bonif.

I. Non poſſunt ergò ſalvari parvuli fidelium filii abſque baptiſmo?

R. Minimè, repugnat enim hæc doctrina ex diametro cum Chriſti verbo ſup. citato: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Vid. S. Auguſt. l. 1. de peccatorum meritis c. 23.

I. Quomodo agitur cum parvulis qui abſque baptiſmo moriuntur?

Parvuli non baptizati damnantur.

R. Propter originis peccatum, à primo parente contractum juſtiſſimè damnantur; à quo non niſi baptiſmi lavacro emundari poſſunt: detinentur in limbo puerorum de quo ſup p 1 c. 10. & æternùm privantur viſione Dei.

I. Tolerantne ibi aliquam pœnam ſenſus?

R. Veroſimilè eſt quod non. Vid. c. Majores de Baptiſmo & ejus effectu, & Doctores ibidem.

I. Debentne etiam adulti hactenùs non regenerati ſuſcipere baptiſmum?

R. Planè neceſſarium eſt, id enim generatim Chriſtus Dominus de omnibus, nullo excepto, dixit: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Quia tamen dilatio baptiſmi adultorum periculum quod parvulis imminet, conjunctum non habet, ideò diverſam eſſe rationem in adultis ſervandam, vetus Eccleſiæ conſuetudo docet; nam quia poſſunt adulti contrariæ voluntatis obicem baptiſmo ponere, idcircò ne fictè ad baptiſmum accederent, conſtituit Eccleſia eos primùm catechizati, hoc eſt, de fide & morum doctrinâ inſtitui, ut præparati certis & deſignatis temporibus, videlicet, pridie Paſchæ, & Pentecoſtes, cum ſolemnibus cæremoniis & precibus baptiſmum publicè ſuſciperent, adhibita tamen ea cautione; ut ſi vitæ periculum, aut juſta neceſſitas occurreret, quovis tempore baptizari poſſent. Et hæc eſt ratio cur Eccleſia etiamnum fontes baptiſmales renovet & ſolemniter benedicat pridie Paſchæ & Pentecoſtes, habet etiam baptiſmus omnem ſuam vim & efficaciam à Salvatoris Paſſione & gratiâ Spiritus ſancti.

Conc. Agath. c. 251. Laodic. c. 26. c duo tempora de conſ. d. 4. c venerabilis ibidem.

I. Poſſetne adultus jam in fide inſtructus ad regnum cœlorum pervenire abſque baptiſmi Sacramento?

R. Ita, in duobus caſibus, primus eſt, quando talis pro nomine Chriſti ſubiret Martyrium; & hic vocatur baptiſmus ſanguinis: quia in hoc caſu baptizatur iſte in ſuo ſanguine, hoc eſt, per effuſionem ſanguinis ſui pro Chriſto, eundem conſequitur effectum, quem per baptiſmum aquæ conſecutus fuiſſet, nimirùm plenam & integram peccatorum remiſſionem. Hanc doctrinam tradunt S. Baſil. l. de Spiritu ſancto c. 16. S. Cyprian. ep. ad Jubai. cap. 8 S. Auguſtin. multis locis. Tertul. l. de Baptiſmo. Clem. Alex. l. 4. ſtrom. Cyril. l. 2. in Levit. Proſp ſent. 149. Fulg. de fide ad per. cap. 3. Bern. ep. 77. Hoc modo baptizatus fuit latro in cruce Chriſtum confitens.

Baptiſmus ſanguinis.

De conſec d. 4. c. bapt. vicem.

Alter caſus eſt, quando catechumenus (id eſt, qui inſtruitur & præparatur ad baptiſmum) contritus moritur abſque Sacramento, is enim ſalvatur per baptiſmum flaminis; quia talis à Spiritu ſancto accipit gratiam & baptiſmi effectum, nullâ interveniente hominum exteriore cooperatione. De hoc baptiſmó Auguſtin. l. 5. contra Do-

Baptiſmus flaminis.

natiſtas

Digitized by Google

natiſtas c. 24. & 25. S. Ambroſ. agens de Valentiniano, qui catechumenus obiit: *Chriſtus te baptizavit*, inquit, *quia tibi humana officia defuerunt.*

I. Quandonam ſupplet Deus hoc modo baptiſmi vicem?

R. *Cùm myſterium baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit*, d. c. baptiſmi vicem. *Alioqui, ſi ex voluntate baptiſmus, vel converſio cordis, fideſque defuerit, reatu involvitur homo, & regenerari non poteſt.*

I. Habeſne exemplum ad hanc rem confirmandam?

Exemplū. R. Ita. *Radbodus Rex Friſiæ invitatus ad baptiſmum à S. Vlfrano Epiſcopo promittente ipſi regnum cœlorum, & ni baptizaretur minante infernum, quæſivit ab eo ubi eſſet major numerus Regum & Principum, ſeu nobilium gentis Friſonum in cœlo, an in inferno? reſpondente B. Vlfrano: Prædeceſſores tui Principes qui ſine baptiſmo deceſſerunt, deſcenderunt in infernum; Radbodus à fonte baptiſmi pedem retraxit, dicens: ſe malle cum tot prædeceſſoribus ſuis Principibus quàm cum parvo numero reſidere in cœlo. Quare ſine baptiſmo defunctus anno 719. ad ſuos in tartara deſcendit, ubi eum catena ignea religatum vidit S. Willebrordus*, Ita Jonas in vita S. Ulfrani.

Baron. poſt alios an. 719. 3 p. q. 66. a. 11.

Nota interim, quod quando Gloſſa ordin. ſupr. c. 6. S. Pauli ad Hebr. & ex illa S. Thomas & ejus Comment. dicunt tria eſſe baptiſmata, videlicet, *fluminis*, *flaminis*, *& ſanguinis*, ipſi Apoſtolo non eſſe contrarios qui c. 4. ad Epheſ. aſſerit unum eſſe baptiſma, ſicut unus eſt Deus, & una fides; nam loquitur Apoſtolus de baptiſmo propriè dicto, qui eſt Sacramentum de quo hic agimus; S. Thom. verò cum Gloſſa loquitur de iis quæ non ſunt Sacramenta, ſed metaphoricè vocantur baptiſmata, quod interdum veri baptiſmatis vicem ſuppleant, & eundem effectum operentur, quem ipſum verum baptiſma operari ſolet, ut anteà dictum eſt.

Tria baptiſmata quo ſenſu?

Nam ſi *baptiſmus fluminis* animas noſtras lavat & emundat ab omni iniquitate, id ipſum ſimiliter facit Martyrium quo loti ſunt illi de quibus Apoc. 7. *Hi ſunt qui venerunt de magna tribulatione & laverunt ſtolas ſuas & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.* Dealbaverunt, inquit, ſtolas ſuas, quâ Martyrio ſuo & tormentis pro Dei nomine toleratis, ex filii Dei paſſione eundem fructum collegerunt, quem ſolent ii colligere, qui *baptiſmo fluminis* regenerati ſunt. Simili modo *baptiſmus flaminis* ſive pœnitentiæ abluit & emundat animam non ſecus ac baptiſmus fluminis, & idcircò appellatur etiam baptiſmus per figuram & ratione effectus. *Si abluerit Dominus* Iſai. 4. *ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem* (id eſt, peccata) *laverit de medio ejus in ſpiritu judicii* (id eſt, pœnitentiæ, per quam tanquam Judices ſumimus vindictam de peccatis) & in ſpiritu ardoris (id eſt charitatis) vocatur hic *baptiſmus flaminis*, quia per virtutem Spiritûs ſancti conſequitur aliquis effectum baptiſmi, non ſolùm ſine baptiſmo aquæ, ſed etiam ſine baptiſmo ſanguinis, in quantum ſcilicet alicujus per Spiritum ſanctum cor movetur ad credendum & diligendum Deum, & ad pœnitendum de peccatis S. Thom. 3. p. qu. 66. art. 11. in c.

LECTIO II.

I. Cur dicis, quod baptiſmus ſit Sacramentum *in exteriore corporis ablutione?* S. Tho. 3 p. q. 66. a. 3. & 4.

R. Ut declarem materiam iſtius Sacramenti.

I. Quæ eſt igitur materia Sacramenti baptiſmi? Materia baptiſmi.

R. Eſt aqua naturalis, & ablutio ex ea. Per aquam naturalem intelligo aquam ſimplicem hauſtam ex flumine, fonte, ciſterna.

I. Sufficitne unica aquæ gutta?

R. Non

R. Non: Nam iſta vox *baptizo* ſignificat idem quod lavo, & baptiſmus idem valet quod ablutio: at non poteſt dici unicâ guttâ fieri ablutio; & proindè nec Sacramentum: nam forma, *Ego te baptizo*, tantundem ſignificat ac ſi dicas: quemadmodum ego te exteriùs aquâ abluo, ita Spiritus ſanctus te miniſterio meo abluit abundantis gratiæ ſuæ infuſione, per aquam ſignificatæ.

I. Unde habes ablutionem aquæ eſſe materiam propriam baptiſmi?

R. Ex Joan. c. 3. ſup. cit. in verbis iſtis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et c. 5. ad Epheſ. Ex c. 8 & 10. Act. ubi videre eſt praxim Apoſtolorum. Conc. Trid. & Florent.

I. An immerſio in aquam ſit de neceſſitate baptiſmi?

R. Immerſio, quamvis olim adhibita, non eſt neceſſaria; ſed requiritur & ſufficit externa ablutio; ablutio autem poteſt fieri non tantùm per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis, vel infuſionis. Qua in re debet unuſquiſque ſervare Eccleſiæ ſuæ ritum & conſuetudinem.

I. An ſaltem neceſſaria ſit trina ſive immerſio, ſive aſperſio, ſive infuſio?

R. Trinam olim immerſionem adhibitam fuiſſe, & ſignificaſſe triduanam Chriſti ſepulturam docent SS. Patres; Sed unicam ſufficere ad ſubſtantiam Sacramenti, conſtat ex Conc. Tolet. IV. c. 5. Ubi allegatur reſponſio S. Gregorii ad Leandrum, cui ille reſponderat, ut trinâ immerſione ad ſignificandam triduanam ſepulturam, ita unicâ baptizari poſſe ad ſignificandam unitatem divinam; quia in una fide, inquit, nihil officit Eccleſiæ conſuetudo diverſa.

L. 1. Regiſt. ep. 4.

I. Quare caput hic potiſſimum abluitur?

R. Non quælibet corporis pars in baptiſmo, ſed potiſſimum caput, in quo omnes tum interni, tum externi ſenſus vigent, abluendum eſt, eaque ablutio facienda ab eo qui baptizat, non ante aut poſt pronuntiationem verborum ſacramentalium quæ formam continent; ſed eodem tempore & ſimul, ſimultate ſaltem morali, cùm verba pronuntiantur, ablutio ipſa peragenda eſt.

I. Eſtne neceſſarium ad ſubſtantiam Sacramenti ut ipſa aqua ſit benedicta?

R. Non, ſed ſufficit ut aqua ſit vera, ſimplex, naturalis, elementaris; nihilominùs, niſi urgeat neceſſitas, non debet baptiſmus adminiſtrari abſque aqua fontium baptiſmalium benedicta.

In Clem. c. unic. præſenti de baptiſmo & ejus effectu.

I. Qua de cauſa fontes baptiſmales benedicuntur.

R. Benedicuntur de more fontes baptiſmales in Eccleſia ex traditione Apoſtolica, ut expreſſiùs ſignificetur baptiſmi effectus, imò etiam ad augendam reverentiam quæ Sacramento debetur. Nam ſi aquâ communi & vulgari uteremur, facilè ſibi perſuaderet imperita multitudo, profanum eſſe, & ſpirituali effectu vacuum, omne quod hic agitur.

Benedictio fontium baptiſmalium. S. Baſil. l. de Spiritu Sancto.

I. Quando & quomodo benedicuntur fontes baptiſmales?

R. Aquæ deputatæ ad Sacramentum baptiſmi ſanctis precibus & cæremoniis more majorum benedicuntur, non ſine admixtione chriſmatis, idque non quovis tempore, ſed in vigiliis præcipuarum ſolemnitatum Paſchæ & Pentecoſtes, quibus duobus temporibus ſolebat olim baptiſmus ſolemniter adminiſtrari, ut ſuprà diximus.

Leo ep. 4. ad Epiſcopos Siciliæ.

I. Memineruntne SS. Patres benedictionis aquarum baptiſmalium?

R. Ita, S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. c. 2. S. Cypr. l. 1. ep. ult. S. Ambr. l. 1. de Sacram. c. 5. Baſil. de Spiritu S. c. 27. Aug. l. 6. cont. Julian. c. 8. & tract. 118. in Joan.

I. Quibus potiſſimum cæremoniis perficitur iſta benedictio?

R. His duabus maximè, ſcilicet immerſione cerei Paſchalis, & admixtione ſacrorum oleorum.

Quibus cæremoniis perficiatur benedictio

Nnnn I. Quid iſta.

Digitized by Google

I. Quid ſibi vult cereus Paſchalis immerſus in aquas fontium in ipſa benedictione?

R. Hoc ſignificat baptiſmum efficaciam emundandi peccata habere ex Paſſione & reſurrectione Domini noſtri JESU Chriſti. Vide quæ ſup. in primo Decalogi præcepto de cereo Paſchali notavimus.

I. Quid ibi indicat ſacrorum oleorum infuſio & admixtio?

R. Quod gratia Spiritus ſancti nobis in baptiſmo conferatur ad remiſſionem peccatorum, & virtutum infuſionem.

I. Sumpſitne aliquando Deus pœnas de temeratoribus fontium baptiſmalium?

Exemplum. *Bredemb. l.7. collat. c.53.*

R. Ita, *cùm circa annum Domini 1579. oppidum Kerpenſe non procul à civitate Colonienſi diſſitum, diverſis irruptionibus nunc Statuum, ut vocant, nunc Regiorum militum invaderetur, miles quidam in Eccleſia, quæ ibidem Collegiata eſt, baptiſterium impietate pluſquam Copronymiana ventre ſoluto conſpurcavit; qui paulò poſt hoc ſacrilegium admiſſum oculorum lumine privatus eſt, cumque vagis greſſibus huc illucque oberraret, in hoſtes incidens captus eſt, atque ante valvas ipſas Eccleſiæ, quam impiè fœdarat, laqueo ſuſpenſus. Cujus ſordidiſſimi flagitii malè olens fama longè latèque pervagata Agrippinenſem civitatem complevit.*

I. Poteſtne evidenti aliquo ſigno oſtendi benedictionem fontium baptiſmalium eſſe Deo gratam?

R. Ita. Nam aqua ibi per annum integra abſque corruptione ſervatur.

I. Cur voluit Chriſtus in baptiſmi miniſterio aquâ potiùs quàm aliâ materiâ nos uti?

Aqua uſu in baptiſmo natura valdè conſentanea.

R. *Primò*, quia hoc Sacramentum omnibus ſine ulla exceptione ad conſequendam animæ vitam neceſſarium erat, idcircò quia materia aquæ omnibus in promptu eſt, maximè idonea fuit. *Secundò*, ut aqua ſordes abluit, ita baptiſmi vim atque efficientiam, quâ peccatorum maculæ eluuntur, optimè demonſtrat. *Tertiò*, quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptiſſima eſt, ſic baptiſmo cupiditatum ardor magna ex parte reſtringuitur. *Quartò*, aqua tranſparens eſt facilè ſuſceptiva luminis; ita per baptiſmum anima regenerati illuſtratur tum fidei, tum gratiæ lumine; quapropter baptiſmus olim illuminationis Sacramentum eſt appellatus. **Rom. 6.**

LECTIO LII.

I. Quibus verbis miniſtratur baptiſmus? *S.Tho. 3. p.q.66.a.5.*

R. Forma baptiſmi eſt illa quam nobis traditio propoſuit ex Evangelio: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* In qua fidem ſanctæ Trinitatis, & unius Deitatis, dicendo in nomine, & non in nominibus clarè profitemur; *in nomine* enim idem eſt, quod appellato & invocato nomine, & per conſequens, perſonâ, divinitate, & virtute trium perſonarum, quæ ſunt in una eadem Deitate, ſcilicet, *Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.*

I. Debetne promiſcuè omnibus fidelibus perfecta baptiſmi forma clarè exponi?

R. Debet omninò, cùm enim ſæpè incidant occaſiones in quibus tum ab aliis de populo, tum ſæpiſſime à mulierculis baptiſmum adminiſtrari oporteat: ita fit ut promiſcuè omnibus fidelibus ea quæ ad hujus Sacramenti ſubſtantiam pertinent, cognita & perſpecta eſſe debeant. Quare dilucidis & apertis verbis, quæ facilè percipi ab omnibus poſſint, Paſtores & qui catechizandi munere funguntur, docebunt hanc eſſe perfectam & abſolutam baptiſmi formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

I. Qui loco iſtorum verborum alia proferret; v.c. *Baptizo te in nomine* *Forma baptiſmi.*

Dei

Dei & ſanctæ Crucis, vel : *Baptizo te in nomine Patris , & totius curiæ cæleſtis*; vel etiam qui omittendo verba iſta , non aliud ageret quàm aquam infundere, baptizaretne?

R. Minimè, nam verba iſta, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ſunt ſimiliter æquè neceſſaria , ac anima rationalis in homine ; ſunt enim forma Sacramenti baptiſmi , adeoque potiſſima pars eſſentiæ ejus.

I. Si quis baptizaret in nomine Chriſti ſolummodò, conſtaretne baptiſmus?

De conſec. diſt. 4. c. multi ſunt. R. Non, nam ex præcepto Evangelico, Dei & Salvatoris noſtri JESU Chriſti, baptiſmus debet tradi in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis explicitè invocato hoc modo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*.

I. Debetne neceſſariò pronunciari forma baptiſmi latinè?

R. Non, nam ſi baptiſmus in caſu neceſſitatis adminiſtraretur per laicos, melius & ſecurius eſſet, ut ab iis forma vulgari idiomate pronunciaretur. Quantum ad baptiſmum qui in Eccleſia per miniſtrum ordinarium confertur, debet ipſius Eccleſiæ uſus ſervari , neque vel latum unguem licet à communi & ordinario ritu, abſque flagitio recedere.

I. Numquid debent Sacerdotes parochiales diligenter inquirere de materia, forma, aliiſque circumſtantiis, quibus homines laici Sacramentum baptiſmi in caſu neceſſitatis miniſtraſſent.

De conſec. d. 4. cum itaque. R. Planè, nam poſtquam de obſtetricis aut miniſtri intentione, capacitate , & conditione, reſpondendi modo, & aliis circumſtantiis debitè ſe informarint , ſi aliquod eis de valore baptiſmi morale *L. 3. decret de baptiſmo & ejus effectu c. de quibus.* dubium vel hæſitatio ſuperfuerit , ſub conditione baptiſmum repetere debent. Vide Catech. Rom. p. 2. c. 2. § 43 & Synodum Namurc. anni 1639. tit. 8. c. 7.

I. Requiriturne prætereà aliud ad baptiſmum quàm ut aqua infundatur, & verba formæ proferantur?

R. Ita, nam requiritur prætereà intentio in miniſtro id agendi quod in ſimili agit Eccleſia , ſive id agendi quod Chriſtus Dominus inſtituit. *Intentio miniſtri.*

I. Ad quem ſpectat baptizare?

R. Omnes poſſunt in caſu neceſſitatis baptizare, Catholici, hæretici, infideles, Judæi, &c. valetque baptiſmus per quemlibet datus, ſi adfuerit materia, forma, & intentio miniſtri. Ordinariè autem ſi tempus & opportunitas id permiſerit, baptiſmus adhibendus eſt cum cæremoniis ſolitis in Eccleſia per Presbyterum aut Epiſcopum, vel etiam eorum permiſſu, per Diaconum. *Miniſter baptiſmi.*

Servari tamen hunc ordinem decet, ut mulier præſente viro, laicus præſente clerico, clericus præſente Presbytero etiam extra Eccleſiam baptizandi munus non ſuſcipiat, aut uſurpet. Quamquam Obſtetrices, quæ baptizandi habent uſum, interdum præſente viro, miniſtrandi Sacramenti minimè perito , laudabiliter baptizare poſſint.

I. Miror quod dicis baptiſmum etiam per hæreticum collatum valere ?

R. Non poteſt de eo dubitari , dummodò in eſſentialibus ad Sacramenti confectionem requiſitis non commiſerit errorem. Habetur expreſsè definitum in Conc. Trid. ſſ. 7. can 4. Et ratio eſt , quia Sacramentum baptiſmi , uti ſup. docuimus , imprimit characterem, adeoque iterari non poteſt. Undè Auguſtinus: *Non propterea ſigna mutanda ſunt ovibus, cum dominico gregi ſociantur, quia ei dominicum ſignum fugitivus ſervus impreſſit ; nec idèo repetitur nota militaris, quia impreſſa eſt alicui contra mandatum Regis , ſi ſua audacia veniam obtinens militare voluer t.* Et : *Si quis furtum non in monetis publicis aurum vel argent um, ſed ea percutiendo ſignaverint, cùm fuerit deprehenſum , nonne illis punitis aut indulgentiâ liberatis, cognitum regale ſignum theſauris regalibus cogetur inferri ?* Et alibi idem Auguſtinus: *Catholica Eccleſia non debet* *L. 1. cont. Creſc. c. 30*

Digitized by Google

iterare baptiſmum, quia apud hæreticos Joan.1. *datus eſt, ne judicare videatur ipſorum eſſe quod Chriſti eſt, de quo dicit Baptiſta: hic* eſt qui baptizat.

I. Eſtne illicitum proles deferre ad hæreticos ritu Calviniſtico aut alio baptizandas?

R. Ita, & hoc ipſum oſtendit Deus evidenti miraculo ſibi diſplicere. *Exemplũ.* *Amſterodami in Hollandia anno 1579. contigit mulierem quandam Catholicam peperiſ-* *Bredemb. l.7.c.51.* *ſe; maritus Calviniſta voluit prolem ritu Calviniano, uxor verò Catholico more baptizari. At illa pertimeſcens maritum fore pertinaciorem, quàm ut uxoris deſiderio cederet, ac tandem cernens illum ad Calvinianum baptiſma petendum accingi, feſtinavit maritum prævenire & extemporaneo baptiſmate (quia aliter non poterat) prolem baptizavit. Pater hujus facti ignarus prolem ad Eccleſiam Calvinianam defert ut baptizaretur. Præco Calviniſta cùm ad baptizandum ſe componeret, divino miraculo obmuteſcit. Maritus rem totam ſecum admirabundus expendens re infecta domum regreditur; uxorem interrogat quid egiſſet circa puerum. Illa confeſſa eſt ſe eum baptizaſſe. Ac tandem rem altiùs conſiderans, ſicuti præco ille divina virtute repreſſus obmutuit, ſic iſte divina gratia cooperante errorem omnem excuſſit, & ad Catholicæ religionis obſervantiam rediit.*

I. Si baptiſmus ab hæretico, vel etiam Catholico laico in caſu neceſſitatis collatus valet, quid cauſæ eſt cur proles taliter baptizatæ, ceſſante neceſſitatis articulo, ad Eccleſiam deferuntur?

R. Ut inibi cæremoniæ adjiciantur, vel ſuppleantur.

I. Suntne cæremoniæ iſtæ Deo gratæ?

R. Ita. *Propè Delphos Hollandiæ ſub novæ religionis exordio contigit, pueros quoſdam in pagis baptizari, ſed ſpre-* *Exemplũ.* *tis & omiſſis à baptizante cæremoniis Eccleſiæ Catholicæ. Pueri iſti omnes morbo correpti fuerunt: parentes puerorum videntes ultionem divinam, rogarunt Paſtorem quendam Catholicum Delphis tunc agentem, ut cæremonias, quas ſciebant antiquitùs ritu Catholico adhibitas, nunc verò omiſſas, ſupplere non gravaretur. Quo peracto mox omnes iſti pueri languentes & infirmi convaluerunt.* *Idem Bredemb. l. 7. c.48.*

LECTIO IV.

I. Quid generatim ſignificant cæremoniæ baptiſmi?

R. Ad hæc duo referuntur omnes cæremoniæ quæ circa baptiſmum fiunt, nimirum ut per externa ſigna indicarentur tam ea quæ Spiritus ſanctus in animis operatur, quàm ea ad quæ nos obligamur. *Cæremonia baptiſmi.*

I. Quotuplices ſunt baptiſmi ritus?

R. Omnes cæremoniæ & precationes quas in baptiſmi adminiſtratione Eccleſia adhibet, ad tria capita redigendæ ſunt; Ac primum quidem illarum genus eſt, quæ antequam accedatur ad fontem ſervantur. Alterum earum, quæ cum ad ipſum fontem ventum eſt, adhibentur. Tertium earum, quæ peracto jam baptiſmo addi ſolent. De illis nos ſimili ordine in tribus lectionibus tractabimus, ut auditorum memoriâ faciliùs retineantur.

I. Dic age, quid eſt quod baptizandus defertur ad fores Eccleſiæ, & non ſtatim in Eccleſiam ipſam admittitur? *De ritibus baptiſmi antecedentibus.*

R. Quia in domum Dei non meretur ingredi qui peccatorum ſordibus eſt conſpurcatus; *Domum Dei decet ſanctitudo.* *Pſ. 92.*

I. Quid ibi fit circà baptizandum?

R. Catechizatur & exorcizatur. Vide S.Tho.3 p.q.71.

I. Ad quid Catechiſmus proponitur illi qui necdum per ætatem eſt intellectus capax?

R. Proponitur ei fides Eccleſiæ Catholi-

De conſec. d. 4. c. Ante baptiſmū. tholicæ, ut ſciat, & à parentibus & patrinis edoceatur ſuo tempore quid ei credendum ſit.

Catechiſmus. I. Undè ritus iſte Catechiſmi profluxit?

Marc. 16. Matt. 28. R. Ex Domini Salvatoris præcepto, cùm Apoſtolis juſſit: Ite in mundum univerſum, & docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.

I. Quis eſt exorciſmi, qui Catechiſmo ſubjicitur uſus?

Exorciſmus. R. Variis orationibus adjuratur dæmon, adhibitâ etiam lectione Evangelii, & exſufflatione, per quam depellitur diaboli poteſtas inimica (ait Auguſtinus) quæ *L. 1 de ſymb. c. 10.* hactenus infidelem poſſedit.

I. Eſtne antiquus ille in Eccleſia ritus exorcizandi baptizandos?

R. Ita; Nam ex hoc paſſim Auguſtinus probat contra Pelagianos, infantes ſub dæmonum poteſtate naſci. Et lib. 2. de nupt. & concupiſcen. cap. 18, hunc ritum per Eccleſiam univerſam receptum eſſe affirmat. Ejus meminit Dionyſ. lib. 2. Eccleſ. Hierarch. cap. 2, *Ep. 1. c. 11* & ſcribit de eadem cæremonia Cæleſtinus: *Sive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quàm exorciſmis & exſufflationibus clericorum immundus ab eis ſpiritus ablegatur.*

I. Cur exorciſmi cum exſufflationibus fiunt?

Exſufflatio. R. Exſufflatione uſus eſt Dominus, cùm Spiritum Sanctum Apoſtolis daret, Joan. 20. Itaque exſufflatione hic ſignificatur dæmonis expulſio, Spiritûs ſancti afflatus. Hujus meminit Aug. l. 6. cont. Julian. c. 2. Ambroſ. l. de iis qui myſteriis initiantur, c. 1 *Odorem vitæ æternæ*, inquit *vos inſufflatum capite.* Cyril Hieroſ. Catech. myſtag. ubi dicit ſanctorum ſufflatum, & nominis Dei invocationem excitare vehementiſſimam, & ardentiſſimam velut flammam, quæ dæmones excutiet.

I. Quâ ratione poteſt miniſtri baptiſmi inſufflatio dæmonem affligere qui totus & merus ſpiritus eſt? *Tertul. apolog. c. 23.*

R. Quia ſufflatus ille cacodæmoni in memoriam reducit flatum illum gehennam accendentem, de quo Iſaias: *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam*; cogitque ſub ſigno & minis ignis æterni & inevitabilis qui ei præparatus eſt, fugam arripere, & catechumenum deſerere. C. 30.

I. Quid ſibi vult Crucis ſignum multis corporis partibus in baptiſmo adhibendum?

R. *Primò*, Sacramento Baptiſmi imprimi characterem in anima baptizati, hoc eſt, ſignum Chriſti indelebile, quo etiam in die judicii fuiſſe Chriſtianus agnoſcetur. *Secundò*, Baptiſmi myſterio ſenſus baptizati aperiri ac corroborari ut Deum verum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum agnoſcere, præceptaque ejus intelligere, ac ſervare poſſit. *Tertiò*, omnibus ſenſibus & potentiis Chriſti fidem & Catholicam religionem eſſe palam profitendam. *Quintò*, homini Chriſtiano non dæmonis, ſed Chriſti crucem ferendam eſſe, jugumque tollendum, Chriſtianam enim vitam non eſſe deliciis plenam, ſed laborioſam, & multis ærumnis refertam; ut hominis Chriſtiani ſit mortificationem Domini noſtri Jeſu Chriſti jugiter portare. *Quartò*, corpus ipſum effici Spiritûs Sancti habitaculum: quia ex ſigno externo præfixo domui cognoſcitur, quis in ea habitet, & quid in ea operis agatur. Adde quod Eccleſiæ & Capellæ non abſque crucis ſigno dedicentur. *Sextò*, ad ſignificandum baptiſmum omnem ſuam virtutem & efficaciam à cruce & morte Domini noſtri deſumere. *Crucis ſignum in baptiſmo multoties adhibitum quid ſignificet.*

I. Cur ejus, qui baptizatur, ori ſal admovetur?

R. Guſtu ſalis ſignificatur & petitur, ut baptizandus à putredine & fœtore peccatorum omnium liberetur, & à vermibus peccatorum ultrà non putreſcat; *Salis ſignificatio.*

 ſed

Digitized by Google

ſed magis illæſus ſervetur ad majorem gratiam percipiendam. Hujus meminit Aug. l 1. confeſſ. c. 26. Conc. Carth. III. c. 5. Raban. l. 1. de inſtit cleric. c. 27. *Secundò*, datur deguſtandum ſal benedictum, ad ſignificandum quod ipſi guſtus detur rerum ſpiritualium, ne illa poſthac inſipida ſint ei quæ in Eccleſia traduntur, ſed potius delectetur, videat & guſtet quàm ſuavis eſt Dominus. *Tertiò*, quod veram capiat, & divinam ſapientiam, in omnibus actionibus adhibendam, ne quid imprudenter, temerè & irreligiosè agat. Sal ſapientiæ, ait Beda, quo initiantur Catechumeni in cunctis operum noſtrorum ſacrificiis afferre jubemur. *Quartò*, quod per gratiam baptiſmi etiam corpus ipſum liberabitur aliquando ab omni corruptione

I. Quare nares & aures baptizandi ſalivâ liniuntur, ſtatimque ad baptiſmum admittitur?

R. Tanguntur à baptizante Sacerdote nares & aures ſalivâ, prolatis Chriſti verbis; quibus aures & linguam ſurdi & muti tangens uſus eſt: *Epheta, quod eſt adaperire*, tali contactu ſignificando, primò, quod jam verum ac vivum efficiatur Chriſti membrum cum reliquis corpori adhætens. Secundò, quod aures internæ aperiantur, ne ad divinas promiſſiones, comminationes, aut admonitiones obſurdeſcat, ſed facilè intelligat vocem Domini & Paſtoris ſui, juxta illud: *Oves meæ vocem meam audiunt*, ut norit diſcernere vocem Paſtoris à voce alienorum, & Spiritum Chriſti à ſpiritu Pſeudoprophetarum; atque ut audiat mandata Domini ſui, eaque in intimo cordis reponat. Nares etiam attinguntur, ut aperiantur ad odorem notitiæ Dei percipiendum, & exercaturis non fœtorem, & noxium odorem hauriat, ſed ſuavem & ſalutarem animæ, hoc eſt, ut Deum in omnibus creaturis agnoſcat, illis non nimis adhæreat, illas non admiretur, aut magni faciat, ſed pro creaturis, id eſt, rebus caducis & perituris habeat; in qua re ſita eſt vera ac Chriſtiana ſcientia. Tertiò, ut quemadmodum cæcus ille Evangelicus, quem Dominus juſſerat oculos luto illitos Siloës aquâ abluere, lumen recuperavit, ita etiam intelligamus ſacræ ablutionis eam vim eſſe, ut menti ad cœleſtem veritatem percipiendam lumen afferat, ut meritò baptizandus ſordibus peccatorum infectus & conſpurcatus ad baptiſmum lavandus mittatur.

Joan 9.

LECTIO V.

De ritibus baptiſmũ comitantibus.

I. QUæ ſunt aliæ cæremoniæ quæ inter baptizandum adhibentur?

R. Prima occurrit *abrenunciatio*, quãdo quæritur à baptizando: *Abrenuncias Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus.* Et reſpondetur à patrinis, *abrenuncio.*

Abrenunciatio.

I. Eſtne antiqua ejuſmodi abrenunciatio.

In c. 6. Amos.

R. Ita De ea B Hieron. *In myſteriis*, inquit, *primùm renunciamus ei qui in Occidente eſt, nobiſque cum peccatis moritur, & ſic verſi ad Orientem pactum inimus cum ſole juſtitiæ; & ei ſervituros nos promittimus.*

Et Auguſtinus: *Renunciemus diabolo, & angelis & pompis ejus. Hoc audiſtis, hoc & vos profeſſi eſtis renunciare vos diabolo & angelis & pompis ejus. Videte dilectiſſimi, quia hanc profeſſionem veſtram in curiam profertis angelicam, nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, ſed à ſuperiore cœlitus poteſtate.*

L. de iis qui myſteriis initiantur c 3.

Et D. Ambroſius: *Ingreſſus es regenerationis ſacrarium, repete quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis. Renunciaſti diabolo, & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus, ac voluptatibus, tenetur vox tua, non in tumulis mortuorum, ſed in libro viventium, præſentibus Angelis locutus es,* &c.

Rur-

L.4. de Symb. c.1.

Rurſus Auguſtinus: *Excluſus eſt inimicus de cordibus veſtris, huic vos renunciare profeſſi eſtis: in qua profeſſione non hominibus, ſed Deo, & Angelis ejus conſcribentibus dixiſtis, renuncio; renunciate non ſolùm vocibus, ſed moribus, non tantùm ſono linguæ, ſed & actu vitæ, non tantùm labiis ſonantibus, ſed & operibus pronunciantibus. Scitote vos cum antiquo hoſte callido & veternoſo ſuſcepiſſe certamen, non in vobis poſt renunciationem, inveniat opera ſua, non jure vos attrahat in ſervitutem ſuam; deprehenderis enim & detegeris Chriſtiane, quando aliud agis, & aliud profiteris? fidelis in nomine, aliud demonſtras in opere, non tenens promiſſionis tuæ fidem: modò ingrediens Eccleſiam orationes fundere, poſt modicum in ſpectaculis cum hiſtrionibus impudicè clamare Quid tibi cum pompis diaboli quibus renunciaſti?*

Iſta ergo profeſſio ſive renunciatio ex mente & ſententia Sanctorum Patrum ob id ab omnibus Catechumenis ante baptiſmum inſtituitur, ut ſciant Chriſtiani non ſolorum monachorum eſſe, aut religioſorum renunciare ſæculo, ſed hanc eſſe omnium Chriſtianorum profeſſionem, ut non ſint de hoc mundo, ſicut & Chriſtus non fuit ex hoc mundo, ut deſerant & oderint mundum, atque ea quæ in mundo ſunt, exſpectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei; atque hanc profeſſionem tam eſſe propriam & intimam Chriſtianis, ut qui eam negligit, non minus cenſeatur reus quàm religioſus aut monachus violans profeſſionem ſuam.

Joan. 17. 1. Joan. 2.

I. Quæ ſunt pompæ diaboli, quibus profitemur nos renunciare in Baptiſmo?

L. 3. de Symb c. 1.

R. Non ſunt aliud ſecundùm Auguſtinum quàm illicita deſideria, ut *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.*

I. Cur ad ipſum Baptiſmi fontem conſiſtens interrogatur baptizandus à Sacerdote hoc modo: *Credis in Deum Patrem omnipotentem? Credis in Ieſum Chriſtum, &c.* Cui ille, vel pro eo Patrinus reſpondet; *Credo.*

R. In his duabus ſponſionibus omnis legis Chriſtianæ vis & diſciplina continetur, ut ſcilicet, peccato nuntium remittamus, renunciantes diabolo: & infirmiter Chriſtianæ fidei dogmata credamus. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Marc. 16.

I. Quid deſignat unctio, quæ fit ex oleo ſanctificato in pectore, & ſcapulis baptizandi?

Unctio in pectore & ſcapulis.

R. *Primò*, ut ſciat ſe quaſi Chriſti athletam luctam hujus ſæculi luctaturum, ſuſcepto ex nunc irreconciliabili bello contra diabolum, mundum & carnem. Solebant olim athletæ ſive luctantes oleo inungi, tum ut robuſtiores eſſent, tum ut ab adverſario minus teneri poſſent. *Secundò*, ut nullæ reliquiæ latentis inimici, inquit Rabanus, in eo reſideant; penetrans quippe oleum ſignificat etiam interiora quæque curari. *Tertiò*, ut ſciamus Baptiſmi gratiam, non noſtris meritis, ſed Chriſti beneficio & gratuitâ miſericordiâ donari, quæ per oleum ſignificatur, juxta illud Pſalmiſtæ: *Impinguaſti in oleo caput meum.* *Quartò*, quia oleum eſt medicamenti ſpecies, (ſiquidem Samaritanus infudit in vulnera oleum & vinum) per hanc unctionem ſignificatur interna vulnera animæ noſtræ, hoc eſt paſſiones, & noxias infirmitates hâc medicinâ curari, fomitemque ipſum, quantumvis non omninò extinguatur, at certè debilitari & frangi, vireſque & robur ſpirituale nobis addi, tentationes omnes dæmonis & carnis repellendi, juxta illud: *peccatum vobis non dominabitur, quia non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Qua de re pulchrè Lactantius l. 2 divin. Inſtit. c. 26. Cypr. l. 2. epiſt. 2. Auguſt. l. 4. conf. c. 4 & l. 9 c. 1 4. & 6. qui hujus rei experientiam mirabilem, tam in ſeipſis, quàm in aliis referunt. Olim quidem (ut

L. 1. inſtit. c. 27. Pſ. 22. Rom. 6.

teſte-

teſtatur B. Dionyſius Areopag.) inungi ſolebat totum hominis corpus, nunc autem ſolum pectus cum ſcapulis. Pectus quidem, ut intelligamus mentem ipſam ſeu cor corroborari: ſcapulæ, quia datur homini robur ad Chriſti jugum ferendũ. Antè inungitur & retrò, ut undique muniatur & confirmetur ad bona opera præſtanda, corde & corpore, voluntate & actu.

I. Cur ab eo qui aquâ ſalutari tingendus eſt, petitur num baptizari velit?

R. Quemadmodum homo ſuâ voluntate ſerpenti obediens meritò damnatus eſt, ita Dominus neminem ad ſuorum numerum, niſi voluntarium militem aſcribi voluit, ut divinis juſſis ſponte obtemperans æternam ſalutem conſequeretur.

I. Quid ipſo baptizando per ſe, vel ejus nomine, ſi infans ſit, patrino annuente ulterius fit?

R. Mox confertur Baptiſmi Sacramentum corpus ipſum abluẽdo, & cor ab omni peccato purgando, invocato nomine Sanctæ Trinitatis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

LECTIO VI.

I. Quid autem poſt ablutionem & Sacramenti collationem?

De ritibus Baptiſmũ ſequentibus

R. Poſtquam Baptiſmus abſolutus eſt, Sacerdos ſummum baptizati verticem Chriſmate perungit, ut intelligat ſe ab eo die Chriſto capiti tamquam membrum conjunctum eſſe, atque ejus corpori conſitum, & eâ re Chriſtianum à Chriſto velut Chriſtum à Chriſmate appellari. Vide quæ ſub Symboli articulo 2. diximus.

Ambr. l. 1. de Sacr. c. 2. & l. 2. c. 2.

I. Quod eſt Patrinorum officium?

R. Quoniam in omni miniſterio Baptiſmi tenens ſive ſuſceptor & patrinus adeſt, ſuaſque partes agit, ideò huc uſque diſtulimus de eo tractare. Itaque patrinorum, ſeu ſuſceptorum officium in Eccleſia eſt antiquiſſimum (ut patet ex Dionyſio Areopag.) & in eo verſatur: *Primò* ut ſuſceptum in Baptiſmo inſtituat in his quæ ſunt fidei. Sicut enim in naturali ortu hominis nemo ſine parente naſcitur, & natus pædagogo traditur erudiendus: ita Eccleſia Mater Chriſtianorum, ubi per Baptiſmum Chriſto aliquem genuit, ſedulò curat ne ei deſit inſtitutor aut pædagogus. *Secundò*, ſuſceptores pro infante ipſo reſpondent, mundo & diabolo renunciant, fidem profitentur, ita ut per os patrini infans loqui cenſeatur, & ſeſe obſtringere. *Tertiò*, ſuſceptores & patrini teſtes ſunt Baptiſmi puero collati.

C. 2. & 7. Eccl. Hier arc.

Patrini.

Notanda eſt hic inſignis admonitio Divi Auguſtini ad ſuſceptores: Hoc itaque admoneo, fratres cariſſimi, ut quoties Paſchalis Solemnitas venit, quicumque viri, quæcumque mulieres de ſacro fonte filios ſpirituales exceperunt, *cognoſcant ſe pro ipſis fidejuſſores apud Deum extitiſſe, & ideò ſemper illis ſollicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant ut caſtitatem cuſtodiant, virginitatem uſque ad nuptias ſervent, à maledicto vel perjurio linguam refrænent, cantica turpia vel luxurioſa ex ore non proferant, &c.* Similia habet ſer. 215. de tempore, ubi ſuſceptores monet, ut ſpirituales ſuos filios Symbolum Apoſtolorum & Orationem Dominicam doceant.

Serm. 163. de temp.

Ex quibus liquet, ad hoc officium non eſſe aſſumendos pueros, neque rerum ſpiritualium omninò ignaros; multò minùs publicos peccatores, aut hæreticos; cùm ovis non ſit lupo committenda. Vide Rit. Romanum juſſu Pauli V. editum.

Qui in patrinos non aſſumendi

I. Numquid parentes carnis poſſent præmiſſa circa puerum curare?

R. Parentes carnales ſæpè filios ad ſuam conſolationem, non ad ſpiritualem eorum utilitatem diligunt, juxta ſermonem Domini: *Inimici hominis domeſtici ejus,* Matt. 10.

Matt. 10. *ejus* Providet proinde eis Eccleſia de aliis inſtitutoribus.

I. Numquid ſaltem Paſtores ad iſta ſufficiunt?

R. Ipſi Parochi nimis occupantur in Parochiæ ſuæ regimine. *Propterea divinis noſtris Ducibus Apoſtolis in mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes ſecundùm ſanctum iſtum modum; quo naturales parentes pueri, eum cuidam docto in divinis veluti pædagogo traderent, ſub quo, ſicut ſub divino Patre, & ſalvationis ſancta ſuſceptore, reliquum vita puer degeret.*

S. Dionyſ. Eccl. Hier. c. 3 p. 3.

I. Poſſentne parentes filios ſuos naturales de fonte ſuſcipere?

C. dictum eſt 30. q. 1. R. Id inhibuit Eccleſia cenſens ſpiritualem educationem, quæ à ſuſceptoribus impendi debet, longè aliam eſſe ab educatione quàm naturales parentes ſuis prolibus impendunt.

De conſec. d. 4. non plures. I. Quot ſuſceptores, vel ſuſceptrices adhibendi ſunt in Baptiſmo?

R. Unus, vel una ſufficit. Nihilominùs Conc. Trid. ſſ. 24 c. 2. de refor. permiſit, ut unus & una baptizatum de fonte ſuſcipiant; ne propter multitudinem prohibitionum, & multiplicationem cogitationum ſpiritualium contingat multos in gradibus prohibitis ignoranter contrahere matrimonia.

I. Quid vocas hic cognationem ſpiritualem, & quem effectum producit?

R. Vid. Conc. Trid. cit. loco, & quæ nos infrà c. 8. trademus.

I. Quæ nomina baptizandis imponenda ſunt?

Qualia nomina in Baptiſmo imponenda. R. De eo ſic monet Rit. Rom. Et quoniam iis qui baptizantur tamquam Dei Filiis in Chriſto regenerandis, & in ejus militiam adſcribendis nomen imponitur, curet parochus ne obſcœna, fabuloſa, aut ridicula, vel alia Deorum, vel impiorum Ethnicorum nomina imponantur, ſed potius, quatenus fieri poteſt, Sanctorum quorum exemplis Fideles ad piè vivendum excitentur, & patrociniis protegantur.

I. Quid deſignat veſtis candida, vel album ſudariolum, quo baptizatus donatur?

R. Sacerdos baptizatum induit candidâ veſte; vel, ſi infans eſt, tegit caput velo candido, his verbis: *Accipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri* JESU *Chriſti, & habeas vitam æternam.* Quæ veſtis ſignificat, *primò* puritatem animæ, & juſtitiam quâ anima jam ab omni ſorde peccati purgata, tanquam candidiſſimo veſtimento induitur, juxta illud: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* *Secundò*, libertatem Chriſtianam, quam hoc Sacramento ſumus aſſecuti, erepti de tenebris carceris, & immani ſervitute diaboli. *Tertiò*, lætitiam internam & gaudium ſpiritûs; ſicut enim veſtis nigra eſt ſignum triſtitiæ, ita veſtis candida gaudii. *Quartò*, futuram reſurrectionem, ad quam per Baptiſmi Sacramentum jus & pignus accepimus. *Quintò*, innocentiam Chriſtianam, ait Rabanus, *quam poſt ablutas veteres maculas, ſtudio ſancta converſationis immaculatam ſervare debemus ad præſentandum ante tribunal Chriſti.* Talis enim exigetur à Chriſto tam pura & nitida, tam ab omni ſorde & pulvere aliena, qualis data eſt in hoc Baptiſmi Sacramento. *Nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum.* Videat. S. Dionyſ. l. de Eccl. Hier. c. 2 p. 2. Ambroſius l. de iis qui myſteriis initiantur c. 7 Auguſtinus ſerm 157 de temp. & Conc. Trid. ſſ. 6. c. 7. in fine.

Veſtis candida baptizati. — Ezech. 36. — *L. 1. inſtit. cleric. c. 29.* — Apoc. 21.

De eadem candida veſte Paulinus ſic canit;

Inde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.

Et Lactantius carmine Paſchali:

Candidus egreditur niveis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niveo gaudia Paſtor habet.

Hinc & Sabbatum primum à feſto Paſchæ *Sabbatum in Albis*, & ſequens dies *Dominica in Albis*, vocatur, quod tunc candidam veſtem Neophyti deponebant: ita tamen ut (ſicuti rectè annotavit Baron.) candidum Agnum Dei, ut vocant ex cereo Paſchali confectum, & à Pontifice benedictum acciperent, eumque ex collo ſuſpenſum geſtarent, ut perpetuò admonerentur puritatis & innocentiæ, atque à Chriſto agno paſchali diſcerent deinceps in omni opere eſſe azymi, puri, mites & humiles corde.

Anno Chriſti 58. *pag.* 606. *Sup.* 3. *p. c.* 2. *lect.* 10.

I. Quo pacto veſtis baptiſmalis candor, id eſt, vitæ puritas & innocentia uſque in finem poteſt conſervari?

R. *Primò*, Dei timore & judiciorum ejus.

Secundò, contemplatione in animum crebriùs admiſsâ vanitatis mundi, rerumque terrenarum, & ex adverſo veriſſimæ & certiſſimæ veritatis & æternitatis promiſſionum & minarum divinarum. Hic eſt ſal optimus ad defricandum carnes noſtras & ſenſualem vitam; *Filii hominum ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* **Pſal. 4.**

Tertiò fortiter & generosè ſemel eſt ſtatuendum de fuga illecebrarum & maleſuadorum conſortiorum, quibus in ſæculo ad illicita invitamur, & peccatorum inquinamentis ſubinde fœdamur, hæc conſtantia & fortitudo, de qua ago, eſt homini Chriſtiano admodum neceſſaria. Et tamen proh dolor! pauci ſe illâ præmuniunt. Pertinet ſanè ad electos Dei, qui non ceſſant cum Apoſtolo dicere: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, &c.* **Rom. 8.**

Nimirùm omnibus his & aliis ærumnis & tormentis, excelſior eſt charitas Chriſti: animus in cœlis, in Chriſto, in æternitate defixus, ridet omnia, quæ ſub cœlo ſunt, tamquam vilia & exilia. Tales animos, excelſos, inquam, & leoninos oſtendit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, cùm ab Eudoxia in exilium pelleretur; ſcribens enim ad Cyriacum epiſt. 3. tom 5. ita ait: *Ego cùm è civitate fugarer, nihil eorum curabam, ſed dicebam intra meipſum: ſiquidem vult me Regina exulem, agat in exilium; Domini eſt terra & plenitudo ejus: & ſi vult ſecare, ſecet, idem paſſus eſt Iſaias; ſi vult in pelagus mittere, Ionæ recordabor, ſi me lapidare vult, lapidet; Stephanum habeo primum Martyrem ſocium; ſi & caput tollere vult, tollat, habeo ſocium Ioannem Baptiſtam; & ſi ſubſtantiam auferre, auferat; nudus exivi de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* ***Exempl.***

Quartò, non diligamus mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Cor noſtrum ad inſtar pyramidis inverſæ formatum eſt, ut quanto minimo puncto terram contingamus: Dicamus cum Davide: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſ. 72.

I. Habeſne exempla eorum qui veſtem baptiſmalem mundam & immaculatam in finem uſque ſervaverunt?

R. De Sancto Pudente Pudentianæ virginis patre ita legimus in Martyrol. Romano: *Romæ Sancti Pudentis Senatoris qui ab Apoſtolis Chriſto in Baptiſmo veſtitus, innocentem tunicam uſque ad vitæ coronam immaculatè cuſtodivit.* ***Exempla.*** 10. *Maii.*

Hujuſce veſtis memoriâ, Dionyſia nobilis mulier Chriſtiana puerum ſuum animabat ad martyrium. De illa ſic ſcribit Victor Uticenſis: Dionyſia nobilis mulier *L. 3. de perſec. Wandal.*

Chri-

Chriſtiana, cùm filium ſuum unicum admodùm tenera adhuc ætatis & delicatum, timore pœnarum formidoloſum conſpiceret, ita alloquebatur inter crudeliſſima verbera conſtitutum: Memento, fili, quia in virtute Trinitatis in Matre Catholica baptizati ſumus, non perdamus indumentum candidum ſalutis, ne cùm venerit invitator, veſtem non inveniat nuptialem, & dicat miniſtris: mittite in tenebras exteriores. Illa pœna timenda eſt, quæ nunquam finitur: illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur. Talibus itaque filium ſolidans verbis, velociter Martyrem fecit.

I. Quæ eſt ratio ardentis cerei?

Cereus ardens. *Rit. Rom.* R. Poſtremò omnium porrigitur baptizato cereus ardens his verbis: *Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi baptiſmum tuum, ſerva Dei mandata, &c.* Quo cereo ſignificantur tres Theologicæ virtutes, quæ baptizato per Sacramentum infunduntur; fides in lumine, charitas in calore, ſpes in cerei recta altitudine, quæ ex imo ſurſum aſcendit, ſicut ſpes noſtra ad cœlos uſque erigitur, & nos erigit. Cæterùm hic cereus datur geſtandus manibus; quia non ſufficit corde fidem, ſpem, & charitatem retinere, niſi etiam operibus prodamus & exeramus. *Memores*, ait *1. Theſ. 1.* Apoſtolus, *operis fidei veſtræ* (id eſt, operoſæ fidei) *& laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei, &c.*

Ideoque jubemur his virtutibus inſtructi ire in pace. Hoc eſt, non otiari, non quieſcere, non contenti eſſe his quibus donati ſumus, ſed operari, progredi de virtute in virtutem, ad interiora nos extendere, & in novitate vitæ ambulare.

Sur. tom. 3 10 Iunii. *In Martyrol. ad 13. Decemb.* Hic cereus pulchrè denotat illuminationem, quam Sacramentum Baptiſmi operatur: in cujus rei ſignum refertur lumen apparuiſſe in Baptiſmo S. Cerealis. Quod ipſum teſtatur de Baptiſmo parentis ſui Greg. Naziãz. orat. de patris funere. Et ſcribit Baron. de S. Otilia, quod cæca à nativitate viſum in Baptiſmo recepit, exercuitque Monaſticam vitam in Alſatia.

LECTIO VII.

I. Quinam ſunt Baptiſmi effectus? *Effectus Baptiſmi.*

R. Baptiſmi dignitas, vis & præſtantia ex præclaris ejus effectibus plurimum commendatur. Primus eſt, omnium peccatorum tam originæ, quàm propriâ actione contractorum remiſſio, juxta Ezech. vaticinium: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Et doctrinam Apoſtoli, qui poſt longam peccatorum enumerationem, eorum præſertim quæ ſoleat infideles committere, ſubjicit: *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri*; ſcilicet in Baptiſmo. *1. Cor. 6.* Idem ad Epheſ. 5. dicit Chriſtum ſeipſum tradidiſſe pro Eccleſia, *ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* *Epheſ. 5.* Act. 2. Fidelibus commendatur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Vid. Auguſt. l. 1. *de peccat. meritis* c. 15. & *Conc. Trid. ſſ. 5. c. 5.* & *c. Majoris de Baptiſmo, & ejus effectu.*

I. Habeſne hujus rei aliquam figuram? *Figura.* *S. Greg. ad Theoſiſtã Patricii.*

R. Maris rubri tranſitus figura ſancti Baptiſmatis fuit, in quo hoſtes (*Ægyptii*) ſunt mortui à tergo, &c. Et infra. Qui dicit peccata in Baptiſmate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. *Exod. 14.* Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur neceſſe eſt peccata in Baptiſmate funditùs mori; quia nimirùm plus valet in abſolutione noſtra veritas, quàm umbra veritatis.

Digitized by Google

Multa alia ex Scripturis S. Hieron. ep. ad Ocean. Vid. S. Auguſt. Conc. 2. in Pſal. 133.

In hujus etiam rei figuram, Naaman Syrus lotus in Jordane, à lepra curatus eſt
4. Reg. 5. *& reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli.*

I. Quis eſt ſecundus effectus Baptiſmi?

II. Effectus R. Eſt omnis pœnæ in futuro ſæculo propter culpam debitæ pleniſſima condonatio; adeò ut nihil damnationis illis qui
Rom. 6. & 8. verè conſepulti ſunt cum Chriſto; ut propterea ei qui Baptiſmo expiandus eſt, nulla ſatisfactionis opera imponantur.
C. propriè de condiſt. 4. Vide S. Gregor. l. 7. Regiſt. ep. 24. ind. 1.

Imò qui in Chriſto renati ſunt, vi Baptiſmi ex merito Chriſti, à variis malis & infirmitatibus, quibus modò ſunt obnoxii, ſuo tempore liberabuntur: nam in futura generatione reſurrectionis tempore, libertatem à ſervitute corruptionis, miſeriæ, omniſque infirmitatis aſſequemur.
Rom. 8. *Qui enim ſuſcitavit Ieſum à mortuis vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.*

I. Cur autem Deus non ſtatim poſt Baptiſmum infirmitates & ærumnas hujus vitæ, omniaque mala abſtulit?

R. Pluribus de cauſis. *Primò*, ne præſentium potiùs, quàm futurorum bonorum amore homines baptizari vellent. Auguſt. l. 1. de peccat. meritis c. 31. 33. & 34. & alibi. Aliquando tamen per Baptiſmum non ſolùm ſpiritualem, ſed & corporis ſanitatem tribuit: ut in curatione Conſtantini Imp. apparuit. *Secundò*, ad exercitium fidei, patientiæ, augmentumque gloriæ. *Qui enim legitimè certaverit, coronabitur*: Auguſt. tract. ult. in Joan. lib. 13. de civitat. cap. 4. & lib. 3. de peccat. meritis cap. 34. *Sublata namque omni ærumna, quis martyrii palmam, virginitatis lauream, doctrinæ ac prædicationis inſignia mereretur?* Serviunt ergo miſeriæ ad hoc, ut ſegetem, materiamque virtutis habeamus.

Miſeria & ærumnæ hujus vitæ ſunt materia virtutis.

Tertiò, ne parva exiſtimaretur culpa, ſi cum ea finiretur & pœna. Auguſtin. l. 21. de civitat. cap. 25. & tract. ultim. Joan. *Quartò*, ut præſentis vitæ miſeria, nos ad beatam futuri ſæculi vitam, ab omni ærumna liberam deſiderandam impellat, ne viator ſtabulum pro domo, caulam pro ovili, exilium pro patria exigat. *Quintò*, ut pœnæ remanentes poſt culpam ſint diſciplinæ, medicamenta & cautiones adverſus tentationes. Auguſt. in fine expoſ. Pſalm. 31. libr. 22. cont. Fauſt. c. 21. Chryſoſt. l. 1 de provid. & Hom. 18 ad Antioch. & alii alibi. *Sextò*, ut membra ſuo capiti Chriſto conformia eſſent, qui licet ab initio conceptionis plenus gratiâ fuerit, pondus tamen mortalitatis retinuit, donec poſt tormenta paſſionis ad immortalem glorioſamque vitam reſurrexit. *Non enim decet ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum.* *Bern. ſer. 2. de Adventu.*

I. Quis eſt tertius Baptiſmi effectus?

R. Eſt abundans gratiæ Dei largitio, conſiſtens non ſolùm in pleniſſima remiſſione peccatorum, ſed in gratiæ quoque, fidei, ſpei, charitatis, aliarumque virtutum infuſione. *III. Effectus.*

I. Quandoquidem tam ſæpè incidat mentio gratiæ, libenter ex te intellexero quid ſit gratia?

R. Gratia, ſecundùm D. Tho. eſt qualitas divina inhærens animæ, veluti ſplendor & lux, animarum ſordes & maculas delens, quâ juſti, filii Dei, æternæque gloriæ hæredes inſtituimur, per quam Spiritum Sanctum inhabitantem accipimus, & filii Dei nominamur & ſumus. Trid. ſ. 6. c. 7. Chryſoſt. hom. 1. ad Neophytos. *Quid gratia?*

I. Cur poſt Baptiſmum tantâ virtutum copiâ inſtructi adhuc tam fragiles ſumus, & adeò tardè pias actiones inchoamus & conſummamus?

R. Quia poſt Baptiſmum relicta eſt acerrima cupiditatis pugna adverſus ſpiritum, *Sup. p. 3. c. 10 lect. mnic.*

Digitized by Google

ritum, in qua homo Chriſtianus exerceatur, & legitimè certans coronetur.

I Reſtantne aliqui alii effectus Baptiſmi?

IV Effectus.

R Quartus, eſt conſcientiæ pax, & vitæ præteritæ ſecuritas non ſine morum mirabili mutatione. Vide quid S. Aug. de ſeipſo ſcribit l.9 conf.c.6 & S. Cyprianus l.2. ep 2. ad Donatum, ubi candidè confitetur qualis fuerit ante Baptiſmum, qualis ſubitò evaſerit per gratiam Baptiſmi, quidque ſibi contulerit Chriſtianiſmus. Similia habet Nazianz. orat. funebri in laudem Cypriani, ubi enarrat mirabilem ejus converſionem, & cordis vitæque commutationem, quam Baptiſmo percepit.

Exempla.

V. Effectus.

Quintus Baptiſmi effectus eſt characteris impreſſio, id eſt, ſigni cujuſdam ſpiritualis indelebilis, ex cujus vi & natura fit, ut Baptiſmus abſque ſacrilegio non poſſit iterari.

c. prac. lect. 2. poſt med.

VI. Effectus.

Sextus effectus, eſt cœli apertio, qui in Chriſti Baptiſmo inſinuatus eſt. *Cæli enim aperti ſunt, & Spiritus ſanctus in Columbæ ſpecie in Chriſtum deſcendit*, ſignificans eos qui baptizantur, Spiritûs ſancti donis impleri, eiſdemque cælum patere, ſi Baptiſmi innocentiam conſervent, Aug. l.2. de peccat meritis c.28, Cyprian. l.2. ep.2 & 5

c. Majores de Bapt. & ejus effectu.

VII Effectus.

Septimus effectus & poſtremus eſt, diaboli ab eo qui hactenus peccato inquinatus erat, excluſio, & Spiritûs Sancti introductio.

I. Habeſne exemplum ad hanc rem?

Exemplum.

R. Ita. S. Maria Oignacenſis, cùm eſſet aliquando in aliquo pago prope Nivellam, & ipsâ præſente puer quidam ad Eccleſiæ porticum baptizandus catechizaretur, vidit impurum dæmonem à puerulo illo cum magna ignominia recedentem; eumdemque ex ſacro fonte levans apertis oculis vidit Spiritum ſanctum in animam ejus deſcendentem, Angelorumque circa illum jam regeneratum frequentiam.

Iac. de Vitriaco in vita l. 2. c 4.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

CAPUT III.

LECTIO PRIMA.

I. Eſtne Confirmatio Sacramentum?

R. Ita. S. Aug. l.2. contra Petil. c. 13. aſſerit Confirmationem eſſe Sacramentum novæ Legis æquè ſacroſanctum, ac eſt ipſe Baptiſmus. Cæterorum Patrum, quos citat Bellarm. de Confirmatione c.3. 5. & 6. eadem eſt conſtans doctrina, Eſt fidei ex Conc. Trid. ſſ 7. can. 1 & 5.

Hæretici negant hanc noſtram reſponſionem, quorum præcipium fundamentum eſt, quia nulla in Scriptura exiſtat hujus Sacramenti inſtitutio.

Sed reſpondeo primò, hoc argumentum nullum eſſe, quia multa nobis credenda ſunt, quæ non habentur expreſsè in Scripturis, ſed per Apoſtolos ſolo verbo tradita ſunt, ut conſtat ex conſenſu totius Eccleſiæ, & apertè docetur 1. Cor. 11. verſ. ult, & 2. Joan. c. unico. Unde Apoſtolus 2. ad Theſſ. c 2. *Tenete*, inquit, *traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Sic Act. 15. Apoſtolus confirmat Eccleſias, *præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum*; conſtat autem ab initio totam Eccleſiam, Confirmationem habuiſſe pro Sacramento, ejuſque ritus ab Apoſtolis didiciſſe. Ita docet D. Clem. Papa IV. à S. Petro l 5. conſtit c. 10. 16. & 17. ubi ait: *Feſtinandum omnibus eſſe ſine mora renaſci, & demum conſignari, & ſeptiformem Spiritûs ſancti gratiam recipere.* Idem docet S. Urbanus ep. decret. S. Cornelius ep. ad Fabianum. S. Dionyſ. p.2. Eccl. Hier. S. Aug. ſubcit. c. 104. ubi dicit: *Diſcerne viſibile Sacramentum, quod eſſe in bonis, & malis poteſt,*

Confirmationē eſſe Sacramentum ex tradit. & SS. Patrum conſenſione.

Imò etiam ex Scriptura

Digitized by Google

eſt; ipſis ad præmium, iſtis ad judicium in viſibili unctione chriſmatis.

Reſpondeo 2. id apertè etiam poſſe probari ex Scriptura; nam etſi in ea non habeatur expreſsè inſtitutio hujus Sacramenti, habetur tamen ejus promiſſio à Deo facta, Joël. 2. ubi dicitur: *Et erit in noviſſimis diebus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Quod S. Petrus Act. 2. interpretatur de Spiritu ſancto, quem ipſi in Pentecoſte acceperant, & quem S. Petrus dicebat alios accepturos, ſi hoc Sacramentum acciperent. Similiter Chriſtus Joan. 14. & 15. ſæpius promittit Fidelibus miſſionem Spiritûs ſancti, quod nõ eſt, ſed ſolùm intelligendum de Apoſtolis, quia in Joële dicitur Spiritus Domini effundendus *ſuper omnem carnem*, id eſt, ſuper omnes credentes, ut dicitur Joan 7.

Reſpondeo 3. habetur in Scriptura ejuſdem Sacramenti per Apoſtolos facta adminiſtratio, ut patet Act. 8. & 19. ex quo conficitur Confirmationem eſſe verum & proprii nominis Sacramentum novæ legis. Et poteſt formari tale argumentum: Confirmatio ſeu manuum impoſitio eſt viſibile ſignum per quod datur ordinariè Spiritus ſanctus, ut patet Act. 8. & 10. Ergo eſt Sacramentum. Probatur conſequentia ex definitione Sacramenti. Antecedens confirmari poteſt, quia dubitari non poteſt, quin id egerunt Apoſtoli ex præcepto & inſtitutione Chriſti; tum quia credibile non eſt Apoſtolos in ipſis Eccleſiæ incunabulis hanc cæremoniam ex capite ſuo inſtituiſſe; tum quia ſi feciſſent, per eam infallibiliter Spiritum ſanctum non contuliſſent.

I. Quid eſt igitur Confirmatio?

Sacramentum Confirmationis quid? R. *Eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, quod baptizatis confertur cum impoſitione manuum Epiſcopalium & ſacri chriſmatis inunctione, nec non certa verborum ſacroſanctorum forma.*

I. Quare dicis: Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum?

R. Quia ſuprà demonſtratum eſt, omnia omninò Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta. Et quoad hoc in particulari. Vide ep 2 Fabiani Papæ ad Epiſcopos Orientales tom 2. Conc. ubi teſtatur Chriſtum Dominum Chriſmatis ritum & verba, quibus ejus adminiſtratione Eccleſia Catholica utitur, præcepiſſe.

I. Quare dicis: *quod baptizatis confertur?*

R Quia nullius Sacramenti capax eſt, qui non eſt baptizatus, ut ſup. lect. 1. cap. præced. habitum eſt.

I. Quare addis: cum impoſitione manuum Epiſcopalium?

R. Ut ſignificem Epiſcopum eſſe ordinarium hujus Sacramenti miniſtrum. Vide Conc. Trid. ſ. 7. can. 3.

I. Unde habes quòd Epiſcopus ſit ordinarius hujus Sacramenti miniſter?

R. Præter Eccleſiæ traditionem, & SS. Pontificum Urbani in fine epiſt. ad omnes Chriſtianos. Euſebii epiſt. 3. ad Epiſcopos Tuſciæ & Campagniæ, Damaſi circa medium ep. 4. ad Proſperum, & cæteros Epiſcopos Orthod. Innoc. 1. ep. ad Decent. c. 3. Leonis ep. 88. ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos clariſſima teſtimonia, etiam ipſæ ſacræ Literæ oſtendunt ſolum Epiſcopum hujus Sacramenti conficiendi ordinariam habere poteſtatem. Nam in actis Apoſtolorum legimus: *Cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Ieroſololymis,* Act. 8. *quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum.*

Ex quo loco videre eſt, eum qui baptizaverat, fuiſſe tantùm Diaconum, confirmandique poteſtatem non habuiſſe; ſed munus illud perfectioribus & ſublimioribus miniſtris fuiſſe reſervatum.

I. Qua-

S.Tho.3.p. q.72.ar.6. I. Quare conveniens fuit, ut ejuſmodi confirmandi munus, ad Epiſcopos deferretur?

R. Familiariter per ſimilitudines id poteſt declarari, ut enim in extruendis *Similia.* ædificiis, etſi fabri, qui inferiores miniſtri ſunt, cæmenta, calcem, ligna & reliquam materiam parent, atque componant, abſolutio tamen operis, ad Architectum ſpectat; ita etiam hoc Sacramentum, quo veluti ſpirituale ædificium perficitur, quaſi præparata jam ab inferioribus Sacerdotibus per Baptiſmi Sacramentum materia, à nullo alio niſi à ſummo Sacerdote adminiſtrari decuit.

Secundò, quemadmodum per Duces & Imperatores conſcribuntur milites; ita & per Epiſcopos, qui ſunt ſacræ militiæ Duces, Chriſti militiæ homines baptizati conſecrantur.

Tertiò, Dominus ſolet litteras per Secretarium ſcriptas ſignare; ita pertinuit ad Dominos Epiſcopos litteras per Baptiſmum ſcriptas, hoc eſt, fideles *2. Cor.3.* baptizatos: *ſignare ſigno crucis, & confirmare chriſmate ſalutis*, ad Spiritûs ſancti robur.

I. Quæ gratia aut quod robur profertur baptizatis per Sacramentum Confirmationis.

R. Additur magnum gratiæ augmentum per Confirmationem, & peculiare Spiritus ſancti robur, ut Fideles adverſus carnis, mundi, ac diaboli inſidias cautiores robuſtioreſque fiant, & in accepta per Baptiſmum innocentia perſeverare faciliùs poſſint, audeantque Chriſti fidem intrepidè, (depoſito metu ac verecundiâ, profiteri. Hinc Sacramentum iſtud vocatur *Confirmatio*.

Pro hujus rei clariori intelligentia, adverte, quod ſicut homo in natura per nativitatem accipit eſſe, poſt quod non eſt aliud quàm imbecillis infans, donec incrementum & robur per accretionem acceperit, & in virum perfectum evaſerit; ſimiliter Chriſtiani quidem per Baptiſmum efficimur, ſed *quaſi modò geniti infantes* teneritudine, indiſcretione, pavore hactenùs retenti, donec per Confirmationem *induamur virtute ex alto*, quâ corroborati & confirmati, ſummâ libertate Chriſto teſtimonium deferamus, & Apoſtolorum exemplo, omnium contradicentium minas, verba & verbera contemnamus. Huc pertinet veteris Eccleſiæ Canon: *Omnes Fideles per impoſitionem manuum Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur, quia cùm Spiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & conſtantiam dilatatur.* Repete hic quæ ſuprà petitione 6. Orat. Dominicæ de hoſtium viribus & tentationibus in variis diſcriminibus diſſeruimus; armatur enim in hoc Sacramento Fidelis virtute Spiritûs ſancti: *qui adjuvat infirmitatem noſtram*, contra omnes illos hoſtes & tentationes. *Verba Pont. & M. in ep. ad omnes Chriſtian ſub anno Dom. 227.* *Rom. 8.*

I. Quæ eſt Confirmationis & Baptiſmi differentia?

R. Differentia eſt maxima, quandoquidem ſigna externa inviſibilem gratiam ſignificantia in utroque Sacramento ſunt diverſa: nam alia eſt materia Baptiſmi, alia Confirmationis; alia item forma, ut patet. Similiter gratia ſive effectus alii ſunt. Nam Baptiſmi gratiâ in novam vitam gignimur, Confirmationis autem Sacramento viri evadimus, evacuatis quæ erant parvuli. Hinc intelligitur, quantum in naturali vita generatio ab incremento diſtat, tantundem inter ſe differre Baptiſmum, qui regenerandi vim habet, & Confirmationem, cujus virtute Fideles augeſcunt, & perfectum animi robur induunt.

Prætereà, quoniam novum atque diſtinctum Sacramenti genus conſtituendum eſt, ubi animus in novam aliquam difficultatem incurrit, facilè perſpici poteſt, quemadmodum Baptiſmi gratiâ ad mentem fide informandam indigemus; ita etiam maximè conducere Fide-

Digitized by Google

Fidelium animos aliâ gratiâ confirmari, ut nullo pœnarum vel etiam mortis periculo aut metu, à veræ fidei confeſſione deterreantur; quod quidem cùm ſacro Confirmationis chriſmate efficiatur, ex eo apertè colligitur hujus Sacramenti rationem à Baptiſmo diverſam eſſe.

De conſec. diſt. 5. Pulchrè Melchiades Pontifex utriuſque diſcrimen perſequitur, ita ſcribens: *Spiritus Sanctus qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam: & quia in hoc mundo totâ ætate victuris inter inviſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt, in Baptiſmo regeneramur ad vitam; poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam; in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur: & quamvis continuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per ſe ſalvat mox in pace Baptiſmi vel ſæculi recipiendos, Confirmatio armat & inſtruit ad agones mundi hujus, & prælia reſervandos. Qui autem poſt Baptiſmum cum acquiſita innocentia immaculati pervenerint ad mortem confirmantur morte, quia jam non poſſunt peccare poſt mortem.*

I. Tenenturne omnes hoc Sacramentum Confirmationis recipere?

R. Non eſt ad ſalutem præciſè neceſſarium, uti mox à Pontifice didiciſti, ita ut abſque illo non poſſint baptizati ſalvari, dummodò non contemnatur; debet tamen, quantum fieri poteſt, omnibus conferri, quia in hujus rei ſignum omnes *Actor. 2.* qui erant in domo, per quam Eccleſia deſignatur, repleti ſunt Spiritu ſancto. Deinde, quia, ſicut natura, quos generat intendit ad ſtatum perfectum perducere, ita Deus & Eccleſia, quos per Baptiſmum regenerant, intendunt per Confirmationem perficere. Quid quod S. Cyprianus *L. 2. epiſt.* audet dicere, loquens de Baptiſmo & Confirmatione: *Tunc demum planè ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur?* Ratio ejus eſt, quia ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

I. Poſſeſne exemplo probare periculoſum eſſe hoc Sacramentum contemnere?

R. Ita. Scribit Euſebius Cæſarienſis Novatum hæreticum, Spiritum ſanctum promereri non potuiſſe, quia cùm baptizatus eſſet, in gravi ægritudine ſignaculo Chriſmatis non eſt ſignatus. *Exemplum. Euſeb. l. 6. hiſt. Eccl. c. 34.*

I. Debentne ſollicitè agere parentes, ut proles confirmentur?

R. Ita. S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus ad S. Bertinum veniens, magnâ plebis, Clericorum & Monachorum alacritate ſuſceptus eſt, & per quinque dies ibi detentus. Interea rogatu amicorum & Canonicorum altare unum apud S. Audomarum conſecravit. Quo facto venerunt ad eum honorati quidam de indigenis locis, flexis genibus obſecrantes, quatenus filios eorum per impoſitionem manus ſuæ ſacri Chriſmatis unctione ſignaret. Ad quos mox ita reſpondit: *Hos pro quibus petitis, libens in hac cauſa ſuſcipiam, & alios hoc Sacramento egentes, ſi præſtò fuerint, non abjiciam.* Quâ illi facilitate reſponſi benignitatem viri admirantes magnificè lætati ſunt, & gratias egerunt, confirmatiſque pueris ſuis illicò totam urbem his quæ ab ejus ore acceperant, impleverunt. Videres ergò viros ac mulieres, magnos ac parvos è domibus ruere, certatimque currendo, ad noſtrum hoſpitium prædicti gratiâ Sacramenti properare; plures enim anni tranſierant apud eos, in quibus nullus Epiſcoporum illuc fuerat tali officio functus. *Apud Sur. 21. April. tom. 2. Exemplum.*

I. Ducebantne olim ſibi religioni Epiſcopi, ſi quis eorum culpâ abſque Confirmationis Sacramento moreretur?

R. Ita S. *Maurilius Andegavenſis Epiſcopus rogabatur, ut puerum quendam ad Eccleſiam adductum confirmaret: dum* *Exemplū.*

dum verò expectat donec Sacrificium Miſſæ obtuliſſet, puerum, quem erat confirmaturus, mortuum comperit; ſuæ verò id negligentiæ imputans, uſque adeò doluit, ut relicta Eccleſia navim conſcendens clam aufugerit. Fortè Sanctuarii claves ſecum tulerat, ſed illis de manu, caſu fortuitò in mare elapſis, exiſtimavit eo inditio ſe prorſus Epiſcopatu indignum, atque tunc propoſuit nunquam ſedem ſuam repetere, niſi inventas claves quis ad ſe retuliſſet; tranſmiſſo mari, veſte ſeculari indutus cuidam Principi operam ſervilem locavit, olitor ejus factus. Septennio ſic peracto, à Clericis inventus & cognitus, nolebat cum illis redire propter clavium illarum caſum. Ipſi ergò, quas Epiſcopus requirebat claves in medium preferunt, eas autem in itinere capto piſce & exenterato invenerant. Itaque jam manifeſtæ Dei voluntati contradicere non auſum cum alacritate ſecum reducunt, quem paulò antè, earumdem clavium argumento in mari periiſſe ſuſpicati fleverant. Maurilium igitur ex Epiſcopo ſervum culpa fecerat; ſed rurſum ex ſervo Epiſcopum fecit culpæ pœnitudo. Fama eſt, cùm reductus eſſet, quam primum ad pueri illius urnam proſtratum oraſſe, atque ipſum à morte excitatum, ſacro Chriſmate inunxiſſe, nomenque Renati impoſuiſſe, qui poſtmodùm ſub S. Maurilii diſciplina educatus ità profecit, ut eidem in ſede Epiſcopali meruerit ſuccedere.

Sur. in vita ejus 13. Sep. c. 15

Ætas 7. annorum ad Confirmationem apta.

I. Quâ ætate debent Chriſtiani confirmari?

R. Omnibus quidem poſt Baptiſmum Confirmationis Sacramentum impendi poteſt; videtur tamen minus expedire pueris nondum ratione utentibus illud miniſtrari. Quare uſque ad ſeptimum ætatis annum differri maximè convenit. Neque enim Confirmatio ad ſalutis neceſſitatem inſtituta eſt, ſed ut ejus virtute optimè inſtructi & parati inveniremur, cùm nobis pro fide Chriſti pugnandum eſſet: ad quod ſanè pugnæ genus pueros, qui adhuc rationis uſu carent, nemo aptos judicabit.

Catech. Rom. p. 2. c. 3. §. 14. Concil. Prov. II. Camerac. tit. 7. c. 2.

I. Suntne igitur pueri ſeptennes apti ad pugnam?

R. Ita, aliquando, nam ab iſta ætate incipiunt diaboli, mundi, & carnis tentationes aliquæ, & quaſi primi conflictus. Vide in vita S. Petr. Mart. ad 29. Aprilis. Imò non defuerunt etiam ſeptennes pueri, qui à perſecutoribus ſollicitati de fide deſerenda, fortiter Martyrium ſubierunt. Vide acta SS. Virginum, & Martyrum, Fidei, Spei, & Charitatis filiarum S. Sophiæ apud Surium Cal. Auguſti.

In Brev. Rom.

LECTIO II.

I. Quare addis in definitione: *& ſacri Chriſmatis inunctione?*

S. Tho. 3. p. q. 72. a. 2.

R. Ad declarandam hujus Sacramenti materiam.

Materia Sacramenti Confirmationis.

I. Quæ eſt Confirmationis materia?

R. Eſt Chriſma, ſive unguentum ſacrum quod ex oleo olivarum & balſamo, ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur.

I. Quandonam conſecratur ſacrum Chriſma?

R. In die cœnæ Domini; tum quod illo die ritum conſecrationis docuerit, uti ſancti Patres docuerunt: & in illis ſanctus Fabianus Papa & Martyr, qui teſtatur Chriſtum Dominum poſt cœnam & pedum lotionem docuiſſe Apoſtolos ſancti Chriſmatis confectionem, *Uti à ſanctis Apoſtolis, inquit, & eorum ſucceſſoribus accepimus & vobis mandamus:* tum quia ex Dominica Paſſione, quæ illâ nocte initium habuit hoc Sacramentum, perindè ac cætera omnia, profluxit.

Concil. Florent. in decret. de Armenis.

Ep. ad Epiſc. Orient.

De conſ. diſt. 3. c. litteris veſtris.

I. Miniſtraruntne Apoſtoli hoc Sacramentum cum ſacri Chriſmatis unctione, ut modò fit?

R. Ita, uti teſtatur S. Dionyſ. Areopag. Eccl. Hier. c. 4. & alii.

S. Tho. 3. p. q. 72. a. 2.

I. Non facit tamen Scriptura mentionem ejus, ſolùm impoſitionis manuum, ut

Digitized by Google

ut pluribus locis videre eſt apud S. Lucam.

R. Verum eſt, ſed Evangeliſta compendio rem perſtringit, per unam cæremoniam impoſitionis manuum, relinquens aliam intelligendam, ſcilic. Chriſmatis unctionem. Nunquam certè Scriptura aſſerit contrarium, neque primi Eccleſiæ Patres, qui dicunt Apoſtolos Chriſmate uſos. Sic etiam ſæpiſſimè poſteriores Patres hoc Sacramentum vocant manus impoſitionem. Ita Cyprianus l. 2. ep. 1. Conc. Arelat. II. can. 8. Aug. & alii, quorum tempore certum eſt, hoc Sacramentum collatum fuiſſe per Chriſmatis unctionem. Et idem Aug diſertè affirmat l. 15. de civit. c 26. & Cypr. ep. 73. eundem morem ſervari jam à præpoſitis Eccleſiæ in conferendo Spiritum Sanctum quem ſervarunt Apoſtoli Actor. 8. ubi ſolùm leguntur manus impoſuiſſe.

Idem docet S. Hieron. contr. Lucifer. c. 4. Quapropter benè Waldenſis: *Nemo dicat qui vult fidelis eſſe, quod Sacramentum Confirmationis ſiebat ſine unctione per ſolam manus impoſitionem à Chriſto & Apoſtolis, non enim minus manus imponit, qui unguendo imponit.* Tom. 2 de Sacram. c. 113.

I. Quid ſacrum Chriſma ex oleo & balſamo ſignificat?

R. Jam in ſuperioribus diximus oleum ſignificare gratiam Spiritûs ſancti Chriſtiano ad robur donatum. Quâ ratione Chriſtus Dominus dicitur *unctus oleo lætitiæ.* Vide S. Tho. 2. 2. in c. Et certè oleum quod pingue eſt, & naturâ ſuâ manat ac diffluit, rectè plenitudinem gratiæ exprimit, quæ per Spiritum ſanctum à Chriſto capite in alios redundat, atque effunditur, *ſicut unguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus.* Balſamum, cujus odor jucundiſſimus eſt, non aliud ſignificat, quàm Fideles, cùm Sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium ſuavitatem effundere, ut poſſint dicere cum Apoſtolo: *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Pſal. 44. Pſal. 13. 2. Cor. 2.

Habet prætereà balſamum eam vim, ut quicquid eo circumlitum fuerit, putreſcere non ſinat. Quod quidem ad hujus Sacramenti virtutem ſignificandam valdè accommodatum videtur, cùm planè conſtet Fidelium animos cœleſti gratiâ, quæ in Confirmatione tribuitur, præparatos, facilè à ſcelerum contagione defendi poſſe.

I. Eſtne neceſſarium quod ſacrum Chriſma ab Epiſcopo benedicatur?

R. Ita. Imò tametſi ſummus Pontifex interdum hujus Sacramenti adminiſtrationem Sacerdotibus commiſerit, benedictio tamen Chriſmatis ſemper ad Epiſcopos ſolos pertinuit: cujus rei fidem certam traditio facit. Vide S. Baſil. de Spiritu ſancto c. 27. & S. Cypr. l. 1. ep. 17. *Sacrum Chriſma à ſolis Epiſcopis benedicitur.*

I. Quid operatur benedictio circa Chriſma?

R. S. Cyrillus reſpondet: *Quemadmodum panis Euchariſticus poſt invocatum Spiritum ſanctum* (prolatis verbis conſecrationis) *non eſt amplius panis communis, ſed Corpus Chriſti, ſimiliter ſanctum hoc unguentum non eſt amplius unguentum commune poſtquam conſecratum eſt; ſed eſt ſanctum Chriſma quod ex Chriſti operatione operatur gratiam à Spiritu ſancto accepto robore & efficacia.* 3. Catech. myſtag.

Nota hîc Canonem 2. Conc. Trid. ſſ. 7. de Confirmatione: *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui ſancto eos qui ſacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.*

I. Debetne magno pretio haberi ſacrum Chriſma?

R. Ita. Inter alia nefanda Donatiſtarum flagitia, narrat Opt. Milevitanus Epiſcopus l. 2. de ſchiſmate Donatiſtarum, Urbanum Fermenſem, & Felicem Idicrenſem Donatiſtarum Epiſcopos ſacrum Chriſma impiè violaſſe in Mauritania (ampullam enim per feneſtram, ut frangerent, *Exempla. Angeli ſacrum Chriſma*

gerent, jactarent) & cùm caſum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam ſpirituali ſubjectione deduceret: projecta caſum ſentire non potuit: & Deo muniente illæſa inter ſaxa conſedit. *reverenter habent.*

Sur. tom. 4. 1. Auguſt. Clericus quidam S. Ethelwoldi Wintonienſis Epiſcopi, cui erat ſacri Chriſmatis cura demandata, minus acceptat olei, quàm res depoſcere videbatur: atque illud ipſum in itinere amiſerat. Epiſcopo verò pueros volente confirmare, nec habente clerico ampullam olei ſacri, turbatus & anxius repetit iter, quò venerat, & huc illucque oculos accuratè convertens reperit ampullam in via jacentem oleo plenam, cùm paulò ante nec mediâ ſui parte plena fuiſſet. Eâ igitur acceptâ cum timore & gaudio reverſus eſt.

I. Dicebas etiam in definitione, iſtud Sacramentum conferri ſub certa verborum forma: quænam ſunt iſta verba?

Pontif. Rom. & Concil. Flor. in decret. Arme. R. Hæc: *N. Signo te ſigno crucis & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Vide S. Thomam ar. 4. in c.

I. Inveniuntur ne in Scriptura, vel Sanctis Patribus iſta verba Sacramentalia, quæ tu hic refers?

Confirmationis forma ex Eccleſiæ traditione retinenda. R. Non; tametſi videatur Apoſtolus aliquam illorum alluſionem facere. 2. Cor. 1. (Vide S. Ambr. de iis qui myſteriis initiandi c. 7. & comment. Theodoreti, Anſelmi, & aliorum ſup. alleg. loco Apoſtoli) Nihilominùs hanc eſſe hujus Sacramenti veram & indubitatam formam, Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, cujus magiſterio ſemper ita edocti ſumus, non patitur nos ea de re quidquam dubitare.

Ratio autem cur neque Scriptura, neque Sancti Patres Sacramentorum formas voluerint paſſim ſcribi, fuit, quia nollent infidelibus fidei myſteria ſine neceſſitate prodere, ac ludibrio exponere, ut teſtatur Dionyſ. Eccleſ. Hierarch. c. ult. & Cyril. Hieroſol. in præfat. catecheſeon ſuarum, ubi agens de forma & aliis ad Sacramenta pertinentibus, dicit: *Cave, ne quid effutias. non quod digna non ſint narratione, ea quæ ibi dicuntur, ſed quod ille indignus eſt audire cui referret.* Et adhuc magis in particulari pro forma hujus Sacramenti, Innoc. I. ad Decent. c. 3 ſic reſpondet: *Verba dicere non poſſum, ne magis prodere videar quàm ad conſultationem reſpondere.*

I. Habeſne exemplum, quo probes jam olim ſimili ritu adminiſtratum fuiſſe Sacramentum Confirmationis, quo nunc adminiſtrant Epiſcopi?

R. Ita. Conſtantinus Magnus in edicto, ſui ipſius Confirmationem referens: *Exemplum.* *Levatoque, inquit, me fonte, induto veſtibus candidis, ſepſiformi gratiæ Spiritûs Sancti conſignationem adhibuit, beati Chriſmatis unctione, & vexillum crucis in mea fronte linivit.*

LECTIO III.

I. Quænam ſunt præcipuæ hujus Sacramenti cæremoniæ? *Cæremonia Confirmationis.*

R. Præter præcipuum ritum qui in ipſa Confirmatione adhibetur, eſt unctio Chriſmatis in fronte baptizati facta ad modum crucis; ut intelligat ſe nullo metu aut verecundiâ à libera Chriſti, ejuſque crucis confeſſione terreri debere; Epiſcopus confirmato alapam impingit, & pacem apprecatur, ut qui jam unctus & confirmatus eſt, meminerit ſe tanquam fortem athletam paratum eſſe ad omnia adverſa invicto animo, pro Chriſti nomine ferenda. *Alapa quid ſignificat.*

Nonnulli etiam dicunt ideò alapam ab Epiſcopo impingi, ut puer ſuſcepti iſtius Sacramenti, quod iterari non poteſt, recordetur. Pax datur, ut intelligat confirmatus ſe gratiæ cæleſtis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum conſecutum eſſe juxta illud: *juſtificati ergo pacem habeamus.* Rom. 5.

Digitized by Google

Faſcia. Secundò, cingitur frons faſciâ, partim ad ſacri Chriſmatis reverentiam, partim ad ſignificandam ignominiam, quæ pro Chriſti nomine libenter eſt perferenda; Chriſtiani etenim militis eſt honorem apud Deum, civeſque cœleſtes ex pugna quærere, non apud mundum ex otio & deſidia. Adde velo frontem obligari, ad ſignificandum gratiam acceptam diligenter eſſe cuſtodiendam, juxta illud: *Unctio quam accepiſtis, maneat in vobis.* 1. Joan. 2.

I. Quamdiu geritur à confirmato iſta faſcia?

R. Solet ad tres dies geri, donec ſacra Unctio deſiccetur; poſt quod tempus à Sacerdote ſolvitur, & confirmati frons ſale perfricatur, & aquâ abluitur, idque ob reverentiam ſacri Chriſmatis, aquâ lotionis in piſcinam ſacrarii projectâ, faſciaque ibidem combuſtâ.

I. Quo potiſſimùm tempore confertur hoc Sacramentum?

Tempore Pentecoſtes præcipuè miniſtratur confirmatio. R. Illud ſolemni religione in Eccleſia ſervatum eſt, ut in Pentecoſte præcipuè hoc Sacramentum adminiſtraretur, quòd hoc maximè die Apoſtoli Spiritus ſancti virtute roborati & confirmati ſint; cujus divini facti recordatione Fideles admonerentur, quæ quantaque munera in unctione accepiſſet.

Patrinus. I. Cur etiam in Confirmatione Patrinus datur?

De cognatione ſuprà cap. præc. lect. 6. R. Partim, quia olim, quando ſimul eodemque tempore utrumque Sacramentum Baptiſmi & Confirmationis adultis adminiſtrabatur, iidem utrobique curam Neophytorum inſtruendorum ſuſcipiebant: partim ut ſciat Chriſtianus ita ſe perfectionem per Spiritus ſancti gratiam aſſecutum, ut tamen non ſibi fidat, ſed aliorum provectiorum conſilia libenter audiat, & amplectatur.

Nota, Patrinum Confirmationis debere eſſe confirmatum, quo enim pacto fieri poſſet, ut tyronem militem inſtrueret ad arma gerenda & tractanda, qui miles ipſe non eſſet.

I. Poteſtne in Confirmatione nomen baptizati interdum mutari?

R. Mutatur aliquando nomen Chriſtiani, ſive baptizati in Confirmatione pluribus de cauſis. Aliquando, quia nomen profanum in Baptiſmo acceperunt, v. g. Hectoris, Herculis, &c. quæ ſunt profana gentilium nomina, quod commutant in nomine alicujus Sancti, v. g. Petri, Joannis, Nicolai, &c. Aliquando contingit, quod parentes particulari aliquâ devotione afficiantur alicui Sancto, cujus nomen cupiunt proli ſuæ impoſitum. Denique mutatur aliquando nomen, ut diſcant confirmati mores cum nomine mutare, ſecundùm quòd proficiunt in gratia Spiritûs ſancti accepta.

I. Poteſtne hoc Sacramentum iteratò ſuſcipi?

R. Minimè, quia hoc Sacramentum imprimit characterem in anima, qui eſt indelebilis. Conc. Tolet. VIII. can. 7. Florent. Trident. *Confirmatio non poteſt iterari.*

I. Eſſetne grave peccatum hoc Sacramentum iteratò ſuſcipere?

R. Ita, niſi fortè ſimplicitas aut ignorantia excuſet.

I. Qui ſunt hujus Sacramenti effectus?

R. *Primò*, gratia & virtutes Theologicæ in Confirmatione augentur. *Secundò*, ex infante vel puero transfertur homo in virum in negotio religionis Chriſti, & hic eſt præcipuus effectus, unde omnes alii ſequuntur. *Tertiò*, dantur plenius ſeptem dona Spiritus ſancti, quibus animus hominis diſponitur ad percipiendos divinos inſtinctus & eis obtemperandum. *Quartò*, inſtruimur armis contra dæmonem, mundum, & carnem. Hinc ſæpè efficaciâ hujus Sacramenti fracta eſt vis diaboli & conatus. *Effectus Confirmationis.*

I. Habeſne exempla? *Exempla.*

R. Ita. Lactantius Firmianus ita ſcribit: Cùm Diis, inquit, ſuis (Gentiles) immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam fron- *l. 4. de vera ſapientia.*

Digitized by Google

frontem gerens, ſacra nullo modo litant, nec reſponſa poteſt conſultus dare Vates. Et hac ſæpè cauſa præcipua juſtitiam perſequendi malis Regibus fuit. Cùm enim quidam noſtrorum ſacrificantibus Dominis aſſiſterent, impoſito frontibus ſigno, Deos illorum fugaverunt, ne poſſent victimibus hoſtiarum futura depingere, &c.

Confirmati Chriſtiani Deorum oracula muta reddũt.

Sur. to. 6. 5. Nov. c. 5.

Sanctus Malchus D. Bernardi Præceptor è Monaſterio Wintonienſi, ubi in habitu Monachali converſatus fuerat, ad Epiſcopatum in Leſmor civitatem Mumoniæ aſſumptus puerum ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum, ſacrâ unctione ſanavit. Vide S. Gregor. Nazianz. Orat. 1. in Julian. & Gregor. Turon. l. 1. de gloria Martyrum c. 41.

Et contra fidei hoſtes fortiter pugnatum eſt.

I. Habeſne etiam ad hanc rem exempla?

Exempla Sur. 16. Iun. Martyrol. Rom. 2. Feb.

R. Ita. Cùm Apronianus Gomentarienſis Præſidi ſiſteret Siſinium Diaconum inquirendum, audivit vocem de cœlo dicentem: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi*; & quamprimum à Siſinio baptizatus, & à B. Marcello Pontifice ſacro Chriſmate confirmatus eſt, moxque mulctatus morte, glorioſi Martyrii palmam obtinuit.

I. Fuit ne etiam ipſis Apoſtolorum temporibus Confirmationis virtus declarata?

R. Ita. Nam ipſi Apoſtoli ſub ipſam Paſſionis Dominicæ horam adeò infirmi & remiſſi fuerant, ut cùm Dominus comprehenſus eſt, ſtatim ſe in fugam converterint. Petrus verò qui Eccleſiæ petra & fundamentum jam erat deſignatus, & ſummam conſtantiam & fortitudinem præ ſe tulerat, unius mulierculæ voce perterritus, ſe JESU Chriſti diſcipulum eſſe non ſemel aut iterùm, ſed tertiò negaverit; ac poſt reſurrectionem omnes propter metum Judæorum incluſi domi ſe continuerint. At verò die Pentecoſtes, tantâ Spiritûs Sancti virtute omnes repleti ſunt, ut dum Evangelium quod eis commiſſum erat, non ſolùm in Judæorum regione, ſed univerſo orbe audacter diſpergerent, nihil ſibi felicius accidere poſſe exiſtimarint, quàm quod digni haberentur pro nomine Chriſti contumeliam, vincula, tormenta pati.

Exempl.

Quintò, non rarò Deus operatur miracula, quæ propria ſunt Spiritûs Sancti opera, virtute Confirmationis.

Sanctus Rembertus ſecundus Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, cùm in Suediam profectus eſſet, & ibi Pontificali more, ſacro Chriſmate cæcum inunxiſſet, viſum luminis illi reddidit.

Sextò, Confirmationis Sacramentum characterem imprimit, undè diximus ſuprà proximè non poſſe iterari.

Septimò, poſt hanc vitam accipitur major gloria, ſicuti datur major merces viris, quàm pueris.

L. 1. de reſur. carnis c. 8.

Sapienter ritum & effectus hujus Sacramenti paucis verbis perſtringit Tertullianus: *Caro*, inquit, *ungitur ut anima conſecretur; caro ſignatur ut anima muniatur; caro manûs impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.*

I. Qualiter debent eſſe diſpoſiti qui Sacramentum Confirmationis ſuſcepturi ſunt?

Concil. Prov. II. Camer. tit. 7. c. & Mechl. tit. 4. c. 2.

R. Si confirmandi grandiores ſunt, curetur confeſſionem ſacramentalem præmittere. Secundò, omnes ad Confirmationem præſentandi cultiori habitu induti, mundâ facie & jejuni quantum tempus & ætas fert, lineis faſciis mundis & oblongis, aliiſque neceſſariis inſtructi, oratione præmiſsâ, coram Epiſcopo cum Patrino reverenter compareant, nec recedant niſi Sacramento benedictione Pontificis acceptâ. De quibus ſubditos ſuos diligenter præinſtruat Parochus, inſtante Confirmationis tempore.

Digitized by Google

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO,

CAPUT IV.

LECTIO PRIMA.

S.Tho.3.p. q.73.& ſeqq.

Ordo Sacramenti Euchariſtiæ poſt duo præcedentia.

I. QUis ordo, aut quæ ſequela hujus Sacramenti poſt duo præcedentia?

R. Optimè conſequitur: nam ut nuper dicebamus ex ſuppoſita analogia rerum ſpiritualium ad naturales, ut videmus in natura, quod qui per nativitatem in hanc lucem prodiêre, alimento indigent pro vitæ conſervatione; & quemadmodùm milites in campum abſque commeatu non deſcendunt, ſimiliter ubi primùm Chriſtianus per lavacrum regenerationis introivit in Eccleſiam, & præſertim poſtquam per Sacramentum Confirmationis ſpirituali militiæ adſcriptus eſt, debet ſe in iſta militia Chriſtiana ſacro commeatu & divinâ eſcâ ſuſtentare, quæ eſt pretioſiſſimi Corporis Dominici Communio in hoc Sacramento.

Nonnulli ſatis appoſitè hæc tria Sacramenta ad totidem virtutes Theologicas referunt, hoc modo; ut Baptiſmus ad fidem; eſt enim fidei Sacramentum, & in eo fides expreſsè juratur: Confirmatio ad ſpem; quia in eo Spiritus Sanctus datur, qui & fiduciam ad pugnandum, & robur præſtet ad hoſtes ſuperandos, ſpem noſtram mirabiliter ſurrigens, ad capeſſendum legitimè certantibus propoſitum bravium: Euchariſtia ad charitatem referatur; quia Salvator noſter Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga nos amoris velut effudit, ut nos tanto pignore provocati, eum redamaremus.

Sacramentum Euchariſtiæ olim excellentiſſimum.

I. Eſtne Sacramentum hoc cæteris dignius aut excellentius?

R. Sacramentum hoc digniſſimum eſt, & ſuper cætera excellentiſſimum: adeò quod nullum divinæ gratiæ inſtrumentum ei ſit ullo modo comparabile. Eſt enim admirabile pignus immenſæ charitatis Domini noſtri, imò compendium omnium mirabilium Dei: & ut ſemel dicam, tanta eſt ſacro-ſancti Euchariſtiæ Sacramenti excellentia, quanta eſt ipſius Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ibi verè & realiter præſens eſt, ut infra lectione decimâ declarabimus; propterea appellatur hoc Sacramentum à S Dioniſio, *Sacramentum Sacramentorum*, *& Hoſtia Hoſtiarum.* *Hier.Eccleſ.l.3.*

I. Magnæ igitur impietatis foret, tanto Sacramento abuti, aut ei debitum cultum & venerationem non deferre?

R. Veriſſimum dicis: undè S.Paulus graviter ejus nos admonet, ad hanc cauſam plurium mortem referens, quod ſacram Communionem, non eâ, quâ par eſt, diſpoſitione & reverentiâ ſuſcipiant. *1. Cor.11.*

Ut igitur fidelis populus, cùm cæleſti huic Sacramento divinos honores tribuendos eſſe intellexerit, & uberes gratiæ fructus capiat, & juſtiſſimam Dei iram effugiat, illa omnia à Catechiſtis, & animarum curatoribus diligentiſſimè exponenda erunt, quæ ejus majeſtatem magis illuſtrare poſſe videantur.

Definitio Sacram. Euchariſtiæ.

I. Quid eſt Sacramentum Euchariſtiæ?

R. Eſt Sacramentum, in quo ſub ſpeciebus panis & vini per Sacerdotem conſecratis, continetur Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, inſtitutum pro cibo animarum noſtrarum.

I. Quid ſignificat hæc vox, *Euchariſtia?*

R. Hoc verbum *Euchariſtia*, vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem latinè reddere poſſumus.

I. Quare hoc Sacramentum bonam gratiam dicimus?

R. Tum,

Digitized by Google

Euchariſtia etymon. R. Tum, quia vitam æternam, de quo ſcriptum eſt, *gratia Dei vita æterna*, præſignificat; tùm quia Chriſtum Dominum, qui omnis gratiæ fons eſt in ſe verè & realiter continet.

I. Quare vocatur etiam hoc Sacramentum, gratiarum actio?

Aug. l. de ſpir & litt. c. 11. R. Non minùs aptè gratiarum actionē Sacramentum iſtud interpretamur, ſiquidem cùm hanc puriſſimam hoſtiam immolamus, immenſas gratias pro univerſis in nos collatis beneficiis ex Chriſti inſtitutione Deo agimus. *Quid eſt ſacratius laudis ſacrificium, quo Dominus honorificatur, quā quod eſt in gratiarum actione?* Quod ipſum etiam nomen cum iis quæ à Chriſto Domino geſta eſſe in hoc myſterio inſtituendo legimus, optimè convenit. Etenim, *Accipiens panem gratias egit, benedixit ac fregit.*

Matt. 26. Luc. 24. 1. Cor. 12. I. Appellaturne hoc Sacramentum Euchariſtiæ pluribus etiam aliis nominibus?

Euchariſtia multis appellatur nominibus. R. Ita. Nam cùm admirabilis Sacramenti dignitas & excellentia uno vocabulo demonſtrari non poſſet, pluribus eam nominibus ſacri Scriptores exprimere conati ſunt; nam aliquando hoc myſterium, *Sacramentum panis & calicis* dixerunt, primitivâ ejus materiâ, hâc appellatione connotatâ. Aliquando *Sacramentum Altaris*, quod in Altari conſecretur. Interdum etiam Græcè, *Synaxin*, id eſt, congregationem vocaverunt, quia populus ad participandum hoc Sacramentum in Eccleſia convenire & congregari ſolet. Nonnunquam etiam Sacramentum hoc *Communio* vocatur, q. d. communis unio; quo nomine S. Paulo & Patribus dicitur Euchariſtia quatuor de cauſis; Prima eſt, quia ipſa eſt menſa & cibus communis, cui aſſident, & communicant omnes Fideles. Secunda, quia in Euchariſtia communicamus cibo planè eodem & individuo, puta, Corpori Chriſti, quod non fit in aliis convivus, ubi unus hanc cibi partem, alius aliam ſumit & manducat.

Euchariſtia eſt communio quadrupliciter.

Undè Chryſoſt. ait: nos per communicationem cum Chriſti Corpore fieri maſſam unam. Et Cyril. Alex. l. 4. in Joan. c. 7. *Sicut*, ait, *cera ceræ liquefactæ miſcetur, & ignis ferro ignito ſe inſinuat, ita nos miſcemur Corpori Chriſti*, ac conſequenter ejus Divinitati; *itaque efficimur concorporei & conſanguinei Chriſti*. Tertiam rationem ſumimus ex Apoſtolo 1. Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nónne participatio Corporis Domini eſt? Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumimus omnes, qui de uno pane participamus*, q. d. Euchariſtia eſt communis omnium Fidelium unio; nam unit omnes eidem Corpori Chriſti; ac conſequenter unit omnes inter ſe; *quæ enim ſunt eadem uni tertio, ſunt & eadem inter ſe.* Quocircà S. Dionyſ. *Divíniſſima*, inquit, *unius ejuſdemque panis atque poculi communis, pacifica communicatio, divinam illis velut conjunctioribus morum conjunctionem ſancit.* Denique Euchariſtia uniendo nos Chriſto, omnibus & ſingulis Chriſti Sanguinem, Paſſionem & merita, communicat. *Hom. 88. in Matt.* *Eccleſ. Hier. c. 3.*

Subindè dicitur hoc Sacramentum *Viaticum*, præſertim quando ſumitur à Fidelibus pro præparatione & diſpoſitione ad mortem, eſt enim tunc velut commeatus & proviſio, quâ accincti ad iter æternitatis ſeſe præmuniunt. Hac de cauſa, *conſuetudo aſſervandi in Sacrario ſanctam Euchariſtiam, adeò antiqua eſt, ut eam etiam ſæculum Niceni Concilii agnoverit. Porro deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc uſum diligenter in Eccleſiis conſervari, præterquam quod cum ſumma æquitate & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſervatum. Quare ſancta hæc Synodus retinendum omninò ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit.* Vide apud Baron. anti- *Conc. Tri. ſſ. 13 c. 6. & can. 7. c. ſanè de celebr Miſſ. & c. 1 de cuſtod Euchar.*

Ad annũ Chriſti 57 n.45. antiquorum Chriſtianorum conſuetudinem, qui mortis metu, nullum prolixius iter ſuſcipiebant, abſque comportato ſacro Viatico, ne forte in via abſque eo emori contingeret.

I. Quia prolixior futurus eſt hujus Sacramenti tractatus, recenſe mihi, ſi placet ordinem dicendorum in ſequentibus?

R. Hæc ſunt præcipua Capita, de quibus in hac materia ordine dicemus;

1. Figuræ famoſiores
2. Inſtitutio
3. Veritas
4. Tranſubſtantiatio
5. Adoratio
6. Oblatio
7. Præparatio ad Communionem
8. Communio
9. Effectus
10. Inſtitutio feſti

} Euchariſtiæ.

LECTIO II.

Quamquam priſca omnia ſacrificia, & veteres figuræ huic veritati ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſignificandæ & adumbrandæ ſervierint (uti notat S. Auguſtin. lib. 1. adverſ. hoſtem legis & Prophet cap. 6. S. Leo ſerm. 7. de Paſſ. Et Decreta Dominicæ 7. poſt Pentec. *Deus qui legalium omnium hoſtiarum differentias unius ſacrificii perfectione ſanxiſti*) nihilominus hic paucas tantùm è principalioribus figuras attingemus. *Vide Gabriel ſup. can. lect. 55. lit. E.F. G.*

Gen. 2.

PRIMA FIGURA EUCHARISTIÆ.

Lignum vitæ.

I. Qualiter fuit lignum vitæ figura Euchariſtiæ?

R. Declaro paucis. Lignum vitæ in medio Paradiſi conſtitutum, fuit umbra & figura JESU Chriſti in medio Eccleſiæ ſuæ.

Lignum vitæ ſubminiſtrat eſcam Adamo, adhuc in innocentia conſtituto; Chriſtus Dominus in Sacramento altaris ſe dat eſcam timentibus eum. Auguſt. l. 13. de civit. c. 20. *Paſchaſi. l. de corpore Dom. c. 7. Ligni vitæ cum corpore Chriſti ſimilitudo.*

In ligno vitæ erat velut expreſſio energiæ & virtutis omnium plantarum, uti in homine videre eſt veluti compendium cæterarum creaturarum, Ita Corpus Domini in Sacramento eſt omnium corporũ nobiliſſimum, in eoque eſt omnis ſpiritalis antidoti collectio, virtutum omnium concurſus, & theſauri etiam ipſius Divinitatis.

Lignum vitæ ſolo Dei mandato productum eſt ex terra adhuc virgine: Corpus Chriſti Domini ſola Spiritûs Sancti operatione formatum eſt ex Maria Virgine.

Lignum vitæ unicum eſt in toto Paradiſo: Sacramentum, uti etiam ſacrificium Euchariſtiæ unicum eſt in univerſa Eccleſia.

Tanta nihilominùs eſt differentia inter lignum vitæ & cibum Euchariſticum, quanta inter diem & noctem, corpus & umbram. *Differentia.*

Arbor vitæ eſt corpus terreſtre & corruptibile, productum & nutritum ex terra, non habens ſenſum, diſcurſum, vel aliquem rationis uſum, noſtrum verò lignum vitæ eſt corpus immortale & divinum intra intemeratæ Virginis viſcera productum à Spiritu Sancto, portans imaginem expreſſiſſimam & ſimilitudinem Dei in tanta perfectione & pulchritudinis ſpecie, quantum nulla omninò creatura habuit.

Secundò, evidentiſſima in eo cernitur differentia, quòd fructus arboris vitæ, fuerit cibus & pharmacum corporalis vitæ hominis propagandæ; noſtræ verò arbor vitæ immortalitatem præſtat animæ, cæleſti & divino alimento eam nutriens & impin- *Triplicem vitã confert homini Euchariſtia.*

impinguans, corpus verò ipſum ad glorioſam reſurrectionem diſponit; potiori propterea jure lignum & arbor vitæ appellanda, quàm illa in Paradiſo plantata: utpotè quæ triplicem vitam largiatur; vitam quidem gratiæ animæ; vitam corporalem corpori; utrique verò vitam gloriæ.

Poſtremò, primum vitæ lignum pro prima & ultima ſua manſione terram habebat, in qua aliquo tantùm tempore, & uno in loco fixa conſiſtebat; ſecunda verò arbor vitæ, ſemper unâ manens in plurimis locis mundi invenitur, manebitque in cœlo in æternum.

LECTIO III.

SECUNDA FIGURA:

Sacrificium Abelis.

I. Quæ eſt 2. figura hujus Venerabilis Sacramenti?

R. Sacrificium Abel, *qui per ovium primitiva quæ obtulit, ſanguinem agni immaculati oblatum in redemptionis mundi pretium adumbravit.*

Aug. l. 12. contra Fauſt. c. 18

I. Quis hoc docuit?

R. Ipſamet Eccleſiæ fides teſtata in Canone Miſſæ, his verbis: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel.*

I. Quid habet ſimile figura iſta cum re figurata?

Similitudo ſacrificii Abel cũ ſacrificio Euchariſtiæ.

R. *Primò*, Sacrificium Abel fuit primum legis naturæ ſacrificium in Scriptura propter ejus excellentiam commemoratum: ita primum & unicum legis novæ ſacrificium, illudque excellentiſſimum fuit Euchariſtiæ ſacrificium à Chriſto Domino vero Abel oblatum.

Secundò, quemadmodum Abel, uti ſuprà ex Auguſtino diximus, primitiva ovium obtulit: ita Chriſtus Dominus Agnus innocens & immaculatus ſeſe obtulit unigenitum Patris & Matris, & primogenitum in multis fratribus.

Tertiò, Abel mox oblato ſacrificio, eductus in agrum à fratre occiſus eſt, ſimiliter Chriſtus Dominus poſt ſanctiſſimi Sacramenti & ſacrificii inſtitutionem à Judæis in horto comprehenſus fuit, & die ſequenti in Crucem actus, morte crudeliſſimâ interemptus eſt.

Quartò, ſacrificium Abelis Deo fuit acceptum ob innocentiam offerentis; ſacrificium Euchariſtiæ omnibus planè modis præcellit, eſtque Deo gratiſſimum ratione Filii ejus, *in quo ſibi benè complacuit*, qui eſt in Miſſa primus & principalis offerens, & oblatio mundiſſima.

LECTIO IV.

TERTIA FIGURA.

Sacrificium Melchiſedech.

I. Quæ eſt tertia figura Euchariſtiæ? Gen. 14.

R. Sacrificium Sacerdotis Melchiſedech. *Hier. ep. ad Evag.*

I. Declara hoc paulò ampliùs? *Ambr. l. 4. de Sacr. c. 3. Chryſoſt ho. 35 in Ge. Cypr. l. 2. ep. 3.* Hebr. 7.

R. Declaravit olim Deus ſacerdotium Filii ſui in perſona Melchiſedech, & Euchariſtiam in oblatione ejus. Hoc exponit S. Paulus his verbis: *Melchiſedech*, inquit, *Rex Salem Sacerdos Dei ſummi qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diviſit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex juſtitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem*

Digitized by Google

autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum.

Dicit ergo Apoſtolus, Melchiſedech fuiſſe figuram Chriſti. Nam Melchiſedech in figura quidem erat Rex juſtitiæ, Chriſtus autem Dominus ipſe eſt in veritate Rex juſtitiæ, conſtitutus à Deo Judex vivorum & mortuorum. Melchiſedech Rex pacis, Chriſtus autem Dominus verus Salomon Princeps pacis; Ipſe enim uti mediator pacem inter Deum & homines conciliavit. Melchiſedech unctus eſt à Deo unctione, non corporali, uti Aaron & cæteri Sacerdotes Judæorum, ſed ſpirituali: Chriſtus Salvator noſter unctus eſt à Patre ſanctus ſanctorum *oleo lætitiæ præ participibus ſuis.* Melchiſedech ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: de Chriſto dictum eſt à Propheta: *Generationem ejus quis enarrabit*: non ſolùm æternam quâ proceſſit à Patre ſine matre, ſed etiam temporalem quâ proceſſit à matre ſine patre. Præcipuum eſt, quòd ſacerdotium Chriſti Domini in Sacerdotio Melchiſedech figuratum ſit. Hoc myſterium ponit Apoſtolus dicens: Sacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech manere perpetuum: quod olim vaticinatus erat David: *juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Ordinem verò, ſacerdotium & ſacrificium Melchiſedech vide Gen 14.

Pſ. 109. Vid. Card. Bellar. in expoſitione iſtius Pſal.

Veritas ejuſdem ordinis, ſacerdotii & ſacrificii inchoavit à Chriſto Domino in ultima cœna inſtituente Sacramentum Euchariſtiæ, & ſacrificium pretioſi Corporis & Sanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini Patri offerente; continuat autem uſque modò per Sacerdotum miniſterium, & uſque in finem mundi continuabit, Chriſto Domino Sacerdote ſecundùm ordinem Melchiſedech, id eſt, ut clariſſimè dicamus, abſque intermiſſione corpus ſuum ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſuum ſub ſpecie vini offerente, quemadmodum Melchiſedech panem & vinum, id eſt, eorum figuram offerebat.

LECTIO V.

QUARTA FIGURA.

Agnus Paſchalis.

I. Quid indicabat Agnus Paſchalis Judæorum?

R. Erat expreſſa valdè figura Chriſti Domini, qui eſt Agnus Dei occiſus, ut redimeret oves, & ſanguine ſuo à ſervitute Ægypti liberaret, id eſt, à pœna æterna, cui per peccatum deſtinati eramus: Lege cap. 12. Exodi, ibique obſerva ritum Agni Paſchalis. **Exod. 12.**

Nota, hæc cæremonia in quibuſdam circumſtantiis erat figura ſacrificii crucis, in aliis Sacrificii Miſſæ: hinc Scriptura & Patres eam allegant, & accommodant modò iſti, modò huic ſacrificio. Significabat Chriſti mortem in cruce, agnus realiter occiſus cum ſanguinis effuſione, carnibus ejus igni aſſis, &c.

Agnus typus fuit ſacrificii tam Euchariſtici, quàm Crucis.

S. Joannes hanc figuram affert cap. 19. ſui Evangelii, ubi dicit: *Ad Ieſum autem cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, &c.* Et infrà: *Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo.* **Exod. 12.**

Idem agnus in aliis circumſtantiis illuſtriſſima fuit Sacramenti Euchariſtiæ figura. Nam agnus ille à reliquo grege ſeligebatur ad celebrandum Paſcha 14. luna, & in domo conjunctim cum azymo pane, lactucis agreſtibus, ſine oſſium comminutione integer comedendus erat: ad hunc agnum alludens Dominus ait: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Hinc de induſtria tranſivit Dominus à cæna agni ad cœnam Euchariſticam novi **Marc. 14. Luc. 22.**

vi

vi Teſtamenti; ab immolatione veteris Paſchæ ad oblationem Agni immaculati, de quo Paulus: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*; ſignificans Paſcha vetus impletum eſſe à Chriſto per inſtitutionem novi ſacrificii ſub ſpeciebus panis & vini in noviſſima cæna. *Antiqua obſervantia* (inquit S. Leo) *novo tollitur Sacramento.* *1.Cor.5.* *Ser.7. de Paſ.Dom.*

I. Declara mihi, ſi placet, iſta paulò ampliùs?

R. Ritus Agni Paſchalis erant iſti: 1. Lex præcipiebat immolari agnum ad veſperam lunæ 14. & deinde manducari. 2. jubebat Lex unumquemque per domos & familias ſuas agnum manducari. 3. immolatio Agni Paſchalis inſtituta fuit in ſignum & memoriam inſtantis liberationis filiorum Iſraël ex Ægypto. Immolabatur enim ad veſperam, & mox ſub noctem edebatur: & nocte iſta fuit paſcha ſive phaſe, id eſt, tranſitus Domini, quando per manum Angeli occidebat tranſiens omnia primogenita Ægypti. Vide Exod. 12. 4. immolabatur agnus ad veſperam. 5. debebat agnus eſſe aſſus igni. 6. qui eum comedebant, debebant eſſe ſanguine, vel ſaltem religione Judæi. 7. agnus nocte comedebatur. 8. quiſque paterfamilias cum ſuis domeſticis in domo eum edebat. 9 non comminuebatur os ex eo. 10. comedendus erat feſtinanter. 11. ſi quid reſiduum erat, comburebatur. 12. cum pane azymo comedebatur. 13. cum lactucis agreſtibus. 14. renibus accinctis 15. baculo in manu. 16. calceamentis in pedibus. *Deut.16.*

I. Quomodò hi omnes ritus referuntur ad Euchariſtiæ veritatem?

Ritus Agni paſchalis qualiter ad Euchariſtiã referũtur.

R. *Primò*, temporis circumſtantia, id eſt, ad veſperam lunæ 14. evidentiſſimè completur in inſtitutione ſacrificii Euchariſtici in ultima cæna; nam nulla alia poteſt proferri veritas, quàm iſta, ob quam Chriſtus Dominus ejuſmodi figuram ſtatuerit: in ipſa igitur inſtitutione & immolatione Euchariſtiæ ad veſperam præcedentem Dominicam perficiendam completa eſt ſecundùm omnem ordinem veritas per iſtam figuram ſignificata.

I. Sed, quomodò Chriſtus verè immolatus eſt in ſacrificio Euchariſtico; eſt enim jam immortalis; imò Miſſam appellare ſolemus *Sacrificium incruentum*, æquè ac primam Miſſam, quam celebravit Chriſtus Dominus in ultima cæna. Quomodò, inquam, fuit tunc immolatus, & quomodò poteſt nunc immolari; adeoque quomodò figuratum reſpondit figuræ, de qua ſcriptum eſt: *immolabitq; eum* (agnum) *univerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* *Exo.12.*

R. In ſacrificio propitiatorio non ſemper debet victima occidi, ſed tantùm in oblatione rei viventis; in oblatione enim rei inanimæ non requiritur ejuſmodi occiſio, ſed deſtructio, vel immutatio naturæ rerum talium conſentanea. In Miſſa itaque offertur Chriſtus, qui eſt res vivens, at offertur non in forma rei viventis, quantum ad repræſentationem, ubi ſolùm requiritur mors repræſentata, non autem mors reipſa; & ſic eſt tantum commemoratio & repræſentatio ſacrificii crucis: offertur enim in forma panis & vini, juxta ordinem Melchiſedech, & proinde in forma rei inanimæ Atque ita non deſinit ſacrificii propriè dicti nomen & rationem habere. Nam ſicut peremptione & occiſione, ita converſione unius rei in aliam, ſupremus Dei dominatus & noſtra ſubjectio, poteſt deſignari. Itaque conformius eſt Scripturæ & Patribus, ut Chriſtus in ſacrificio Euchariſtiæ dicatur immolari, ad eum modum quem præmiſimus; ut ideò verè immolari & occidi dicatur, quod ſeſe in mortali ſpecie (quàm dignanter pro nobis ſuſcipere dignatus eſt) exhibuerit tamquam mortuum: & ſub hac qualitate verè immolatus eſt ratione ſpecierum, etſi ſecundùm ſe maneat abſolutè immortalis. Ita clarè ad tyrannum Sanctus Andreas: *Ego quotidiè agnum im-*

Brev. Rom. ad 30. Novemb.

maculatum immolo, cujus carnem cùm omnis populus comederit, agnus tamen qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus.

Secundò, quo ad ſecundam circumſtantiam, ut unuſquiſque per familias & domos edat agnum, illa patenter completur in Euchariſtia, & non in ſacrificio crucis; nam hic, nemo comedit, & ſacrificium hoc non privatim & in familia, ſed publicè & in conſpectu totius mundi celebratum eſt: è contrà Salvator noſter in Euchariſtia immolatus ſuis manibus præbet ſe edendum in cœnaculo diſcumbentibus Apoſtolis, Eccleſiam repræſentantibus, cui Dominus valedicens, pignus iſtud amoris ſui, corpus videlicet & ſanguinem ſuum relinquebat.

Tertiò, ritus agni à nobis tertio loco notatus perfecto modo fuit in ipſa veritate completus; nam Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum & Sacrificium corporis ſui ad veſperam noctis qua captus eſt, ut poſtera die crucifigeretur; & tranſiret de hoc mundo, hacque ratione primogenita Ægypti, id eſt, peccata generis humani extingueret, & in ſanguine ſuo, quaſi in aquis vehementibus maris rubri infinitorum meritorum ſuorum ſubmergeret omnem inferni potentiam (quæ eſt myſticè Pharao & exercitus ejus) ad liberandum electos ſuos.

Quartò, Agnus Paſchalis immolatus eſt ad veſperam; ſimiliter Chriſtus Dominus tã in cruce, quàm in Euchariſtia immolatus fuit, *vergenti mundi veſpere*, & quemadmodum loquitur S. Joannes, *horâ noviſſimâ*.

1. Joan. 2.

Quintò, ſi agnus Judæorum fuit igni aſſus; ita Chriſtus Dominus in Euchariſtia tanto ſe amore nobis dedit, ut diceres planè charitatis ſuæ igne aſſatum; ut doceamur, quod eum pari amore & charitatis incendio ſumere & manducare debeamus.

Sextò, nullus niſi Judæus agnum immolare, aut manducare poterat; ſimiliter ad ſacri Corporis communionem accedere nullus niſi Chriſtianus præſumat.

Septimò, edebatur agnus ſub noctem, ad indicandum quod noſtra Euchariſtiæ myſterium ſit abſconditum, & humanis ſenſibus impervium, fide autem tantùm cognitum.

Octavò, quiſque Pater familias agnum cum ſuis in domo edebat: ita Paſtor quiſque in ſua Parochia, quaſi familia cum ſuis ſubditis agnum Dei manducat: hac tamen differentiâ, quòd Judæi in diverſis familiis alios & alios agnos manducarent, cùm eorum agni eſſent corruptibiles; Chriſtiani autem cuncti unum agnum omni tempore, & pro omnibus ſufficientem comedunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, agnum incorruptibilem & immortalem.

Nonò, os non comminuebatur ex eo; hoc ſignificat impaſſibilitatem Divinitatis ſub humanitate abſconditæ, quemadmodum ſub carnibus oſſa occultantur: & modò impaſſibilitatem ſui Corporis ſub panis & vini ſpeciebus abſcondit: unde pulchrè adimpletur figura in hoc noſtro Convivio Euchariſtico, nam ibi comedimus agnum non ſolùm non comminuendo os ex eo, ſed etiam abſque aliqua carnis diviſione integrum, non confractum, non diviſum, ſed immortalem & inconſumptum. Vide quod ſupr. ex S. Andrea diximus.

Decimò, comedebatur feſtinanter, ut indicaretur myſterium noſtrum vivâ & avidâ fide digerendum abſque curioſa rationis aut ſenſuum humanorum indagine.

Undecimò, Lex mandabat, ſi quid reſiduum eſſet, igne comburi: nimirum, quod de myſterio hoc non comprehenditur charitatis & ſacræ devotionis igne abſumendum eſt.

Duodecimò, panis azymus præſignificabat ſinceritatem conſcientiæ bonæ cum

quæ

Digitized by Google

quâ ad Euchariſtiam accedendum eſt, ut interpretatur Apoſtolus.

1. Cor. 5.

Decimotertiò, lactucæ agreſtes non aliud volunt, quàm contritionem ac pœnitentiam præmittendam eſſe Communioni, de qua Concil. Trid. ſſ. 13. can. 15.

Decimoquartò, renibus accinctis comedendus erat agnus, ut moneantur Fideles qui volunt phaſe Chriſtianorum comedere, accingere renes, id eſt, carnem à luxuria reſtringere, dicente S. Greg. *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus.*

Hom. 13. in Evang.

Poſtremò, calceamenta in pedibus habere, & baculos in manibus tenere jubentur qui phaſe comedunt; *ut moneamur ſanctorum mortuorum vitam & exempla conſpicere, ut veſtigia noſtra à peccati vulnere cuſtodiamus*, inquit idem Greg. *& paſtoralem curam* (per baculum ſignificatam) *geramus eorum qui nobis commiſſi ſunt.* Vel, ut alii, tanquam peregrini in hac mortali vita baculo crucis & meditatione Dominicæ Paſſionis ſubnixi veſcamur hâc immortali eſcâ feſtinantes, & ad beatam illam patriam properantes, ubi deinceps non in ænigmate, ſed videbimus Deum ſicuti eſt, & ejus beatæ menſæ accumbemus.

Hom. 22. in Evang.

Pulchrum eſt quod B. Algerus. *Lex*, ait, *dedit in calceamentis cautelam, ne à vitiis fallamur, in baculo diſciplinam qua perpetrata corrigamus; in lactucis compunctionem; in feſtinatione deſiderii ardorem quo ad cæleſtia ſuſpiremus; in accinctis renibus continentiam & caſtitatem, quia Chriſto agno immaculato, & Virginis Filio crucifixo, ejuſque unctioni nihil ita adverſatur, ut voluptas, & fornicaria ſocietatis unitas.*

L. 1. de Sacr. alt. 6. 22.

LECTIO VI.

QUINTA FIGURA.

Manna.

Exod. 16.

VIde Hiſtoriam Exodi c. 16. cujus hoc eſt ſummarium. Moyſes fuit Dux populi Iſraëlitici per annos 40 pluſquam ſexcentorum millium virorum abſque parvulis & mulieribus. Dominus Deus pavit illos mannâ poſt egreſſum ex Ægypto, & tranſitum maris rubri, per totos 40. annos, uſque dum pervenirent ad terram promiſſam. *Manna apparebat ſuper faciem terræ in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ. Quod cùm vidiſſent filii Iſraël, dixerunt ad invicem: Manhu? Quid eſt hoc?*

Sex præcepta, & 6. miracula in Manna.

De hoc Manna ſex præcepta dedit Deus Filiis Iſraël.

1. præc. ſinguli colligunt Gomor.

Primum, jubet ut Hebræi in ſingula capita colligant ex manna ſingulis diebus menſuram Gomor, id eſt, tantum, quantum veroſimiliter putant ſufficere ad Gomor complendum.

1. miraculum.

Ubi non ingens miraculum in manna, nimirum, quod & tanta copia quotidiè deplueret, quæ tribus hominum millionibus alendis ſufficeret, & quod ſinguli domum venientes, cùm manna à ſe collectum metirentur, ſive plus, ſive minus collegiſſent, omnes tamen unum Gomor reperirent: Angelo ſcilicet inviſibiliter addente, ſi minus quàm Gomor, demente ſi ampliùs collegiſſent. Adeò quod omnes quotidiè ex manna comederint unum Gomor; ac conſequenter unam eandemque cibi menſuram, ſcilicet Gomor, tunc fuiſſe parvulis, viris, fœminis, robuſtis, ſenibus, omnibuſque Hebræis.

2. præc. Manna non ſer-

Secundum præceptum, nullus relinquat ex eo in mane, ad incredulam avaritiam inhibendam eorum, qui contra

bus peccatis ſumus, conſiderat; ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat; & ſicut Paſtor bonus qui animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, ab omni nos erigit caſu.

Decimo-ſextò, Sole liqueſcebat Manna: ſic reſolutis calore ſpeciebus, Sacramentum diſſolvitur.

Decimo-ſeptimò, Manna juſſit Dominus ſervari in monumentum: ita ſervat Eccleſia ſanctam Euchariſtiam in ſacrario, tum ut ab omnibus adoretur, tum ut indè viaticum cum ægrotantibus miniſtretur.

LECTIO VII.

FIGURA SEXTA.

Panes propoſitionis.

Levit. 24. I. Quæ eſt ſexta Figura?

R. Sunt panes propoſitionis.

I. Quid ſignificabant panes propoſitionis?

Hiſtorica veritas panum propoſitionis. R. Accipe primò hiſtoricam veritatem. Juſſus eſt Moyſes accipere ſimilam, & coquere ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebant duas decimas, quorum ſenos altrinſecus ponebant ſuper menſam puriſſimam coram Domino, uti juſſus erat Moyſes: & ſuper eos thus lucidiſſimum. Appellantur panes propoſitionis, ſive facierum, quia in conſpectu Domini, & coram ejus quaſi facie expoſiti. Singulis Sabbathis panes novi, recentesque & calidi ponebantur in menſa: veteres verò tollebantur, & comedebant eos Sacerdotes: iis enim ſolis hiſce panibus veſci licebat, ut patet Matt. 12. Hi panes erant azymi, & ex ſimila puriſſima. Panes hi erant duodecim, ut ſcilicet quæque tribus ſuum quaſi panem Deo offerret: hiſce enim panibus duodecim Tribus proteſtabantur ſe jugiter à Deo ali, & viciſſim Deus hâc gratitudine oblationis eorum quaſi illectus oſtendebat ſe eorum meminiſſe, eorumque memoriam & memoriale ſemper ante ſe habere, ut eos alere & curare pergeret. Menſa in qua ponebantur panes erat de ligno ſethin incorruptibili ex auro puriſſimo operta.

Quomodò panes propoſitionis ſignificarunt Euchariſtiam. Referamus modò veritatem Euchariſtiæ ad hanc Figuram. Simila puriſſima & azyma ex qua confecti erant hi panes, ſignificabat Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conceptum de Spiritu ſancto ex puriſſima ſubſtantia intemeratæ Virginis abſque fermento, hoc eſt abſque peccato originali, aut quavis alia corruptione.

Quilibet panis conſtabat duabus decimis, nimirum in ſacra Euchariſtia Chriſtus Dominus continetur ſecundùm duas naturas, humanam & divinam. Hi panes quotidiè offerebantur pro filiis Iſraël, uti ſingulis diebus offertur Chriſtus in Miſſa pro Chriſtianis. Soli Levitæ, puta Caathitæ panes hos conficiebant, & coquebant, ut patet 1. Paral. 9. & 23. ad eum modum ſolis Sacerdotibus conceſſum eſt ſacramentum & ſacrificium Corporis Domini conficere.

Superponitur thus, id eſt, gratiarum actio, ſacrificium enim Euchariſticum eſt ſacrificium laudis & gratiarum actionis pro cunctis beneficiis à Deo acceptis. Thus etiam ſignificabat panes oblatos eſſe Domino, tanquam qui Domini ſint, illique debeantur. Certè quid magis Deo debitum, vel, quod obſequium poteſt ei humana fragilitas congruentius exhibere, quàm ipſum Miſſæ ſacrificium à Chriſto Domino ad ipſiſſimam noſtram ſubjectionem, & Dei ſupremum omnium proteſtandum expreſsè inſtitutum? Nam in Miſſa offerimus Chriſtum in ſacrificium, & gratiarum actionem rem infiniti valoris & dignitatis: eſt enim hæc infinita Dei bonitas & liberalitas, ut ſuis in nos collatis donis, velit à nobis viciſſim honorari.

LEC-

Digitized by Google

LECTIO VIII.

FIGURA SEPTIMA.

Panis Eliæ.

I. ENarra paucis hiſtoriam iſtius Figuræ, deinde expone veritatem rei per illam ſignificatæ.

Hiſtorica veritas. R. Hæc eſt hiſtoria. Elias fugiens à facie Jezabel ſedit ſubter unam Juniperum, & tædio affectus *petiit animæ ſuæ ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quàm Patres mei. Projecitque ſe, & obdormivit in umbra Iuniperi. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, &* 3.Reg. 19. *dixit illi; Surge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergò & bibit, & rurſum obdormivit. Reverſuſque eſt Angelus ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb.*

Res in figura adumbrata. Veritas in iſta figura adumbrata, eſt iſta: Chriſtus Dominus in ſacramento eſt panis à Deo miſſus, Angeli miniſterio, id eſt, Sacerdotis, qui in Scriptura Angelus vocatur. Hic eſt igitur Angelus, Malac. 1. qui conſecrat panem, illumque tranſubſtantiat per verbum Dei, in carnem Chriſti. Hic eſt qui illum diſtribuit Fidelibus ex commiſſione & poteſtate ſibi factâ. Panis Euchariſticus eſt ſub cinere coctus, id eſt, Corpus Domini præparatum nobis fuit in cruce cum ardentiſſima charitate, ſub cujus opprobrio & humilitate coctum quodammodò fuit, & pro redemptione mundi nobis exhibitum.

Juniperus eſt arbuſtum ſpecie exteriori contemptibile pro floribus, foliis, & omni virore, non habens niſi aculeos, ut benè notetur per illam arborem Crux Chriſti, quæ in apparentia ſpeciem non habet, ſed potiùs contemptibile, & ſenſibus humanis horribile lignum videtur, cùm revera ſit *arbor decora & fulgida* animæ fideli, utpotè *ornata Regis purpura.*

Elias ex itinere laſſus & tædio affectus *projecit ſe, obdormivit in umbra Iuniperi;* Anima Chriſtiana requieſcit in meditatione ſanctiſſimi Sacramenti altaris, quod eſt velut umbra, id eſt memoriale mortis Domini. Nam quemadmodum umbra repræſentat corpus, ita ſacra Euchariſtia ſignum eſt memorativum & repræſentativum Paſſionis Domini; & ſicut corpus cum umbra præſens eſt, ita Corpus Domini in Sacramento. Verè non eſt alia quies animæ ſecurior, quàm meditatio mortis Dominicæ, cum frequenti ſumptione Euchariſtiæ conjuncta, in hujus ærumnoſæ vitæ tribulationibus. *Paraſti* (inquit David in perſona Chriſtianorum qui in afflictione verſantur) *in conſpectu meo menſam, adverſus eos qui tribulant me.* Pſ. 22.

Angelus expergefecit Eliam, *dixitque illi: Surge, comede.* Sacerdos ſcilicet hortatur populum ad frequentationem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Elias *comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb*, elapſus è minis & manibus Jezabel. Quadraginta iſti dies ſignificant dies peregrinationis noſtræ in terra, diviſos in quatuor decades; infantiæ, adoleſcentiæ, virilitatis, & ſenectutis; quibus ætatibus non deſinit homo perſecutionibus diaboli, carnis, & mundi inquietari. *Confortatio animæ Chriſtianæ in hac ærumnoſa vita eſt ſacra* Via igitur uſque ad montem Dei, non eſt aliud, quàm progreſſus, quem anima fidelis facit de virtute in virtutem, aſcenſiones in corde ſuo diſponens per indefeſſa operum bonorum exercitia, uſque ad excelſum Chriſtianæ perfectionis apicem, & exindè

Ad annū Chriſti 57 *n.*45.

antiquorum Chriſtianorum conſuetudinem, qui mortis metu, nullum prolixius iter ſuſcipiebant, abſque comportato ſacro Viatico, ne fortè in via abſque eo emori contingeret.

I. Quia prolixior futurus eſt hujus Sacramenti tractatus, recenſe mihi, ſi placet ordinem dicendorum in ſequentibus?

R. Hæc ſunt præcipua Capita, de quibus in hac materia ordine dicemus;

1. Figuræ famoſiores
2. Inſtitutio
3. Veritas
4. Tranſubſtantiatio
5. Adoratio
6. Oblatio
7. Præparatio ad Communionem
8. Communio
9. Effectus
10. Inſtitutio feſti

} Euchariſtiæ.

LECTIO II.

Vide Gabriel ſup. can. lect. 55 *lit. E. F. G.*

QUamquam priſca omnia ſacrificia, & veteres figuræ huic veritati ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſignificandæ & adumbrandæ ſervierint (uti notat S. Auguſtin. lib. 1. adverſ. hoſtem legis & Prophet cap. 6. S. Leo ſerm. 7. de Paſſ. Et Decreta Dominicæ 7. poſt Pentec. *Deus qui legalium omnium hoſtiarum differentias unius ſacrificii perfectione ſanxiſti*) nihilominus hic paucas tantùm è principalioribus figuras attingemus.

Gen. 1.

PRIMA FIGURA EUCHARISTIÆ.

Lignum vitæ.

I. QUaliter fuit lignum vitæ figura Euchariſtiæ?

R. Declaro paucis. Lignum vitæ in medio Paradiſi conſtitutum, fuit umbra & figura JESU Chriſti in medio Eccleſiæ ſuæ.

Paſchaſ. l. 1. de corpore Dom. c. 7. Ligni vitæ cum corpore Chriſti ſimilitudo.

Lignum vitæ ſubminiſtrat eſcam Adamo, adhuc in innocentia conſtituto; Chriſtus Dominus in Sacramento altaris ſe dat eſcam timentibus eum. Auguſt. l. 3. de civit. c. 20.

In ligno vitæ erat velut expreſſio energiæ & virtutis omnium plantarum, uti in homine videre eſt veluti compendium cæterarum creaturarum, Ita Corpus Domini in Sacramento eſt omnium corporũ nobiliſſimum, in eoque eſt omnis ſpiritalis antidoti collectio, virtutum omnium concurſus, & theſauri etiam ipſius Divinitatis.

Lignum vitæ ſolo Dei mandato productum eſt ex terra adhuc virgine: Corpus Chriſti Domini ſola Spiritûs Sancti operatione formatum eſt ex Maria Virgine.

Lignum vitæ unicum eſt in toto Paradiſo: Sacramentum, uti etiam ſacrificium Euchariſtiæ unicum eſt in univerſa Eccleſia.

Differentia.

Tanta nihilominùs eſt differentia inter lignum vitæ & cibum Euchariſticum, quanta inter diem & noctem, corpus & umbram.

Arbor vitæ eſt corpus terreſtre & corruptibile, productum & nutritum ex terra, non habens ſenſum, diſcurſum, vel aliquem rationis uſum, noſtrum verò lignum vitæ eſt corpus immortale & divinum intra intemeratæ Virginis viſcera productum à Spiritu Sancto, portans imaginem expreſſiſſimam & ſimilitudinem Dei in tanta perfectione & pulchritudinis ſpecie, quantum nulla omninò creatura habuit.

Triplicem vitã confert homini Euchariſtia.

Secundò, evidentiſſima in eo cernitur differentia, quòd fructus arboris vitæ, fuerit cibus & pharmacum corporalis vitæ hominis propagandæ; noſtræ verò arbor vitæ immortalitatem præſtat animæ, cæleſti & divino alimento eam nutriens & impin-

impingnans, corpus verò ipſum ad glorioſam reſurrectionem diſponit; potiori propterea jute lignum & arbor vitæ appellanda, quàm illa in Paradiſo plantata: utpotè quæ triplicem vitam largiatur; vitam quidem gratiæ animæ; vitam corporalem corpori; utrique verò vitam gloriæ.

Poſtremò, primum vitæ lignum pro prima & ultima ſua manſione terram habebat, in qua aliquo tantùm tempore, & uno in loco fixa conſiſtebat; ſecunda verò arbor vitæ, ſemper unâ manens in plurimis locis mundi invenitur, manebitque in cœlo in æternum.

LECTIO III.

SECUNDA FIGURA:

Sacrificium Abelis.

I. QUæ eſt 2. figura hujus Venerabilis Sacramenti?

Aug l.12 contra Fauſt. c.18

R. Sacrificium Abel, *qui per ovium primitiva qua obtulit, ſanguinem agni immaculati oblatum in redemptionis mundi pretium adumbravit.*

I Quis hoc docuit?

R. Ipſamet Eccleſiæ fides teſtata in Canone Miſſæ, his verbis: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel.*

I. Quid habet ſimile figura iſta cum te figurata?

Similitudo ſacrificii Abel cũ ſacrificio Eucharistia.

R. *Primò*, Sacrificium Abel fuit primum legis naturæ ſacrificium in Scriptura propter ejus excellentiam commemoratum: ita primum & unicum legis novæ ſacrificium, illudque excellentiſſimum fuit Eucharistiæ ſacrificium à Chriſto Domino vero Abel oblatum.

Secundò, quemadmodum Abel, uti ſuprà ex Auguſtino diximus, primitiva ovium obtulit: ita Chriſtus Dominus Agnus innocens & immaculatus ſeſe obtulit unigenitum Patris & Matris, & primogenitum in multis fratribus.

Tertiò, Abel mox oblato ſacrificio, eductus in agrum à fratre occiſus eſt, ſimiliter Chriſtus Dominus poſt ſanctiſſimi Sacramenti & ſacrificii inſtitutionem à Judæis in horto comprehenſus fuit, & die ſequenti in Crucem actus, morte crudeliſſimâ interemptus eſt.

Quartò, ſacrificium Abelis Deo fuit acceptum ob innocentiam offerentis; ſacrificium Eucharistiæ omnibus planè modis præcellit, eſtque Deo gratiſſimum ratione Filii ejus, *in quo ſibi benè complacuit*, qui eſt in Miſſa primus & principalis offerens, & oblatio mundiſſima.

LECTIO IV.

TERTIA FIGURA.

Sacrificium Melchiſedech.

I. QUæ eſt tertia figura Eucharistiæ? Gen. 14.

R. Sacrificium Sacerdotis Melchiſedech. *Hier. ep. ad Evag.*

I. Declara hoc paulò ampliùs? *Ambr. l. 4. de Sacr. c. 3. Chryſoſt ho. 35 in Ge. Cypr. l. 2. ep. 3.*

R. Declaravit olim Deus ſacerdotium Filii ſui in perſona Melchiſedech, & Euchariſtiam in oblatione ejus. Hoc exponit S. Paulus his verbis: *Melchiſedech*, inquit, *Rex Salem Sacerdos Dei ſummi qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diviſit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex juſtitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus* Hebr. 7.

autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum.

Dicit ergo Apoſtolus, Melchiſedech fuiſſe figuram Chriſti. Nam Melchiſedech in figura quidem erat Rex juſtitiæ, Chriſtus autem Dominus ipſe eſt in veritate Rex juſtitiæ, conſtitutus à Deo Judex vivorum & mortuorum. Melchiſedech Rex pacis, Chriſtus autem Dominus verus Salomon Princeps pacis; Ipſe enim uti mediator pacem inter Deum & homines conciliavit. Melchiſedech unctus eſt à Deo unctione, non corporali, uti Aaron & cæteri Sacerdotes Judæorum, ſed ſpirituali: Chriſtus Salvator noſter unctus eſt à Patre ſanctus ſanctorum *oleo lætitiæ præ participibus ſuis.* Melchiſedech ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: de Chriſto dictum eſt à Propheta: *Generationem ejus quis enarrabit*: non ſolùm æternam quâ proceſſit à Patre ſine matre, ſed etiam temporalem quâ proceſſit à matre ſine patre. Præcipuum eſt, quòd ſacerdotium Chriſti Domini in Sacerdotio Melchiſedech figuratum ſit. Hoc myſterium ponit Apoſtolus dicens: Sacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech manere perpetuum: quod olim vaticinatus erat David: *juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Mechiſedech.* Ordinem verò, ſacerdotium & ſacrificium Melchiſedech vide Gen 14.

Pſ. 109. *Vid. Card. Bellar. in expoſitione iſtius Pſal.*

Veritas ejuſdem ordinis, ſacerdotii & ſacrificii inchoavit à Chriſto Domino in ultima cœna inſtituente Sacramentum Euchariſtiæ, & ſacrificium pretioſi Corporis & Sanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini Patri offerente; continuat autem uſque modò per Sacerdotum miniſterium, & uſque in finem mundi continuabit. Chriſto Domino Sacerdote ſecundùm ordinem Melchiſedech, id eſt, ut clariſſimè dicamus, abſque intermiſſione corpus ſuum ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſuum ſub ſpecie vini offerente, quemadmodum Melchiſedech panem & vinum, id eſt, eorum figuram offerebat.

LECTIO V.

QUARTA FIGURA.

Agnus Paſchalis.

I. Quid indicabat Agnus Paſchalis Judæorum?

R. Erat expreſſa valdè figura Chriſti Domini, qui eſt Agnus Dei occiſus, ut redimeret oves, & ſanguine ſuo à ſervitute Ægypti liberaret, id eſt, à pœna æterna, cui per peccatum deſtinati eramus: Lege cap. 12. Exodi, ibique obſerva ritum Agni Paſchalis. Exod. 12.

Nota, hæc cæremonia in quibuſdam circumſtantiis erat figura ſacrificii crucis, in aliis Sacrificii Miſſæ: hinc Scriptura & Patres eam allegant, & accommodant modò iſti, modò huic ſacrificio. Significabat Chriſti mortem in cruce, agnus realiter occiſus cum ſanguinis effuſione, carnibus ejus igni aſſis, &c.

Agnus typus fuit ſacrificii tam Euchariſtici, quàm Crucis.

S. Joannes hanc figuram affert cap. 19. ſui Evangelii, ubi dicit: *Ad Jeſum autem cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, &c.* Et infrà: *Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo.* Exod. 12.

Idem agnus in aliis circumſtantiis illuſtriſſima fuit Sacramenti Euchariſtiæ figura. Nam agnus ille à reliquo grege ſeligebatur ad celebrandum Paſcha 14. luna, & in domo conjunctim cum azymo pane, lactucis agreſtibus, ſine oſſium comminutione integer comedendus erat: ad hunc agnum alludens Dominus ait: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Hinc de induſtria tranſivit Dominus à cæna agni ad cænam Euchariſticam novi Marc. 14. Luc. 22.

vi

Digitized by Google

vi Teſtamenti; ab immolatione veteris Paſchæ ad oblationem Agni immaculati, de quo Paulus: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*; ſignificans Paſcha vetus impletum eſſe à Chriſto per inſtitutionem novi ſacrificii ſub ſpeciebus panis & vini in noviſſima cæna. *Antiqua obſervantia* (inquit S. Leo) *novo tollitur Sacramento.*

1. Cor. 5.

Ser. 7. de Paſ. Dom.

I. Declara mihi, ſi placet, iſta paulò ampliùs?

R. Ritus Agni Paſchalis erant iſti: 1. Lex præcipiebat immolari agnum ad veſperam lunæ 14. & deinde manducari. 2. jubebat Lex unumquemque per domos & familias ſuas agnum manducari. 3. immolatio Agni Paſchalis inſtituta fuit in ſignum & memoriam inſtantis liberationis filiorum Iſraël ex Ægypto. Immolabatur enim ad veſperam, & mox ſub noctem edebatur: & nocte iſta *fuit paſcha* ſive phaſe, id eſt, tranſitus Domini, quando per manum Angeli occidebat tranſiens omnia primogenita Ægypti. Vide Exod. 12. 4. immolabatur agnus ad veſperam. 5. debebat agnus eſſe aſſus igni. 6. qui eum comedebant, debebant eſſe ſanguine, vel ſaltem religione Judæi. 7. agnus nocte comedebatur. 8. quiſque paterfamilias eum ſuis domeſticis in domo eum edebat. 9 non comminuebatur os ex eo. 10. comedendus erat feſtinanter. 11. ſi quid reſiduum erat, comburebatur. 12. cum pane azymo comedebatur. 13. cum lactucis agreſtibus. 14. renibus accinctis. 15. baculo in manu. 16. calceamentis in pedibus.

Deut. 16.

I. Quomodò hi omnes ritus referuntur ad Euchariſtiæ veritatem?

Ritus Agni paſchalis qualiter ad Euchariſtiã referũtur.

R. *Primò*, temporis circumſtantia, id eſt, ad veſperam lunæ 14. evidentiſſimè complectur in inſtitutione ſacrificii Euchariſtici in ultima cæna; nam nulla alia poteſt proferri veritas, quàm iſta, ob quam Chriſtus Dominus ejuſmodi figuram ſtatuerit: in ipſa igitur inſtitutione & immolatione Euchariſtiæ ad veſperam præcedentem Dominicam perficiendam completa eſt ſecundùm omnem ordinem veritas per iſtam figuram ſignificata.

I. Sed, quomodò Chriſtus verè immolatus eſt in ſacrificio Euchariſtico; eſt enim jam immortalis; imò Miſſam appellare ſolemus *Sacrificium incruentum*, æquè ac primam Miſſam, quam celebravit Chriſtus Dominus in ultima cæna. Quomodò, inquam, fuit tunc immolatus, & quomodò poteſt nunc immolari; adeoque quomodò figuratum reſpondit figuræ, de qua ſcriptum eſt: *immolabitq; eum* (agnum) *univerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* Exo. 12.

R. In ſacrificio propitiatorio non ſemper debet victima occidi, ſed tantùm in oblatione rei viventis; in oblatione enim rei inanimæ non requiritur ejuſmodi occiſio, ſed deſtructio, vel immutatio naturæ rerum talium conſentanea. In Miſſa itaque offertur Chriſtus, qui eſt res vivens, at offertur non in forma rei viventis, quantum ad repræſentationem, ubi ſolùm requiritur mors repræſentata, non autem mors reipſa; & ſic eſt tantum commemoratio & repræſentatio ſacrificii crucis: offertur enim in forma panis & vini, juxta ordinem Melchiſedech, & proinde in forma rei inanimæ. Atque ita non deſinit ſacrificii propriè dicti nomen & rationem habere. Nam ſicut peremptione & occiſione, ita converſione unius rei in aliam, ſupremus Dei dominatus & noſtra ſubjectio, poteſt deſignari. Itaque conformius eſt Scripturæ & Patribus, ut Chriſtus in ſacrificio Euchariſtiæ dicatur immolari, ad eum modum quem præmiſimus; ut ideò verè immolari & occidi dicatur, quod ſeſe in mortali ſpecie (quàm dignanter pro nobis ſuſcipere dignatus eſt) exhibuerit tamquam mortuum: & ſub hac qualitate verè immolatus eſt ratione ſpecierum, etſi ſecundùm ſe maneat abſolutè immortalis. Ita clarè ad tyrannum Sanctus Andreas: *Ego quotidiè agnum immacu-*

 macu-

Digitized by Google

Brev. Rom. ad 30. Novemb.

maculatum immolo, cujus carnem cùm omnis populus comederit, agnus tamen qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus.

Secundò, quo ad ſecundam circumſtantiam, ut unuſquiſque per familias & domos edat agnum, illa patenter completur in Euchariſtia, & non in ſacrificio crucis; nam hîc, nemo comedit, & ſacrificium hoc non privatim & in familia, ſed publicè & in conſpectu totius mundi celebratum eſt: è contrà Salvator noſter in Euchariſtia immolatus ſuis manibus præbet ſe edendum in cænaculo diſcumbentibus Apoſtolis, Eccleſiam repræſentantibus, cui Dominus valedicens, pignus iſtud amoris ſui, corpus videlicet & ſanguinem ſuum relinquebat.

Tertiò, ritus agni à nobis tertio loco notatus perfecto modo fuit in ipſa veritate completus; nam Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum & Sacrificium corporis ſui ad veſperam noctis qua captus eſt, ut poſterâ die crucifigeretur, & tranſiret de hoc mundo, hacque ratione primogenita Ægypti, id eſt, peccata generis humani extingueret, & in ſanguine ſuo, quaſi in aquis vehementibus maris rubri infinitorum meritorum ſuorum ſubmergeret omnem inferni potentiam (quæ eſt myſticè Pharao & exercitus ejus) ad liberandum electos ſuos.

Quartò, Agnus Paſchalis immolatus eſt ad veſperam; ſimiliter Chriſtus Dominus tàm in cruce, quàm in Euchariſtia immolatus fuit, *vergenti mundi veſpere*, & quemadmodum loquitur S. Joannes, *horâ noviſſimâ*. 1. Joan. 2.

Quintò, ſi agnus Judæorum fuit igni aſſus; ita Chriſtus Dominus in Euchariſtia tanto ſe amore nobis dedit, ut diceres planè charitatis ſuæ igne aſſatum; ut doceamur, quod eum pari amore & charitatis incendio ſumere & manducare debeamus.

Sextò, nullus niſi Judæus agnum immolare, aut manducare poterat; ſimiliter ad ſacri Corporis communionem accedere nullus niſi Chriſtianus præſumat.

Septimò, edebatur agnus ſub noctem, ad indicandum quod noſtra Euchariſtiæ myſterium ſit abſconditum, & humanis ſenſibus impervium, fide autem tantùm cognitum.

Octavò, quiſque Pater familias agnum cum ſuis in domo edebat: ita Paſtor quiſque in ſua Parochia, quaſi familia cum ſuis ſubditis agnum Dei manducat: hac tamen differentiâ, quòd Judæi in diverſis familiis alios & alios agnos manducarent, cùm eorum agni eſſent corruptibiles; Chriſtiani autem cuncti unum agnum omni tempore, & pro omnibus ſufficientem comedunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, agnum incorruptibilem & immortalem.

Nonò, os non comminuebatur ex eo; hoc ſignificat impaſſibilitatem Divinitatis ſub humanitate abſconditæ, quemadmodum ſub carnibus oſſa occultantur: & modò impaſſibilitatem ſui Corporis ſub panis & vini ſpeciebus abſcondit: unde pulchrè adimpletur figura in hoc noſtro Convivio Euchariſtico, nam ibi comedimus agnum non ſolùm non comminuendo os ex eo, ſed etiam abſque aliqua carnis diviſione integrum, non confractum, non diviſum, ſed immortalem & inconſumptum. Vide quod ſupr. ex S. Andrea diximus.

Decimò, comedebatur feſtinanter, ut indicaretur myſterium noſtrum vivâ & avidâ fide digerendum abſque curioſa rationis aut ſenſuum humanorum indagine.

Undecimò, Lex mandabat, ſi quid reſiduum eſſet, igne comburi: nimirum, quod de myſterio hoc non comprehenditur charitatis & ſacræ devotionis igne abſumendum eſt.

Duodecimò, panis azymus præſignificabat ſinceritatem conſcientiæ bonæ cum

Digitized by Google

qua ad Euchariſtiam accedendum eſt, ut interpretatur Apoſtolus.

1. Cor. 5. *Decimotertiò*, lactucæ agreſtes non aliud volunt, quàm contritionem ac pœnitentiam præmittendam eſſe Communioni, de qua Concil. Trid. ſſ. 13. can. 11.

Decimoquartò, renibus accinctis comedendus erat agnus, ut moneantur Fideles qui volunt phaſe Chriſtianorum comedere, accingere renes, id eſt, carnem à luxuria reſtringere, dicente S. Greg. *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Hom. 13. in Evang.

Poſtremò, calceamenta in pedibus habere, & baculos in manibus tenere jubentur qui phaſe comedunt; *ut moneamur ſanctorum mortuorum vitam & exempla conſpicere, ut veſtigia noſtra à peccati vulnere cuſtodiamus*, inquit idem Greg. *& paſtoralem curam* (per baculum ſignificatam) *geramus eorum qui nobis commiſſi ſunt.* Vel, ut alii, tanquam peregrini in hac mortali vita baculo crucis & meditatione Dominicæ Paſſionis ſubnixi veſcamur hâc immortali eſcâ feſtinantes, & ad beatam illam patriam properantes, ubi deinceps non in ænigmate, ſed videbimus Deum ſicuti eſt, & ejus beatæ menſæ accumbemus. Hom. 22. in Evang.

Pulchrum eſt quod B. Algerus. *Lex*, ait, *dedit in calceamentis cautelam, ne à vitiis fallamur; in baculo diſciplinam qua perpetrata corrigamus; in lactucis compunctionem; in feſtinatione deſiderii ardorem quo ad cæleſtia ſuſpiremus; in accinctis renibus continentiam & caſtitatem, quia Chriſto agno immaculato, & Virginis Filio crucifixo, ejuſque unctioni nihil ita adverſatur, ut voluptas, & fornicariæ ſocietatis unitas.* L. 1. de Sacr. alt. c. 22.

LECTIO VI.

QUINTA FIGURA.

Manna.

Vide Hiſtoriam Exodi c. 16. cujus hoc eſt ſummarium. Moyſes fuit Dux populi Iſraëlitici per annos 40 pluſquam ſexcentorum millium virorum abſque parvulis & mulieribus. Dominus Deus pavit illos manna poſt egreſſum ex Ægypto, & tranſitum maris rubri, per totos 40. annos, uſque dum pervenirent ad terram promiſſam. *Manna apparebat ſuper faciem terræ in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ. Quod cùm vidiſſent filii Iſraël, dixerunt ad invicem: Manhu? Quid eſt hoc?* Exod. 16. Sex præcepta, & 6. miracula in Manna.

De hoc Manna ſex præcepta dedit Deus Filiis Iſraël.

Primum, jubet ut Hebræi in ſingula capita colligant ex manna ſingulis diebus menſuram Gomor, id eſt, tantum, quantum veroſimiliter putant ſufficere ad Gomor complendum. 1. præc. ſinguli colligunt Gomor.

Ubi non ingens miraculum in manna, nimirum, quod & tanta copia quotidiè depluceret, quæ tribus hominum millionibus alendis ſufficeret, & quod ſinguli domum venientes, cùm manna à ſe collectum metirentur, ſive plus, ſive minus collegiſſent, omnes tamen unum Gomor reperirent: Angelo ſcilicet inviſibiliter addente, ſi minus quàm Gomor, demente ſi ampliùs collegiſſent. Adeò quod omnes quotidiè ex manna comederint unum Gomor; ac conſequenter unam eandemque cibi menſuram, ſcilicet Gomor, tunc fuiſſe parvulis, viris, fœminis, robuſtis, ſenibus, omnibuſque Hebræis. 1. miraculum.

Secundum præceptum, nullus relinquat ex eo in mane, ad incredulam avaritiam inhibendam eorum, qui contra 2. præc. Manna non ſer-

Digitized by Google

...vetur in craſtinum. *2. miraculum.*

Dei voluntatem de craſtino ſibi providere volebant: undè & poſtea puniti ſunt. Cæpit enim manna ſervatum in ſequentem diem ſcatere vermibus; atque in hac vindicta fuit pariter ſecundum miraculum; neque enim hanc fuiſſe naturam manna, ut poſtridie putreſceret, dici poteſt, cum ſabbatho illæſum ſervaretur, id quod pridie collectum erat. *Colligebant autem ſinguli.* Hinc ſumitur

3. præceptum.

Tertium præceptum, ut ſcilicet quiſque manè, antequam Sol incaleſceret, colligeret manna, quia Sole calente, liqueſcebat: idque ut diſcerent Hebræi non ſtertere, ſed manè ſurgere ad orandum Deum, & parandum ſibi victum. *Cumque incaluiſſet Sol, liqueſiebat.* Sap. 16.

3. miraculum.

Eſt hoc tertium pariter miraculum, quod ſcilicet id quod ex manna manebat in agro, liqueſcebat cùm Sol incaleſceret, cùm tamen idem manna collectum manè ità durum eſſet domi, ut pilo & mola tunderetur, & non liqueſceret igne, ſed in tortulam formaretur, ut patet Num, 11. *In die autem ſexta collegerunt cibos duplices.* Eſt hoc

4. præceptum feria 6. duplum colligitur.

Quartum præceptum, ut feriâ ſextâ duplum colligant manna, ſcilicet Gomor unum pro feria 6. & alterum pro ſabbatho; idque ad quietem & religionem ſabbathi commendandam. Quartum pariter hoc miraculum, quod ſcilicet feriâ 6. deplueret duplum manna, quodque à collectione, manna, domum rediens, quiſque æqualiter duo Gomor apud ſe inveniret. *Appellavitque domus Iſrael, nomen ejus Man, quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque ejus, quaſi ſimila cum melle.* *4. miraculum.*

Tria de manna hic dicuntur. 1. quòd quantitate & figurâ fuerit ſimile coriandro. 2. quòd colore eſſet lucidum & album. 3. quòd ſapore eſſet melleum, ſaperetque ut ſimila mellita.

Imò manna magno Dei dono & miraculo omnem ſaporis ſuavitatem cuique exhibebat. Hoc eſt enim quod dicitur Sap. 16. *Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporis ſuavitatem.*

Nota, Sapiens, uti & David Pſalmo 77. manna vocat panem Angelorum non comedentium, ſed producentium manna ex materia ad id in nubibus diſpoſitâ. Unde & *panem cœli*, id eſt, nubium vocant; quia manna in nubibus formabatur, & è nubibus depluebat.

Rurſum manna vocatur *panis Angelorum*, id eſt, panis delicatiſſimus, ita ut, ſi comederent Angeli, non alio pane quàm mannâ veſcerentur. Sic *lingua Angelorum*, vocantur linguæ pulcherrimæ & elegantiſſimæ. *Imple Gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retrò generationes.* Eſt hoc 1. Cor. 13.

5. præcep. Manna ſervatur in monumentum.

Quintum præceptum, quo jubet Deus aſſervari manna in perpetuum divinæ alimoniæ monumentum. Quintum pariter miraculum hîc eſt, quòd ſcilicet Deus tot ſæculis manna hoc incorruptum ſervaret. Nam in Sancto Sanctorum, cum illa ædificata fuerunt repoſitum fuiſſe manna in urna aurea ſcribit Apoſtolus Heb. 9. *Filii autem Iſrael comederunt Man quadraginta annis.* *5. miraculum.*

6. præceptum.

Sextum hîc innuitur *præceptum* colligendi manna in ſingulos dies, idque per 40. annos. Sextum autem hîc extat miraculum, quod tam verè quàm autumno, tam æſtate quàm hyeme ſingulis diebus per 40 continuos annos manna depluerit, donec Hebræi venerunt in Chanaan, ibique de frugibus terræ comederunt. *6. miraculum. quod quotidie depluerit manna per 40. annos.*

Figuram hanc paulò fuſius deſcripſi, ut rei per eam ſignificatæ, ſingulis analogiis recenſitis & expenſis, tanto evidentius veritas demonſtraretur.

Nota igitur, manna allegoricè ſignificabat Chriſtum in venerabili Sacramento, ut patet Joan. 6. Maximè verò manna ſignificat rem contentam & effectum Sacramenti, ut docent in cit. loco Joan-

Joannis S. Chryſ. Theoph. & Cyrillus. Unde & Apoſtolus 1. Corinth. 10. ait: *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt.* Rurſum Joan. 6. Chriſtus diſertè corpus ſuum in Euchariſtia præfert ipſi manna. *Hic eſt*, inquit, *Panis qui de cœlo deſcendit, non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna & mortui ſunt, qui manducat hunc panem* (ſcilicet divinum, conſecratum, tranſubſtantiatum in Corpus Chriſti) *vivet in æternum.*

Nota ſecundò, aptiſſimè congruit manna cum Corpore Chriſti in Euchariſtia, illudque pulchrè adumbravit.

Primò Manna vocatum eſt Panis de cælo, quia ex aëre (qui cœlum in Scripturis dicitur) depluebat. Euchariſtia eſt in rei veritate panis de cælo, nam continet illum qui verè deſcendit de cælo. *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo verum* (dicebat Salvator ad Judæos) *ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.*

Analogia 17. Manna ad Chriſti Corpus relata.

Secundò, Manna erat cibus Angelorum miniſterio præparatus, propterea Panis Angelorum nuncupatum: & S. Paulus vocat idem eſcam ſpiritualem ex eadem ratione. Ita Corpus Chriſti ex ſola Virgine & Spiritûs ſancti irroratione natum eſt. Præterea iſtud corpus ſiſtitur ad altare per conſecrationem Sacerdotum qui Angeli ſunt in Eccleſia Dei, adeoque Euchariſtia eſt *Panis Angelorum.*

Tertiò, datum eſt manna Hebræis pro annona in deſerto uſque dum pervenirent ad terram promiſſionis; ſic Chriſtus Dominus in Euchariſtia nobis datus eſt in hujus mundi deſerto, uſque dum Eccleſia militans intret in triumphantem, quæ eſt *terra viventium.*

Quartò, omnes de manna æqualem menſuram, nimirum Gomor unum colligebant: ſic totum Chriſtum omnes æqualiter recipiunt, etſi ſpecies ſive hoſtia major ſit aut minor.

Quintò, Manna cibum præbebat & potum; Euchariſtia præbet Corpus & Sanguinem Chriſti, verum cibum & potum, etſi ſub una tantùm ſpecie.

Sextò, datur Manna Hebræis ex Ægypto egreſſis, ita nonniſi relictis ollis Ægyptiacis, & carnis voluptatibus ſapit Euchariſtia.

Septimò, Manna non eſt datum niſi poſt tranſitum maris rubri; Euchariſtia non datur niſi poſt Baptiſmum.

Octavò, Manna Hebræis omnem ſaporis varietatem dabat, uti ſupr. ex Sap. 16. diximus; ita & *Chriſtus parvulis eſt lac, infantibus olus, perfectis ſolidus cibus*, ait Nyſſen.

Nonò, ſicut dulcedo in manna erat abſcondita; ita & ſub ſpeciebus panis abſconditur Chriſtus.

Decimò, infidelibus & avaris in vermem & judicium vertitur utrumque.

Undecimò, Manna erat minutum: Chriſtus parvâ hoſtiâ eſt circumſcriptus.

Duodecimò, Manna pilo tuſum fuit; Chriſtus pilo Crucis contuſus, mortalitatem exuit.

Decimò-tertiò, Hebræi admirabundi dicunt *Manhu!* Fideles ſimiliter admirabundi exclamant, *quid hoc?* Ut nobiſcum ſit Deus! Eſt enim Euchariſtia memoria mirabilium Dei.

Decimo-quartò, ſex diebus tantùm colligebatur in deſerto manna: ſic & ſabbatho æternitatis & terræ promiſſionis ceſſabit velamen Sacramenti, Chriſtoque facie ad faciem in ſumma quiete perfruemur. Pſ. 10.

Decimo-quintò, poſt manna Hebræi cum Amalec pugnaverunt, cùm ante ſolus pro eis Deus pugnaſſet, contra Ægyptios: pugnaverunt, inquam, & vicerunt: ſic vitæ cæleſtis impedimenta & tentationes, quas nonniſi ſolidioribus objici patitur Deus, Euchariſtiæ virtute ſuperantur. Quare ſanctus Cyrillus l. 4. in Joan. c. 17. *Euchariſtia*, inquit, *ſedat, cùm in nobis maneat Chriſtus, ſævientem membrorum legem, pietatẽ corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus*

bus peccatis ſumus conſiderat; ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat; & ſicut Paſtor bonus qui animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, ab omni nos erigit caſu.

Decimo-ſextò, Sole liqueſcebat Manna: ſic reſolutis calore ſpeciebus, Sacramentum diſſolvitur.

Decimo-ſeptimò, Manna juſſit Dominus ſervari in monumentum: ita ſervat Eccleſia ſanctam Euchariſtiam in ſacrario, tum ut ab omnibus adoretur, tum ut indè viaticum cum ægrotantibus miniſtretur.

LECTIO VII.

FIGURA SEXTA.

Panes propoſitionis.

Levit. 24. I. Quæ eſt ſexta Figura?

R. Sunt panes propoſitionis.

I. Quid ſignificabant panes propoſitionis?

Hiſtorica veritas panum propoſitionis. R. Accipe primò hiſtoricam veritatem. Juſſus eſt Moyſes accipere ſimilam, & coquere ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebant duas decimas, quorum ſenos altriuſecus ponebant ſuper menſam puriſſimam coram Domino, uti juſſus erat Moyſes: & ſuper eos thus lucidiſſimum. Appellantur panes propoſitionis, ſive facierum, quia in conſpectu Domini, & coram ejus quaſi facie expoſiti. Singulis Sabbathis panes novi, recenteſque & calidi ponebantur in menſa: veteres verò tollebantur, & comedebant eos Sacerdotes: iis enim ſolis hiſce panibus veſci licebat, ut patet Matt. 12. Hi panes erant azymi, & ex ſimila puriſſima. Panes hi erant duodecim, ut ſcilicet quæque tribus ſuum quaſi panem Deo offerret: hiſce enim panibus duodecim Tribus proteſtabantur ſe jugiter à Deo ali, & viciſſim Deus hâc gratitudine oblationis eorum quaſi illectus oſtendebat ſe eorum meminiſſe, eorumque memoriam & memoriale ſemper ante ſe habere, ut eos alere & curare pergeret. Menſa in qua ponebantur panes erat de ligno ſethim incorruptibili ex auro puriſſimo operta.

Quomodò panes propoſitionis ſignificarunt Euchariſtiam. Referamus modò veritatem Euchariſtiæ ad hanc Figuram. Simila puriſſima & azyma ex qua confecti erant hi panes, ſignificabat Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conceptum de Spiritu ſancto ex puriſſima ſubſtantia intemeratæ Virginis abſque fermento, hoc eſt abſque peccato originali, aut quavis alia corruptione.

Quilibet panis conſtabat duabus decimis, nimirum in ſacra Euchariſtia Chriſtus Dominus continetur ſecundùm duas naturas, humanam & divinam. Hi panes quotidiè offerebantur pro filiis Iſraël. uti ſingulis diebus offertur Chriſtus in Miſſa pro Chriſtianis. Soli Levitæ, puta Caathitæ panes hos conficiebant, & coquebant, ut patet 1. Paral. 9. & 23. ad eum modum ſolis Sacerdotibus conceſſum eſt ſacramentum & ſacrificium Corporis Domini conficere.

Superponitur thus, id eſt, gratiarum actio, ſacrificium enim Euchariſticum eſt ſacrificium laudis & gratiarum actionis pro cunctis beneficiis à Deo acceptis. Thus etiam ſignificabat panes oblatos eſſe Domino, tanquam qui Domini ſint, illique debeantur. Certè quid magis Deo debitum, vel, quod obſequium poteſt ei humana fragilitas congruentius exhibere, quàm ipſum Miſſæ ſacrificium à Chriſto Domino ad ipſiſſimam noſtram ſubjectionem, & Dei ſupremi m dominium proteſtandum expreſsè inſtitutum? Nam in Miſſa offerimus Chriſtum in ſacrificium, & gratiarum actionem rem infiniti valoris & dignitatis: eſt enim hæc infinita Dei bonitas & liberalitas, ut ſuis in nos collatis donis, velit ità nobis viciſſim honorari.

Digitized by Google

LECTIO VIII.

FIGURA SEPTIMA.

Panis Eliæ.

I. ENarra paucis hiſtoriam iſtius Figuræ, deinde expone veritatem rei per illam ſignificatæ.

Hiſtorica veritas. R. Hæc eſt hiſtoria. Elias fugiens à facie Jezabel ſedit ſubter unam Juniperum, & tædio affectus *petiit animæ ſuæ ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quàm Patres mei. Projecitque ſe, & obdormivit in umbra Iuniperi. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi; Surge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergò & bibit, & rurſum obdormivit. Reverſuſque eſt Angelus ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb.* (3. Reg. 19.)

Res in figura adumbrata. Veritas in iſta figura adumbrata, eſt iſta: Chriſtus Dominus in ſacramento eſt panis à Deo miſſus, Angeli miniſterio, id eſt, Sacerdotis, qui in Scriptura Angelus vocatur. Hic eſt igitur Angelus, qui conſecrat panem, illumque tranſubſtantiat per verbum Dei, in carnem Chriſti. (Malac. 1.) Hic eſt qui illum diſtribuit Fidelibus ex commiſſione & poteſtate ſibi factâ. Panis Euchariſticus eſt ſub cinere coctus, id eſt, Corpus Domini præparatum nobis fuit in cruce cum ardentiſſima charitate, ſub cujus opprobrio & humilitate coctum quodammodò fuit, & pro redemptione mundi nobis exhibitum.

Juniperus eſt arbuſtum ſpecie exteriori contemptibile pro floribus, foliis, & omni virore, non habens niſi aculeos, ut benè notetur per illam arborem Crux Chriſti, quæ in apparentia ſpeciem non habet, ſed potiùs contemptibile, & ſenſibus humanis horribile lignum videtur, cùm revera ſit *arbor decora & fulgida* animæ fideli, utpotè *ornata Regis purpura.*

Elias ex itinere laſſus & tædio affectus *projecit ſe, obdormivit in umbra Iuniperi*; Anima Chriſtiana requieſcit in meditatione ſanctiſſimi Sacramenti altaris, quod eſt velut umbra, id eſt memoriale mortis Domini. Nam quemadmodum umbra repræſentat corpus, ita ſacra Euchariſtia ſignum eſt memorativum & repræſentativum Paſſionis Domini; & ſicut corpus cum umbra præſens eſt, ita Corpus Domini in Sacramento. Verè non eſt alia quies animæ ſecurior, quàm meditatio mortis Dominicæ, cum frequenti ſumptione Euchariſtiæ conjuncta, in hujus ærumnoſæ vitæ tribulationibus. *Paraſti* (inquit David in perſona Chriſtianorum qui in afflictione verſantur) *in conſpectu meo menſam, adverſus eos qui tribulant me.* (Pſ. 22.)

Angelus expergefecit Eliam, *dixitque illi: Surge, comede.* Sacerdos ſcilicet hortatur populum ad frequentationem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Elias *comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb*, elapſus è minis & manibus Jezabel. Quadraginta iſti dies ſignificant dies peregrinationis noſtræ in terra, diviſos in quatuor decades; infantiæ, adoleſcentiæ, virilitatis, & ſenectutis; quibus ætatibus non deſinit homo perſecutionibus diaboli, carnis, & mundi inquietari. *Confortatio animæ Chriſtianæ in hac ærumnoſa vita eſt ſacra* Via igitur uſque ad montem Dei, non eſt aliud, quàm progreſſus, quem anima fidelis facit de virtute in virtutem, aſcenſiones in corde ſuo diſponens per indefeſſa operum bonorum exercitia, uſque ad excelſum Chriſtianæ perfectionis apicem, & ex-

Digitized by Google

Communionis frequentatio.

indè uſque ad ſublimen felicitatis noſtræ montem in cœlo. Hujus autem peregrinationis & aſcenſionis viaticum, robur, & confortatio eſt ſacræ Communionis frequens & digna receptio.

Orig. hom. 15. in exod. S. Aug. hom. 26. ex 50. & ſer. 252. ſer. 252. de temp.

Hac de cauſa olim Fideles Euchariſtiam domum deferebant, præſertim tempore perſecutionis, ac quotidiè eam ſumebant ut ſe armarent ad Martyrium, eaque fuit cauſa fortitudinis tot Martyrum, ut docet Cyprianus l. de ſpect. & exhortat. ad Martyr. Quocircà Concil. Trident. docet hoc Sacramentum eſſe inſtitutum tanquam ſpiritualem animæ cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.*

ſ. 13. c. 2. Joan 6.

LECTIO IX.

DE INSTITUTIONE

Sanctiſſimi Sacramenti.

I. Quis inſtituit venerabile Sacramentum Euchariſtiæ?

R. Chriſtus Dominus omnium Sacramentorum auctor & inſtitutor.

I. Quandonam inſtituit Chriſtus Dominus Sacramentum Euchariſtiæ?

R. Cùm eſſet de hoc mundo tranſiturus ad Patrem, pridiè quàm pateretur ſub veſperam Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Conc. Trid. ſſ. 13. c. 2.

I. Quare Sacramentum hoc inſtituit?

ſ. 13. c. 2.

Pſ. 100.

R. Conc. Trid. ita reſpondet: *Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui ergà homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem donec ipſe ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam*

1. Cor. 11.

ſpiritualem animæ cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me: *& tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoque ſymbolum unius illius corporis, cujus ipſe caput exiſtit, cuique nos tanquam membra arctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione aſtrictos eſſe voluit: ut idipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.* q. d. Concilium: Chriſtus Dominus inſtituit hoc Sacramentum.

Luc 22. citatur de conſec. diſt 2. Joan. 6.

Rationes inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ.

1. Ut ardentiſſimam ſuam ergà Fideles charitatem declararet, dando ſe pro illis ſub hoc Sacramento in cibum, qui jamjam erat ſe pro iiſdem daturus in pretium.

2. Inſtituit hoc Sacramentum ut perenne ſit pignus & memoriale omnium myſteriorum ab ipſo in carne peractorum; propterea dicebat Apoſtolis *hoc facite in meam commemorationem.*

3. Ut hoc cibo & potu ſacri Corporis & Sanguinis ſui nos reficeret, & in vita ſpirituali ſuſtentaret. Vide Lect. praeced.

4. Ut Sacramentum iſtud antidotum nobis eſſet contra omnem ſpiritualem infirmitatem, id eſt, contra peccata & tentationes.

5. Ut nobis eſſet pignus vitæ æternæ.

6. Voluit Chriſtus per hoc Sacramentum arctiſſimè Fidelibus uniri, non ſolùm voluntate, ſed etiam naturarum & corporum connexione: juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.*

Exercetur fides noſtra in hoc Sacramento.

7. Ad exercitium virtutum omnium, præſertim Theologicarum, fidei, ſpei, & charitatis. Nam quod ad fidem attinet, illa in hoc difficillimo myſterio mirabiliter exercetur & creſcit; inter opera enim divinæ potentiæ, quæ præter naturæ

Digitized by Google

naturæ ordinem fiunt (Incarnationis opere excepto) creditu difficillimum cenſetur. 1. Quia plura miracula complectitur. 2. Quia non ſemel, ſed iterùm & ſæpiſſimè quaſi ordinariâ lege conficitur. 3. Quia non ſolùm ab ipſo Deo ſed ab homine ejus miniſtro per ſupernaturalem poteſtatem ei communicatam fit. Denique, quia quotidie ſenſibus objicitur, & iis repugnantibus frequentiſſimè captivamus intellectum in obſequium Chriſti. Deinde ad ſpem noſtram roborandam & augendam, nullum potuit eſſe, poſt Incarnationem, Dei donum ac beneficium accommodatius, tum quia in pignus futuræ gloriæ res infiniti valoris nobis datur, tum etiam quia dum in hac mortali vita tam liberalem Dominum experimur, maximè excitamur ad ſperandum majora in beata vita.

Roboratur & augetur ſpes noſtra.

Tandem nihil nos magis ad amandum Deum excitat, quàm amoris ſignificatio in hoc myſterio à Chriſto nobis exhibita, ut etiam Joannes ait c. 13. *Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Excitamur ad amandum Deum.

Poſtremò, hoc Sacramentum inſtitutum fuit, ut Chriſtus uſque ad ſæculi finem etiam præſentia corporali nobiſcum, quamvis ſub alia forma, in eadem tamen ſubſtantia remaneret, ut jugiter à nobis coli, adorari, & invocari poſſet, ac Deo cum grata beneficiorum recordatione in ſacrificium offerri.

I. Ediſſere mihi quàm potes breviſſimè quando & quomodo hoc Sacramentum Chriſtus inſtituerit?

R. Celebratâ cum diſcipulis Agni Paſchalis cœnâ, ut figura veritati, umbra corpori cederet, Chriſtus Dominus accepit panem Deoque gratias agens, benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & dixit: *Accipite & manducate: hoc eſt Corpus meum quod pro vobis traditur: hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & calicem accepit poſtquam cænavit, dicens: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.*

S. Leo ſer. 7. de Paſ. Dom.

Matt. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.

I. Nonne duplex Euchariſtiæ materia duo conſtituit Sacramenta?

R. Licet duo ſint elementa, panis ſcilicet & vinum, ex quibus integrum Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, ſed unum tantum eſſe fatendum eſt. Aliter enim ſeptenarius Sacramentorum numerus conſtare non poterit. Nam cum hujus Sacramenti gratia unum corpus myſticum efficiatur, ut Sacramentum rei, quam efficit, conveniat; unum eſſe oportet, atque unum quidem, non quia individuum ſit, ſed quia unius rei ſignificationem habet. Nam quemadmodum cibus & potus, quæ diverſæ res ſunt, ad unam tantùm rem adhibentur, ut ſcilicet una corporis refectio fiat, ita ſimiliter duæ iſtæ Sacramenti ſpecies unicum ſpirituale convivium ſignificant, quo mentes ſuſtentantur & recreantur. Ideò à Domino Salvatore dictum eſt: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.*

De materia hujus Sacram.

S. Th. 3. p. q. 74. Conc. Trid. ſſ. 13. De Euchar. in proemio & c. 8. Joan. 6.

Eſt verò ex Chriſti inſtitutione hujus Sacramenti materia panis triticeus, & vinum de vite. Definitum eſt in Conc. Florent. Ratio à priori eſt Chriſti inſtitutio nobis per Eccleſiam ſignificata, quæ ſemper in hoc Sacramento conficiendo uſa eſt pane triticeo, & vino de vite expreſſo. Vide c. in Sacramento, de conſ. diſt. 2. S. Thom. 3. p. q. 74. a. 3. & 5 & Comment. ibi.

Materia Sacramenti Euchariſtiæ.

Exigit verò tanti majeſtas ſacrificii, ut quàm exquiſitiſſimo pane, & quàm exquiſitiſſimo vino perficiatur.

Tanta erat Wenceslai Bohemorum Ducis erga ſanctum ſacrificium devotio, ut ipſemet perſonaliter ſuis manibus triticum ſeminaret, meteret, trituraret, quod hoſtiis ad ſacrificium conficiendis deſervire debebat: ſed & perſonaliter Sacerdotibus celebrantibus miniſtrabat; ex quo magnam ſibi fratris invidiam, & Martyrii palmam comparavit.

Exemplum. Martyrol. Rom. 28. Sept.

I. Quare Chriſtus Dominus ſub aliena

ſpecie ſeipſum Fidelibus in alimentum dedit?

R. Ne humanam carnem & ſanguinem in propria ſpecie ſumere homines exhorreſcerent. 2. Ut fides locum haberet & meritum. 3. Ut nos peregrinos nos eſſe agnoſceremus, ſemperque ad Chriſtum revelatâ facie contuendum anhelaremus.

I. Cur ſub ſpeciebus panis & vini occultare ſe voluit Chriſtus Dominus in hoc Sacramento?

R. Pluribus de cauſis. *Prima*, ut ſe hominum ſpecialem vitam, & alimoniam eſſe deſignaret. *Panis enim cor hominis confirmat, & vinum lætificat*, duoque iſta plenam hominis refectionem efficiunt. *Secunda*; Iſtæ duæ ſpecies ex multis granis in unum redactis confectæ aptiſſimè unionem Fidelium cum Chriſto, ac inter ſe deſignant. Unum enim Eccleſiæ corpus ex multis membris compaginatur; ſicut unus panis ex multis granis conficitur; & unus calix vini ex multis racemis, juxta illud: *Unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* (1. Cor. 10) *Tertia*; Inſtituit Chriſtus Dominus ſub his duabus ſpeciebus Sacramentum, ut memoriam Paſſionis ſuæ nobis refricaret, & quaſi ſub oculos ſtatueret. Granum enim frumenti in terram mortificandum ſeritur, in agro patitur ventos, pluvias, grandinem, gelu, frigus & calorem, in area flagellatur, in mola conteritur, in furno coquitur. Nihil minus patitur racemus; nam poſtquam aëris injurias perpeſſus eſt, premitur in torculari &c. quæ omnia ſignificant labores & tormenta quæ pro nobis miſericorditer pati dignatus eſt Dominus, ut nobis ſuperſubſtantialis, & cœleſtis ambroſia fieret in Sacramento.

I. Cur aqua in hoc Sacramento admiſcetur vino?

Aqua vino admiſcetur ex Apoſtol. traditione.

R. Quia ex Apoſtolica traditione perpetuò id Eccleſia ſervavit, creditque Chriſtum Dominum vinum aquæ mixtum conſecraſſe, juxta illud: *Bibite vinum quod miſcui vobis*; (Prov. 9.) & hunc morem ſervari ab omnibus ſanxiſſe, ut teſtantur Alexander 1 epiſt. ad omnes orthodoxos, Julius primus, Innoc. III. & alii citati à Gratiano, Clem. l. 8. de conſtit. Apoſtolicis c. 18. Iren. l. 4. c. 57. (*De conſec. diſt. 2.*) Cypr. l. 2. ep. 3. Jacobus, Baſil. & Chryſ. in ſuis Liturgiis, Conc. Carthag. III. can. 14.

Idque fit plures ob cauſas.

Hujus mixtionis aquæ & vini plures cauſas adferunt. 1. Ut quod ex Chriſti latere refluxit, integrè repræſentemus; exivit autem ſanguis & aqua. 2. Ut ſignificetur effectus Communionis, per quam nos unimur, ſicut aqua vino, Chriſto Capiti. Aqua enim populum ſignificat. Ita Julius Papa relat. de conſec. diſt. 2. c. cùm omne. Cypr. ſup. 3. ad ſignificandam duarum in Chriſto naturarum conjunctionem. (Apoc. 17.)

I. Unde habemus verba conſecrationis?

De forma hujus Sacramenti. S. Tho. 3. p. q. 78. a. 2. & 3.

R. Ab ipſo Chriſto Domino Salvatore noſtro: *Innoc. de celeb. Miſſ. c. cum Martha*, Diximus enim ſuprà ipſum Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacramentum, quod procul dubio, non fecit abſque verbis conſecrationis, quæ ſunt ipſa forma Sacramenti: *Sermo Domini hoc conficit Sacramentum*, inquit Ambroſius: *Panis enim & vinum naſcitur in alimentum refectionis, non in Sacramentum religionis*, ait Auguſtinus. Quid Dominus fecit & dixit in cœna noviſſima de hoc Sacramento, idipſum ab Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus fieri conſtituit. Accipiens autem panem, benedixit, dicens: *Hoc eſt Corpus meum*; & accipiens ſimiliter calicem: *Hic eſt Sanguis meus*, ut teſtantur Evangeliſtæ, & S. Paulus; eiſdem igitur planè verbis, quibus ipſe confecit Sacramentum, ſimiliter à nobis confici voluit.

LECTIO X.

DE VERITATE EUCHARISTIÆ.

I. QUid modo ſequitur?

R. Quod pro tertio puncto hujus materiæ promiſi, ſcilicet, *veritas Eucharistiæ*: hoc eſt vera, realis, & corporalis præſentia Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti in Sacramento.

I. Quæ eſt igitur fides Eccleſiæ in hac materia?

Conc. Conſtant. ſſ. 8. damnat. Wiclef. hos 3. articulos negantem. L. b.c.1.

R. Credit & apertè ac ſimpliciter confitetur Eccleſia in almo S. Euchariſtiæ Sacramento tria, quæ ſunt valdè mirabilia, & certiſſimi conſecrationis effectus.

Primum, ſub ſpeciebus panis & vini veram Chriſti JESU carnem, ac verum ejus ſanguinem in Euchariſtia verè, realiter, & ſubſtantialiter exhiberi, miniſterio quidem Sacerdotis, virtute autem ac potentiâ Domini noſtri JESU Chriſti, apud quem *non eſt impoſſibile omne verbum. Ipſe enim dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt*. *Psal. 148.*

Secundum, quòd in hoc Sacramento nulla ſubſtantia maneat poſt conſecrationem, earum quæ inibi antè reperiebantur. Quod lect. 12. ſeq. magis declarabitur.

Tertium, quòd accidentia, quæ ante conſecrationem pro ſubjecto habebant panem & vinum, remaneant in hoc Sacramento, non abſque ingenti miraculo, ſine ullo ſubjecto, cui inhæreant. Nam quod videmus, guſtamus, tangimus in hoc Sacramento, ſunt eadem ipſa accidentia, quæ priùs pani & vino inhærebant: & tamen nullus eſt deinceps panis, nullum vinum, ſed ſola Dominici Corporis & Sanguinis ſubſtantia, quæ nullo modo poteſt eſſe ſubjectum accidentium.

I. Unde veritatem iſtam colligis?

R. Ex ipſiſſimis Salvatoris noſtri verbis, qui dixit: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus.* Quæ verba, omnes omnium ſæculorum & locorum Patres unanimi conſenſu de vera reali & Chriſti præſentia in Sacramento ſemper intellexerunt, ut in ſequentibus oſtendemus.

I. Quando igitur hæretici aſſerunt Chriſti Domini Corpus & Sanguinem in Sacramento minimè contineri; ſed eſſa tantùm ſymbola Chriſtum Dominum repræſentantia, falluntur ne?

R. Falluntur planè, & per tropicos ſenſus conantur ſimplices fallere, & in errores inducere.

I. Oſtenditne Deus manifeſto exemplo verborum conſecrationis iſtius Sacramenti vim & efficaciam, quam Catholici credunt?

R. Ita. *Anno Domini 1565. Lauduni in Galliis à dæmone liberata eſt quædam, cui nomen Nicolaa, per exhibitionem ſacræ Euchariſtiæ cum adjuratione ſacra. Nam cum præſentiam Chriſti ferre non poſſet dæmon, admirabilis planè modis obſeſſæ corpus torquebat, atque interrogatus, cur ita timeret, & ſeſe agitaret ad præſentiam hujus panis, publicè reſpondit ſe pane illo torqueri propter vocem*; Hoc eſt. *Alludebat autem ad fidem conſecrationis hujus Sacramenti, quæ id operatur, ut ex pane verum Corpus Chriſti efficiatur. Sæpius ergò hâc confeſſione repetitâ, tandem cum fragore egrediens, liberam reliquit hanc obſeſſam. Adfuerunt hominum decem millia. Notarii publici acta conſignarunt: hoc enim præſertim agebatur contra Calviniſtas, ut divino teſtimonio probaretur veritas Chriſti Domini exiſtentis in hoc Sacramento. Vndè & multi in fide confirmati ſunt, & aliqui hæreſim abjurarunt huic ſpectaculo præſentes. Latius refert hanc hiſtoriam Florimundus* *Exempla.*

L. 2. c. 12. de ortu hæreſeos.

dus Remundus, qui & ipſe præſens fuit (teſtis meo judicio, omni exceptione major) hocque miraculo, ne in hæreſim laberetur, præſervatum ſe fuiſſe fatetur.

Eandem conſcripſit Wil. Lindanus Epiſcopus Ruremunenſis, *reſponſ. ad Ioan. Campani Calvinizantis libellum.* Cornel. Gemma Lovanienſis Doctor & Regius Medicinæ Profeſſor. *l. 2. c. 2. de natura divina characteriſmis* Bredemb. *in collat. l. 1. c. 3.*

I. Quando hæretici volunt errorem ſuum in hac materia tueri, offendunt ne Deum graviter?

R. Ita. Impingunt enim Chriſto Domino, qui eſt prima veritas, mendacium, qui clarè, & manifeſtè dicit: *Hoc eſt corpus meum.* Planum id fiet ſubjecto exemplo.

L. de Sacram. Altaris c. 63.

Exemplū.

Thomas Waldenſis Eximius S. Theol. Doctor l. contrà Wiclef. ſic ait: Hiſtoriam refero, quam ego præſens vidi oculis carnis meæ in Cathed. Eccleſia S. Pauli Londini, ubi Venerandus Cantuarienſis Antiſtes, felicis recordationis Thomas Arundelius, filius & frater Comitum, pro loco judicii (aſſiſtentibus ſibi Norvicenſis Eccleſiæ tunc Præſule, & aliis) reſidens in Epiſcopali ſede, verba quadam & interrogationes proponebat de fide Euchariſtiæ ad quemdam ſartorem de partibus Wigorniæ, deprehenſum in hæreſi. Cumque flecti omninò non poſſet, nec aliud quàm benedictum panem ſacratiſſimam Hoſtiam nollet appellare vel credere, tandem juſſus facere reverentiam Hoſtiæ, reſpondit blaſphemus: Verè, inquit, dignior eſt aranea reverentiâ. At illicò de alto culmine Eccleſiæ deſcendens ingens & horrida araneâ, ad os blaſphemi directo filo pervenit. Et dum ſartor loqueretur, ut intraret per polluta labia aranea ſollicitè laborabat. Adſtitit illuſtris Princeps Thomas, Oxonienſis Dux, tunc Regni Cancellarius, & prodigium vidit. At prædictus Archiepiſcopus ſtatim ſurgens cum aliis exponit, omni illic populo collecto, quid ultrix manus Domini faceret in blaſphemum: nec mors, qui pretioſiſſima Carni Agni immaculati prælegit araneam, peccatricem carnem ſuam flammis devorandam amiſit, ut eſſet favilla pejor araneâ.

I. Dicunt hæretici verba Chriſti non eſſe clara; adeoque diverſas eorum comminuſcuntur interpretationes.

R. Ad hoc dico, verbo Dei ſcripto ſemper jungendum eſſe communem Eccleſiæ ſenſum, & traditionem; quæ eſt vera & infallibilis regula, ſecundùm quam oportet Scripturas interpretari, ut alibi dictum eſt.

I. Eſtne igitur communis Eccleſiæ ſenſus, & promiſcua Patrum interpretatio, quod doces de vera & reali præſentia Corporis Domini in hoc Sacramento?

R. Ita; quemadmodum jam præmiſimus magis patebit tum ex teſtimoniis hujus veritatis irrefragabilibus, quæ communi ſenſu Patres, qui omni tempore in Eccleſia floruerunt, nobis ſuppeditarunt, tum etiam ex anathematibus per Eccleſiam Catholicam contra hæreticos vibratis.

I. Demonſtra mihi quod Patres omni tempore hanc veritatem docuerunt?

R. Non eſſet finis ſi vellem eorum teſtimonia integra in lucem proferre; ſufficerit mihi quod Auctorum nomina bonâ fide prodam, notemque loca in quibus hanc veritatem aſtruunt, ordine temporum ſervato.

RRIMUM SÆCULUM.

1. JESUS Chriſtus Filius Dei. Joan. 6.
2. S. Matthæus Apoſtolus & Evangeliſta. c. 26.
3. S. Marcus Apoſtolus & Evang. c. 14.
4. S. Lucas Apoſtolus & Evang. c. 22.
5. S. Paulus Apoſtolus & gentium Doctor. 1. Cor. 11.

6. S.

Digitized by Google

6. S.Andreas Apoſtolus *In actis paſſionis ejus.*

7. S. Jacobus *in Lyturgia refertur d. 1. c.Iacobus.*

8. S. Martialis *in epiſtola ad Burdegal. c 3.*

9. S.Dionyſius Areopag. *Hier. Euchariſtia c 3.*

10. S.Ignatius B.Joannis Apoſtoli diſcipulus *in epiſtola quam ad Romanos direxit.* Item *in epiſt ad Epheſ.*

SECUNDUM SÆCULUM.

Anno 100.

11 S. Alexander Papa & Martyr. *in epiſt. ad omnes orthod refertur de conſecr.diſt.2.*

12. S. Teleſphorus Papa *epiſt. ad omnes Epiſcopos.*

13. S Juſtinus Martyr, *Apol.ad Antoninum Pium Imp.*

14. S.Pius Papa & Martyr, *Diſt.2 c.ſi per negligentiam.*

15. S.Soter Papa & Martyr, *Diſt.2. c.in cœna.*

16. S. Ireneus Epiſcopus Lugdunenſis, *L cont.hæreſ.c.32.& 34.*

TERTIUM SÆCULUM.

Anno 200.

17. TErtullianus *l.1 de reſurrectione carnis c. 8. & l. contra Marcionem & alibi.*

18. S Pontianus Papa & Martyr. *Epiſt ad Felicem Succribenem.*

19. Antherus Papa & Martyr. 11 *q 3 abſit.*

20. Origenes *ſup.l.num.hom.7.* Item *ſup. Matt.Hom.35.*

21. S Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis & Martyr *ad Cornel. Pap. de cardin. operibus Chriſti, & in l. de cœna Domini.* Item *Epiſt.63. & alibi.*

22. S Laurentius Martyr, Diaconus S, Xiſti Papæ *in actis Martyrii.*

23. Arnobius Presbyter *in Pſal.119.*

QUARTUM SÆCULUM.

Anno 300.

24 LActantius Firmianus *l.2. cont.Neſtorium.*

25. S.Silveſter Papa *in decretis.*

26. S.Macarius Hieroſolym. *de conſec.d. 1 Nullus.*

27. S. Alexander Epiſcopus Alexand. *in Conc.Niceno, cum 318 Epiſcopis relat. diſt 93.pervenit ad Sanctum.*

28. Euſebius Cæſarienſis, Paleſtinæ Epiſcopus *l. 1. demonſt. Evang. c. 10.*

29. Juvencus Presbyter *l. 4. Evang. hiſt.*

30. S. Julius Papa *L. de conſec. diſt. 2. cùm omne §.* cùm enim Magiſter Veritatis.

31. S. Athanaſius Epiſcopus *ſup.c 5.& 10. 1 ad Cor.*

32. Cyrillus Hieroſol. Epiſcopus *Catechiſ.4.& 5.*

33. S Hilarius Epiſcopus Pictavienſis *l.8. de Trinit.*

34. Optatus Milevit. *l.2 contra Parmen. Donatiſt.*

35. S.Gregor.Nazianz. *in carmine ad Epiſcopos.*

36. S.Baſilius Magnus *in reg.brev.interrog.172.& in tract.de Baptiſmo.*

37. S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, & Eccleſiæ Doctor *l. 4. de Sacram. c. 4. & de iis qui myſt. init. c.9.*

38. S. Gregor. Nyſſen. *ſerm de divin.Sacram.*

39. S.Hieron.Presbyter,Eccleſiæ Doctor *Ep.ad Hedib.q 2.*

40. S. Joannes Chryſoſtom. Epiſcopus Conſtantinop. *Hom. 2. ſup. 2 ad Timot. Hom. 24. ſup. 1. Cor. 10. Hom. 61. ad pop. hom. 83. in Matth. & alibi.*

Digitized by Google

QUINTUM SÆCULUM.

Anno 400.

41. S. Monica S. Auguſtini Mater *l.9 & 11. confeſſ. eiuſd. Aug.*

42. S. Auguſtinus Epiſcopus, & Eccleſiæ Doctor *Ep. 118. tract. 26. in Ioan. l. 12. cont. Fauſt. cap. 10. in tit. Pſ. 33 & alibi ſæpè.*

43. S. Cyril. Alexand. cum aliis 200. Patribus *in Concil. Epheſino*, *& l. 4. ſup. Ioan c 7*

44. Euſebius Emiſſ. *in decreto conſec. diſt. 2.*

45. Sozomenus Græcus auctor *l. 8. hiſtor. trip. c. 1.*

46. S. Leo Papa *ad Conſtantinop.*

47. S. Proſper Epiſcopus *ſup. Pſal. 101.*

48. S. Fulgentius Epiſcopus *ad Monimum.*

SEXTUM SÆCULUM.

Anno 500.

49. S. Avitus Epiſcopus Viennenſis *l. 3. de tranſitu maris rubri.*

50. S. Benedictus Abbas *in regula c de lectore ad menſam.*

51. S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis *in Conc. 11 Turon.*

52. S. Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis, *l. 4. c. 5. vita S. Martini Turonenſis.*

53. Gregorius Turonenſis *l. 2. mirac. S. Martini c. 25.*

54. Caſſiodorus Abbas *in expoſ. Pſalm. 109.*

SEPTIMUM SÆCULUM.

Anno 600.

55. S. Gregorius Papa & Eccleſiæ Doctor *4 Dial. c 48.*

56. S. Joannes Eleëmoſynatius *in Vitis Sanctorum Patrum.*

57. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *in l. de orig. offic. c. 18.*

58. S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus *in quodam ſerm. ad Monachos.*

59. S. Gregorius Patriarcha Conſtantinop. cum aliis 150. Patribus *in Synodo 6 refertur diſt. 29.*

60. S. Sergius Papa *de conſec. diſt. 2.*

OCTAVUM SÆCULUM.

Anno 700.

61. V Ener. Beda Presbyter *in hom. diei Octava Epiphaniæ.*

62. S. Joannes Damaſcenus *l. 4. orthod. fidei c. 14.*

63. S Bonifacius Epiſcopus Moguntinus *de conſe c d 3. c. vaſa.*

64. Paulus Diaconus *in vita S. Gregorii Magni.*

65. Alcuinus Præceptor Caroli Magni *ſup. c. 6. S. Ioan.*

NONUM SÆCULUM.

Anno 800.

66. H Aymo Alberſtatenſis Epiſcopus, *ſup. 1. Cor. 11.*

67. Rabanus Moguntinus *in l. de Corpore & Sanguine Domini c. 12.*

68. Strabus Fuldenſis Monachus *in Gloſſa ordin. ſup Matt. & ſup. Pſ. 108. ad verſ. Tu es Sacerdos in æternum.*

69. S. Nicolaus Papa I. *in Epiſtolis.*

70. Theophil. *ſup. c. 6 Ioan.* Item *ſup. Matt. 26. & ſuper c. 8. ad Hebr.*

71. Remigius Altiſiodorenſis *l. in Canonem.*

DECIMUM SÆCULUM.

Anno 900.

72. P Aſchaſius Abbas Corbienſis *in l. de Sacramento Altaris.*

73. Theodorus Papa *in Summa, rubrica 41.*

74. S Oddo primus Abbas Cluniacenſis *l. collat. 1 c 12.*

75. S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus *in ep. ad Adeodatum.*

76 Sto-

Digitized by Google

76. Stephanus Eduenſis Epiſcopus *in opuſc. de Sacram. Altaris c.15.*

77. Radulphus Flaviacenſis *in Levit. c. 14.*

UNDECIMUM SÆCULUM.

Anno 1000.

78. S. Bruno Herbipolenſis Epiſcopus *in Pſ. 109. verſ. 5.*

79. Petrus Damiani Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis *l. mirac ſui temporis.*

80. Algerus Monachus Corbienſis *toto libro de Sacramento Corporis Chriſti.*

81. Lanfrancus Cantuarienſis Epiſcopus *l. de Corpore Chriſti adverſ. Berengarium.*

82. Guigondus Epiſcopus Averſanus *de eodem cont. Berengarium.*

83. S. Yvo Epiſcopus Carnotenſis *in Epiſtolis.*

84. S. Bruno Carthuſiani Ord Inſtitutor. *in 1. Cor. 11.*

85. S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis *l. de myſteriis Eccleſiæ contra Berengarium.*

86. Rupertus Tuitienſis Abbas *l. 5. de divin. offic c. 15.*

87. Odo Cameracenſis Epiſcopus *in expoſit. canonis Miſſæ.*

DUODECIMUM SÆCULUM.

Anno 1100.

88. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis *l. 1 Epiſtolarum*

89. Hugo de S. Victore *l Monaſtica inſtitutionis c 50.*

90. Richardus de S. Victore *ad B Bernardum ſup. illud*: Expurgate vetus fermentum.

91. S Bernardus Clarevallenſis Abbas *in Solemnitate omnium Sanctorum ſerm. 1.*

I. Ecce plus ſatis teſtium, ad evidenter demonſtrandum quæ fuerit fides antiqua Eccleſiæ Catholicæ Romanæ de Sacramento Altaris.

R. Planè, ut ſupervacaneum cenſeam reliquarum ætatum & ſæculorum teſtimonia ex ſelectis Doctoribus & Patribus attexere (quod mihi ad manum & in promptu foret) cum ipſi hæretici deprehendant templa, altaria, vaſa ſacra, quæ apud nos etiamnum extant ad uſum ſacroſancti Miſſæ ſacrificii pridem erecta & conflata. ut nullo modo poſſint inficiari antiquiſſimum ab initio Eccleſiæ ſacrificandi ritum in hodiernam uſque diem perſeveraſſe, adeoque primam ab Apoſtolorum temporibus fidem de ſacræ Euchariſtiæ Sacramento & ſacrificio nuſquàm interruptam, in Eccleſia Romana perdurare. Quid ergò tantoperè diſceptandum? Legitimè poſſidemus in Eccleſia Catholica Romana ſacra hæc myſteria, & uſque in finem mundi non auferetur Sacerdos, neque ſacrificium. Quid fruſtrà moliuntur adverſarii? poſſeſſionis maximam eſſe vim non ignorant, ſi Juriſprudentiam viderunt. Meritò de præſcriptione contra illos ſcripſit Tertullianus ſæculo ſecundo poſt ædificatam à Chriſto Eccleſiam. En quantis ſæculorum incrementis corroborata eſt & præſcripta Catholicorum poſſeſſio: Fruamur ergò ipſi maximis Dei muneribus in nos collatis, & quas divinæ bonitatis gratias debemus, ſacrificium laudis inceſſanter offerentes, exſolvamus.

I. At non ceſſant continuò proferre diverſa *Quare & Quomodo*, murmurantes & cum Judæis litigando ad invicem dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Joan. 6.

R. Dicendum illis quod olim Auguſtinus Feliciano. *Hoc fides credit, intelligentia non requirat, ne, aut non inventum putet incredibile; aut inventum non credat ſingulare.* Et rurſum: *Hæc ſunt quæ fidem neceſſariò exigunt, rationem non admittunt: expetunt ſimplicem creditorem, arguunt impium diſcuſſorem* Et: *In homine carnali tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi. Quod ſolent* *Aug. ſerm 147. de tem.*

videre, credunt, quod non ſolent, non credunt: præter conſuetudinem facit Deus miracula quia Deus eſt. Quare non credimus? Deus eſt qui fecit.

I. Fuitne iſta hæreſis diligenter ab Eccleſia condemnata?

Hæreſis Sacramẽtariorũ ab Eccleſia Rom. condemnata.

R. Ita. Nam Berengarius hoc dogma novum in lucem proferens, damnatus fuit in Conc. Vercellenſi, ſub Leone IX. Rurſum in Turonenſi ſub Victore II. ubi præſens convictus Berengarius, publicè hæreſim ejuravit; ſed relapſus, in Romano Conc. centum & tredecim Epiſcoporum ſub Nicolao II. rurſum convictus libros ſuos cremavit, & palinodiam cecinit. Mox ſecundò relapſus tertiò in Concil. Rom. ſub Gregorio VII. errorem ſuum damnavit hâc fidei confeſſione, quam refert Thom. Waldenſis to. 2. de Sacram. c. 43. *Berengarius corde credo, & ore confiteor panem & vinum converti in veram & propriam ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Chriſti, qui de latere effluxit, non tantùm per ſignum, ſed etiam in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ.*

Habetur C. conſec. diſt. 2. c. Ego Berengarius.

I. Fuitne etiam veritas iſta diligenter explicata, declarata, & definita, in ſolemnibus Eccleſiæ comitiis?

R. Ita, in octo conciliis generalibus: ſcilicet; in Niceno I. Niceno II. Romano ſub Nicolao II. in Lateran. Viennenſi, Conſtantienſi, Florentino & Tridentino: & in Provincialibus plurimis. Vide Joan. Garetium, qui per ſingulas, hoc eſt, ſexdecim à Chriſto annorum centurias teſtimonia Patrum & Conciliorum ordine recenſet; ubi etiam adfert confeſſionem ejuſque fidei Eccleſiarum Syriacæ, Æthiopicæ, Armenicæ, & Indicæ.

LECTIO XI.

MIRACULA.

I. Oſtenditne Deus aliquando evidenter per miracula realitatem præſentiæ Corporis Domini in Sacramento?

R. Ita, frequentiſſimè. Pauca hîc, ſed ſelecta adſcribemus. Plura enim alia ſparſim in hoc c. 4 reperientur.

MIRACULUM I.

Matrona quædam B. Gregorio per Stationes publicas Miſſarum ſolemnia celebranti, ſolitas oblationes obtulerat. Cui poſt myſteria traditurus cùm diceret: *Corpus Domini* JESU *Chriſti conſervet animam tuam*: laſcivia ſubriſit; ille autem continuò dexteram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici Corporis ſuper altare depoſuit. Expletis verò Miſſarum ſolemniis, matronam coram populo inquiſivit, quam ob rem corpus Dominicum ſumptura ridere præſumpſerit: At illa diu muſſitans, tandem prorupit: quia panem, inquiens, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe ſe in orationem proſtravit: & poſt paululum ſurgens, particulam panis, quam ſuper altare poſuerat, carnem factam reperit. Quam coram cunctis incredulæ matronæ demonſtrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quàm totum populum confirmare curavit. Rurſus itaque in orationem cum eiſdem proſtratus, carnis fruſtum in panis primordia reformavit.

Paulus Diac. in vita Gregorii magni, & Joan. Diac. in ejus vita l. 2. c. 4. Vinc. Bellua. l. 23. c. 30. & alii.

MIRACULUM II.

Quidam alius & ipſe maculatus (per communionem Ethnicæ ſuperſtitionis) ſacrificio à Sacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Dei edere, & tractare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit, & documento unius oſtenſum eſt Dominum recedere cùm negatur, nec immerentibus ad ſalutem pro-

Cypr. l. de lapſis.

Digitized by Google

prodeſſe quod ſumitur, cùm gratia ſalutaris in cinerem ſanctitate fugiente mutetur.

MIRACULUM III.

Beato Baſilio in Feſto Paſchæ myſterium celebrante, Hebræus quidam ſe, ſicut Chriſtianus populo commiſcuit, officii volens explorare myſterium. Qui vidit infantem partiri in manibus Baſilii, & communicantibus omnibus dari; venit ipſe, & data ei Hoſtia verè caro eſt facta; & ſervans reliquias abiit in domum ſuam, oſtendens uxori ſuæ, narrans quæ propriis oculis viderat. Accedens ergò, ait, verè horribile & admirabile eſt Chriſtianorum Sacramentum. In craſtino venit ad Baſilium, & Baptizatus eſt cum omni domo ſua. *Amphiloc. Epiſcopus in vita Baſilii Magni. S. Tho. opuſc. 58. de Sacram. altaris c. 11.*

I. Eſtne aliquando reverentia à brutis animantibus ſacroſanctæ Euchariſtiæ exhibita?

MIRACULUM IV.

S. Anton. in Chron. hiſt. p. 3. tit. 24. § 2. Sur. tom. 3. die 13. Iunii.

R. Ita. S. Antonius Paduanus agens Toloſæ, dum de ſanctiſſimo Sacramento cum quodam hæretico diſputaret, ille rationibus Sancti convictus, in hæc verba erupit: Omiſsâ verborum contentione, ad rem veniamus. Reſpondit Sanctus, placet conſilium: tum hæreticus, mulam habeo, quam triduano jejunio maceratam in populi conſpectum adducam, egoque illi hordeum, tu Sacramentum tuum oſtendes. Si verò poſthabitâ avenâ properarit ad adorandum Sacramentum tuum, ego ſimiliter credam, & ſupplex illud adorabo. In nomine Domini, inquit Antonius. Interim res per urbem divulgatur, ac per multa alia Franciæ loca. Cum tertius dies adeſſet, uterque in publicum prodiit cum innumerabili populo. Curat Antonius excitari aram, in eaque ſacrum Miſſæ fecit. Circumſtabant plurimi cum accenſis facibus avidè expectantes rei exitum. Tandem S. Antonius ante Communionem hoſtiam in manus accepit; hæreticus verò hordeum ſacco exemit; mulaque ſoluta magno impetu in pabulum ferri cœpit: ſed cùm S. Antonius ſacram Hoſtiam manu tenens ad mulam converſus plenus fide dixiſſet: in virtute hujus Domini in hoſtia exiſtentis tibi præcipio, ut relicto hordeo continuò accurras, & tuum Conditorem agnoſcas & adores. Ecce jumentum neglecto pabulo ſuo, ad poplites uſque ſubmiſſo capite acceſſit, & genibus flexis Dominum ſuum in ſacra Hoſtia adoravit. Hæreticus converſus eſt, Catholici autem ingenti gaudio perfuſi Deum benedixerunt.

Iumentū ſacram Hoſtiam adorat.

I. Compulſine ſunt etiam dæmones interdum à noxa ceſſare per ſanctiſſimi Sacramenti præſentiam?

MIRACULUM V.

R. Ita. S. Auguſtinus l. 22. de civit. Dei c. 8 ſcribit, cùm ſuo tempore Heſperii viri tribunitii domus, ſpirituum malignorum vim noxiam etiam cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum perpeteretur, totam illam vexationem per ſacrificium Corporis Chriſti à Presbytero in ea oblatum, Deo protinus miſerante ceſſaſſe. Quod miraculum S. Auguſtinus ab ipſo Heſperio cognovit.

Dæmones virtute Euchariſtiæ à noxa ceſſāt.

MIRACULUM VI.

S. Bernardi tempore homo quidam inops, ſed bonus Chriſtianus, ſua conjugis adultera maleficiis indies mirè excruciatus & conſumptus, ad ipſum S. Bernardum adducitur; qui cognito ejus cruciatu, miſericordiâ commotus, curavit hominem per ſuos fratres duci in Eccleſiam: ubi cùm capiti ejus impoſuiſſet S. Sacramenti ciborium, illicò ab omni maleficio

Guilielmus in vita S. Bern. l. 1. c. 10.

Maleficia per Euchariſt. ſolvuntur.

Digitized by Google

leficio miſer homo liberatus & ſanus domum reverſus eſt.

MIRACULUM VII.

Sur. tom. 4 *LEgitur in vita S. Claræ temporibus illis quibus Imp. Fridericus Eccleſiam vehementer opprimebat, accidiſſe quòd Saraceni gens peſſima, in Monaſterium illius irrueret. Cumque cæteræ Moniales formidine plenæ, trepidantes, ad Matrem accurrerent, eique hæc cum lacrymis referrent: illa impavida corde, arrepto ſacratiſſimo Corpore Chriſti, ad oſtium proceſſit, illudque eo in loco, per quem hoſtes aſcenſum moliebantur, tanquam fidele ſcutum conſtituit: deinde ſe totam in oratione coram Domino proſternens, Chriſto cum lacrymis ait:* Placetne, mi Domine, inermes ancillas tuas quas in tuo amore enutriviſti, manibus tradere paganorum? *Moxque de nova gratiæ propitiatorio vox quaſi puerili ad ejus aures inſonuit:* Ego vos ſemper cuſtodiam. *Nec mora, ſtatim canum illorum pavefacta audacia, & per muros, quos aſcenderant, celeriter deſcendentes, virtute Chriſti deturbati ſunt.*

Virtute Euchariſtiæ ab hoſtibus etiã viſibilibus protegitur S. Clara cũ Sororibus

I. Malène mulctavit Deus eos qui ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum indignis modis tractarunt?

R. Ita.

MIRACULUM VIII.

OPtatus Milevitanus l. 2. in Parmenian. refert hiſtoriam admirabilem; quæ in Africa contigit, nimirùm fuiſſe ibi Vrbanum Formenſem, & Felicem Idicrenſem, ſceleratiſſimos Donatiſtarum Epiſcopos, qui ut populum ab hujus Sacramenti Euchariſtiæ cultu ac religione averterent, eandem in omnium præſentia canibus comedendam objecerunt. Sed ô rem ſtupendam! divino judicio factum eſt, ut iidem canes rabie accenſi, relictâ ſacroſanctâ Euchariſtiâ, Dominos ſuos quaſi latrones ſancti Corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos atque inimicos dilaniarint.

I. Præclara ſunt iſta miracula & teſtimonia pro veritate Euchariſtiæ hactenùs adducta.

R. Omninò. Amplius tamen Catholici deferunt ipſi Dei verbo, & ſuæ ipſorum fidei, quàm omnibus iſtis teſtimoniis, & probationibus.

I. Proba hoc exemplo?

R. Anno milleſimo ducenteſimo, quinquageſimo octavo, cùm quidam Presbyter Miſſam Pariſiis celebraret in ſacello quodam aulæ regiæ, populoque oſtendendam diviniſſimam Euchariſtiam ſuſtuliſſet in altum, pro ſpecie panis, plurimi qui aderant, conſpexére formoſiſſimum puerum. Quocircà nonnulli togarunt Presbyterum ut tamdiu ſubſiſteret manibus in altum porrectis, quoad Rex accerſeretur. Certior autem tanti miraculi factus Rex Ludovicus negavit ſe eò profecturum, quod non credentibus hæc ſigna exiſterent, ſibi verò perſuaſiſſimum verè in Euchariſtia Chriſti Corpus eſſe. *Thom. Bozius l. 14. de ſignis Eccleſ. c. 7. nu. 5.* *Magna fides S. Ludovici Regis Franciæ.*

I. Sed dicunt hæretici ſe plurimum difficultatis invenire ob rationes ſequentes.

Prima, difficile creditu eſt, quod accidentia maneant in Sacramento abſque ſubjecto.

Secunda, quod unum corpus tantæ molis, ſicuti eſt corpus Chriſti tam parum loci occupet.

Tertia, quo pacto fieri poteſt, ut unum corpus in tam multis locis inveniatur.

Quarta, videtur indignum, quod pretioſiſſimum Domini Salvatoris Corpus manducetur ab homine.

R. Dico primò Huc revoca quæ ſuperiori lectione ad eorum *Quare* & *Quomodo* diximus ex S. Auguſtino. Addo tamen hic quod idem S. Doctor ad ſimiles ratiunculas reſpondit aliquando; *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei huma-* *L. 2. de civ. c. 11.*

humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas! & Bernardus: *Quid magis contra rationem quàm ratione rationem conari tranſcendere? & quid magis contra fidem, quàm credere nolle quicquid non potes ratione attingere?* Vide etiam quæ nos p. 1. c. 1. ſect. 1. diximus.

Dico ſecundò, & peto ego ab hæreticis, ut dicant: quomodo Angelus totus eſt in puncto? quomodo Deus eſt ubique? quomodo anima tota eſt in toto corpore, & tota in ſingulis ejus partibus? Et, ſi hæc dicere, aut capere nequeunt; quomodo præſument ſe myſterium Euchariſtiæ capere poſſe? Credant Deo omnipotenti idipſum aſſerenti, etſi modum non intelligant; plura poteſt Deus facere, quàm homo poſſit intelligere, inquit Auguſtinus. Et, *cùm Deus operatur, non quæramus quomodo, ſed operis ſui viam atque ſcientiam illi ſoli concedamus,* inquit B. Cyrillus ſup. c. 6. Joan. ut hic locum habere debeat illud S. Thomæ Aquinatis:

Hymnus Eccleſiæ.

Et, ſi ſenſus deficit:
Ad firmandum cor ſincerum
Sola fides ſufficit.

Reſpondetur ad 1. difficultatem.

Nihilominùs, ut curioſis ingeniis hoc tribuam, reſpondeo ad primam difficultatem. Uxor Loth reſpiciens retrò dum fugeret ab incendio Sodomæ & Gomorræ, verſa eſt in ſtatuam ſalis. Ecce mirabilis valdè mutatio. Videamus, ſi placet, accidentia, & omnem exteriorem ejus formam. Omnes qui eam aſpiciebant, nihil aliud videbant, quàm exteriorem formam uxoris Loth, nimirùm ejus ſtaturam, figuram, colorem; non erat interim uxor Loth. Quemadmodum igitur ſubſtantia hujus fœminæ, id eſt, caro, ſanguis, oſſa, nervi, mutati ſunt in ſalem, & nihilominùs apparentia exterior, ſive accidentia manſerunt in ſuperficie ſtatuæ, ſicuti antea inhæſerant fœminæ. Ita contingit in hoc ſanctiſſimo Euchariſtiæ myſterio, ubi panis ſubſtantia mutata eſt in Corpus Domini, qui ſub accidentibus panis & vini, latet *vere Deus abſconditus Salvator*; ideò quod ex ſenſuum judicio dixeris eſſe panem & vinum, ubi in rei veritate nihil eſt, quàm vel apparentia panis & vini, ſub quibus quaſi ſub tegumento latet Chriſtus Dominus, non tantùm ſecundùm divinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem. Ibi omnes ſenſus falluntur, excepto auditu. Viſus videt colorem & figuram panis; guſtus guſtat ſaporem panis; tactus tangit figuram orbicularem & levitatem panis; ſolus auditus verum audit, ſcilicet: *Hoc eſt corpus meum.*

Gen. 19.

Iſaiæ. 45.

Reſpondetur ad 2. difficultatem.

Ad ſecundam difficultatem *dico primò*, Deus poteſt totum mundum inſerere globulo magnitudinis v. c. unius pomi, uam Deus omnipotens eſt; cur igitur non poſſit proprium corpus ponere in parva hoſtia, imò in hoſtiæ parvæ minimis particulis.

Dico ſecundò, docet Chriſtus Dominus in Evangelio, *faciliùs eſſe camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Atqui camelus major eſt corpore Chriſti, & foramen acus minus parvâ hoſtiâ: interim Deus poteſt facere (& non raro facit) ut dives intret in regnum cælorum, & conſequenter ut camelus intret per foramen acûs, poteſt igitur à fortiori ratione, & cum majori facilitate efficere, ut corpus ſuum ſub panis, & ſanguis ſub vini accidentibus contineatur.

Matt. 19.

Veritas Euchariſtiæ circulo demonſtratur.

Illuſtratur hæc veritas exemplo circuli, nam à quolibet circuli puncto poſſunt lineæ rectæ & diametrales duci ad centrum ſive medium circuli punctum: centrum igitur continet in ſe, & terminando excipit omnes haſce lineas: ergò ipſum ſolum reſpondet, & quaſi adæquatur ipſi toti circulo, ejuſque peripheriæ: ſimili modo, punctum hoſtiæ in Euchariſtia capit omnes lineas Corporis Chriſti, omnemque ejus quantitatem & peripheriam.

Demonſtratur.

Tertiò, myſterium Euchariſtiæ eſſe poſſibile patet ex myſterio Incarnatio-

Digitized by Google

ex myſterio Incarnationis,

nis, in quo ſecundùm Iſaiæ oraculum Virgo concepit & peperit; quod pari blaſphemiâ ſicut & hoc Sacramentum negat Calvinus; ſi enim Deus poteſt facere ut duo corpora, v. g. corpus Virginis & corpus Chriſti ſint in eodem loco, cur non poteſt facere ut unum idemque corpus Chriſti ſit in pluribus locis & altaribus? Rurſum, cur non poſſit facere, ut totum corpus Chriſti ſit in parva hoſtia? Si enim poteſt plura tota corpora ponere in eodem loco, cur non poteſt partes ejuſdem corporis ponere in eodem loco? v. g. in parva hoſtia, imò in puncto? hæc enim tria planè paria ſunt, ſcilicet æquè difficilia & naturæ repugnantia, paremque virtutem & potentiam, ut fiant, requirunt. Tam enim difficile eſt, unum locum adæquari pluribus corporibus, quàm unum corpus adæquari multis locis. Id ipſum miraculo non ſemel confirmavit Deus. Illuſtre eſt quod refert S. Auguſtinus de Petronia clariſſima fœmina, quæ ex deſperato morbo miraculosè, audiens memoriam S. Stephani, ſanata eſt. Cùm enim pro remedio annulum ſuperſtitioſum à Judæo prius accepiſſet, quem capillaciá zonâ infereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur; pergente illa ad S. Stephanum, annulus integer, integra zona & illæſa ad pedes ejus exilit, quod miraculum ipſa futuræ ſalutis pignus accepit. *Non credunt hoc* (ait S. Auguſtinus) *qui etiam dum IESVM per integra virginalia matris enixum, & ad diſcipulos ſuos oſtiis clauſis ingreſſum eſſe non credunt. Sed hoc certò quærant, & ſi verum invenerint, illa credant. Clariſſima fœmina eſt, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat, ampla civitas, ampla perſona, rem quærentes latere non ſinunt.*

Miraculum.

Reſpondetur ad 3. difficultatem.

Ad tertiam cæptum eſt jam reſponderi. Addo tamen hic quoque expendi debere Dei omnipotentiam quæ ex aliis ejus operibus facilè colligi poteſt.

Primò, Deus animam noſtram ita creavit, ut quamvis unica ſit in uno corpore, inveniatur tamen tota in manu, tota in pede, tota in quibuslibet ejus partibus.

Secundò, quando naſcebamur, anima noſtra informabat corpuſculum unius dumtaxat pedis cum medio, modò implet & informat (abſque ulla ſui extenſione) corpus ſex pedum.

Tertiò, non pauci è Sanctis per Dei potentiam reproducti, eodem tempore inventi fuerunt in diverſis, diſtantibuſque locis, uti de S. Nicolao Magno legimus, qui in Eccleſia Myrenſi præſentialiter conſtitutus adivit Imperatorem Conſtantinum abſentem, impediturus ne ſententiam in inſontes ferret, & aliàs nautis in naufragii diſcrimine conſtitutis in mari ſuppetias laturus. Et de S. Antonio de Padua, qui in Italia exiſtens, eodem planè tempore in Hiſpania viſus eſt. Quare ergò non poterit Chriſtus in mille locis, imò ubicumque Miſſa celebratur, præſens ſiſti, ſi ejus fateare omnipotentiam?

Reſpondetur ad 4. difficultatem.

Quarta difficultas facilè diſſolvitur. Corpus Chriſti, inquiunt, manducamus. Indignum eſt, dicunt. Reſpondeo, Deus ita inſtituit & mandavit; nihil autem ipſe mandat, quod non ſit valdè bonum, honeſtum, & rationabile. Dic mihi, amabo, nonne Deus ipſe qui infinitis modis dignior eſt humanitate Chriſti, invenitur in quacumque eſca & potu, quæ ſumimus; imò in ſingulis rebus quas abjicimus? Eſtne indignum quod Sol in quemcumque locum vel fœtidiſſimum ſuos radios jaciat? conſpurcaturne fortè indè Sol, aut ejus radii? Quid igitur indignum patitur Corpus Chriſti glorioſum ex manducatione?

Ad hæc, non manducatur Corpus Chriſti à Fidelibus iſto groſſo & inhumano modo, quem ſibi fingunt hæretici cum Judæis c. 6. Joan. Hoc enim ſtolidum eſt, & indignum, quod de ſapientiſſima Chriſti inſtitutione credatur, & proindè caro Chriſti non mutatur

in

Digitized by Google

in noſtram, eſt enim ſpiritualis animæ cibus, qui famem ſpiritualem expellat, & repleat in bonis deſiderium noſtrum; undè dicebat S. Auguſtinus: *Tu non mutaberis in me, ſed ego mutabor in te.*

CONTROVERSIA HÆRETICORUM.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

I. CAlvinus, Zuinglius, Carolſtadius, Beza, & omnes Sacramentarii dicunt in cœna Dominica, ſive in Sacramento Euchariſtiæ nihil præter panem & figuram corporis Domini inveniri. *Calvinus l.4. inſtit. c.17. §.7.*

R. Docui ſuprà eum tota Eccleſia Catholica Chriſtum Dominum verum Deum & hominem in Sacramento verè, realiter, & ſubſtantialiter præſentem eſſe. Hanc veritatem probavi ex Scriptura, Patribus, miraculis. Difficultates etiam aliquot, quas ipſi movebant, diſſolvimus.

I. Sed multas alias objectiones opponunt; ac primò dicunt ex Apoſtolo: *Patres noſtri omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt.* At Judæi, de quibus loquitur Apoſtolus, non manducaverunt corpus Chriſti, neque biberunt ſanguinem Chriſti, niſi per fidem; ergò neque Catholici hodie aliter manducant carnem, aut bibunt ſanguinem Chriſti. 1.Cor.10.

R. Iſtud argumentum tanti valet quanti iſtud: Omnes Judæi manducaverunt idem manna in deſerto, & biberunt eandem aquam de petra, ſed neque manna, neque aqua de petra erat corpus, aut ſanguis Chriſti: ergò neque habent Catholici in ſuo Sacramento corpus aut ſanguinem Chriſti. Vide expoſitionem hujus loci apud Patres Græcos & Latinos, & deprehendes fraudes hæreticorum.

I. Objicit ſecundò Calvinus & dicit: *Spiritus eſt qui vivificat, caro autem non prodeſt quicquam.* Joan.6.

R. Itane verò! Inferam cum Calvino: ergò fruſtrà Verbum Caro factum eſt? ergò fruſtrà Caro Chriſti paſſa, cruci affixa, & mortua eſt? O blaſphemia! Senſus ergò eſt, q. d. Chriſtus virtus vivificandi quam habet caro mea, comeſta in Euchariſtia, non tam manat à carne quàm à ſpiritu verbi: qui eſt vivus & vivificans: ac conſequenter hæc carnis meæ manducatio, non fit modo carnali, carnem meam inſtar carnis ovinæ viſibiliter ſcindendo, maſticando, & manducando, ſed modo ſpirituali & ſpiritui accommodato, ſcilicet occultè & ſacramentaliter. Qui ſpiritualis ſive ſacramentalis comedendi carnem Chriſti modus, ſumendo ſpecies panis & vini, ſub quibus realiter latet Corpus & Sanguis Chriſti, ipſaque Deitas, nullum comedenti horrorem, nullam etiam læſionem aut noxam carni Chriſti comeſtæ infert: latet enim hic Chriſtus, eſtque inviſibilis ac indiviſibilis, inſtar Angeli. Ita Euthymius: *Spiritualia*, ait, *& vivifica ſunt. Oportet namque non ſimpliciter ea intueri* (id enim eſt carnaliter intelligere) *ſed aliud quidpiam imaginari, & interioribus oculis ea aſpicere tamquam myſteria.* In c. 6. Ioan.

I. Objiciunt tertiò. Chriſtus Dominus dixit: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Veritas carnis, inquit Calvinus, Chriſto teſte, probatur aſpectu & contactu; at in Euchariſtia nihil videtur, aut tangitur niſi panis, ergò non eſt ibi caro Chriſti. Luc.24.

R. Rectè ſequitur ex aſpectu & contactu carnis, veritas carnis; ſed ex eo quod non videtur caro, non rectè colligitur non eſſe carnem. Prius Argumentum eſt Chriſti, poſterius Calvini.

I. Objiciunt quartò ex Apoſtolo: *Et, ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum* 2.Cor.5.

Digitized by Google

ſum: ſed jam non novimus. Ergò inferunt hæretici, non oportet noſſe vel cognoſcere Chriſtum præſentem in Euchariſtia.

R. Simili modo ego infero, ergò deinceps in mundo nullus eſt cognoſcendus: dicit enim ibidem Apoſtolus: *Non ex hoc neminem cognovimus ſecundùm carnem.* Vade ergò hæretice, addiſce ſenſum Scripturarum.

I. Objiciunt quintò, Dicit Chriſtus:
Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*
1.Cor.11. Sed memoria eſt rerum abſentium, ergò Chriſtus non eſt præſens in Euchariſtia.

R. Offerimus in Miſſa Corpus & Sanguinem Chriſti paſſi, ſive in commemorationem Dominicæ Paſſionis, quæ non eſt præſens. Hæretici non poſſunt hanc reſponſionem impugnare, eſt enim Apoſt. 1. Cor 11.

I. Objiciunt ſextò, omnia verba relata ab Apoſtolo loco proximè allegato, ſcilicet *Accepit, benedixit, fregit, dedit,* reſpiciunt & referunt panem: ergò panem acceperunt & comederunt Apoſtoli, non Corpus Chriſti.

R. Hæc verba referunt panem, non qui manebat panis, ſed qui inter dandum vi verborum & conſecrationis Chriſti, convertebatur in Corpus Chriſti. Sic vulgò dicimus: Herodes S. Joannem incarceravit, occidit, ſepelivit; cùm tamen non ſepelierit eundem quem incarceravit, quia hominem incarceravit, cadaver verò occiſi ſepelivit.

Talis ergò, & æquè vulgaris eſt locutio Evangeliſtarum & Apoſtoli de Euchariſtia.

I. Objiciunt ſeptimò, Sacramentum Euchariſtiæ vocatur panis etiam poſt conſecrationem, ergò non eſt ibi aliud quàm panis.

R. Quantum ad exteriora ſymbola apparet panis. Secundò, uſitatum eſt Scripturis ut panis dicatur quidquid nos nutrit & ſuſtentat, non ſolùm quoad corpus, ſed etiam quoad animam; unde aperte dicit Salvator: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Tertiò, res ſæpè vocatur nomine rei ex qua facta eſt; ita Exodi 7. Virga Moyſis verſa in draconem, poſt illam verſionem dicitur virga devoraſſe virgas Magorum. Et Eva formata ex coſta Adami, dicitur os de oſſibus Adam. Et rurſum cæcus à Chriſto illuminatus, vocatur adhuc cæcus. Joan. 6. Gen. 2. Joan. 9.

I. Objiciunt octavò, Chriſtus Dominus dicit: *Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis, uſque in diem illum cùm bibam illud vobiſcum novum in regno Patris mei* Matt. 26.

R. Pronomen (hoc) cùm ait, *de hoc genimine vitis,* non præciſè ſignificare id, quod fuerat in calice conſecrato; ſed in genere vinum, quod erat in menſa, ex quo calix iſte repletus fuerat, tum in cœna Agni, tum in conſecratione Euchariſtiæ.

Secundò, Sanguis Chriſti poteſt vocari vinum (uti reſponſum eſt ad objectionem præcedentem) ſicut Corpus Chriſti à Paulo vocatur panis, nimirùm ratione ſubſtantiæ panis, quæ priùs ante conſecrationem fuit, & ratione ſpecierum ejuſdem, quæ poſt conſecrationem remanent: imò ipſæ ſpecies, ſive accidentia vini, quia nata & orta ſunt ex vite, rectè genimen vitis nuncupantur.

Tertiò, ſicut quævis eſca hebræa phraſi ſæpè vocatur panis, quia hic eſt communis omnium cibus; ita & quivis potus vocatur vinum, præſertim apud Italos, Syros & ſimiles, quibus communis omnium potus eſt vinum.

Verùm longè probabiliùs eſt Chriſtum Dominum hæc dixiſſe ante inſtitutionem Euchariſtiæ, de cœna & calice Agni Paſchalis: in Agni enim cœna circumferebatur calix vini, quem Pater-familias primus libabat, deinde mittebat in orbem ad omnes ex Agno comedentes, uti tradunt Hebræi. *Reſponſio 2 quæ ſolidior videtur.*

Probatur hæc ſecunda noſtra reſponſio, quia S. Lucas id aſſerit, qui utramque

cœnam

Digitized by Google

cœnam (quas Matthæus brevitati ſtudens, convolvit, & in unam redigit) diſtinctè enarrat, ac ante Euchariſtiam in cœna Agni, de ejus calice hæc à Chriſto dicta eſſe aſſeverat. Accedit quod idem planè de cœna priùs dixerit Chriſtus, ut ex Luc. 22 patet: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei*: & mox de calice Agni immediatè ſubjungit: *Et accepto calice gratias egit, & dixit: accipite & dividite inter vos, dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Denique ſtatim ſubjicit inſtitutionem Euchariſtiæ, ejuſque calicem à Chriſto conſecratum dicens: *Et accepto pane gratias egit, &c. Similiter & calicem poſtquam cœnavit dicens: Hic eſt calix novum Teſtamentum in Sanguine meo qui pro vobis tradetur.* Ubi nullam deindè geniminis vitis, nec vini novi bibendi in regno Dei facit mentionem. Lucas ergò diſtinctè hæc enarrans, diſtinctè pariter indicat in qua cœna hæc dixerit Chriſtus, ſcilicet in cœna Agni. Matthæus verò uti jam ſuprà diximus, has duas cœnas in unam redigit, dicens: *Cœnantibus autem illis, &c.* Quare ordo Lucæ hic potiùs ſequendus eſt, quàm Matthæi. Non pertinent ergò verba objecta ex Matt. 26. ad calicem Euchariſtiæ, in quo non erat jam genimen vitis, id eſt, vinum, ſed Sanguis Chriſti, in quem, poſt conſecrationem Chriſti tranſmutatum erat vinum. Ita cenſent S. Hieronymus, Lucas, Maldonatus, & alii recentiores Interpretes.

Joan. 12. I. Objiciunt nonò, Chriſtus dixit: *Pauperes ſemper habetis vobiſcum: me autem non ſemper habebitis.* Ergò Chriſtus non eſt in Euchariſtia.

Matt. ult. R. Chriſtus dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Ergò Chriſtus eſt in Euchariſtia. Uter veriùs concludit?

Secundò reſpondetur Chriſtum Dominum locutum alleg. c. 12 Joannis, de præſentia viſibili & corporali, qua cum hominibus verſabatur familiariter conveſcendo cum eis, & cui in propria perſona poſſet per unctionem & alia temporalia ſubſidia benè fieri.

I. Objiciunt decimò, Chriſtus Dominus dixit: *Si quis vobis dixerit: ecce hic eſt Chriſtus: aut illic, nolite credere.* Matt. 24.

R. Chriſtus manifeſtè loquitur ibi de Pſeudo-prophetis, ut patet ex conſequentibus. Talis fuit impoſtor ille, qui ſub Hadriano Imperatore finxit ſe Meſſiam, ideò vocari voluit Barchochabas, id eſt, filius ſtellæ, quaſi in eo impleretur illud Balaam de Meſſia vaticinium: *Orietur ſtella ex Iacob.* De quo Euſebius l. 4. hiſtor. c. 6. Tales Patrum ævo fuere David, Georgius, & Joannes Leidanus Rex Anabaptiſtarum, qui occupato Monaſterio urbe Weſtphaliæ, ibi ſe Regem Chriſtum conſtituit, ac duodecim Apoſtolos creavit, quos ad omnes vicinas civitates miſit, ut ad ſuum Chriſtum omnes adducerent; ſed à Catholicis obſeſſus & captus, in crate viminea ex apice turris ſuſpenſus, à muſcis, avibus & veſpis corroſus miſer Chriſtus interiit anno 1536. Num. 24. Senſus itaque eſt: *Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic*, id eſt vera Chriſti Eccleſia in hac mundi parte eſt, aut in illa. Ex quo hæretici convincuntur, non habere veram Eccleſiam, quæ Catholica, id eſt omni loco, & apud omnes eſſe debet. Ineptè ergò hæretici per Tò, *Si quis vobis dixerit: ecce hic eſt Chriſtus*, cenſent intelligi Catholicos, qui de Euchariſtia dicunt: *Ecce hic eſt Chriſtus*: Loquitur enim Chriſtus de hæreticis & Pſeudo-prophetis viſibilibus, qui ſe dicunt Chriſtos, ut diſcipulos poſt ſe abducant, non autem de Euchariſtia, ubi Chriſtus eſt inviſibilis.

LECTIO XII.

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

I. QUid eſt Tranſubſtantiatio?

R. Tranſubſtantiatio, de qua hic, eſt totius ſubſtantiæ panis & vini per conſecrationem converſio in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Domini.

I. Eſtne vox iſta (tranſubſtantiatio) congrua & idonea ad propriè ſignificandum admirabilem illam converſionem & mutationem ſubſtantiarum, quæ fit in Sacramento?

R. Ita. Maximè congrua & idonea, quemadmodum ſacra Synodus Tridentina declaravit ſ. 13, c. 4 & can. 2.

I. Quibuſnam verbis fit iſta tranſubſtantiatio?

R. Iiſdem verbis quibus fieri conſecrationem docuimus ſuprà, videlicet: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus*

I. Eſtne perinde per quemcumque tandem iſta verba pronuncientur ad tranſubſtantiationem ſive conſecrationem faciendam?

R. Minimè verò, pertinet id ſingulariter ad Sacerdotes in Eccleſia Catholica Romana ritè ordinatos. Vide quæ nos infrà p. 4. de Sacram. Ordinis c. 7. lect. 2.

I. Inveniturne in Sacramento aliquid poſt panis conſecrationem, quàm Corpus Chriſti?

R. Ita, adeſt quoque ibi anima & divinitas ejuſdem Domini noſtri JESU Chriſti; imò totus Chriſtus Dominus, verus Deus, verus homo, qualis ſedet ad dexteram Patris.

I. Continetur ne etiam Sanguis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis poſt conſecrationem?

R. Indubiè, nam corpus vivum, quale eſt Corpus Chriſti, non exiſtit abſque ſanguine.

I. Habeſne exemplum ad hanc doctrinam & veritatem comprobandam?

R. Ita. Vide infrà lect. ult. hujus cap. in fine.

I. Quicquid dixiſti, ſcilicet corpus, ſanguis, anima, divinitas, poniturne in Sacramento vi verborum iſtorum: *Hoc eſt Corpus meum*?

R. Non: ſed per verba conſecratoria panis, ponitur ſolummodò corpus, & per verba conſecratoria vini ſanguis dumtaxat: cætera omnia ibi inveniuntur per naturalem concomitantiam; ſunt enim hæc inſeparabilia: nam ubicumque Chriſtus eſt, ibi eſt verus homo, habens corpus & ſanguinem, membra, animam, & ibi ſimiliter eſt verus Deus omnipotens, duas habens naturas in unitate perſonæ conjunctas.

I. Quare dicis, quod tantum ſiſtatur Corpus Chriſti in Sacramento vi conſecrationis panis; & ſolùm ſanguis vi conſecrationis calicis?

R. Idcircò quod iſtæ formæ conſecratoriæ non plus ſignificent in ſuis terminis expreſſis: nam iſta verba *Hoc eſt Corpus meum*, non plus ſignificant, ſaltem expreſsè, quàm corpus Et hæc: *Hic eſt calix meus*, non plus ſignificant, quàm ſanguinem; Proprium autem hoc eſt formis ſacramentalibus, ut efficiant quod ſignificant, & nihil amplius. Hoc eſt, quòd Theologi dicunt, quando docent poſt conſecrationem panis ſolum corpus, *vi Sacramenti*, poni ſub ſpeciebus panis, & ſolum ſanguinem ſub ſpeciebus vini poſt conſecrationem calicis.

At verò, quia cætera quæcumque ad ſubſtantialem perfectionem Chriſti Domini veri Dei & hominis pertinent, non poſſunt deinceps ſeparari, neque à corpore, neque à ſanguine, idcircò conſequenter docent cætera adeſſe per *naturalem concomitantiam*.

I. Poſſeſne mihi aliquam familiarem iſtius rei ſimilitudinem adferre?

R. Ita.

Simile. R. Ita. Quemadmodum, quia auris in homine conjuncta eſt corpori, qui aurem trahit, totum corpus & animam trahit; ita in hac materia propter inſeparabilem connexionem omnium & ſingularum partium Domini noſtri JESU Chriſti, non poſſes vi conſecrationis panis, ponere corpus ejus ſuper altare, quin eodem inſtanti cætera concomitentur; neque ſanguinem per conſecrationem calicis, quin eodem planè inſtanti corpus & cætera omnia ſiſtantur, non vi ſacramentalis formæ; ſed per eam, quam diximus, concomitantiam. Si auricula in ſimilitudine poſita, ſeparata foret à corpore, proculdubiò, trahendo auriculam, non traherem corpus ab illa ſeparatum & diviſum: ſimili modo ſi quiſpiam Apoſtolorum in triduo mortis Chriſti pronunciaſſet conſecrationem, dicendo: *Hoc eſt Corpus meum*, tunc vi conſecrationis panis tranſubſtantiatus quidem fuiſſet in corpus Domini noſtri JESU Chriſti, ſicut modò; ſed cætera minimè adfuiſſent: nam uti corpus pro eo tempore erat realiter à ſanguine ſeparatum, per conſecrationem factam in illis diebus corpus & ſanguis ſub ſpeciebus alterutris inventa fuiſſent non conjunctim, ſed ſeparatim, divinitate cum utraque parte inſeparabiliter conjunctâ.

I. Si ita eſt, cur in Euchariſtia fit duplex conſecratio?

Conſecratio fit ſub duabus ſpeciebus duas ob cauſas. R. Separatim duæ conſecrationes fiunt, duas potiſſimum ob cauſas, quarum una ad Sacramentum, altera ad Sacrificium refertur. *Primò* enim, quantum eſt ex parte Sacramenti, maximè conſentaneum fuit, ut quoniam Sacramento Euchariſtiæ ad alendam animam nobis utendum erat, tanquam potus & cibus inſtitueretur, ex quibus perfectum corporis alimentum conſtare perſpicuum eſt. *Secundò*, ut Paſſio Domini noſtri JESU Chriſti, in qua ſanguis à corpore diviſus eſt, in ſacrificio Miſſæ magis repræſentetur, iſtius rei cauſa in conſecratione calicis ſanguinem effuſum eſſe meminimus in verbis illis: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Nihilominùs laicos una ſpecie contentos eſſe debere, dicemus infrà lect. 26. *Canon. Miſſæ.*

I. Tenemurne indubitatâ fide credere, Chriſti Domini corpus in quavis etiam minima utriuſque ſpeciei particula præſens eſſe?

R. Paſtores, & quicumque Catecheſim docent, in eo myſterio explicando diligenter verſari debent, quomodo Chriſtus Dominus non ſolùm in utraque ſpecie, ſed in quavis utriuſque ſpeciei particula contineatur; ut, ſi contingat (quod certè non rarò accidit) deficientibus conſecratis formulis particulas communicantibus præberi, non percellantur ipſi aliquâ dubietate, vel diffidentia de Sacramenti realitate. Sic enim Auguſtinus ſcriptum reliquit: *Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet ſingulis.* *Chriſtus totus etiam ſub minima hoſtiæ particula.* *Relat. de conſec. diſt. 2. c. ſinguli.*

Atque id prætereà ex Evangeliſtis facilè colligi poteſt. Neque enim credendum eſt ſingula panis fruſta propriâ verborum formâ à Domino conſecrata eſſe: ſed una & eadem ſimul omnem panem qui ad ſacra miniſteria conficienda, atque Apoſtolis diſtribuenda ſatis futurus eſſet. Id quod de calice factum eſſe apparet, cùm Dominus dixit: *Accipite & dividite inter vos.* *Conc. Trid. ſſ. 13. c. 3 in fin. & can. 3. & ſſ. 23 de Communione ſub utraque ſpecie.*

Id ipſum docuit S. Thomas his verbis:

Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento,
Quantum toto tegitur. *Sequentia Miſſæ in feſto Corporis Chriſti.*

I. Manetne in Sacramento ſubſtantia panis ſimul cum Corpore Chriſti?

R. Minimè, dicimus enim ſubſtantiam panis ſecundùm ſe totam converti in ſubſtantiam Corporis Domini: quod importat iſta vox, *Tranſubſtantiatio.*

I. Manetne in calice ſubſtantia vini ſimul cum ſubſtantia Sanguinis Domini noſtri?

R. Nullo modo; nam vi conſecrationis tota converſa eſt in ſanguinem Chriſti Domini. Vide hanc doctrinam de tranſubſtantiatione definitam in Conciliis Oecumenicis, Lateranenſi, Florentino, & Tridentino.

I. Interim non apparet aliud quàm panis & vinum etiam poſt conſecrationem. Nihil enim aliud videtur, non guſtatur aliud, neque aliud tangitur.

R. S. Ambroſius commentans verba iſta Pſalmi 139. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra.* Licet, inquit, figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credendum eſt. Unde ipſa veritas ait ad diſcipulos: *Hæc, inquit, caro mea eſt pro mundi vita.* Et (ut mirabiliùs loquar) non alia planè quàm quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulchro, hæc, inquam, ipſa eſt. Et ideò Chriſti caro eſt, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur: & cùm dignè accipitur, vitam utique æternam in nobis operatur. Panem quidem iſtum quem ſumimus in myſterio, illum utique intelligo panem, qui manu ſancti Spiritus formatus eſt in utero Virginis, & igne paſſionis decoctus in ara crucis. *Panis enim Angelorum factus eſt cibus hominum*, unde ipſe ait: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* Et item: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Idem S. Doctor alibi: *Tu fortè dicis, meus eſt panis uſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.*

De conſecr. diſt. 2. c. omnia.

Pſal. 77. Joan. 6. *Ibid.*

L. 4. de ſacr. c. 4. relat. de conſ. diſt. 2. c. panis. Ibid. c. Nos autem.

Et S. Auguſtinus; *Fideliter fatemur ante conſecrationem, panem eſſe & vinum quod natura formavit, poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio conſecravit.* Vide S. Joannem Damaſcenum l. 4. de Fid. orthod. c. 14.

Quod ibi guſtu & aliis ſenſibus non percipiamus niſi panem & vinum, id mirum videri non debet; nam guſtus, viſus, cæterorumque ſenſuum objectum non eſt aliud, quàm accidentia, non verò ipſa ſubſtantia, atqui in Sacramento non guſtamus niſi accidentia panis & vini; nam quæ ſunt corporis & ſanguinis Domini noſtri propria, cùm ibi non habeant extenſionem ſuam naturalem, uti neque ſubjectum, ſenſus noſtros nullo modo afficere poſſunt, neque ad extra quicquam operari.

I. Videntur nihilominùs ſcripturæ oppoſitum iſtius doctrinæ, quam tradis, docere, cùm Euchariſtiam etiam poſt conſecrationem panem appellare ſolent.

R. Scripturæ Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Joan. 6. evidenter & clarè docent *Tranſubſtantiationem*, quam nos aſſerimus. Similiter Patres & Concilia ſup. citata. Quo ad modum loquendi, de quo moves difficultatem, jam antè diximus morem eſſe ſcripturæ uſitatum, rem aliquam eo nomine appellare, cujus ſimilitudinem refert, &c.

In reſponſ. ad objectionem 7. in Controv.

I. Quare igitur Lutherani docent, panem in Sacramento manere ſimul cum corpore Chriſti?

R. Quia hæretici ſunt, & ſcripturas ex communi Patrum, & totius Eccleſiæ ſenſu Catholico expoſitas nihili ducunt.

Lutherana hæreſis circa Euchariſtiam damnata.

I. Condemnavitque Eccleſia hanc hæreſim?

R. Ita. *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini unà cum corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaverit que mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.*

Conc. Trid. ſ. 13 can. 2. & ante Conc. Conſtant. c. 4.

LEC-

Digitized by Google

LECTIO XIII.

DE ADORATIONE.

I. DEbetne latriæ cultus Euchariſtiæ impendi, pro recepto inter Romanos Catholicos more?

R. Haud dubiè, nam Chriſtus Dominus verus Deus & homo ibi præſens eſt, prout hactenus docuimus; oportet ergo ei debitum honorem in ſacramento deferre. Vide Conc. Trid. ſſ. 13. c. 5 & can. 6. Debitum honorem intelligimus, quem ante latriæ cultum diximus, qui ſoli Deo, tanquam rerum omnium Creatori competit.

I. Quo modo hic cultus exhibetur?

R. Per genuflexionem, pectoris tunſionem, vel aliàs per talem habitum & exteriorem geſtum, qui conjunctus ſit, & conformis interiori judicio, & fidei quæ de præſentia Dei & Domini noſtri JESU Chriſti in Sacramento, formamus.

I. Oportetne ejuſmodi cultus ſigna ſemper & ubique ad Ven. Sacramenti præſentiam exhibere?

Exempla. R. Ita. Præbentibus exemplum ipſis brutis animalibus. Cùm aliquando beatiſmus Pater Franciſcus Ordinis Fratrum Minorum inſtitutor apud S. Mariam de Portiuncula eſſet, quædam viro Dei fuit ovis oblata, quam propter innocentiæ & ſimplicitatis amorem, quas ovis natura prætendit, gratanter ſuſcepit. Monebat pius vir oviculam, ut & laudibus divinis intenderet, & ab omni Fratrum offenſa caveret. Ovis autem, quaſi viri Dei pietatem adverteret, informationem ipſius ſollicitè obſervabat. Nam audiens fratres in choro cantare, & ipſam Eccleſiam ingrediens, ſine alicujus informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis Matris, ac ſi eam ſalutare geſtiret. Inſuper, & cùm elevaretur ſacratiſſimum Chriſti corpus inter Miſſarum ſolemnia, flexis curvabatur poplitibus, tanquam ſi reverens pecus de irreverentia indevotos argueret, Chriſtoque devotos ad Sacramenti reverentiam incitaret

S. Bonav. in vita ejus c. 8 §. 7

Ioan. Garet. cent. 15. & Ioan Ægid. anno 1506.

Joannes Ægidius, qui vixit anno 1506. in libro qui dicitur *Scala cæli*, ſic refert: Corpus Chriſti eſſe in Sacramento Altaris oſtendunt creaturæ irrationales. Cùm enim Sacerdos quidam ferret Corpus Chriſti, & ipſe in terram cadens, illud amiſiſſet cum pixide quâ portabatur, ecce apes de ſuis alveolis examinatim exeuntes ſuoque Creatori honorem deferentes eidem ſacroriolum ex ſua cera miro artificio compoſuerunt. Quod cùm perdidiciſſet Sacerdos, illuc cum Fidelium multitudine procedens, & pixidem cum Corpore Dominico elevans inde, ipſe cum magna revererentia ad Eccleſiam reportavit.

Aliud non valde abſimile videre eſt apud Cæſarium. *L. 9. c. 8.*

I. Sufficitne quoquo modo & qualitercunque exhibere reverentiam aliquam Venerabili Sacramento?

R. Nullo modo; nam ſuperiùs diximus honorem, reverentiam & cultum, quem nos altaris Sacramento exhibere oportet, debere eſſe conformem fidei, quam de eodem habemus: atqui fides nos docet Deum ibi eſſe præſentem, debemus ergo Sacramento honorem, cultum & reverentiam planè ſingularem, quæ ſoli Deo debetur. *Vid. S. Tho. 2. 2. q. 81.*

I. Oſtenditne Deus aliquando miraculo cultum & obſequium ſanctiſſimo Sacramento impenſa ſibi placere?

Exempla. R. Ita. Rudolphus Comes ab Hapsburg aliquando venationis causâ foras profectus, cum magnis imbribus de cælo decidentibus, fortè Sacerdotem obvium haberet, ex eo percunctatus eſt, quò in tanto imbre tenderet? Reſponſa dit, ut ſacram Euchariſtiam infirmo ru-

ſtico pro viatico porrigeret. Itaque Rudolphus illicò ex equo deſcendit, genua flexit, & humiliter Sanctiſſimum Sacramentum adoravit; deinde ſuum equum Parocho, famuli verò æditũo dedit: ipſe verò Sacerdotem tanquam à pedibus fræniſque miniſter deduxit uſque ad infirmum, & ad propriam Eccleſiam poſtea reduxit. Bonus Sacerdos admiratus pietatem & humanitatem Comitis; multa fauſta ei, poſteritatique ejus apprecatus eſt.

Comes non poſt multos dies ad ſanctam quandam mulierem in ſacra Helvetiæ ſolitudinis cella abditam religionis causâ perrexit. Hanc ubi ſalutavit, ipſa veluti numine plena, ad Rudolphum converſa ſic ait: Pro officio & cultu, Deo ejuſque Sacerdoti nuper abs te tributo, gratiam tibi, poſteriſque tuis cumulatiſſimè referet omnipotens Deus; & ne te vanâ ſpe induci à me ſuſpiceris, novenarium temporis numerum, quo tibi hujus meæ prædictionis efficax ſignum oſtendetur, diligenter obſerva. Rudolphus igitur novenis & diebus, & menſibus elapſis, ſpe ſuâ videbatur excidere, donec poſt nonum inde annum Romanorum Imperator declaratus fuit: & Imperialis dignitas in domum Auſtriacam profecta, exinde certis pietatis rationibus conſervata hactenus fuit. Ita ex Chronico Sueviæ multi Hiſtorici. Ut hîc verum extiterit illud. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* Et illud. Reg 2. *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Joan. 12.

Cæſar. l. 9. c. 51.

Miles quidam in Francia fuit tantæ devotionis, ut quotieſcumque corpus Chriſti in Miſſa elevari, aut foras deferri videret, proſtratus illud adoraret. Contigit ut die quâdam pretioſis ſuis veſtibus indutus intraret civitatem; cumque platea in qua equitabat nimis eſſet lutoſa, ex improviſo obvium habuit corpus Domini: quo viſo, modicum intra ſe deliberans ait: quid facies modò? Si in tanta profunditate te proſtraveris, perdita ſunt veſtimenta tua hæc delicata; ſi verò non deſcenderis, ſaluberrimæ conſuetudinis trãſgreſſorem te ſemper accuſabit conſcientia tua. Quid plura? prævaleſcente devotione, de equo proſiliens in lutum ſe miſit, in quo flexis genibus, elevatis manibus, Chriſti corpus adoravit. Et quia dulciſſimus Dominus honorantes ſe non ſolùm in futuro remunerat, ſed etiam in præſenti nonnunquã rehonorat, hoc egit ſuâ potentiâ, ut totius luti ne una quidem guttula veſtimentis ſuis adhæreret. Tunc equum cum multa admiratione reaſcendit, & ampliùs in fide confortatus Deum glorificavit.

I. Hæretici dicunt nos eſſe idololatras, qui ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ honorem deferimus.

R. Idcircò quòd non credant realitatem & præſentiam corporis Chriſti in Sacramento.

I. Qui venerabili Sacramento honorem non exhibent, offenduntne Deum graviter?

R. Ita; uti colligere eſt ex vindicta, quam de tali peccato interdum ſumit.

Noviomagi in Ducatu Gueldriæ, cùm Parochus ſecundâ feriâ Paſchæ Venerabile Sacramentum deferret ad mulierem ægram, virique duo juvenes inter ſe in taberna certarent, uter prius ovum paſchale deglutiret, auditâ nolâ Euchariſtiæ præferri ſolitâ alter dixit: ego ovum citiùs deglutivero, quàm muliercula illa ſuum Deaſtrum, vulgari patriæ idiomate *Godten* (ita enim nebulo ille per contemptum appellabat ſanctam Euchariſtiam.) At ovum miraculosè in faucibus hæret; miſer ergò homo timens ſe ſuffocatum iri, candelam ſebaceam ex clavo pendentem arripit, ut ovum protrudat, ſed ſebo omni in gutture relicto, nudum retrahit ellychnium, & inſtar bovis mactati in terram corruit vultu fuliginoſo & Æthiopico, guttureque divinâ ultione fracto triſtiſſimam efflat animam: nam ovum

Exemplũ.

Bredemb. l. 7 collat. c. 60. Bellar l. 1. de ſacr Euch c. 85.

Digitized by Google

ovum inſtar tuberis intercutanei, non in faucibus, ſed in altero colli latere, reſidens apparebat. Quâ vindictâ Chriſtus demonſtravit ſe verum Deum, & non Deaſtrum, ut hæreticus ille loquebatur. Accidit hoc miraculum anno 1561. die 8. Aprilis.

LECTIO XIV.

DE RITU ET OBLATIONE EUCHARISTIÆ

S.Tho.3.p. q.83. I. QUid ſequitur modò dicendum de Euchariſtia?

Euchariſtia non tantum ſacramentum ſed etiam ſacrificium

R. Quòd illa non tantum ſit Sacramentum, in quo continetur theſaurus inexhauſtus omnium gratiarum; verùm etiam quod ipſe ſit legis novæ ſacrificium & oblatio munda cruentis legis Judaicæ ſacrificiis incruenta ſuccedens, quæ pro vivis ac defunctis Chriſti Fidelibus in Miſſa offertur ac celebratur.

I. Offerimuſne igitur Deo ſacrificium, quando Miſſam facimus?

R. Ita. In Miſſa offertur verum & propriè dictum ſacrificium. Ita omnes Catholici, & Concil. Trident. ſſ. 22. c. 1. & can. 2. Idcircò Miſſa dicitur ſacrificium, & vulgò, *ſanctum Miſſæ Sacrificium.*

Ad probandam noſtram reſponſionem

Conc.Tri. ſſ.22.c.1. Heb.7. aptiſſima ſunt verba ipſius Concilii: *Quoniam ſub priori teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo propter ſacerdotii Levitici imbecillitatem conſummatio non erat, oportuit Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium ſecundùm ordinem Melchiſedech ſurgere Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes quotquot ſanctificandi erant, conſummare & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara crucis, morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic oblationem operaretur; quia tamen per mortem ſacerdotium ejus extinguendum non erat; in cœna noviſſima quâ nocte tradebatur, ut dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud, ſemel in cruce peragendum, repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur peccatorum applicaretur: Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem, *uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.*

Nota hæc poſtrema verba, hæretice, *uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & credidit.*

I. Sed nullo fundamento id Eccleſia Catholica ſemper intellexit, & docuit, aiunt Novatores?

R. Eccleſia Dei, JESU Chriſti ſponſa, Spiritûs Sancti organum, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, ſemper intellexit & docuit perperam, ac ſine fundamento offerri in Miſſa Deo proprium ſacrificium? Eccleſia Catholica ſemper intellexit & docuit per iſta verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, Chriſtum inſtituiſſe & ordinaſſe ſuos Apoſtolos Sacerdotes, ut ipſi eorumque ſucceſſores offerrent corpus & ſanguinem ſuum; ſemper, inquam, intellexit & docuit perperam, ac ſine fundamento? Quis hoc dicit? Hæreticus, qui omnem intelligendi & docendi regulam ſibi ſtatuit, propriæ vertiginis deliramenta. Quis hoc dicit? Novator, cui omnis antiquitas, omnes Patres, omnis omnium ſæculorum con- 1.Tim.3. *Conc.Tri. ſſ 22. c. 1. & can 11.* 1. Cor.11.

ſenſus

Acris in Novatores invectio & ſeria monitio.

ſenſus præ ſuis ineptiis flocci eſt: Quis hoc dicit? Stigmaticus Calvinus, cui furor & cæcus impetus cum virgis Noviodunenſibus, omnem bonam mentem ademerunt, & in reprobum ſenſum dederunt, ut adulteraret verbum Dei, & ſcripturam in fanaticos, & ab omni veritatis ſpecie alieniſſimos ſenſus miſerè diſtorqueret. Et homines novi, ſi modò homines qui communi ſenſu carent, relictâ Chriſti Eccleſiâ, ſpreto Sanctorum PP. conſenſu, tot Oecumenicorum Conciliorum definitionibus peſſumdatis ad ejuſmodi mendaces Magiſtros, homines turpiſſimos, novorum dogmātum cuſtotes, ſatanici calicis propinatores, ſine delectu, ſine judicio, ſolo novitatis ſtudio recurritis, & fabuloſis libertatis prædicationibus prurientes aures arrigitis: O per veſtram ſalutem, per viſcera miſericordiæ Dei, per lumen ad revelationem gentium vos obteſtor! reſpicite miſeri, & certæ damnationi æternæ, quæ hæreticos manet, vos eripite.

Sed ad rem. Reſponſionem noſtram amplius confirmo ex ſubſequentibus Concilii verbis. *Nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſraël immolabat, novum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitûs ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuitque de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum tranſtulit. Et hæc quidem munda oblatio eſt, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obſcurè innuit Apoſtolus Paulus ſcribens Corinthiis, cùm dicit, non poſſe eos qui participatione menſæ Dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Domini participes fieri: per menſam altare utrobique intelligens.*

Exod. 13.

Malac. 1.

1. Cor. 10.

Hæc denique illa eſt, quæ per varias ſacrificiorum naturæ & legis tempore ſimilitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio & perfectio complectitur.

Ex multis, quæ hic congerit Concilium Tridentium argumentis pro Miſſa, unum hoc ex Apoſtolo petitum contra hæreticos potiſſimum urgendum cenſeo. Dicit ergò Apoſtolus: *Propter quod cariſſimi mei fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus dico: vos ipſi judicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt? Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Iſraël ſecundùm carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergò? Dico quod idolis immolatum ſit aliquid? aut quod idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Finis Apoſtoli eſt docere Corinthios, ut à cibis idolis immolatis prorſus abſtineant; ad hoc autem illis perſuadendum, duabus potiſſimùm utitur rationibus, quæ ad rem noſtram conducunt: Prior eſt, quia ſi idolothytis veſcantur, quandam cum dæmoniis contrahent ſocietatem, à Chriſti Fidelibus omninò removendam: ſic enim ratiocinatur Apoſtolus: *Qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris.* Hoc eſt, qui idolothyta manducat, ſacrificium idolis immolatum ſuâ manducatione approbare videtur; & ſic, idololatriæ fit particeps, *Nolo autem vos fieri participes & ſocios dæmoniorum*: ergo cavere debetis ab idolothytis. Hic eſt primus Apoſtoli diſcurſus. Deinde ſubdit aliam rationem ſequentibus verbis: *Non poteſtis cali-*

1. Cor. 10.

Notandus eſt Apoſtoli diſcurſus.

calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Hic oſtendit comedentem idolothyta, cùm mortaliter peccet, excludi à ſacramentali ſumptione Corporis & Sanguinis Domini, ſicque ratiocinatur: Omne quod vos arcebit à ſacra Communione, procul dubio, à vobis eſt vitandum: ſed commeſtio idolothytorum arcet à menſa Domini, quia nullus poteſt eſſe particeps menſæ Domini & dæmoniorum: ergo manducatio idolothytorum eſt vobis vitanda. Ex dictis ſic argumentor pro Miſſa: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & dæmoniorum.* Ibi Apoſtolus opponit menſam Domini menſæ dæmoniorum; At per menſam dæmoniorum intelligit verum altare in quo idolis immolabatur; ergo per menſam Domini intelligit verum altare; ſed non eſt verum altare ſine ſacrificio: ergo in menſa Domini, in qua Euchariſtia conficitur, erit verum ſacrificium. 2. Apoſtolus opponit menſam Domini menſæ Judæorum in verbis iſtis. Videte, Iſraël ſecundùm carnem. *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* Quid enim aliud tam nomen hoſtiæ, quàm expreſſum nomen altaris ſignificant? atqui menſa Judæorum erat verum altare, in quo hoſtiæ immolabantur: ergo etiam per menſam Domini intellexit Apoſtolus verum altare, in quo Euchariſtia immolatur. 3 Argumentor ex illis verbis: *Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum*, ubi Apoſtolus docet nos de menſa Domini ita Euchariſtiam ſumere, ſicut gentiles ſumebant idolothyta ex ſuis altaribus ſeu menſis: atqui cibi illi gentium erant ſuis idolis verè immolati: ergò ſupponit ſimiliter Apoſtolus Euchariſtiam vero Deo immolari; ergò ex comparatione ſacrificiorum gentilium & Judæorum cum Euchariſtia, rectè infertur Miſſam verum eſſe ſacrificium: alioqui Apoſtoli diſcurſus ineptus eſſet, futilis, & inſulſus.

4. Argumentor ex illis verbis: *Nolo autem vos fieri ſocios dæmoniorum.* Vos inquam, qui participatis de menſa & calice Domini, ut prius dixerat. His verbis ſupponit Apoſtolus veſcentem idolothytis, crimen idololatriæ incurrere: quia tali manducatione conſentit in ſacrificium idolis factum, per carnes quas comedit; & conſequenter, virtualiter, & interpretativè dæmonibus ſacrificare docetur. Quare ſicut gentes per idolothyta ſocietatem cum dæmoniis habebant; ita, ut comparatio Pauli ſubſiſtat, dicendum eſt manducantem Euchariſtiam, ſuâ manducatione conſentire in ſacrificium, quod per illam vero Deo offertur; atque ita interpretativè ſacrificare: ergò ex hoc loco Apoſtoli manifeſtè deducitur Euchariſtiæ confectionem eſſe verum ſacrificium.

Ad hæc, nulla religio ſive vera ſive falſa abſque viſibilium ſacrificiorum conſortio in unum populum poteſt colligari. Ita paſſim Patres, & eſt ipſiſſimus naturæ ſenſus, ergò ſublato à Chriſtianis omni viſibili ſacrificio, religionem quoque Chriſtianam omnem ruere neceſſe eſt. Certè nulla eſt illa religio, quæ nullum cultum Deo proprium exhibet, quo divina ejus majeſtas agnoſcatur & colatur. Sacrificium enim ut ſuprà diximus, inſtitutum eſt ad teſtificandam & profitendam divinam excellentiam, noſtramque ad illam ſubjectionem; quo quidem actu nihil dignius, nihil excellentius, nihil Deo acceptiùs aut jucundius offerri poteſt. Ergò qui uſum ſacrificii in lege nova tollunt, religionem ipſam, & legem Chriſtianam funditùs evertunt. Cumque ipſi Calviniſtæ nullo ſacrificio divinæ Majeſtati honorem & recognitionem deferant, manifeſtum eſt penes ipſos nullam omninò religionem, ſed veram, puram, ac meram inveniri ſuperſtitionem.

Calviniſtæ non habent aliquam religionem.

I. In qua parte Miſſæ conſiſtit ratio ſacrificii Euchariſtici?

R. Novæ legis ſacrificium totum eſſentiali-

Vvvv tiali-

Digitized by Google

tialiter conſiſtit in conſecratione, eâque perficitur.

I. Quæ eſt differentia inter Euchariſtiam Sacramentum, & Euchariſtiam ſacrificium?

R. Sacramentum inſtitutum eſt ad ipſius creaturæ ſanctificationem; ſacrificiũ ad Creatoris glorificationem; adeoque ſacramentum ad hominem, ſacrificium ad Deum refertur. Secundò, ſacramentum non prodeſt niſi ritè diſpoſito, ſacrificium utile eſt toti mundo, abſentibus, præſentibus, juſtis, peccatoribus, diſpoſitis, non diſpoſitis, vivis & defunctis: dummodò in peccato mortali defuncti non fuerint. Nam quamvis inſtitutum directè non ſit ad ſanctificandum hominem, ſed potius ad honorandum Deum uti præmiſſum eſt: nihilominùs magnum ad ſanctificationem hominum præſidium confert, quatenus Deum placat, ei honorem & ſupplicationem deferendo; & hâc ratione ſacrificium, pro quibus offertur, obtinet gratiam, miſericordiam, pœnitentiam, & peccatorum remiſſionem.

Euchariſtia ſacramentum ab Euchariſt. ſacrificio qualiter differt.

I. Eſtne ſacra Euchariſtia in ciborio ad Fidelium uſum ſervata ſacramentum, an ſacrificium?

R. Euchariſtia poſt conſecrationem eſt ſacramentum, & reſervata ad uſum Fidelium remanet ſacramentum: ſacrificium autem tantummodò offertur & conſummatur in ipſa actuali oblatione pretioſiſſimi Corporis & Sanguinis Domini, dum verba conſecrationis à Sacerdote proferuntur, ſuper panis & vini ſpeciebus.

I. Quamdiu manet ſacramentum ſub panis & vini ſpeciebus?

R. Sacramentum manet ſub ſpeciebus conſecratis, quamdiu ipſæ ſpecies incorruptæ manent.

I. Offerturne interdum ſacrificium Sanctis, aut alicui creaturæ?

R. Minimè, ſed uni ſoli Deo rerum omnium Creatori, eidemque ſummo Moderatori. Unde Eccleſia in memoriam & honorem Sanctorum Miſſas celebrare conſuevit; non verò ſacrificium illis offerre, ſed ſoli Deo, qui Sanctos æterna gloria coronavit. Vide Auguſtin. l. 8. de civit. c. 27. & l. 20. cont. Fauſt. cap. 21. & Concil. Trident. ſſ. 22. c. 3. & can. 5. *Sup. p. 3. c. 4. in fin.*

I. Eſtne idem ſacrificium quod in Miſſa per Sacerdotes noſtros offertur, cùm illo quod Chriſtus Dominus in Cruce obtulit?

Sacrificiũ Miſſæ idẽ cum ſacrificio crucis.

R. Eſt idem planè, quandoquidem utrobique ſit eadem hoſtia, ſcilicet ipſe Dominus Chriſtus, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diverſâ. Dico, *ſacerdotum miniſterio*, ipſi enim dum Miſſam faciunt, Chriſti Domini, qui eſt Sacerdos principalis, perſonam gerunt. Quod facile notari poteſt in ipſa conſecrationis pronunciatione, ubi Sacerdotes non dicunt: *Hoc eſt corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti*, ſed, *Hoc eſt corpus meum*. *Conc. Tri. ſſ. 22 c. 2.*

I. Ut quid tot Miſſas facere, numquid hoc eſt ſacrificio Crucis derogare?

R. Nullo modo, nam per hanc incruentam Miſſæ oblationem cruentæ illius fructus uberrimè percipiuntur, nobiſque in particulari applicantur in remiſſionem peccatorum, à Domino Jeſu Chriſto in ara Crucis partam & promeritam. *Singulariternamque ad abſolutionem noſtram oblata cum lacrymis, & benignitate mentis, ſacri altaris hoſtia ſuffragatur, quia is qui in ſe reſurgens à mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in ſuo myſterio pro nobis iterum patitur; nam quoties ei hoſtiam ſuæ Paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus.* Adde, expreſsè Chriſtum Dominum mandaſſe Sacerdotibus, ut in ſui memoriam agerent, per verba iſta; *Hoc facite in meam commemorationem.* *Greg hom 37. in Evang.* *Luc. 22. 1. Cor. 11.*

I. Eſtne Miſſa per malum Sacerdotem celebrata, ejuſdem valoris & efficaciæ, cum illa quam bonus Sacerdos offert?

R. Indubiè, nam ſacrificium eſt ſemper

Deo

Miſſa per malum Sacerdotē oblata tātum valet ac celebrata per bonum.

Deo gratum, non tantùm ratione rei oblatæ, ſed etiam ratione offerentis Sacerdotis, qui ſuſtinet perſonam Chriſti & Eccleſiæ, qui neceſſariò Deo grati ſunt. Et verè in Miſſa (quod Dominus per Malac. prædixit) offertur munda illa oblatio, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari poteſt. Urbenè Conc. Trid. ſſ. 22. c. 2.

The à Kempis in vita Henrici Brun. c. 7.

I. Habeſne exemplum ad hanc rem?

R. Habeo. *Hic referam factum, inquit Thom. de quodam Sacerdote in partibus Friſia, ſed minus laudabilis vita. Siquidem bona memoria Fratre noſtro Alardo narrante cognovi quòd erat Presbyter prava ſcientia, & fama non clara. Iſte cùm Eccleſiam intraret, ut divina celebraret, honeſta quadam matrona, qua ejus imperitiam cognovit, cœpit intra ſe de eo ſuſpectè cogitare, ac murmurando dicere; quid tu imperite vis facere? & quomodo, tu indignè poteris tam magnum Sacramentum conficere? Hac eâ cogitante Presbyter cœpit celebrare, & divina myſteria tractare & conſecrare. Factum eſt autem dum Venerabile Sacramentum ritu Eccleſiaſtico conſecratum elevaretur, & omnis populus hoc flexis genibus fideliter adoraret, matrona ſupradicta vidit in elevatione apertis oculis figuram hominis Chriſti, nimium ſtupida & perplexa. Finitâ itaque Miſsâ, hanc viſionem alteri Sacerdoti ſecretè expoſuit, & quid mali antea de celebrante cogitaverat, humiliter confeſſa eſt. Qui diligenter rei geſta ordinem & viſionem examinans matrona reſpondit: Hoc Deus pro tua ſalute fieri permiſit, ne de cætero malè de Sacerdotibus cogites; nec de vera conſecratione dubites, licet mala fama ſint, & indigna vita. Illa hac audiens firmam fidem tenuit, & Deo judicium de Sacerdotibus commiſit.*

Exemplū.

CONTROVERSIA HÆRETICORUM

De Miſſa.

I. MIſſa, inquit hæreticus, eſt idololatria Papiſtica, & profanatio ſanctæ cœnæ, *Lutherus de abrog. Miſſa Calv. l. 4. inſtit. c. 5. §. 9. & c. 18. §. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.*

R. *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quàm nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.* Hanc Catholicam doctrinam probavimus ſatis in lectione præcedenti. Conc. Tri. ſſ. 22. can. 1.

Nihilominùs amplioris declarationis gratiâ, hic addo argumentum aliud cujus etiam meminit Trid. in eadem lectione allegatum, ex Malachia Propheta; Ibi Dominus ita loquitur ad Judæos, eorum veluti faſtidiens ſacrificia: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus Exercituum.* Malac. 1. Hunc Prophetæ locum de Miſſa intellexerunt Conc. Trident. ſſ. 22. c. 1. omneſque Patres & Doctores. *Iren. l. 4. cap 32 33. & 34. Clem. Rom. l. 7. conſt. Apoſt. c. 31. 8. Martialis Epiſcopus ad Burdeg. c. 3. Iuſtin contra Tryph. Cypr. l. 1. contra Iudaos c. 16. Chryſ. ſup. Pſalm 95. Cyril. catech 16 Euſeb. l 1. demonſt. c. 6. Auguſt. l. 18. de civit. cap. 35. Damaſc. l. 4 cap. 14. & omnes Commen. in eum locum. S. Hieron. Theod. Remig. Rupertus, Haymo, Hugo; Lyran. Inſuper Rabbini, R. Samuel tract de vero Meſſia, ad l. Iſaac. c 20. & aliis apud Galat. l. 11. c. 11. Vid Bellarm. l. 1 de Miſſa*

toto c. 10. ***ubi omnia hæretico rum effugia præcludit.***

I. Calvinus & hæretici dicunt poſſe hoc intelligi de pura religione, & ſpirituali Dei cultu, de eleëmoſyna, oratione, gratiarum actione, aliiſque bonis operibus, quæ omnia metaphorica ſunt ſacrificia.

R. Sed quomodò iſta tropica ſacrificia, nova ſunt, & in locum Judaicorum ſacrificiorum ſubrogata, quandoquidem & ipſi Judæi jam olim iſta ſacrificia habuerint? Et precor, Reformatores; dicite mihi qualiter ipſa metaphorica ſacrificia oblatio munda eſſe poſſunt, cùm ex veſtris principiis omnia etiam bona opera polluta ſint & immunda?

I. Propheta loquitur de cruento Crucis ſacrificio?

R. Hoc ipſi deberent probare. Et quomodo ſacrificium iſtud Crucis in omni loco offertur, cùm in ſolo Calvariæ monte ſemel fuerit oblatum?

Quid ad hoc? Manet igitur ut Propheta loquatur de ſacrificio incruento Corporis & Sanguinis Domini, in ultima cœna per Chriſtum celebrato ſub ſpeciebus panis & vini, quemadmodum omnes Patres ſup. intellexerunt. Et hæc eſt oblatio munda, quæ docente Concil. Trident.
Conc. Tri. ſ. 22. c. 1. ***nullâ indignitate aut malitiâ inquinari poteſt.***

Iſai. 19. Secundò dicit Iſaias: *Cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Dominum Ægyptii in die illa, & colent eum in hoſtiis & in muneribus.* Videlicet.

Recognitionis, pœnitentiæ, precum, & bonorum operum, inquit hæreticus.

Id non poteſt dici: nam dixerat Propheta in præcedentibus verbis: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*; Cui verò uſui altare iſtud, ſi non ſint futura propriè dicta ſacrificia ſuper illud offerenda.

Tertiò, pari modo ad id quod Apoſtolus dicit: ***Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſerviunt.*** Si altare, ergò & ſacrificium; nam iſtud, niſi ad hoc ſervire non poteſt. Heb. 13.

Quartò, aliud argumentum ex Apoſtolo petitum in lect. 10. ſatis ſuperque pro Miſſa ſtabilienda explicavimus. 1. Cor. 10.

Quintò, omnes Patres per quinque prima ſæcula, cùm Eccleſia, ſecundùm Calvinum, adhuc eſſet pura, nulla adhuc circa doctrinam Apoſtolicam factâ mutatione, hanc de Miſſa fidem profeſſi ſunt, quemadmodum Doctores evidenter demonſtrant; & quidem Miſſæ cæremonias, alioſque accidentarios ritus, ad primos & antiquiſſimos Eccleſiæ Pontifices referunt, v. g. panem azymum ad decretum Alexandri I. *Corporale*, & ut cantetur *Sanctus*, ad Xiſtum I. Canticum Angelorum, ſive *Gloria in excelſis*, ad Teleſphorum: *Calices argenteos alioſque ſolidioris materiæ*, ad Urbanum I. ***Symbolum Nicænum***, ad Papam Marcum. *Confeſſionem ſub Miſſa initium*, ad Damaſum I. *Stare ad Evangelium*, ad Anaſtaſium. *Pacem præbere*, ad Innocentium I. *Antiphonas, Introitum, Gradualia*, ad Cæleſtinum. ***Kyrie eleyſon, Alleluya. Offertorium***, ad Gregorium I. ***Agnus Dei***, ad Sergium. ***Partem canonis***, ad Leonem I. E quibus duco argumentum, cui difficilè reſpondebunt adverſarii: Eccleſia adhuc erat pura, nullam admiſerat mutationem in doctrina Apoſtolica, & nihil hactenùs agebat, quod non eſſet conforme Dei verbo; tempore iſtorum Pontificum, ex ſententia Calvini; atqui Miſſa cum ſuis cæremoniis, & toto ſuo apparatu jam tum celebrabatur ex cõfeſſione adverſariorum; eſt igitur Miſſa res pura, ſancta, celebrata per Apoſtolos, & nihil habens, quod ſit contrarium verbo Dei. Quid ergò

Argumentum forte pro Miſſa contra hæreticos.

Digitized by Google

ergò te impedit, ò hæretice, ne eam acceptes?

LECTIO XV.

I. Quomodò differt ſacrificium Crucis à ſacrificio Miſſæ quoad effectum?

R. Suppono primò, quod etſi Miſſæ ſacrificium primariò ſit Latreuticum & Euchariſticum, eſſe tamē ſimul propitiatorium & impetratorium, ut docet, & definit Conc. Trid. ſ. 22 c. 2. & can. 3. Succeſſit enim hoc Sacrificium omnibus veteribus, inter quæ etiam erant propitiatoria & impetratoria.

Suppono ſecundò, quod antea diximus, hoc ſacrificium convenire quidem cum ſacrificio Crucis, quod in utroque ſit eadem hoſtia, idemque primarius offerens, ſcilicet Chriſtus, differre tamen in modo offerendi, quia illud fuit cruentum, hoc incruentum.

Qualiter differat ſacrificium cruentum ab incruento quoad effectum.

His ſuppoſitis, reſpondeo ſacrificium Miſſæ differre à ſacrificio Crucis in modo operandi ſuum effectum. Primò, quia hoc habet omnem ſuam vim ab illo. Secundò, quia illud crucis eſt cauſa generalis omnis noſtræ juſtificationis & gratiæ, non item ſacrificium Miſſæ; quia multa beneficia per alia media à Deo accipimus, independenter ab hoc ſacrificio. Tertiò, quia ſacrificium cruentum eſt operatum noſtram ſalutem per modum ſatisfactionis, & ſolutionis ſufficientis pretii ad remiſſionem omnium peccatorum, & ad omnem gratiam & gloriam, omniaque beneficia huc pertinentia, quæ unquam à Deo hominibus conceſſa ſunt. Ita tamen ut ex ſe præcisè nulli in particulari, hoc pretium applicetur, ſed hanc applicationem Chriſtus partim aliis ſuis actibus fecit, vocando Apoſtolos, remittendo peccata, &c. partim eam reliquit divinæ providentiæ, quæ ſua bona diſtribuit ſicut vult, omnia tamen intuitu illius ſacrificii; partim etiam noſtris actibus ex gratia factis, quibus gratiam & gloriam meremur. Quia tamen ſunt minus efficaces, & ſæpè etiam difficiles, ut magis nobis conſuleret, inſtituit alia quædam media ad hoc efficaciſſima, ſcilicet, Sacramenta, & hoc ſacrificium incruentum; quibus nullum novum pretium acquiritur, ſed jam acquiſitum applicatur. Quartò, quod ſacrificii cruenti immediatus effectus, ſcilicet pretium redemptionis noſtræ, ſit illimitatus & infinitus, quia etſi infinita eſſent hominum peccata remittenda, eſſentque homines capaces infinitæ gratiæ, per ſacrificium crucis acquiſitum eſt pretium ad utrumque effectum ſufficiens: incruentum verò, etſi ex ſe ratione rei oblatæ & primarii offerentis ſit infiniti valoris, tamen habet effectum limitatum, & determinatum: tum quia nec indeterminatus, nec infinitus effectus poteſt determinatis perſonis applicari, quia creatura infinita eſt impoſſibilis, tum etiam quia etſi hæc poſſibilis eſſet, tamen non conveniret hujus ſacrificii effectum alicui infinitè applicari; aliàs ſine ullo labore homines infinitam gratiam & gloriam acquirerent. Statuit itaque Deus certam aliquam menſuram ſecundum Chriſti hoc ſacrificium inſtituentis, & ſuam hoc acceptantis intentionem, quam det iis pro quibus offertur. Hinc; quintò, differunt in hoc, quod ſcilicet ſuffecerit omnibus hominibus pro omnibus rebus impetrandis ſemel offerri ſacrificium cruentum, quia ejus effectus eſt illimitatus; incruentum autem debuit ſæpiùs offerri, quia cū ejus effectus ſit limitatus, non potuit ad omnia unicum ſufficere. Cæteroquin per hoc ſacrificium incruentum impetramus à Deo quaſcumque gratias & beneficia, quæ nobis promeruit, & acquiſivit Dominus ac Redemptor noſter, ſuâ morte & Paſſione.

I. Quomodo hoc intelligis?

R. Audi, qualiter id intelligat Eccleſia: *Docet ſancta Synodus ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque*

que

Concil. Trid. ſſ. 22. c. 2. de ſacrif. Miſſ.

que fieri, ut, ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti & pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit.

I. Adjuvitne Deus aliquando miraculosè Fideles per ſacroſancti ſacrificii Miſſæ oblationem?

S. Greg. hom. 37. in Evang.

Exemplum.

R. Ita. Multos, ut arbitror, veſtrum, Fratres chariſſimi, contingit noſſe hoc, quod volo ad memoriam veſtram narrando revocare. Non longè fertur à noſtris temporibus factum, quod quidam ab hoſtibus captus, longè traductus eſt: cumque diu teneretur in vinculis, eum, uxor ſua, cùm ex eadem captivitate non reciperet, extinctum putavit; pro quo jam velut mortuo hoſtias hebdomadibus ſingulis curabat offerri. Cujus toties vincula ſolvebantur in carcere, quoties ab ejus uxore oblatæ eſſent hoſtiæ pro animæ ejus abſolutione. Non longo poſt tempore reverſus admirans valdè, ſuæ indicavit uxori, quod diebus certis hebdomadibus ſingulis ejus vincula ſolvebantur. Quos videlicet dies ejus uxor, atque horas diſcutiens, tunc eum recognovit abſolutum, cùm pro eo ſacrificium meminit oblatum. Hinc ergò, Fratres chariſſimi, certâ conſideratione colligite, oblata à nobis Hoſtia ſacra quantum in nobis ſolvere valeat ligaturam cordis, ſi oblata ab altero, potuit in altero ſolvere vincula corporis. Aliud vide apud S. Auguſt. l. 22. de civit. c. 8.

Miſſa prodeſt. defunctis.

I. Prodeſtne etiam Fidelibus defunctis nondum ad plenum purgatis oblatum Miſſæ ſacrificium?

R. Ita ſemper tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia. Vide Conc. Trid. ſſ. 22. c. 2. & can. 3. S. Auguſt. l. 9. Confeſ. c. 12 & 13.

I. Proba hoc exemplo?

S. Greg. l. 4. Dial. c. 55.

Exemplo.

R. Vir ſanctus vitaque venerabilis Felix Epiſcopus Portuenſis à quodam Presbytero qui uſque ante biennium vixit, & in Diœceſi Centum-cellenſis urbis habitabat, atque Eccleſiæ S. Ioannis præerat, cognoviſſe ſe aſſerit, quod idem Presbyter in eodem loco, in quo calida aqua vapores nimios faciunt; quoties corporis neceſſitas exigebat, lavare conſueverat. Vbi dum die quadam eſſet ingreſſus, invenit quemdam incognitum virum, ad ſuum obſequium præparatum, qui ſibi de pedibus calceamenta extraheret, veſtimentaque ſuſciperet, & exeunti de caloribus neceſſaria præberet, atque omne miniſterium cum magno famulatu peragerer. Cumque hoc ſæpiùs fieret, idem Presbyter die quadam ad balnea iturus, intra ſemetipſum cogitans dixit viro illi, qui mihi ſolet devotiſſimè ad lavandum obſequi, ingratum apparere non debeo; ſed aliquid me neceſſe eſt illi pro munere portare. Tunc duas ſecum oblationum coronas detulit. Qui mox, ut pervenit ad locum, hominem invenit, atque ex more ejus obſequio in omnibus uſus eſt. Lavitque, & cùm veſtitus jam vellet egredi, hoc, quod ſecum detulerat, obſequenti ſibi viro pro benedictione obtulit, petens ut benignè ſuſciperet, quod ei gratia charitatis offerret. Cui ille mœrens afflictuſque reſpondit: mihi iſta quare das Pater? Panis iſte ſanctus eſt, ego hunc manducare non poſſum. Ego etenim, quem vides, fui aliquando hujus loci Dominus, ſed pro culpis meis hic poſt mortem deputatus ſum. Si autem mihi præſtare vis, omnipotenti Deo, pro me offer hunc panem, ut pro peccatis meis intervenias. Et tunc exauditum te cognoſce, cùm huc ad lavandum veneris, & me minimè inveneris: in quibus verbis diſparuit, & qui homo eſſe videbatur, evaneſcendo innotuit, quia ſpiritus fuit. Idem verò Presbyter hebdomada continua ſe pro eo lachrymis afflixit, ſalutaremque hoſtiam quotidie obtulit, & reverſus poſt ad balneum, eum jam minimè invenit.

Sanctus Malachias Epiſcopus Hiberniæ car-

Digitized by Google

D. Bern. in vita ejus c.6. apud Sur. 5.Nov. tom.6.

carnalem ſororis ſuæ exhorreſcebat vitam, & tanto zelo, ut ſe devoverit non viſurum eam in carne viventem. At illa carne ſoluta, ſolutum eſt votum: & cœpit videre in ſpiritu, quam in corpore noluit. Quadam nocte audivit per ſomnium vocem ſibi dicentis, ſororem ejus ſtare foris in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil guſtaſſe. Qui evigilans intellexit cujus eſca inedia marceret. Et diligenter diſcuſſo numero dierum quem audierat, ipſum eſſe reperit, ex quo pro ea, panem de cœlo vivum non obtuliſſet. Tum ille qui ſororis animam non oderat, ſed peccatum, beneficentiam, quam intermiſerat, rurſum adoritur. Neque id fruſtrà. Non multò poſt viſa eſt illi perveniſſe ad limen Eccleſiæ, necdum tamen poſſe intrare: apparere etiam in veſte pulla. Cumque ille perſeveraret eurans, ne qua die, ſolita ſtipe fruſtraretur, ſecundò vidit eam in veſte ſubcandida, admiſſam quidem intra Eccleſiam, ſed altare contingere non permitti. Tertiò tandem viſa eſt aggregari cœtui candidatorum, & in veſte candida.

Exemplum aliud huc pertinens habes ſuprà, p.1.c.10.l.10.

I. Quare ſanctum hoc ſacrificium *Miſſa* appellatur?

Quid ſignificet vox Miſſa.

R. Iſta vox (Miſſa) originem trahit à miſſione. Primò, quia in hoc ſacrificio mittitur quodammodò legatio ad Deum pro tractanda reconciliatione vivorum & mortuorum. Secundò, Miſſa dicitur à demittendo: quia mirabilibus illis verbis conſecrationis, Chriſtus è cœlo, cœlum ipſum non deſerendo, ad nos demittitur tectus ſpeciebus panis & vini. Ita Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. p. 8. c. 24. Et verò in hoc ſacrificio repræſentatur nobis qualiter olim Deus Filium ſuum unigenitum miſit in hunc mundum, ut non immeritò Miſſa feriæ 4. quatuor temporum Decemb. in qua legitur Evangelium Incarnationis Filii Dei, pleriſque in locis, Miſſa *demiſſus* appellatur. Tertiò, *Miſſa* dicitur quaſi dimiſſa, à dimittendis Fidelibus, canente altâ voce Diacono: *Ite Miſſa eſt*, q. d. Pergite quo vultis: jam Hoſtia ad Patrem miſſa eſt. Ita Alcuinus *l. penult. de divinis Officiis*. Quartò, *Miſſa* dicitur à dimittendis poſt Evangelium Catechumenis extra Eccleſiam, juxta Laodic. Conc. decretum can. 19. quoniam indigni cenſebantur Chriſtum ſacramentalibus ſpeciebus velatum videre, qui adhuc in Chriſto per Baptiſmum non erant regenerati. Ita Rabanus l. 1. de inſtit. Cleric. c. 25. Hinc duplicem Miſſam veteres diſtinguebant: Catechumenorum unam, quæ in Offertorio deſinebat, præcinente Diacono, *Ite Miſſa eſt*: nempè ad Patrem offerenda: alteram vocabant Miſſam Fidelium quæ ab Offertorio ad finem uſque protrahebatur. Quintò, Miſſa dicitur à miſſione ſive legatione Angelorum, qui huic myſterio ex communi Patrum ſententiâ trementes ac venerabundi aſſiſtunt. Ita interpretatur nomen Miſſæ S. Aug. ſer. de Corpore Chriſti.

I. Eſtne recens atque novum vocabulum iſtud *Miſſa*?

Miſſæ vocabulum minimè novum.

R. Miſſæ nomen jam inde à primis ſæculis audiri cæptum eſt. Clem. Rom. Ep. 3. meminit hujus nominis *Sacrificare*, inquit *& Miſſas celebrare non licet, niſi in iis locis in quibus proprius Epiſcopus juſſerit.*

De conſec. diſt. 1 c. omnes.

Ei conſentit Evariſtus, ita enim habet: *Omnes Baſilicæ ſemper cum Miſſa debent celebrari.*

De conſec. diſt 2. c. in Sacramentorum.

Conſonat Alexander, qui Evariſto ſucceſſit: Hic in Epiſt ad Orthod. c. 4. *in Sacramentorum*, inquit, *oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Deo offeruntur, Paſſio Domini miſcenda, ut ejus, cujus corpus & ſanguis conficitur, Paſſio celebretur.* His addi poſſent longa ſerie ſecuti ſummi Pontifices, Teleſphorus, Hyginus, Pius I. Soter, aliique. Vide Conc. Rom. ſub Silveſtro anno Domini 324. Carthag. II. anno 397. Arelat. III. anno 453. aliaque Concilia, in quibus leges antiquum

tiquum & venerandum *Miſſæ* nomen, & fidem atque conſenſum totius Antiquitatis.

LECTIO XVI.

I. QUot ſunt Miſſæ partes principales?
R. Tres, *Conſecratio, Oblatio, & Communio.*

I. Quis primus inſtituit tres Miſſæ partes principales?

R. Chriſtus Dominus, qui, uti ſupr. l. 14. ex Conc. Trid. retulimus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium obtulit, præcipiens illud ipſum per Apoſtolos, & per Sacerdotes ab eis eorumque ſucceſſoribus ritè ordinatos in perpetuum offerri. *Sub init.*

I. Declara Chriſtum Dominum haſce tres Miſſæ partes principales in ultima cœna obiiſſe, adeoque ſacrificium Miſſæ obtuliſſe?

R. Non eſt admodum difficile id demonſtrare. Nam quantum quidem ad primam & principalem partem attinet, Evangeliſtæ teſtantur ipſum in manus ſumpſiſſe panem, ac dixiſſe: *Hoc eſt Corpus meum.* Atque accepto calice pronunciaſſe: *Hic eſt Sanguis meus.* Quibus verbis panem in Corpus ſuum, & vinum in Sanguinem convertit ac tranſubſtantiavit, & conſecrationem abſolvit; hoc enim ipſa verba ſonant, alioquin omnis energiæ & veritatis inania forent, quod abſque grandi blaſphemia dici non poteſt.

Secundò, oblationem fecit, nam S. Marcus c. 14. dicit Chriſtum Dominum accepto pane *benedixiſſe*, & accepto calice *gratias egiſſe*, antequam verba conſecrationis pronunciaret. Similiter & S. Lucas, *gratias egiſſe*, id eſt, egiſſe offerendo Deo Patri ſacrificium laudis. Ad hæc oblatio naturaliter ineſt ipſi conſecrationi, non ſecus quàm in lege veteri, animalia Deo oblata cenſebantur, hoc ipſo quo ſuper altare jugulata ſtatuerentur.

Demum pro tertia ratione repete, quæ ſuprà de figura Melchiſedech, ejuſque ſacerdotio diximus; cujus figuræ bona pars in oblatione cernitur.

Tertiò, quod ad Communionem ſpectat, communis eſt Eccleſiæ ſenſus Chriſtum Dominum propriis ſe manibus communicaſſe. Quod & S. Hieron. diſertis verbis ſcripſit ep. ad Hebid. q. 2. Et verò mandatum erat c. 6. & 7. Levit. ut Sacerdos ſacrificans primus ex hoſtia ederet, quam figuram Dominus facto ſuo adimplevit.

Ex quibus id conficimus, Chriſtum Dominum Miſſæ ſacrificium verè inſtituiſſe, & Deo Patri obtuliſſe, illudque ipſum Eccleſiæ commendaſſe; quod & ipſa iiſdem planè verbis, eodemque apparatu per dies ſingulos offerre non deſiſtit, ſine quo neque lex nova, neque omninò religio Chriſtiana (uti ſup. monuimus) ſubſiſtere poſſet. *Chriſtus Dominus Miſſæ ſacrificium inſtituit, Deo Patri obtulit & idipſum Eccleſiæ commendavit.*

I. Proba nunc conſequenter Chriſtum Dominum (quod jam aliquoties dixiſti) Sacerdotes Apoſtolos ſuos inſtituiſſe, iiſque & eorum ſucceſſoribus ſacrificium offerendi præceptum dediſſe.

R. Probat hoc S. Lucas ipſiuſmet Salvatoris noſtri verbis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus Chriſtus dedit Apoſtolis & Sacerdotibus ab eis eorumque ſucceſſoribus ordinandis poteſtatem (æquè ac præceptum) conſecrandi atque tranſubſtantiandi panem in Corpus, & vinum in Sanguinem ſuum, adeoque illos conſtituit & ordinavit Sacerdotes, uti docet Conc. Trid. ſſ. 22. c. 1. *Luc. 22.*

Hoc magis declaramus hoc modo: nam per iſta verba (hoc facite) mandavit illis idipſum facere, quod ipſe faciebat: q. d. conſecrate, ſacrificate panem & vinum, tranſubſtantiate, comedite, ſicut ego eadem conſecravi, ſacrificavi, tranſubſtantiavi, comedi, in quibus propriè conſiſtit ſacrificium Miſſæ. Præcepit ergò Apoſtolis ſuis Miſſæ ſacrificium offerre, &, quia nemini permiſſum eſt, niſi ſolis ſacerdotibus ſacrificare, ſequitur illos iſtis verbis Sacerdotes inſtituiſſe & conſecraſſe. *Chriſtus Dominus in ultima cœna Apoſtolos Sacerdotes ordinavit.*

Secun-

Supra lect. 14. ex Conc. Trid.

Secundò, vide Epiſt. 1 ad Cor. 11.

Tertiò, expende hanc rationem; Chriſtus Dominus eſt Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech; debet ergò eſſe aliquod ſacrificium, quod ipſe offerat Deo Patri uſque in finem ſæculi, alioquin futurus eſſet Sacerdos abſque ſacrificio; at in lege nova non eſt aliud ſacrificium, quod per manus Sacerdotum jugiter offerat, niſi ſacrificium Miſſæ; dicendum ergò eſt, hoc ipſum Miſſæ ſacrificium mandaſſe uſque in finem à Sacerdotibus offerendum.

Pro clariori hujus rei intelligentia. Nota 1. novæ legis ſacerdotium, non eſſe aliud, quàm ipſiſſimum Chriſti ſacerdotium, qui in ſingulis Sacerdotibus ritè ordinatis, Sacerdos eſt, & per eos tanquam ſuos Vicarios peccata remittit, ſacrificium offert, & Sacramenta adminiſtrat. Nota 2. Sacerdotem in Miſſa legere in propria perſona, quicquid præmittitur ante conſecrationem; conſecrationem autem perficere in perſona Chriſti, & ipſius Chriſti verbis; adeò quod Chriſtus Dominus, uti ſupremus & principalis Sacerdos pronunciet per os miniſtrorum ſuorum conſecrationis verba quæ olim pronunciavit in ultima cœna, & offerat Deo Patri pro Eccleſia ſua Miſſæ ſacrificium, ſicut tunc fecit.

I. Inſtituitne Dominus Miſſam ſecundùm omnes omninò ſui partes & cæremonias prout modò celebratur?

R. Non; ſed ſolùm ſecundùm tres partes jam dictas, Conſecrationem videlicet, Oblationem, & Communionem.

I. Quis fuit ergò auctor cæterarum orationum, lectionum, & cæremoniarum?

R. Apoſtoli, aliique Eccleſiæ Præſides eorum ſucceſſores.

I. Quare addiderunt iſta ad primævam Chriſti Domini inſtitutionem?

Miſſa temporum ſucceſſu ornata cæremoniis & vario apparatu.

R. Primò quia Spiritus ſanctus, qui nunquam deſiſtit Eccleſiam regere & docere, id ipſis ita inſpiravit.

Secundò, quia Chriſtus Dominus in ultima cœna circa multa occupatus, illa tantùm quæ dicta ſunt, pro tempore inſtituenda cenſuit, cætera relinquens devotioni & diſpoſitioni Apoſtolorum, & eorum in Eccleſiæ regimine ſucceſſorum. Vide Conc. Trid. ſſ. 22. c. 5.

I. Declara mihi hoc familiaribus aliquibus ſimilitudinibus?

R. Quemadmodum nobilis aliqua matrona & dives curat ſuccedente tempore proli ſuæ, quam nudam in mundum effudit, pretioſas veſtes adaptari.

Similia.

Quemadmodum Rex Filio adoleſcenti attribuit comitatum Nobilium & Baronum. Quemadmodum arbor æſtivo tempore pulchrior, gratior, foliiſque, floribus & fructibus ornatior, quàm hyberno tempore apparet, licet eadem ſit arbor: ita Miſſæ ſacrificium, quamvis à prima ſua & nuda inſtitutione idem extiterit; inque finem idem ſit duraturum: attamen variis modò apparatibus & cæremoniis exornatum cernitur, quibus ob oculos Fidelium vita, mors & paſſio Domini repræſentatur.

LECTIO XVII.

Expoſitio Miſſæ ſecundum omnes & ſingulas ſui partes & cæremonias.

I. Quandoquidem Chriſtus Dominus Miſſæ ſacrificium in ſui commemorationem offerri juſſerit, ſitque illud quaſi viva quædam ipſius mortis & paſſionis repræſentatio, quæ quotidie ob oculos Fidelium proponitur, ſicuti in ſuperioribus lectionibus declaraſti, velim per partes ſingulas id mihi exponi, ut majori cum fructu & devotionis affectu deinceps Miſſæ ſacrificio interſim. Quem igitur Sacerdos ad altare procedens, & ad inferiores gradus ſe humilians repræſentat?

R. Chriſtum in horto incurvatum pro peccatis noſtris, inchoantem Paſſio-

Digitized by Google

nis ſuæ ſacrificium & myſterium. Hic animæ meæ potentias interpello, dicens illud Prophetæ, *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater ſua.* *Cant. 3.*

I. Cur Sacerdos incurvatus confeſſionem facit?

R. Ut plebem ad id exhortetur, & indicet in meritis Domini noſtri JESU Chriſti ſalutem & miſericordiam inveniri, ſi illa in corde contrito & humiliato exquiratur. Vel etiam, quia *Iuſtus prior eſt accuſator ſui.* Ideò Sacerdos cum populo confeſſionem facit, ut ille ad celebrandum, hic ad ſpiritualiter communicandum poſſit fieri aptior *Prov. 18.*

I. Eſtne hujus ante Miſſæ *Introitum*, confeſſionis antiquus uſus?

R. Planè, uti patet ex Lyturgia S. Jacobi, quæ incipit à confeſſione. *Introitus.*

I. Quid *Introitus* ſignificat?

R. Sanctorum Patrum pro Chriſti adventu deſiderium, quo ſuſpirabant ad Salvatorem, Agnumque venturum, qui ſe erat oblaturus in ſacrificium.

I. Cur repetitur *Introitus*?

R. Ut iſtius deſiderii vehementia ſignificetur.

Gloria Patri. I. Cur verſus *Gloria Patri* additur.

R. Ut ſanctiſſimæ Trinitati debitæ gratiæ agantur de Redemptione (quam Patres expectabant) jam peractâ.

I. Quid ſignificat *Kyrie eleyſon* novies repetitum?

Kyrie eleyſon. R. Idem eſt ac ſi dicamus: *Domine miſerere:* quod ter ſingulis Perſonis Trinitatis repetimus, ut miſericordiâ nos egere, perfectâ ſupplicatione oſtendamus, votiſque ardentibus illam nos expetere ſignificemus.

I. Cur ſupplicatio illa dicitur linguâ græcâ & non latinâ?

In altercat. cum Paſcentio inter Epiſt. n. 178 R. Ob reverentiam antiquitatis, Sanctus enim Auguſtinus dicit ab omnibus Chriſtianis, græcis, latinis, barbaris, ſupplicari Deo, ut miſereatur, linguâ græcâ.

I. Quid *Gloria in excelſis*?

R. Poſt imploratam miſericordiam Hymnum Angelicum in ortu Salvatoris ab Angelo pronunciatum mox inchoat Sacerdos, ut ſignificent Chriſti mediatoris nativitate, miſericordiam illam, quam poſcimus, nobis oblatam. Ideoque Chorus ſtatim proſequitur, glorificans Deum ob miſericordiam, quam nobiſcum fecit. *Gloria in excelſis.*

I. Quis ad Hymnum Angelicum adjecit reliqua?

R. Apoſtoli, Teleſphorus Papa, & alii, ut Teſtatur Innocentius III. *l. 2. de myſteriis Miſſæ c. 20.*

I. Quid ſignificat *Dominus vobiſcum?*

R. Salutatio eſt populi, quam Sacerdos præmittit, ut audientium corda ad devotionem excitet, moneatque communibus votis ſupplicationem adjuvare. *Dominus vobiſcum.*

I. Fuitne hæc ſalutationis forma jam olim uſitata?

R. Ita, illa eſt antiquiſſima, ut conſtat ex Lyturgiis Jacobi, Baſilii, & aliorum, in quibus paſſim legimus *Dominus vobiſcum*, aut *Pax vobis*, & Dionyſ. Areopag. eam diviniſſimam appellat, quia non humanæ compoſitionis arbitrio compoſita, ſed ex antiqua ſacri eloquii auctoritate probatur aſſumpta. Ruth. 2. & 2 Paral. c. 5.

I. Cur Sacerdos ante hanc ſalutationem oſculatur altare? *Oſculum altaris.*

R. Accipit quaſi pacem à Chriſto per altare ſignificato, ut eandem populo elargiatur.

I. Cur Sacerdos hîc & poſteà ſæpius dicit *Oremus?* *Oremus.*

R. Ut ſe & alios ad benè orandum excitet: q. d. agamus, quod agimus.

I. Quid eſt *Collecta?* *Collecta.*

R. Eſt oratio quæ ſuper collectum populum dicitur, & totius plebis collectæ petitiones colligit, & omnium collectim vice offertur.

I. Cur ea ordinariè ad Patrem dirigitur? *Tertull. l. de orat.*

R. Quia

R. Quia perſona Patris in divinis eſt prima,& ab ea cæteræ originem ducunt. Adde,quod propter eſſentiæ unitatem ſemper in Patre intelligitur Filius & Spiritus ſanctus.

I. Cur omnes orationes finiuntur *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum?*

R. Quia monuit nos, ut quicquid à Patre petierimus, in ejus nomine petamus, qui ab illo Mediator eſt conſtitutus, per quem nobis omnia donantur.

Amen. I Cur ad finem Collectæ reſpondetur *Amen?*

R. Ut communem orationem, quam Sacerdos obtulit,omnes confirment. *Microl.de Eccleſiaſtica obſervat.c.7.*

Epiſtola. I. Quare in Miſſa legitur *Epiſtola*, cùm non ſit oratio, nec gratiarum actio?

R. Ut per eam, ſicut per Evangelium Deum nobis loquentem audiamus. Per Epiſtolam enim(quæ ex Lege, Prophetis, & Apoſtolis deſumpta eſt)Deus loquitur nobis in Prophetis & Sanctis:per Evangelium autem nobis loquitur in Filio Unde Epiſtola ſignificat Legem, Prophetas, Joannem Baptiſtam, Apoſtolos, prædicatione ſuâ viam Domino præparantes, ideoque legitur ante Evangelium ; in quo etiam legimus quod Dominus binos & binos ante ſe miſit. *Alcuin. de div.offic.c.de celeb. Miſſa.*

I. Cur ad lectionem Epiſtolæ ſedemus?

R. Ut imperfectionem Legis infrà Evangelii dignitatem deſignemus,ad quod majori reverentiâ aſſurgimus.

I. Cur in fine Epiſtolæ additur *Deo gratias?*

R. Ut agnoſcamus rem eſſe magnâ gratitudine dignam, quod Dominus ſanctas has Apoſtolorum & Prophetarum doctrinas reliquerit veluti *Lucernam lucentem in loco caliginoſo.* *Rupert. l. 1. de div. offic.c.14.* *2. Pet. 1.*

Graduale. I. Quid ſignificat *Graduale?*

R Lamentum pœnitentiæ, quam Joannes prædicavit.

I. Cur id *Graduale* appellatur?

R. Quia canitur Diacono gradus aſcendenti ad Evangelium decantandum nimirùm ne otiosè tranſigeretur tempus illud, quod neceſſariò interponendum erat inter Epiſtolam & Evangelium, dum ſe Diaconus ad illud cantandum præparabat.

Alleluya. I Cur Graduali ſubjungitur *Alleluya.*

R Id fit ad conſolationem noſtram, ſicut enim Graduale, vox eſt adhuc luctantium & lamentantium, ut aſcendant, ita *Alleluya* vox eſt ſignificans lætitiam, quam habebimus in futura vita, in qua æternum erit Alleluya.

I. Cur tempore Paſchali adeò frequenter repetitur *Alleluya?*

R. Quia cùm ſit vox quædam Beatorum, eo tempore Reſurrectio glorioſa rememoratur.

I. Cur ignotâ velut linguâ recitatur *Alleluya.*

R. Ad ſignificandum quod magnitudinem futuri gaudii non capiamus, nec poſſimus eloqui lætitiam Jeruſalem cœleſtis,per cujus vicos cantatur *Alleluya.* Tob.13. Apoc.19.

Tractus. I. Cur aliquando *Tractus* cantatur?

R. A Septuageſima uſque ad Paſcha cantus lætitiæ omittitur, quia illud tempus pœnitentiæ eſt deſtinatum, ad inculcandum nos in hac vita, veluti in ærumnoſa lachrymarum valle, totos in pio luctu eſſe debere.

Evangelium. I Quid ſignificat *Evangelium?*

R. Chriſti docentis bonum nuntium.

I. Cur Sacerdos lecturus Evangelium tranſit ad alteram partem altaris?

R. Quia Judæis Evangelium repellentibus, ad gentes ejus prædicatio translata eſt, juxtà præceptum Domini: *Euntes docete omnes gentes.* *Matt.18.*

I. Cur ſalutario præmittitur à Sacerdote dicente: *Dominus vobiſcùm?*

R. Ut ad auditum præparetur, & gratia à Domino aperiat, qua idonei fiant auditores ad ſuſcipiendum verbum quod poteſt ſalvare animas ipſorum.

I. Cur omnes ſtant ad *Evangelium?*

Digitized by Google

Clem. l. 2. Conſt. Apoſt. c. 57. aliàs 58.

R. Id fit ex præcepto Apoſtolorum; partim ad reverentiam Chriſti per Evangelium nobis loquentis, partim in teſtimonium majoris attentionis; & ad ſignificandam animi promptitudinem ad mandandum Evangelium executioni.

I. Cur ad Evangelium luminaria deferuntur?

Decret. Anaſtaſii Papæ ſuper hoc.

R. Vide ſup. ubi de cereis. Breviter hic, quia Chriſtus per Evangelium eſt lux mundi.

I. Cur omnes crucis ſignum tribus locis ſibi imprimunt ad *Gloria tibi Domine?*

habes de conſec. diſt. 1.

R. In fronte id fit, ut non erubeſcant Evangelium crucis; in ore, ut ſignificent ſe ore confiteri velle ad ſalutem; in pectore, ut deſignent ſe firmo cordis aſſenſu ſemper velle credere.

I. Cur ad finem Evangelii iterum ſignatur?

R. Ne veniens diabolus ſalutare ſemen tollat de cordibus.

I. Cur in Miſſa ſolemni thus ad Evangelium adhibetur?

R. Ut ſignificetur bonus odor Evangelii, & eorum qui illud prædicare debent. Bellarm. l. de Miſſa c. 15.

Symbolum.

I. Quid Symbolum cantatum deſignat?

R. Converſionem gentium ad prædicationem Apoſtolorum, eſt enim Fides ex auditu.

Hæc eſt ferè prima pars Miſſæ, ſi illam in tres partes diſtinguas.

LECTIO XVIII.

I. QUam computas alteram Miſſæ partem?

R. Quæ ab Offertorio protenditur uſque ad Communionem.

I. Quid vocas *Offertorium?*

Offertorium.

R. Offertorium aliud eſt, quod fit à Sacerdote celebrante, ut panis & vini materiam conſecrandam dedicet. Aliud quod fit à populo, ut per illud Fideles ſignificent ſe cooperari velle ſacrificio Sacerdotis, & illud ſibi commune facere.

Strabo de rebus Eccleſiaſt. c. 22.

Offertorium verò quod canitur, vel à celebrante recitatur, inde nomen habet quod caneretur, dum populus offerebat.

I. Cur interim dum populus offert, canticum illud cantatur?

Microl. de Eccl. obſerv. c. 10.

R. Ut ſignificetur læto animo eſſe offerendum, id quod offertur. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Nec fruſtrà gaudet offerens: quandoquidem *fœneratur quiſquis Deo dat.* Et: *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.*

Aqua vino miſcetur in ſacrificio cur?

I. Cur à celebrante, dum materiam ſacrificii inſtante oblatione præparat, aqua vino admiſcetur?

R. Ut Fidelis populi cum Chriſto unio deſignetur, quam Sacerdos fieri petit, dicens: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti; da nobis per hujus aquæ & vini myſterium, ejus divinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ fieri dignatus eſt particeps Ieſus Chriſtus Filius tuus &c.*

In ordine Miſſæ.

Secundò, quia ex latere Chriſti manavit ſanguis & aqua Conc. Trid ſſ. 22. c. 7. *de ſacrificio Miſſæ.*

Tertiò, quia Chriſtus in ſacrificii inſtitutione ſic feciſſe creditur.

I. Cur abluit Sacerdos extremitatem digitorum?

R. Commonet ſe & alios communicaturos, ut etiam peccata venialia, & vanas cogitationes ex corde abſtergant, ut tantis myſteriis apti eſſe poſſint. Extremitates ſolùm abluit, ſignificans ſe jam mundum eſſe, niſi quod fortè pulviſculi diſtractionum & leviſſimorum peccatorum incautis nobis frequenter excidentium, conſcientiæ noſtræ adhæreſcant.

Præfatio.

I. Cur *Præfatio* poſt ſilentium ſolemniter canitur?

R. Significatur Chriſti triumphalis ingreſſus in Jeruſalem, poſtquam aliquo tem-

tempore latuiſſet & ſiluiſſet, unde & repetitur vox acclamantium: *Benedictus qui* Matt. 21. Marc. 11.
venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.

I. Cur in Canone omnia ſub ſilentio fiunt?

R. *Primò*, ſilentium ſacrificio reverentiam & venerationem conciliat.

Can. Sacerdotum de conſec. diſt. 2. *Secundò*, periculum erat ne laicus ſacro-ſancta verba ſæpiùs audiens illa prophano ore uſurparet. Vide Sophron. in Prat. ſpirit. c. 196. Hinc fortè vetus illud Iitatnrum, ut nemo laicus ſtare in Choro poſſet dum Miſſa celebraretur.

Tertiò, Opportunum orationi & meditationi ſilentium.

Deinde repræſentatur mœror Dominicæ Paſſionis. Et quod Sacerdos initio Canonis inclinato capite oſculum figit in medio altaris, hoc ſignificat humilem Chriſti obedientiam, quâ ſe initio Paſſionis Patri obtulit Hoſtiam, ut nos ei reconciliaret. Unde altare ex lapidibus multis, populos ſignificat, & impreſſio oſculi reconciliationem eorum cum Deo per Sanguinem Chriſti.

I. Canon, unde ita dicitur?

Canon. R. Ex eo quod certa verborum & orationum regula ſit, quâ in quolibet officio Miſſæ ſine ulla variatione utendum eſt, paucis tantummodò verbis in paucorum Feſtorum ſolemnitatibus nonnihil immutatis: præcedentia verò Canonem multis modis pro ratione temporis & Feſtorum variantur.

I. Ex quibus conſtat Canon?

R. Tum ex ipſis Domini verbis; tum ex Apoſtolorum traditionibus; tum ex ſanctorum Pontificum piis Conſtitutionibus, ut docet Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 4. *de ſacrificio Miſſæ.*

I. Eſtne caſu factum, quod Canon inchoetur à littera T?

L. 5. de myſt. Miſſæ c. 2. R. Nequaquam, ſed de induſtria, ut notat Innoc. III. & alii; quia littera T. ſignum crucis præ ſe fert, & per eam monetur Sacerdos Canonem inchoans totâ mentis intentione verſari in viva Dominicæ Paſſionis memoria.

I. Cur trina fit crucis ſignatio ſuper oblata?

R. Significatur quod totius Trinitatis voluntate, redemptionis noſtræ opus in Cruce conſummatum.

I. Cur poſt conſecrationem fit elevatio Hoſtiæ? *Elevatio Hoſtiæ.*

R. Ut exhibeatur Corpus & Sanguis Chriſti populo adorandus, & ſignificetur quomodò pro ſalute noſtra in ſublimi patibulo pendere voluerit, ut omnes Deum poſſent conſpicere Salvatorem.

I. Cur poſt elevationem quinque crucis ſignacula fiunt ſuper oblata?

R. Significatur Corpus Domini quinque præcipuis vulneribus pro nobis confoſſum, quæ etiam tacitè repræſentamus Patri pro noſtra ſalute.

I. Cur iterum trina conſignatio?

R. Significantur tres hominum conditiones participantes fructum hujus myſterii; Beati, quibus proficit ad gloriam; Defuncti, quibus ad purgationem; Viventes, quibus proficit ad omnem gratiam & benedictionem.

I. Cur poſt Orationem Dominicam iterum ſilentium?

R. Indicat hoc Sabbati quietem, in quo Dominus in ſepulchro quievit, poſtquam orationem altâ voce ad Patrem in cruce emiſiſſet.

I. Cur rurſus elevat vocem, dicens: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum?* *Pax Domini.*

R. Indicat reſurrectionis lætitiam, & reſurgentis ſalutationem: *Pax vobis.* Joan. 20.

I. Cur in tres partes Hoſtia dividitur?

R. Ob tres hominum conditiones, qui ſacrificii ſunt participes, uti ſuprà. Hoſtiæ item conſecratæ fractio ſubindicat panis fractionem, cujus indicio Dominum à mortuis ſuſcitatum cognoverunt Diſcipuli in Emmaus. Luc. 24.

I. Cur *Agnus Dei* canitur? *Agnus Dei.*

R. Vox eſt rememorans gloriam Aſcenſionis Domini, quia ipſe eſt Agnus qui peccata noſtra tulit & pacem nobis attulit; & modò vultui Dei Patris, quaſi Agnus occiſus (ſive occiſionis & mortis ſigna retinens) aſſiſtit, & pro nobis interpellat.

Oſculum pacis. I. Cur *Oſculum pacis* datur ante communionem?

R. Adſignificandam unionem cordium quæ inter eos debet eſſe, qui de uno, eodemque pane participant.

LECTIO XIX.

Communio. I. QUid ipſa ſumptio Corporis Dominici ſignificat?

R. Chriſti ſepulturam, nos enim qui terreni ſumus, continere debemus in nobis Corpus Dominicum, ut illud poſt mutatos noſtros mores in nobis reſurgat, dum aliam vitam, vivendique rationem iniverimus.

Poſtcommunio. I. Quid *Poſtcommunio*?

R. Significat cantica gloriæ æternæ in triumphum Salvatoris, viſibili præſentiâ ſuâ à nobis ſubducti.

Dominus vobiſcum I. Quid *Dominus vobiſcum*?

R. Significat hic Chriſtum Dominum qui in Cælum aſcendit, remanere nihilominùs apud nos in Sacramento Altaris.

I. Quid ſibi vult, quod à parte Evangelii refertur liber ad cornu Epiſtolæ ſub Miſſæ finem?

R. Quia Judæi in fine mundi ad Chriſtum convertentur.

I. Quid ſignificat ultimum *Dominus vobiſcum*?

R. Ultimum Chriſti adventum ad judicium?

Ite Miſſa eſt. I. Quomodò intelligis, *Ite, Miſſa eſt*?

R. Idem eſt ac ſi diceretur, Ite, ſive, ire licet, dimiſſio eſt, peracto ſacrificio dimittimini in pace.

I. Cur Sacerdos benedicit populo?

Benedictio in fine Miſſæ. R. Ut is jam dimiſſus non ſine benedictione divinâ diſcedat? &, ut ea ſit efficacior, fit cum ſigno crucis. Typum hujus benedictionis habes Num. 6. Levit. 9.

I. Cur in Miſſa pro defunctis non datur benedictio?

R. Quia ceſſant in ea lætæ ſolemnitates, quæ pro vivis fiunt; gaudium enim luctui non debet admiſceri. Deinde cum per benedictionem populus excitetur ad benedicendum Deum, ad hoc defuncti, utpote abſentes, excitari nequeunt, licet noſtris ſuffragiis poſſint adjuvari.

I. Cur ad ultimum ſubjungitur Evangelium S. Joannis.

Evangelium S. Joannis. R. Id fit ob tria: 1. Ut grati agnoſcamus, quantus ſit, quem vili ſpecie panis & vini tectum accepimus, videlicet verbum æternum Dei Patris, per quod facta ſunt omnia, 2. Ut conſideremus quod hoc Verbum caro factum ſit; nec ſimpliciter tantùm ut habitaret nobiſcum, ſed & eo modo ut per Euchariſtiam habitaret in nobis plenum gratiâ & veritate, & ſic de plenitudine ejus omnes acciperemus. 3 Ut inculcetur fructus proveniens ex digna ejus ſumptione, nempe poteſtas ut Filii Dei ſimus; nimirum jam, non tantùm ſpiritu Dei imbuti, ſed & unigenito Filio ejus incorporati & conjuncti.

I. Pulchra ſunt iſta omnia, mihique jucundiſſima, ſed quotuſquiſque eſt, qui ita illa conſideret?

Exemplum. R. Pauci certè ſunt, qui ſacrorum rituum cognitionem habere, & ſinceram ex eis mentis compunctionem elicere ſatagant. Legimus tamen de S. Caſimiro, quod in Chriſti contemplandi Paſſione aſſiduus Miſſarum ſolemniis adeò erectâ in Deum mente ſolebat adeſſe, ut extra ſe rapi videretur.

L E.

Digitized by Google

LECTIO XX.

De ſacris veſtibus celebrantis Miſſam.

I. Nihil hactenus dixiſti de paramentis & veſtibus, quibus ſe induit Sacerdos ſacris operaturus?

R. Rectè mones, & hic non importunus locus de iis aliquid exponendi.

I. Dic ergo cur veſtes ſacræ in Miſſæ celebratione adhibentur?

R. Ad ſacroſancti ſacrificii reverentiā, ad Chriſti Paſſionem repræſentandam, & ad Sacerdotis & populi inſtructionem & doctrinam.

Amictus. I. Quid *amictus*, quo Sacerdotis caput obvelatur?

R. Amictus ſignificat velum, quo in domo ſummi Sacerdotis Caiphæ velata fuit Chriſti facies, & colaphis cæſa, cum
Matth. 26 hac irriſione & ſarcaſmo: *Prophetiza nobis, &c.* Secundò, ſignificat ſudarium, quo
Marc. 14. Caput Chriſti defuncti & ſepulti fuit involutum: De quo Joan. 20 *Sudarium quod*
Joan. 20. *fuit ſuper caput Ieſu, non erat cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum.*

Alba. I. Quid ſignificat *Alba*?

R. Alba repræſentat Chriſti veſtem albam, quâ ab Herode illuſus fuit.

Manipulus. Stola. I. Quid Manipulus, Stola, & Cingulum ſignificant?

Cingulū. R. Vincula, quibus Chriſtus ligatus fuit in horto, in flagellatione & deductione ad ſupplicium Crucis.

Caſula. I. Quid Caſula, ſive Planeta?

R. Significat Chlamydem coccineam, & purpureum indumentum, quo Chriſtus à militibus indutus, & illuſus fuit. In ea aſſutus pannus oblongus à parte anteriori repræſentat columnam, crux poſterioris panni ſignificat illam ipſam crucem, quam Dominus portavit humeris ſuis, & in qua ſuffixus fuit.

I. Quandoquidem indumenta ſacra quibus induti Sacerdotes ſacroſancta myſteria peragunt, res tam ſanctas repræſentant, oporteret ſanè Sacerdotes præcipuo circa illa nitori & munditiei ſtudere. *Sacerdotes circa paramenta & vaſa ſacra debent eſſe mundi.*

R. Optimè dicis; & qui id non faciunt, modicæ ſunt fidei, ſacrificio detrahunt, & parum admodum in conſcientia mundi eſſe convincuntur, præſertim quando agitur de iis quæ Sacramentum immediatè contingunt, aut etiam continent.

I. Quid tonſura, ſive corona Sacerdotis ſignificat? *Tonſura Sacerdotum.*

R. Præter ea quæ nos alibi diximus, repræſentat hic coronam ſpineam, quâ in Paſſione ſua, ex affectati regni calumnia, redimitus fuit Dominus.

I. Peccantnè graviter, qui ſacrum hunc apparatum habent ludibrio?

R. Graviſſimè. Irrident enim Chriſtum Dominum, ejuſque Paſſionem, & tremenda ſacrificii myſteria.

I. Malenè aliquando mulctavit Deus ejuſmodi irriſores, & ſacrorum temeratores?

R. Ita. *In civitate Hollandiæ Gouda anno Domini 1574. contigit, ut Catholicus quidam civis graviter infirmaretur. Irriſerunt eum quidam Calviniſtæ, dictitantes per ludibrium leviùs & citiùs eum defungi poſſe, ſi Miſſam priùs audiviſſet. Mox quidam ex illis profert habitum ſacrum, quo Eccleſia Catholica in Miſſa uti conſuevit, iiſque induitur; paratur menſa pro altari, cætera expediuntur, adſunt ſubordinati Diaconus & Subdiaconus. Canitur Introitus, & uſurpantur per ludibrium omnes penè ceremoniæ Eccleſiaſticæ. Vbi perventum eſt ad Agnus Dei, feſtinus accurrit famulus ſacrificantis, qui nuntiat uxorem ejus coarctari doloribus partus; ille protinus excuſſo habitu, Miſſaque facta, feſtinus domum ſeſe proripuit. Inter eundem nuntiatur ei uxorem duos gemellos enixam. Fauſtum hoc nuncium, ut domum ingreſſus eſt, mox convertitur in luctum: Fi-* Bredemb. l. 1. c. 64. Exempla.

liolus

lioſus enim uterque extinctus eſt ; uxoris deinde cubiculum ingreſſus, eam cum morte conflictari, & paulò pòſt defungi videt; ipſe quoque peſte poſtridiè corripitur, cum omnibus qui vel miniſterio, vel cantu, imò etiam ſolâ præſentiâ ludicro ſacrificio ſuffragati erant, omneſque eâdem lue moriuntur. Catholicus verò ex infirmitate decumbens convaluit. Deus non irridetur.

Conſtantinus Manaſſes in Annalibus & Mich. Glicas p. 4. Annal.

Michaël III. Imp. cognomento Temulentus, vir diſſolutiſſimus, eò dementia proceſſit, ut etiam in ſacroſancta myſteria ludens debacchare tur. Increpuit eum mater multis vicibus, ſed abſque fructu. Imò mater à filio Curiâ pellitur. Baſilius poſtea ad Imperium ſubvectus, cùm Michaëlem ceu vinoſum ac temulentum damnaſſet, gladio viſcera ejus ad B. Mamantis ædem, ut Glicas commemorat, trajecit. Talem impius ille ſacrorum myſteriorum irriſor, matris perſecutor, Dei contemptor, Imperii diſſipator ſortitus eſt exitum.

Baron. an. Dom. 854. n. III. & a. 867. n. VIII.

I. Probavitne aliquando Deus aliquibus oſtentis aut miraculis ſacro-ſancta myſteria ſibi grata eſſe & accepta?

Naucler. in Chron. Gen. 36.

R. Ita. Circa annum Domini 1024. in Sicilia, civitas Syracuſana tanto terræ motu concuſſa eſt, ut Eccleſia ibidem infra Miſſarum ſolemnia hominibus plena corrueret, & omnes utriuſque ſexûs homines opprimeret, præter Sacerdotem celebrantem, & duos ejus miniſtros.

Viſiones Angelorum in ſacrificio.

S. Joannes Chryſ. l. 6. de Sacerd. *Per id tempus* (ſacrificii) *Angeli Sacerdoti aſſidens, & cæleſtium Poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem, cui immolatur, Angelorum choris plenus eſt. Vidit enim, inquit, ſenex quidam admirabilis, eo tempore Angelorum multitudinem, fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium, atque ſic capite inclinatorum ut ſi quis milites præſente Rege ſtantes videat.*

Cyril. in ejus vita.

Sanctus Euthymius Abbas ſub annum Chriſti 503 ſacrificans ſæpè vidit Angelos cum Deo miniſtrantes, & ſacra contrectantes.

Alius vidit & lucem immenſam deſuper deſcendentem, quæ ipſum cum miniſtro uſque ad finem ſacrificii complectebatur. *Exempla.*

In Martyrol. Rom. ſic legimus: *Cal. Sept. apud Senonas B. Lupi Epiſc. & Conf. de quo refertur quod quadam die, dum præſente Clero ſacris altaribus adſtaret, lapſa eſt cælitùs gemma in ejus calicem ſanctum.*

Ita ſuper caput S. Martini, dum ſacrificaret, globus igneus apparuit, teſte Severo in ejus vita.

I. Eſtne res Deo grata miniſtrare Miſſæ?

R. Ita. S. Stephanus Protomartyr miniſtrabat D. Jacobo primo Hieroſolym. Epiſcopo uti Diaconus. Ita Ignat. ad Heron. *Exempla.*

S. Thomas Aquinas quotidie Miſſam devotè celebrabat, quâ peractâ, aliam etiam audiebat, cui, ut plurimùm, miniſtrabat. *Sur. in vita ejus 7. Mart.*

Quod Angeli interdum Miſſæ devotiſſimè miniſtraverint, ſuprà p. 1. de Angelis.

LECTIO XXI.

I. Rectène & ſanctè agunt Sacerdotes quotidiè Miſſam celebrantes?

R. Ita. S. Guduvalus Epiſcopus ſolitus fuit Miſſas aſſiduè celebrare; quantâ autem puritate ſe tanto myſterio præpararet, divinitùs revelatum; jejuniis, vigiliis, precibus præmiſſis celebrans, cælos vidit aperiri, Angelos deſcendere, laudes Deo canere cum ingenti reverentia; ipſe verò ceu ſplendida lucis columna ſtabat ſancta ſanctorum tractans, & Agnum Dei immolans. *Exempla. Sur. in vita ejus 6. Julii.*

S. Caſſius omnipotenti Deo hoſtiam placationis quotidiè immolabat. Cùm *S. Greg. hom. 37 in* ad *Evang.* &

Martyrol. Rom. ad 19. Julii.

ad horam offerendi ſacrificii ſveniſſet, velut totus in lacrymas defluens, ſemetipſum cum magna cordis contritione ſacrificabat; cujus vitam & exitum, à quodam venerabilis vitæ Diacono, qui fuerat ab eo nutritus, cognovi. Aiebat enim quod quadam nocte ejus Presbytero per viſum Dominus adſtitit, dicens: *Age quod agis, operare quod operaris, ceſſet pes tuus, non ceſſet manus tua. Natali Apoſtolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Quod quidem ſeptimo poſt anno contigit; in Natali enim Apoſtolorum oblato ſacrificio ad lectum ſedit, & ſanctum Deo ſpiritum reddidit.

De Beatiſſimo Andrea Apoſtolo ita in Actis paſſionis ejus legimus: *Ego omnipotenti Deo, qui vivus & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hyrcorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem poſtquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat.*

Sacerdotes quotidiè celebrare convenit ex multis rationibus.

De quotidianâ Miſſarum celebratione habemus exempla in vita SS. Ignatii, Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Juſtiniani Venetorum Patriarchæ, S. Odilonis, S. Caroli Borromæi, & aliorum plurimorum.

I. Quibus argumentis perſuaderes ſanctum, & admodum utile eſſe, Sacerdotes quotidiè celebrare?

Hebr. 5. & 8.

R. *Primò. Omnis Pontifex* (uti & Sacerdos) *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis:* q. d. Cùm tam ipſe Sacerdos, quàm populus infirmitate circumdatus quotidiè peccet & erret, neceſſarium eſt, ſanctum & ſalutare, ut offerat quotidiè hoſtias placationis ſacrificium Miſſæ celebrando, tam pro ſe, quàm pro populo: præſertim cùm Pontifex & Sacerdos conſtituatur pro hominibus in iis quæ ſunt ad Deum, id eſt, ut hominum cauſam apud Deum agat, tanquam eorum mediator, pro eiſque oret, & interpellet. Rurſum, ut vice populi fungatur ſacerdotio apud Deum, & ea quæ Dei cultum ſpectant, adminiſtret. Cùm enim populus teneatur publico cultu, ritu, & cæremoniis colere Deum, illique tanquam ſuo & rerum omnium Creatori ac Domino ſummum honorem & cultum exhibere; id verò decenter fieri non poſſit per ſingulos homines, qui ſæpè rudes ſunt & de plebe, hac de cauſa unus ex omnibus magis peritus & idoneus eligitur, qui pro cæteris hominibus ritè id præſtet, & per quem cæteri debitum Deo cultum certis ritibus ac cæremoniis publicè exhibeant, quod in Eccleſia Catholica Romana per Sacerdotes in ſacroſancti Miſſæ Sacrificii exhibitione fieri certum eſt.

Ex quo diſcurſu duplex elicitur ratio, cur ſuperiùs dixerim Sacerdoti, *neceſſarium, ſanctum, & ſalutare* quotidiè (quâtum quidem honeſtas, aut ejus diſpoſitio permittit) Miſſas celebrare. *Prima eſt*, ut quotidie Deum placet pro ſuis & populi peccatis.

Secundò, ut quotidianum Creatori ſuo latreuticæ recognitionis cultum & venerationem deferat.

Suprà lect. 1. hujus cap. ultra med.

Ex qua poſteriori ratione rurſum, prudens Lector, hoc collige, & adverte, quòd omnes gentes ex dictamine rectæ rationis & naturæ ſemper conſtituerint aliquos Sacerdotes, qui pro ſe Deo publicum hunc latriæ cultum offerrent, & peragerent. Unde ſequitur Chriſtianos quoque ex jure tam naturæ, quàm gentium, ſuos debere habere Sacerdotes, ſua pariter & ſacra, & ſacrificia, ſcilicet Euchariſtiæ; quibus Deum publicè & ſolemniter colant: alioqui enim Reſpublica & Eccleſia mutila eſſet & manca,

 atque

Digitized by Google

atque imperfectior, quàm fuerit Judæorum, aliarumque quarumlibet gentium.

Addo argumentum tertium, ſive rationem, quâ reſponſionem meam primam & principalem comprobem, ſcilicet rectè & ſanctè agere Sacerdotes, dum Miſſas quotidiè celebrant.

Tertia, Chriſtus Dominus præcepit hoc ſacrificium in ſui & benedictæ ſuæ paſſionis jugem memoriam offerri; quâ quidem recordatione, & meditatione, nihil hominibus, præſertim Sacerdotibus utilius eſſe poteſt. Vide ſup p. 1. c. 5. lect. 7.

Poſſet enim reſponſio mea plurimum ſuaderi ex iis, quæ infrà lect. 24 de effectibus Euchariſtiæ dicemus.

I. Qui fit igitur quòd multi ex Sacerdotibus, tam exiguo fructu Miſſas quotidiè celebrant?

R. Iſtius ratio eſt, quòd parum diſpoſiti, ad tremenda myſteria ſeſe ingerant.

I. Quâ ratione velles ejuſmodi hominum teporem excitare, & irreligioſitatem redarguere?

R. Proponam hîc in eum finem ipſiſſimam exhortationem S. Conc. Tri. *Quanta cura adhibenda ſit, ut ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facilè exiſtimare poterit, qui cogitarit maledictum in ſacris litteris vocari eum, qui facit opus Dei negligenter. Quod ſi neceſſariò fatemur nullum aliud opus adeò ſanctum ac divinum, à Chriſti Fidelibus tractari poſſe quàm hoc ipſum tremendum myſteriũ, quo vivifica illa hoſtia, quâ Deo Patri reconciliati ſumus, in altari per Sacerdotes quotidiè immolatur, ſatis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta maxima fieri poteſt, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis ſpecie peragatur.*

L. 22. in decret. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſæ

Jerem. 48.

LECTIO XXII.

I. SUggere mihi modum aliquem præparationis ad Miſſam?

R. Vereor excedere limites Catechiſmi; nihilominùs lubens votis tuis ſatisfacio. Accipe igitur illam, quam ante complures annos mihi ipſe deſcripſeram, & diſtribuitur in quinque puncta. Sacerdoti enim præviè quàm ad Miſſam faciendam accedat, adeſſe debent: *Magna fides, vitæ puritas, intentionis rectitudo, devotionis excitatio, & generalis poſtulatio neceſſariorum.*

PUNCTUM PRIMUM.

Quam fidem habere debeat Sacerdos circa hoc Sacramentum.

CRedere debet firmiter Sacerdos, & nullatenus dubitare ſecundùm quod docet Fides Catholica, quod in hora expreſſionis verborum Chriſti, panis materialis & viſibilis, adveniente mirifico & cæleſti pane, veluti Creatori honorem deferens, locum ſuum, ſcilicet viſibilem ſpeciem accidentium, pro miniſterio ac ſacramentali ſervitio relinquit, quo deſinente eſſe, miro & ineffabili modo in eodem inſtanti, iſta ſubtilis accidentibus veraciter exiſtunt. *Primò*, illa puriſſima Chriſti Caro, & ſacrum Corpus, quod fabricante Spiritu ſancto natum eſt de utero glorioſæ Virginis Mariæ, appenſum in Cruce, poſitum in ſepulchro, & glorificatum in cælo.

S. Bonav. de modo ſe præparandi ad Miſſam

Secundò, quia caro non vivit ſine ſanguine, ideò & neceſſarius eſt ille ſanguis pretioſus, qui feliciter emanavit in Cruce pro mundi ſalute.

Tertiò, cùm non ſit verus homo abſque anima rationali, propterea eſt ibi anima Chriſti glorioſa, excedens in gratia & gloria omnem virtutem, gloriam, & poteſtatem.

Quartò, quia Chriſtus eſt verus Deus, &

& verus homo, ideò conſequenter eſt ibi Deus iu ſua majeſtate glorioſus. Hæc omnia quatuor & ſingula tota ſimul ſub ſpeciebus panis & vini perfectè continentur, non minus in calice quàm in hoſtia; nec minus in hoſtia, quàm in calice: nec in uno defectus ſuppletur alterius, ſed in ambobus completur myſterium, de quo eſt grandis ſermo *Et infrà.*

Cùm ergò accedis, cave, ne dubitando vacilles, & tanquam cæcus manu tentans baculo arundineo, ſcilicet argumentis naturalibus, & rationibus humanis quærere quomodo iſta fieri poſſunt: ſicut Judæi quondam litigabant, & quidam Diſcipuli abierunt retrorſum. Sed ſubjice teipſum, & captiva mentem tuam ſub jugo fidei, quam tantis teſtibus roboratam vides.

Quid enim dubitationis de hoc Sacramento remanet, quod à Chriſto tam expreſsè traditum, ab Apoſtolis prædicatũ, à ſanctis Patribus orthodoxis tot centenariis annorum frequentatum, tantiſque cæremoniis & miraculis, prodigiis & obſervantiis, quaſi teſtimoniis palpabilibus confirmatum vides? *Et infrà.*

Recedat ergò omnis dubitatio, quia ſicut olim divinitas in utero Virginis latuit, & Filius Dei ſub humanæ carnis velamine viſibilis mundo apparuit; ſic glorificata humanitas divinitati conjuncta ſub forma panis latet, ut nobis mortalibus ſic apparere poſſit, & fides nobis proſit. *Hac S. Bonaventura.*

Producat deinde hunc, vel ſimilem actum fidei: *Ego credo & confiteor quicquid ſancta Mater Romana Eccleſia credit, & profitetur de hoc admirabili & vivifico Sacramento, deque legis novæ unico ſacrificio pretioſiſſimi Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Adjuva, Domine, incredulitatem meam & omnium in te credentium, ô ſanctiſſime Ieſu, Paſtor Fidelium.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Quanta cum vitæ puritate debet Sacerdos ad Altare accedere.

NEceſſarium etiam eſt, ut Sacerdos ſacroſancta myſteria tractaturus, magnâ & attentâ ſui cuſtodiâ, & actionum ſuarum diſcuſſione necnon anteactæ vitæ per contritionem, confeſſionem, & condignam ſatisfactionem emendatione, morum integritatem, & conſcientiæ munditiem retineat. Pro quo in memoriam ſibi revocare debet illud Conc. Trid. *Si quis dixerit ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema ſit, & ne tantum Sacramentum indignè, atque adeò in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habitâ copiâ Confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe ſacramentalem confeſſionem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* *Conc. Tri. ſ. can. 11.*

Ad hanc, de qua dicimus, vitæ puritatem, non parùm conferet, ſi Sacerdos (quantum quidem ex conditione ſtatûs ſui fieri poteſt) ſæcularem, & vanam converſationem fugiat, ac in primis fœminarum conſuetudinem averſetur, ſed in abdito cubiculi ſui multus ſit, Deo & ſibi vacans; ubi mens oratione, & ſanctis exercitiis colligatur. Si fortè ſacerdos ex neceſſitate, vel etiam ex cauſa juſta ſæculum ſubintroeat, quamprimùm regrediatur, & ad ſeipſum reveniat, rationem petiturus ſi fortè ex ejuſmodi digreſſione nihil inquinamenti domum referat, ut condigna emendatione illicò eluatur, quid in dicto, quid in facto, vel etiam cogitatione pec- *Monitum & conſiliũ bonum pro Sacerdotibus.*

peccatum fuerit. Ex quibus apparet, hanc vitæ ſanctimoniam nihil aliud eſſe quàm rectam morum compoſitionem, atque actionum omnium talem compoſitionem, ut dicere poſſit Sacerdos cum Pſalte: ***Anima mea in manibus meis ſemper.***

Pſal. 118. Sed heu! Quot ſunt hodie Sacerdotes miſeri, & ſuæ ſalutis improvidi, qui ad hæc non attendentes, Chriſti Corpus in altari velut carnes pecudum manducant, & benedictum Dei & Mariæ Filium ſceleratis manibus, & pollutis labiis contingere non verentur! Advertant, qui ejuſmodi ſunt, quod poſt buccellam introivit in Judam Satanas. *Joan. 13.*

Ad hæc, munda eſſe convenit corpora Sacerdotum, non tantùm à ſordibus peccaminoſis; ſed quantum fieri poteſt, ab iis etiam quæ citra culpam eveniunt. *Bell. 20. poſt initium.*

Inſuper curam habeat diligentē (quod nuper diximus) de munditia & nitore paramentorum altaris, ac ſacrorum vaſorum, ut eum omni honore & diligentia tractetur ille qui eſt Angelis & Archangelis tremendus & honorandus.

PUNCTUM TERTIUM.

De intentione quam Sacerdos celebraturus habere debet.

PRoba hic teipſum propter quid, vel ob quam cauſam accedis ad Altare: & hic dirige aciem mentis ad duo principaliter, ad purum affectum & deſiderium ſanctū: Secundò, ad debitam intentionem & propoſitum neceſſarium.

Primò vide quid deſideres, & cave, ne fortè propter avaritiam, aut timorem, aut vanam gloriam, aut conſuetudinem, aut alicujus mundanæ complacentiæ, aut temporalis favoris cauſam accedas, ſicut multi in diebus iſtis accipiunt ad ſuam perditionem, quod datur ad ſalutem.

O quot hodiè infelices ad ſacros Ordines, & divina myſteria accedunt, non cæleſtem panem, ſed terrenum; non ſpiritum, ſed lucrum quærentes; non Dei honorem, ſed ſuam ambitionem; non animarum ſalutem, ſed quæſtum pecuniarum; non Chriſto ſervire mundo corde, & corpore, in ſuis myſteriis, ſed deliciari, ditari, ſuperbire, luxuriari de patrimonio Chriſti & eleemoſynis populi, ac Eccleſiaſticas dignitates ambiendo multis litigiis & ſimoniis potiùs rapiunt, quàm aſſequuntur, non vocati à Deo, ſed impulſi à diabolo! Tu autem homo Dei dirige vota tua ac deſideria ad Deum; & vide quibus affectionibus & deſideriis trahi debeas ad ſacra myſteria celebranda.

Primò, trahat te conſcientia tua, & remorſus delictorum, ſperantem per Sacramentum quaſi per hoſtiam placationis ab omni peccato purgari. *Pii affectus, cum quibus ad altare accedere debet Sacerdos.*

Secundò, tuæ infirmitatis virtus atque ſalus, ut eum quaſi Medicum advoces, per quem ab omni infirmitate cureris.

Tertiò, preſſura alicujus tribulationis, per eum qui omnia poteſt, ab omni adverſitate citiùs libereris.

Quartò, deſiderium alicujus gratiæ ſpiritualis, ut per eum, cui nihil Pater negare poteſt, obtineas.

Quintò, gratiarum actio pro omnibus beneficiis tibi & aliis impenſis, cùm nihil valeamus Deo retribuere, pro omnibus quæ tribuit nobis, quàm calicem ſalutaris accipere, & ſacrificare hoſtiam laudis.

Sextò, charitas & compaſſio proximorum, cum pro ſalute vivorum, & requie defunctorū nihil efficacius valeat, quàm Chriſti Sanguis effuſus in remiſſionem peccatorum.

Septimò, laus Dei & Sanctorum, cum non habeamus melius, quo poſſimus Deum & Sanctos ſuos pro ſua dignitate laudare, quàm Chriſtum Deo Patri ſacramentaliter immolare.

Octa-

Digitized by Google

Octavò, Dei amor & dilectio, ut eum ad te invites, & per miſerationem ſpiritualis refectionis, in teipſo eum delectabiliter amplectaris.

Nonò, ſitis & deſiderium augendæ charitatis Chriſti, per augmentum gratiarum & chariſmatum; quia hoc Sacramentum continet fontem gratiarum, & ſanctificationum & ſalutis auctorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Hactenus de piis affectibus & deſideriis, quibus moveri debet Sacerdos, ut ad altare ſacris operaturus accedat; nunc ſequitur, ut:

Secundò dirigat mentem & debitam intentionem circa ea quæ agere debet. Principalis igitur intentio celebrantis ſit Deum per latriam colere.

Intentiones quas Sacerdos debet habere circa ſacrificium celebrandum.

Idoneus taliter Deum colendi ritus eſt hoc ſacrificium Miſſæ, quo divinæ Majeſtati oblato, proteſtamur ſummum & ſupremum ejus in res omnes dominatum, ac noſtram in immenſum ſubjectionem. Ex qua relatione tantæ ſervitutis noſtræ ad tantum ejus dominium, oritur immenſum debitum, quo obligamur non ſolùm noſtra, ſed & nosipſos impendere pro ſuo honore, & recognitione infinitæ ſuæ bonitatis & magnitudinis, ſacrificiis & muneribus ei ſervientes omnibus diebus noſtris.

GREGORIUS XIII.

Conceſſit omnibus Sacerdotibus dicentibus quæ ſequuntur 50. annorum Indulgentiam.

EGo volo celebrare Miſſam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini noſtri IESV Chriſti juxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ad laudem Omnipotentis Dei, totiuſque Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiuſque Curiæ militantis, pro omnibus qui ſe commendaverunt orationibus meis in genere & in ſpecie, & pro felici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Amen.

PUNCTUM QUARTUM.

Debet Sacerdos cum magna devotione ad celebrandum accedere.

IN primis quidem non erit contentus Sacerdos iis quæ ſup. punct. 2. poſuimus, ut ſcilicet eâ ſit puritate & munditiâ vitæ; quâ diligenter mortalia caveat, ſed debet venialia peccata per negligentiam & otium multiplicata, per deſtructionem diſſolutæ vitæ & malæ conſuetudinis tollere; quæ, etſi animam non occidant, tamen plerumque hominem reddunt tepidum, obtuſum, indevotum, & indiſpoſitum ad celebrandum. Oportet igitur dictos pulveres venialium diſcutiendo & pœnitendo è conſcientiæ domo everrere, & flammâ charitatis corda purificante idoneum ſe præſtare miniſtrum ejus, qui eſt Sanctus Sanctorum.

Si vis ad amorem Dei in hac Sacramenti receptione tota mente accendi, duo tibi ſunt conſideranda principaliter: Paſſio Domini, juxta illud: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*; & ſumma dignatio & charitas Chriſti Domini, quæ in hac inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti ſingulariter enituit.

Oratio ad Patrem.

Ex qua priore conſideratione licet ejuſmodi colloquium ad Deum Patrem elicere: *Ecce, cæleſtis Pater, recolens illam mortem Unigeniti tui, offero tibi hoſtiam hanc, quam ipſe tibi obtulit pro meâ, & totius mundi ſalute. Ad Altare tuæ Majeſtatis tranſmitto oblationem vivam quam tu in miſeratione multa miſiſti ad altare Crucis pro nobis immolandam. Recordare illius ſacroſancti ſudoris; quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Reſpice virgineam illam carnem verberibus crudeliter flagellatam, clavis confixam, lancea vulneratam. Illa ergo pietas quæ Filium tuum traxit & vicit, ut in ſtatera crucis totius mundi peccata libraret: ipſa te cogat, Pater, miſerere nobis,*

Reſpice, obſecro, non noſtra peccata, ſed in faciem Chriſti tui. non enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in multitudine miſerationum tuarum.

Ex poſteriore conſideratione formetur hoc aut ſimile colloquium: *O quàm ſuavis eſt Domine, ſpiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cælo præſtito eſurientes replesti omnis, faſtidioſos divites dimittens inanes. Quid tibi, dulciſſime IESV, quid tibi Sapientia æterna, cum filiis hominum, ut delicias tuas ducas eſſe cum eis. Sufficere tibi debebat, quod perditam ovem tantis impendiis tuis requiſieris; Verùm tantus labor tuus non poſuit modum aut finem dilectioni tuæ: nam requiſitam ovem voluiſti in ſinu tuo fovere, & de calice tuo bibere. Et quis dicat deinceps de homine, quia minuiſti eum paulò minus ab Angelis, cùm parem eum illis feceris, quando eundem cibum & panem utrique præparaſti, manna ſcilicet abſconditum; te, inquam, verum Deum & hominem ſub ſpeciebus ſacramentalibus abſconditum; Nulla ſanè, ac prorſus nulla eſt tam grandis natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut tu Deus noſter in hoc cæleſti convivio nobis adeſſe dignaris, ut convivium & conviva, &c.* Dic cum ſtupore nimio, ô anima mea, præ majeſtate Domini Dei, & Salvatoris tui confuſa; *Exi à me, Domine, quia peccator ſum.* Et nihilominùs, quia ita viſum eſt ſuaviſſimo tuo Sponſo, offer illi cum maxima animi ſubmiſſione & reverentia habitationem tuam, proteſtans, quia non es dignus, ut intret ipſe ſub tectum tuum, roga proinde illum, ut dicat verbum, & ſanabitur anima tua, præparabiturque hoſpitiolum Domino; ille enim eſt ſolus qui poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine.

Oratio ad Filium

Legantur hic pro opportunitate Sacerdotis, præparamenta ad Miſſam, *quæ habentur ſub initio Miſſalis. & alia orationes pro cujuſque devotione.*

PUNCTUM QUINTUM.

Pro quibus, & quo ordine orabit Sacerdos in Miſſa.

Generalis poſtulatio neceſſariorum, (quæ à Sacerdote ante Miſſam, ne ea longior ſit, præconcipi debet) ſic inſtitui poteſt, ut Eccleſia in tres partes dividatur, videlicet: *in triumphantem, purgantem, & militantem*, hoc modo: O Sanctiſſima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, Deus æterne, Creator, Conſervator, & Redemptor, gratias ago tibi propter magnam gloriam tuam, & propter honorem immaculatæ ſemper & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Matris Domini noſtri JESU Chriſti, ac propter honorem & gloriam tuam totius Curiæ cæleſtis, da mihi divinæ Majeſtatis tuæ nomen ſanctificare, & divinam voluntatem tuam ſic in terra perficere, quemadmodum Beati omnes in Cœlo faciunt.

Generalis poſtulatio brevior.

Oro itaque pro me indigno famulo tuo, quem de terræ pulvere ad tanti Sacerdotii dignitatem, ſolâ dignatione miſericordiæ tuæ evexiſti.

Oro pro omnibus hominibus, quorum omnium Pater, Creator, Conſervator es.

Ac in primis pro ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Filiis.

Inter quos, oro pro ſanctiſſimo Domino noſtro N. Papa, & pro ſtatu totius Romanæ Eccleſiæ

Deinde pro reverendiſſimo Domino noſtro Epiſcopo, ac Eccleſiis ipſi commiſſis.

Et pro Romanorum Imperatore noſtro N.

Et pro Rege noſtro N.

Et pro Principibus noſtris, Ducibus, & exercitu, & populo ipſi commiſſis,

Et pro ſubditis mihi ſpecialiter commendatis.

Oro etiam pro Fidelibus defunctis, ut eos

eos ad æternæ quietis refrigerium admittere digneris; per aſperſionem pretioſiſſimi Sanguinis tui, quem tibi in altari offerimus.

Latiùs & enucleatiùs fieri poterit hoc modo.

Eadem prolixior.

O Altiſſime & potentiſſime Deus, quem hîc non minus quàm in cœleſti domicilio præſentem credo, adoro te ut Deum meum, ex toto corde meo, ex omnibus viribus meis, atque oro te ut me Sacerdotis officio fungentem, & pro omnibus deprecantem coram te ſuſtineas, meas orationes exaudias; & illas cum fructu tuæ miſericordiæ expedias.

Gratias tibi ago, ô bonorum origo, pro innumeris & maximis beneficiis, quæ ex momento conceptionis meæ, uſque in hanc horam de tua benignitate ſuſcepi, & quæ in hoc temporis momento à te ſuſcipio. Pro infinitis quoque donis tuis, quæ uſque in finem vitæ meæ, & per totam æternitatem ſum accepturus de theſauris immenſæ bonitatis tuæ.

Nam & ego, Domine, ſine ulla comparatione minor ſum minimo beneficiorum tuorum, indignus planè ut mei recorderis, ut me ſuſtineas, ut mihi minimum ex tuis donis tribuas.

Specialiter autem tibi gratias ago, Domine Deus, & Pater amantiſſime, ex totis præcordiis meis.

1. Pro magna gloria tua.

2. Pro infinitis divitiis, quas in ſacra humanitate Domini noſtri JESU Chriſti collocaſti & quia eum mihi in partem, in Doctorem, in Ducem, ac in Redemptorem dediſti.

3. Pro ſingularibus ac innumeris beneficiis ac donis, quæ in beatiſſima Virgine Maria Matre ejuſdem Unigeniti tui depoſuiſti, & quia eam mihi in Matrem, Advocatam, ac Protectricem donaſti.

4. Pro maximis gratiis, quibus ſanctos Angelos, omneſque ſpiritus cœleſtes cumulaſti; necnon & pro illis quibus hunc ſanctum N. vel ſanctos N. N. quos hodiè ſolemni ritu celebramus, affeciſti.

5. Pro ſingulari beneficiorum copia, quâ eos reples, quos efficaci gratiâ per totam Eccleſiam ad perfectionem effers, & ad tuam dulciſſimam familiaritatem admittis.

6. Pro talentis ac bonis tum naturalibus, tum ſupernaturalibus mihi conceſſis.

7. Pro hac ſublimiſſima ſacerdotii dignitate, ad quam me de pulvere erexiſti.

8. Ac tandem pro eo quod me etiamnum ad incruentum hoc ſacrificium offerendum admittere dignaris.

Et nunc Domine, his & aliis innumeris beneficiis tuis animatus, alia nova ſuppliciter poſtulo. Panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem da mihi hodiè. Non eſt bonum, ſcio, quia tu dixiſti, Domine Deus meus; *Non eſt*, inquam, *bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matt. 15. Sed licet hoc ita ſit, tamen aliquando *catelli comedunt de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Quare licet ego in domo tua quaſi catellus ſim deſpicabilis, comedam tamen hodiè beneficio tuo ex hoc pane filiorum tuorum. Tu autem ad hoc Sacramentum accipiendum, & ſacrificium offerendum poſſibilitatem & facultatem concede.

Et quia tu Domine hoc ſacrificio vis placari, & ex merito & valore ejus omnibus bona largiri, nunc munus meum Sacerdotis implens, volo in conſpectu tuo cor meum effundere, & per merita dilectiſſimi Filii tui, pro omnibus apud te deprecari conſtituo.

Miſerere igitur, ô benigniſſime miſerationum Pater, toti mundo, & eum fide ac ſcientia tua reple, ac gentes à fide alienas, ad veritatis notitiam converte. Turcas, Mauros, Hæreticos, Schiſmaticos, idolorum Cultores, ac perfidos Judæos,

in

in domum Eccleſiæ tuæ, jam tandem intrare, quæſo compelle.

Non pereant tot imagines tuæ; non ſit in illis vacuus & inanis Sanguis pretioſiſſimi Filii tui. Lugeo Domine, coram te hos fratres meos alienos à te. Recordare Domine quia tu feciſti eos, ut te diligerent, te cognoſcerent, tibi ſervirent. O ſi daretur mihi omnium iſtorum intellectus in te credere, omnium voluntaribus te diligere, omnium viribus perpetuò tibi ſervire.

Miſerere, Domine, Eccleſiæ tuæ, auge in ea puritatem & munditiem ſanctitatis, eamque labore Virorum Apoſtolicorum; per totum orbem terrarum extende.

Reſpice, Domine, juſtos illius ipſos præcipuè; qui ad perfectionem properant, & in eis juſtitiam ſerva & augmenta.

Reſpice etiam peccatores in cœno peccatorum ſuorum jacentes, & eos potenti brachio tuo educ è tam miſero ſtatu.

Adjuva, Domine, ſummum Pontificem N. Vicarium tuum, Paſtorem gregis tui, da ei ut cunctis verbo & exemplo præluceat, & ad ſalutem ducat.

Intende oculos tuos in cunctos Prælatos, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, & omnes qui ad clericalē ſtatum pertinent, & ſalutem animarum curant; fac ut eam vitæ puritatem teneant, quam ſanctiſſima eorum dignitas expoſcit.

Miſerere omnium ſanctarum Religionum, tribue eis ut ſecundùm ſuam vocationem vivant, & exactè regulas ſuas obſervent.

Miſerere, Domine, Regis noſtri Catholici, & omnium Regum Chriſtianorum, & univerſorum Gubernatorum, Nobilium, Plebeiorum, & omnium qui ad ſingularem ſtatum ſpectant. Libera eos ab adverſariis ſuis; fac eos tua ſervare mandata, ut ad ſalutem, ad quam creati ſunt, perveniant.

Miſerere etiam, Domine, parentum meorum, fratrum, cognatorum, amicorum, & omnium eorum qui ſe commendarunt orationibus meis; vel pro quibus orare debeo; ut eis dones quod voluntati tuæ placitum eſt, & ſaluti eorum profuturum eſſe cognoveris.

Miſerere etiam, Domine, omnium vinctorum, ægrotorum, tribulatorum, peregrinantium, navigantium, & in aliqua neceſſitate gravi conſtitutorum; ut ex tua largitate remedium ſuarum neceſſitatum accipiant.

Miſerere quoque, Domine, inimicorum meorum, & eorum qui me perſequuntur, quos intimè diligo: tu Domine in omnibus benefac eis, infunde eis ſanctum amorem tuum, & cum ſancta voluntate tua concordiam, ac tandem vitam æternam in cœlis.

Qui eſt in aliqua ſuperioritate oret hic pro ſubditis.

Reſpice benignus animas omnium Fidelium in Purgatorio detentas, præſertim N.N, & aliorum pro quibus orare teneor; da eis refrigerium pœnarum ſuarum, & citò purgatas in requiem æternam admitte.

Jam ô Deus meus, Redemptor meus, ecce pono omnes infirmitates meas, coram te hodie cum gemitu & afflictione, ſciens quia peccata mea multiplicata ſunt nimis. Tu, Domine, miſerere mei, & dimitte univerſa delicta mea propter Filium tuum in ara crucis oblatum: Da mihi veram contritionem ut ea deteſter, & fac me dignos pœnitentiæ fructus præſtare.

Da mihi fervorem charitatis, & pro ſtatu meo verum zelum animarum, ut in omnibus gloriam tuam quærens, aggregare contendam Fideles in unitatem fidei.

Sic poterit ulteriùs neceſſitates ſuas exponere. *Quibus ex ordine peractis accinget ſe Sacerdos ad celebrandam Miſſam, obſervans in omnibus accuratiſſimè Rubricas Miſſalis Romani; eamque legat ſecundùm A, B, C, D, id eſt, Altè, Breviter, Claré, Devotè.*

APPLI-

APPLICATIO MISSÆ FACIENDA à Sacerdote in utroque Memento.

Memento vivorum.

1. MEi, parentum, fratrum, ſororum, conſanguineorum, & omnium amicorum meorum.

2. Omnium quibus fui gravamen, ſcandalum, & occaſio peccandi.

3. Omnium benefactorum meorum in temporalibus & ſpiritualibus.

4 Omnium Sacerdotum, & Eccleſiæ Catholicæ miniſtrorum.

5. Omnium inimicorum meorum, ut eis peccata dimittas,

6. Omnium hæreticorum & infidelium, ut eos ad verum fidei lumen convertas.

7. Omnium agonizantium, & improviſè morientium.

8. Omnium mihi commiſſorum in genere & in ſpecie, & omnium pro quibus vis, & ſcis me debere orare.

Memento mortuorum.

1. ANimarum parentum, fratrum, ſororum, conſanguineorum, & omnium amicorum meorum.

2. Animarum quæ occaſione mei purgantur in igne Purgatorio.

3. Animarum omnium benefactorum meorum in ſpiritualibus & temporalibus.

4. Animarum omnium Sacerdotum & miniſtrorum Eccleſiæ Catholicæ.

5. Animarum quarum non eſt ſpecialis memoria.

6. Animarum omnium mihi olim commiſſarum in genere & in ſpecie.

7. Animarum improvisâ morte corporibus exutarum.

8. Animarum exiſtentium in Purgatorio, & omnium pro quibus vis, & ſcis me debere orare.

Gratiarum actio poſt Miſſam.

PRimò, recipiat ſe Sacerdos in locum quietum, Deo Opt. Max. pro tam ingenti beneficio gratias acturus, ſeipſum brevi mentis collectione reflectens, ſuper tam eximio ac ſingulari dono; atque diviniſſimi Sacramenti delicias, quaſi ruminaturus in mentem & os revocet.

Secundò, ſeipſum in gratiarum actionem revocet, ac totum tradat Deo ſuo, qui in hoc myſterio totum ſe ei tradidit.

Tertiò, petat à Deo quod mens accenſa ſuggerit.

Tandem pro opportunitate legat *Gratiarum actionem poſt Miſſam*, prout ponitur in fine Diurnalis Romani; vel alias orationes pro devotione.

LECTIO XXIII.

Modus præparandi ſe ad Communionem pro laicis, ſive pro non celebrantibus.

I. VElim præparationem aliquam pro laicis communicaturis adferri?

R. Hoc eſt punctum ſeptimum principale (cum iis quæ præcedenti lectione in gratiam Sacerdotum attulimus) quod ſtatueram in hac materia Euchariſtiæ tractare. Igitur.

Nota 1. Sancta ſanctè tractanda ſunt, alioqui plus mali quàm boni præſtitura; exemplo ſit Arca Domini, quæ honorificè per filios Iſraël habita multam illis ſalutem contulit; à Philiſtæis irreverenter & ingloriè excepta cladem & ruinam. 1. Reg. 5. & 6.

Nota 2. Duplex diſtingui poteſt præparatio, una neceſſaria, altera conveniens & congrua. *Præparatio alia neceſſaria, alia congrua.*

I Quam vocas præparationem neceſſariam?

R. Ut ſis diſpoſitus ad Communionem

in domum Eccleſiæ tuæ, jam tandem intrare, quæſo compelle.

Non pereant tot imagines tuæ; non ſit in illis vacuus & inanis Sanguis pretioſiſſimi Filii tui. Lugeo Domine, coram te hos fratres meos alienos à te. Recordare Domine quia tu feciſti eos, ut te diligerent, te cognoſcerent, tibi ſervirent. O ſi daretur mihi omnium iſtorum intellectus in te credere, omnium voluntatibus te diligere, omnium viribus perpetuò tibi ſervire.

Miſerere, Domine, Eccleſiæ tuæ, auge in ea puritatem & munditiem ſanctitatis, eamque labore Virorum Apoſtolicorum; per totum orbem terrarum extende.

Reſpice, Domine, juſtos illius ipſos præcipuè; qui ad perfectionem properant, & in eis juſtitiam ſerva & augmenta.

Reſpice etiam peccatores in cœno peccatorum ſuorum jacentes, & eos potenti brachio tuo educ è tam miſero ſtatu.

Adjuva, Domine, ſummum Pontificem N. Vicarium tuum, Paſtorem gregis tui, da ei ut cunctis verbo & exemplo præluceat, & ad ſalutem ducat.

Intende oculos tuos in cunctos Prælatos, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, & omnes qui ad clericalẽ ſtatum pertinent, & ſalutem animarum curant; fac ut eam vitæ puritatem teneant, quam ſanctiſſima eorum dignitas expoſcit.

Miſerere omnium ſanctarum Religionum, tribue eis ut ſecundùm ſuam vocationem vivant, & exactè regulas ſuas obſervent.

Miſerere, Domine, Regis noſtri Catholici, & omnium Regum Chriſtianorum, & univerſorum Gubernatorum, Nobilium, Plebeiorum, & omnium qui ad ſingularem ſtatum ſpectant. Libera eos ab adverſariis ſuis; fac eos tua ſervare mandata, ut ad ſalutem, ad quam creati ſunt, provemiant.

Miſerere etiam, Domine, parentum meorum, fratrum, cognatorum, amicorum, & omnium eorum qui ſe commendarunt orationibus meis; vel pro quibus orare debeo; ut eis dones quod voluntati tuæ placitum eſt, & ſaluti eorum profuturum eſſe cognoveris.

Miſerere etiam, Domine, omnium vinctorum, ægrotorum, tribulatorum, peregrinantium, navigantium, & in aliqua neceſſitate gravi conſtitutorum; ut ex tua largitate remedium ſuarum neceſſitatum accipiant.

Miſerere quoque, Domine, inimicorum meorum, & eorum qui me perſequuntur, quos intimè diligo: tu Domine in omnibus benefac eis, infunde eis ſanctum amorem tuum, & cum ſancta voluntate tua concordiam, ac tandem vitam æternam in cœlis. *Qui eſt in aliqua ſuperioritate oret hic pro ſubditis.*

Reſpice benignus animas omnium Fidelium in Purgatorio detentas; præſertim N.N. & aliorum pro quibus orare teneor; da eis refrigerium pœnarum ſuarum, & citò purgatas in requiem æternam admitte.

Jam ô Deus meus, Redemptor meus, ecce pono omnes infirmitates meas, coram te hodie cum gemitu & afflictione, ſciens quia peccata mea multiplicata ſunt nimis. Tu, Domine, miſerere mei, & dimitte univerſa delicta mea propter Filium tuum in ara crucis oblatum: Da mihi veram contritionem ut ea deteſter, & fac me dignos pœnitentiæ fructus præſtare.

Da mihi fervorem charitatis, & pro ſtatu meo verum zelum animarum, ut in omnibus gloriam tuam quærens, aggregare contendam Fideles in unitatem fidei.

Sic poterit ulteriùs neceſſitates ſuas exponere. *Quibus ex ordine peractis accinget ſe Sacerdos ad celebrandam Miſſam, obſervans in omnibus accuratiſſimè Rubricas Miſſalis Romani; eamque legat ſecundùm A, B, C, D, id eſt, Altè, Breviter, Clarè, Devotè.*

APPLI-

APPLICATIO MISSÆ FACIENDA à Sacerdote in utroque Memento.

Memento vivorum.

1. MEi, parentum, fratrum, ſororum, conſanguineorum, & omnium amicorum meorum.

2. Omnium quibus fui gravamen, ſcandalum, & occaſio peccandi.

3. Omnium benefactorum meorum in temporalibus & ſpiritualibus.

4. Omnium Sacerdotum, & Eccleſiæ Catholicæ miniſtrorum.

5. Omnium inimicorum meorum, ut eis peccata dimittas.

6. Omnium hæreticorum & infidelium, ut eos ad verum fidei lumen convertas.

7. Omnium agonizantium, & improvisè morientium.

8. Omnium mihi commiſſorum in genere & in ſpecie, & omnium pro quibus vis, & ſcis me debere orare.

Memento mortuorum.

1. ANimarum parentum, fratrum, ſororum, conſanguineorum, & omnium amicorum meorum.

2. Animarum quæ occaſione mei purgantur in igne Purgatorio.

3. Animarum omnium benefactorum meorum in ſpiritualibus & temporalibus.

4. Animarum omnium Sacerdotum & miniſtrorum Eccleſiæ Catholicæ.

5. Animarum quarum non eſt ſpecialis memoria.

6. Animarum omnium mihi olim commiſſarum in genere & in ſpecie.

7. Animarum improvisâ morte corporibus exutarum.

8. Animarum exiſtentium in Purgatorio, & omnium pro quibus vis, & ſcis me debere orare.

Gratiarum actio poſt Miſſam.

PRimò, recipiat ſe Sacerdos in locum quietum, Deo Opt. Max. pro tam ingenti beneficio gratias acturus, ſeipſum brevi mentis collectione reflectens, ſuper tam eximio ac ſingulari dono; atque diviniſſimi Sacramenti delicias, quaſi ruminaturus in mentem & os revocet.

Secundò, ſeipſum in gratiarum actionem revocet, ac totum tradat Deo ſuo, qui in hoc myſterio totum ſe ei tradidit.

Tertiò, petat à Deo quod mens accenſa ſuggerit.

Tandem pro opportunitate legat *Gratiarum actionem poſt Miſſam*, prout ponitur in fine Diurnalis Romani; vel alias orationes pro devotione.

LECTIO XXIII.

Modus præparandi ſe ad Communionem pro laicis, ſive pro non celebrantibus.

I. VElim præparationem aliquam pro laicis communicaturis adferri?

R. Hoc eſt punctum ſeptimum principale (cum iis quæ præcedenti lectione in gratiam Sacerdotum attulimus) quod ſtatueram in hac materia Euchariſtiæ tractare. Igitur.

Nota 1. Sancta ſanctè tractanda ſunt, *1. Reg. 5. & 6.*
alioqui plus mali quàm boni præſtitura; exemplo ſit Arca Domini, quæ honorificè per filios Iſraël habita multam illis ſalutem contulit; à Philiſtæis irreverenter & ingloriè excepta cladem & ruinam.

Nota 2. Duplex diſtingui poteſt præparatio, una neceſſaria, altera conveniens & congrua. *Præparatio alia neceſſaria, alia congrua.*

I. Quam vocas præparationem neceſſariam?

R. Ut ſis diſpoſitus ad Communionem

nem, debes inprimis eſſe immunis ab omni peccato mortali. Vide Conc. Trid. ſſ. 13. c. 7. can. 11. in ſuperiori lectione allegato.

Præparatio neceſſaria. *Secundò*, non debes eſſe ligatus excommunicatione.

Tertiò, debes eſſe jejunus: ſic videlicet, ut nihil cibi vel potus à media nocte ſumpſeris. *De conſec. diſt. 2. c. liquidò, ex S. Auguſt. ep 118.* Niſi fortè ex cauſa periculoſæ infirmitatis neceſſarium fuerit ægro non jejuno Viaticum miniſtrare.

Quartò, Vacare debes à diſtractionibus, illis præſertim quæ animi collectionem & devotionem impediunt.

Quintò, Si quis pollutus fuerit pollutione voluntariâ iſto die, quamvis confeſſus & pœnitens, abſtineat à Communione. Excipe tamen ſemper caſum neceſſitatis.

Qui pollutione nocturnâ in ſomnis pollutus eſt, non peccat, ſi iſto die ex devotionis affectu communicet, ſuppetente aliquâ causâ neceſſitatis, decentiæ, aut devotionis? alioquin ſi ex humilitate à Communione ſeſe ſubduxerit, benè fecerit.

33. q. 4. apud Gratianum. Similiter dicendum eſt de conjugatis, qui matrimonialem actum exercuerunt. Vide exemplum David 1. Reg 21.

Nota hic Apoſtolos, & eorum ſucceſſores olim conſtituiſſe, ut laici abſtinerent ab actu matrimoniali tribus ut minimum diebus ante, & totidem poſt Communionem; utque Sacerdotes qui quotidie celebrant & communicant, in perpetuo cælibatu, Angelorum inſtar viverent. *Conc Eliberi. apud Gratian. de conſec. d 2 omnis & Conc. Cabilon. can. 48.*

Nihilominùs non debent conjugati parti exigenti debitum conjugale denegare in die Communionis, cùm ipſum ſit actus juſtitiæ; non enim debet unius conjugis devotio incommodare compartem, vel turbationis alicujus occaſionem ei dare; præſertim cùm matrimonium etiam in remedium intemperantiæ inſtitutum ſit.

Sextò, Ante & poſt Communionem excitanda eſt devotio.

I. Quid vocas præparationem convenientem & congruam? *Præparatio conveniens, quæ exactior videtur.*

R. Quæ in hunc modum inſtituitur, ut tria permittantur Communioni, tria fiant in ipſa Communione, & ſimiliter tria poſt Communionem.

I. Quæ ſunt tria illa quæ Communioni præmittenda? *Tria puncta ante Communionem.*

R. *Primò*, ex animo conſcientia diſcutienda, & quantùm fieri poteſt, etiam à venialibus purganda, & dolendum ex corde de peccatis ab ultima confeſſione commiſſis; & dum jejunare non licet, parciùs ſaltem vivatur & bibatur.

Secundò, excitanda eſt in ſeipſo vehemens ſacri cibi appetitus, ex duabus conſiderationibus; unâ, de præſtantia & utilitate hujus Sacramenti, alterâ, de mea ipſius neceſſitate & indigentia Vide S. Joan. Chryſ. hom 6. ad pop. & 83 ſup. Mat. & Damaſc. l. 4. orthod fid c. 14.

Tertiò, excitare oportet ſeipſum ad profundam reverentiam & humilitatem, ex duabus ſimiliter rationibus; una, quâ perpenditur ille in Sacramento recipi, quem Sol & Luna mirantur, & in cujus conſpectu Stellæ non ſunt mundæ, quem reverenter adorant, & trementes laudant Angeli, &c. altera, quâ reflectio fit ſuper ſua ipſius indignitate & utilitate, ex tot peccatis & imperfectionibus, quibus tota hominis vita ſcatet.

I. Quæ ſunt tria in Communione peragenda?

R. *Primò*, accendas teipſum ad vehementiſſimum Domini Dei tui amorem, partim ex ipſa Chriſti Domini Paſſione, ejuſque ſacris vulneribus hauſtum; partim ex præſenti beneficio, ubi Chriſtus Dominus tantâ charitate ſeſe donat viliſſimæ creaturæ, ut non ſolùm apud ipſam manere, ſed etiam pretioſo Corpore & Sanguine ſuo reficere ſummopere deſideret. *Tria in ipſa Communione.*

Secundò, excita teipſum ad ſpem vivam. Quis enim non magnoperè confidat

ſe ab

Digitized by Google

ſe ab omnipotenti Deo omnia impetraturum, quando videt illum tantâ dignatione & munificentiâ ſeſe homini communicare?

Tertiò, ſummas illi agas gratias ex intimo corde pro tanto beneficio & charitate tibi in hoc Sacramento exhibitis.

I. Quæ tria puncta poſt Communionem vis ſubſequi?

Tria etiam poſt Communionem. R. *Primò*, toto illo die ſtudioſiùs cor tuum ab omni rerum externarum non neceſſariarum & vanarum occupatione cuſtodi, cogitans in eo Dominum tuum tanquam in habitaculo ſuo requieſcere: quare da operam omni modeſtiæ tam loquendo, videndo, ambulando, quàm in omni externa converſatione. Sæpè etiam per diem in mentem revoca, quâ dignatione te dignatus ſit Dominus, ut per ſacram Communionem ad te diverteret; proindè roga illum dicens: *Mane nobiſcum, Domine, quoniam adveſperaſcit.*

Secundò, multa bona opera facere contendas ad honorem & amorem ipſius, ſatagens in omnibus bonam & beneplacitam, & perfectam ejus voluntatem perficere.

Tertiò, vaca diligentiùs orationi (quantum tui ſtatus conditio permittit) petens omnia neceſſaria tam ipſi tibi, quàm proximo; & in gratiarum actionem pro hac ipſa Domini tui dignatione totus effundere.

I. Habeſne exemplum?

Exemplum. Sur. in ejus vita 18. Ianu. R. Ita. *S. Margaretha Virgo Regis Hungariæ filia amariſſimè flebat ab elevatione uſque ad Communionem, rapiebaturque extra ſe mortua ſimillima. Pridiè quàm communicaret, jejunabat in pane & aqua, totamque noctem in oratione vigilem ducebat.*

Sæpiùs viſa eſt à terra elevata ſuprà cubitum & ampliùs, omnis ſenſus expers. Communicabat verò tantâ devotione & lachrymarum profuſione, quanta poteſt dici, maxima. Accepta Communione vix tardè à loco & ſcamno communicantium recedebat, quo diutiùs & commodiùs dilecti ſui aſpectu frueretur. Ipſo die Communionis uſque ad veſperam orationi intenta, modico ſub noctem cibo corpus reficiebat.

De S. Franciſci miro circà Venerabile Sacramentum affectu, vide S. Bonavent. in ejus vita c. 9.

I. Punivitne Deus interdum in hoc mundo, qui nullâ harum præparationum præmiſsâ indignè ad Sacramentum accedunt?

R. Ita. Judas proditor accepto in ultima cœna indignè Corpore Domini, ſtatim intravit in illum ſatanas, & primùm eum induxit ut Salvatorem traderet; ac deinde in deſperationis ſe præcipitavit barathrum. *De conſec. diſt. 2. Sicut Judas.* *Joan. 13. Exempla.*

Refert Cantiprat. ſequens exemplum. *Propè villam in qua natus fui, Sacerdos lubricus & immundus fuit, qui Sacramentum quotidiè polluto ore ſumebat. Et vide vindictam Dei. Os ejus circa naſum & mentum, & lingua computruit, ita ut vix poſſet præ fœtore ab amiciſſimis ſuſtineri.* *L. 2. Apum c. 40. p. 6.*

Sed & alius in Gallia fuit, ut quondam puer audivi, cujus manus ſuper aram extenſa igne cæleſti ad cubitos combuſta & conſumpta ſunt. Hinc ſcribit Apoſtolus, poſtquam Corinthios adhortatus eſſet ut probè ſeipſos examinarent, priuſquam ad tantum recipiendum Sacramentum accederent, ne indigna ſumptione æternam ſibi maledictionem & damnationem accerſerent: ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. *1. Cor. 11.* *Hoc eſt, uti Lyranus exponit: quia indignè ſacram accipitis Communionem, multi ex vobis gravibus & longis à Deo caſtigantur infirmitatibus, ac plurimi ſubitanea & repentina extinguuntur morte.*

Malè cedit iis qui indiſpoſiti communicât. I. Malène cedit iis qui cùm in occaſionibus propinquis peccati adhuc verſentur, ad ſacram menſam accedere præſumunt?

 R. Peſ-

Digitized by Google

R. Peſſimè. Lotharius Francorum Rex anno 869. menſe Julio in urbem adveniens ab Hadriano II. Summo Pontifice honorificè ſuſceptus eſt. Et cùm aſſeruiſſet ſe omnia quæ Nicolaus injunxerat, ſic implêſſe, ac ſi divinitùs imperata fuiſſent, idemque omnes, qui cum ipſo advenerant, Proceres affirmaſſent, nec ulla oppoſita perſona inveniretur, quæ adverſus regiam auctoritatem legitimum auderet inire judicii certamen: tunc Hadrianus poſt Miſſarum ſolemnia, ſanctam ei Communionem porrigens, in hæc verba illum allocutus eſt: *Si innoxium te cognoſcis à prohibito tibi & interdicto à Nicolao adulterii ſcelere, & hoc firmamente ſtatutum habes, ut nunquam diebus vitæ tuæ Waldradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ miſcearis nefario concubitu, fiducialiter accede, & Sacramentum ſalutis æternæ tibi ad remiſſionem peccatorum profuturum percipe. Sin autem tua conſcientia te accuſat, teque lethali vulnere ſauciatum proclamat, aut iterum redire diſponis in mœchiæ volutabrum, nequaquam ſumere præſumas, ne fortè ad judicium & condemnationem tibi adveniat, quod Fidelibus ad remedium præparavit divina Providentia.*

Exemplum notabile.

Baro. anno Domini 869 n. 4

Conteſtatio Hadriani Papæ ad Lotharium.

Aliorum verò unicuique qui ipſum Romam comitati eſſent, dixit: *Si Domino & Regi tuo Lothario in objecto adulterii crimine favorem non præſtitiſti, neque conſilium tribuiſti, & Waldradæ aliiſque ab hac Sede Apoſtolica excommunicatis non communicaſti, Corpus & Sanguis Domini noſtri IESV Chriſti proſit tibi in vitam æternam.*

Et ad proceres ejus.

Cùm autem nihilominùs & ipſe Rex, & alii fermè omnes (nonnulli enim ejuſmodi conteſtatione perterriti timuerunt ad ſacram menſam accedere) auſu temerario Communionem ſumpſiſſent, divinâ ſe mox vindictâ exerente, ipſe Lotharius lætus Roma recedens, morbo in itinere correptus eſt, & Placentiam ægrè perductus menſe Auguſti infeliciter ſpiritum reddidit: ac cæteri pariter quicumque indignè communicaſſent, omnes eodem anno miſerabiliter interierunt; perpaucis qui ſe Communione ſubduxerant, vix mortis periculum evadentibus: tantaque facta eſt ſtrages comitatus Lotharii, ut non peſte periiſſe, ſed hoſtili gladio corruiſſe Nobilitas totius regni videretur.

I. Eſtne ingens facinus eorum, qui cùm in ſtatu peccati lethalis verſantur, præſumunt ad ſacram Euchariſtiam percipiendam accedere?

Ingens peccatum eorum qui in mortali communicant.

R. Planè, committitur enim ſacrilegum iſtud nefas circà ſacroſanctam Domini noſtri JESU Chriſti humanitatem, quæ irreligiosè tractatur.

Comparari poteſt iſtud cum impia Judæorum ſævitia, quàm circà eandem humanitatem in Paſſione Domini exercuerunt; niſi quod ſacrilega Communio id amplius habeat, quod à Chriſtianis Fidei lumine præditis ſumatur, adeoque crimen evidentiſſimæ & planè inexcuſabilis malitiæ admittatur, cùm plerique Judæorum ignorantes, in JESUM manus injecerint, ut illos excuſat S. Paulus.

1. Cor. 2.

LECTIO XXIV.

De Communione, ſive receptione ſacra Euchariſtia.

I. Qui Sacerdotes non ſunt, & Miſſam non celebrant, quoties & quàm frequenter debent communicare?

R. Eccleſia obligat omnes Chriſtianos, qui ad annos diſcretionis pervenerint, communicare ſemel in anno. Ita enim ſtatuit Concilium Lateranenſe: *Omnis utriuſque ſexûs Fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat*

Can. 21. c. Omnis utriuſq. Habetur

pro

ex de pœnis, & remiſſ. c. Omnis.

pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſticâ careat ſepulturâ. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate, velamen excuſationis aſſumat, &c.

I. Numquid benè deſideraret Eccleſia, ut Fideles ſæpiùs communicarent?

R. Ita, omninò; nam loco allegato Concilii dicitur (ad minus in Paſcha) innuens ſe indulgenter ſic ſtatuere. Secundò, Concil. Trid. ſſ. 13. c. 8. ſic dicit: Paterno affectu admonet ſancta Synodus, & hortatur, rogat & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes & ſinguli qui Chriſtiano nomine cenſentur, *in hoc unitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo jam tandem aliquando conveniant, & concordent, memoreſque tantæ majeſtatis, & tam eximii amoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum, hæc ſacra myſteria Corporis & Sanguinis ejus, Fidei conſtantiâ & firmitate, eâ animi devotione ac pietate & cultu credant, & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint.* Et alibi: *Optaret ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior proveniret.*

ſ. 22. c. 6.

I. Communicabantne primi Chriſtiani frequenter.

R. Ita, ſingulis diebus poſtquam Miſſæ ſacrificio interfuiſſent. Id aſſerit S. Lucas: *Erant, inquit, perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Syrus vertit *in fractione Euchariſtiæ.* Hoc enim nomen licet græcum retinuerunt Syri, uti & Latini.

Actor. 2.

I. Eratne aliquod præceptum, quod eos obligaret ad tam frequentem Communionem?

R. Minimè, ſed accepto in die Pentecoſtes Sancto Spiritu, conceptoque devotionis fervore, cœperunt illicò Fideles frequentare Euchariſtiam. In cujus rei memoriam Feſtum Corporis Chriſti inſtitutum ab Urbano IV. Pontifice, ab eodem juſſum eſt celebrari feriâ quintâ poſt Octavam Pentecoſtes. Nam, ut ait S. Thomas in Officio iſtius Solemnitatis: *Congruit ut tanti Sacramenti inſtitutionem ab illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda Diſcipulorum edocuit, ad plenè cognoſcenda hujus myſteria Sacramenti; nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à Fidelibus frequentari.*

Infrà lect. ult. hujus o.

De ea re tamen Anacletus Papa edidit Decretum in hæc verba *Peractâ conſecratione omnes communicent, qui Eccleſiaſticis noluerint carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt: & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Adeò quod iſta conſuetudo diu manſit, ut Sacerdos abſolutâ Miſsâ ad populum ſe converteret, dicens: *Venite fratres mei ad Communionem.*

De conſec. diſt. 7.

Verùm cùm pietatis ſtudium labentibus annis paulatim adeò refrixiſſet, ut rarò Fideles ad Communionem accederent, ſancitum eſt à S. Fabiano Pontifice & Martyre, ut ter quotannis, Natali Domini, & Reſurrectione, & Pentecoſte omnes Euchariſtiam ſumerent. Id quod poſteà à multis Conciliis confirmatum eſt. Ad extremum autem re eò adductâ, ut non modò ſalutaris illa præceptio ſervaretur, ſed in plures etiam annos ſacræ Euchariſtiæ Communio differretur, decretum eſt in Lateranenſi Synodo ſub Innoc. III. celebrata, ut ſemel ad mi-

C. etſi non frequentiùs de conſec. diſt. 2.

Diverſa diverſis temporibus decreta emanarunt circa Communionis frequentiam

nus ſingulis annis in Paſcha, Fideles omnes ſacrum Domini Corpus acciperent, ut notavimus ſuprà. Quod decretum eſt renovatum in Synodo Tridentina ſſ. 13. can. 9.

I. Sufficitne igitur ſemel in anno communicare?

Init hujus lect. R. Præceptum Eccleſiæ, ut vides, urget ut omnes qui annos diſcretionis attigerint, ſemel in anno, idque circa feſtum Paſchæ communicent, & quidem ſub mortali, ut ſatis apparet ex pœnis in decreto poſitis; nihilominùs qui ampliorem devotionem non habuerit, contentus præciſè id adimplere, ad quod præcepto obligatur, adnumerandus erit Chriſtianis illis de quibus ſup. p. 3. c. 2. lect. 2.

I. Cenſueruntne ſancti Patres admodum ſalutare & fructuoſum eſſe, ſæpiùs per annum iterare Communionem.

R. Ita, S. Ignatius Martyr Apoſtolorum Diſcipulus in Epiſtola ad Epheſios. *Frequentem Communionē probarunt SS. Patres* *Date, inquit, operam, ut crebriùs congregemini ad Euchariſtiam, & gloriam Dei. Quando enim ſæpiùs in eodem loco convenitis, labefactantur vires ſatanæ, & ignita illius ad peccatum jacula irrita reſiliunt.*

S. Juſtinus apol. 2. ad Antonium Imperatorem. *Die qui Solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt, &c. concluſiſque precibus, panis, vinumque & aqua offeruntur, tumque is qui primum locum tenet, eodem modo preces, gratiarumque actionem pro virili mittit, & iis quæ in gratiarum actione conſecrata ſunt, unuſquiſque participat.*

S. Cyprianus de Oratione Dominica, dum exponit verba illa: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Hunc, ait, Panem dari nobis quotidiè poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtinentes & non communicantes à cæleſti Pane prohibemur, à Chriſti Corpore ſeparemur.* Unde apparet uſum quotidianæ Communionis in Africa uſque ad tempora Cypriani perduraſſe. Certè & ejus Magiſter Tertullianus in l. de Oratione, nomine panis quotidiani intelligit Euchariſtiam, vel Chriſtum, *cujus, inquit, Corpus in pane cenſetur.*

S. Hilarius: *Si non ſint tanta peccata, ut excommunicetur quis, non ſe debet à medicina Corporis & Sanguinis Domini ſeparare. Unde timendum eſt ne diu abſtractus à Corpore Chriſti alienus remaneat à ſalute; qui peccare quieverit, communicare non deſinat.* *Apud Gratianum de conſec. diſt. 2.*

S. Baſilius ad Cæſariam Patritiam: *Communicare per ſingulos dies & participare de ſacro Corpore & Sanguine Chriſti pulchrum eſt & valde utile, ipſo maniſeſtè dicente: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. Quis enim ambigit quin frequens vita participatio nihil aliud ſit, quàm pluribus modis vivere? Nos idcirco quater ſingulis hebdomadis communicamus; in die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in Paraſceve, & in Sabbato, ac in aliis diebus ſi quà fuerit memoria Sancti alicujus.*

S. Ambroſius: *Si quotieſcumque effunditur Sanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur: debeo illum ſemper accipere ut ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, debeo ſemper accipere medicinam.*

Idem l. 5. de Sacram. *Si quotidianus eſt panis* (Euchariſticus) *cur poſt annum illum ſumis; quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt; Accipe quotidie, quod quotidiè tibi proſit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* *L. 4. de Sacram. c. ult.* Vide Chryſ. in Epiſt. ad Epheſ. hom 3. & in Epiſt ad Hebr. hom 17 S. Aug. Epiſt. 115. ad Januar. Caſſianus collat. 23. c. 21.

Hoc

Hoc paulò fuſiùs ex SS. Patrum ſententiis, benevole Lector, occaſione, quorumdam noſtri ſæculi hominum indevotorum, qui nec ipſi Sacramenta frequentant, nec alios frequentare ſinunt, livido dente carpentes, quicquid alii melius inſtructi faciunt.

I. Quoties, aut quàm frequenter debent homines laici communicare?

R. Sequantur in hoc directionem pii alicujus & prudentis Confeſſarii. Cæteroquin, placuit mihi ſemper in hac materia Angelici Doctoris reſolutio, quæ talis eſt. Circa uſum hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari, unum quidem ex parte ipſius Sacramenti: cujus virtus eſt hominibus ſalutaris. Et ideò eſt utile quotidie ipſum ſumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambroſius dixit in l. de Sacramentis. Si quotieſcumque effunditur Sanguis Chriſti, &c. ut proximè ſuprà. Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut ex magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideò ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt quod quotidie ſumat. Unde Auguſtinus cùm dixiſſet, accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit, ſubjungit: ſic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotieſcumque ſe ad illud homo invenerit præparatum. Undè in l. de Eccleſiaſticis dogmat. dicitur. Quotidie Euchariſtiæ Communionem ſuſcipere nec laudo, nec vitupero.

3.p.q.80. ar.10.

In ſer.28. de verb. Domini, parū ante med.to.10

Inter opera Aug.to. 3 c 53 relatus de conſec.diſt. 2. Quotidie.

Igitur expendant diligenter Confeſſarii, cujus conditiones homines ſint, qui conſilium eorum circa id exquirunt, in quibus occupati, vel diſtracti; ſintne Religioſi, devoti, ſpirituales. Item quibus moribus, & quem in virtute progreſſum fecerint. Vide Suar, 3 p. diſp. 56.q.80.a.9.ſect.4. Ordinariè enim & regulariter poſſunt Religioſi eſſe diſpoſiti ad ſacram Communionem ſæpiùs quàm ſæculares. Dico *ordinariè & regulariter*, quia contingit inveniri etiam ſæculares in cælibatu piam & diſtractionibus vacuam vitam ducentes de quibus ſimiliter ferè judicandum, ſicut de Religioſis.

I. Quid verò cenſes de ſæcularibus illis qui honeſtè & Chriſtianè in conjugio viventes, rem familiarem curant, ſtatum aliquem vel Magiſtratum gerunt, negotiationem exercent, &c. quàm ſæpè poterunt ejuſmodi homines ad Sacramentum accedere?

R. Sufficit quod talibus permittatur, ut diebus Dominicis, & majoribus Feſtis communicent. Suppono illos bonæ famæ, & integræ vitæ. Hæc eſt ferè Doctorum reſolutio; & moderna Eccleſiæ praxis. Vide Sales in introd. p 2. c 20.

I. Sed plerique non audent tam frequenter communicare?

R. Si ex humilitate à frequentiori Communione abſtinent, non obloquantur illis qui ex devotione pluries communicāt. Nam in his ubi nullum præceptum urget, quiſque poteſt id facere, quod ſibi faciendum eſſe cenſuerit.

Aug. ep. 118. ad Ianuar.

I. Utri abſolutè loquendo meliùs faciunt, an qui ex humilitate & ſui diffidentia rariùs, an verò qui ex devotione & amore ſæpiùs communicant?

R. Meliùs eſt indubiè, ut hi qui nullo corporis aut animæ detinentur impedimento, frequentiùs communicent. Probari id poteſt, partim ex doctrina S. Thomæ ſup. & aliorum Patrum, partim ex rationibus & ſimilitudinibus modò afferendis, partim denique ex effectibus ſacræ Communionis, necnon exemplis & miraculis, quibus hanc laudabilem conſuetudinem divina Bonitas non infrequenter comprobavit, de quibus nos in ſubſequentibus.

Meliùs eſt ex amore ſæpiùs quàm ex timore rariùs communicare

LE-

Digitized by Google

LECTIO XXV.

Rationes & ſimilitudines.

Rationes & ſimilitudines familiares ad perſuadendã frequentẽ Communionem.

I. QUibus rationibus & ſimilitudinibus familiaribus velles frequentem hujus Sacramenti uſum hominibus perſuadere?

R. Rationibus quidem his & ſimilibus?

Prima. Anima habet ſuum alimentum, ſine quo ſubſiſtere non poteſt, ſicut & corpus; iſtud autem alimentum eſt Corpus Domini in Sacramento, prout ipſemet dicit: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.* Et: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* (Joan. 6.) At ſæpè utimur corporis alimento ad reparandas vires, & reſtaurandum humidum radicale, quod pedetentim per calorem naturalem abſumitur. Simili modo frequentiùs nobis ſumendus eſt panis, & refectio ſpiritualis animarum noſtrarum, eo quod gratia quæ eſt animæ vita, paulatim per concupiſcentiam nobis inſitam, quodammodò conſumitur, quæ per ſacram Communionem, panem utique ſuperſubſtantialem reparari debet.

Secunda. Si filii Iſrael in deſerto noluiſſent colligere manna, & eo veſci, abſque dubio inediâ conſumpti fuiſſent, cùm non haberent alium cibum ad manum. Pari modo dedit nobis Deus in hac mundi peregrinatione ſuum Corpus & Sanguinem in Sacramento pro eſca & viatico. Et quemadmodum illi quotidie manna colligebant pro quotidiana refectione, ita expediret quidem homini hunc cœleſtem panem quotidie ſumere, uti nuper dicebamus; ad minus non eſt diu differenda ſacra Communio, ne per ardores hujus deſerti, & terræ ſiccitatem, ſicut fœnum areſcat anima noſtra

Tertia. Hoc Sacramentum eſt Sacramentum unitatis, quo creatura per amorem & dilectionem unitur Creatori ſuo; ſi ergò deſiderat homo Deo ſuo uniri (quod eſt ſummum ejus bonum & perfectio) ſæpè accedat ad hoc Sacramentum.

Quarta. Quò actiones noſtræ ab excellentiori virtute proficſcuntur, eò ſunt præſtantiores & nobiliores: igitur conſultius eſt & melius ex charitate Sacramentum frequentare, quàm ex timore abſtinere.

Quinta. Non eſt aliqua devotio Deo acceptior, quàm memoria Paſſionis Dominicæ, & frequens meditatio myſteriorum ejus, dicendum igitur nihil æquè placere Deo quàm ut hoc Sacramentum debita cum præparatione frequentemus, quod in ſui memoriam expreſsè nobis Chriſtus inſtituit, ipſo dicente: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Sexta. Effectus hujus Sacramenti, de quibus lect. 27. ſequenti agemus, plus ſatis invitare deberent hominem ad frequentationem ſacræ Commnuionis.

I. Quas verò ſimilitudines ad hanc rem adhibere velles?

Similitudines.

R. *Prima ſimilitudo.* Amicus libenter adeſt amico. Si ergò tu Chriſto non ades libenter, ſignum eſt parvi tui erga eum amoris.

Secunda. Sicut parens, cui gratiſſimum eſt frequenter vocari domum filii ſui, ſciens hujus deſiderii ſui filium eſſe conſcium, non rectè accipit, ſi ſemel tantùm, bis terve in anno invitetur. Ita Chriſtus, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, ſi rarò invitatur, iniquè ferre poteſt.

Tertia. Sicut dives homo naturâ miſericors & liberalis, ſi ſæpè viſitet domum ruinoſam hominis pauperculi; nunquam ad eam veniet, niſi relicto aliquo dono, tum pro beneficio hoſpitii, tum pro domus reparatione, potiſſimùm ſi ſtatuerit ſæpiùs eodem divertere: ita Chriſtus ditiſſimus & ſummè miſericors, quoties

domum

domum noſtram per ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ingreditur, nunquam diſcedit niſi relicto eximio munere, partim pro officio Communionis, partim ut habitaculum ſibi, ad quod frequenter venire proponit, dignum paret.

Quarta. Quo tempore aër eſt peſte infectus ſolent homines egreſſuri foras uti medicinâ præſervativâ adverſus noxium aërem. Atqui verò totus iſte mundus infectionibus plenus eſt, nimirùm infinitis peccatis, occaſionibuſque peccandi. Proinde qui præſervari à peccatis cupit, is medicinâ hâc eò frequentiùs utatur, quò illi graviora imminent pericula, & plures occaſiones quibus ad peccandum induci poſſet.

Quinta. quando Magnates invitant ad menſam ſuam homines infimæ conditionis, ægrè ferunt illi, ſi venire noluerint, aut ſeſe excuſaverint. Ita Sapientia æterna, quæ nos invitare non ceſſat, & dicere: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis*, ægrè fert ſi nos excuſaverimus. Prov. 9.

Sexta, ſicut is, cui inter hoſtes eſt incedendum, dat operam ut comites habeat & arma, quibus hoſtes aut deterreat, aut repellat. Ita, qui in hac vita inter innumeros hoſtes viſibiles & inviſibiles, tanquam in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis degit, curare debet ne vel comitatu vel armis deſtituatur. Optimus autem comes eſt Chriſtus in Euchariſtia aſſumptus, cui ſemper adeſt innumera multitudo Angelorum: Optima etiam arma præbet communicanti, quando gratiam & fortitudinem largitur. Sæpè ergò ad hanc menſam accedendum, & cum Pſalmiſta dicendum: *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me*. Pſal 22.

Argumenta contra frequentē Communionem diſſolvuntur.

I. Sed dicunt homines ſæculares ſe non eſſe dignos qui tam crebrò, id eſt, octavo quoque die ad menſam Dominicam accedant. Scriptum eſſe: *Probet autem ſemetipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c.* Et: *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit*. 1. Cor. 11.

R. Reſpondeo primò, qui digni non ſunt ut ſæpè accedant, digni etiam non erunt, ut rarò accedant: quia non dilatio & mora temporis, ſed crebra Communio dignos reddit. Quoties enim communicas, mundatur & ornatur conſcientia ab ipſomet Chriſto, qui optimè novit, quo potiſſimum ornamenti & præparationis genere delectetur.

Triplex dignitas conſiderari poteſt in ordine ad Communionem.

Secundò, dicendum eſt triplicem dignitatem poſſe in hoc negotio conſiderari: quarum *prima* eſt, ut tanta ſit dignitas, quantam meretur Chriſti majeſtas. Atqui hanc afferre, nec ipſi Angelici ſpiritus, imò nec ipſa Mater Dei poteſt: quia infinitam majeſtatem decet dignitas infinita. *Secunda*, ut tanta ſit dignitas, quantam homo fragilis poteſt adhibere. Sed nec iſta eſt ad Communionem neceſſaria, tametſi major in hoc Sacramento gratia accipiatur, quantò quis accedit dignior & paratior. *Tertia* eſt, quam Chriſtus requirit & ipſa ſufficit. Ea verò eſt, ut homo à peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ liber, deſideret in poſterum peccata vitare, Deo placere, ſuaque omnia in ejus gloriam referre. Cùm ergò quereris te indignum eſſe & tepidum, imò frigidum, cogita te non ob id ad ignem accedere, quia cales, ſed ut caleſcas. Simile.

I. Eſtne igitur neceſſarium ut confeſſio præmittatur ab eo qui communicare intendit?

R. Ita, ſi habeas, vel habere te dubites in conſcientia peccatum mortale. Declaratum hoc eſt in Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 7. & can. 11. Sic enim loquitur in c. 7. Si non decet ad ſacras illas functiones quempiam accedere niſi ſanctè, certè, quò magis ſanctitas & divinitas cœleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavere ille debet, ne abſque magna reverentia & Suprà lect. 22. c. 2.

ſanctitate ad id percipiendum accedat; præſertim cùm illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: *Qui autem manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum: *Probet autem ſeipſum homo.* Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illi copia Confeſſoris. Quòd ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur.

1. Cor. 11.

I. Queruntur etiam aliqui homines pii ſe poſt frequentem aliquanti temporis Communionem, adeò ſe nihil proficere, ut magis deficere quotidie videantur.

Aliis piorum quorundam hominum querimoniis ſatisfit.

R. His reſpondendum eſt: *Primò*, non omnes illos deficere, qui ſibi deficere videntur, ſed potiùs eò magis proficere, quò defectus magis agnoſcitur. Sicut ſordes cubiculi immundi non videntur in tenebris, interdiu autem in lumine Solis videntur etiam minutiſſimæ ſordes cubiculi mundi.

Simile.

Secundò, proficientium eſſe, non agnoſcere profectum, ne ſuperbiâ extollantur: tamen qui ſibi progredi indies nihil videntur, ſi annos cum annis conferant, fortaſſe profectum invenient: ſicut puer qui corpore creſcit, non percipit incrementum niſi poſt annos aliquot, quando veſtes ſibi experitur deinceps non convenire.

Tertiò, quod pii homines non advertant profectum inde provenire, quod non ſtatim aſſequantur illud quod optant, nimirum paſſionum vacuitatem, in oratione fervorem, animum perpetuò ad Deum attentum. Sed licèt non aſſequantur iſta ut optant, aſſequuntur tamen alia pro Dei voluntate: nimirùm peccatorum cognitionem, conſcientiam delicatam, animum ab hoc mundo magis alienum, &c.

I. Habeſne exempla huic materiæ accommoda?

Exempla.

R. Ita. Singulis diebus Dominicis (quemadmodum hortatur B. Aug.) Chriſti Corpus percipiebat S. Ludgardis Virgo ſanctiſſima; ſed Agnes ejus Abbatiſſa parùm cauto uſa conſilio, id ei interdixit. At pia Lutgardis: Ego quidem, inquit, Mater cariſſima, libenter obediam tibi, ſed certiſſimè prævideo Chriſtum hanc injuriam in tuo corpore ulturum. Confeſtim Abbatiſſa intolerabili morbo afficitur, ut in Eccleſiam ingredi non poſſet: nec ceſſavit dolor per momenta increſcens, donec indiſcretionis ſuæ culpam agnoſceret, & Lutgardem ſineret priſtino more uti. *In vita ejus apud Sur. 6. Junii c. 12.*

Sur. Jul. 13. Chro. Fra. ciſ. 2. p. l. 2. c. 2.

Sanctus Bonaventura Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis, adhuc in Minoribus agens ex demiſſæ mentis humilitate, pluribus diebus abſtinuerat à perceptione Sacratiſſimi Corporis Chriſti, veritus ne ſi illud indignus ſumeret, judicium ſibi manducaret & biberet. Cumque die quâdam in Miſſa devotus adeſſet, Deus reſpiciens ad illius humilitatem, particulam conſecratæ Hoſtiæ, de manu celebrantis per Angelum acceptam, illius ori clementer immiſit, ei hoc ſingulari beneficio indicans, ut omnem deinceps celebrandi ſcrupulum amoveat, & cum Creatore ſuo, à quo amabatur, familiariter converſaretur.

LB-

Digitized by Google

LECTIO XXVI.

De Communione laicorum ſub una ſpecie.

Communio laicorum ſub una ſpecie I. QUare laici communicant ſolùm ſub una ſpecie, Sacerdotes autem ſub duabus?

R. Sacerdotes Miſſam celebrantes conſecrant, & communicant ſub utraque ſpecie, ut expreſſiùs repræſentent Sacrificium crucis, utque ex ſuo ſacrificio ipſi participent ſecundùm Chriſti mandatum in inſtitutione hujus Sacramenti, & ſacrificii promulgatum.

I. Sed quomodò laicis ademptus eſt uſus ſacri Calicis?

Conc.Tri. ſſ.21.c.2. R. Reſpondet Concil. Trident. hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apoſtolus viſus eſt innuiſſe, cùm ait: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* *1.Cor.4.* Atque ipſum quidem hac poteſtate uſum eſſe, ſatis conſtat, cùm in aliis, tum in ipſo Sacramento cum ordinatis nonnullis circa ejus uſum. *1.Cor.11.* *Cætera, inquit, cùm venero diſponam.*

I. Docetne Scripturæ ſatis eſſe ſub una ſpecie communicare, ut totus Sacramenti fructus percipiatur?

R. Ita. Dicit enim Salvator noſter Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane,* (id eſt communicaverit ſub una ſpecie, interprete Conc. Trid ſſ.21.c.11.) *vivet in æternum.*

Ad hæc S. Lucas teſtatur Chriſtum Dominum duobus diſcipulis in Emmaus diſtribuiſſe Communionem ſub una panis ſpecie, prout SS. Patres intellexerunt. Chryſ. Aug. Theophilac. Euthym. Beda, & plures alii. Sic enim dicit Evangeliſta: *Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum.* *Luc.24.* Et paulò infrà: *Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.*

I. Adminiſtraveruntne Apoſtoli Sacramentum ſub una ſpecie?

R. Ita. Uti teſtatur idem ipſe Evangeliſta Act. 2.

I. Idemne egerunt Diſcipuli & ſucceſſores?

R. Ita, quemadmodum teſtantur ſcriptis ſuis Tertul. l.2. ad uxor. Clem. Alex. l. 1. Strom Cypr. ſerm. 5. de lapſis. Baſilius ad Cæſar. Patriarch. Hier. Apolog. adverſus Jovinian. Aug. ſer. de tempore. Ambr. de obitu Satyr. Beda l. 4. hiſtor. Anglor. c. 24.

I. Reſtat mihi difficultas. Chriſtus Dominus inſtituit hoc Sacramentum ad modum convivii & refectionis animarum noſtratum, dixitque: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergò comedere & bibere, quæ plenum convivium efficiunt, ſimul juncta, neceſſaria ſunt ad ſalutem?

R. Reſpondeo cum Conc. Trid. ut cumque locus ille Joan 6. juxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur, qui dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, &c.* *ſſ.21.c.1.* Dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Dico ſecundò, conjunctionem copulativam (&) poſitam eſſe pro diſjunctiva (vel) ſicut Act 3 accipitur. *Argentum & aurum non eſt mihi.* Sive; *Niſi manducaveritis, &c* particula (niſi) afficit totam ſententiam, ut ſenſus ſit: *Si non manducaveritis, & non biberitis;* Sive: *ſi neque biberitis, neque comederitis.*

Digitized by Google

Ad id quod ſuprà dicebatur Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacramentum ad modum convivii, ſive refectionis Reſpondeo, etſi quoad ſigna viſibilia expreſſiùs ſignificetur integrum convivium per utramque ſpeciem, ideòque ſaltem ſecundariò aliquâ ratione Chriſtus ſub utraque ſpecie hoc Sacramentum inſtituerit, ut ejus vim melius intelligeremus; tamen quoad rem contentam ejuſque fructum tam perfectum & fructuoſum nobis inſtituitur convivium ſub una ſpecie, ac ſub duabus, cùm ſub altera æquè ac ſub utraque totus Chriſtus contineatur.

Nec refert, quod Chriſtus Dominus Matt. 26 hoc Sacramentum inſtituens, dixerit Apoſtolis: *Bibite ex hoc omnes.* Hoc enim præceptum bibendi tantum pertinebat ad Apoſtolos, qui ſoli tum præſentes erant, quia Chriſtus eos tunc conſecrabat Sacerdotes, eiſque juſſit conſecrare Sacramentum & ſacrificium Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, & utramque ſpeciem ſumere, ut perfectum ſacrificium conficiant. Id ergò non juſſit laicis, quibus, cùm non ſacrificent, ſed tantùm ſumant Euchariſtiam ut Sacramentum, ſufficit ut illud ſumant ſub una ſpecie, quia ſub ea, ut proximè diximus, integrum Sacramenti effectum, fructumque percipiunt.

LECTIO XXVII.

De effectibus Euchariſtiæ.

Euchariſtiæ effectus. S.Tho. 3.p. q.79.a.

I. QUi ſunt fructus, ſive effectus Sanctiſſimi hujus Sacramenti?

R. Sunt illi propè infiniti & longè præſtantiſſimi; guſtamus enim in hoc Sacramento Fontem omnis gratiæ, & omnium chariſmatum, & donorum cæleſtium. Unde meritò canit Eccleſia: *O quàm ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cælo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes.* Sed ut lignum vitæ allegoricum, id eſt, Euchariſtia, in medio Paradiſi terreſtris, id eſt, Eccleſiæ, ad refocillandas fidelis animas plantatum, nihil minus habet quàm anagogicum illud in medio Paradiſi cæleſtis ſitum, de quo Apoc. 22 *Afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum,* quo jugi immortalitatis, & beatitudinis renovatione ita paſcuntur electi, ut ſingulis menſibus, diebus, & horis, tam nova, ſapida, ac jucunda ſit eis Dei viſio & fruitio, ac fuit primo die, quo illâ frui cœperint; nos hic duodecim pariter fructus ſacræ Euchariſtiæ, ſpirituali Fidelium & piarum mentium voluptati excerpſimus.

Fructus duodecim ſanctæ Euchariſtiæ.

Primus ſit, quod per ſacram Euchariſtiam intimè conjungamur Chriſto, ut ipſe indicat apud S. Joannem: *Qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinem in me manet & ego in illo.* Unde S. Cyprianus de Nativitate Chriſti: *Sacramentorum communicatio per quam illius Corpori ſinceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo, & de diabolo, & de nobis ipſis victoria potiamur, & ſacramentali guſtu vivificis myſteriis inhærentes, una caro & unus ſpiritus ſimus, dicente Apoſtolo: Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Vide *S. Ioannem Chryſoſt. hom. 45.* Etſi hæc unio ſecundùm animam fiat, reſtat etiam, ut ſecundùm corpus peractâ Communione, ipſius Sacramenti tabernaculum quaſi efficiamur, ut docet Sanctus Cyrillus. *Sic Chriſtiferi*, inquit, *erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cùm ejus Corpus & Sanguinem in noſtra membra reperimus, atque ita, ut Beatus Petrus dicit, divinæ naturæ conſortes efficimur.*

Joan. 6.

Per ſacram Euchariſtiam intimè Chriſto unimur.

Catec. 4. myſtag.

Peccata tolluntur.

Secundus, vi hujus Sacramenti quotidianas animi ſordes facilè eluimus, vulneribuſque inflictis medemur. Vide *Cypr. de cœna Domini S. Ambroſ. l. de Sacram. c. 4 & ſup. Pſal. 118. ſerm. 5. S. Ioan. Chryſoſt. ſup.*

ſup. Ioan hom 46. Unde Sacerdos populum communicaturus, manu prætendens ſacram Hoſtiam, verba ſancti Joannis Baptiſtæ dicere conſuevit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Joan. 1.

Tertius, valet Sacramentum hoc ad coercendos animi motus & perturbationes. *Pias quæſo cogitationes ſuſcipias,* (inquit B. Cyrillus) *ſtudioſè, ſanctèque vivas, & de benedictione participes, quæ, mihi crede, non mortem ſolùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis manet Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, &c.* Unde Joan. Caſſian. collat. 12. docet Dominici Corporis virtutem valere magnoperè ad cavendas corporis pollutiones, aliaſque dæmonum illuſiones.

Animi perturbationes ſedantur l. 4. in Ioan. c. 7.

Sacramentum Euchar. valet contra dæmonum illuſiones.

Quartus, præſervat à lapſu in graviora peccata. Hanc utilitatem tradit S. Bernardus: *Duo illud,* inquit, *Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpè modò, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujuſmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*

Serm. de bapt. in cœna Dom. habito.

Præſervat à peccat.

Quo fit, ut qui diutiùs à Communione abſtinent; facilè in lethalia crimina labantur, ut benè obſervavit Chryſ. in prior. ad Corinth. *Ut frigida ad Euchariſtiam acceſſio periculoſa eſt, ita nulla myſtica illius cœnæ participatio, peſtis eſt, & interitus. Iſta namque menſa animæ noſtræ vis eſt, nervus mentis, fiducia vinculum, ſpes, ſalus, lux, & vita noſtra.*

Hom. 24.

Quintus, valet ad expugnandas omnes tentationes dæmonis, & carnis. *Paraſti,* inquit Pſalmiſta, *in conſpectu meo menſam, adverſus eos qui tribulant me.* In quæ verba S. Chryſ. Iſta menſa, inquit, agnoſcitur altaris Domini conſervatio. Qui ſunt iſti, qui nos tribulant? Suggeſtiones inimici, exagitationes, cupiditates, voluptates, ſæculi honores. Iſti tribulant, quia in ira vivunt, tribulationes carnis habent, ſed veniunt ad menſam potentis, conſiderantes ea, quæ apponuntur eis, accipere cum timore & tremore, & tribulationes efficiuntur conſolationes. Auferuntur ea quæ ſunt carnis: infunduntur ea quæ ſunt ſpiritus, & ex menſa præparata proficiunt, contra eos qui tribulant eos.

Valet ad expugnandas tentationes

Pſal. 22.

Diſcipuli in mari periclitantes, clamaverunt ad Dominum: *Salva nos, perimus,* & ſuſcepto in navim ſuam Domino JESU, *facta eſt tranquillitas magna.* Nimirum jam habebant eum qui *imperat ventis & mari.*

Matt. 8.

Sextus, majorem apud Deum gratiam conciliat. Nec mirum id eſt, cùm Euchariſtia à gratia nomenclaturam acceperit.

Auget gratiam.

Septimus, vehementer accendit ad amorem Dei, & ad ardua quæque pro Chriſto perferenda. Qua de cauſa, cùm olim à Tyrannis Fideles ad tormenta & mortem propter Chriſtiani nominis confeſſionem vulgò raperentur: ne illi fortè dolorum acerbitate victi in ſalutari certamine ſuccumberent, vetus in Eccleſia Catholica mos fuit, ut iis ab Epiſcopis Dominici Corporis & Sanguinis Sacramenta præberentur. Vide S. Cypr. Ep. 5. & S. Joan. Chryſ. hom. 61. ad populum. Vide etiam vitam S. Dionyſii Areopag. cui Dominus in carcere ſacram Communionem miniſtravit. Quòd ſi patientiſſimus Job jure dixit: *Pone me Domine juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me:* Quanto majori fiduciâ id dicere poteſt anima, quæ per ſacram Communionem ſumpſit, intra ſe omnipotentem Dominum, triumphatorem mortis & inferni?

Accendit ad amorem Dei.

Sur. 19. Octob.

Octavus, magnam adfert voluptatem & conſolationem ſpiritualem piè communicantibus. Unde Eccleſia ſic canit: *O quàm ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus:*

Conſolationem ſpiritualem præ-

bet ſupr. cit. lect.

qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſime de cælo præſtito eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes. Et: *Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus.* Vide Cypr. Ep. cit. 54 legatur & expendatur S. Greg. hom. 36. in Evangelia.

Dat pignus futuræ gloriæ.

Nonus, dat nobis ſacra Communio pignus futuræ gloriæ. Hoc cantat Eccleſia in antiphona: *O ſacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, &c.* in poſtremis verbis, *& futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Gloria enim & vita æterna in cœlis ei conferetur, qui pignus ejus in terris acceperit. Dixit enim ipſa Veritas: *Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Hinc mirabiliter fulcitur ſpes noſtra, quæ tantis arrhis & pignore lætatur.

Joan. 6.

Sanitatem corporalem confert.

Decimus, etiam ſanitatem corporalem confert. Figuram iſtius habes in Ligno vitæ ſuprà. Mulier Evangelica quæ duodecim annis ſanguinis fluxum paſſa fuerat, ſolo veſtis Chriſti contactu curata eſt.

Matt. 9.

Corpus Heliſæi exanime talem habuit virtutem, ut ſolo contactu, alterius defuncti corpus ſuſcitarit: quidni Chriſtus Dominus, qui vitæ & mortis habet imperium, corporis & animæ ſanitatem conferat dignè communicanti?

Exemplum.

Refert Surius 22. Aprilis, de S. Theodoto Epiſcopo Ancyrano, cùm quadam die ſacroſanctam Euchariſtiam cuidam puero muto miniſtraret, illumque juxta morem cæterorum non audiſſet reſpondentem *Amen*, & mutum eſſe ignoraret, dixiſſe ad puerum, dic *Amen*, qui ſtatim (virtute ſuſcepti Sacramenti linguâ ſolutâ, & facultate loquendi receptâ) non modò clarâ voce pronuntiavit *Amen*, ſed etiam perfectè omnes animi ſui conceptus eloqui cœpit.

Mentem illuminat

Undecimus, Sacramentum hoc, quia in eo verum mundi lumen præſens eſt, illuminat mentem ſuſcipientis, omneſque ab ea tenebras effugat, non aliter ac Sol noſter viſibilis, quando manè exoritur, noctis caliginem diſſipat. Certè duo Diſcipuli euntes in Emmaus, Chriſtum comitantem, & Scripturas explicantem non priùs agnoverunt, quàm Chriſtus panem eis à ſe conſecratum obtulit; tunc enim *aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis.* Hinc Sacramentum iſtud myſterium Fidei dicitur, quæ eſt animæ lumen. *Quiſquis Fidelis eſt*, inquit Auguſtinus, *conſolatur te fractio panis, abſentia Domini non eſt abſentia. Habeto fidem, & tecum eſt, quem non vides.*

Luc. 24.

Ser. 140. de temp.

Euchariſtia eſt viaticum noſtræ peregrinationis.

Duodecimus, eſt viaticum noſtræ peregrinationis, id eſt, proviſio ad iter agendum: quia perindè ut viaticum temporale auxilio nobis eſt, ut pervenire valeamus ad locum ad quem pergimus; Ita cœleſte hoc viaticum opitulatur nobis, ut ad Jeroſolymam cœleſtem, patriam videlicet noſtram pertingamus. Hujus rei duplex in veteri Teſtamento typus præceſſit. Primus, Agni Paſchalis, qui ut eſt in Exodo, manducabatur à Judæis habitum peregrinorum præ ſe ferentibus, cum baculis, calceis; &c. Alter fuit Eliæ Prophetæ, qui ſubcinericii panis fortitudine, ut eſt in 3. Regum, ambulavit uſque ad montem Dei Horeb; & Fideles idcircò paſcuntur ſacrâ Euchariſtiâ, præſertim cùm ad mortem ſe diſponunt, ut virtute illius roborati, ad montem cœleſtem aſcendant. Quare in Conc. Nicæno, aliiſque, jam olim mandatum eſt, ut nemini morti proximo hoc viaticum negetur.

Duplex hujus rei typus.

3. Reg. 19.

Sancti morituri ſumebant viaticum corporis Domini.

I. Solebantne Sancti olim ſeſe per viaticum ad mortem diſponere?

R. Ita. Paulinus in vita S. Ambroſii ſcribit, eum jam moriturum ab Honorato Vercellenſi Epiſcopo divinitùs monito Euchariſtiam tanquam viaticum accepiſſe.

S. Maria Ægyptiaca poſtquam annos 40. in mira pœnitentiæ auſteritate per ſo-

litu-

Digitized by Google

litudinem traduxiſſet, mortem vicinam præſentiens ſacro Euchariſtiæ viatico præmuniri deſideravit: & ad hunc finem Deus ei Venerabilem Zozymum Presbyterum deſtinavit, qui Sacramentum miniſtraret. Sur. 9. Aprilis. *Marulus.*

S. Hieronymus diem agens extremum, ſacrum Chriſti Corpus dari ſibi petiit. Illud verò ſumpturus de lectulo ſe deponi humi fecit; ſaccoque operiri. Tunc genibus provolutis, lachrymas fudit, pectus pugno percuſſit, & ſic ſanctam oblationem hauſit, geſtu, habituque ſe illa indignum conteſtans.

I. Eſtne utile morituris, quod ſumant ſacrum Viaticum?

R. Ita. Quidam mihi narravit (inquit S. Chryſoſt.) non ille quidem ab alio edoctus, ſed dignus habitus, qui & id vidiſſet ipſe & audiſſet, quod, qui de hac vita migraturi ſunt, ſi myſteriorum hujuſmodi cum pura conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi ab Angelis, illorum animas ſatellitum more, ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacramentum, hunc rectà in Cælum abducuntur. *L. 6. de Sacerd. Exemplum.*

Scribit Surius die 29. Decemb cap 4. de S. Ebrulpho, cùm ei relatum eſſet, Fratrem Ansbertum ſibi amiciſſimum, ex hac vita ſine ſacra Communione diſceſſiſſe, vehementer contriſtatum eſſe: erat enim Sacramento huic devotiſſimus, & quantam in articulo mortis opem homini ſubminiſtraret, non ignorabat: infremuit ergò ſpiritu, oranſque & lachrymans venit ad lectum ejus atque ad defunctum: Eheu, Frater, cur abiiſti ſine Communione? Cur tanto bono defraudatus es? cumque hoc pacto interiorem animi dolorem exprimeret, Deus ut illum conſolaretur, animam fratris defuncti ad corpus redire juſſit. Aperiens igitur oculos, quaſi à ſomno expergefactus: Tu inquit, es Domine, qui me vocas? Vir ſanctus reſpondit, Ego ſum, ſed dic mihi, ubi interim fueris, & quid videris: Et ille; revocaſti me, inquit à labore itineris, quo me cruciabat adverſarius. Et vir ſanctus: Vis, ait, Euchariſtiam accipere? Reſpondit: Volo. Cumque Corpus & Sanguinem Domini accepiſſet, rurſum pacis ſomno obdormivit.

LECTIO XXVIII.

De inſtitutione Feſti Corporis Chriſti.

I. Dic modò, quid habebas de inſtitutione Feſti Venerabilis Sacramenti?

R. Attende animum; res ipſa præclara eſt; Ex his quæ hactenùs de Venerabili Sacramento ejuſque ſupra cætera omnia à Deo Eccleſiæ collata beneficia, dignitate & præſtantia, ſatis intelligi poteſt, quantas Deo immortali pro tanta largitate gratias debeamus, quantaque animi reverentia & devotione iſta myſteria ſuſcipere nos oporteat.

Convenit itaque devotioni Fidelium, inquit, S. Tho. Aquinas, ſolemniter recolere inſtitutionem, tam ſalutiferi, tamque mirabilis Sacramenti: ut ineffabilem modum divinæ præſentiæ in Sacramento viſibili veneremur: & laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur, necnon & de tam ſalubri, tamque ſuavi beneficio exolvantur Deo debitæ gratiarum actiones. Pergit S. Thom. Etſi in die cœnæ, quando Sacramentum prædictum noſcitur inſtitutum, inter Miſſarum ſolemnia, de inſtitutione ipſius ſpecialis mentio habeatur: totum tamen reſiduum ejuſdem diei officium ad Chriſti Paſſionem pertinet, circa ejus venerationem Eccleſia illo tempore occupatur. Unde, ut integro celebritatis officio inſtitutionem tanti Sacramenti recoleret plebs Fidelis, Rom Pont. Urbanus IV. hujus Sacramenti devotione affectus, piè ſtatuit præfatæ inſtitutionis memoriam prima feriâ quintâ poſt Octavam Pentecoſtes à cunctis Fidelibus celebrari: ut qui per totum anni curriculum *Opuſ. 55.* *Ratio inſtitutionis hujus Sacramenti.*

hoc

Digitized by Google

ho Sacramento utimur ad ſalutem, ejus inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus S. corda Diſcipulorum edocuit, ad plenè cognoſcenda hujus Sacramenti myſteria, nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à Fidelibus frequentari. Aliam etiam rationem inſtitutionis hujus Feſti addit Conc. Trid. *Atque ſic quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti labeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.*

§.13 c.5.

Alia item ratio inſtitutionis.

I. Sed quâ occaſione ab omnibus Chriſti Fidelibus hoc Feſtum ſolemniter celebrari juſſit Urbanus?

R. Liquet id ex ipſa hiſtoriæ veritate, quam hic paulò fuſiùs repetam.

Circa an. Domini 1230. floruit juxta Leodium in Monte Cornelio Virgo Juliana, à loco iſto Cornelienſis dicta, quæ ad virtutis ac ſcientiæ divinæ culmen pertigit; frequenter per mentis exceſſum rapta, prophetico etiam ſpiritu plena, adeò ut quandoque cogitationes cordium proderet. Luctabatur cum diabolo, loquebatur cum Apoſtolis, fulgebat miraculis, orationi tota erat dedita. Inter orandum autem crebrò ejus aſpectui objiciebatur mirabile ſignum; videbat enim Lunam quaſi in ſuo ſplendore, ſed cum aliqua ſui orbicularis corporis fractione. Mirabatur neſciens quid ſignificaret, & nitebatur ſuis aliorumque precibus ſignum illud à ſe amovere. Tandem divino didicit reſponſo myſterium in hoc latere, & ſignificari Eccleſiam in Luna, in ejus fractione defectum unius ſolemnitatis, quam Deus volebat ad augmentum Fidei inſtitui. Accepit verò cœlitùs frequenter præceptum, ut hanc ſolemnitatem inchoaret, & mundo celebrandam nuntiaret. Sed humilis Virgo continuò orabat, & dicebat Domino, Excita, Domine, teipſum, excita & viros eruditos, & me minimam in pace dimitte.

Verùm divinitùs pro reſponſo aliquando accepit: *Confiteor tibi, Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*, iterum aliâ vice, audivit cœlitùs vocem dicentem: *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro: non abſcondi miſericordiam & veritatem tuam à concilio multo.* Jam ferè per viginti annos indignam ſe tanto negotio reputans, inſtabat gemitibus apud Deum, ut alteri negotium committeret. Sed eò magis humilitatis amator ad id ipſam digniorem judicavit: abſoluto reſponſo ei indicans ſe velle per eam inchoari, ac deinceps per perſonas humiles promoveri. Tandem igitur Virgo acquieſcens, rem totam indicavit Joanni de Lauſenna S. Martini Leodii Canonico vitæ ſanctæ, rogans ut tacito nomine, cum his ageret hac de re qui clavem ſcientiæ in Eccleſia Dei tenent. Expoſita fuêre omnia Jacobo de Trecis Archidiacono Leodienſi, qui poſteà factus eſt Epiſcopus Verdunenſis, deinde Patriarcha Hieroſolymitanus, demum Pontifex Rom. dictus Urbanus IV. Hic rem contulit cum duobus magnis luminaribus Leodii tunc præfulgentibus, cum Hugone Provinciali Ord. Prædic. poſteà Card. & Guiardo, ſeu Guidone Epiſc. Cameracenſi, & cum aliis viris celeberrimis, qui negotium promoverunt, & ad Dei Gloriam ceſſurum unanimiter cenſuerunt. Poſtmodum idem fuit revelatum Iſabellæ Beghinæ Hoyenſi (quam ſanctitate celebrem Juliana in Sororem montis Cornelii recipi curarat) & Evæ recluſæ ad S. Martinum Leodii. Dicta enim Iſabella Evam recluſam adiens, & intrans Eccleſiam S. Martini, ubi ſe ante Crucifixum proſtravit, in ſpiritu rapta, edocta eſt cœlitùs quomodo hæc feſtivitas, quæ hactenùs fuerat in ſecreto S. Trinitatis, jam palam declarari deberet his, in quos fines ſæculorum devenerant. Videbat

Matt. 11.

Pſ. 39.

Feſtum Ven. Sacram primum celebrari cœpit apud S. Martinum Leodii.

in men

in mentis exceſſu omnium cæleſtium Ordinum exercitus Domino ſupplicantes, ut tandem ad confirmandam Eccleſiæ militantis Fidem periclitanti mundo feſtivitatem hanc patefaceret: Audiens Juliana, Deum, etiam hanc divinæ revelationis teſtem elegiſſe, exultavit in ſpiritu, & tandem per Joannem domus ſuæ Patrem officium componi fecit, quod incipit: *Animarum cibus*, & à dictis Theologis probatum fuit, illudque Leodii, Tungris, & alibi in uſu fuit, donec ab Urbano Officium S. Thomæ publicatum eſt. Et licet ſcriptor modicæ litteraturæ fuerit, obediens tamen aperiebat os ſuum, & Dominus implebat illud; quotieſque ille ſe ad ſcribendum impendebat, Juliana orationi ad id vacabat. Hâc occaſione primum Feſtum Leodii eſt celebratum, potiſſimùm à Collegio S. Martini, monitione Evæ Sanctimonialis, quæ Angelicam ibi ducebat vitam. Et illud approbarunt ante Urbani Pontificatum Robertus Epiſ. Leod. & Hugo Cardinalis, qui cùm eſſet miſſus Legatus ad Germaniæ partes, Leodium etiam veniens apud S. Martinum hoc de feſto ſermonem habuit, inſtans apud majores Eccleſiæ Canonicos, ut etiam in cotum Eccleſia promulgaretur, & ſervaretur, qui ad tempus illud celebrarunt, ob Cardinalis auctoritatem. At cùm in urbem ſe recepiſſet, ceſſarunt, ſed non impunè, quia pleríque miſerabiliter hac è vita abſorpti ſunt: ita ut eorum interitus Laicis verteretur in proverbium. Robertus quoque Epiſcopus in generali Synodo ſtatuerat ſolemnitatem per omnes Diœceſis Eccleſias, ſed morte præventus executionem non vidit.

Urbanus interim ex Patriarcha Jeroſolymitano in Pontificem extra Cardinalium Collegium aſſumptus, feſtum quod antea Leodii celebrabant, univerſale fecit anno 1264. Memorem enim fuiſſe revelationum (de quibus Leodii) conſtat ex conſtitutione ſua, ubi dicit: *Intelleximus olim dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam Catholicis divinitùs revelatum, Feſtum hujuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum.* Undè & anno quarto ſeu ultimo Pontificatus ſui, mortuâ Julianâ, miſit ad Evam reclusam Diploma cum novo S. Thomæ officio, cujus tenor ſequitur.

Univerſaliter in tota Eccleſia illud celebrari mandat Urbanus Pontifex

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectæ in Chriſto filiæ Evæ recluſæ S. Martini Leodienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Scimus, ô filia, quod magno deſiderio deſideravit anima tua, ut ſolemne Feſtum ſacratiſſimi Corporis Domini noſtri JESU Chriſti inſtitueretur in Eccleſia Dei, à Chriſti Fidelibus perpetuis temporibus celebrandum. Et ideò tibi ſignificamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem Catholicæ Fidei, dignè duximus & ſtatuimus, ut de tam mirabili Sacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipſo Eccleſia facit, ſpecialior & ſolemnior memoria celebretur, certum ad hoc deſignantes diem, videlicet Feriam quintam proximam poſt Octavas Feſti Pentecoſtes proximè ſequentem. Ut in ipſa feria quinta, devotæ Fidelium turmæ, propter hoc ad Eccleſias affectuosè concurrant, ſitque dies illa univerſis Chriſticolis novâ feſtivitate jucundâ, & amplâ jucunditate feſtivâ, prout in litteris noſtris Apoſtolicis, quas per univerſum orbem ſuper hoc direximus, pleniùs continetur. Et ſcias quòd nos hujuſmodi Feſtum cum omnibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, necnon cum omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ceteriſque Eccleſiarum Prælatis, tunc apud Apoſtolicam Sedem commorantibus (ad hoc ut videntibus & audientibus, de tanti Feſti celebritate ſalubre præberetur exemplum) duximus celebrandum.

Feria 5. poſt Octavas Pentecoſtes.

Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo: quia viderunt oculi tui ſalutare tuum, quod paravimus ante faciem om-

Digitized by Google

nium populorum. Lætare inſuper, quia Omnipotens Deus tribuit: deſiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudavit te cæleſtis gratiæ plenitudo. Et quia quaternium in quo totum habetur ipſius Feſti officium, tibi ſub Bulla noſtra per præſentium latorem deſtinamus: Volumus, & Apoſtolico ſcripto tibi mandamus, quatenus ſacrum Officium cum devotione recipias, & ejus copiam perſonis illam petentibus liberaliter exhibeas. Et inſtes libenter devotis ſupplicationibus apud illum qui memoriale tam ſalutiferum de ſeipſo reliquit in terris, in nobis tribuat ex alto gratiam, commiſſam noſtro regimini Eccleſiam ſuam regendi utiliter ad laudem & gloriam nominis ſui, & ſalubriter gubernandi. Datum apud Urbem veterem ſexto Idus Septembris Pontificatus noſtri anno 4. Chriſti 1264.

In Clem. l. 3 de Reliq. & ven. Sanct. c. S. Dominum Mart. V. conſtit. incip. Ineffabile. Eugen. conſtit. Excellentiſſimum.

Urbanus igitur Feſtum hoc univerſale fecit ob revelationes illas in Eccleſia Leodienſi præcedentes, quæ, cùm ex Bulla Urbani, tum ex Julianæ vita ab Authoribus probatiſſimis conſcripta, certiſſimæ ſunt. Juncto ad hæc miraculo, quod in fine hujus lectionis ſubjungemus.

Poſtmodum Clemens V. in Conc. Vienenſi confirmavit Bullam prædeceſſoris ſui Urbani IV. denique mandavit, ut Feſtum Venerabilis Sacramenti univerſaliter ab omnibus Chriſti Fidelibus celebraretur; & cæteri ſubſequentes Pontifices, Martinus V. & Eugenius IV. Indulgentias per Urbanum conceſſas auxerunt, novaſque iſtâ die communicantibus, & Proceſſionem comitantibus, ejuſque vigilia jejunantibus elargiri ſunt.

I. Jucundiſſima ſunt iſta, & omni acceptione digna; Verùm quid Hæreticis noſtris dices, qui contra hanc feſtivitatem, & præſertim contra ſolemnes hujus diei Proceſſiones dentibus fremunt, & tabeſcunt?

R. Nihil aliud quàm Anathema Conc. Trid. in hæc verba: *Si quis dixerit, in ſanctæ Euchariſtiæ Sacramento, Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideò feſtivâ nec peculiari celebritate venerandum; neque in Proceſſionibus ſecundùm laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publicè, ut adoretur populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idolatras; Anathema ſit.*

I. Quod erat miraculum iſtud, quod antè promiſiſti?

S. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 13. §. 1. & Ioan. Stepha. Durant. de ritibus Eccleſ. l. 2. c. 39. Platina in Urbano IV.

R. Contigit Vulſiniis in Diœceſi & ditione Urbevetana, Sacerdotem quempiam poſt conſecrationem de veritate Corporis & Sanguinis Domini dubitare. Statimque ex ſanctiſſima, quam manibus tenebat, hoſtia, vivus ſanguis manare cœpit, & ſacrum Corporale intingere. Quo miraculo attonitus Pontifex (Urbanus IV) Corporale ad ſe ab Epiſcopo loci cum proceſſione in urbem veterem (ubi tunc agebat cum ſua Curia, S. Sedem Manfredo Siciliæ Rege Romanæ Eccleſiæ hoſte, divexante) transferri voluit: & illud ſolemniter in Eccleſia Urbevetana repoſuit. Exindè exſtimulatus fuit Pontifex ad Feſtum Venerabilis Sacramenti diplomate ad univerſas Eccleſias deſtinato ſanciendum, uti ſuprà.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT V.

LECTIO PRIMA.

S. Tho. 3. p. q. 84.

I. Quis eſt ordo & connexio hujus Sacramenti ad tria præcedentia?

Pulchra connexio hujus Sa-

R. Hæc eſt connexio; Per Sacramentum Baptiſmi regeneramur in novas creaturas, induentes Chriſtum Dominum, ut in novitate vitæ deinceps ambulemus.

Digitized by Google

[Sa]cramenti ad tria præcedentia.

lemus. Et hoc quidem novum regenerationis ſive vitæ genus ſuſcipimus, non ut otium aut delicias ſectemur, verum ut irreconciliabile bellum juremus contra diabolum, mundum & carnem; Idcircò arma nobis traduntur in Sacramento Confirmationis, & commeatus in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; Sed cùm in bello varii ſint caſus, contingatque non rarò milites in prælio vulnerari; imò interdum morti occumbere; Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui allevat omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos: Hoc Pœnitentiæ remedium nobis providit, ut poſt lapſum relevemur. Adeò quod Baptiſmus inſtitutus ſit pro iis qui Chriſtianæ militiæ inſcribuntur; Confirmatio, pro militibus jam prælia commiſſuris; Sacra Euchariſtia pro alimentis & commeatu exercitui parando; & hoc ipſum Pœnitentiæ Sacramentum pro vulneratis medicandis.

Pſal. 145.

Alia ratio connexionis & ordinis.

Poteſt addi altera ratio, cur immediatè, poſt ſacræ Euchariſtiæ tractatum, ſubjungatur doctrina de Pœnitentia; nimirum, quia ſæpè contingit, quod ſacer cibus Corporis Domini noſtri effectus ſuprà memoratos minimè obtineat, ratione indiſpoſitionis hominis, qui verſatur in peccato, non ſecus ac cibus corporalis, qui ſtomacho malè affecto magis officit, quàm prodeſt. Unde qui indiſpoſitus eſt & æger, non jam cibum, ſed medicamenta ad purgandum & evacuandum opportuna quærere debet. Simili planè modo, qui in ſtatu peccati verſatur, ſacrâ menſâ Euchariſticâ abſtinere debet, uſque dum ad Pœnitentiam recurrerit, quæ eſt animæ peccatricis medicina.

Igitur in memoriam revoca, id quod prima parte c. 10. diximus, infirmitates animæ ſpirituales eſſe peccata.

Et adverte, nos de aliis infirmitatibus non agere, quàm de iis, quas homo ex fragilitate, aut malitia poſt Baptiſmum contrahit, quæ ſunt peccata actualia; nam quantum ad generalem infectionem, & ſpiritualem ægritudinem totius generis humani (quæ eſt peccatum originale) nullum habet aliud remedium præter Baptiſmum, prout ſuo loco traditum eſt.

I. Nunquid igitur Baptiſmus eluit omnem omninò maculam, & abſtergit omne peccatum, ſive originale, ſive etiam quod ſuberat actuale?

R. Ad quæſtionem tuam reſpondet Conc. Trid. hoc modo: *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo ipſius beneficio & gratiâ ſuſceptam, conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus, dives in miſericordia, cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur.* Idcircò vocaverunt SS. Patres Sacramentum hoc, *Secundam poſt naufragium Tabulam.*

Ʃ. 14. c. 1.

S. Hiero. in c. 3. Iſaiæ. Mag. in 4. diſt. 14.

I. Quis igitur eſt hujus Sacramenti finis principalis?

R. Juſtificatio peccatoris baptizati, ſpiritualis reſurrectio, ejuſque cum Deo reconciliatio. Hinc ſupra docuimus Sacramentum Pœnitentiæ appellari, *Sacramentum mortuorum.*

I. Quid eſt Sacramentum Pœnitentiæ?

Definitur Sacramentum Pœnitentiæ.

R. Eſt Sacramentum in quo abſolutio omnium peccatorum à Sacerdote tribuitur ei, qui peccata ſua integrè fuerit confeſſus & deteſtatus Trid. Ʃ. 14. c. 1. & can. 1. & Ʃ. 6. c. 14.

I. Quis hanc poteſtatem peccata remittendi Sacerdotibus impertitus eſt?

R. Chriſtus Dominus hoc Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum*

Concil. Trid. Ʃ. 14 c. 1. Joan. 20. v. 22.

tum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Novatianos, poteſtatem remittendi peccata olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Eccleſia Catholica, tanquam Hæreticos exploſit, atque damnavit.

Quando inſtitutum hoc ſacramentum?

I. Quandonam recurrendum eſt ad Pœnitentiam?

R. Quàm citiſſimè fieri poteſt, præſertim quando quis in mortale lapſus eſt.

I. Quare hoc?

R. Ut quantotiùs recuperetur ſpiritualis animæ vita, quæ eſt gratia Dei.

I. Quis ſuadet omnem pœnitendi remoram quamprimùm abrumpi & perfringi?

Eccl. 5.

R. Spiritus S. *Ne tardes*, inquit, *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Rationem ſubdit: *Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.*

I. Quibus ſimilitudinibus perſuadere conareris peccatoribus, ne pœnitentiam differant?

Similia.

R. His & ſimilibus: quis enim viperam lethiferam manu ferat, & non ſtatim excutiat? Quis peſtem in corpore alat? Quis hoſtem capitalem intra mœnia ferat? Quis cadaver vermibus horridum domi toleret? Quis dæmonem in mente geſtet? Peccatum lethale eſt vipera, eſt peſtis, eſt hoſtis, eſt cadaver, eſt dæmon: illicò ergo ut illud ſentis, totis viribus pœnitendo excutias.

Periculoſum eſt pœnitentiam de die in diem differre.

I. Eſtne res periculi plena, ſi exiſtens in peccato lethali differat converti ad Dominum, & Sacramento pœnitentiæ peccata eluere?

R. Ita. Non enim ſemper eſt ad manum pœnitendi occaſio; ſive quod ſubitâ morte interdum præripiatur ejuſmodi occaſio, ſive quod Deus iratus pœnitentiæ ſpiritum non tribuat.

...nitentiam.

I. Habeſne ad hanc rem exempla?

Exemplum horribile.

Beda l. 5. hiſt. Angl. c. 14. an. 704.

R. Habeo. Fuit quidam temporibus Conredi, qui poſt Odilredum regnavit, vir in laico habitu atque officio militari poſitus, ſed quantum pro induſtria exteriori, Regi placens, tantum pro interna ſuimet negligentia diſplicens. Admonebat ergò illum Rex ſedulò, ut confiteretur, & emendaret ſe, ac relinqueret ſcelera ſua, ne ſubito mortis ſuperventu tempus omne pœnitendi & ſeſe emendandi perderet. Verùm ille, licet frequenter admonitus, ſpernebat verba ſalutis, ſeſeque tempore ſequenti pœnitentiam facturum eſſe promittebat. Inter hæc tactus infirmitate cecidit in lectum, atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingreſſus Rex (diligebat enim eum) multùm hortabatur ut vel tunc antequam moreretur, pœnitentiam ageret commiſſorum. At ille reſpondet, non ſe tunc velle confiteri peccata ſua, ſed cùm ab infirmitate reſurgeret, ne fortè exprobrarent ſibi ſodales, quod timore mortis faceret ea quæ ſoſpes facere noluerat. Fortiter quidem, ut ſibi videbatur locutus, ſed miſerabiliter, ut poſtea patuit, dæmoniacâ fraude ſeductus eſt. Cumque morbo ingraveſcente denuò ad eum viſitandum ac docendum Rex intraret, clamavit ſtatim miſerabili voce: Quid vis modò? Quid huc veniſti? Non enim mihi aliquid utilitatis, aut ſalutis potes ultrà conferre. At ille: Noli, inquit, ita loqui, vide ut ſanum ſapias. Non, inquit, inſanio, ſed peſſimam mihi conſcientiam certus præ oculis habeo. Et, quid inquit, hoc eſt? Paulò ante, inquit, intraverunt domum hanc duo pulcherrimi juvenes, & reſederunt circa me, unus ad caput, & unus ad pedes. Protulitque unus librum perpulchrum, ſed vehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit: in quo omnia quæ unquam

Dilata pœnitentia deſperationem adfert.

bona

bona feceram intuens ſcripta reperi, & hæc erant nimiùm pauca & modica. Receperunt codicem, neque aliquid mihi dixerunt. Tunc ſubitò ſupervenit exercitus malignorum & horrendo vultu ſpirituum, domumque hanc & exterius obſedit, & intus maxima ex parte reſidens implevit. Tunc ille qui & obſcuritate tenebroſæ faciei, & primatu ſedis major eſſe videbatur eorum, proferens codicem horrendæ viſionis & magnitudinis enormis, & ponderis penè importabilis, juſſit uni ex ſatellitibus ſuis mihi ad legendum deferri. Quem cùm legiſſem, inveni omnia ſcelera, non ſolùm quæ opere vel verbo, ſed etiam quæ tenuiſſimâ cogitatione peccavi, manifeſtiſſimè in eo tetris eſſe ſcripta litteris. Dicebantque ad eos, qui mihi aſſederant, viros albatos & præclaros: Quid hic ſedetis, ſcientes certiſſimè, quia noſter eſt iſte? Responderunt: Verum dicitis, accipite, & in cumulum damnationis veſtræ ducite. Quo dicto, ſtatim diſparuerunt. Surgenteſque duo nequiſſimi ſpiritûs habentes in manibus furcas, percuſſerunt me, unus in capite, & alius in pede. Qui videlicet modò cum magno tormento irrepunt mea viſcera & interiora corporis mei, moxque ut ad invicem pervenerint, moriar, & à paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni carceres pertrahar. Sic loquebatur miſer deſperans, & non multò poſt defunctus eſt, & pœnitentiam, quam ad breve tempus cum fructu veniæ facere ſuperſedit, in æternum ſine fructu, pœnis ſubditus, facit. De quo conſtat, quia (ſicut B. Papa Gregorius de quibuſdam ſcribit) non pro ſe iſta, cui non profuere, ſed pro aliis viderit, qui ejus interitum cognoſcentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improviſo mortis articulo præventi, impœnitentes perirent. Quod autem codices diverſos per bonos ſive malos ſpiritus ſibi vidit offerri, ob id ſupernâ diſpenſatione factum eſt, ut meminerimus facta & cogitationes noſtras non in ventum diffluere, ſed ad examen ſummi Judicis cuncta ſervari, & ſive per amicos Angelos in fine nobis oſtendenda, ſive per hoſtes. Quòd verò priùs candidum codicem protulerunt Angeli, deinde atrum dæmones, illi perparvum, iſti enormem, animadvertendum eſt, quòd in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen univerſa pravè agendo juvenis obnubilavit. Qui ſi è contra errores pueritiæ corrigere in adoleſcentia, ac bene faciendo à Dei oculis abſcondere curaſſet, poſſet eorum numero ſociari, de quibus ait Pſalmus: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

Chryſaorius vir nobilis, tam plenus vitiis, quam rebus, ad extremum vitæ veniens, eâdem horâ quâ jam de corpore erat exiturus, apertis oculis, vidit tetros & nigerrimos ſpiritûs coram ſe aſſiſtere, ut ad infernum ſe raperent. Tunc cœpit magnis vocibus clamare, dicens: *Inducias vel uſque manè, inducias vel uſque manè.* Sed cùm hæc clamaret, in ipſis ſuis vocibus, de habitaculo ſuæ carnis, nullâ peractâ pœnitentiâ, omniſque ſalutis ſpe ademptâ, avulſus eſt. *Nolite errare, Deus non irridetur.*

Aliud Exemplum *S. Greg. hom 12. in Evang. & l. 4. dial. c. 38.* *Ad Gal. 6.*

I Luxeruntne Sancti ſuam converſionis tarditatem?

Exemplū.

R. S. Aug. l. 6. confeſſ. c. 11 & l. 8. c. 5. & 7. Idem ſerm. 17. de verbis Domini, vocat corvinam vocem; Cras, cras, convertar. Ipſa res eſt, inquit, quæ multos occidit, cùm dicunt, *Cras, cras,* & ſubitò oſtium clauditur: remanſit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum. Idem in Pſal. 124. *Deus, ait, pœnitentiæ tuæ indulgentiam promiſit, ſed huic dilationi tuæ craſtinum non promiſit.* Sic & S. Gregor. hom. 12. in Evang. *Qui pœnitenti,* inquit, *veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit.*

Partes Sacramenti pœnit. tres Trid. ſſ. 14. c. 3. I. Quot ſunt partes Sacramenti pœnitentiæ?

R. Tres, videlicet: Contritio, Confeſſio, & Satisfactio, qui ſunt tres actus ipſius pœnitentis, ad complendum integraliter Sacramentum neceſſariò requiſiti.

I. Qui fit quòd hæ tres partes, ſive hi tres actus pœnitentis ad peccatorum remiſſionem in Sacramento pœnitentiæ conſequendam exiguntur?

R. Eâ ratione, quòd quemadmodum à Deo cogitatione, verbo, & opere abalienati ſumus; ita nos oppoteat eidem reconciliari, per contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. Vide Conc. Trid. d. ſſ. 14. c. 3.

LECTIO II.

De Contritione, primâ parte Sacramenti Pœnitentiæ.

Conc. Tri. ſſ. 14. c. 4. I. QUid per Contritionem intelligis?

R. Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. *Iſai. 38.* *Recogitabo tibi annos meos* (dicebat pœnitens Rex Ezechias) *in amaritudine animæ meæ:* & per Prophetam ſuum exhortans nos Dominus ad pœnitentiam. *Joel 2.* *Scindite*, ait, *corda veſtra & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum.*

I. Quare locum ſuum habet Contritio inter Pœnitentiæ partes? Nunquid animæ pœnitenti ſufficeret ceſſare à peccatis, & vitam novam proponere & inchoare?

R. Minimè, nec enim poteſt vita nova inchoari, niſi per veteris odium ac deteſtationem præteritas culpas abluerit. *Hom. 50.* *Omnis qui jam arbiter ſuæ voluntatis conſtitutus eſt*, inquit S. Aug. *cùm accedit ad Sacramenta Fidelium, niſi eum pœniteat vitæ veteris, novam non poteſt inchoare.* Et quid aliud volunt Scripturæ illæ: *Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Ezech. 18. Et: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo; lavabo per ſingulas noctes lectum meum.* Pſal. 50.

I. Fuitne quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius?

R. Ita, Hoc declaravit Conc. Trid. ſup.

I. Quare dicis quòd Contritio inter pœnitentiæ partes primum locum obtineat?

R. Primum quod agere debet pœnitens pro obtinenda peccatorum remiſſione, eſt, converti ad Dominum per peccati deteſtationem, à quo averſus fuerat per ejuſdem perpetrationem, eique ex corde cum prodigo dicere: *Pater, peccavi in Cælum, & coram te.* Luc. 15.

I. Flectiturne Deus peccatoris contritione & gemitu, ad miſericordiam?

R. Ita; dicit enim ipſe per Prophetam ſuum, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet & non morietur.* Ezech. 18. Et per Pſalmiſtam: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Pſal. 50. Vide S. Joan Chryſ. hom. 22. ad populum. *O humilis lacryma*, inquit S. Auguſtinus, *tuum eſt regnum, tua eſt potentia, aſpectum Judicis non vereris, inimicis accuſantibus ſilentium imponis, ſola intras ad Regem, ſed ſola non recedis, vincis invincibilem, & ligas Omnipotentem.* L. de Pœnit.

I. Quibus ſimiles ſunt, qui abſque dolore & peccatorum ſuorum deteſtatione confitentur?

R. Similes ingrato & impudenti ſervo, qui Domino ſuo quem graviter offendiſſet, diceret: Domine, agnoſco & confiteor me graviter offendiſſe, rogo te ve-

ſe veniam, cæterùm non me pœniter facti. Conſidera, an ejuſmodi ſervus indulgentiam conſequi mereretur. & conſequenter, an peccator abſque dolore reatum ſuum confitens, à Deo, Domino dominantium, veniam impetraturus ſit *Admonendi ſunt*, inquit S. Gregorius, *qui admiſſa deſerunt, neque tamen plangunt; ne jam relaxatas æſtiment culpas, quas etſi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant.*

L. 3. Paſtor c. 31.

I. Susceperuntne Sancti ingentes pœnitentias pro peccatis ſuis?

Exempla. R. Ita. Vide exempla & lamenta apud Climachum gradu quinto de Pœnitentia. Veram pœnitentiam egerunt David, Achab, Manaſſes, Ninivitæ, de quibus S. Baſil. in divites avares, & hom. de pœnitentia. Secundò, Elias & S. Joannes Baptiſta, de quibus S. Hieron. l. 2. in Matth. Tertiò, S. Petrus Apoſtolus, de quo Auguſtin. ſerm. 104. & 124. de tempore. Quartò S. Maria Magdalena, de qua S. Ambroſ. l. 2. de pœnitentia. Quintò, Theodoſius Imp. de quo idem in Oratione funebri de obitu Theodoſii. Audi quid Michæas in perſona peccatoris dicat: *Vadam ſpoliatus & nudus, faciam planctum quaſi draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.* Incedere ergò debet peccator nudus, expolians veterem hominem cum actibus ſuis, ut induere poſſit novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis, ut liber à malis affectibus, & plenus bonis deſideriis facere poſſit planctum quaſi draconum.

Exemplar & modus veræ pœnitentiæ in S. Paulo. 1. Tim. 1. Libet hic attexere ſingulare pœnitentiæ exemplum Sancti Pauli Apoſtoli, in quem Deus miſericordiam ſuam oſtendit, ut nullus peccator deſperaret, ut hoc prototypum omnes imitarentur, quemadmodum ipſe de ſe teſtatur dicens: *Ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.*

Primò, circumfulſit illum lux de cælo, cùm plenus minarum & cædis tenderet Damaſcum. Sic primum ad converſionem hominis, eſt gratia Dei neceſſaria, liberum arbitrium præveniens. Ait enim Propheta. *Converte me, & convertar* Jerem. 31. Ita contra Pelag. paſſim docet S. Auguſt. to. 7. & ex eo Conc. Tridentinum. *Act. 9.* *Gratia Dei ad converſ. perc. 1. neceſſaria.*

Secundò, alloquitur illum Chriſtus, docet fidem, declarat ſe Jeſum Nazarenum, quem ipſe perſequebatur. *2. Fides.*

Tertiò, proſtratus in terram ſtupet & tremit, videns ſe Chriſtum perſequi, quem amare, & cui ſervire debebat. Adeò quod dicat S. Auguſt. quod maximus timor perduxit Paulum ad maximam charitatem, quæ deinde expulit timorem. *3. Timor.*

Quartò, ſurgit, & ſpe, fiduciaque plenus, intrat Damaſcum, diſcit ab Anania, quid oporteat eum facere. *4 Spes.*

Quintò, charitate accenſus continuò non acquievit carni & ſanguini, ſed prædicavit JESUM eſſe Filium Dei, omneſque ad ejus fidem & amorem accendit. *5. Charitas.* *ad Gal. 1.*

Sextò, [illegible] tem vitam ita deteſtatus eſt, ut quæ pr[illegible] utarat lucra, nunc exiſtimaret d[illegible] ta & ſtercora, totus in alium virum [illegible] tus. *6 Seria vitæ emendatio.*

Sed, numqui deſunt corporis afflictivæ auſteritates: Minimè. Nam ſcribit de ſeipſo: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* *7 Corporis caſtigatio.*

I. U[illegible] le neceſſitatem pœnitentiæ vel contri[illegible] probas?

R. Ex Scriptura & Patribus. N[illegible] *pœnitentiam habueritis*, inquit [illegible] cas, *omnes ſimul peribitis*. Et S[illegible] *Pœnitemini igitur & conv[illegible], ut deleantur peccata veſtra.* E[illegible] in Apocal. c. 2. *Veniam tibi cito, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam [illegible]* Ad hæc Scriptura crebrò [illegible] culat impœnitentes, ut in Pſalm. *Hodie ſi vocem ejus audieri-* *Pſal. 94.*

Digitized by Google

dieritis, nolite obdurare corda veſtra. Prov. c. 1. Et in Proverb. *Quia vocavi, & renuiſtis, &c. ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Matt. 23. Et apud Matth. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.*

L. de pœnit. ad virg. lapſ. c. 8. Sancti Patres quoque priſci eandem neceſſitatem agnoverunt. Tertul. *Bonum eſt, ait, pœnitere, an non? quid revolvis? Deus præcipit.* Et S. Ambroſ. *Pœnitudo neceſſaria eſt, ſicut vulneratis neceſſaria ſunt medicamina. Cùm animo conceperis non aliud remedium eſſe conſtitutum poſt Baptiſmum, quàm pœnitentiæ ſolatium, quantumvis afflictionem, quantumvis laborem & indecorem ſubire eſto contenta.* S. Auguſt. *Nec quempiam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque, ſeu magno, ſeu parvo peccato, ad correctionem ſine pœnitentiâ poſſe tranſire.*

Contritionis duæ ſpecies. I. Quæ ſunt Contritionis ſpecies?

R. Contritio alia eſt perfecta; alia imperfecta, alio nomine dicta attritio.

I. Quid intelligis per Contritionem perfectam?

R. Contritio perfecta eſt dolor ſive deteſtatio peccati propter Deum ſummè dilectum, cum propoſito emendationis vitæ, & obſervationis mandatorum Dei.

I. Quid verò eſt attritio?

R. Eſt quoque animi dolor, ſed ex quopiam alio motivo minus perfecto, ut puta, ex timore gehennæ, &c.

I. Explica hoc paulò amplius?

Simile. R. Explico ſimili. Intrat quis aulam magni Principis, invenit primò viliſſima aliquot mancipia infimis officiis deſtinata; rogat cur non furentur bona Principis? cur non ſint inobedientes? Reſpondebunt: O, non auſi eſſemus peccare, aut Dominum noſtrum offendere, quia timemus eum, ſi enim peccaverimus, flagris horrendis excipiemur. Ecce abſtinent illi à peccato, & de commiſſo dolent, ut ſolent canes, qui foco aſſidentes, vident aſſari carnes, quas vehementer appetunt, non tamen attingunt, timore fuſtis; & flagellorum. Ulteriùs pergit; & invenit in penetralibus filium nobilem optimè educatum, aut ſanè Principis uxorem caſtiſſimam & honeſtiſſimam; & iſtos interrogat, cur ille non offendat Patrem, & cur illa non admittat alium virum? Reſpondebit ille, quomodò poſſum ego offendere Patrem meum nobiliſſimum, optimum, me ſic amantem, ſic mihi de omnibus providentem, &c. Et illa indignabunda diceret; Quid? hoc audes ab uxore nobiliſſimi & optimi Principis, vel petere, quæ horreo ſimile nefas vel cogitare, cùm perſpectas habeam ſponſi mei dotes, nobilitatis prærogativam, dignitatem, liberalitatem, bonitatem, quem propterea omnibus viris præfero, quem præ omnibus amabilem cenſeo; Quomodò aliquid poſſem facere aut cogitare, quo tam bonum Principem & ſponſum offendam? Hi horrent & timent peccatum, non propter pœnam, neque ſui incommodi causâ, ſed propter ipſam culpam, quâ eum, quem diligunt, offenderent; & talis dolor debet eſſe veri pœnitentis, & ex contritione perfectâ ſua peccata deteſtantis.

Illuſtrat hoc Sanctus Auguſtinus pulcherrimâ comparatione duarum fæminarum conjugatarum, quarum una eſt caſta, altera adultera; utraque timet maritum, ſed hæc ne damnetur à marito, illa ne deſeratur à marito; hæc timet ne maritus abſens redeat, quia adhuc amat nequitiam, & adulterinas illecebras; illa timet ne maritus foras diſcedat, quia nimirum gaudet præſentiâ & caſtis amplexibus mariti. Itaque, vox utriuſque eſt, *timeo*, ſed diverſus animus; Sequere, ô peccator, uxorem caſtam, & dole de peccato, non propter pœnam, ſed propter culpam; non propter timorem, ſed propter amorem. *Tract. 9 in Ioan.*

I. Quæ

Digitized by Google

I. Quæ eſt differentia inter contritionem & attritionem?

Differentia inter contritionem & attritionem, R. Prima differentia. Contritio eſt dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum, uti dictum eſt. Attritio eſt dolor de peccatis, qui vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, vel *Conc. Tri.* pœnarum metu communiter concipitur.

Secunda, Contritio oritur ex timore filiali; Attritio ex ſervili.

Tertia, Contritio nunquam eſt ſine charitate & gratiâ; Sed Attritio poteſt eſſe ſine his cum auxilio ſpeciali.

Quarta, Contritio ſi habeat explicitè, vel implicitè votum confitendi & ſatisfaciendi, conſtituit hominem in gratiâ. Attritio verò ſine Sacramento Pœnitentiæ, actu ſuſcepto, non poteſt hominem ad juſtificationem perducere. Memineris tamen ejus quod e. præced. lect. 11. docuimus ex Conc. Trid. Neminem lethali peccato irretitum, ad Sacramentum Euchariſtiæ poſſe accedere, quantumvis ſibi contritus videatur, non præmiſsâ Confeſſione. Nam Eccleſia, cujus eſt de vero Scripturæ ſenſu judicare, non aliter intelligit verba S. Pauli: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, quàm de probatione ſui ipſius per contritionem & confeſſionem ſacramentalem.

I. Dolor de Deo offenſo ex turpitudinis peccati cõſideratione vel ex gehennæ metu conceptus eſtne inutilis?

ſ.14.c.4. R. Dico ex eodem Conc. Trid. *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ; donum Dei eſſe & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad pœnitentiam parat.*

I. Si quis confiteretur cum ſola attritione, qualem proximè deſcripſiſti, obtineretne remiſſionem peccatorum?

R. Jam diximus quòd ſic; nam quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem peccatorem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam cum Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Et hoc eſt, quod dicere ſolent: *Pœnitentem cum Sacramento ex attrito fieri contritum.* Propterea magni refert ſæpè confiteri, nam quod attritio per ſe nequit, cum Sacramento obtinet.

I. Sufficiet ergo quòd attritionis actus ſæpè eliciam, & confitear?

R. Salutare ſine dubio eſt, ſæpè confiteri, & attritionis etiam actus producere; Verùm non ſatis ſibi provideret, neque ſaluti ſuæ optimè conſuleret, qui his contentus, numquam ad alios perfectæ contritionis actus eliciendos conaretur.

I. Quomodò hoc?

R. Manifeſtum id eſt; nam ſi Deum mortaliter offenderis, & non ſit tibi Confeſſoris copia ad manum, cogeris diu in ſtatu peſſimo hærere, à gratiâ Dei extorris; cui malo potes illicò mederi per veræ contritionis actum. Ad hæc, non eſt articulus Fidei, quòd peccator attritus, ſit ſufficienter diſpoſitus ad remiſſionem peccatorum in Sacramento impetrandam, quod infallibiliter fit per contritionem. Atqui in re tanti momenti eligendum quod maximè ſecurum. *Conſultiſſimum eſt actibus perfectæ Contritionis aſſueſcere.*

LECTIO III.

I. QUandoquidem tanta eſt contritionis vis & præſtantia, velim mihi tradas modum aliquem eam eliciendi?

R. Primùm quidem, nolim putes contritionis actum conſiſtere aut perfici verbis quibuſdam ſtudioſè conceptis, v.g. dicendo: Domine Deus, doleo ex toto corde de peccatis meis, quia diligo te, vel quia tu bonus es, quem per peccatum meum offendi; Sed in cordiali affectu ſub ejuſmodi verbis ſive precationibus, ſuppoſito quod peccatum propter Deum offenſum ex intimo dolere

deteſtamur. Hinc contritio cordis dicitur.

Secundò, quia contritio donum Dei eſt, & omne donum perfectum deſcendit de ſurſum à Patre luminum. Ante omnia peccator Spiritus Sancti gratiam per humilem orationem imploret, recitando devotè Orationem Dominicam, hymnum Veni Creator Spiritus, &c.

Tertiò, per actus Fidei excitet ſe ad timorem Dei.

Quartò, ex illis exurgat ad actus ſpei.

Quintò, procedat ad deteſtationem peccatorum propter Deum & ob amorem ejus.

Sextò, cum omni ſubmiſſione precetur veniam.

Tandem emittat bona propoſita emendandæ in futurum vitæ, ſpeccatorum occaſiones reſecandi, & exequendi univerſa mandata Dei. Quæ omnia ex ordine patebunt, & ſequentur in oratione, quam pro contritionis actu ſubjicimus.

ORATIO POENITENTIS

Continens exercitium Contritionis.

Precatio pro gratia ad pœnitendum obtinenda.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina. Reſpice me Domine oculis, quibus Petrum peccatorem reſpexiſti, ut & ego foras exeam, & fleam amarè. Converte me Domine, & convertar ad te. Scio, heu! Scio, quia peccavi nimis in vita meâ, & irritavi iram tuam, & malum coram te feci; Coram te, in cujus manus incidere horrendum eſt; Coram te, qui & corpus & animam potes mittere in gehennam: Quid faciam, cùm venerit ad judicandum Deus? Quomodò ſtabo ad videndum eum? Ipſe enim eſt quaſi ignis conflans, emundans, & examinans argentum; Si argentum, quid fiet de ligno, de fœno, de ſtipulâ? Quomodò auſus ero comparere in conſpectu Dei Sancti hujus? Quomodò audire potero verbum illud? Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus. Quomodò habitare potero cum igne devorante, & cum ardoribus ſempiternis? O æternum quod cruciabit, pro momento quo delectavit! Hæc ſcio, hæc credo, quod ignis ille non extinguetur, nec vermis morietur, ſed perſeverabit æterna combuſtio, & aſcendet fumus tormentorum, eorum qui non dilexerunt Deum in ſæcula ſæculorum. Quid ergo conſilii? Quid faciam miſer? *Quò fugiam, niſi ad te Deus meus?* Surgam igitur cum Prodigo, & ibo ad Patrem meum, & dicam: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus; Fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Ille Pater eſt, ille viſcera Patris habet, non enim Pater eſt, & non miſerebitur; ille cor contritum & humiliatum non deſpiciet. Ergo, Domine Deus meus, ad pedes miſericordiæ tuæ proſtratus, de profundis cordis mei clamo: Pater, peccavi in cælum & coram te, non ſum dignus vocari filius tuus, Chriſtianus, Catholicus, aut Fidelis, qui non tibi, ſed carni, dæmoni, mundo ſervivi, qui omnem ſubſtantiam mihi traditam, intellectum, voluntatem, memoriam, ſenſus, bona temporalia, & omnia quæ habeo, quæque in tui ſervitium impendere debueram, prodegi. Peccavi itaque ſuper numerum arenæ maris, & non ſum dignus videre altitudinem cæli præ magnitudine & multitudine iniquitatum mearum. Væ ingratitudini & cæcitati meæ! *Deducant oculi mei lacrymas per diem & noctem & non taceat pupilla oculi mei.* Plorant multi in mundo qui bona temporalia perdiderunt, qui ſervituti perpetuæ addicti ſunt; plorant qui filios & amicos perdiderunt; & ego non plorabo, qui corpus, animam, gratiam, omnia merita & bona bonorumque omnium Fontem Deum perdidi? Revertere

Actus fidei & timoris.

Matth. 25.

Actus ſpei.

Luc. 15.

Dolor & deteſtatio peccati ob ejus malitiam.

ergo

ergo nunc anima mea ad Deum Factorem tuum. Recipe Domine ſervum fugitivum ad te revertentem, ſuſcipe Pater Filium prodigum cum pœnitentiâ redeuntem, ne deſpicias ovem perditam Paſtor bone ad te revertentem, qui quæſiviſti errantem. Reſpice & fove, ô pie Samaritane, vulneratum jacentem inter latrones, & oleum tuæ miſericordiæ, & vinum veræ contritionis vulneribus meis infunde. Ego, ego ſum, ô Pater miſericordiarum, anima illa ingrata, quæ à te ex nihilo creata, ad imaginem tuam condita, Sanguine Filii tui reformata, ad fruendum te in æternâ gloriâ deſtinata, quæ te ut Creatorem adorare, & Redemptorem quærere, ut Dominum timere, ut dilectiſſimum ſponſum diligere, ut ſummum bonum appetere & deſiderare ſemper debebat, bonitatis tuæ infinitæ, & beneficiorum tuorum oblita, mundo, carni, & diabolo contra datam in Baptiſmo fidem, ſeipſam intolerabili contemptu & ingratitudine proſtituit. Confiteor itaque, quia iniquitas mea maxima eſt, & non niſi infinitâ miſericordiâ tuâ ſuperari poteſt. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*; nunc video quàm amarum ſit dereliquiſſe Dominum Deum meum, & non fuiſſe timorem ejus apud me: Sed nunc Domine, fac mecum ſecundùm magnam miſericordiam tuam; Ne quæſo *intres in judicium cum ſervo tuo, nec in furore tuo arguas me. Si enim iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio eſt, & copioſa redemptio.* Benignè fac mecum in bonâ voluntate tuâ. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Reſpice in faciem Chriſti tui, pone crucem & mortem ejus, merita Beatiſſimæ Virginis Matris, ac omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio, inter judicium tuum & animam meam, *Qui Mariam abſolviſti, & latronem exaudiſti, mihi quoque ſpem dediſti. Dixi; confitebor adverſum me juſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Effundam ſicut aquam cor meum coram te, & Vicario tuo Confeſſario meo, & *auditui meo dabis gaudium & lætitiam*, percipiendo deſideratiſſima verba: *Ego abſolvo te à peccatis tuis*; & exultabunt oſſa humiliata. *Juravi & ſtatui cuſtodire omnia judicia juſtitiæ tuæ.* Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, paratum, inquam, ad patienter ferendum pœnas & flagella quæ promerui, ad ſatisfaciendum omnibus, quos offendi, ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ut in poſterum te ſolum amet, te ſolum æſtimet, tibi ſoli, ut ſummè deſiderabili, jugiter adhæreat, & ſicut fuit ſenſus meus, ut recederem à te, nunc firmiter convertere me cupio ad te ſummum & unicum bonum meum. Cuſtodi hanc bonam voluntatem in me, Domine Deus meus. Amen.

Deteſtatio eorundem ob amorem Dei.

Precatio, agonia.

Bona propoſita pœnitentis.

I. Plurimi ſunt, qui ejuſmodi methodum neque norunt, neque obſervant?

R. Probè ſcio, multos Spiritus Sancti unctio docet contritionem, abſque aliquo præcepto, quibus infundit amorem Dei ſuper omnia, prout evidenter patebit in exemplis infrà ponendis. Unde nec velim præceptis illis aut methodo inſiſti, ſed magis deſiderem ſinum cordis explicari, & os dilatari, ut & illum divina miſericordia bonis votis, & illud verbis congruis repleat. Sed quia de modo aliquo & methodo eliciendæ contritionis cupiebas edoceri, idcirco illam tibi ſecundùm præcepta adſcribendam volui, ſperans multis non ingratam, neque inutilem fore.

I. Quandonam maximè hoc contritionis exercitium uſurpandum judicas?

R. Sæpè quidem contritionis actus exercendi ſunt in ſubſtantia; ſecundùm verò præceptorum jam traditorum modum,

Digitized by Google

operoſiùs vacandum cenſeo, quando te diſponis ad confeſſionem generalem, aut certè ad mortem. Cæterοquin pro quotidianis exercitiis uſui eſſe poſſunt, qui ſequuntur.

Actus Contritionis brevior.

DOmine Deus ex amore tui, bonitatiſque tuæ infinitæ, quam amo ſuper omnia; & quia peccatum ſummoperè tibi diſplicet, pœnitet me ex toto corde, peccatorum meorum omnium, eorumdem à te veniam ſupplex oro, cum propoſito Confeſſionis, emendationis vitæ, & obſervationis mandatorum tuorum.

Alius.

DOmine JESU Chriſte, propter amorem bonitatis tuæ immenſæ, pœnitet me quòd te offenderim, flagitoque à te veniam peccatorum, ſtatuens ea confiteri, vitamque meam emendare. Amen.

I. Proba mihi; ſi placet, exemplis, vim & efficaciam perfectæ contritionis?

Exempla. R. Mariæ Magdalenæ remiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum.
Luc. 7. Vide S. Gregor. hom. 33. in Evang.

Publicanus in Evangelio laudatus, pronus in terra, non audens oculos levare in cælum, contritionem elicuit,
Luc. 18. dum diceret: *Propitius eſto mihi peccatori*; & deſcendit juſtificatus in domum ſuam.

Latro in cruce contritionem peccatorum
Luc. 23. rum habuit, dum diceret: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*, & ideò ſtatim audit: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in Paradiſo.*

2. Reg. 12. David in adulterium & homicidium lapſus, à Domino per Nathan monitus, duo verba eloquitur, dicens: *Peccavi Domino*, & contritionem perfectam exercuit; nam ſtatim audit, *Tranſtulit Dominus peccatum tuum*. Verùm in verbis iſtis multa complexus eſt, ſignificavit namque peccati ſui magnitudinem, ingratitudinem & malitiam, & Domini, quem offenderat, bonitatem.

Sic S. Petrus, cùm poſt peccatum reſpexiſſet eum Dominus, egreſſus foras, flevit amarè; nihil locutus fuiſſe legitur, at veram contritionem exercuiſſe creditur. Quare etiam Dominus ſuſcitatus à mortuis, ei primo inter vivos apparuit. Vide S. Clem. l. 2. recognitionum.

De coapoſtolo ejus S. Paulo, tanquam veræ pœnitentiæ exemplari diximus lect. præcedenti

Quod noſtro tempore in Galliæ partibus accidit, fideliſſimâ relatione traditum non ſilebo: Ad illum Venerabilem virum Magiſtrum de Corboel Senonenſem Archiepiſcopum quidam peccator, qui propriam filiam violenter oppreſſerat, acceſſit, confeſſionis gratiâ: confeſſus igitur in maxima & mirabili contritione, & lacrymis, quæſivit ſi unquam poſſet ullo dolore vel pœnâ à Domino veniam impetrare? Cui Præſul: Ita, inquit, indubitanter, ſi tanti mali pœnitentiam ſubire volueris. At ille vehementer exclamans: Volo, inquit, etiamſi me mille mortes ſubire volueris. Collacrymatus ergò infelici peccatori, imò jam feliciſſimo pœnitenti: Et ego, inquit, ſeptennem tantùm tibi pœnitentiæ pœnam impono. Tunc ille. Quid eſt, ait, quòd pœnitentiam mihi flagitioſiſſimo ſeptennem tantùm injungis, qui ſi viverem, uſque ad finem mundi, tantum facinus pœnis innumerabilibus diluere non valerem. Cui Præſul: Vado, inquit, & tres dies tantùm in pane & aqua jejuna. Tum ampliùs ille plorans, & contundens ſe, rogabat, ut pœnitentiam injungeret ſalutarem. Supra modum ergò admiratus

Cantiprat. l. 2. de univerſo bono c. 5. p. 7.

&

& exhilaratus Antiſtes, tandem definitivè præcepit homini, ut abiret, & unum tantùm Pater diceret, ſciretque pro certo peccatum ſibi eſſe remiſſum. Nec mora: dirum ille emittens ejulatum, & in terram procidens expiravit. Nec dubia fides, ſicut Deo dignus Epiſcopus poſtea prædicavit, quin idem pœnitens ſine ulla alia Purgatorii pœna, validiſſima tantùm contritione purgatus, ad gloriam evolaverit.

I. Qui dolet ſe non dolere de peccatis, eſtne contritus?

R. Non eſt contritus, ſed attritus. Vide Navarr. in Manuali c. 1. num. 18.

I. Qui abſque dolore de peccatis, & ſine vero propoſito emendationis confitetur, percipitne peccatorum ſuorum remiſſionem?

R. Minimè, ut ex ſubjecto exemplo patebit.

Cæſar. l. 2. c. 15. *Pariſiis in Eccleſia ſancta Dei Genitricis Mariæ, Canonicus nuper obiit, qui multa habens ſtipendia, delicatiſſimè vixerat, & quia ex deliciis, maximè his quæ ad gulam pertinent, libido naſcitur, nata nutritur, & quotidianis ejus incitamentis augmentatur: idem juvenis valde tunicam carnis ſuæ maculavit, & tam illo, quàm aliis ſuis peccatis, iram Dei in ſe provocavit. Tandem per infirmitatem tactus, timore mortis confeſſionem fecit, peccata deflevit, & emendationem promiſit, viaticum recepit, inunctus eſt, hominem depoſuit. Cujus corpus, utpotè viri nobilis, divitiſque, cum magna pompa ſæcularis gloriæ tumulatum eſt. Et erat in illa die tanta ſerenitas, ut ipſe aër ejus exequiis famulari videretur; dixeruntque homines ad invicem: Multa bona præſtitit Deus homini iſti, nihil ei defuit horum, quæ homo Chriſtianus habere debuit. Dominicis Sacramentis munitus eſt, aër in ejus morte ſerenatus eſt, cum magna gloria ſepultus eſt. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Poſt paucos dies cuidam ſibi valde familiari apparens, dicebat ſe eſſe damnatum: cumque miraretur ille, & expaveſceret, pœnitentiam ejus & confeſſionem, ſacram etiam Communionem & inunctionem commemorans, reſpondit defunctus: unum bonum mihi defuit, ſine quo nullum horum, quæ enumerata ſunt, prodeſſe potuit. Quid eſt illud, inquit. Reſpondit mortuus; vera contritio; licet enim Deo promiſerim, conſilio Confeſſoris mei, continentiam, ſive alia quæ ſaluti ſunt, tamen dicebat mihi conſcientia, quia ſi convalueris, obſervare non poteris: & quia cor magis inclinabat ad tranſgreſſionem, quàm ad voti obſervationem, nullius peccati merui remiſſionem. Deus requirit fixum propoſitum pœnitendi. Ecce hominis hujus pœnitentia ſera fuit, & ficta, nec tamen fuiſſet ſera, ſi fuiſſet vera.*

Verum emendandæ vita propoſitum, quàm neceſſarium

LECTIO IV.

Motiva Contritionis.

I. QUibus motivis uti velles pro excitanda Contritione?

R. His, aut ſimilibus.

Primum eſt. Conſideratio peccatorum, etiam olim commiſſorum, quoad fœditatem, magnitudinem, & multitudinem, junctâ ingratitudine ipſius peccatoris.

Exemplum habemus Regis David in Pſ. 50. peccata jam dimiſſa recolentis: *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam ego cognoſco; & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Hoc medio uſus videtur S. Auguſt. qui in libro confeſſ. ita de ſe loquitur: *Amore amoris tui facio iſtud, recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine recogitationis meæ, ut dulceſcat mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix & ſecura, & colligens me à diſperſione, in qua fruſtatim diſciſſus, dum ab uno te averſus, in multa evanui.* *L. 2. confeſſ. c. 2.*

Secundùm, offendi Deum meum, qui me ſemper dilexit, & etiamnum diligit. Oblitus fui ejus, qui nunquam mei ob-

livifcitur. Illum offendi, qui magnâ ſuâ miſericordiâ haſtenus mihi pepercit, cùm poſſet me juſtiſſimè gehennæ æternæ addicere, prout multos alios peccatores addixit.

Tertium, ſi me damnaſſet (prout frequentiùs meritus ſum) ad flammas æternas, & exindè mihi compaſſus ab inferno retraxiſſet; hâc tantùm conditione, quod ego veniam peterem, & vitam emendarem, quantâ profectò obligatione ei teneret! Hæc altâ mente repone. Quoties me peccantem miſericordiâ ſuâ toleravit, & inferno non addixit, eandem mihi gratiam præſtitit, & æquè ei devinctus remaneo, ac ſi ex gehenna infernali me eduxiſſet.

Quartum, peccavi contra Deum, Regem, & Dominum meum, & quod in me fuit, conatus fui eum regali throno deturbare, ut alium ejus loco ſubſtituerem. Avertens me à Deo per peccatum, diadema regni de capite ejus ſuſtuli, imperium ei ademi, imò divinitate ipsâ, inaudito ſacrilegio exui, ut illam idolis, hoc eſt, tot creaturis, quas contra ejus præceptum inordinatè amavi, communicarem, hoc facto meo imitatus Phyliſteos, qui Arcam Domini, & idolum Dagon ſuper eodem Altari pariter repoſuerunt.

Quintum, offendi Deum meum, quem ſuper omnia ob ejus bonitatem & pulchritudinem amare debui, convertens me præpoſteris affectibus ad egentiſſimas, & fœtidiſſimas creaturas.

Sextum, ſit conſideratio Dominicæ Paſſionis. Nimirùm ingratiſſima ego creatura, in Deum Redemptorem meum peccavi, qui pretio Sanguinis ſui me emit. Expende pauliſper, quid Salvator tuus pro te à ſervitute peccati liberando, & in libertatem Filiorum Dei vindicando egerit, & paſſus ſit.

I. Habeſne præclarum aliquod exemplum alicujus, qui talibus mediis ad ſeriam peccatorum ſuorum contritionem commotus fuerit?

R. Ita. *Raymundus Capuanus B. Virginis Catharinæ Senenſis Confeſſarius, petiit aliquando à S. Catharina, ut precibus ſuis à communi Domino impetraret Bullam (ſic enim illi loqui placuit) plenariæ indulgentiæ, per quam ipſe Raymundus certior redderetur, ſibi peccata omnia fuiſſe dimiſſa. S. Virgo Catharina pollicita eſt, ſe Bullam ejuſmodi à Domino poſtulaturam. Sequenti die præmiſſa oratione ad Deum pro Bulla impetranda, Raymundum adivit B. Catharina; & dum loqueretur de ingratitudine hominum erga Deum, tactus Raymundus à Spiritu Sancto intueri ſibi viſus eſt peccatorum ſuorum multitudinem, & magnitudinem tam perſpicuè, ut continuò ex amariſſima contritione tantam vim lachrymarum effuderit, & in ſingultus & rugitus tales proruperit, ut periculum fuerit, ne pectus & cor ejus diſrumperentur. Tum Virgo: Hæc, inquit, eſt Bulla Indulgentiæ, quam tibi Dominus miſit: eſto igitur gratus gratiæ Dei. Sic illa receſſit, & ille mirum in modum lætus, cum Propheta Regio dicere potuit:* Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata

Exemplum. *Bellar. de gemitu columbæ l. 3. c. 1.*

His adjungi poſſent etiam alia media, ſeu motiva contritionis, ut.

Septimum, memoria noviſſimorum. De quibus nos aliquoties alibi.

Octavum, conſideratio peccati in ſe, quod uſque adeò omnis perfectionis undequaque incapax eſt, ut etiam à S. Auguſtino nihil eſſe dicatur.

Aug. ſup. Ioan.

Nonum, juvat etiam ad contritionem expendere, quot bonis ſpiritualibus peccatum mortale hominem ſpoliet; & contrà, quot quantiſque malis eundem obruat.

Decimum, quanto odio proſequatur Deus peccatum, ut proptereà ſcriptum ſit: *Odio eſt Deo impius, & impietas ejus.* Exemplo ſunt, Angeli prævaricatores, primi orbis parentes, & totus mundus diluvio abſorptus.

I. Sed reperire eſt homines tam bar-

dos

dos, & rerum ſpiritualium ſenſu uſque adeò deſtitutos, ut neque omnibus iſtis motivis percellantur, quid cum illis agendum?

Motiva acriora Contritionis ad percellendos ſtupidiores.

R. Urgerem illos, acriterque pungerem his & ſimilibus interrogationibus. Crediſne verè Chriſtum Dominum pro nobis natum, flagellatum, ſpinis coronatum, crucifixum, & extrema paſſum, ut nos à damnatione, & diaboli poteſtate eriperet?

Et quod à te pro tantis beneficiis nihil aliud exigat, quàm ut mandata ejus obſerves, & peccato nuntium remittas?

Cur hoc non feciſti?

Paratuſne es id facere, an non?

Nonne æquum eſt ut hoc facias?

Aut fortaſſe malis dicere *Deo* & Domino tuo, quòd non tantùm ipſius cauſa præſtabis, quidquid ipſe egerit, vel paſſus fuerit.

Crediſne infernum eſſe, ibique combuſtionem æternam?

Crediſne etiam hominem per peccatum mortale obnoxium ſe reddere iſti pœnæ ignis æterni, & quòd reverà in illam incurrer, qui abſque pœnitentia ex hoc mundo diſceſſerit?

Quomodò ergò auſus fuiſti committere peccatum?

Quomodò tot & tam gravia peccata?

An neſcis mortis horam omnibus incertam eſſe?

Nunquid ſæpiùs advertiſti aliquos ſubitanâ morte abreptos?

Quod aliis contigit, tibi non poteſt accidere?

Vide ergo cui te periculo, auſu temerario, exponas?

Nunquid magis diligendus eſt Creator, quàm creatura?

Nunquid pluris æſtimandus eſt Deus, quàm univerſa quæ in mundo ſunt?

Nonne Deo injuriam faceret ille, qui minòris eum æſtimaret, aut minus diligeret, quàm cæteras res creatas?

Qui ejuſmodi eſſet, nonne grave ſupplicium mereretur?

Tu es ille vir, qui id egiſti committendo peccatum.

Nunquid tu ſcis, quòd per unum peccatum lethiferum, gratia Dei, imò Deus ipſe perditur, quo æternum fruiturus eſt homo, ſi ejus mandata cuſtodierit?

Et nunquid ſciebas hoc eſſe peccatum mortale, dum admitteres.

Sic eras ergo diſpoſitus, quòd malles perdere gratiam Dei, imò Deum ipſum, quàm hanc vel illam creaturam: & dicebas, ſi non verbo, at facto ipſo: Domine Deus meus pluris æſtimo iſtam creaturam quàm te; & quandoquidem neceſſum eſt alterutrum deſerere, ego te malo Deum meum deſerere, quàm iſtam creaturam, v.c gulam, ebrietatem, rancorem, avaritiam, luxuriam, &c.

Et verè malo tibi inimicus eſſe, quàm hoc vel iſto modo ſenſualitati meæ non ſatisfacere.

Judica modò, quid in iſto facto meritus ſis.

Quantùm pœnitentiæ, ſatisfactioniſque agendum pro tanto facinore, pro compenſatione tantæ injuriæ?

Crediſne malum eſſe aliud ullum deplorandum magis, quàm ſimilem injuriam intuliſſe divinæ Majeſtati?

Non miraris Dei patientiam & longanimitatem, quæ te hactenus peccantem toleravit, & benè meritum inferno non addixit?

Sis ergò modò cautior, & peccata tua defleas.

Crediſne Dominum Deum tibi elargitum eſſe quidquid es, & quidquid accepiſti, imò vitam, & Sanguinem ſuum pretioſum in tui redemptionem? Quare ergò tantillum illius causâ non feciſti, quandoquidem id velit & mandet?

Quomodò potuiſti dicere tutâ conſcientiâ in Oratione quotidiana: *Adveniat regnum tuum*, quandoquidem ſcires in tali ſtatu regnum cœlorum minimè poſſe tibi advenire?

Quan-

Quando communicaſti vice ultimâ, & quamdiu poſt Communionem abſtinuiſti à peccato?

Itanè verò Creatorem tuum in Communione ſuſcipis pro uno atque altero die tantùm? Siccine abigis Deum tuum, ut des locum diabolo.

Uſque adeone impudens fuiſti, qui, facto diceres Creatori tuo: Domine vade hinc, nam oportet me ad peccatum meum reverti.

Quid tibi proderit modò, quod Creatorem tuum recipias, ſi eundem paucos poſt dies tam indignè velis à te depellere.

Certò tibi perſuadeas Dei patientiam & longanimitatem, in furorem & indignationem intolerabilem eſſe convertendam.

Dic mihi quæſo, gaudebiſne in articulo mortis, an potius dolebis te hoc vel iſtud peccatum admiſiſſe; cur ergò id facis modò, cujus te fortè ſerius pœnitebit?

Habebiſne inſtante morte perfectum iſtius peccati dolorem?

Sed quomodò poteris iſtud tunc deteſtari, quod tibi modò tantoperè placet?

An putas, quod in iſtam diem tibi reſervet Deus benedictionem, & gratiam pœnitendi, qui totâ penè vitâ cum contempſeris, & peccato indulſeris?

Et quâ ratione, ſive quo motivo, poteris tunc pœnitere?

Cur illo modo ad verè pœnitendum & vitam emendandam non uteris?

Nunquid ſcis tibi ſemel moriendum eſſe, & omnium cogitatorum, dictorum, & factorum reddendam eſſe rationem?

Quid ad ſingula interrogata in judicio reſponſurus es?

Quando mortuus fueris, & æternum deinceps, nunquid voles te nunquam offendiſſe Deum?

Quanta ergo inſania ob fœdam & minimam voluptatem, id committere, cujus æternùm, & ſine fructu pœnitebit?

In hoc ſtatu, in quo modò es, quid tibi videtur, eſnè Dei amicus, an non? Et quomodò potes ejus eſſe inimicus, ſine quo nihil boni habere potes?

Si crederes Principem tibi vehementer eſſe offenſum; nunquid omnibus modis conareris eum reddere placatum?

Et modò, parumne tibi videtur, quod habeas Deum tibi offenſum & inimicum?

Nunquid horrendum eſt incidere in manus Dei viventis?

Nunquid debes animam pluris facere, quàm corpus, & quamcumque aliam rem tranſitoriam?

Cur ergò illam peccato tuo occidiſti, & propter rem tantillam, & momentaneam, damnationis periculo expoſuiſti?

Eſne Chriſtianus? Sine dubio.

Quomodò ergò taliter vivis.

Sciſne quid Deo promiſeris in Baptiſmo & Angelis ejus?

Quare hoc non ſervaſti?

Quem fructum habuiſti in illis, in quibus nunc erubeſcis?

LECTIO V.

De propoſito emendationis.

I. Quid ſibi vult illa particula in definitione contritionis ſuprà adjecta: *cum propoſito non peccandi de cætero?*

R. Non ſufficit de peccatis habere dolorem & deteſtationem ob Deum offenſum, niſi etiam habeas firmum propoſitum non peccandi in poſterum, & vitam emendandi.

I. Quare hoc?

R. Quia qui non vult peccatum deſerere, verè illud non deteſtatur, ſed illi adhuc afficitur, adeoque non meretur, ut illud ei remittatur.

I De-

Digitized by Google

I. Declara hoc aliquo ſimili?

Simile. R. Quotidiè id videmus inter homines non ſufficere, ut de admiſſa offenſa nos pœniteat, ſed amplius requiri, ut etiam proteſtemur nos deinceps tale quid non commiſſuros.

I. Quibus ſimiles ſunt, qui dolent ſe Deum offendiſſe, non habent tamen propoſitum de cætero non peccandi?

R. Similes ſunt illi, qui Regi ſuo aut Principi diceret: Pœnitet me quidem quod te offenderim, cæterùm perſiſto in ea voluntate, ut idipſum etiam aliàs continuem.

I. Mereturne talis, offenſæ ſuæ veniam?

R. Minimè, ſed multò magis iram Principis irritaret, mereretur que carceri mancipari, & pro meritis rigoroſè caſtigari.

I. Quid agendum eſt illi qui concipit propoſitum ampliùs non peccandi?

Occaſiones propinquæ peccati. R. Debet evitare occaſiones propinquas peccati, id eſt, illas quibus ut plurimùm & ferè ſemper ad peccatum inducitur. Vide Navarr. c. 3, Man. & 14.

I. Quare tales occaſiones evitandæ ſunt?

Eccli. 3. R. Quia ſecus impoſſibile eſt evitare peccatum: *Nam qui amat periculum, peribit in illo.*

I. Declara hoc paulò ampliùs?

R. Verbi cauſa, experientiâ didici, quod habitans in iſta domo, & cum tali vel tali perſona converſans, ſoleo in peccatum labi, ſive aſpectu laſcivo, ſive cogitatione, ſive tactu inhoneſto, ſi verè intendam emendare me, neceſſum eſt, ut firmiter reſolvam ejuſmodi habitationem & perſonas deſerere. In hoc & ſimili caſu debet pœnitens Confeſſarium ſuum plenè inſtruere de ſuo ſtatu, & de occaſionibus & periculis relabendi in peccatum, in quibus etiamnum verſatur. Quod ad illos attinet, qui in

Nota. ejuſmodi luto depreſſi, emergendi non habent voluntatem, mutantque quotidie Confeſſarios, ne compellantur peccati occaſiones relinquere, tales profectò magno ſacrilegio abutuntur Sacramento, quandoquidem non habeant propoſitum evitandi occaſiones propinquas peccati, & conſequenter deſit ipſis vera contritio, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti.

I. Vera ſunt quæ dicis, ſed tamen non eſt ſemper integrum loca mutare, & perſonas peccati illices deſerere.

R. Fateor; nihilominùs, ſi ſalutis tibi cura eſt, expone ſedulò prudenti & pio Confeſſario, quidquid eſt difficultatis tuæ, & ab illo diſce quid te oporteat facere.

I. Declara mihi aliquo ſimili neceſſitatem ejuſmodi occaſiones, de quibus dixiſti, evitandi?

R Quemadmodum qui comburi non vult, non debet plus æquo, igni propinquare; qui non vult inquinari, aut denigrari, non debet picem aut carbones tangere; Qui non vult ſcabie, leprâ, aut peſte infici, non debet converſari, edere, bibere, aut tangere illos, qui tali lue vitiati ſunt; Similiter debent peccati occaſiones fugere, qui ab illo liberari cupiunt. *Similia.*

I. Quibus ſimiles ſunt, qui dicunt ſe dolere de peccatis, & cupere ſe vitam emendare, non tamen proponunt hæc peccati diſcrimina fugere?

R Similes ſunt illi, qui diceret ſe dolere, quod ſcabie, leprâ, peſte infectus fuerit, quodque deſideret non ampliùs ejuſmodi infectiones contrahere, non tamen deſinit familiariter converſari, edendo, bibendo, tangendo, cum illis qui tali morbo laborant.

I. Quid ſentis de illis, qui toties de peccatis quibuſdam confitentur, & nunquam deſinunt in eadem relabi?

R. Planè mihi perſuadeo, quòd non habeant contritionem veram de peccatis, defectu propoſiti veri & efficacis emendandi vitam.

I. Quibus, judicio tuo, ſimiles ſunt tales homines?

Ddddd R. Scrip-

Digitized by Google

2. Pet. 2. R. Scriptura comparat illos cani reverſo ad ſuum vomitum ; & ſui lotæ in volutabro luti.

I. De quibus peccatis concipi debet propoſitum emendationis ab illo qui confitetur?

R. Reſpondendum eſt cum diſtinctione ; aut enim confitetur pœnitens de mortalibus junctis venialibus, & in hoc caſu valida erit confeſsio, ſi proponat ſeriò evitare mortalia, quamvis non ſimiliter ſtatuerit de venialibus. Ratio eſt, quia ponit materiam legitimam, nimirum contritionem de peccatis mortalibus, cum propoſito emendationis. Sin verò de ſolis venialibus confitetur, debet ſimiliter ſaltem de aliquibus illorum concepiſſe propoſitum emendationis, alioquin invalida futura eſt confeſsio, defectu legitimæ materiæ, quæ in omni caſu ſunt peccata, cum contritione & propoſito emendationis clavibus Eccleſiæ ſubdita.

I. Poſſeſne exemplo probare quod hactenus dixiſti, veram peccatorum contritionem debere habere adjunctum propoſitum non peccandi de cætero?

Exemplum. R. *In partibus Brabantiæ fuit puella quædam Religioſa, & voto Virginitatis obſtricta, cui dæmon invidens in ſpecie viri admodùm pulchri, ſatiſque decenter veſtiti apparuit, capitque illam verbis amatoriis ſollicitare, & aliis multis modis multùm vexare. In quacumque domo illa fuit, illic diabolus reſponſa dedit ; ab omnibus quidem audiebatur, ſed à ſola puella videbatur ; eratque tam nequam idem ſpiritus, ut præſentium peccata detegeret, crimina improperaret, nec aliquod peccatum eum lateret, niſi quod vera confeſſio tegeret. Fuit in vicino vir quidam, qui ſupradictum dæmonem audire nimis deſiderans, propter turpia quædam, quæ commiſerat peccata, appropinquare non audebat, timens ſibi illa coram omnibus improperari : & veniens ad Sacerdotem, confeſſus eſt univerſa, voluntate tamen peccandi retenta : Factuſque ex eadem confeſſione ſecurior, ad dæmonem venit. Mira res, mox ut limen attigit, & introſpexit, dæmon in aëre clamavit ;* Amice, veni huc, veni, certè te benè dealbaſti. *Et ſtatim coram omnibus, omnia ejus peccata turpia, licet confeſſa, prodidit, in tantum illum confundens, ut in eadem hora eſſe voluiſſet in ortu Solis. Triſtis effectus, & conſcientia accuſante in ſe reverſus ad Sacerdotem rediit, quæ geſta ſunt, retulit, confeſſionem iteravit, & quia de reliquo emendatiùs vivere vellet, de corde pollicitus eſt Deo & Sacerdoti. Tunc Sacerdos, modò, inquit, revertere ſecurus, non te confundet ampliùs. Et fecit ſic ; intrante eo domum, quidam ex circumſedentibus dæmoni dixerunt : Ecce amicus tuus iterum venit : quibus ipſe reſpondit, quis eſt? ille, inquiunt, cui paulò antè tam turpia peccata improperaſti. Reſpondit dæmon ; ego nihil ipſi improperavi, neque aliquid de eo novi mali. Et æſtimarunt dæmonem mentitum fuiſſe, hi qui hominis ignoraverunt confeſſionem ; ſicque per virtutem confeſſionis, ipſe evaſit notam maximæ confuſionis.*

Cantipr.

I. Quibus modis vel rationibus conareris pœnitentem inducere ad ſerium emendationis propoſitum?

R. Iiſdem planè, quibus nuper ad Contritionem illum excitabam ; præſertim tamen motivo octavo & nono primi generis.

LECTIO VI.

De Confeſſione, ſecunda parte Pœnitentiæ.

I. SUfficitne habere Contritionem de peccatis cum propoſito non peccandi de cætero?

R. Minimè. Eſt enim confeſſio peccatorum ſecunda pars Sacramenti pœnitentiæ. *Diſt. 1. c. Convertimini.*

I. Quid eſt Confeſſio?

R. Eſt

R. Eſt peccatorum ſuorum accuſatio à pœnitente facta Sacerdoti, qui ea abſolvendi poteſtatem habet.

I. Quare oportet nos peccata noſtra Sacerdoti aperire in Confeſſione?

R. Quia Chriſtus Dominus ſic præcepit.

I. Quando Chriſtus Dominus hoc præcepit?

R. Quando dedit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem remittendi & retinendi peccata. Joan. 20 Conc. Trid. ſſ. 14 c. 1. poſt medium.

I. Oſtende quod ex vi iſtius obligemur peccata confiteri?

Oſtenditur neceſſitas Confeſſionis.

R. *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ ſic explicata* (inquit Concil. Trid. ſſ 14. c. 5.) *univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere: Quia Dominus noſter IESVS Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tamquam Præſides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti Fideles ceciderint, quo, pro poteſtate clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuntient. Conſtat enim Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia mortalia peccata, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſunt.* Porrò diſcurſus Concilii in ſubſtantia hic eſt: Ex eo quòd Chriſtus Joan. 20. inſtituit tribunal Pœnitentiæ, conſequenter hoc ipſo Confeſſionem Sacramentalem ſanxit, & jure divino præcepit; alioqui enim fruſtrà erexiſſe: hoc tribunal. Non enim poſſunt remitti peccata in hoc tribunali à Sacerdote, niſi cognoſcantur: cognoſci autem non poſſunt, niſi pœnitens ea confiteatur, quia ſæpè ſunt occulta, imò in mente abſcondita. Quare neceſſe eſt, ut peccator pœnitens hic accuſatoris ſui perſonam ſubeat, idemque ſit reus, accuſator & teſtis contra ſe, ac à Sacerdote quaſi Judice, peccatorum, de quibus ſe accuſat, & quorum ipſum pœniteat, veniam humiliter flagitet: qui ſi eum verè pœnitentem viderit, in eum ſententiam abſolutionis proferens, eum ab omnibus abſolvet; omniaque ei nomine Chriſti, quaſi ejus Vicarius condonabit.

Ita hunc Joannis locum intellexêre omnes Patres, totaque Eccleſia quovis ſæculo; uti definit idem Trident. eodem loco, can 3. *Si quis dixerit*, inquit, *verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium, Anathema ſit.*

Conc. Trid ſſ. 14. can. 3.

I. Fuitne Confeſſio Sacramentalis in uſu ab initio naſcentis Eccleſiæ

Confeſſio ab initio Eccleſiæ uſitata.

R. Ita. Vide c. 19. Act. Apoſt. ubi multi credentium veniebant ad Paulum confitentes & annuntiantes actus ſuos. Ubi Syrus Interpres clarè vertit: *Renuntiabant offenſas ſuas, & confitebantur quod fecerant.* Quæ de confeſſione, quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ accipit Oecumen. Salmeron. Sanchez & Gagneius ſup. loco allegato Act. 19. & Bellarm lib. 3. de Pœnit c. 4 Baron. Gregorius de Valentia, Hoſius, Ruardus Tapperus, & alii, qui hinc probant neceſſitatem confitendi contra hæreticos

I. Eratne talis confeſſio ſecreta, & auricularis?

R. Parum id refert, quandoquidem Chriſtus Dominus reliquerit Eccleſiæ ſuæ liberum, ut pro ratione temporis ſtatueret circa confeſſionem, prout

& circa alia Sacramenta, ſalvâ eorum ſubſtantiâ, quod opportunius videretur. Cæterùm non fuiſſe hanc confeſſionem generalem & publicam, dicendo, fateor me eſſe peccatorem, ut volunt Calvinus & Beza; ſed particularem, ideoque ſecretam, inde patet, quod in hac, non in illa, enarrantur ſpeciatim & particulatim ſinguli actus mali à pœnitente. Et ſecretam, ſive auricularem confeſſionem non multò poſt ſaltem fuiſſe in uſu, videre licebit apud S. Ambroſ. l. 2. de Pœnitent. & quod de eodem Ambroſio ſcribit Paulinus in vita; quotieſcumque veniebat ad eum quiſpiam confeſſurus peccata ſua, illachrymabatur Sanctus ad eum modum, ut pœnitentem quoque ſuum ad lachrymas compelleret, ipſeque offenſam admiſiſſe videretur. Quoad peccata quæ audiebat in confeſſione ſecreta, penes ſe retinebat, & de illis nullum omninò verbum faciebat, niſi apud ſolum Deum, cui pro pœnitentibus ſupplicabat.

Exemplum.

I. Quare dicis quòd confeſſio ſit peccatorum ſuorum accuſatio?

R. Ut ſignificem non excuſandum ſe paſſim in confeſſione, ut multi faciunt, qui culpam rejiciunt in diabolum, in tentationem, in proximum. Secundò, ut ſciant pœnitentes non debere ſe ſupervacaneis & impertinentibus diſcurſibus, quæ ad confeſſionem non faciunt, detinere Confeſſarios; adeoque non ritè munus ſuum obire Confeſſarios, qui ejuſmodi ſermocinationibus locum dant in confeſſionali, cùm ibi ſit locus humiliter ſe accuſandi de peccatis ex parte pœnitentis, & cætera præſtandi ex parte Confeſſarii, quæ ad integram Sacramenti Pœnitentiæ compoſitionem pertinent.

Notent Confeſſarii.

Nota, *peccatorum ſuorum*, non peccatorum alienorum, quandoquidem non careat periculoſæ detractionis culpâ, ſi in confeſſione proximum tuum accuſaveris. Undè complicem delicti in confeſſione ex nomine declarare nefas eſt; imò volenti de illo, Confeſſario inquirere, ſilentium imponendum. Sufficit pro integritate confeſſionis, ſi aperueris complicis conditionem, gradum, ordinem, &c. v. c. peccavi cum religioſo, vel religioſa, omninò ſufficit, abſque eo quod dicas religioſo, vel religioſa iſtius Ordinis, aut Monaſterii.

Non ſunt declarandi nominatim in confeſſione complices peccati.

Similiter cum cognato vel cognata, in primo, ſecundo, tertio vel quarto gradu; non verò dicendo, Joanne, Catharinâ, &c. Ad eundem modum ſi peccaverit mulier cum Sacerdote, caveat dicere, cum Magiſtro Joanne, vel Petro. Tandem ſufficiet dicere cum viro uxurato, vel fœmina maritata, non declarando, vel dicendo cum tali mercatore, vel tali hoſpita; nam ſatis ſufficienterque aperitur peccati gravitas ſimili declaratione, quam poſuimus, abſque particularibus & minutioribus aliis ſuperadditis circumſtantiis. Qua in re cauti eſſe debent Confeſſarii, ne prætextu integritatis confeſſionis, culpam admittant damnabilis detractionis.

I. Quorum peccatorum facienda eſt Confeſſio?

R. Omnium peccatorum mortalium à pœnitentibus facienda eſt in confeſſione declaratio, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent.

I. Quare dicis, *peccatorum mortalium?*

R. Quia venialia, quibus à Dei gratia non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, taceri citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.

I. Quare, *omnium peccatorum mortalium?*

R. Quia ſi aliquod illorum abſque aliqua ratione juſtificante retineretur, nulla eſſet confeſſio, imò admitteretur in hoc enorme ſacrilegium.

I. Declara mihi hoc aliquo ſimili?

R. Nunquid horribile facinus committeret reus, qui ad Principis genua provolutus, ſimularet ſe miſericordiam implo-

Simile.

implorare, & in gratiam cum eo velle redire, dumque jam remiſſio & abſolutio prænuntianda foret, inſurgeret in Principem, eum pedibus poteteret, & pugione in pectus adacto confoderet? Tale nefas admittit peccator, qui Sacramento per ſacrilegium abutitur. *Irritam quis faciens legem Moyſi*, inquit S. Paulus, *ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Quæ Apoſtoli verba Ambroſ. & Theophil in Commentario, accipiunt de iis, qui indignè ſuſcipiunt Sacramenta.

Heb. 10. v. 28. & 29.

I. Quid agendum eſt, ut confeſſio ſit integra de omnibus peccatis mortalibus?

Peccata ſigillatim & in ſpecie confitenda.

R. Primò ſigillatim & in particulari illa ſunt declaranda, & non tantùm in generali, v.c. Non ſufficit dicere: non amavi Deum, neque proximum ſicut oportet: accuſo me de ſeptem peccatis mortalibus, deque eorum ramis & circumſtantiis. Accuſo me quòd non benè uſus ſim quinque ſenſibus meis naturalibus, offendi Deum cogitatione, verbo, & opere, &c.

Sed aperiendum eſt in quo, & qualiter non amaveris Deum, quæ ejus mandata tranſgreſſus ſis, in quo charitati proximi defueris, quæ peccata mortalia, & in quâ materia commiſeris; quâ ratione ſenſibus tuis vel illorum aliquo abuſus fueris videndo, tangendo, &c. tale vel tale objectum: quas cogitationes habueris, ſuperbiæ, blaſphemiæ, infidelitatis, luxuriæ: quæ verba protuleris contra Deum vel proximum, otioſa, injurioſa, detractoria, blaſphema, hæretica, laſciva, &c. In opere autem qualiter Deum offenderis, nimirùm verberando, occidendo, ebriando, mœchando, furando, &c. Ratio eſt, quòd ſine illis peccata ipſa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere. Quod ſimili declarari poteſt: Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

Declarandus in confeſſione numerus peccatorum.

Secundò, declarandus eſt numerus peccatorum mortalium, ſaltem quantum diligenti inito examine memoriæ occurrerint. Unde non ſufficiet dicere: juravi & blaſphemavi nomen Dei, habui malas voluntates impudicè vivendi; multoties fui ebrius, &c. Sed clarè dicendum eſt: blaſphemavi nomen Dei, talibus aut talibus uſus verbis, idque ſexies, decies, vigeſies, plus vel minus ab ultima mea confeſſione, quantumquidem memoriæ occurrere poteſt: Habui tales vel tales cogitationes laſciviæ, odii, aut alias, tertiò, ſextò, &c. Ab ultima mea confeſſione fui perfectè ebrius, id eſt, uſque ad plenam & totalem rationis privationem, ſecundò, quartò, &c. vel quoties ſuccurrit memoriæ.

I. Quomodo poterit quis ita exactè omnia ſua peccata declarare, præſertim ſi rariùs confiteatur?

R. Inſtituendum eſt diligens examen, prout infrà dicemus.

Saltem veroſimilis.

Quòd ſi nihilominùs diligenti examine prævio, neſcit præciſum numerum inire peccatorum ſuorum, dicat vero ſimilem numerum, quem expendere potuerit hoc modo: Inebriatus fui ab ultima confeſſione mea (quæ facta fuit ante trimeſtre) duodecies; aut decies quinquies, prout poſſum recordari.

Declara Confeſſario tuo propenſionem quam habes ad tale vel tale peccatum; aperi ipſi occaſiones quas habes illud committendi, da operam ut numerum quam fieri poterit maximè præciſum dicas: v.c. ſemel, ſecundò, aut tertiò in ſeptima-

Digitized by Google

timana; quotieſcumque in tali loco vel conſortio verſor, diebus ferè Dominicis & Feſtis, &c.

I. Nunquid tutiùs eſſet pro conſcientiæ tranquillitate majorem numerum dicere, quàm minorem?

R. Minimè. Æquale enim ſubeſt erroris periculum, ſive per exceſſum, ſive per defectum à vero recedas, cùm Confeſſarius hujus pœnitentialis fori Judex æquè malè ex alterutro capite informetur, adeoque juſtè judicare non poſſit. Addito, quod iſta ſit aliqua ſui ipſius diffamatio, præſertim ſi materia ſit gravis.

I. Reſtatne aliud ad integritatem confeſſionis pertinens?

Circumſtantia peccatorum in confeſſione aperienda.

R. Ita. Debent etiam declarari circumſtantiæ mutantes ſpeciem peccati, aut etiam ejus malitiam notabiliter aggravantes, aut diminuentes. Exempli c. ſi dicas ſimpliciter percuſſi hominem, non confiteris integrè, ſi homo ille ſit Clericus, Religioſus, &c. nam in caſu illo dicendum eſt clarè, percuſſi Clericum, Sacerdotem, Religioſum, &c. nam circumſtantia perſonæ hîc mutat ſpeciem; habet enim ſacrilegii ſpeciem, ſi quis violentas manus inferat in Clericum vel Monachum; tales enim ut perſonæ Deo dicatæ honorificè tractari debent; imo habetur excommunicatio Papæ reſervata; contra eos qui tale quid attentaverint. Similiter non ſufficit ſimpliciter dicere, commiſi peccatum carnis tribus vicibus, addendum enim eſt cum quali perſona, maritata, Deo dedicata, conſanguinea in ſecundo, tertio, vel quarto gradu, &c. Rurſum furatus ſum toties, parum dicis, ſi fortè in Eccleſia, aut rem ad eam pertinentem furatus fueris; circumſtantia enim loci, in hoc caſu mutat ſpeciem furti ſimplicis in ſacrilegium, ut ex eo quod locus ſacer, & res ipſi commendata gaudere debent privilegio immunitatis Eccleſiaſticæ. Tandem comedi carnes aut ova in tempore ab Eccleſia interdicto, ſi id factum ex medici præſcripto, vel ex cauſa infirmitatis, id aperiendum eſt. Accepi alienum, ſed in extrema neceſſitate mea, vel meorum. Percuſſi & vulneravi, ſed in juſta mei ipſius defenſione. Horum omnium ratio eſt, quod non ſatis intelligat Confeſſarius ſtatum pœnitentis, adeoque juſtam ſententiam ferre non poſſit, niſi peccata per pœnitentiam iſto modo declarentur, ut hic locum habeat tritum illud: Qualis confeſſio, talis abſolutio. Addo quod quantò ſunt majores, aut perículoſiores ægritudines, tantò majora, & præſtantiora adhibenda ſunt medicamenta.

C. ſi quis ſuadente.

I. Quibus ſimiles ſunt, qui conantur palliare, aut minuere peccata ſua, vel etiam ſcienter celant circumſtantias neceſſarias, aut numerum peccatorum?

Simile.

R. Similes ſunt ægrotis, qui non aperiunt omnem ægritudinem ſuam medico, à quo curari debent; certè, *quod ignorat, medicina non curat*, ut ſuprà proximè dictum eſt.

S. Hieron.

LECTIO VII.

I. QUi fit quod plerique non integrè confiteantur peccata ſua?

Ex quatuor potiſſimum capitibus accidit, ut multi non integrè confiteantur.

R. Id accidit potiſſimùm ex quatuor capitibus. *Primò*, ex oblivione quâ nimirum obliti ſunt iſta vel iſta peccata commiſiſſe. *Secundò*, ex ignorantia, idcirco quod ignorent hoc vel illud eſſe peccatum. *Tertiò*, ex timore, quo metuunt ne ſibi magna pœnitentia imponatur, aut gravioribus repræhenſionibus caſtigentur, vel etiam ne eorum confeſſio reveletur. *Quartò*, ex verecundia, quâ putet eos tale vel tale peccatum Confeſſario aperire.

Oblivio quæ excuſet.

I. Quæ oblivio excuſat pœnitentem, ne integrè confiteatur peccata ſua?

R. Si contingat pœnitentem, facto pro modulo ſuo, diligenti conſcientiæ examine, aliquorum peccatorum in confeſſione obliviſci? quia memoriæ non occur-

Digitized by Google

occurrerunt, excuſabitur coram Deo, eritque ejus confeſſio valida. *Nihil enim aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigitur, quàm ut poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in univerſum, eâdem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur: Pro quibus fideliter cum Propheta dicemus:* Ab occultis meis munda me Domine.

Conc. Tri. ſſ 14. c. 5.

Pſal 50.

I. Quanta diligentia adhibenda eſt in ſuiipſius diſcuſſione & examine?

In examine pro confeſſione quæ diligentia adhibenda.

R. Major vel minor pro ratione pœnitentium, quorum aliqui magis, aliqui minus capaces ſunt ad ejuſmodi functiones. Aliqui etiam frequentiùs, alii minùs frequenter confitentur; rurſum alii multum occupantur negotiis publicis & privatis, alii minùs. Quorum omnium à prudenti Confeſſario habenda erit ratio.

I. Quomodo poterit ſe juvare pœnitens in diſcutienda conſcientia?

R. Quando Confeſſarius advertit incapacitatem pœnitentium; qui circa ſpiritualia minùs ſunt exercitati, debet ipſe per interrogationes convenientes & opportunas ſupplere, neque facilè tardiores homines à ſe dimittere pro exactiori examine; experientiâ enim conſtat ejuſmodi homines poſt duas horas non rediturus paratiores, quàm poſt unam.

Debet interdum Confeſſarius ſuos pœnitentes juvare per interrogationes.

Dixi, *per interrogationes convenientes & opportunas*, id eſt, circa peccata, quæ ordinariè tale hominum genus ſolet committere, & veroſimiliter commiſerunt. Quantum ad eos qui capaces ſunt, ſi advertit Confeſſarius omninò ſibi defuiſſe in examine conſcientiæ, remittat illos, ut paulò poſt magis parati revertantur.

I. Quid de illis pœnitentibus qui ſtatuerunt Confeſſario nihil dicere niſi interrogati, quoad graviora ſaltemque dam peccata?

R. Eorum confeſſio nulla eſt, ex eo quod ſtatuerunt committere ſacrilegium non integrè confitendo, ſi Confeſſarius non interrogaverit.

I. Quid verò de Confeſſariis, qui non ſinunt pœnitentem ſuum vel verbum dicere: ipſi autem præcipitanter interrogant, & muſſitant ad aures pœnitentis, hoc vel ſimili modo: Si tu occideris patrem & matrem, tu rogas Deum veniam, nunquid? & vix dato pœnitenti intervallo, ut raptim dicat: *Ita Domine*, proſiliunt ad alias interrogationes; ſi ſis furatus, tu petis à Deo veniam, nunquid? Si tu adulteratus es aut aliquid inhoneſti commiſiſti, tu petis à Deo veniam, nunquid? Si tu verberaſti, occidiſti, &c. tu petis à Deo veniam, nunquid? & reſponſo vix accepto, ut ſuprà, *Ita Domine*, procedunt ad abſolutionem dicendo: *Miſereatur, &c.*

R. Tales Confeſſarii ſunt omni ex parte indigni hoc ſacro miniſterio, quandoquidem non abſque ingenti ſacrilegio, tam indignè tractant Sacramentum Domini noſtri Jeſu Chriſti, trahentes ſecum animas pretioſo ejus Sanguine redemptas in infernum. Proinde conſultò faciunt Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, qui Sacerdotes leviter idoneos non admittunt ad confeſſiones audiendas, niſi cum cauda, ut dici ſolet, id eſt, cum obligatione ſeſe quotannis examini ſiſtendi, hâc enim ratione fit, ut continuantes ſtudium, ſeſe magis ac magis perficiant, metuentes ne Dominis examinatoribus non ſatisfaciant.

Quorumdam Confeſſariorū ignarorū modi agendi & damnati & reprobati.

I. Cuperem modò methodum aliquam examinandi conſcientiam ſuggeri, iis uſui futuram, qui bonam quidem habent voluntatem, ſed plurimùm in eo laborant, imò conſcientiam ſuam excarnificant, ut in memoriam, quæ egerint, revocent?

R. Id faciam; verùm Nota, ſacram confeſſionem minimè eſſe, aut appellari debe-

Digitized by Google

debere carnificinam conſcientiarum, uti docet Conc. Trid. ſſ. 13. c. 5. quare inſtruendi ſunt ejuſmodi homines, qui ſine modo moleſtant ſe in diſcuſſione conſcientiæ, ſufficere mediocrem adhiberi diligentiam huic negotio, qualem fortè adhiberemus rei ſeriæ, & quod ſola peccata mortalia ſint materia neceſſaria hujus Sacramenti, uti ſuprà monuimus; quodque ſufficiat ad conſcientiæ puritatem, ut poſteaquam integrè de motralibus confeſſi fuerimus, venialia quæ memoriæ occurrerint, aperiamus, nulli in poſterum ſive mortali, ſive veniali affectu inhærentes. Sanè conſultiùs faciunt, qui ſtudium potiùs conferunt ad contritionem ſeriam peccatorum ſuorum eliciendam, Quoad methodum examinis conſcientiæ, quam petis, adverto varias pœnitentes varias ſequi in hoc methodos; quidam enim ſequuntur ordinem præceptorum Decalogi; alii ſeptem peccatorum capitalium vulgò mortalium dictorum, tertii denique notant quid contra ſeipſos, contra proximum, contra Deum deliquerint.

Varia methodus examinandi conſcientiam ante Confeſſionem.

I. Quinam optimè?

R. Iis, qui frequenter confitentur, maximè quadrat tertius modus, quem etiam adhibent in quotidiano conſcientiæ veſpertino examine; quoad cæteros qui rariùs confitentur, quibuſve incumbit majorem operam facere in ſui diſcuſſione, commendatum velim primum iſtum modum, qui eſt ſecundùm præcepta Decalogi.

EXAMEN JUXTA DECEM *Præcepta Decalogi.*

Contra primum Præceptum, & primò contra Fidem.

NOn dedi operam Doctrinæ Chriſtianæ, & ut cognoſcerem quæ credenda, & quæ agenda, ad placendum Deo.

Nimis familiariter converſatus fui cum hominibus hæreticis, illoſque curioſiùs audivi.

Dubitavi circa aliquos Fidei articulos. Exprimantur illi.

Retinui apud me libros hæreticos.

Malèlocutus ſum de ſummo Pontifice, de Epiſcopis, &c. Vel malè de iiſdem loquentibus aurem & aſſenſum præbui.

Libros magicos legi, quoties? Etiamnum habeo, vel habui, quamdiu?

Uſus ſum malis artibus, & mediis à dæmone inventis, ut ſuperſtitioſis chartis ſcripturis, ſignis, ad recuperandam ſanitatem, toties.

Secundò, contra Spem,

DE Dei miſericordia deſperavi, æſtimans iniquitates meas majores eſſe, quàm ut veniam mererer.

Diffidi poſſe me emendare circa talem vel talem pravum habitum.

Puſillanimiter me habui in virtutis exercitio.

Judicavi, non ſatis mihi ineſſe virium ad tentationibus reſiſtendum.

Opplevi animum meum, neſcio quibus anxietatibus ob quæſtiones quaſdam de reprobatione divina, quas ipſe non intelligebam.

De Dei miſericordia nimis præſumpſi, non obſtante multitudine peccatorum, quæ quotidiè committebam, & de quibus pœnitentiam nullam agebam.

Peccavi aliquando liberiùs tale peccatum N. iterando, quia jam ſimile commiſeram, quod eſſet eâdem operâ confitendum.

Tertiò, contra Charitatem.

HAbui aliquam à Deo averſionem, eò quòd me affligeret, bonis ſpoliaret, &c.

De eo, ejuſque providentia malè ſum

ſum locutus, dicendo, quod me non amaret, quod ſeveriùs me caſtigaret, &c.

Non egi ei gratias manè & veſperè.

Rarò de eo cogitavi.

Deum non amavi; ſed ei ſervivi propter aliquod temporale commodum aut lucrum, poſtponens ejus amorem rei temporali.

Nimis amavi ea quæ in mundo ſunt, non referens illa ad Dei amorem & obſequium.

In ſervitio divino frigidè & diſtractè me habui.

Nimiùm implicui me negotiis exterioribus, nullâ per diem factâ animi recollectione, & ad Deum aſpiratione.

Contra ſecundum Præceptum.

Frequenter juravi ſine neceſſitate aut reverentia dicens: Per Deum, tam verùm quàm Deus, per animam meam, &c.

Sciens etiam juravi falſum ſecundò, tertiò, &c.

Juramento confirmavi id de quo dubitabam, toties.

Juravi coram Judice, verbis & juramentis ambiguis ad fallendum, unde ſubſecuta ſunt damna notabilia. Explicentur.

Juravi illicita, & ea poſtmodùm executioni mandavi.

Deum blaſphemavi, ſive aliquid de eo affirmavi, vel optavi, quod ei non convenit: Ut, Deus hoc ignorat, non gerit curam mei; utinam hoc ignoraret Deus?

De Deo murmuravi, ejuſque facta reprehendi.

Cum Deo aliquid comparavi, veluti: hoc eſt tam verùm quàm Deus, aut quàm Deus eſt in Cælo, quàm Deus eſt in Miſſa, &c.

Verba Sacræ Scripturæ ad facetias applicavi, ad libellos famoſos, ad ſenſus extraneos, in conviviis temerè de rebus ſacris, de religione, &c. diſputavi.

Vovi Deo rem illicitam.

Votum Deo factum in rebus licitis violavi, toties.

Promiſſa etiam juramento confirmata non ſervavi, toties.

Contra tertium Præceptum.

Non impendi dies Dominicos & Feſtos in ſervitio divino prout oportuit.

Ac ſpeciatim omiſi audire Miſſam, toties.

Sæpè etiam tempore Miſſæ talibus diebus occupavi animum multis divagationibus, & vanis cogitationibus, idque ſcienter & volens, etiam notabili parte Miſſæ.

Garrivi, riſi, oculoſque curioſiùs huc, & illuc conjeci.

Cauſa fui cur idem alii facerent tempore Miſſæ ſub præcepto.

Ex mea negligentia tardiùs veni ad Miſſam jam notabiliter inchoatam.

Egreſſus ſum ante finem abſque juſta cauſa.

Fui cauſa cur alii idem facerent.

Abſentavi me à Veſperis, concionibus, & aliis pietatis exercitiis, totum tempus diei Feſti impendens deambulationibus, otioſitati, vanis recreationibus, tabernas frequentando, & pravis conſortiis me jungendo.

Hâc ratione dedi ſubditis meis malum exemplum.

Aliquod ſervile opus egi in die Feſto, idque unâ horâ, duabus, tribus, &c. Fui cauſa, cur id alii etiam fecerint.

Neglexi tempore opportuno Sacramenta frequentare, defectu devotionis, & ex mera negligentia ſalutis meæ.

Suſcepi Sacramentum Euchariſtiæ abſque præparatione debita.

Acceſſi ad illud cum conſcientia peccati mortalis, toties.

Digitized by Google

Omiſi ſtudio confiteri de tali peccato; & ab eo tempore toties confeſſus ſum, & toties communicavi.

In vigilia Feſti N. cùm eſſet jejunium de præcepto, non jejunavi.

Comedi cibos ab Eccleſia vetitos abſq; neceſſitate, aut diſpenſatione.

Deliberatè omiſi preces ad quas tenebar ex obligatione, toties.

Contra quartum Præceptum.

Parentes meos non affeci ex honore; quo tenebar.

Speciatim non amavi eos amore interno;

Non exhibui ipſis aliqua ſigna externa honoris, aut benevolentiæ.

Non ſum eis opitulatus in neceſſitate.

Imprecatus ſum ipſis malum cogitatione, aut verbo; quale malum & quoties.

Eos odio perſecutus ſum; iratus illis fui, quòd me benè monerent; eorum me puduit ob paupertatem; aut aliam cauſam; non compaſſus ſum eorum ſenio, morbo, &c.

Eis obmurmuravi, & aſperiùs locutus ſum.

Torvè eos aſpexi, & riſi.

Bona & pecunias eorum malè & inutiliter conſumpſi.

Pro eis non oravi.

Contra Magiſtratus murmuravi, eorum regimini detraxi.

Decimas, vectigalia, aut alia Principibus debita retinui. Quæ? quot? quoties?

Superiores Eccleſiaſticos aut ſæculares vel etiam Religioſos, & Sacerdotes, Concionatores, aut Præceptores irriſi, eis detraxi, & contempſi, toties.

Senes pauperes riſi & contempſi.

Non ſolvi decimas Eccleſiis debitas; quot.

Non ſubveni parentibus in infirmitatibus ſuis.

Non curavi ut eis Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrarentur.

Non procuravi eis viſitationes Paſtoris, Religioſorum, aut aliarum Eccleſiaſticarum perſonarum.

Poſt eorum obitum, non dedi operam ut honorificè ſepelirentur, eis exequiæ ſecundùm eorum conditionem perſolverentur.

Non curavi Miſſas pro eorum refrigerio celebrari, pro ratione bonorum, quæ mihi reliquerunt.

Famuli & ancillæ, parentes & ſuperiores examinabunt ſe ſuper punctis ſui officii.

Parentes igitur & ſuperiores accuſabunt ſe in hunc modum:

Non dedi operam ut liberi mei & ſubditi inſtruerentur in doctrina Chriſtiana.

Non duxi illos aut miſi ad Concionem, ad Catechiſmum, Miſſam, & alia divina officia.

Neglexi illis de ſubſidiis temporalibus & ſpiritualibus providere.

Coëgi proles meas intrare Religionem.

Filias meas impedivi ne Deo ſe voverent.

Præbui malum exemplum verbo & opere filiis & ſubditis meis, iſto vel iſto modo.

Non fui ſollicitus, ut famuli & famulæ meæ ſervarent Dei præcepta & Eccleſiæ; & alia munia ex præſcripto Religionis Chriſtianæ obirent.

Non adverti, cum quibus verſarentur, quibus ludis tempus fallerent; & cum quibus.

An jurarent, an blaſphemarent, an jurgarentur, &c.

Provocavi eos ad iram, maledixi eis, & nimis ſeverè tractavi. Infirmos neglexi; &c.

Non procuravi eis temporalia & ſpiritualia ſubſidia, &c.

Cuſt.

Digitized by Google

Contra quintum Præceptum.

PUgnavi, & percutiendo aliquem læſi graviter,&c.toties;imò perſonis Eccleſiaſticis vim intuli,toties.

Alios etiam ad pugnam excitavi, toties.

Ad alicujus læſionem conſilium dedi.

Aliquem occidi occultè, incantando, propinando venenum, procurando abortum, undè mors ſecuta eſt, toties.

Nimiâ crapulâ vel ebrietate mihi morbum acceſſivi,toties.

Alios ad nimium potum coëgi,aut induxi,toties.

Alicui ſum mala imprecatus, imò mihi ipſi, ut peſtem, mortem, aut ſimilia mala.

Litigans agnomina dedi, & conviтiis laceſſivi.

Defectum corporis,paupertatem,& ſimilia exprobravi.

Odium in corde & iram fovi, occaſiones vindictæ quæſivi.

Inimicitias & diſcordias inter proximos diſſeminavi.

A me læſo,injuriam & damna non compenſavi.

De offenſa veniam non ſum deprecatus.

Lætatus ſum de malo proximi mei.

Invidi bono & proſperitati alterius.

Contra ſextum & nonum Præceptum.

TUrpia & obſcæna locutus ſum, toties.

Turpes cantiones cecini,& turpia legi, toties.

Habeo obſcænos libros.

Geſticulationes quaſdam effinxi ad turpia provocantes,toties.

Junxi me conſortiis laſcivis, toties.

Commiſi vel admiſi oſcula turpia, contactuſque alios inhoneſtos,toties.

Animum occupavi, & oblectavi in cogitationibus venereis,toties.

Cogitationes autem erant in tali vel tali materia.

Habui prava deſideria talis vel talis perſonæ.

Peccavi cum tali vel tali perſona, toties.Exprimatur conditio perſonæ.

Habui voluntatem deliberatam peccatum committendi, cum tali vel tali perſona, ſi occaſio adfuiſſet, toties.

Tetigi meipſum vel alium inhoneſtè, toties.

Habui pollutiones nocturnas, aut diurnas,in ſomnis,aut vigiliâ, procuratas, aut non procuratas, cum reflectione ſuper tali vel tali perſona, vel abſque ulla reflectione.

Larvatus inceſſi, ad liberiùs aliquid turpe committendum, vel circa me admittendum.

Voluptatem cæpi ex aſpectu fæminarum, circa pectus nudatum, toties.

Aſpexi picturas & ſtatuas ad lubricitatem provocantes,ex libidinis affectu, toties.

Non ſum uſus Matrimonio cum honeſtate,ſobrietate, & temperantia, quæ hominem Chriſtianum decet.

Debitum conjugale negavi comparti, toties.

Non habui eam quam debui rationem honeſtatis circa ea quæ Matrimonium concernebant,in verbo,& opere apud familiam meam.

Vereor me tali temeritate meâ dediſſe occaſionem ſcandali, vel etiam malarum cogitationum, videntibus,vel audientibus.

Similiter in conviviis & conſortiis publicis; nimis liberè me habui in verbo & in facto,coram junioribus, Eccleſiaſticis viris,Religioſis,&c.

Digitized by Google

Contra decimum & ſeptimum Præceptum.

ALiquid furto ſuſtuli. Res valebat tanti, vel tanti, toties.

Non reſtitui, quare?

Nota, debet Confeſſarius injungere reſtitutionem illi, qui furatus eſt, abſque ulla diſſimulatione, niſi fortè haberet legitimas cauſas, ob quas minimè teneretur reſtituere, vel non tam citò.

Vi aliquid ab alio abſtuli, tantum, & toties.

Inventa retinui, & Domino non reſtitui. Nullam adhibui diligentiam ut veri Dominum reperirem. Dicatur inventum, & ejus valor.

Aliorum hortis, agris, domibus, aut aliis bonis damnum notabile intuli. Tantum, & toties. Si quidem res notabilis fuerit, reſtitutioni obnoxia erit. Ab hac regula nemo eximitur, ſive miles, ſive Dominus temporalis, ſive Regii miniſtri.

Habui voluntatem rem alienam uſurpandi furto, vel rapinâ, toties.

Conſenſi, adjuvi, participavi in furto.

Debita creditoribus quando potui, non ſolvi, toties.

Non eſt talis abſolvendus, niſi promiſerit primâ oppurtunitate ſolvere; eſt enim fur, & retinet alienum.

Diu diſtuli mercedem operariis ſolvere. De illa dextraxi tantum, & toties.

Coëgi illos in officina mea merces accipere, quas illis pro arbitrio meo divendidi.

Bona quæ accepi diſtribuenda aliis, injuſtè, & infideliter diſtribui, toties.

Officium & miniſterium ad quod conductus fui, & ad quod mercedem accepi, non fideliter præſtiti.

Hic mercatores, operarii, ſervi; hic Advocati, Procuratores, Judices, & alii qui foro præſunt; hic Principes, Domini, Provinciarum Rectores, Officiarii, milites, &c. Hic Prælati, Paſtores, Beneficiati, &c. quiſque in ordine & munere ſuo, diligenter examinare debet, an officio ſatisfecerit, & an contentus ſolo pretio, ſtipendio, tributis, officii emolumentis, beneficii fructibus, nihil minus egerit, quàm ut officium, miniſterium, magiſtratum, beneficium rectè adminiſtraret. Reſtitutio.

Lites ſuſcepi minimè fundatas, quod præſiderem facultatibus meis, quibus illas proſequi mihi liceret, vel etiam innixus favori, quem apud Judices mihi promittebam.

Ratione mutui aliquid accepi, quod eſt uſura, quid, & quoties.

Non ſum elargitus eleëmoſynam pauperibus, ex bonis à Deo mihi attributis.

Contriſtavi illos, nimis acriter à me repellendo.

Cor & affectum nimis appoſui bonis temporalibus congerendis.

Expendi bona notabili quantitate in luſu, in conviviis, in rebus inutilibus.

Ego Clericus, & beneficiatus, pro beneficio quod habeo, pecuniam dedi, aut aliquid aliud, quod pecunia æſtimari poteſt, quod eſt ſimonia.

Parentes mei, meo nomine aliquid ſimile dederunt.

Iſtud beneficium ſimoniacè acquiſitum à tot annis poſſideo.

Pro beneficii reſignatione pecuniam, aut quod pecuniâ æſtimari poterat, accepi, quantum? quoties?

Alteri in contractu ſimoniaco cooperatus ſum, toties.

Habeo plura beneficia incompatibilia, tam diu illa retinui cum dubio, & abſque conſcientiæ ſecuritate.

Con-

Contra octavum Præceptum.

FAlſum teſtimonium tuli contra aliquem in judicio, toties.

Mendacium confinxi ad me excuſandum.

Mentitus ſum falsò excuſando, vel accuſando proximum in re notabili, toties.

Oportet ejuſmodi mendacium retractare, & cauſam damni, ſi quæ eſt, tollere.

Læſi famam alicujus abſentis per detractionem, toties, & intuli notabile damnum. Reſtitutio

Occultum proximi peccatum revelavi, intentione ſiniſtrâ nocendi, &c. toties, & ſi damnum datum ſit, tollendum.

Auſcultavi libenter detractiones.

Non impedivi detractiones, cùm potuiſſem, & debuiſſem.

Inter amicos diſcordias ſeminavi. Fiat reſtitutio pacis & amicitiæ.

In malam partem facta alterius ſum interpretatus.

Temerè alios judicavi.

Ex levitate animi, & abſque fundamento, malè ſuſpicatus ſum de proximo, de qua perſona, in qua materia, quoties.

Revelavi quædam magni momenti, quæ mihi commiſſa erant ſub ſecreto, & quidem jurato.

Aperui literas proximi mei per curioſitatem, vel cum animo nocendi, notabiliter, quoties?

Adulando aliquem laudavi.

Scripſi libellos famoſos, dicatur de quibus perſonis.

Exceſſi in multiloquio, riſibus, & jocis proximi offenſivis.

LECTIO VIII.

I. QUænam ignorantia excuſat pœnitentem, ſi minùs integram confeſſionem fecerit?

R. Quæ non ex ipſius culpa aut negligentia provenit, v. g. Pueri cùm adoleverint, veniunt in notitiam quorumdam peccatorum mortalium, quæ pueri commiſerunt, & de quibus pro eo tempore non ſunt confeſſi, eorum confeſſiones ſubſecutæ, non idcircò erunt invalidæ, dummodò de omiſſis illis confiteantur, cùm eorum notitiam acceperint. Quoad alias ignorantias, quæ ex pœnitentis culpa manant, v. g. quia neglexit frequentare Conciones, Catechiſmos, &c. Undè ſcientiam neceſſariam ad ſalutem hauſiſſet, eum minimè excuſant: ignorat enim, quia ignorare voluit, & talis ignorantia, vulgò affectata dicitur, de qua ſcriptum eſt: *Noluit intelligere ut benè ageret.* *Ignorantia affectata.*

I. Undè cognoſces quod talis ignorantia ſit, illa à pœnitente in confeſſione allegata?

R. Talis eſt ſine dubio ignorantia ejus rei, quam omnes tenentur ſcire. Exempli gratiâ. Allegat pœnitens ignorare, quod occidere, fornicari, jurare falſum, &c. foret peccatum. Vel ſi ignorantia ſit eorum, quæ omnes ejuſdem conditionis, & profeſſionis homines tenentur ſcire. Exempli gratiâ Confeſſarius ignorat furi injungendam eſſe reſtitutionem; Advocatus neſcit prima Juris axiomata; Medicus non novit diſcernere inter theriacam, & aconitum.

I. Quid aget Confeſſarius cum pœnitente, qui planè ignorat, non ſolùm ea quæ ad confeſſionem pertinent, ſed etiam prima Fidei noſtræ rudimenta, & alia quæ ad ſalutem ſpectant.

R. Pleniùs ad hoc reſpondebimus infrà cùm de Confeſſario agemus, ſatis ſit hîc ſubmonuiſſe, quod quando reperietur pœnitens imperfectè admodùm conſiteri ex craſſa ignorantia, undè Confeſſarius deprehendit ipſum veroſimiliter feciſſe olim confeſſiones non integras, præſertim, ſi Paſtorem aut Confeſſarium hactenùs nactus ſit ignarum, inſtruendus erit, quantùm temporis ratio, &

 ipſius

ipſius capacitas ferent, inducenduſque ad repetitionem confeſſionum præteritarum, per generalem totius vitæ recollectionem.

De Confeſſionibus generalibus.

I. QUandoquidem huc devenerimus, deprome, ſi placet, aliquid de confeſſionibus generalibus.

R. Fecero. Verùm nota, non debere unumquemque indifferenter inſtituere confeſſiones generales, ſed id ad prudens Confeſſarii arbitrium pertinet, quid cui expediat, pro notitia quam de ſuis pœnitentibus habet. Adeò quod hoc negotium quandoque ſit improbandum, quandoque permittendum, aliàs etiam vehementer commendandum.

I. Quibus cenſes improbandum.

Nonnullis confeſſio generalis eſt diſſuadenda.

R. Iis, qui ſibi perſuaderent, peccata ſemel legitimè confeſſa, non eſſe remiſſa, ſed ſæpè repeti debere, ut remittantur; & hoc eſſet error: Vel iis, qui conſcientiæ ſcrupulis angerentur, quibus accidit, ut nunquam ſibi quâcumque confeſſione ſatisfeciſſe videantur, talibuſquippè, generalis confeſſio permittenda non eſt, ſed prohibenda.

Neque magis permittenda eſt iis qui vitam in immunditia traduxerunt, præſertim fœminis, ſi ſemel generalem de tota vita confeſſionem rectè inſtituerint; propterea quod vitæ anteactæ recordatio, & multò magis enarratio periculoſa futura ſit ejuſmodi perſonis, & Confeſſario ipſi minimè utilis.

I. Quibus igitur permittenda eſt confeſſio generalis?

Aliis permittenda.

R. Iis qui rationabilibus cauſis ad eam moventur. Cauſæ autem ejuſmodi ſunt variæ. Prima, ut generali confeſſione renovetur dolor de ſingulis peccatis, & pudor: atque per ea, virtute meritorum Chriſti, pœna peccatis debita vel penitùs tollatur, vel ſaltem minuatur.

Vtilitates confeſſionis generalis.

Secunda, ut tali repetitione excitetur in homine charitas in Deum, dum omnia ſua peccata ſimul inſpiciens, admiratur divinam bonitatem, quæ tantas abominationes tamdiu toleraverit. Plus enim movent peccata omnia ſimul inſpecta, quàm ſeparatim diverſis temporibus conſiderata.

Tertia, ut homo, dum peccata tam multa conſiderat, & bona exigua videt, quibus eſſent illa tegenda, ſeſe mittat ad opera bona, ne peccatorum numerus bonorum operum multitudinem vincat, memor illius ſententiæ divi Chryſoſt. *Niſi tot fuerint bona, ut eluant crimina, & ex relictu aliquid in juſtitiam nobis reputatur, de nobis à ſuppliciis liberabitur nemo.* His adjungi poſſunt & aliæ confeſſionum generalium utilitates. Nam ſolet divina bonitas confeſſione generali, quæ eſt extraordinarius quidam & heroicus humilitatis actus, provocari ad ſubſidia quædam particularia gratiæ conferenda; uti evenire videmus iis, qui, quàm poſſunt exactiſſimè operi iſti manum admovent. Vitam enim novam inchoant, & viros alios induunt, veluti qui Deo Creatori ſuo rationes anteactæ vitæ reddiderint, & eum eo de moribus in melius commutandis tranſegerint. Quam ob rem ſolet paſſim iſta res proponi & commendari iis, qui ad novum vitæ genus capeſſendum, ſive in Religione, ſive in Ordine ſacro diſponuntur; item iis qui ad altiora electi Officia, Dignitates, aut Prælaturas ineunt, ut poſſint eorum, qui retrò ſunt, ſemel obliviſci, & ad anteriora ſeſe extendere.

Hom. 89. ad populum Antiochend.

Accedit quod generalis confeſſio magnam omninò in hac ſalutis incertitudine ſecuritatem affert; Hinc multi dum ſeſe ad mortem, lecto defixi, præparant, generaliter confitentur; prudenter ſanè, & non abſque Spiritûs ſancti arcano inſtinctu. O quam ſano & ſalubri conſilio eligunt tunc temporis ſapientiſſimum & piiſſimum Confeſſarium, qui ejuſmodi negotium dirigat, & animum Deo ſuo perfectè reconciliandum, benè diſponat.

I. Qui-

Digitized by Google

I. Quibus tandem commendanda, imò fortè etiam præcipienda confeſſio generalis?

Aliis denique etiam præcipienda.

R. Si metuatur in aliquam ex antecedentibus confeſſionibus, defectum talem irrepſiſſe, qui peccatorum remiſſionem impediverit. Hoc namque ſi aliquando factum fuiſſet (ut ſit frequenter) neceſſariò eſt repetenda confeſſio. Evenit autem hoc variis modis.

Primò, ſi confeſſio ſit facta Sacerdoti poteſtatem ad eum abſolvendum non habenti, aut fortaſſe ex ignorantia aut ebrietate non rectè abſolventi.

Secundò, ſi defuerit confitenti contritio, aut dolor de peccatis Sacramento conveniens, aut propoſitum peccati vitandi.

Tertiò, ſi ſciens & volens, peccatum aliquod mortale ſubticuerit.

I. Probaſne morem illum, quo nonnulli ſingulis annis confeſſionem annuam peccatorum faciunt?

Simile.

R. Talium hominum ſtudium vehementer eſt probandum, quippe qui declarant quantum ſit ipſis curæ ſua ſalus atque perfectio. Sicut enim bonus Paterfamilias, quotannis rationes omnes datorum & acceptorum colligit, ut ſtatum norit rerum ſuarum! Ita Chriſtianus, qui in mercatu virtutum eſt conſtitutus, benè agit, ſi quolibet anno videat, quantam ad virtutes acceſſionem fecerit; quæ vitia depoſuerit; quas imperfectiones reliquerit, & quantum fieri poteſt, hunc annum cum præcedenti conferens, ſi aliquid ſpiritualis lucri obſervet, Deo gratias agat! Si verò detrimentum negligentiâ ſuâ ſit paſſus; ex animo doleat, ſtimuloſque ſibi ad fortiùs currendum addat.

I. Cur dicis ſcrupuloſis & anxiis non eſſe permittendam confeſſionem generalem?

Scrupuloſis cur non permittenda.

R. Quia ejuſmodi hominibus non eſt confeſſio conveniens remedium, ſed nova potiùs anxietas & afflictio ſpiritûs. Debent igitur Confeſſarii importunis eorum ſtudiis contraniti & fortiter reſiſtere. Vanum enim eſt quod frequentibus, & ſæpè iteratis confeſſionibus conentur ſe perturbationibus iſtis liberare, cùm ſcrupuloſorum unicum & efficax remedium ſit ſimplex obedientia Confeſſario, & magna ad Deum confidentia, cum charitate conjuncta. Contingere ſolet hujuſmodi ſcrupuloſis, quod iis, qui cæco carceri mancipati, diuturnis in tenebris verſati ſunt; dùm enim continuò occupantur in una peccatorum ſuorum conſideratione, quæ meriſſimæ tenebræ ſunt, denſioribus intellectum ſuum tenebris opplent; ſi verò in Domino collocent ſpem ſuam, eumque toto corde diligant, ad verum Juſtitiæ Solem accedunt, & illuminantur. Verum enim verò, quis non debeat, etiamſi dum ſalutis ſuæ rem optimè geſſiſſe exiſtimaverit, cætera Dei miſericordiæ permittere; planè non expedit nobis, neque ita viſum fuit divinæ providentiæ, ut in hoc ſæculo de ſalute certi & ſecuri ſimus, ne fortè inertiâ & deſidiâ tabeſcamus. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Uſque adeò ut nemo ſciat, ſitne amore an odio dignus. Nihilominùs quia bonum Dominum habemus, in eum ſperamus non abſque ſollicitudine & metu; eumque timemus non abſque confidentia & libertate ſpiritûs. Faciamus diligentiam moralem in diſcutienda conſcientia, amplius verò ſtudeamus contritioni, deindè operibus bonis inſudemus, peccatique horrorem ex Dei amore concipiamus, & hoc eſt quod à nobis exigit Deus. Conſultum eſſet ſingulis manè ejuſmodi proteſtationem facere: *Domine Deus nolo hac die, opitulante gratia tua, mortaliter te offendere, & ex nunc pro totius diei decurſu nolo tentationibus aut ſuggeſtionibus inimici attendere, ſed tibi fideliter ſervire.*

Confeſſiones generales. *Eccl. 5.* *Proteſtatio pro ſcrupuloſis frequentanda.*

I. Quandoquidem tanta ſint confeſſionis generalis emolumenta, uti docuiſti, velim mihi aliquam ejus inſtituendæ normam præſcribas?

R. Res

R. Res non habet tantam difficultatem, quantam ſibi aliqui imaginantur, dummodò adſit bona voluntas. Expedias te nonnihil à negotiis, intra cubiculum tuum, ibi vaca Deo & conſcientiæ tuæ.

Norma inſtituendæ confeſſionis generalis. *Primò*, invoca gratiam Spiritûs ſancti, quâ iſtud exercitium generalis confeſſionis ſanctâ & purâ intentione inire poſſis ad Deo placendum, teque ipſi reconciliandum.

Secundò, diſcute conſcientiam, mandata Dei percurrendo, uti lect. præced. & adverte qualiter & quomodò Deum offenderis, contra ipſorum aliquod, cogitatione, verbo, & opere. Et ut memoriam juvare poſſis, recogita annos quibus vixiſti, loca in quibus fuiſti commoratus; conſortia & occupationes in quibus verſatus, maximè verò peccata ad quæ hactenùs propenſionem habuiſti; diligenter annotando occaſiones, habitus malos, & conſuetudines quibus tunc, & in illis & illis locis tenebaris.

Tertiò, non omittas ſpeciem, & numerum quantum fieri poterit, peccatorum in confeſſione declarandorum colligere: Vel ſi id non poſſis, ut minimùm quoties tibi videtur, quod ſolitus ſis ſingulis diebus, ſeptimanis, aut menſibus in iſtud labi, & quàm inveterata ſit conſuetudo in illo.

Quartò, examine ita peracto, adhibe motiva contritionis ſup lect. 3 & 4 propoſita.

Quintò, accede Confeſſarium, & declara ei intentionem quam habes inſtituendi confeſſionem generalem; ora eum ut te adjuvet, & fac confeſsionem tuam non compoſitè & artificioſè, ſed nudè, ſimpliciter, & apertè, ut talis appareas Sacerdoti pœnitens, qualem teipſum noviſti.

Sextò, abſoluta illa, audias attentè quid tibi Confeſſarius dicat, præſertim pro remedio animæ tuæ: accepta libenter vel maximam pœnitentiam; & eum omni humilitate abſolutionem pete, promiſſâ, cum Dei adjutorio, vitæ emendatione.

I. Eſtne inventum novum confeſſio generalis, ſive totius anteactæ vitæ delictorum expiatio?

R. Minimè. Nam D. Eligius Noviomenſis Epiſcopus, cùm jam virilem ageret ætatem, cupiens ſe vas exhibere ſanctificatum, ac metuens, ne aliqua delicta pectus ſuum fuſcarent, omnia ab adoleſcentia ſua coram Sacerdote confeſſus eſt acta, ſicque ſibi auſteram imponens pœnitentiam, cœpit fortiter colluctationi carnis, ſpiritus fervore, reſiſtere, in laboribus ſcilicet, ſecundùm Apoſtolum, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in patientia multa, & charitate non ficta. *Exemplum.*

I. Quid confeſſione generali abſolutâ faciendum eſt?

R. Cogita verbum iſtud Domini tibi dictum: *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.* Imò reflectas quanto cum dolore, & ſollicitudine remedium iſtud peccatis tuis paraveris. Joan 5.

Secundò, proteſtare coram Deo & Sanctis omnibus, quod deinceps cavebis tranſgredi ſancta ejus mandata.

Tertiò, magnâ diligentiâ require, quæ ſint præcipuæ tuæ pravæ inclinationes, & propenſiones, maximeque quænam fuerint tuorum lapſuum occaſiones, ſciens quod in illis evitandis præcipuum ſtudium collocare debeas. Scriptum eſt enim: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Eccli. 3.

Quartò, converte oculos mentis tuæ ad actiones & occupationes tuas ſolitas, videaſque quâ ratione poſſis illas in poſterum majori cum perfectione obire

Quintò, tandem ex intimo corde offer Deo quidquid tibi moleſtum in hac vita, & in actionibus, & occupationibus ſuprà dictis accidere poteſt, illudque in ſatisfactionem peccatorum tuorum Deo offeras,

Digitized by Google

offeras, cum propoſito tota vita teipſum deinceps ut verum pœnitentem gerere, & à malo cavere.

I. Habeſne exempla quibus oſtendas periculoſum eſſe poſt acceptam peccatorum veniam in illa relabi?

Exempla. D. Bonav. in vita S. Franciſci c. 11.

R. Ita, Tempore quo S. Franciſcus Reate jacebat infirmus, Præbendarius quidam nomine Gedeon, lubricus & mundanus, infirmitate gravi correptus, lectulo decubans, cùm ad eum fuiſſet delatus, lachrymosè rogabat cum ſimul adſtantibus, ut ab ipſo crucis ſignaculo ſignaretur. Ad quem ille; Cùm vixeris olim ſecundùm deſideria carnis, non veritus judicia Dei: quomodò te cruce ſignabo? Verùm propter devotas intercedentium preces, ſigno te crucis ſignabo in nomine Domini. Tu autem ſcito, te graviora paſſurum, ſi ad vomitum redieris liberatus: propter peccatum enim ingratitudinis, ſemper pejora prioribus inferuntur. Signo itaque Crucis ſuper eum facto, ſtatim qui contractus jacuerat, ſurrexit ſanus & in laudem Dei prorumpens, Ego inquit, ſum liberatus. Inſonuerunt autem oſſa renum ejus, audientibus cunctis: veluti cum manu ligna ſicca franguntur. Paucis autem interlapſis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque ſerò quodam die eſſet in domo cujuſdam Canonici, nocteque illâ dormiret ibidem: ſubitò ſuper omnes corruit tectus domus. Cæteris autem evadentibus mortem, ſolus ille miſer interceptus, atque interemptus eſt. Juſto igitur Dei judicio, facta ſunt noviſſima illius hominis pejora prioribus, propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum: cùm de accepta venia gratum eſſe oporteat, & duplo diſpliceat flagitium iteratum.

Matt. 12. Joan. 5. 2. Pet. 2.

Tho. Cantip. l. 2. c. 30. § 9.

Quidam de Epiſcopatu Cameracenſi cum Sacerdote ſuo accedens ad me, rogabat ut eum abſolverem, quem in impuritatibus recidivantem per annos plurimos ei abſolveram, & pœnitentiam ei injunxeram ſalutarem. Quem cùm ad Diœceſanum Epiſcopum mittere vellem, quaſi graviùs affligendum, à Sacerdote rogatus ſum, ut tali conditione abſolverem pœnitentem, ut flexis genibus coram nobis rogaret Dominum, ut ſi poſtmodum recidivaret in ſcelere, eum mox vindicta divina puniret. Conſenſi ergò conditioni; & heu mihi miſero, quod conſenſi! mox ille flexit genua, & vindictam in ſe recidivantem precatus eſt. Abſolvi eum, receſſit gaudens: ſed feriâ tertiâ, aut quartâ poſt Paſcha, inſtigante diabolo, paſſus eſt recidivam, moxque horrificè clamans: *Vindicta Dei ſuper me, vindicta Dei ſuper me*, ut mihi poſteà Sacerdos retulit, amariſſimâ morte mulctatus eſt.

LECTIO IX.

I. QUæ ſunt aliæ cauſæ, ob quas multi non confitentur integrè?

R. *Timor & intempeſtiva verecundia.* Laudabilis eſt proculdubio, in adoleſcentibus & pœnitentibus verecundia. Hinc S. Maria Magdalena, veræ pœnitentiæ ſpeculum; *ſtans retrò ſecus pedes Chriſti Domini, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, &c. Retrò*, inquam, non antè (utpote æſtimans ſe ob crimina fœda, ejus aſpectu divino & puriſſimo indignam) non ad caput, ſed ad pedes *Verecundia* enim, ut ait S. Bernardus ſerm 86. in Can. *eſt gemma morum, virga diſciplinæ, ſoror continentiæ, lampas pudicæ mentis, expunctrix malorum, & propagatrix puritatis innatæ. ſpecialis gloria conſcientiæ, & famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & inſigne totius honeſti. Rubor ipſe genarum, quem fortè invexerit pudor, quantùm gratiæ & decoris ſuffuſo afferre vultui ſolet!* Nos hîc vanam & intempeſtivam verecundiam, quæ non rarò adoleſcentibus, præſertim fœminei ſexûs, in confeſſione os obſtruit, eliminandam volumus

I. Quomodo dares animos timenti cõ-

ſcientiam ſuam coram Sacerdote aperire?

R. Declararem ei uberes fructus confeſſionis ritè factæ, neceſſitatem ejus, & impedimenta quæ diabolus opponit, timorem videlicet & verecundiam; allegarem utilitatem iſtius parvæ confuſionis, quam pœnitens inter confitendum experitur, quæ eſt inſtar ſatisfactionis pro peccatis.

Tandem perſuaderem ei miniſtrum hujus Sacramenti non eſſe Angelum ſed hominem peccatorem, qui etiam indiget pro ſe miſericordiâ Dei. Potiſſimùm extollerem ſecretum confeſſionis.

I. Nullone igitur caſu poſſunt Confeſſarii revelare peccata in confeſſione audita;

Secretum confeſſionis.

Nullo planè caſu, niſi de licentia expreſſa & omninò libera pœnitentis; quæ quidem licentia permitti non debet niſi rariſſimè, & cum omni circumſpectione. Et verò ſacræ Sanctiones graviſſimè in eos Sacerdotes animadverti voluerunt, qui peccata omnia, quæ aliquis eis confeſſus fuerit, perpetuo, & religioſo ſilentio, compreſſa non tenuerint. Leo Pap. epiſt. 80. Conc. Lateran. c. 21.

I. Si tota Reſpublica periclitaretur, non poſſet Confeſſarius detegere id quod audivit in Confeſſione?

R. Minimè, etiamſi totus mundus deberet perire.

I. Undè fit quod Confeſſarius tanto ſecreto teneatur?

R. Ex inſtitutione Sacramenti, quod amplius valet, quàm totus mundus, & ſubſiſtere nequit abſque ſanctiſſimo hoc ſecreto.

Addo quod Salvator noſter inſtituens hoc Sacramentum, conſequenter inſtituit hoc ſecretum ſanctè & inviolabiliter per Sacerdotes obſervandum.

I. Quid ſi quiſpiam minaretur mortem Confeſſario, ni revelaret ea quæ didicit ex confeſſione.

R. Deberet Confeſſarius millies potiùs mori, quàm vel minimam unius peccati circumſtantiam detegere. Imò Sacerdos ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum occulto peccatori miniſtrare debet, ne ejus crimen manifeſtet, etiamſi illud extra confeſſionem ſecretò noverit, ut docet S. Auguſtinus Hom. 50. de pœnit. & refertur 2. q. 1. c. Multi. Et in hoc ſecreto nec Summus Pontifex, nec tota Eccleſia diſpenſare poteſt. Hæc, & plura docet Dominicus Soto relect. de tegendo ſecreto. Vanus igitur eſt timor, vana & improba verecundia, quâ peccata ſua in confeſſione declarare formidat pœnitens; neque enim iſta coram Deo juvabunt, qui coram toto mundo manifeſtabit occulta cordium, quæ Confeſſario non fuerint propalata.

I. Habeſne ſimilia & exempla quibus perſuadeas timidis & verecundis, ut conſcientiam ſuam liberè aperiant, & quidquid in ea peccatorum eſt, excutiant.

Similia & Exempla.

R. Ita *Primò*, Chriſtus Dominus, qui omnis peccati expers erat, non erubuit ejus remedium in cruenta ſua Circumciſione aſſumere, quare igitur nos qui tot peccatis onuſti ſumus, detrectemus remedium eorum unicum & neceſſarium ſacram confeſſionem.

Secundò, ſi haberemus in corpore noſtro ulcus aliquod latens, non dubitaremus illud Medico quamprimùm detegere, etiam cum verecundia, expenſis, & dolore. Cur igitur non audeamus Medico ſpirituali detegere vulnera animi, qui verbo unico, & abſque ſumptu poteſt illa curare?

Tertiò, ſi haberes in ſtomacho virus aliquod, aut ſerpentem, nonne velles illa promptè excutere? Cur moraris peccatum è conſcientia tua quamprimùm expellere, quod omni veneno, aut ſerpente longè deteriùs eſt?

In vita ſancti Epicteti & Aſtionis, hæc legimus. Vidit B. Aſtion puerum quemdam nigrum cum ignea facula de ſinu ſuo egredientem, ac talia ſibi dicentem: Confeſſio tua, Aſtion, magnas meas con-

terit

Digitized by Google

ſtrivit hodiè vires , & una oratio tua me inermem in omnibus reddidit ac deſolatum.

Quartò. ſi non declares modò peccata tua Confeſſario ſecretà confeſsione, cum modica erubeſcentia, ut eorum abſolutionem obtineas. Deoque reconcilieris; diabolus poſtmodum illa manifeſtabit coram toto mundo, cum maxima tua confuſione, ut te convictum rapiat in gehennam æternam

Eccli. 4. *Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Vide ſup. p. 3. c. 7. lect. 12. Pro Confeſſariorum Praxi, Nota, de rebus verecundis agant ipſi verecundè, & verbis honeſtis.

Nota pro Confeſſariorum praxi. Secundò, juvandi ſunt verecundi & timidi per interrogationes conformes eorum dictis. v. c. ſi pœnitens accuſet ſe de cogitationibus impudicis, & timeat ne verecundiâ aut timore præpediatur ad declaranda cætera, interroga num habuerit prava aliqua deſideria; ſi ita eſt, progredere ulteriùs, & quære circa quas perſonas & actiones, & annon fuerit aliquis contactus impurus.

Tertiò, ſit cautus & prudens Confeſſarius, ne bonas animas importunè vexet moleſtis quibuſdam & impertinentibus quæſtionibus; & potiſſimùm caveat ne innocentes doceat quæ ignorant.

I. Quandoquidem tot rationibus perſuaſum eſt pœnitentibus, ut omnes conſcientiæ ſuæ ſinus liberè Confeſſario pandant, quid cauſæ eſt, cur tam multos verecundia & timor retrahunt ab integra confeſſione?

R. In Vitis Patrum legitur diabolum ab aliquo ſeniore viſum confeſſionalia

Exemplum. circumobeuntem, togatumque cur id faceret, reſpondiſſe ſe pœnitentibus pudorem in confeſſione reſtituere, quem in peccati commiſſione amiſerant. Ut veriſſimum ſit illud Chryſoſtomi:

Hom. 8. de pœnit. *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confeſſioni fiduciam: invertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, & confeſſioni pudorem & verecundiam.*

I. Habeſne exempla, quibus probes quæ incommoda afferat confeſsio dimidiata, ſive non integrè facta?

R. Ita. *In Provincia Peruana ea parte, qua Itit amorum eſt, Catharina ſexdecim annorum puella, ob violatam ſacrilegio ſæpiùs confeſſionem, infelicem mortem obiit, & poſt mortem multarum turbarum atque tumultuum fuit cauſa.* *Exempla.*

Mox ut animam exhalavit, fœdum cadaver remanſit, tam tetri odoris, ut ſeponendum fuerit ſubdio, ne domum inficeret. Eodem tempore manſuetus equus alioquin placidus, ſic furere cœpit, ut calcibus arietaret in murum, & huc illucque percurſaret, vinculis abruptis. Auditi canum latratus, & inquieti diſcurſus. Adoleſcens quidam extra lectum brachiis extractus, una ex ancillis calce in humerum percuſſa, cujus plures ad dies manſerunt veſtigia. Poſt ſepulturam, in famulam ingredi cupientem cubiculum, ubi illa erat, vas dejectum eſt de tabulato ſuperiore: & major pars Oppidanorum conſpexit vim magnam laterum, tegularumque magno fragori diſpergi per ædes. Neque hoc ſatis. Domina coram decem aut duodecim mulieribus, ſemel, iterumque, ac tertiò rapta eſt pede altero, nec apparebat raptator, itidem famula qua Catharina familiaris fuerat. Cùm in cellam veſtiariam iret ancilla, ut promeret veſtem, videt Catharinam extollentem ſeſe vaſi prenſando: ac ipſa cum clamore repentè ſe proripit: cæterum vas in parietem projectum, diſtractum eſt quaſſu ingenti. Cùm Domina ſtrepitu excitata intraret cellam, dimidiatus later magno impetu in murum eſt impactus. Poſtridiè impreſſa Chriſti effigies de cruce pendentis applicata eſt in pariete veſtiarii, ſtatimque cunctis inſpectantibus evulſa, tres in partes conſciſſa eſt. Eodem die, cùm in horto cœna eſſet, magna pars lateris decidit in lancem, & conturbavit menſam.

Ex Annal. Societ. anno 1590. & 1591. narrat fuſiùs P. Delrio.

Duo Fratres Prædicatores ibant per viam, quorum unus erat Pœnitentiarius Domini Papæ, & ſanctus homo; & alter

 multùm

Ben. Ægid ſive Ioan. junier Ordin. Prad. in libro qui dicitur, Scala cœli.

multùm innocens & pius. Veniunt ad quoddam Caſtrum, in quo erat mulier, quæ adulterium commiſerat cum quodam de parentela, & propter enormitatem peccati, & erubeſcentiam humanam undecim annis abſque confeſſione tenuerat. Illa dum vidiſſet iſtos Fratres extraneos in Eccleſia celebrantes, dixit intra ſe: iſti non cognoſcent te, nec unquam redibunt ad partes iſtas, & ideò iſtis dices peccatum. Celebrata Miſſa ad Pœnitentiarium acceſſit, & ſtante ſocio ex oppoſito, cùm peccata ſua confiteretur, ad quamlibet expreſſionem unius peccati, unus buſo exibat de ore ejus, & ſaltando exibat Eccleſiam; Tandem confeſſis omnibus peccatis cùm veniſſet ad illud, præ verecundia noluit confiteri; & dum abſolveretur à Pœnitentiario, & ipſa vellet recedere, ſocius Pœnitentiarii vidit, quod omnes illi buſones cum uno alio majori, & enormioris forma turmatim ingreſſi ſunt os mulieris & ventrem. Receſſit mulier non confeſſo peccato, receſſerunt & Fratres In via ſocius Pœnitentiarii revelavit ei viſionem quam viderat de muliere confitente. Qui territus & triſtis dixit: Celavit aliquid in confeſſione. Poſt tertium diem apparuit mulier Confeſſario mortua & damnata horrendo ſchemate diverſitatem pœnarum præ ſe ferente; quæ dixit ei: quia celavi in confeſſione tale peccatum, ſum adjudicata morti æternæ, addiditque, quod propter quodcumque peccatum lethiferum homines damnarentur; Verùm mulieres ad infernum deſcendere per quatuor genera peccatorum; per peccatum luxuriæ, per peccatum vani ornatus & pictionis, per peccatum ſortilegii, & per erubeſcentiam confeſſionis.

Guil. Pepin. tr. 1. ſuprà Confiteor, & Spec. exempl diſt. 9.

Fœmina ob 4. potiſſimùm peccata damnantur.

In Italia quadam civitate, quondam fuit nobilis fœmina; quæ pro exteriori ſua converſatione, ab omnibus tanquam ſancta reputabatur. Poſt mortem apparuit filiæ ſuæ uti monſtrum horribile, viſu porci excoriati ſpeciem præ ſe ferens, ignem & fœtorem graviſſimum undiquaque emittens, dixitque ei: Nunc intelligas, filia, me eſſe, eheu! infelicem & maledictam Matrem tuam, quæ non obſtante vita irreprehenſibili & inculpata, quam ſemper in præſentia hominum duxi, nihilominus tamen propter enormia quædam & deteſtanda peccata, quæ cum Patre tuo fœdiſſimè perpetravi, & præ vereenndia nunquam confeſſa ſum, æternis ignibus inferni deputata ſum, & propterea nels deinceps pro me orare.

Seraph. Razi in hortulo exemplorum ait. de Confeſſ. c. 9.

LECTIO X.

I. QUo ætatis & anni tempore confitendum eſt?

R. Id ex Concilii Lateranenſis Canone cujus initium eſt, *Omnis utriuſque ſexûs*, perſpicitur, neminem confeſſionis lege adſtrictum eſſe ante eam ætatem, quâ rationis uſum habere poteſt.

I. Sed quæ eſt ea ætas?

Pueri doli capaces tenentur ad confeſſionem.

R. Non poteſt illa certo aliquo annorum numero definiri: ſed illud universè ſtatuendum videtur, ab eo tempore confeſſionem puero indictam eſſe, cùm inter bonum & malum diſcernendi vim habet, in ejuſque mentem dolus cadere poteſt.

I. Sed quo potiſſimum tempore confiteri oportet?

R. Non præſcripſit id Eccleſia, ſed can. ſup. decrevit ſemel ſaltem quotannis Fideles omnes peccata ſua confiteri.

Omnes Fideles tenentur ſaltem ſemel in anno.

Nihilominùs mos in univerſa Eccleſia confitendi ſacro Quadrageſimæ tempore hactenùs cùm ingenti animarum fructu obſervatur. Uti teſtatur Conc. Trid. ſl. 14 c. 5. in fine.

I. Sufficitne ſemel in anno confiteri?

R. Ad evitandum reatum peccati mortalis, contra legem Eccleſiaſticam, ſufficeret ſemel in anno confiteri; nihilo-

minus,

Digitized by Google

minùs, quoties mortis periculum imminet, vel rem aliquam tractare aggredimur, quæ hominis ſanctitatem exigit; ut, cùm Sacramenta miniſtrare, aut percipere volumus, ſi peccato contaminati ſumus, toties confitendum eſt. Hinc Trid. Synod hortatur futuros conjuges, ut antequam contrahant, peccata confiteantur. Item quod jam ſupra diximus, quandocumque Euchariſtiæ Sacramentum ab illis ſumendum eſt, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habitâ Confeſſoris copiâ, neceſſariò præmittenda eſt confeſſio ſacramentalis.

ſ.24 de reform. matrim. c.1.

I. Sed, an extra caſus præceptos expediat homini Chriſtiano ſæpiùs confiteri?

Rationes & ſimilitudines.

R. Nulla res Fidelibus adeò curæ eſſe debet, quàm ut frequenti peccatorum confeſſione animum ſtudeant expiare.

I. Quibus argumentis, ſive ſimilitudinibus commendares populo frequentem confeſſionem?

R. His & ſimilibus:

Primò, qui confeſſionem peccatorum ſuorum diu differt, exponit ſe magno periculo graviſſimæ pœnæ poſt mortem ſufferendæ, ſi ſubitò (quod fieri ſubinde ſolet) eum mori contingeret. Qui autem ſæpè confitetur, ab eo periculo eſt liber.

Secundò, qui rarò confitetur, ſignificat ſe parvifacere Deum, cujus iram non metuit: & pluris facere hominem, quem non patitur ſibi eſſe infenſum.

Tertiò, homo quotidiè verrit cubiculum ſuum, ne locus ſit immundus, in quo ipſe verſatur. Atqui anima noſtra templum eſt Spiritûs Sancti: proinde frequenter purganda in tanti hoſpitis reverentiam.

Quartò, ſicut cubiculum, quod multis quotidiè patet, ſi rarò verratur, multis magiſque ſordibus impletur, quæ ſemel atque iterùm verrendo, non ſtatim omnes tolluntur; Ita conſcientia quotidiè peccans, & rarò per confeſſionem ſe purgans, unâ confeſſione vix benè purgari poteſt.

Quintò, nunquam in Sacramento Pœnitentiæ ſine gratia peccatum dimittitur. Quò ergò ſæpiùs hoc Sacramentum frequentatur, eò plus gratiæ colligitur.

Sextò, ſicut qui gravi onere, quod humeris ſubſtinebat, levatus eſt, expeditus & lætus incedit: Ita per crebram confeſſionem quâ à peccatis liberamur, & Deo reconciliamur, datur conſcientiæ ſerenitas, & prompti reddimur ad currendum in via mandatorum Dei.

Septimò, ſicut araneus vitat cubicula divitum, quæ ſæpè purgantur, quod in eis ſuæ telæ detergantur, & ipſi periculum immineat, ne pedibus conteratur: Ita diabolus, dum videt tentationes ſuas frequenti confeſſione diſſipari, & caput ſuum calcari, fugit eos, qui crebrâ confeſſione conſcientias ſuas purgant.

Octavò, ſicut infirmo utilis eſt frequens præſentia Medici, qui præſcribat, quibus utendum ſit, & à quibus abſtinendum: Ita qui frequenter exponit in confeſſione conſcientiam ſuam Sacerdoti, accipit ſalutaria conſilia, quibus ſe in actionibus ſuis juvet, & quotidiana vitia deponat.

I. Habeſne exempla pro frequenti confeſſione?

R. Habeo duo valdè diſparia.

Exempla.

Chriſtus, audiente S. Brigittâ, ait: Ei qui ſpiritum & gratiam meam adipiſci, ac retinere deſiderat utile eſt, crebrò peccata, & negligentias ſuas coram Sacerdote confiteri, ut expurgetur. Et cùm ipſa Brigitta videret animam mariti ſui Domini Vlphonis in Purgatorio, dixit: O felix anima, quid tibi præcipuè profuit ad ſalutem? Ille reſpondit. Confeſſio mea, quam feriis ſextis (dum Sacerdotis copiam habebam) facere ſolitus ſum, cum firmo me

Lud. Bloſ. monil. ſpirit. c.3.

Digitized by Google

emendandi propoſito. Ipſamet Brigitta, ut in ejus vita ſcribitur c 11. ab infantia pro more habuit, ſingulis ſextis feriis confiteri peccata ſua, ſed ſæpiùs, eo minimè contenta, quolibet die crebrò confitebatur, etiam levicula verba & cogitationes.

Habitum Religionis Ordinis S. Franciſci ſuſceperat quidam Frater, qui exterius eximia ſanctitatis videbatur, ſed tamen admodum ſingularis. Hic ita diſtrictè ſilentium obſervabat, ut non verbis, ſed ſignis, & nutibus confiterentur. Cumque ut ſanctus ab omnibus laudaretur, eò veniens S. Franciſcus, dixit: Sinite, Fratres, nec mihi diabolica figmenta in eo laudate: moneatur ſemel & bis in hebdomada confiteri: quod ſi non fecerit; diabolica tentatio eſt, & fraudulenta deceptio. Monentibus ergò illum Fratribus, digitum imponebat ori ſuo, & caput excutiens, ſe nullatenus confeſſurum aſſerebat. Non poſt multos dies ad vomitum rediens, religionem dimittens, in flagitioſis actibus vitam finivit.

S. Antonin in 3. p. Chron. tit. 24. c. 2. §. 1.

CONTROVERSIA
HÆRETICORUM
De Confeſſione Sacramentali.

QUæſtio, quæ hic ab Hæreticis controvertitur eſt; *An jure divino Confeſſio ſit neceſſaria*; & *An Sacerdotes poteſtatem habeant remittendi peccata.* Catholici pro Fidei puncto ſtatuunt in Eccleſia inſtitutum eſſe à Chriſto Sacramentum Confeſſionis à Sacerdotibus miniſtrandum in remiſſionem peccatorum. Probavimus iſta ſuprà lect. 1. & 6. hujus Capitis. Sed quia res iſta maximi eſt momenti, rurſum dico; Chriſtus Dominus ore ſuo ſacroſancto tradidit Apoſtolis & Sacerdotibus eorum ſucceſſoribus, tamquam Vicariis ſuis poteſtatem juridicam remittendi peccata; proinde confeſſio ſingulorum peccatorum mortalium, etiam occultiſſimorum jure divino eſt neceſſaria omnibus poſt Baptiſmum relapſis, & non ex aliqua hominum inſtitutione.

Doctrina Catholica ſic probatur: *Aſſertio Catholici.*

Primò, Chriſtus Dominus poſt Reſurrectionem ſuam dixit Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis tradit eis, & eorum ſucceſſoribus poteſtatem dimittendi hominibus peccata eorum, ita ut quibus ipſi peccata remiſerint, Deus etiam, cujus eſt ſuprema poteſtas, remittat; illi quidem participatâ & delegatâ poteſtate, Deus ſupremâ & independente. *Et quorum retinueritis, retenta ſunt*: id eſt. Quorum peccata, ô Apoſtoli & Sacerdotes, non remitteτis, ſeu quos remiſſione indignos judicaveritis, recto procedentes judicio, nec Deus remittet, ſed in cælo retinebit. *Luc. 13.*

Hinc duco tale argumentum: Quiſquis poſt Baptiſmum in peccatum mortale eſt lapſus, tenetur Deo ſuo reconciliari; *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis:* Atqui non eſt alia pœnitentia quæ peccata remittat, & nos Deo reconciliet, quàm illa à Chriſto Domino inſtituta, & in Sacramentum elevata. Quod ſic probo. Peccata tamdiu retinentur à Deo, quamdiu retinentur à Sacerdote; Sed tamdiu retinentur à Sacerdote, quamdiu non abſolvuntur; Non poſſunt autem abſolvi, niſi cognoſcantur; Ergo peccator tenetur peccata ſua confiteri, ut eorum remiſſionem conſequatur; Quod perinde eſt ac ſi dicatur: Ergo jure divino confeſſio eſt neceſſaria.

Deinde per verba illa Joan. 20. ſup. proximè allegata, Dominus noſter JESUS Chriſtus Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina de- *Eſt diſcurſus Conc. Trid. ſſ. 14. c. 5.*

Digitized by Google

defecantur, in quæ Chriſti Fideles ceciderint, quo, pro poteſtate clavium, remiſſionis aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuntient. Sed non poſſunt Sacerdotes judicium hoc incognitâ cauſâ exercere, neque æquitatem in pœnis injungendis ſervare, niſi in ſpecie ac ſigillatim ſua pœnitentes peccata declaraverint. Ergò.

Secundò, ſi confeſſio inſtituta fuiſſet, uti calumniantur hæretici, poteſtate Papæ, vel aliquo invento humano, poſſet oſtendi hujus inſtitutionis aliqua origo, aut initium demonſtrari ex aliquo generali Concilio, vel ex aliquo Pontificio Decreto; ſed hoc minimè oſtenditur, eſt enim inſtituta, ſancita, & præcepta ante quodlibet Concil. aut Decret. Papæ, uti patet ex Clem. Alexand. l. 2. Strom. Iræn. l. 1. c. 9. Origen. Hom. 2. in Levit. & alibi. Baſil. interrog. 229. S. Dionyſio, Tertul. Lactan. & aliis veteribus Eccleſiæ Patribus, qui de confeſſione, uti à Chriſto inſtitutâ meminerunt; Non eſt ergò confeſſio inſtituti humani.

Tertiò, nunquam potuiſſet, vel auſa fuiſſet Eccleſia rem tam grandem, tamque arduam, & à qua tantoperè omnes abhorrent præcipere, niſi ſciviſſet, obligationem ad eam eſſe juris divini. Et, Pontifex ipſe Maximus, qui & ſuprà omnes Canones, & omne jus humanum, nunquam permiſiſſet ſe obligari velut unum de plebe. Prætermitto dicere, quod Eccleſia præcipere non poſſit actus merè internos, adeoque nec peccatorum etiam occultiſſimorum confeſſionem. Unde Norimbergenſes cum rejectâ confeſſione privatâ tanquam humano invento, animadvertiſſent plurima ſcelera in ſuam Remp. irrepſiſſe; quæ anteà erant incognita, petierunt ab Imp. Carulo V. ut ipſe ſuo Decreto eam rurſus ſanciret; ſed ridiculè, quomodò enim Imperator poſſet eos compellere, ut occulta crimina panderent? Hoc enim ejus ſolius eſt, qui occulta cordium intuetur, nec Imperator poſſet præcipere, quod non poteſt puniri. Refert. Dom. Soto in 4. diſt. 18. q. 1. ar. 5.

Sed quid egemus teſtibus? Numquid ipſi hoſtes noſtri illam ipſam confeſſionem admittentes Judices ſunt? Deus nulla (inquit Luther. in reſolut. concl. 7.) peccata remittit, niſi Sacerdotis præceſſerit abſolutio. Vocatque ibidem Sacerdotes Dei Miniſtros & Vicarios.

Objectio I. I. Objiciunt Hæretici, Primò: non promitti apud S. Matth. nec dari apud S. Joannem Eccleſiæ poteſtatem ſolvendi aut ligandi, id eſt, peccata remittendi aut retinendi; ſed hanc poteſtatem interpretantur miniſterium prædicandi & annuntiandi pœnitentibus remiſſionem peccatorum; & impœnitentibus iram & damnationem, ſive publicè multis, ſive privatim uni, quaſi ſenſus ſit: In quibus excitaveritis fidem per prædicationem Evangelii (quâ fide delentur illis peccata) remittuntur peccata apud Deum; qui autem noluerint credere, eorum peccata retinentur à Deo in vindictam.

R. Sed contrà, quòd hæc poteſtas non ſit poteſtas prædicandi, ſed vera poteſtas judiciaria. Probatur primò, ex prima metaphora clavium Matth. 16. Tibi dabo claves Regni Cælorum, id eſt, Dabo tibi poteſtatem & facultatem aperiendi & claudendi oſtium Regni Cælorum, adeò, ut, quemadmodum nemo in clauſam domum ingredi poteſt, niſi is qui habet clavem domûs, aperiat oſtium; Ita nemo, cui cœlum ob ſua peccata clauſum eſt, in illud poterit ingredi, niſi clavibus tibi traditis, id eſt, poteſtate à me tibi collatâ apertum fuerit; nam ſi aliundè pateret aditus, fruſtrà Apoſtoli claves accepiſſent, quid enim prodeſſet habere claves domûs, ſi abſque clavibus invito etiam oſtiario, pateret additus? Unde Auguſtin. *Nemo ſibi dicat: Occultè ago apud Deum pœniten-* *Hom. 49.*

Digitized by Google

nitentiam (ſicut aiunt Hæretici, Confiteor Deo, &c.) *ergò ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolveritis, &c. Ergò ſine cauſa data ſunt claves Eccleſiæ Dei? fruſtramus Evangelium, fruſtramus verba Chriſti.* Confirmatur hæc reſponſio ex illo Apoc. 3. *Qui habet clavem David, aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit!* omnes enim per clavem, intelligunt veram & propriè dictam poteſtatem, quâ poſſit Chriſtus ex auctoritate judiciaria abſolvere & ligare. Deinde ex communi uſu clavium apud homines. Quid enim manifeſtius, quàm claves fieri & dari ad reipſa claudendum, & aperiendum? Quid clarius, quàm Principibus & Magiſtratibus dari claves in ſignum poteſtatis? Ergò cùm Dominus dederit Apoſtolis claves, dedit eis veram poteſtatem aperiendi & claudendi cælum; id eſt, remittendi & retinendi peccata, non autem annuntiandi illa eſſe remiſſa vel retenta, ut volunt Hæretici.

Secundò, idem colligitur ex metaphora ligandi & ſolvendi; ligare enim & ſolvere non eſt denuntiare, vel declarare hominem eſſe ligatum, vel ſolutum ſed eſt reipsâ injicere vincula, vel ea eximere: Alioquin Dominus non dixiſſet: Quodcumque ſolveris, Quæcumque ſolveritis; Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, ſed dixiſſet. Quodcumque ſolveris, id eſt, declaraveris, erat ſolutum; Quæcumque ſolveritis, erant ſoluta, in præterito imperfecto; Quæcumque remiſeritis, erant remiſſa. Cùm ergo dicat: erit, erunt, remittentur, manifeſtè declarat cauſam ſolutionis, aut vinculi, eſſe poteſtatem & auctoritatem, quam promittebat, & dabat ſuis Apoſtolis.

Objectio 2. I. Ad ſolum Deum ſpectat, inquiunt, remittere peccata.

Pacianus Barcinonenſi. R. Solus Deus eſt, qui peccata remittit, ſed quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt; ſicut ſolus Joannes dicitur ædificaſſe domum hanc, etiamſi in ea ædificanda malleo uſus ſit & ſecuri, ſolus itaque Deus peccata remittit, tanquam agens principale, ſive ſuâ auctoritate propriâ; Sacerdos autem non niſi tanquam inſtrumentum, miniſter, & auctoritate à Deo acceptâ. Hinc intelligitur quod dicit. Ambroſ. *Solus ille peccata dimittit, qui pro peccatis mortuus eſt.* Sup. p.2. 20 lect.1. Et Auguſt. *Nemo tollit peccata mundi, niſi ſolus Chriſtus.* Per particulam enim (ſolus) non excluditur inſtrumentum, vel miniſter; ipſe enim ſolus eſt, qui ſuâ paſſione remiſſionem meruit peccatorum, à qua paſſione efficaciam habent omnia Eccleſiæ Sacramenta. Vid. S. Ambroſ. l. 1. de pœnit. c. 2. & 7.

Objectio 3. I. Objiciunt; S. Maria Magdalena, & S. Petrus conſecuti ſunt peccatorum remiſſionem, nullâ factâ confeſſione: ergo conſequemur & nos eandem abſque confeſſione.

R. Quod Sancti illi peccatorum remiſſionem obtinuerint, nullâ factâ confeſſione ſacramentali, id mirum non eſt, cùm illa adhuc inſtituta non eſſet; nam demum illam inſtituit Dominus noſter poſt reſurrectionem, Joan. 20. ut ſuprà demonſtratum eſt. Accedit, quod Chriſtus Dominus tanquam miniſter excellentiæ poterat effectum Sacramenti abſque Sacramento conferre, cùm potentiam ſuam Sacramento nullatenus alligaſſet.

I. Dicunt rurſus confeſſionem eſſe impoſſibilem, & conſcientiarum carnificinam. Objectio 4.

R. Si impoſſibilis eſt, qua ratione hortati ſunt Patres, ad eam faciendam? Imò quomodò ſcribunt fuiſſe jam ab initio Eccleſiæ à Fidelibus uſurpatam? Deinde; ſi impoſſibile non eſt, ex adverſariorum ſententia, ut Deo confiteamur, cur impoſſibile eſt, ut hominibus.

I. In patrocinium iſtius objectionis allegant Scripturas: *Delicta quis intelligit?* Pſ. 18. Et: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Pſ. 57.

meum. Et rurſus. *Peccavi ſuper numerum arenæ maris.*

L.3.Inſtit. ſect.18.

R. Non requiritur alia enumeratio peccatorum in confeſſione noſtra, quàm requirant ipſi hæretici in confeſſione quæ Deo fit; de qua ipſe Calvinus ait non ſatis eſſe generatim confiteri, & dicere: *Peccator ſum, &c.* ſed oportere quantum in nobis eſt, ſingula peccata confiteri accuratè; quod idem omnes Catholici docent de confeſſione quæ fit Sacerdoti, neque enim jubent omnia omninò peccata confiteri, ſed ea ſolùm quæ poſt diligentem excuſſionem memoriæ occurrunt. Diligentem autem excuſſionem vocant, quam in rebus gravioribus ordinariè homines adhibere ſolent.

Trid.ſſ.14 c.5.

Confeſſio ſacramentalis Catholicorū non habet plus difficultatis quàm Calviniana ſoli Deo facta.

Quæcumque igitur Calvinus & alii Hæretici objiciunt contra enumerationem peccatorum in confeſſione quæ fit homini, eadem poſſunt objici contra enumerationem peccatorum in confeſſione quæ fit ſoli Deo. Nam ſi illa eſt impoſſibilis, & hæc eſt impoſſibilis; ſi illa eſt carnificina, & hæc ſimiliter; ſi illa facit hypocritas, & hæc; ſi hæc eſt ab illis incommodis libera, uti eſt, quia non eſt facienda, niſi quantum in nobis eſt, & illa libera erit. Et quidem in confeſſione quæ fit ſoli Deo, poſt enumerationem eorum quæ recordamur, addimus: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine; peccavi ſuper numerum arenæ maris, &c.* & tamē omnium peccatorum veniam exſpectamus; ita in confeſſione quæ fit homini, vel potiùs per hominem Deo, poſt enumerationem ſinceram eorum quæ recordamur, addimus: *Delicta quis intelligit;* & nihilominus omnium peccatorum remiſſionem miſericorditer exſpectamus.

Objectio 5. Joan.20.

I. Objiciunt 5 *Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos;* ſed Chriſtus non eſt miſſus ad audiendas confeſſiones; ergo nec Apoſtoli, & conſequenter nec Sacerdotes

R. Interpretatio hujus loci à S. Gregorio data hom. 26. in Evang. talis eſt: *Ea vos charitate diligo, cùm inter ſcandala perſecutorum mitto, quâ me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit.*

Secunda eſt Chryſoſtomi: *Sicut Pater dedit mihi poteſtatem ſolvendi & ligandi, ita illam do vobis.*

Tertia eſt Cyrilli: *Mitto vos ad id ad quod ipſe miſſus fui, videlicet ad reconciliandos homines Deo, ad Evangelium prædicandum, ad Eccleſiam propagandam.* Quid eſt in tribus illis expoſitionibus, quòd hæreticos juvare poſſit contra confeſſionem ſacramentalem?

Sed indignè fert hæreticus nos pro Scripturæ intelligentia gloſſas SS. PP. impendere, cùm ipſa Scriptura plana, clara & facilis ſit. Liceat igitur mihi, bonâ lectoris pace, hæreticorum more Scripturam hanc ex meo cerebello, & abſque auctore interpretari Verùm.

———————*riſum teneatis amici,*

1. Sicut miſit me Pater filium ſuum unigenitum & naturalem, ita ego mitto vos filios meos unicos & naturales.

2. Sicut miſit me Pater è cœlo, ita mitto vos è cælo.

3. Sicut miſit me Pater verum Deum naſci de Virgine, pati ſub Pontio Pilato, & tertiâ die reſurgere; ita ego mitto vos veros Deos naſci de Virgine, pati omnes, quotquot eſtis, ſub Pontio Pilato, & tertiâ die reſurgere. Et quæ phantaſmata, quæ chymeræ, Bone Deus! non naſcantur ex contortis hæreticorum interpretationibus, qui Scripturas abſque Magiſtro exponere præſumunt?

I. Objicitur 6. Calvinus dicit confeſſionem eſſe antiquiſſimam, ſed ante Conc. Lateran. nullam ejus in aliquo ſcripto decreto haberi mentionem.

R. Accepto libenter quod Calvinus dicit confeſſionem eſſe antiquiſſimam; cætera mendacia ſunt & calumniæ. Neque enim, quod vult hæreticus, per Lateran. Conc. Eccleſia ſtatuit, neque Innocentius decreto ſuo ſanxit, ut Chriſti Fideles

Digitized by Google

confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe ſciebat, ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno, ab omnibus Chriſti Fidelibus impleretur.

2. Cor. 5. Et verò quid vult Apoſtolus per *miniſterium reconciliationis* ſcribens ad Corinthios?

1. Joan. 1. Quid S. Joannes per illud: *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ubi notandum eſt quod paulò antè dixerat, *Sanguis* JESU *Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et nihilominùs exhortatur nos ad confeſſionem peccatorum; q. d. ecce vas unde vobis defluat remiſſio & expiatio peccatorum. Suggerit ergo S. Joannes peccati, cujus omnes reos eſſe dixit, remedium ſcilicet, veram ejus agnitionem & humilem confeſſionem ac pœnitentiam, per quam applicatur nobis Sanguis Chriſti, qui nos ab eo emundat.

In ep. c. 5. Nonne idipſum ſignificat S. Jacobus cùm dicit: *Confitemini alterutrum peccata veſtra?* non uti verſio Genevæ falſificata: confitemini homines hominibus vobis ſimilibus; ſed illis, quibus à Chriſto demandata eſt abſolvendi cura & poteſtas, ſcilicet Sacerdotibus, juxta illud 1. Pet. 4. *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes.*

Et S. Lucas, qui praxim & uſum primæ Eccleſiæ ſcribit in hunc modum:
Act. 19. *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos*, cum particulari, articulata & auriculari confeſſione.

Quid ad hoc Calvine? Præceſſeruntnè Scripturæ iſtæ & modi agendi Fidelium Concilium Lateranenſe? Ita planè mille ducentis annis. Ergo confeſſionis expreſſa mentio, uſuſque uſus ex Chriſti & Apoſtolorum decretis habetur ante Lateranenſe Concilium.

Veniamus nunc ad Patrum vetuſtiſſimorum auctoritatem & teſtimonia. Citabo tantùm eorum loca, ne prolixus ſim ſed optimâ fide.

PATRES GRÆCI.

S. Irenæus l. 1. c. 9. & l. 3. c. 4.
Clem. Alexandrinus l. 2 ſtrom.
Origenes hom. 2. ſup. Levit & hom. 2. ſup. Pſ. 37 & hom 7. ſuper Luc.
Baſilius interrog. 229. & interrog. 288.
Greg. Nyſſenus orat. ad eos qui duriùs & acerbiùs alios judicant.
S. Joan. Chryſ. hom. 20. ſup. Gen. & l. 2. & 3. de Sacerdotio.

PATRES LATINI.

Tertullianus lib. de Pœnit. c. 8. 9. 10. 12.
Cyprianus ſer. de lapſis.
Lactant. Firmianus 4. inſtit. c. 30.
Ambroſ. l. 1. de pœnit. c. 2. & 7.
Hieronymus Ep. ad Heliod. & Ep. 54. ad Marcellam, adverſus Montanum.
Idē in c. 10. Eccli. & in Ep. 65. ad Pammach. contra errores Origenis.
Idem in c. 10. & 16. Matt.
Auguſtinus Epiſt. ad Honoratum, quæ eſt 180 & in Pſal 101.
Idem l. 1 de adult. conjug. c. 8.
Idem in Pſ. 50 & in Pſ. 66. & l. 2. de viſit. infir. c. 4. & 5.
S. Leo Papa Epiſt. 91. ad Theod Epiſcopum.
Idem l. 1 hom. 12. 41. & 49.
S. Gregorius hom. 26. in Evang.

Ecce Indiculus præſtantiſſimorum & ſelectiſſimorum aliquot Eccleſiæ Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum, qui omnes multis ſæculis anteceſſerunt ipſum Conc. Lateranenſe, & Calvinus hominum impudentiſſimus ſcribere audet de confeſſione ante id tempus nihil extare.

Sed videamus quid circa confeſſionem ſtatuerit novi Conc. Lateranenſe; ſcimirum Concilium illud can. 21. *Omnis utriuſ-*

Digitized by Google

triuſque ſexus, præcepit omnibus Chriſti Fidelibus, qui diſcretionis annos attigiſſent, ſemel in anno confiteri; An hoc eſt, per fidem tuam, Calvine, confeſſionem de novo præcipere, inſtituere, vel ſtabilire? An potiùs confeſſionem jam olim inſtitutam, ſtabilitam, & præcepto inviolabili (de quo tot olim Patres fidem faciunt) munitam certâ temporis circumſtantiâ definire, determinare, & circumſcribere? hâc nempè, ut Fidelium nullus omittat ſemel in anno confiteri.

Ibidem ſtatuit Concilium, ut ſacram Communionem ſemel ſaltem in anno, idque circa Feſtum Paſchæ Fideles omnes ſumant; eſtne hoc ſacram Euchariſtiam, vel ejus Communionem inſtituere, vel de ea ſimpliciter legem ferre? judicet ſedatus & prudens Lector.

Objectio 5. Ulteriùs progreditur Calvinus, & dicit, confeſſionem jam olim abrogatam à Nectario Epiſcopo Conſtantinop. occaſione ſcandali quod in iſta Eccleſia ex confeſſione acciderat; quod facere nullo modo præſumpſiſſet Nectarius, ſi intellixiſſet confeſſionem de jure divino fuiſſe præceptam. Probat hoc ex Sozomeno, qui id narrat in hiſtoriâ.

R. Dico primò, mirum eſſet, ſi Calvinus mendax Sozomeno mendaci non occurriſſet, cùm ſimile ſimili gaudeat, & ſoleant aves concolores ſimul volare. Quod Sozomenus hiſtoricus mendax ſit, ſcriptis mandavit Magnus Gregorius, cujus auctoritas, ut alibi diximus, magna eſt apud Calvinum, perinde ac apud nos. *Hiſtoriam Sozomeni, inquit, quia multa mentitur, Sedes Apoſtolica recuſat.* *Epiſt. 195. l. 6. ad Eulogium & Anaſtaſ. Epiſcopos.*

Dico ſecundò, aſſerebat paulò antè Calvinus, nullibi confeſſionis mentionem factam ante Conc. Lateranenſe, & modò Nectarium, qui Conſtantinopoli ſedebat ſub Theodoſio anno 390. confeſſionem ſuſtuliſſe, uti conſtat, inquit, ex Sozomeno. *Oportet mendacem eſſe memorem.*

Dico tertiò, ſi fidem habet hæreticus Sozomeno in hâc hiſtoriâ, credat etiam quod ibidem dicit: *Cùm prorſus non peccare natura ſit humanâ divinioris, pœnitentibus, quamvis frequenter deliquiſſent, veniam dare Deus juſſit, & ad impetrandam veniam confiteri peccata neceſſarium.* Ecce diſertis verbis ipſius Sozomeni, jus divinum & neceſſitas confeſſionis.

Concedamus ergo veram eſſe hiſtoriam: at mendaciter refertur à Calvino. Vera enim hiſtoria eſt: Cùm tempore S. Cypriani exorti fuiſſent Novatiani Hæretici, qui docebant lapſos poſt Baptiſmum præſertim in gravia peccata non poſſe per Eccleſiam reconciliari, convenerunt Epiſcopi variorum locorum, & decreverunt ejuſmodi lapſos omninò eſſe recipiendos ad reconciliationem & pœnitentiam, ſicut antea ſemper ſervatum fuerat; ne tamen nimis facilè Catholici viderentur eos recipere, & ſic calumniam ſuſtinerent à Novatianis, Canoni antiquo, quo talibus indicebatur publica pœnitentiâ, addiderunt hanc appendicem, ut etiam publicè confiterentur; (ſcilicet ea peccata quæ aliquo modo publica erant, & judicio prudentis Sacerdotis viderentur publicè aperienda) unde in ſingulis Eccleſiis inſtituerunt Sacerdotem pœnitentiarium prudentem & ſervantem ſecreti, quem, omnes publicam pœnitentiam acturi, accedere deberent. Huic primò confitebantur privatim omnia ſua peccata, tam occulta, quàm manifeſta, ut modò fit. Deinde præſcribebatur iſtis pœnitentia publica, cujus pœnitentiæ additamentum erat publicè confiteri in Eccleſia certa quædam crimina, quæ judicio Sacerdotis videbantur manifeſtanda. Hanc confeſſionem ſuſtulit Nectarius, & Presbyterum qui publicè pœnitentibus præerat, amovit, idque ob gravem quandam populi offenſionem, occaſione cujuſdam publicæ pœnitentiæ & confeſſionis ortam. Cùm enim mulieri cuidam nobili pœni- *Verus intellectus hiſtoria Sozomeni de confeſſione, uti loquitur Calvinus abrogata.*

Ggggg a tentia

tentia publica ob quædam crimina eſſet injuncta, & illa ob hanc explendam pœnitentiam diutiùs in Templo moraretur, accidit ut quidam Diaconus illâ abuteretur in Templo, mulier autem confeſſionem publicam illi à Sacerdote Pœnitentiario præſcriptam factura, etiam hoc crimen dicitur coram populo patefeciſſe: hinc graviſſima populi offenſio in Clerum exorta eſt; tametſi enim peccatum occultum eſſet, neque Presbyter ei mandaſſet, ut populo patefaceret, ipſa tamen, cùm alia peccata quæ publica erant confiteretur publicè, longiùs progreſſa quàm par erat, etiam hoc peccatum confeſſa eſt. Unde quidam Eudemon Presbyter ſuaſit Nectario, ut illam conſuetudinem tolleret. Nectarius autem anteceſſor S. Chryſoſtomi in Sede Conſtantinopolitanâ aſſumptus eſt jam ſenex & laicus nondum baptizatus ad Epiſcopatum; ut proinde non potuerit ad tam inſignem eruditionis gloriam perveniſſe, ut declamat Calvinus. Unde Sozomenus l. 7. c. 8. laudat eum à canitie, & morum ſuavitate, nullam faciens mentionem ſanctitatis & eruditionis. Qualiſcumque tandem fuerit, abrogavit Conſtantinopoli, primò Presbyterum illum Pœnitentiarium, qui non erat præpoſitus omnibus Fidelibus, qui quocumque modo agebant pœnitentiam, ſed ſolum publicis pœnitentibus; nullo enim modò fieri potuit, ut unus Presbyter ſatisfaceret infinitæ multitudini Conſtantinopolitanæ vel aliarum civitatum; & apud veteres nomine pœnitentium ſoli illi publicè pœnitentes ſolebant intelligi. Unde illa conſtitutio Epiſcoporum continebat tantum, ut qui publicè lapſi eſſent poſt Baptiſmum, non accederent ad Communionem tanquam reconciliati, niſi Presbytero Pœnitentiario confeſſi eſſent privatim omnia ſua peccata, deinde niſi ad ejus arbitrium publicè coram cœtu Eccleſiæ peccata ſua publica detexiſſent, & pœnitentiam publicam feciſſent. Hanc conſtitutionem Socrates rectè vocat Appendicem additam ad veteres Canones; nam ante exortam Novati hæreſim, nemo cogebatur adire certum Presbyterum, neque ulla peccata publicè confiteri. Conſueverant quidem aliqui ex conſilio Sacerdotis, cui confeſſi fuiſſent, peccata ſua aliqua ſubinde graviora & publica confiteri publicè, ut patet ex Origene hom 2. in Pſalm. 37 tamen non tenebantur, ſed ſatis erat peccata omnia confiteri privatim, & pœnitentiam privatam, vel etiam publicam juxta Sacerdotis imperium facere: Poſt excitatam Novati hæreſim placuit illis Epiſcopis aliquid addere, ne Novatiani Catholicos poſſent reprehendere, quòd nimis facilè lapſos ad Communionem admitterent. Secundò, abrogavit Nectarius in ſuâ Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ pœnitentiam publicam, quia ex ejus occaſione acciderat illud flagitium mulieris. Tertiò; abrogavit confeſſionem publicam, quia erat pars pœnitentiæ publicæ, & quia ex eâ fuerat cognitum ſacrilegium illud Diaconi, & mulieris. Utrumque populo diſplicebat, ſcilicet tantum in Eccleſia flagitium perpetratum, ut ſcribit Sozomenus, & ejus publicatione tantam infamiæ notam Ordini Sacerdotali inuſtam, ut tradit Socrates, & per conſequens Pœnitentiarius erat abrogandus, quia ejus munus ceſſabat. Quod autem Socrates & Sozomenus ſcribunt permiſſum eſſe à Nectario, ut unuſquiſque ſecundum conſcientiam ſuam ad ſacra myſteria participanda accederet, non ſignificat permiſſum eſſe Fidelibus, ut ſine confeſſione & judicio Sacerdotis, ſacræ menſæ fierent participes, ſed, ut non cogerentur adire publicum Eccleſiæ Tribunal; Verùm ipſi conſcientiæ ſuæ rationem haberent; & ſi quidem ſine peccato mortali eſſent, ad communicationem divinorum myſteriorum accederent; ſin aliter, unum ex Presbyteris eligerent, cui privatim confiterentur peccata ſua: non enim tam imprudens fuit Nectarius, ut non videret

quam

quam malum eſſet permittere unicuique acceſſum ad ſacra myſteria ſine ulla purgatione & reconciliatione. Ipſimet Hæretici non admittunt ad cænam ſuam niſi priùs exploratos. Undè Melanchton in Confeſſione Auguſtana Act. de Confeſſione. *Confeſſio*, inquit, *apud nos non eſt abolita, non enim ſolet porrigi niſi antea exploratis & abſolutis Euchariſtia*: Et Calvinus l.3. Inſtit.c.4.§.13. *Interim, quin ſiſtant ſe oves Paſtori quoties ſacram Cœnam participare volunt, adeò non reclamo, ut maximè velim hoc ubique obſervari.* Ex dictis patet confeſſionem ſacramentalem, quæ privatim fit Sacerdoti, & de qua nobis cum Hæreticis controverſia, non fuiſſe ſublatam per Nectarium. In primis, quia non ſuſtulit niſi appendicem ad veteres Canones, quæ appendix pertinebat tantùm ad publicam pœnitentiam. Deinde, non ſuſtulit niſi id quod neceſſarium erat ad ſedandum populi tumultum, ex occaſione dicti flagitii; ad hoc autem ſufficiebat tollere confeſſionem & pœnitentiam publicam: nam ex confeſſione & pœnitentiâ privatâ, nullus tumultus exoriri poterat.

Prætereà Sozomenus, qui fuſiùs eam Hiſtoriam conſcripſit, & quo potiſſimùm utuntur adverſarii, affirmat, ut diximus, Deum ipſum præcepiſſe, ut pœnitentibus venia daretur, & neceſſariam eſſe confeſſionem. Unde & Socrates, & ipſe etiam Nicephorus, dum reprehendunt actum illum Nectarii, qui ritum illum ſuſtulit, cauſam reddunt, quia eo ritu ſublato, non poſſumus invicem, peccata arguere juxta illud: *Nolite communicare operibus infrugiferis tenebrarum, ſed ea potiùs arguite*; & quia ſublato illo fræno publicæ confeſſionis majora & plura fiunt peccata, quæ omnia apertiſſimè pertinent ad confeſſionem publicam, non privatam, quam ſi ſuſtuliſſet, non dubitaſſet Sozomenus reprehendere Nectarium ut everſorem juris divini. Quare dum Sanctus Chryſoſtomus Nectarii ſucceſſor cujus actum non improbavit, ait confitendum eſſe ſoli Deo, ſine verborum ſono, ſine teſtibus, non in medio theatro, &c. de confeſſione loquitur, non prout ordinatur ad ſacramentalem abſolutionem, quæ eſt Sacramenti pars eſſentialis; ſed de confeſſione illâ publicâ, ut ordinatur ad confeſſionem & erubeſcentiam, per quam pœnitens pro pœna peccatis ſuis debita ſatis faciebat; ac proinde agit de confeſſione quatenus ad ſatisfactionem pertinet. In eundem ſenſum loquitur Caſſianus collat.20.c.8.

Epheſ. 5.

Hom. 2. In Pſal. 50. Hom.

2. in Pſal. 3. Hom. de pœnit. & confeſ. Hom. 5. de incomprehenſibili natura Dei. Hom. 4. de Lazaro Hom. 31. in Epiſt. ad Hebr. Hom. de Publicano.

LECTIO XI.

De Confeſſario.

I. HActenus quidem ſatis declaraſti de quibus peccatis, & quâ ratione inſtituenda ſit confeſſio; velim nunc audire cui ſit facienda?

R. Rectè. Igitur reſpondeo peccata ſoli Sacerdoti eſſe declaranda. *Secundò*, Sacerdoti per Epiſcopum approbato. *Tertiò*, Sacerdoti habenti juriſdictionem ſuper pœnitentem. *Quartò*, Sacerdoti qui ſit vir prudens, bonus, & ſufficienter doctus.

I. Quare Sacerdoti ſoli, & non aliis facienda eſt confeſſio?

R. Quia Matt. 8. ſolis Apoſtolis promiſſa eſt poteſtas ligandi & ſolvendi; & Joan 20. illis ſolis, quibus Epiſcopi & Sacerdotes in hoc munere ſuccedunt, eadem poteſtas eſt tradita, ut docet S. Hieron. in c.16 Matt. & Conc. Trid. ſſ. 14. c. 6. & can. 10 Ita in veteri Teſtamento ſolis Sacerdotibus commiſſum erat judicium lepræ. *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Idem docent omnes Patres. quia in hoc Sacramento eſt quoddam judicium & poteſtas judicandi non cuilibet, ſed ſcienti & idoneo committenda. Si enim in rebus terrenis quæ minoris ſunt momenti, non quivis habet judicandi poteſtatem, ſed certi dumtaxat

 à Prin-

à Principe conſtituti; multò minus in iis quæ pertinent ad animæ ſalutem ſempiternam. In hujus rei figuram, Lazarum à mortuis ſuſcitatum miſſi ſunt Apoſtoli ſolvere. Vide S. Greg. *Hom. 26. in Evang.* & Aug. *Serm 8 de Verbis Domini.*

Joan. 11.

I. Poſſeſne iſtius aliquam congruentem rationem afferre?

R. Ita. Nam cùm omne gratiæ genus, quæ hoc Sacramento tribuitur, à Christo capite ad membra derivetur; meritò debent Corpori Chriſti myſtico, id eſt, Fidelibus adminiſtrare, qui ſoli verum ejuſdem corpus conficiendi poteſtatem habent; cùm præſertim Fideles hoc ipſo Pœnitentiæ Sacramento, ad ſacram Euchariſtiam ſumendam apti, idoneique reddantur.

I. Quare debet Confeſſarius ab Epiſcopo approbari, & ad id muneris idoneus judicari?

Approbati debent eſſe Confeſſarii. ſ. 23. c. 15.

R. Quia Conc. Trid. ejuſmodi approbationem mandat, tanquam neceſſariam conditionem, ſine quâ non poſſit Sacerdos ligandi atque ſolvendi poteſtatem exercere. Ita enim loquitur: *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione, à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.*

I. Nonne ſufficeret quòd Sacerdos vulgò audiret valdè habilis & idoneus.

R. Minimè. Nam, ut audiſti, debet ab Epiſcopis, id eſt, à ſuo quiſque Epiſcopo idoneus judicari, & approbari.

I Quare vult Eccleſia Confeſſarios ab Epiſcopis approbari?

R. Nonne videtur id tibi longè æquiſſimum eſſe? Nam ſi non ſunt omnes promiſcuè apti ad tractandas & definiendas cauſas forenſes, ſed illi dumtaxat quos Princeps ad id officii delegerit, publicæ eruditionis ac Juriſprudentiæ teſtimonio commendatos; nonne par eſt, ut ſimilis ſaltem, ab Eccleſia fiat delectus Sacerdotum, quos Judices & Præſides in foro conſcientiæ conſtitutos eſſe voluerit?

I. Cur debet Confeſſarius juriſdictionem habere in pœnitentem?

R. Quia jus debet in ſubditos dici. Audi rurſum Concilium: *Quoniam igitur natura & ratio judicii expoſcit ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Concil. Trid ſſ. 14 c. 7 c. ſi Epiſcopus de pœnit. in 6.

I. Quiſnam habet juriſdictionem ordinariam, quis delegatam?

R. Ordinariam habet quiſquis ex officio ſuo vel dignitate curam habet animarum. Unde ſolet vocari Ordinarius, ut Pontifex reſpectu totius Eccleſiæ, Epiſcopus reſpectu ſuæ Diœceſis; Parochus reſpectu ſuæ Parochiæ; Superiores Religioſorum reſpectu eorum; Decanus reſpectu Capituli: ſimiliter Vicarii & Pœnitentiarii Pontificis, & Epiſcoporum.

Iuriſdictio ordinaria.

Delegatam habent qui juriſdictionem habent ex conceſſione vel commiſſione habentis ordinariam. Inter quas eſt illa differentia, quòd ordinaria non poſſit auferri vel impediri ſine cauſa rationabili; & licet de facto impediretur, tamen valeret abſolutio, quia proprius Paſtor de jure poteſt ſuum officium exercere, niſi juſta de cauſa impediatur. Delegata verò ita pendet à nutu Superioris concedentis vel committentis, ut pro libitu auferri vel impediri poſſit.

Iuriſdictio delegata.

I Poſſuntne quilibet Sacerdotes ab Epiſcopis approbati habentes juriſdictionem ordinariam vel delegatam abſolvere ab omnibus omninò peccatis?

R. Non, niſi in mortis articulo. Nam

magna-

Concil. Trid. ſſ. 14. c. 7.

magnoperè verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuſvis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur. Vndè meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate, ſibi in Eccleſia univerſa tradita cauſas aliquas criminum graviores ſuo poterunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt.

Caſus Papæ reſervati.

Et Epiſcopis.

Dixi ſuprà, *niſi in articulo mortis* Nam *piè admodum, ne hac occaſione* (caſuum reſervatorum) *aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt: extra quem articulum, Sacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.*

Trid. ſup.

In articulo mortis nulla eſt caſuum reſervatio.

Quare dicis Confeſſarium inſtructum eſſe debere prudentiâ?

Confeſſarius debet eſſe prudens.

R. *Primò*, quia ut ſpiritualis Medicus providere debet, ut ea remedia ægroto adhibeantur, quæ ad illius animam ſanandam, & in poſterum contra morbi vim muniendam aptiora eſſe videantur. *Secundò*, quia uti Pater ſpiritualis diſponere debet pœnitentem ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, peccatorum remiſſionem, & vitam animæ; deque delictis correctionem paternam ſumere. *Tertiò*, quia uti Pædagogus & dux in via ſpirituali debet errantes ad veram ſalutis ſemitam reducere, modumque docere, quo ſe deinceps à peccatis & erroribus cohibeant. Nam *ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* *Quartò*, quia uti Judex debet rectè & ſecundùm æquitatem ſententiam ferre, & ſcire qui vel ſolvendi, vel ligandi ſint, & quæ cuique ſceleri pœna conveniat.

Matt. 15.

I. Cur ſcientia pollere debet Confeſſarius?

Confeſſarius debet eſſe doctus.

R. Jam cæpimus dicere, quia Judex debet habere ſcientiam ejus quod debet judicare. De pœnit. diſt. 6. c. 1. §. *Caveat ſpiritualis Iudex, ut ſicut non vellet crimen ex nequitia commiſiſſe, ita non careat munere ſcientiæ. Oportet ut ſciat cognoſcere, quicquid debet judicare. Iudiciaria enim poteſtas hoc poſtulat, ut quod debet judicare, diſcernat.* Secundò, ſi ex medicina corporum, curam contemplemur animarum, eam tantò difficiliorem reperiemus, quantò excellentior eſt animæ portio corpore. *Quis enim* (inquit S. Greg.) *cogitationum vulnera, occultiora neſciat eſſe vulneribus viſcerum, & tamen ſæpè qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe Medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim neſciunt, videri Medici carnis erubeſcunt.* Certè corporalis Medicus corporum complexionem perſcrutatur, cauſas morborum inveſtigat, temporis, loci, ætatis, ſimiliumque rerum circumſtantias conſiderat, omnemque curam impendit, ne in minimo artis decreta tranſgrediatur, quæ certè omnia magnam ſollicitudinem, & diligens ſtudium requirunt. At ſpiritualis Medici officium eſt, mores corrigere, hominum converſationem cognoſcere, animos purgare, vitia expellere, remedia contra peccata, quæ animi morbi ſunt, præſcribere; oleum divinæ miſericordiæ, vel vinum juſtitiæ vulneribus ſauciati, more periti Medici, ſuperinfundere; peccati & peccatoris conditiones inquirere; cuncta quæ intra & extra hominem geruntur, dirigere. Quibus omnibus quis ſapiens ſe parem judicabit? *Videte*, ô Sacerdotes Confeſſarii, *quid faciatis, non enim ho-*

1. p. Cura Paſtor. c. 1.

2. Paral. 19.

minis

minis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit: ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Vid. Nav. c. 4. Man. c. 8.

Confeſſarius debet eſſe vir bonus.

I. Qua de cauſa vis Sacerdotem Confeſſarium etiam bonitate eſſe præditum?

Concil. Trid. ſſ. 14 can. 10.

R. Quia ut licitè Sacramentum miniſtret, debet eſſe, vel probabiliter credere ſe eſſe extra ſtatum lethiferæ culpæ: nam ſi in eo ſtatu audiret confeſſiones, & abſolveret, mortalis culpæ novum reatum incurreret, tametſi ejus abſolutio valeret.

I. Eſtne conſultum ut uni eidemque Confeſſario ſemper adhæreas?

R. Ita quantum fieri poteſt, dummodò fuerit iis, quos ſupputavimus, numeris abſolutus.

I. Quare hoc?

Vnus ordinariè Confeſſarius retinendus.

R. Quia is qui nos frequenter audivit in confeſſione, meliùs novit ſtatum animæ noſtræ, quàm quilibet alius, adeoque nos poteſt melius juvare.

I. Declara hoc aliquo ſimili?

R. Quemadmodum Medicus corporum citiùs & faciliùs, imò certiùs curat ægrum cujus ſtatum & morbum perfectiùs novit; ita Medicus ſpiritualis, id eſt Confeſſarius, certiùs & faciliùs medetur conſcientiæ, cujus integram notitiam conſecutus eſt per frequentes confeſſiones.

Similia

I. Cui ſimilis eſt pœnitens, qui modò unum, modò alium adit Confeſſarium?

R. Similis eſt infirmo, qui modò uni, modò alteri Medico morbum ſuum manifeſtat, diverſa fortè & contraria à diverſis accepturus remedia.

I. Cui comparari poteſt peccator, qui idcircò Confeſſarium deſerit, quod ab illo moneatur, & urgeatur peccato, ejuſque occaſionibus nuntium remittere.

R. Poteſt jure merito ægroto comparari, qui Medicum deſerit, eo præſertim tempore, quo pellendo morbo & ejus cauſis maximè attendit.

I. Cur dixiſti, *quantum fieri poteſt?*

R. Utinuam poſſe rationabiles ob cauſas interdum mutari Confeſſarium; v. c. abſentiæ, morbi, vel cujuſvis alii impedimenti, quo ordinarius tuus Confeſſarius detinetur: imò fortè quod non velis, neque expediat eum pro hac vice adire, cujus poteſt rationabilis ſubeſſe cauſa.

LECTIO XII.

De Satisfactione, tertia parte Pœnitentiæ.

I. POſt factam confeſſionem, obtentamque peccatorum abſolutionem, reſtatne aliud quod ad Pœnitentiæ Sacramentum pertineat?

R. Ita. Satisfactio pro peccatis; docuimus enim ſupra tres eſſe Pœnitentiæ partes, *Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem.*

I. Quid eſt igitur *Satisfactio?*

R. Eſt perſolutio pœnæ peccatis debitæ etiam poſt abſolutionem.

I. Explica hoc paulò ampliùs?

R. Sciendum eſt pro quaque culpa mortali deberi pœnam æternam: factâ confeſſione, & abſolutione perceptâ, mutatur pœna æterna in temporalem. Poſſet tamen tanta eſſe pœnitentis contritio, ut ſimul quoque tota pœna aboleretur. Talis fuit contritio Latronis in Cruce, B. Mariæ Magdalenæ, &c. Verùm nos loquimur de eo quod ordinariè & plerumque fit.

Vid. quæ ſup. de Indulgentiis in 1. part.

I. Unde habent Sacerdotes auctoritatem & poteſtatem pœnitentias in Sacramento injungendi?

R. Ab ipſo Salvatore noſtro, qui dedit eis poteſtatem non ſolùm ſolvendi, ſed etiam ligandi; Vide *Conc. Trid. ſſ. 14. can. 15.*

I. Quas debent Confeſſarii ſatisfactiones & pœnitentias injungere pœnitentibus?

Concil. Trid. ſſ. 14. c. 8.

R. *Debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro quali-*

qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.

I. Quam ergo ſatisfactionem facere oportet pro quoque peccato mortali, ad tollendam integrè pœnam temporalem reſtantem?

R. Solus ipſe Deus novit. Aliqui exiſtimarunt agendam eſſe pœnitentiam ſeptem annorum.

I. Quare ergò imponunt Confeſſarii tam parvas pœnitentias?

R. Quia magnas plerique non adimplerent; adeò refrixit multorum charitas. Meminerint interim Confeſſarii Decreti Concilii Tridentini jam ante deſcripti.

I. Prudenterne illi agunt qui in confeſſione magnas ſibi pœnitentias injungi flagitant?

R. Ita, ſi adſit voluntas, & ſupperant vires & facultas ad illas adimplendas. Nam reverà ſatisfactio ſacramentalis; id eſt, quæ à Sacerdotibus in Sacramento Pœnitentiæ imponitur, excellit quamvis aliam voluntariè aſſumptam; quia merita Chriſti Domini multò efficaciùs operantur in Sacramento, quàm alibi.

I. Eſtne utile & ſalutare, ut alias etiam pœnitentias pro peccatis expiandis privatim faciamus, præter injunctas in Sacramento?

R. Ita, ad hoc nos hortantur Scriptura, & Patres.

1.Cor.11. *Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Eccl.5.

Facite fructus dignos pœnitentiæ. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Luc.3.

Aliud eſt (inquit S. Greg.) fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum fructum facere. Ut enim de dignis pœnitentiæ fructibus loquamur: Sciendum eſt, quod quiſquis illicita non commiſit, huic jure conceditur ut licitis utatur; ſicque opera pietatis faciat, ut tamen ſi voluerit, ea, quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſis, quod gravius eſt, in adulterium lapſus eſt, tantò à ſe licita debet abſcindere, quantò ſe meminit illicita perpetraſſe. Hom.20. in Evang.

Et Chryſoſt. *Facite*, ait, *fructus dignos pœnitentiæ.* Quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adverſa faciamus: verbi gratiâ; aliena rapuiſti? incipe donare jam propria, &c. deliciis anteà & temulentiâ diffluebas? jejunio & aquæ potu utrumque compenſa. Hom.10. in Matt.

Ambroſius ad virginem lapſam: grandi plagæ prolixâ opus eſt medicinâ: grande ſcelus grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.

S. Auguſtinus. Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de iis quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.

I. Aſſumpſeruntne Sancti ultrò ſpontaneas pœnitentias?

R. Ita. Mira ſunt quæ narrat Climachus gradu 5. unum tantùm ſubjicio exemplum. *Quidam monachus, inquit, eo quod in peccatum incidiſſet, ab Abbate multis & precibus & lachrymis impetravit, ut ad agendam pœnitentiam, in carcerem pœnitentium damnaretur. Projecit ſe, inquit Abbas, in pavimentum, apprehendit pedes meos* Exempla.

Hhhhh *multiſ-*

multiſque illos lachrymis ubertim rigans, petiit ſe ad cuſtodiam damnari. Extorſit carcerem lachrymis; ita verò ſe mœrore in eo torſit, ut intra paucos dies doloris gladio transfixus occubuerit. Doloris gladio, inquit Abbas, percuſſus in corde, quem divina charitas acuerat. Octavo, poſtquam in carcerem pervenerat, die, migravit ad Dominum, petens ne ſepultura frueretur. Quem ego, ut ſanè digniſſimum in Patrum ſepulchro ſepelivi. Nec defuit, qui certiſſimè cognoſceret non eum ante à pedibus meis ſurrexiſſe, quàm Deus illi propitius ignoſceret.

In Concilio Toletano decimo memoriæ proditum eſt, Potamium quemdam Epiſcopum Brachienſem extitiſſe, qui cùm ſemel tantùm tactu fœmineo, ut loquitur Concilium, ſorduiſſet, ipſe ſe primum in ergaſtulo, nullo cogente, incluſit, atque novem menſium pœnitentiam egit: deindè Concilio, quod Toleti celebrabatur, libellum accuſatorium contra ſe porrexit, quo peccatum commiſſum prodebat ſponte. Patres verò Concilii perpetuam pœnitentiam, quoad viveret, injunxerunt, ut nimirùm perpetuò in abjectu officiis deſerviret; nihilominùs affirmarunt humaniùs ab benigniùs cum ipſo actum, quàm antiquorum Canonum ſeveritas pateretur. Egregium ſanè pœnitentiæ exemplum Potamius hic præbuit, optimeque ſibi conſuluit: Nam, ut ait Iob: Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix. *Qui enim exiguas pœnas breveſque auſteritates reformidant, in pœnas atrociſſimas ac longiſſimas ignis Purgatorii, vel æternæ gehennæ ſæpè incurrunt. Salutare ergò conſilium eſt, & peccata maximo dolore, quantumcumque levia deteſtari, & ſibi ipſi pœnam aliquam imponere.*

I. Quare non fuit divina bonitas contenta contritione & confeſſione pœnitentis, abſque alia ſatisfactione?

R. Ut nos magis à peccato, & peccati libidine cohiberet; Nam ut Conc. Trid. *Procul dubio magnoperè à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* **ſſ. 14. c. 8.**

I. Ad quot capita refertur omnis noſtra ſatisfactio?

R. Ad tria bonorum operum genera, quæ Angelus Raphaël Tobiæ olim commendavit, dicens: *Bona eſt Oratio cum jejunio & eleëmoſyna.* Nam tria ſunt genera bonorum quæ Deo à nobis dari queunt. **Tob. 12.**

Prima ſunt animi, quæ damus per orationem; Alia ſunt corporis, quæ per jejunium; Alia tandem externa, quæ tribuimus per eleëmoſynam. ***Concil. Trid. ſſ. 14. can. 13.***

Deindè omnia vitia revocari poſſunt ad tria, quæ S. Joannes in Epiſtola recenſuit; Concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ; Jejunium ſiquidem coërcet concupiſcentiam carnis; Eleëmoſyna concupiſcentiam oculorum, id eſt, avaritiam; Oratio ſuperbiam vitæ. Ad jejunium autem revocantur omnia quæ carnem affligunt; ut cilicia, cineres, flagellatio, humi cubatio. Ad eleëmoſynam omnia opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia. Ad orationem omnes religionis actiones, ut laudes, gratiarum actiones, ſacrificium Miſſæ, dolor de peccatis, &c. Prætereà Deum oratione placamus; proximo eleëmoſyna ſatisfacimus; nos ipſos verò, jejunio caſtigamus. **1. ep. 2.** ***Tribus morbis tria remedia oppoſita.***

I. Quandonam adimplendæ ſunt injunctæ pœnitentiæ?

R. Primâ ſtatim opportunitate Potiſſimùm verò detur opera, ut illæ in ſtatu gratiæ adimpleantur.

I. Quare *in ſtatu gratiæ*?

R. Quia *dona iniquorum non probat Altiſſimus.* Proindè qui jejunant, eleëmoſynas largiuntur, pœnitentias faciunt, ſive injunctas, ſive ſpontaneas in mortali, nihil conferunt ad gratiam Dei, vel gloriam promerendam, neque pro peccatis ſuis quidquam ſatisfaciunt. **Eccli. 34.**

I. Qui-

I. Quibus ſimiles ſunt qui bona opera vel pœnitentias faciunt in mortali?

R. Similes iis qui multum quidem laborant, ſed fruſtrà & abſque utilitate. *Vigilia* Tales erant iſti qui in Evangelio dicebant: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.*

Secundò, ſimiles arbori, quæ vitium habet in radice; quamobrem fructus ejus, etſi ſpecie tenus pulchri ſint, nihil tamen valent.

Tertiò, fonti in ſcaturigine ſua corrupto.

Quartò, ſimiles ſunt illis, qui exquiſitos cibos offerunt Principi in vaſe ſordido.

I. Suntne igitur complicandæ manus; nihilque boni operis agendum, ſtatim ac in ſtatu peccati mortalis verſamur?

R. Minimè: nam tametſi ad principale, id eſt, ad gratiam & gloriam bona opera in tali ſtatu facta nihil valeant, non ſunt tamen inutilia ad acquirenda bona temporalia.

Gloſſ. in c. quod quidam de pœnit. & remiſ. *Quæ cum mortali bona ſiunt, dant bona terræ; Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.*

Ad hæc, deſerendo exercitium bonorum operum, exuimus eorum habitus, & mala operamur. Optimum eſt redire quamprimùm in gratiam cum Deo ſuo per Sacramentum pœnitentiæ, & non immorari diu in tam miſero ſtatu.

I. Ubinam ſatisfaciendum eſt pro peccatis.

R. In hoc ſæculo, vel certè in Purgatorio.

I. Quo pacto ſatisfacere poſſumus in hoc ſæculo?

Multis modis poſſumus pro peccatis ſatisfacere. R. Pœnitentias injunctas adimplendo Greg l. 3. c. 7. ſup. 3. Reg. *Secundò*, jejunando, orando, eleëmoſynas faciendo, & alia bona opera *Iob. c. ult verſ. 6.*

Tertiò, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis. *Conc Trid. ſſ. 14. c. 9.* *Quartò*, lucrando Indulgentias, quibus ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum nobis applicantur. *Extrav. Unigenitus de pœnit. & remiſ.* *Quintò*, dum ſumus participes benefactorum & ſatisfactionum proximi. Nam divina Clementia hoc imbecillitati humanæ condonavit, ut unus poſſet pro altero ſatisfacere.

Quod quidem hujus partis pœnitentiæ maximè proprium eſt. Ut enim quod ad contritionem & confeſſionem attinet, nemo pro altero dolere aut confiteri poteſt, ita qui divinâ gratiâ præditi ſunt, alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur, perſolvere; quare fit ut quodam pacto *alter alterius onera portare* videatur. Conſule quæ ſup. *in 1. p. de Communione Sanctorum.*

I. Poſſumuſne in Purgatorio pro peccatis ſatisfacere?

R. Propriè loquendo non ſatisfaciunt animæ in igne purgatorio pro pœnâ peccatis debitâ, ſed luunt pœnas, & ſatis patiuntur; poſſunt tamen viventes pro iis ſatisfacere, eorum debita exſolvere, & ſuffragiis ſuis adjuvare, uti in 1. part. de Communione Sanctorum, & de Purgatorio habitum eſt.

I. Quo in loco faciliùs eſt à peccatis, ſive à pœna peccatis debita ſolvi, hîc, an in Purgatorio?

R. Procul dubio faciliùs incomparabiliter in hoc mundo. Nam bona opera quæ hîc facimus, aut etiam afflictiones, quas hîc æquo animo patimur, majoris ſunt apud Deum pretii, quàm pœnæ illæ quas animæ ex neceſſitate pati coguntur in Purgatorio. Præntereà longè graviores ſunt illæ pœnæ purgatoriæ omnibus pœnis & tormentis, quæcumque in hac vita poſſent excogitari.

I. Quibus ſimiles ſunt illi qui in hac vita negligunt pœnitentiam agere, præeligentes in Purgatorio pœnas dare?

R. Similes ſunt illi, qui cùm neglexerit, facili negotio ſordes manuum aquâ frigidâ abluere cogitur, poſtmodum liquefacto & bulliente plumbo, oleo,

aut ſulphure id agere. *Secundò*, ſunt ſimiles illi, qui modò minimo ære poſſet debita ſua diſſolvere, ſed expectat in illud tempus quo detrudendus eſt in carcerem, undè non exibit donec perſolverit decies mille aureos. *Tertiò*, ſunt ſimiles ei, qui maxima tormenta jejunio unius hebdomadæ redimere potuiſſet, ſed maluit igni tradi & lento incendio per ſingula membra torreri.

Exemplum.

I. Proba mihi aliquo exemplo Purgatorii pœnas omnia hujus mundi tormenta longè ſuperare, adeoque conſultius eſſe hic pro peccatis ſatisfacere, quàm ibi?

Cantipra. l. 2. apum c. 51.

R. Quantæ prudentiæ ſit, in hac vita pœnitentiam agere, exemplum ſubſequens demonſtrabit. Erat vir fidelis & bonus, ſicut prædictus Magiſter Albertus Frater Ordinis Prædicatorum, & poſteà Ratiſponenſis Epiſcopus, ſibi ab his qui rem familiariter noverant, traditum referebat, qui poſt diutinam pœnitentiam, quam ſanus fecerat, in languorem graviſſimum incidit: quo per annum non modicè tribulatus cum lachrymis rogavit Dominum, ut tanto languori conceſsâ morte finem imponeret. Nec mora, miſſus eſt ad eum Angelus Domini, dixit ei: Exaudivit Dominus precem tuam, ſed eligas quod vis: aut tribus diebus pœnâ Purgatorii torqueberis, ſi nunc decedis; aut ſi adhuc per annum in languore manere volueris, ſine Purgatorio ad Superos evolabis. Tunc ille præſentem pœnam recolens, nec futuram advertens, reſpondit: mori potiùs eligo, & non tantum tribus diebus, ſed quamdiu Domino placuerit, Purgatorio tribulari. Fiat, inquit Angelus, ſecundùm verbum tuum. Nec mora, languens, morte ſolutus eſt, & ejus anima in Purgatorium deportata. Uno ergò exacto die venit Angelus ad locum Purgatorii, ubi anima torquebatur, & dixit ei: quid nunc agis, ô anima, quæ pro languore unius anni, tribus diebus elegiſti in Purgatorio torqueri.

Purgatorii pœna quàm acerba.

Cui anima: O ſeductor, inquit, non Angele, qui me in pœnis, multis annorum curriculis pro trium dierum ſpatio fefelliſti. Et Angelus: Non morâ, inquit, ſed inæſtimabili tortura decepta es: quia non niſi unum diem de tribus in Purgatorio peregiſti. Tui tamen adhuc, ſi retractare volueris quod elegiſti, Dominus miſeretur, ut ad corpus tuum, quod nondum ſepultum eſt, reporteris, & per unum annum languorem quem experta es, patiaris. Cui anima: annuo, inquit, ut non per unum annum tantùm, ſed uſque in finem mundi languore detinear acriori. Hoc dicto, anima reportatur ad corpus, & per annum in languore detenta, multos, quibus hoc retulit, ad pœnitentiam animavit, & poſt annum unum iteratò defuncta tranſiit ad ſuperna.

I. Qui debet proximo pecuniam, aut quamvis rem aliam, liberaturne debito, factâ ſatisfactione, ſine pœnitentia à Confeſſario injunctâ?

Satisfactio Sacramentalis & reſtitutio differunt plurimum.

R. Minimè, quia alia eſt ſatisfactio per quam Deo pro peccatis ſatisfacimus; alia reſtitutio, quæ reddit proximo quod ſuum eſt, ſup. part 3. c. 8. lect. 3.

CONTROVERSIA
HÆRETICORUM

De jejunio ab Eccleſia præcepto.

I. QUo fundamento ſervare ſolent Catholici varia jejunia, præſertim Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum?

R. Id faciunt propter præceptum Eccleſiæ, quod antiquiſſimâ conſuetudine introductum eſt; imò ab ipſa Apoſtolica traditione, uti creditur, acceptum. Vide S. Leo ſer. 2 de Pentecoſt.

I. Cur Eccleſia Catholica jejunium indixit, & obſervandum præcepit?

R. Fecit

Digitized by Google

R. Fecit id *Primò*, exemplo antiquorum, qui jejunia ad placeandum Deum indixerunt; ut Saul 1. Reg 14. Joſaphat. 2. Paral 20. Rex Ninivitarum, Jonæ 3. Eſdras 1. Eſd. 8. Eſter. c. 4 *Secundò*, exemplo Chriſti Domini, qui jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deſerto; & jejunium futurum

Matt. 4. prædixit in iſtis verbis; *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies cùm auferetur ab iis ſponſus: & tunc jejunabunt.* Matt. 9. Luc. 4. *Tertiò*, primi Chriſtiani jejunarunt, ut diſponerent ſe ad gratiam Dei recipiendam, Act. 13 & 14. Et verò, quid ſibi vult quod ipſe Chriſtus Dominus dicit: Matt. 6. *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans.* Vult nimirum ut jejunantes caveamus ab hypocryſi; ſupponit ergo jejunium. Tandem omnes Patres meminerunt jejunii, uti jam olim in Eccleſia obſervari. S. Ignat. ad Philip. Teleſphorus Papa. Orig. hom. 10. in Levit. Conc. Nicæn. 1. c. 5. S. Baſil. Orat. 2. de jejunio. Ambr. in multis ſermonibus. Concil. Agathenſe & Aurelian. Hieron cont. Montanum, & cont. Jovin. Chryſoſt. hom. 58. in Matth. Auguſt. epiſt. 119. ad Januarium, & lib. 3. cont. Fauſt. S. Leo ſerm. 4. de Quad. S. Gregorius & alii.

I. Deus non delectatur (inquit hæreticus) afflictionibus noſtris.

Simile. R. Medicus qui ægro præſcribit abſtinentiam, non delectatur afflictione ægroti. Luc. 10. *Quoniam non jejunavimus* (inquit S. Baſil.) *exulamus è Paradiſo, jejunemus igitur, ut ad illum poſtliminio revertamur.* *Quartò, qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Non dicit, qui vos ſpernit, quando præcepta mea proponitis, de hoc enim nemo poſſet dubitare. Ergò etiam tenemur obedire Eccleſiæ in iis, quæ non ſunt præcisè juris divini. *Quintò, Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum.* 1. Teſſ. 4. Et poſt pauca: *Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.* *Sextò*, Si non tenemur obedire Eccleſiæ Prælatis niſi quando proponunt id quod eſt juris divini, reverà non plus auctoritatis haberent Prælati, quàm privatus quiſque Fidelis, nam & Joanni & Petro tenemur obedire, quando proponunt jus divinum. Ut quid ergò Prælati claves gerunt? ut quid illis dictum eſt: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.*

I. Dicunt legem Eccleſiaſticam repugnare libertati Chriſtianæ.

R. Quando in Scripturis lex Evangelica dicitur lex libertatis, commendatur libertas ſpiritus, non carnis; quaſi ſcilicet liceat propriam concupiſcentiam ſequi, hoc eſt, tam in credendo, quod placet admittere, quàm in operando, quidquid libet, facere; qualem carnis libertatem ſub ſpecie Chriſtianæ libertatis hodie annuntiant hæretici; dicitur itaque lex Evangelica; lex libertatis, quia per eam liberamur, primò à ſervitute peccati, à qua non poteramus per legem veterem liberari: ſecundò, à ſervitute onerum legalium. De priore agit S Paulus: *liberati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Rom. 6. De poſteriore: *State, & nolite iterum jugo ſervitutis teneri.* Gal. 5.

Secunda propoſitio. Poteſt Eccleſia certis temporibus prohibere eſum aliquorum ciborum. Probatur 1. ex poteſtate ipſi attributâ in priori propoſitione. 2. quia hoc eſt materia virtutis. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.* Rom. 14. Et reverà hæc fuit prima lex homini poſita in Paradiſo, ne de ligno vitæ ſcientiæ boni & mali comederet. Gen. 2.

Audi quid Rechabitæ fecerint, quibus à parente ſuo Jonadab mandatum fuit, ut & ipſi, & uxores eorum & omnes poſteri perpetuò abſtinerent à vino. Jerem. 35. Non objecerunt, quod noſtri adverſarii objiciunt, nihil faciendum eſſe, niſi quod

Deus præcipit; ſed dixerunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab Pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri in ſempiternum.* Et propterea à Deo laudati ſunt, & peculiari benedictione affecti: Verba benedictionis ſunt hæc: *Non deficiet vir de ſtirpe veſtra ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Quid vobis videtur, Reformati, minuſne recte aut laudabiliter faciunt Catholici ſervando præceptum Eccleſiæ; quàm Rechabitæ fecerunt ſervando præceptum Patris ſui Jonadab? Certè non minus laudabile eſt obedire communi Matri Eccleſiæ, quàm obedire privato homini.

Matt. 15. I. Objiciunt, *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.*

R. Reſpondeo *primò*, & quæro; cur Judæi non veſcebantur carnibus porcinis, cùm nec illæ intrantes in os, coinquinarent animas eorum? Et tamen pleríque Judæorum præſentiſſimam mortem tali eſui præferebant. *Secundò*, verum eſt carnes ex ſe non coinquinare hominem, ſed ex interiori immunditia, & inobedientia. Sicut pomum quod comedit Adam, ejuſque os intravit, ex ſe non maculavit animam ipſius, ſed inobedientia contra præceptum Dei quam admiſit illud comedendo. Loquitur itaque Chriſtus de potu & cibo, non quomodocumque conſideratis, ſed, ut res ſunt corporales, quæ ex natura ſua nequeunt animam, quæ ſpiritualis eſt, coinquinare. Benè autem poſſunt, & de facto in tranſgreſſoribus præcepti, animam commaculant ratione adjunctæ inobedientiæ, quâ Eccleſiæ mandatum contemnunt, ut benè exponit S. Auguſt. tract. 73. in Joan. ut ſciremus non Dei creaturam eſſe culpabilem, ſed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem, non propter porcum, ſed propter pomum, mortem primus homo invenit. Et Eſau primatus ſuos, non propter gallinam, ſed propter lenticulam perdidit. *Tertiò*, taxat Chriſtus iſtis verbis cujuſdam traditionis humanæ Judaicam ſuperſtitionem, quâ exiſtimabant cibos illotis manibus ſumptos, ſordes animæ adducere: quibus deliriis ſeſe opponens Chriſtus, ait: *Non quod intrat in os*, hoc eſt cibus, qui licitè comeditur, quomodocumque ſumatur, ſive lotis, ſive illotis manibus, non contaminat animam. *Geminus iſtius Scriptura ſenſus.*

1. Tim. 4. I. Objiciunt rurſum: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*

R. Ineptè hæc torquent hæretici contra jejunia Eccleſiæ & ciborum delectum; non enim Eccleſia prohibet cibos quaſi per ſe malos, uti faciebant hæretici, quos ibi carpit Apoſtolus, ſed ad refrænandam concupiſcentiam, & ad exercendam obedientiam & pœnitentiam. Radicem erroris, erroremque ipſum detegit Apoſtolus in ſequentibus: *quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Nimirùm errores iſti prohibebant carnes quaſi creaturas malas mali Dei, ac proinde naturâ ſuâ immundas, quæque comedentem ſuâ immunditiâ contaminarent. Tales erant Manichæi, de quibus nos ſub initium Symboli Apoſtolici. Contra hos contrarium fidei & veritatis fundamentum ſtatuit Apoſtolus, dicens, omnem creaturam bonam eſſe, utpote à bono Deo creatam, ac conſequenter nullam rejiciendam eſſe, quaſi naturâ ſuâ malam & immundam, ſed quâlibet quaſi bonâ & mundâ uti licere cum gratiarum actione. Jam Eccleſia indicens jejunium & abſtinentiam à carnibus, non eas vetat quaſi naturâ ſuâ malas; ac proinde cum iſtis hæreticis, quos ibi carpit Apoſtolus, nihil habet affine: Si enim Medicus vetans carnem porcinam, cervinam, aut quamvis ſalſam & infumatam, ægroto, quaſi noxiam ejus valetudini, non contradicit Apoſtolo, nec cum erroribus his quidquam habet commune; ergò nec Eccleſia vetans carnes certis diebus ad ſanitatem

ani-

animæ, atque ad refrænationem luxuriæ & concupiſcentiæ, contradicit Apoſtolo, aut hæreticis conſentit. Audi S. Auguſtin. lib. 30. cont Fauſt. cap. 3. *Crede, Dei ſervos, quia carnibus abſtinent, non tanquam immunda, quæ à Deo facta ſunt, reſpicere; ſed à fortiori potu & cibo ſolà caſtigatione corporis abſtinere.*

LECTIO XIII.

De Cæremoniis Sacramenti Pœnitentiæ.

I. Suntne aliquæ obſervandæ cæremoniæ in recipiendo & adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ?

R. Ita. Quemadmodum enim Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituit; ita Eccleſia eidem addidit ritus quoſdam & cæremonias, quæ tametſi ad Sacramenti ſubſtantiam non pertinent, ejus tamen dignitatem & excellentiam nobis plurimùm commendant, animumque pœnitentis ad gratiam uberiùs recipiendam diſponunt.

I. Quare ſedet Confeſſarius excepturus confeſſiones?

Confeſſarius ſedere debet audiens confeſſiones.

R. Quia judicem, qualis eſt in hoc Sacramento Sacerdos, decet ſedentem pronuntiare ſententiam.

I. Quo loco debet Confeſſarius ſedere?

R. In Templo ſemper, & loco propatulo & conſpicuo, niſi ex cauſa morbi pœnitentis. Vide Syn. Rom. an. 1604. tit. 6 c. 11.

Pœnitens genu flectere.

I. Qualiter debet habere pœnitens confeſſionem aggreſſurus?

R. Debet in genua provolvi coram Sacerdote; quæ eſt antiquiſſima cæremonia, uti videre eſt apud S. Dionyſ. epiſt. 6. ad Demoſt. ubi dicit, id tempore Apoſtolorum fuiſſe in uſu.

I. Quid hoc ſibi vult?

R. Iſte eſt geſtus peccatoris, qui culpam ſuam confitetur, & veniam deprecatur.

I. Quomodo debet ſe habere pœnitens in oculis?

R. Teneat illos demiſſos à latere Sacerdotis, ad inſtar Publicani Evangelici, qui nec audebat eos in cælum levare, præſertim verò fœminæ, quæ etiam, quantum fieri poteſt, velatæ confiteri debent.

I. Quomodo in manibus?

R. Junctas illas habeas uti reus.

I. Numquid antequam confeſſionem inchoet, petere debet à Sacerdote benedictionem?

R. Ita, Crucis ſigno facto dicat: *Benedic Pater.*

I. Quid hoc indicat?

R. Agnoſcit & profitetur pœnitens ſe non poſſe abſque ope divina ritè confiteri, diabolo ſemper nobis infeſto, &, quantum in ipſo eſt, impediente confeſſionem ne fiat; aut certè, ne, ut decet, fiat.

I. Benedictione acceptâ, quid porrò agendum pœnitenti?

R. Dicat *Confiteor*, ſive confeſſionem generalem, ſi Cōfeſſario ita viſum fuerit; & tum peccata ſua juxta normam ſuprà traditam confiteatur.

I. Quare voluit Deus ut peccata noſtra ore confiteremur?

R. Ut per confuſionem, quam in confitendo patimur, pro peccatis ſatisfaceremus; deinde, ut ejuſmodi confuſio eſſet nobis pro fræno contra relapſum.

I. Quid factâ peccatorum declaratione agere debet pœnitens?

R. Subjungat: *De his & omnibus aliis meis peccatis confeſſis & oblitis dico meam culpam, & a te, Pater, peto pœnitentiam & abſolutionem.*

I. Debemuſne æqui bonique conſulere, ſi quid monet, aut objurgat Confeſſarius?

R. Ita. Et quemadmodum æger libenter inſtituitur de vitæ regimine, & victûs ratione, quæ pro valetudine recuperanda obſervare debet; ita ex Confeſſario deſcribendum nobis eſt,

quâ

Digitized by Google

qua ratione vitam ſpiritualem recuperare, aut recuperatam conſervare poſſumus.

DE SACRAMENTO

Extremæ Unctionis.

CAPUT VI.

LECTIO UNICA.

I. QUare Sacramento Pœnitentiæ ſubjungitur hoc Extremæ-Unctionis?

R. Aptiſſimâ methodo id fit, quia Sacramentum Extremæ-Unctionis, Pœnitentiæ, totiuſque vitæ Chriſtianæ conſummatio eſt, ex hac vita mortali decedentibus expeditam ad cælum viam præparans.

Extrema Unctio quid?

I. Quid eſt Sacramentum Extremæ Unctionis?

R. Eſt olei conſecrati unctio à Presbytero facta in certis partibus infirmi ſub præſcriptâ verborum formâ.

I. A quo inſtitutum eſt hoc Sacramentum?

Conc. Tri. ſſ. 14. c. 1. & can. 1. de Extrema Unctione.

R. Inſtituta eſt hæc ſacra Unctio infirmorum tanquam verè & propriè Sacramentum novi Teſtamenti à Chriſto Domino, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem Fidelibus commendatum ac promulgatum.

I. Quamobrem inſtitutum eſt hoc Sacramentum?

Idem in proëmio, de Sacr. Extrema-Unctionis.

R. *Clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis, quovis tempore voluit de ſalutaribus remediis, adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dum vivent, ab omni graviore ſpiritus incommodo poſſint; ita Extrema-Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio munivit. Nam etſi adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas noſtras quoquo modo poſſit; nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſua verſutiæ nervos intendat ad perdendum nos penitus, & à fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quàm dùm impendere nobis exitum vitæ perſpicit.*

1. Pet 5. & nulli dubium 3. q. 1.

I. Quare illud Sacramentum Extrema Unctio appellatur?

R. Quia hæc omnium ſacrarum Unctionum, quas Dominus Salvator noſter Eccleſiæ ſuæ commendavit ultima adminiſtranda eſt. Unde hæc ipſa Unctio à majoribus *Sacramentum Unctionis infirmorum*, & *Sacramentum exeuntium* dicta eſt.

I. Poteſtne iterari Extrema Unctio?

Poteſt Extrema-Unctio in diverſo vitæ periculo iterari.

R. Cùm æger in eodem vitæ periculo verſatur, ſemel tantùm ungendus eſt: Quòd ſi poſt ſuſceptam hanc Unctionem æger convaluerit, quoties poſteà in id vitæ diſcrimen inciderit, toties ejuſdem Sacramenti ſubſidium ei poterit adhiberi.

I. Debetne tempus ægroti ungendi obſervari, cùm jam omni ſalutis ſpe amiſsâ, vitâ & ſenſibus carere incipit?

Tempeſtivè debet ægrotis adhiberi.

R. Minimè; conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimùm valere, ſi ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur. Sufficit, ut in aliquo vitæ periculo conſtitutus eſſe videatur. Quare S. Carolus Borromæus in Actis Synodalibus Mediol. ſapienter ſanxit, ut quamprimùm aliquis peſte afflatus eſſet, ſacræ hujus Unctionis Sacramento muniretur.

Extrema-Unctio peſtiferis miniſtrâda.

I. Non deſunt qui arbitrentur ſibi neceſſariò morituros, ſi ſe ungi curent; alii etiam exiſtimant Extrema Unctione ſuſcepta, teſtamentū condi non poſſe, hinc, quantum poſſunt, ad extremum vitæ, Sacramenti receptionem differunt.

R. Stultæ

Digitized by Google

R. Stultæ ſunt ejuſmodi perſuaſiones; & prima quidem ipſi Sacramenti inſtitutioni contrariatur, de qua teſtatur S. Jacobus in verbis iſtis: *& alleviabit eum Dominus*; altera verò rectæ rationi, & communi hominum Chriſtianorum judicio diſſentanea eſt, quibus nunquam in mentem venit, ut Chriſti Sacramentum legitimos actus hominis liberi, & ſui compotis impediat. *Contra perverſas iſtiuſmodi opiniones ſubinde Paſtores declament, utpote cauſam, cur tam ſalutaris Sacramenti perceptio ad extremum vitæ ſpiritum à pleriſque differatur; iique interim Sacramenti effectus non participent, & ſæpè etiam ſine eo moriantur.*

Concil. Prov. II. Mechlin. tit. 8. c. 2.

Exempla.

I. Habeſne ad hanc rem exempla?

R. Habeo. Quidam vir magni meriti in extremis laborans, cùm interrogatus fuiſſet, num oleo ſancto ungi vellet, reſpondit: Nolite, obſecro, talia loqui; quia omnes qui inunguntur, ſtatim moriuntur. Atque his dictis, ſpiritum reddidit. Cùm autem linteaminibus involvendus eſſet, ut ſepulturæ traderetur, ſpiritum reſumpſit, & oculos aperiens locutus eſt, dicens: Quia Extremæ-Unctionis ſalutare Sacramentum exhorrui, centum annis Purgatorii ignibus, juſto Dei judicio, torquebor: ſi autem unctus fuiſſem, utique ab ægritudine convaluiſſem: Sacra enim Unctio non eſt mortis acceleratio, ſed dilatio. Iiſque verbis finitis animam exhalavit.

Nic. Dionyſ. in gemma Prædicantium, tr. 2 deſtru. p. 2

Io. Nider. l. 4 Formicarii c. 11.

Fuit noſtro tempore Rex Romanorum Rupertus, qui ante ſui electionem re & nomine Clemens extitit, & poſt diuturna & ſancta ſua opera, in lethali quadam infirmitate, propè à dæmone victus occubuit: nam in infirmitatem gravem incidit, & ſumpto ſacræ Euchariſtiæ Sacramento, ſe dietim ab Unctionis ſanctæ oleo callidè, ne reciperet, ſubtraxit. Hauſerat enim, ubi neſcio, diabolicum hunc inſtinctum (ut videbatur) quo quidam ſuperſtitioſiſſimè credunt, ſe poſt hujuſmodi Sacramenti ſumptionem omninò migrare oportere. Diſtulit igitur Princeps ſuſcipere Sacramentum propter mortis periculum; & Doctores divini & humani juris, quos ſemper dilexit, verbis hortabantur virum, & ipſi ſuadebant, ne omninò differret tam ſalubræ animæ & corporis antidotum. Obtinuerunt tandem illi, divinâ arridente gratiâ, intentum: cumque præſentibus litteratis, inungeretur Princeps, & orationes quæ de ſanitate ſonant utriuſque hominis multiplicarentur, ait ſatis alacriter: Reverà, ſi hoc Sacramento ſciviſſem tantùm pro utroque valuiſſe homine, quemadmodum jam audio, dudum ipſum devotiſſimè poſtulaſſem. Fuit enim litteratus ſatis, qui convaleſcens poſtmodum multis annis Romanum gubernavit ſanctè Imperium, & tandem feliciter perſeverans in bonis operibus, vita functus eſt.

Extremam-Unctionem negligens, in periculo animæ verſatur.

Hujus Sacramenti utilitas.

I. Quibus Extremæ Unctionis Sacramentum dari non debet?

Sano periculū mortis adeunti non debet dari Extrema unctio. Pueri & inſani non ſunt ungendi.

R. Nemini dare licet qui gravi morbo affectus non ſit, tametſi vitæ periculum adeat; vel quia periculoſam navigationem paret; vel quia prœlium initurus ſit, à quo illi certa mors impendeat; vel etiam ſi capitis damnatus, ad ſupplicium rapeetur. Omnes prætereà qui rationis uſu carent, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum apti non ſunt; & pueri qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias ſanare hujus Sacramenti remedio opus ſit; amentes item & furioſi, niſi interdum rationis uſum haberent, & eo potiſſimum tempore pii animi ſignificationem darent, peterentque ut ſacro oleo ungerentur. Nam qui ab ipſo ortu nunquam mentis & rationis compos fuit, ungendus non eſt, ſecus verò ſi ægrotus, cùm mente adhuc integrâ hujus Sacramenti particeps fieri voluiſſet, poſteà in inſaniam & furorem incidiſſet.

I. Sed, quâ ætate pueris danda eſt Extrema Unctio?

Quâ ætate pueris danda Extrema unctio.

R. Dixi pueris qui peccata non admittant, non eſſe dandam Unctionem: exterum pueris octo, novem, decem anno

Digitized by Google

rum, periculum vitæ adeuntibus, etſi hactenus non communicaſſent, debet miniſtrari Extrema Unctio, ſicut & Viaticum. Ita cenſent graves Doctores poſt S. Bonavent. in 4. diſt. 23. q. 2. Richardum ibid. q. 4. S. Antonin. 3. p. a 24. c 8. Certè, ſi Viaticum, & Extrema Unctio eis miniſtrari debet cùm hæc illud ſubſequi debeat ex recepta Eccleſiæ conſuetudine.

Conc. Trid. ſſ. 14. de Extrema unctione, c. 1.

I. Quo oleo ungendi ſunt infirmi?

R. Oleo ab Epiſcopo conſecrato: nam unctio aptiſſimè Spiritus Sancti gratiam quâ inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Nimirum gratia Spiritûs Sancti, delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit. 2. ægrotí animum alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus ſublevatus, & morbi incommoda & labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit. 3. ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, reſtituit.

Effectus hujus Sacramenti.

I. Quæ corporis partes ungi debent?

Vngendi ſunt oculi, aures, nares, os, manus.

R. Quinque corporis partes ungendæ ſunt; quas velut ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit: oculi propter viſionem; aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum vel ſermonem, manus propter tactum; qui tametſi toto corpore æquabiliter fuſus eſt, in ea tamen parte maximè viget Ex Conc. Florent. & univerſalis Eccleſiæ conſuetudine.

I. Quare quinque iſtæ potiſſimùm corporis partes inunguntur?

R. Id hujus Sacramenti naturæ optimè convenit: medicamenti enim inſtar eſt. Ac quoniam in corporis morbis, quamvis univerſum corpus malè affectum ſit, tamen illi tantùm parti curatio adhibetur à qua tanquam à fonte & origine morbus manat: idcircò non totum corpus, ſed ea membra, in quibus maximè ſentiendi vis eminet, inunguntur.

I. Poſſumuſne abſque hoc Sacramento ſalvari?

R. Poſſumus, dummodò abſit contemptus, qui abſque ingenti ſcelere, & ipſius Sacramenti injuriâ eſſe non poteſt.

Caſus notabilis.

Nota interim, poſſe accidere, ut quiſpiam in mortali exiſtens, & facultate confitendi carens, ſuſcepto cum attritione hoc Sacramento ſalutem conſequatur, qui aliàs damnaretur, nam, ſi recordaris, ſuprà docuimus attritionem cum Sacramento tanti, ad peccati remiſſionem, valere, quanti perfecta contritio, quæ, omnium ſententiâ peccatorum quorumcumque multitudinem operit & remittit.

Hac ead. p. c. 5, lect. 2.

I. Quomodò diſponet ſe infirmus ad ſuſceptionem hujus Sacramenti.

Qualiter debet eſſe diſpoſitus ægrotus hoc Sacram. recepturus.

R. *Primò*, videat ne obicem ponat effectui hujus Sacramenti, qui eſt peccatum lethiferum. Hinc ſolet Eccleſia illud miniſtrare poſt confeſſionem & Viaticum. *Secundò*, debet Sacerdos Parochialis ſuis cohortationibus ægrum erigere, & ad magnam fidem & fiduciam excitare, qualem ſolebat Chriſtus Dominus exigere ab his, quos ab infirmitatibus ſuis curabat. *Tertiò*, præſtolentur nihilominùs à divina Clementia bono & rationabili ordine effectus Sacramenti, nimirùm animæ primùm ſoſpitatem, deinde etiam corporis, ſi pro animæ bono, & ſua gloria ita viſum fuerit divinæ Bonitati expedire. Et verò minimè dubitandum eſt, quin ſolemnes Eccleſiæ Catholicæ preces, quas ex Rituali Sacerdos in hujus Sacramenti adminiſtratione publico nomine recitat, Deus libenter exaudiat. Quibus attentis curent, matutiùs ægri ſeſe ſacra Unctione muniri, quando conflictus cum dæmone inſtat, incipiuntque vires tam corporis, quàm animæ deficere.

I. Habeſne exempla, quibus probes benè diſpoſitos conſequi præclaros illos Extremæ Unctionis effectus ſuprà memoratos.

R. Ita.

Exempla. *Iac. Viria co Card. l. 2 vita ejus c. 12. apud Sur. 23. Iunii.*

R. Ita. *Cùm Maria Oeignacenſis, Beatiſſima Virgine ipſam pramonente, Extremam Unctionem acciperet, Apoſtoli omnes praſentes adfuere, & B. Petrus claves oſtendens pollicebatur ſe illis cœli januam patefacturum. Porrò Chriſtus ſignum crucis vexillum victoria ſua ad ejus pedes fixit; cumque in diverſis locis inungeretur, in ipſa Sacramenti perceptione, S. Spiritus operationem cum ingenti ſingulorum locorum illuſtratione perſenſit. Quidam etiam amici & noti ejus, qui jam pridem obierant, conſolanda ejus cauſa, ad eam miſſi ſunt.*

Idem. l. 2. c. 4. apud Sur. ib.

Dum praſente Maria Oeignacenſi Unctionis Extrema Sacramentum agroti perciperent, illa Chriſtum cum Sanctorum multitudine adeſſe ſentiebat, agrotumque illum miſericorditer corroborantem, damones expellentem, animam purgantem; ſeque, dum membra ejus ungerentur, quaſi in lumine per totum corpus ejus diffundentem.

I. Quare Litaniæ Sanctorum recitantur, dum Sacramentum hoc infirmo impenditur?

R. Ut Sancti invocati adjuvent ægrum in ultimo ſuo cum dæmone conflictu, ejuſque animam è corpore egreſſam, in Paradiſum deducant.

I. Adjuvantne morientem aſtantium preces?

Exempla. *Hiero. Plat. l. 2. c. 31 de bono ſtat. relig.*

R. Omninò, plurimùm. *Cuno Malburchenſis oppidi Dominus, cùm quadraginta annis in ſaculo vixiſſet ſacularibus planè moribus, religioſam deinde ſecutus diſciplinam, triennio poſt piè defunctus eſt. Quo tempore narravit damon, qui Energumenum obſidebat, ſe & alios ex ſuis ad quindecim millia (tot enim fuiſſe faſſus eſt) in morientis cellam conveniſſe; ſed tamen tantùm abfuiſſe, ut ei nocuerint, ut ne propriùs quidem accedere potuerint, repulſi, ut aiebat, clamoribus validis, quos conjurati illi, (ſic enim Dei hoſtis famulos Dei, eorumque orationes ludibrio appellabat) lectulo aſſiſtentes fundetant. Adjecit etiam magnam querelam, (ex qua ipſa querela religionis vis conſtare nobis poſſit,) de inſigni injuria à Deo ſibi facta; quod cùm Cuno ille annis quadraginta ipſis damonibus, Deo autem triennio tantummodò ſerviiſſet, eũ tamen inferni pœnis ereptum in cœlum evexiſſet.*

I. Eſtne ſanctum & magni meriti exercitium, circa infirmorum viſitationem impenſum?

R. Ita, quemadmodum ipſi Sancti exemplo ſuo nobis demonſtrarunt.

S. Lutgardis præcipuo ſtimulabatur charitatis ardore erga infirmos & agonizantes. Illos frequentiùs viſitabat, & ad veram peccatorum contritionem excitabat, piiſque monitis ad integram & ſeriam confeſſionem diſponebat, &c. l. 2. c. 15. Vit. ejus apud Sur. tom. 3. *Exempla.*

S. Carolus Borromæus à Pio IV. in extremo jam vitæ diſcrimine cõſtitutus pro ſpirituali ſolatio accerſitus, manu crucifixi Domini noſtri ſignum apprehendens, ſic alloquebatur Pontificem: *Modò, ſancte Pater, ad gloriam caleſtem convertenda omnis mens & cogitatio Cuncta noſtra ſpes & fiducia in hoc noſtro Servatore figenda. Hic eſt vita, & reſurrectio noſtra, hic eſt victima ſalutaris in Cruce pro nobis oblata, &c.*

CAPUT XII.

De iis qua circa finem vita hominis accidunt.

LECTIO PRIMA.

DE PRÆPARATIONE ad mortem.

I. Quomodo debet ſe homo Chriſtianus præparare ad mortem?

R. Per maturam & devotam Sacramentorum Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis ſuſceptionem.

Exemplū.

I. Præparabantne ſe Sancti ad mortem per talia media?

Ribad in Floribus ad 16. Nov.

R. S. Edmundus Cantuarienſis Præſul ad extremum vitæ deductus, curavit ſibi afferri Corporis Dominici ſalutare Viaticum; cui, extendens manus, & magnos lacrymarum imbres profundens, loquebatur in hunc modum: *Domine in te credidi, laudes tuas populis annuntiavi, & gloriam tuam in omnibus quæſivi, ſuſcipe hodie in manus tuas ſpiritum meum.* Qui aderant præſentes exiſtimabant hominem delirare, quod Chriſto tanquam in facie loqueretur; verum accepto ſacro Viatico, quietus omnino & tranquillus remanſit, ut crederetur omnis morbi vis abſceſſiſſe; viribus nihilominùs ſenſim deficientibus, Extremæ-Unctionis Sacramento munitus eſt, & piè in Domino obdormivit. Plura Exempla ſuprà.

C. 4 ubi de ſacro Viatico.

Ex Luca Tudenſi Diacono Baron. in Annal. ad an. Domini 1065.

Sereniſſimus Ferdinandus Caſtellæ Rex, qui Catholicè regnum gubernavit, illuceſcente die Nativitatis Filii Dei, ſe artubus deficere proſpiciens, Miſſam cantari petiit, ac percepta Corporis & Sanguinis Chriſti participatione, ad lectum manibus deducitur ſuſtentantium. In craſtinum verò luce adveniente, ſciens quod futurum erat, vocavit ad ſe Epiſcopos & Abbates, quoſcumque rel gioſos viros, ut exitum ſuum confirmarent. Unà cum eis ad Eccleſiam defertur ornatus cultu regio, & corona aurea impoſita capiti. Deinde flexis genibus ad altare ſancti Joannis; & coram Sanctorum corporibus, ſcilicet Iſidori Confeſſoris, & Vincentii Martyris, clara voce ad Dominum dixit: tua eſt poteſtas, tuum eſt regnum, tu es ſuper omnes Reges: tuo imperio omnia regna cæleſtia & terreſtria ſubduntur. Regnum, quod à te dominante accepi, & quamdiu liberæ tuæ voluntati placuit, rexi, ecce reddo tibi: tantùm animam meam de voragine ipſius mundi ereptam, ut ipſam ad te ſuſcipias, deprecor. Et hæc dicens, exuit regalem chlamydem, quâ induebatur corpus, depoſuit & gemmatam coronam, quâ caput ambiebatur, atque cum lacrymis ſolo proſtratus, pro delictorum veniâ Dominum attentiùs exorabat. Tunc ab Epiſcopis acceptâ pœnitentiâ, Extremæ Unctionis Sacramento perunctus, induitur cilicio pro ornamento regali, & aſpergitur cinere pro aureo diademate, cui in tali pœnitentia permanenti, coram prædicto altari, duobus diebus à Deo vivere datur. Sequenti autem die S. Joannis Evangeliſtæ inter manus Pontificum, cælo tradidit ſpiritum. Sicque in ſenectute bona pertexit in pace, anno Redemptoris millesimo ſexageſimo quinto.

I. Receptis jam per infirmum Eccleſiæ Sacramentis, quid ulteriùs circa illum cenſes agendum, ad eum benè diſponendum ad felicem mortem?

Cura circa infirmos à Sacerdotibus Parochialibus adhibenda.

1. Inducerem eum ad expedienda negotia temporalia, ſi quæ reſtant agenda, omni modo & intentione, quibus poteſt, ſanctiſſimis.

2. Perſuaderem ei, ut opera charitatis ſecundùm facultates ſuis hæredibus impetraret, pro animæ ſuæ remedio.

3. Reſtitutionem, & cujuſvis damni, ſi quod proximo intulit, compenſationem indilate faciendam monerem.

4. Injuriarum remiſſionem, & cujuſlibet acceptæ offenſæ ex animo obliterationem.

5. Suggererem, ut domeſticis & ſubditis pacem & concordiam, timorem Dei, miſericordiam erga pauperes commendaret.

6. Præterea conarer ei perfectam reſignationem & indifferentiam inculcare circa illa quæ divina Bonitas diſponet de vita vel morte.

7. Frequentes actus eliciendos curarem contritionis, fidei, ſpei, charitatis, gratiarum actionis, & de qua proximè, perfectæ reſignationis, quales mox ſubjiciemus.

8. Curarem etiam in conſpectu decumbentis infirmi parvum altare conſtruen-

ſtruendum in quo ſignum Crucifixi, & pia al.qua Virginis Deiparæ imago, cum vaſculo aquæ luſtralis ſuperponatur.

9 Providerem ei de viſitatione Eccleſiaſticorum & Religioſorum hominum, qui ſuis temporibus ægroti animum piâ conſolatione recreent; impedirem verò promiſcuam ſæcularium abſque fructu viſitantium turbam, cùm orationi & animi collectioni quibus hoc tempore danda eſt opera, plurimùm conducat quies & ſilentium.

Exemplum. Hujuſce rei præclarum exemplum nobis reliquit S. Auguſtinus, qui dicere nobis inter familiaria colloquia conſueverat (inquit Poſſidius in vita ejus) poſt perceptum Baptiſmum etiam laudatos Chriſtianos & Sacerdotes, abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipſe fecit, ultimâ qua defunctus eſt, ægritudine. Nam ſibi juſſerat Pſalmos Davidicos, qui ſunt de pœnitentia, ſcribi, ipſoſque quaterniones jacens in lecto contra parietem, poſitos diebus ſuæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter ac ubertim flebat. Et ne intentio ejus à quodam impediretur, cavebat. Ante dies fermè decem quàm exiret de corpore, à nobis poſtulavit præſentibus, ne quis ad eum ingrederetur, niſi iis tantùm horis quibus Medici ad inſpiciendum intrarent, vel cùm ei inferretur refectio. Et ita obſervatum ac factum eſt, & omni illo tempore orationi vacabat.

10. Si morbus diutiùs protraheretur, novos atque novos excogitarem ſucceſſivè modos ſpiritualiter infirmum confortandi, modò Litaniis ſacris; modò ſeptem Pſalmis pœnitentialibus; aliàs Legendâ Sanctorum Martyrum; interdum etiam prælecto aliquo puncto Dominicæ Paſſionis; ſubinde orationibus jaculatoriis, ut infrà.

11. Darem operam, ut quacumque ratione convenientiſſimè poſſet, Indulgentiam plenariam lucraretur in extremo.

12. Infirmi ſtatum per Eccleſias & domos religioſas commendarem.

13. Dum adhuc ſenſibus vigeret, curarem ut proteſtationes ederet vivendi & moriendi in vera, orthodoxa & Romana Fide; quicquid acerbum accideret, pro Dei amore leviter ferendi, *Deum æternùm benedicendi*, nullique inimici ſuggeſtioni, aut tentationi conſentiendi.

14. Adhortarer eum quatenùs ſe totum Dei clementiæ committat, dicatque & frequentiùs repetat: *In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis.*

15. Tandem prælegerem preces Ritualis Rom. §. *Ordo commendationis animæ.*

Q. 1. Debentne hæc omnia & ſingula circa quemlibet ægrum à Parochis obſervari?

R. Non; ſed prout res & occaſio ferent, quantumque eorum zelus & prudentia ſuggerent hic & nunc agendum. Attendant verò quòd Rituale Rom juſſu Pauli V. Pont. Maximi editum monet: *Parochus inprimis meminiſſe debet, non poſtremas eſſe ſui muneris partes, ægrotantium curam habere* §. De cura & viſitatione infirmorum. Ut proinde non ſatisfaciant Parochi nonnulli, præſertim ex iis qui ruri agunt, dum ſe munere ſuo plenè & integrè functos putant, ſi infirmis Sacramenta miniſtrarint; nullam eorum deinceps curam aut viſitationem ſuſcipientes.

Orationes jaculatoriæ ab infirmis in ægritudine frequentandæ.

Ac I. Pro *Actu Contritionis* eliciendo.

O Deus meus, doleo ex animo de omnibus peccatis meis; idque maximè quia divinæ tuæ Majeſtati diſplicent.

Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem miſeratio-

Digitized by Google

rationum tuarum dele iniquitatem meam.

Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ.

Domine, hìc ure, hìc ſeca, ut in æternum parcas. *Multò plura peti poſſunt ex Pſalmis Pœnitentialibus.*

2. *Pro Actu Fidei.*

Credo in Deum Patrem omnipotentem, &c.

Credo Domine, quicquid ſancta, Catholica, Apoſtolica, Romana credit Eccleſia. Adjuva Domine incredulitatem meam.

Omnes & quaſcumque hæreſes ab Eccleſia Catholica rejectas, & anathematizatas, ego pariter rejicio, damno, & anathematizo.

3. *Pro Actu Spei.*

In te Domine, ſperavi, non confundar in æternum.

In pace in idipſum dormiam & requieſcam; quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Spero Domine in divina tua miſericordia, & in Sanguine tuo pro me tantâ charitate fuſo, quod me, licet indignum, ſalvum facies.

Spes mea tu Deus in æternum.

Nullus ſperavit in te, & confuſus eſt.

Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.

Tribularer, ſi neſcirem miſericordias tuas Domine; tu dixiſti nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat; qui Chananæam & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam.

Deus meus miſericordia mea.

4. *Pro Actu Charitatis.*

Domine Deus meus toto corde, totâ mente, totis viribus, & totâ fortitudine animæ meæ amo te, & ſemper volo te amare ſuper omnia; &, ſi fieri poſſet, optarem ac vellem te poſſe amare illo perfectiſſimo amore, quo tu teipſum amas & quo te ſancta Domini noſtri JESU Chriſti amat humanitas; ſacratiſſima Virgo Maria, tota cœleſtis Curia, & univerſa Eccleſia Catholica.

Diligam te Domine fortitudo mea.

O quàm ſerò te amavi pulchritudo antiqua & nova, quàm ſerò te amavi! Væ tempori illi quando te non amavi.

Abrenuncio tibi ſatana, cruenta beſtia, & adhærere tibi volo, Domine JESU Chriſte.

5. *Pro Actu laudis, & gratiarum actionis.*

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Laudate Dominum de cælis, &c.

Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper & in ſæcula ſæculorum.

Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus.

Miſericordias Domini in æternum cantabo.

Quid

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem mortis de manu Domini accipiam, & nomen Domini invocabo.

Plura paſſim occurrunt in Pſalmis.

6. Pro Actu reſignationis.

In manibus tuis Domine JESU, ſortes meæ & tempora mea. Moriar Domine, non quando velim, ſed quando voles. Fiat voluntas tua.

Mortem merui, quia te offendi, paratus igitur ſum mori, quia ſic beneplacitum eſt ante te.

Tu Pater miſericordiarum, benedic coronæ vitæ meæ.

Sive vivimus, Deo vivimus; ſive morimur, Deo morimur; ſive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.

Infirmo Crucifixi imaginem in manibus tenente, ſuggerantur quæ ſequuntur.

ADoro te JESU Chriſte, & benedico tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum.

Salvator mundi, ſalva me, qui per Crucem & pretioſum Sanguinem tuum redemiſti me.

Trahe me ad te, ô bone JESU, qui dixiſti: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.

O bone JESU, totum me tibi committo, ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Ne perdat me iniquitas mea, quem creavit omnipotens bonitas tua.

Oſtende mihi faciem tuam, ô ſpecioſe præ filiis hominum, & ſalvus ero.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ; Vicit Leo de tribu Juda radix David.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum, titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis.

Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum.

Tuam Crucem adoramus Domine, tuam ſanctam recolimus Paſſionem. Qui paſſus es pro nobis Domine JESU, miſerere nobis.

Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.

Et ego, Domine, volo eſſe obediens uſque ad mortem.

Domine JESU Chriſte Fili Dei vivi, pone paſſionem, crucem & mortem tuam inter judicium tuum & animam meam.

Alia item Oratiuncula morituro utiliter ſuggerenda ex Sacerdotis prudentia.

ILlumina, manſuetiſſime JESU, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

O mi amantiſſime JESU, ob honorem & virtutem tuæ benedictæ Paſſionis, jube me aſcribi in numerum electorum tuorum.

JESU Fili David, miſerere nobis.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Ad SS. Trinitatem.

Adoro & benedico te millies cum omnibus Sanctis tuis, ô Beata Trinitas unus Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Ad Deum Patrem.

O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæſtimabilis dignatio charitatis! Ut

Digitized by Google

Ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti.

Ad Deum Filium.

O bone JESU, eſto mihi JESUS & Salvator. Veni Domine JESU, veni amor meus, ſpes mea, auxiliator meus.

Ad Deum Spiritum Sanctum.

Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Ad beatiſſimam Virginem Mariam.

Ave Maria Filia Dei Patris.
Ave Maria Mater Dei Filii.
Ave Maria Sponſa Spiritus ſancti.
Ave Maria totius templum Trinitatis.

Ora pro nobis peccatoribus, nunc, &c.

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.

Eia bona Mater & Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

Sancta Maria Mater Dei, ora pro me peccatore nunc & in hora mortis meæ. Amen.

Sub tuum præſidium confugimus, ſancta Dei Genetrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta.

Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, &c.

Ad S. Michaëlem.

Sancte Michaël Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Ad Angelum Cuſtodem.

Angele ſancte Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſupernâ, hodie illumina, cuſtodi, rege, guberna; ut poſſim tecum cæleſtia ſcandere regna.

Ad omnes Sanctos.

Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro noſtra, omniumque ſalute.

Quinque Puncta ante mortem utiliſſimè recitanda.

PRimum. Deteſtor & abominor omnia & ſingula peccata mea, & omnium aliorum commiſſa ab initio mundi uſque ad hanc horam, & deinceps uſque in finem mundi committenda, & ſi poſſem, impedirem per gratiam Dei, quam ſupplex invoco.

Secundum. Laudo & approbo omnia bona opera facta à principio mundi uſque in hanc horam, & deinceps uſque in finem mundi facienda, &, ſi poſſem, ea multiplicarem per gratiam tuam, quam ſupplex invoco.

Tertium. Quoad vixero, intendo omnia deinceps facere, dicere & cogitare ad majorem Dei gloriam, cum omnibus illis bonis intentionibus, quas Sancti unquam habuerunt, vel habere poſſunt; ſi moriar, in Domino moriar; & pro ejus gloria libenter mori deſidero.

Quartum. Ignoſco ex toto corde omnibus inimicis meis, & volentibus mihi mala; & ex toto corde oro, ut Dominus Deus eis benefaciat, & retribuat vitam æternam.

Quintum. Utinam omnes homines ſalvare poſſem: moriendo pro ſingulis, libenter id facerem per gratiam Dei quam ſupplex invoco, & ſine qua nihil poſſum.

LEC-

Digitized by Google

LECTIO II.

De Morte.

1. QUid eſt mors?

R. Nihil aliud quàm ſeparatio ipſius animæ à corpore.

I. Omneſne moriemur, nemine excepto?

Heb. 9. R. Omnes omninò; *Statutum eſt enim omnibus hominibus ſemel mori.* Imò præfixit Deus, & in libro ſuæ providentiæ ſcripſit annum, menſem, diem, horam, momentum mortis cujuslibet.

I. Quandonam accidet unicuique noſtrûm hora mortis?

R. Jam dixi, Deo illam eſſe notiſſimam: at nobis eſt incertiſſima; Unde monet Matt. 24. Chriſtus in Evangelio: *Vigilate ergò, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Et: *Si ſciret Pater-familias qua* Luc. 12. *hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam.*

I. Quoties moriemur?

R. Semel tantùm.

I. Conſultum igitur foret ad unicam mortem, ejuſque incertiſſimam horam omni tempore eſſe paratum?

R. Optimè dicis. Nam à mala morte corripi, malum eſt irremediabile, error- Eccli. 11. que inextricabilis *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*

I. Quid nobis agendum eſt, ut ad felicem mortem præparemur?

Quid agendum ut ad mortem præparemur. R. Benè vivendum eſt; nam bona vita jugis eſt ad mortem præparatio, frequentanda Sacramenta; frequenter diſcutienda conſcientia, & digni pœnitentiæ fructus faciendi. His adde quod monet Siracides: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non* Eccli. 7. *peccabis.* Et ſanctus Baſilius? *Semper ante oculos tuos verſetur ultimus dies. Cùm diluculo ſurrexeris, ad veſperam ambigas te pervenire; & cùm in lectulum ad quieſcendum membra tua poſueris, noli confidere de lucis adventu, ut faciliùs refrænare te poſſis ab omnibus vitiis.*

Ita fecit S. Joannes Eleemoſynarius, qui, ut noviſſimorum ſemper recordare- *Exemplum.* tur, ſepulchrum ſibi extrui, ſed imperfectum relinqui curavit, ac monitorem ſtatuit, qui diebus Feſtis ſibi coram omnibus diceret: *Monumentum tuum in hodiernum diem eſt imperfectum, Domine, jube ergò ut id finem accipiat: incertum enim eſt qua hora fur veniet,* nempè mors. Hæc cogitatio eum ad tantas eleemoſynas exſtimulavit. Ita Leontius in ejus vita. Sapienter ſanè S. Job: *Cunctis diebus, ait quibus nunc mi-* Job. 14. *lito, expecto donec veniet immutatio mea.*

Et tamen, proh dolor!

Sic vivunt homines tamquam mors nulla ſequatur;
Et velut infernus fabula vana foret.

Ut cecinit, imò veriùs, planxit S. Bruno Carthuſiæ Fundator.

I. Quid eſt, quod morti vicinos maximè angit?

R. Dici non poteſt, quantum eos affligit præteritarum voluptatum in venere, in gula, in honorum ambitu recordatio, & temporis vanè impenſi tranſactio.

In extremo agone abſyntio amariùs *In mortis articulo angorem præcipuè afferet præterita vitæ vanæ tranſactio.* tibi accidet, quod omni melle dulciùs in vita ſapiebat. Ipſa mortis hora facit ut longè aliter de rebus judicemus, quàm modò: Tunc enim illas, ut reverà in ſe ſunt, ſuis momentis penſabimus, nunc ut in apparentia & hominum falſa & ſtolida opione, æſtimamus. Quàm ſera, heu! ſunt vota dicentis:

O mi præteritos referat ſi Iupiter annos!

I. Sapiens igitur foret, meo judicio, qui nullam benè operandi occaſionem ſibi dum vivit, præterlabi ſineret.

R. Ipſiſſima eſt Spiritûs ſancti ſententia: *Non defrauderis à die bono, & parti-* Eccli. 14. *cula boni doni non te prætereat* q.d. Nulla te prætereat præſtandæ bonæ actionis occaſio, nullam exercendæ virtutis occa-

ſionem omitte. Eam enim diei partem auſpicatam & felicem exiſtimat liberalis quam donando & benefaciendo exegit.

Et à præſentibus ſeparat.

I. Quid ultrà affliget hominem in iſto articulo conſtitutum?

R. Separari & avelli à rebus præſentibus, uti honoribus, opibus, voluptatibus, maximè verò à chariſſima ſui parte, corpore; quod hactenus tam arcto vinculo animæ fuerat unitum. Triſtiſſimum erit hoc extremum vale, quod parentibus, amicis, & toti mundo in perpetuum dicetur; & quantò his majori affectu inhæſerit homo, tantò erit acerbior ſeparatio.

I. Quid ad hoc remedii?

R. Nullum ſanè meliùs, quàm cor ſuum in hac vita abſtrahere ab inordinato creaturarum affectu, & ſenſim à mundo revellere. Nam reverà formidinis & horroris plena erit hora iſta, in qua coram Chriſti tribunali comparere oportebit, pro reddenda vitæ ratione.

Periculum auget ampliùs quàm dici poteſt, definitiva ſententia, quæ illic omni appellatione remotâ, executioni demandabitur. Negotium anceps, & anxium valde. Conſcii enim nobis erimus peccatorum commiſſorum, & an remiſſa fuerint, nos latebit. Unde ſuper nos irruet formido & pavor terribilis; Cacodæmonis aſtu, nimium in modum auctus; qui in extremo hoc agone omnem movet lapidem, ut tremebundam & palpitantem animam in deſperationis barathrum, ex conſideratione vitæ malè actæ, & ſtricti Dei judicii protrahat.

I. Timueruntne etiam Sancti judicium hoc particulare, quod unicuique hominum poſt mortem accidit?

Exempla.

R. Ita S. Hubertus Leodienſis Epiſcopus ad extrema vitæ deductus, poſt varias ſalutis monitiones, quas ad domeſticos habuit, adjecit: mihi, inquit, non mediocris inſiſtit angor, reminiſcenti miniſterii mihi injuncti, quanta debeat eſſe perfectio; & è contra quàm ſit contemptibilis vitæ meæ inofficioſa correctio. Ecce Judicis mei jam jamque conſidero à nuptiis reditum, cum tamen mihi deſint lampades repletæ oleo, bonorum operum perfectione, charitatiſque luce irradiatæ, quibus ejus terribili atque coruſcanti dignè valeam occurrere adventui. En rationem poſiturus de talentis redit, mihique timeo dici quod ſervus negligens audivit: *redde rationem villicationis tuæ.* Itemque: *Serve male & piger, oportuit ergò te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura. Gregis mei te poſui Paſtorem, exercituſque eccleſiaſtici ducem: lactis eorum ubertate famem, lanarumque tegmine frigoris conſuevisti repellere algorem, præſentes ergò neceſſe eſt eorum ſalvationem, quorum te propoſui Præſulem.* Matt. 25.

In vita ejus apud Sur 3. Nov.

Arſenius tanto terrore correptus fuit, ut diſcipuli teſtes ſanctitatis ejus dicerent: & tu Pater trepidas? At ille, non eſt novus hic timor; ô filii, quamdiu vixi, hunc diem timui. De ſancto Hilarione notum exemplum eſt in Breviario Romano ad 21 Octob.

Ex Metaph. Sur. Iulii 16.

I. Quid accidit homini à morte?

R. Siſtitur quamprimùm anima Chriſto Judici, ut *referat quod geſſit in corpore, ſive bonum ſive malum.*

Iudicium particulare.

I. Quandonam id fit?

R. Quamprimùm, inquam, & ex ipſo momento quo deſinit anima informare corpus.

I. Quo in loco?

R. Locus judicii particularis eſt ubicumque mors hominem corripit, ſive in terra, ſive in mari, ſive in lecto, ſive in campo, &c.

I. Quæ eſt iſtius judicii forma, quæ ſeries?

R. Chriſtus Dominus ibi præſidet ut Judex; accuſatores comparent dæmones conjurati hominum hoſtes; ipſamet conſcientia, quæ plurimùm urgebit, & evidentiſſimum teſtimonium proloquetur; Angelus etiam cuſtos accuſabit, & exprobra-

Digitized by Google

probrabit duritiem cervicis, quæ ad ipſius ſana conſilia & ſalutares inſpirationes flecti non potuit.

I. Quænam in hoc judicio diſcutientur?

R. Cogitationes, verba, opera, omiſſiones, negligentiæ, ingratitudines, circa beneficia generalia, & particularia; opera etiam bona minùs rectè facta.

I. Quis erit finis hujus particularis judicii?

R. Concludetur ſententia & definitione Judicis, qui electos vitæ æternæ adjudicabit; reprobos verò ſuppliciis æternis.

P. 1. c. 3. l. 9. I. Heu! quàm funeſtus & tragicus erit reprobis hujus vitæ epilogus!

Luc. 19. Exemplum. R. Rectè dicis Nihil miſerabilius morte illius divitis, *qui*, ut ſcribit S. Lucas, *induebatur quotidie purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè & tandem mortuus eſt, & ſepultus in inferno.*

I. Qualiter agitur cum corpore poſt mortem?

R. Privatur illud omni ſenſu, & membrorum motu, nihil videt ampliùs, nihil audit, nihil cognoſcit de univerſis quæ reliquit quaſi non eſſent. Illicò contrahit pallorem, deformitatem, fœtorem, & omnimodam corruptionem. Derelinquitur ab omnibus, horrent etiam amici & propinqui deforme cadaver deinceps videre Involvitur anguſtâ ſindone, in foveam demittitur, terrâ obtegitur, & à vermibus corroditur. Hæc paucis, ſed efficaciſſimis verbis notavit Job: *Infernus domus mea eſt: & in tenebris ſtravi lectulum meum. Putredini dixi, pater meus, mater mea, ſoror mea vermibus.* Nimirum, quod planxit Poëta.

c. 17. *Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtus & horror.*
Sic in non hominem, vertitur omnis homo.

I. Magnus ergo, quemadmodum ex præmiſſis colligo, nobis concipiendus eſt mortis metus.

R. S. Auguſtinus docet nos qualiter mortem timere debeamus: *Si mortem, inquit, timetis, quare non cavetis? quia timetis? ventura eſt. Timeam, an non timeam, venire debet: ſerò an citò, ventura eſt: Si timeas, non efficies ut non ſit, quod times. Illud potiùs time, quia ſi nolis, non erit.*

Qualiter mortem timere oporteat.

Quid? peccare time, quia ſi amaveris peccata, in aliam mortem irrues, quo poſſes non venire, ſi non amares peccata.

De diſciplina c. 2. Vide Cypr. de mortalitate.

I. Quid intelligit hic S. Auguſtinus per *aliam mortem*?

R. Intelligit *mortem ſecundam*. Ita vocat ſacra Scriptura gehennam ignis, ſive infernum. De quo lubet ſequentem lectionem inſtituere, ut poſſit Catechiſta ex hoc Theſauro quatuor hominis noviſſima depromere; hactenus enim de morte; de judicio & cæleſti gloria in 1. parte, *ſuper ſymbolo*, ſequitur nunc.

LECTIO III.

De Inferno.

I. Quid habes de Inferno?

R. Novem mihi propoſui capita, ſeu novem tormenta, quæ damnati in inferno ſine fine patientur. Et ſunt iſta, quæ ſequuntur:

Tenebræ, Fletus, Fames, Fœtor, ignis, Vermis conſcientiæ, Locus & ſocietas, Deſperatio, Æternitas. 1. Inferni tormentum.

I. Quid ſunt iſtæ tenebræ in inferno?

R. Tenebræ inferorum longiſſima nox eſt, quam nullus unquam ſubſequitur dies; horribiliſſima nox eſt, quæ tenebris involvitur æternis. Job. 3.

Noctem illorum tenebroſus turbo poſſidet: non computatur in diebus anni, nec numeratur in menſibus. Obſcurant eam tenebræ & umbra mortis, occupat eam caligo, & involvitur amaritudine.

Heu! quæ denſiores tenebræ, quàm damnatos non videre Conditorem ſuum, ſed nec unquam in omnem æternitatem eos videre illum poſſe, ad quem tamen videndum conditi ſunt.

Digitized by Google

Nota ,. tenebræ apud inferos erunt duplices,illæ corporis & exteriores : hæ animi & interiores : Illæ corporis tenebras Ægyptias horribiles , craſſiſſimas, manu palpandas longè ſuperant. Quod Sapientia de tenebris Ægyptiis aſſeruit, idem & multò plura de inferni tenebris dicendum.

Sap. 17.

De hac tenebrarum pœnâ Chryſoſtomus : *Plorabimus omnes triſtiſſimè, inquit, flammâ nobis vehementiùs incumbente. Neminem videbimus , præter condemnatos nobiſcum , & immanem ſolitudinem. Quis poteſt verbis conſequi , quàm formidabiles pavores à tenebris exorientur, quæ in animis noſtris extabunt ? Quemadmodum ignis illic non habet vim reſolvendi , ſic nec lucere poteſt,&c.*

Tom. 5. Parœneſi priore ad Theodorum lapſum.

At tenebræ interiores illæ longè horribiliores ſunt, quas Theologi *pœnam damni*, ſeu divinæ viſionis privationem vocant. Hoc omninò ſuppliciorum ſummum eſt,quo Deus hominem punire poteſt. Nam uti videre Deum, ipſiſſima Beatitudo eſt , & ſumma Beatitudo eſt, & ſumma Beatorum felicitas ; ita,Deum videre non poſſe maxima damnatorum pœna eſt ; *In æternum non videbunt lumen.*

Pœna damni.

Vide Chryſ. hom. 24. in Matt. Pſ. 48.

2. Inferni tormentum.

I. Quàm triſte id erit ? Sed quid de fletu?

R. Tenebræ oculorum , fletus aurium tormentum eſt. Chriſtus Dominus damnatorum lachrymas in Evangelio ſæpiùs ingeſſit , ne memoriâ elaberetur maximi doloris teſtimonium. Hinc illæ voces crebriùs repetitæ: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium,*

Matt. 13. & alibi ſæpè.

Iſtud Deus ſapientiſſimè decrevit, ut quod Beatos omnes mirificè oblectabit, ejus contrarium damnatos incredibiliter excruciet. Cœleſtes modulos , ac Beatorum muſicam commendant ſæpiùs ſacræ paginæ, quippe inter omnes etiam exteriores ſenſus , ſua quiſque voluptate perfundetur; ſic apud inferos ſingulariſſimum erit tormentum perpetim audire tot centenorum millium in perpetuas æternitates occinentium luctuoſiſſimum illud. Væ, Væ, Væ.

Narrat Petrus Reginaldus homini religioſiſſimo dum preces funderet allapſam ad aures vocem lugubrem. Quæſiit ille quis eſſet, quid ploraret, quid peteret ? Ad quem vox iterum , unus è damnatis ſum. Quid lugubre ploras? ajebat alter ; Cui denuò vox illa: Ego, damnatique cæteri nihil adeò acerbè deploramus,quàm vitæ tempus inter flagitia perditum. Eheu ! vel horulâ unicâ impetrare licuiſſet , quod omnis deinceps æternitas negabit.

Exemplũ.

Quis dabit capiti meo aquam , inquit Bernardus, *& oculis meis fontem lachrymarum,ut præveniam fletibus fletum?*

Serm. 16. in Cant.

Narrat Ioannes Climachus in obeundis Monaſteriis hominem religioſum à ſe viſum, qui continuis ferè lachrymis madebat Hunc ipſum placuit ſuper ea re interrogare. Mi Frater, ajebat Climachus, quid obſecro cauſæ eſt , cur adeò uberes tibi ſunt oculi , ut penè nunquam non aquam ſtillent ? Ille diutiùs cunctatus,id demum reſponſi dedit : Ego, Pater, perſuaſiſſimus ſum non Cœnobitis ,ſed Chriſto & Apoſtolis me ſervire , & quia ad ignem & focum mihi hærendum, (Cœnobii coquus erat) aſſiduis cogitationibus ignes illos æternos volvo , hoc lachrymas ciet.

Ioan. Clim. grad 4. de obedient. poſt init.

Miſerant olim è monte Nitria religioſiſſimi viri complures , junctiſque precibus Macarium rogarunt , ingenti plurium deſiderio id daret , & in Nitriam veniret , alioquin ſciret, ſubitò plurimorum adventu ſe obruendum , ſi venire cunctaretur. Venit Macarius, hic omnes primùm intuitu tanti viri oculos paſcere , dein & aures ſatiare ; itaque omnes una Macarium rogant, ut adderet hanc gratiam , & audiendi avidiſſimos ad virtutem hortaretur. Expectabantur grandia; at Macarius non verbis,ſed lachrymis orſus eſt dicere : Ploremus, inquit, & lachrymas, ô Fratres,oculi noſtri

promo-

producant, antequam hinc eò migremus, ubi lacrymæ comburunt corpora. Hoc orationis exordium, hoc narratio & confirmatio, hoc epilogus fuit: quæ quidem brevis, ſed ſeria cohortatio; ſic omnium animos perculit, ut cuncti lacrymis perfuſi in terram procumberent, dicerentque Pater, ora pro nobis.

Luc. 6. Chriſtus Dominus, B. Luca teſte, iter faciebat per civitates & caſtella prædicans & evangelizans regnum Dei. Et hæc dicens, clamabat: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quid obſecro clamabat? *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.*

In opuſc. Vide materiam lugendi & flendi: Vide tres libros Card. Bellarm. de gemitu columbæ.

I. Quid de fame & ſiti damnatorum?

3. Inferni tormentũ. R. Famem patientur ut canes. Ille quidem miſerrimus eſt, qui cùm cupit edere quod edat non habet; ſed ille longè miſerior eſt, qui ſemper cupit edere, quem furibunda ſtimulat fames, ſed quod edat, nec habet, nec habebit unquam. Atque quod amplius, quem non tantùm fames extrema, ſed & ſitis vehementiſſima cruciat. Talis eſt fames, ſitiſque damnatorum.

Luc. 6. Minatur Chriſtus ſeriò: *Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis:* ea vos fames opprimet, quæ non unius diei, aut menſis, aut anni ſit; nec cui plurima, ſed cui deſint omnia. Nemo miculam, nemo dabit guttulam, nec dare poterit.

Luc. 16. Exemplũ. Dives Epulo linguam inflammatam exerens: *Crucior*, exclamat, *in hac flammâ*, &c. vel digituli ſtillam in refrigerium peto. En modeſtas preces. Non aquæ labrum, non vini dolium poſtulat. Quod rerum viliſſimum eſt, vel guttulam aquæ rogat, nec tamen impetrat. Eò inopiæ devenit opulentus hic Helluo, ut non calicem criſtallinum, ſed digiti extremum; non generoſum Creticum, ſed aquæ minimum; non nobilem pincernam, ſed Lazarum mendicum flagitaret. Sed quid agis, ô purpurate. Lazarus ſcabioſas manus habet; horrebis utique ab illius digitis ſtillantem aquam. Ah, vel guttula, vel Lazari manu detur, & inſtar roſati nobiliſſimi excipiam. Nihil tamen impetrat, nemo audit; & aures, & januæ ſunt clauſæ. Sed cur Hebræo huic Epuloni in extremâ fame, ſitique, cur obſecro, negata guttula? Dixiſſet hoſpitalitatis amantiſſimus Abraham: detur illi guttula non juvabitur: à rore tantillo non miteſcet tam vehemens flamma.

Sed longè alia ratio vivendi in orbe altero. Nam uti cælum gaudia & voluptates pleniſſimas & refertiſſimas propinat, ſine ullâ vel minimâ mœroris mixturâ; ita infernus tormenta ingerit ſine ullo, vel minimo lenimento, ſine ſolatio, vel laxamento ullo. Hinc veriſſimè Sanctus Auguſtinus: *Nulla major aut pejor eſt mors, quàm ubi non moritur mors;* **De civit. l. 6. c. 12.** ita nulla ſævior lethaliorque fames ac ſitis eſt, quàm ubi fame, ſitique mors inferri non poteſt.

I. Quod eſt quartum inferni tormentum?

R. Fœtor. *Pars illorum erit in ſtagno ardente igne & ſulphure.* ***4. Inferni tormentũ.***

I. Unde iſte fœtor in inferno?

R. A variis cauſis. Prima: Poſt ſupremi judicii diem omnia terræ purgamenta in illam inferorum ſentinam defluent; eâ enim ratione orbis purgabitur. **Apoc. 21.** Quæ eluvies! quod cœnum! quæ cloaca!

Altera fœtoris cauſa, ſulphur; de quo Sanctus Joannes ſuprà proximè: *Pars illorum*, inquit, *erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Nota, *in ſtagno*, quòd immobiles & fœtidas ait aquas, non decreſcit, non emittitur, non ſiccatur. Poſt mille annos hoc ſtagnum ſibi ſimillimum erit; poſt mille

myriadas ſeu milliones annorum, ſtagnum illud nec unâ quidem guttulâ imminuiſſe ſentietur. Hoc eſt ſtagnum in quo mergentur, qui priùs ſuum ipſi animum cupiditatibus & libidinibus merſerunt. His demum tormentis, ſulphureo hoc nataculo, his ſudatoriis lavabuntur. Hujus rei figuram habes Gen. 19. ubi libidinoſa incendia non aliter extinguuntur, quàm pluviâ ignis & ſulphuris.

Tertia illius fœtoris cauſa, ſunt ipſa damnatorum corpora, omni cadavere

Iſai. 34. fœtidiora. Prædixit Iſaias: *De cadaveribus eorum aſcendet fœtor.* Unius fœtore omnes, & unus omnium fœtore torquebitur. Caro vermibus ſcatens putrida in prunis ô quale thus! In Luciferi regno innumera damnatorum cadavera, velut putridæ carnes, inter prunas aſſiduè jacebunt.

Quarta fœtoris cauſa, dæmones ipſi, qui licet ſpiritus ſint, hanc tamen corporum graveolentiam ſecum trahunt.

Exemplũ. Narrat Severus Sulpitius, S. Martino Cacodæmonem diademate ac purpurâ renitentem ſe exhibuiſſe, & hæc inſuper dixiſſe: Scias Martine, quâ ratione me venereris, Ego ſum Chriſtus.

At Martinus, ne mendaciorum Patri crederet, monitus ab alto: non hoc ſchemate, inquit, venturum ſe Dominus meus promiſit, Chriſtum cruentum, ſpinis redimitum, in trabe pendentem novi; peregrinum hunc regem non novi. Vix ea dixit, & perſonatus hic Chriſtus evanuit.

Et, ut ſciretur, quis hic ille Rex, & de quo regno fuiſſet, cubiculum tam horribili fœtore implevit, ut Martinus ſe apud inferos habitare crederet; & ſecum ipſe ratiocinatus diceret: ſi vel diabolorum unicus ſic fœteat, quis, oro, tam diabolorum, quam damnatorum hominum fœtor erit.

I. Bone Deus! nauſeam cordi meo vehementem ingerit, vel ſola iſtius rei cogitatio; tranſeamus, ſi placet, ad quintum tormentum.

R. Quintum inferni ſupplicium eſt ignis. 5. Inferni tormentũ.

I. Quid, eſtne igitur ignis in inferno?

R. Ita, verus ignis; vera combuſtio: non metaphoræ hîc, non ſolæ ſunt apprehenſiones Calvinianæ. De vero igne ambigere Catholicâ religione prohibemur, ut hoc altiùs animis hominum infigeret Chriſtus Dominus, Marco teſte, perorans ad populum. *Bonum eſt tibi*, aiebat, *debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Non piguit, inquam, hæc eadem uno loco ter dicere, nam paulò poſt repetens idipſum: *Bonum eſt tibi*, ait, *claudum introire in vitam æternam quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur. & ignis non extinguitur.* In eâdem omninò Concione, dictum hoc intercalare, tertiùm ingeminans. *Bonum eſt tibi*, ait, *luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Marc. 9.

Iſtius ignis infernalis plena eſt omnis Scriptura. Lege ſententiam, quam ſupremus Judex vivorum & mortuorum contra reprobos pronunciabit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.* Et ne quis putaret ignem quidem eſſe æternum, ſed non æternùm ibi comburendos reprobos, addit Evangeliſta in fine hujus Capitis: *Et ibunt hi*, (reprobi) *in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Vide S Gregor. l 4 Dial. c. 29.

Jerem. 7. Iſai. 30. & 66. Pſ. 159. Matt. 3. 13 & 25. Marc. 9. Luc. 3. Joan. 15. Apoc. 19. 20 21.

I. Qui fieri poteſt, ut tartareus ignis ſempiterno ſupplicio damnatorum corpora depaſcat, & in igne animam non a-

amp-

mittant, & ſine detrimento ardeant, & ſine interitu doleant?

L. 21. de civit. c. 20. R. S. Auguſtinus reſpondet, quòd *veris, ſed miris modis.* Quis tot ſæculis Æthneos ignes nutrivit? Quis paleæ dedit vel tam frigidam vim, ut obrutas nives ſervet; vel tam fervidam, ut poma immatura maturet, & contra gelu tueatur? Jam verò, quàm mirum eſt, quod cùm calx extinguitur, tunc accenditur? Cur itaque facere non poſſit Deus, ut & reſurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum, in cælo, in terrâ, in aëre, in aquis, innumerabilibus miraculis plenum, cùm ſit omnibus, quibus plenus eſt, procul dubio majus & excellentius, etiam ipſe mundus miraculum? Quod igitur de æterno ſupplicio damnatorum per ſuum Prophetam Deus prædixit, fiet, omninò fiet. Iſai. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Pſ. 118. Ita mandavit Deus, ita fiet omninò, *quoniam omnia ſerviunt ei*, omnia, omnia.

I. Eſt igitur gehennæ ignis admodùm pertimeſcendus?

R. Planè; hoc prædicabat ipſe Salvator Matt. 10. Luc. 12. noſter: *Timete eum qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete.*

I. Fuitne quibuſdam ad virtutum ſtimulus tartarei ignis conſideratio?

S. Greg. l. 4. Dial. c. 36. Exempla. R. Ita. Quidam Illyricianus Monachus, qui in hac urbe in Monaſterio mecum vivebat (inquit S. Gregor.) mihi narrare conſueverat, quia quodam tempore cùm adhuc in Eremo moraretur, agnoverit quòd Petrus quidam Monachus ex regione ortus Hiberiæ, qui ei in loco vaſtæ ſolitudinis, cui Laura nomen eſt, inhærebat, ſicut ipſo narrante didicerat, priuſquam Eremum peteret, moleſtiâ corporis interveniente defunctus eſt, ſed protinus corpori reſtitutus, inferni ſe ſupplicia vidiſſe teſtabatur. Qui etiam quoſdam hujus ſæculi potentes ſuſpenſos in iſtis flammis vidiſſe ſe narrabat. Qui cùm jam ductus eſſet, ut in illas & ipſe mergeretur, ſubitò Angelum coruſci habitus apparuiſſe fatebatur, qui eum in ignem mergi prohiberet: qui etiam dixit: Regredere, & qualiter tibi poſthac vivendum ſit, cautiſſimè attende. Poſt quam vocem recaleſcentibus membris ab æternæ mortis ſomno evigilans recepit, cuncta quæ circa illum fuerant geſta, narravit: tantiſque ſe poſtmodum jejuniis, vigiliſque conſtrinxit, ut eum inferni vidiſſe & pertimuiſſe tormenta, etiamſi taceret lingua, converſatio loqueretur.

Duodecim Anachoretæ convenientes In vit. PP. l. 7. c. 44. in unum dixerunt quiſque ſuam meditationem & ſtimulum quotidianum ad virtutem. Tandem duodecimus auditis undecim, dixit: vos eſtis terreni Angeli & cæleſtes homines. Ego verò his me indignum judicans, in infernum adjudicavi meipſum dicens: Eſto cum his, quibus dignus es: iſtis poſt modicum annumeraberis. Video ergo ibi pares gemitus, & inceſſabiles lacrymas, quæ à nullo referri queunt. Aſpicio quoſdam ſtridentes dentibus, & ſalientes toto corpore, & trementes à capite uſque ad pedes. Et, jactans me ſuper terram, & amplectens cinerem, deprecor Deum nunquam caſuum illorum experimenta accipere. Video & mare ignis bullientis immenſum & circumſtantes & mugientes, ut putent aliqui uſque ad cælos attingere flammam ignis, & in tremendo illo mari innumerabiles homines dejectos: & unâ voce clamantes & ululantes ſimul, quales nemo ſuper terram ululatus & voces unquam audivit: miſericordiâ Dei ſe avertente ab illis propter injuſtitias eorum. Et tunc lamentor hominum genus quod audeat loqui, vel cuilibet attendere, tantis repoſitis mundo malis: & in his teneo mentem meam, luctum meditans, indignum me cælo & terrâ judicans, reputanſque quod ſcriptum eſt,

facta

Pſ.41. *facta ſunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*

Ib.l.5.c.7. de Patientia. Alius quidam inſignis Abbas in Eremo rigidè vivens, rogatus; Quomodò ſuſtines laborem hunc? reſpondit: Totus labor temporis mei quem ſuſtineo, non eſt idoneus comparari ad unum diem tormentorum, quæ peccatoribus in futuro ſæculo præparantur.

L.3. de vita contempl. Verè Sanctus Chryſoſtomus: *In ignis fluvium atque pelagus intrudentur, pelagus impertranſibile, atque magnitudine acerbiſſimum, in quo ignei fluctus inſtar montium erigentur. Ignei, dico non hujus ignis, ſed ignis certè multò quàm hic horribilioris; cujus flamma maximam conficit abyſſum; ita ut undique ignis immaniſſima ſimiles feræ tranſcurrere videatur.* Et paulò poſt. *Nam ſi acerrimos quos iſte ignis & hæc flamma dolores infert oratione aſſequi non poſſumus, quid de illo dicemus? præſertim cùm hîc uno temporis momento in ignem poſitus homo expiret: ibi autem crematur, & dolet, ſed nequaquam, quod crematur, conſumitur.*

Et Sanctus Proſper: *Continuus*, inquit, *gemitus, cruciatus æternus, dolor ſummus, pœnalis ſenſus torquent animas, neque extorquent, puniunt corpora, neque finiunt; ſibi deputatos ignis non extinguit, ut permanente ſentiendi viſû, pœna permaneat: & ad dolendum magis, quàm ad vivendum, æternis doloribus compeditos habeat, quos in flammis vivacibus immortalitas ſecunda mortis occidat.*

LECTIO IV.

Proſecutio ejuſdem Materiæ.

I. Quod eſt ſextum inferni ſupplicium?

R. *Vermis conſcientiæ* de quo jam ante dictum eſt, quòd *vermis eorum non moritur.* (margin: Inferni tormentū.)

In Pſ.45. Rectè Sanctus Auguſtinus dixit: *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major tribulatio, quam conſcientia delictorum. Seipſum quò fugiturus eſt homo? quocumque fugerit, ſe talem trahit poſt ſe, & quocumque talem traxerit ſe, cruciat ſe. Ipſe eſt pœna ſua quem torquet conſcientia ſua.* Et ratio eſt evidens: cùm undique omnia ſunt adverſa, cùm cælum & terra infeſtant, etiamnum ſupereſt ſuffugium ad Deum; &, ſi nemo ſoletur, ſatis ſolatiorum eſt Deus. Sed ſi conſcientia ſit inquinata, nihil uſpiam, nec in rebus conditis, nec in Conditore, ſolatii eſt reperire; omnia acerba, fellea omnia. Et quo profugias? ad Deum? hoſtis eſt. Ad conſcientiam? carnifex eſt. Ad cœlites? offenſi ſunt. Ad ſocios? augebunt cruciatus: Ad delitias & voluptates? conſcientiam magis coinquinabunt. Verè, verè non eſt pœna gravior pravâ conſcientiâ. At dum vivimus hæc conſcientiæ carnificina ſuas habet ferias. Subinde hos oblatrantis conſcientiæ morſus nonnihil delinimus, nunc legendo, nunc laborando; modò hilariùs commeſſando, modò huc & illuc commigrando, & ſaltem dormiendo hos languares fallimus: At verò in regno diaboli nulla quietis intervalla, non ſomnus, non quies, nulla lectio, nullæ commeſſationes, conſolatio nulla; dies noctesque, conſcientiæ vipera laniatum undique pectus perrodet. *Vermis eorum non morietur.*

(margin: Gen. 27. — Matt. 25.)

I. Unde lancinationes iſtæ & morſus conſcientiæ in damnatis?

R. Plurima ſunt ob quæ ſingulariter damnatos torquet conſcientia. Tria potiſſimùm hîc arrexenda putavi. Primum omnium eſt *amiſſio æternæ gloriæ.* Obſeratum eſt cælum, nullus hinc tranſitus illuc. Actum eſt; Epulum cæleſte neglectum eſt, neglectu irreparabili; ſpes nulla beatitudinis *clauſâ eſt janua,*

Remorſus conſcientiæ indãnatis ex tribus potiſſimum oritur.

Eſau,

Eſau, homo aliàs rudis & ferus, nihilominus indigniſſimè tulit Patris benedictionem à fratre ſibi præreptam. Gen. 27. Nam, *auditis ſermonibus Patris, irrugiit clamore magno, & conſternatus ait: Benedic etiam & mihi, Pater mi.*

Ut verò rugient damnati, conſcientiâ cuique eorum exprobrante; benedictionem Patris perdidiſti, jus & ſpem cæli omnem amiſiſti; pro lenticula viliſſima vendidiſti regnum. Maledictus es, excluſus, excluſiſſimus es à Cælo in æternum. Vermem qui te cœpit rodere, non excuties à te amplius. Tuis ipſe Matt. 25. auribus decretum Judicis audiſti: *Ite; diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.*

Alterum, quod damnatis conſcientia exprobravit, eſt: *Virtutis neglectus, & noxarum cumulus.* Omnia ordine conſcientia velut ex libro recitabit, quæ perperam acta, quæ ſocorditer omiſſa. Et quoties, dicet, precari debuiſſes, cùm aut ſomno, aut luſibus vacares? Quoties jejunium tibi ſervandum, cùm gulæ malles, quàm ſacris lagibus parere? Jam luis. Quoties ſine rei familiaris diſpendio ſtipem erogare potuiſſes, cùm avaritiæ potiùs, quàm miſericordiæ ſtuderes? Jam luis. Quoties humilitatis & charitatis actiones, quæ ſolius voluntatis ſunt, exercere potuiſſes? non hic laborandum, non currendum, non ſudandum, non algendum fuiſſet; ſine flagris, ſine ciliciis, ſine rigoribus aliis hæc facillimè feciſſes, & noluiſti? Jam luis. Occaſio nunquam tibi defuit, tu ſemper occaſioni defuiſti. Potuiſti & noluiſti: Lue jam, lue.

En tua, tot, tamque gravia flagitia te in profundum abyſſi demerſerunt, actum eſt, luendum eſt. En ſtultiſſime mortalium, pro carnis voluptatula, pro ſuperba & momentanea oblectatiuncula immenſas vendidiſti voluptates. Nimirum tua tibi caro, quàm cælum, carior fuit. Sentis jam quàm malè mercatus ſis? Prædixi, monui, vellicavi: ſurdo narravi fabellam. Jam luendum eſt. I nunc, & patere tormenta, quæ tibi voluptates tuæ paraverunt. Januam Regni cæleſtis æternùm tibi obſeratam luges? tu eam tibi clauſiſti. Non alienâ, ſed tuâ culpâ peris, æternùm periturus. Hæ conciones, hæ objurgationes erunt conſcientiæ, ſed ſeræ nimis & acerbæ. Spes nulla reſtat. Gemitus, lamenta, vociferationes, ploratus, ululatus, in caſſum omnia. O aurea, quæ præteriere, nunquam reditura ſæcula! O deſperatiſſima quæ nos manet, & manebit ſemper æternitas?

Tertium, quo præcipuè conſcientia damnatos torquebit, eſt *aſpernatio divinæ gratiæ.* C. 29. Optabat olim patientiſſimus Job; *quis mihi tribuat,* inquiens, *ut ſim juxta menſes priſtinos, quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei;* nimirum à ſummis opibus ad infimam devolvi fortunam miſerrimum eſt. Non neſciunt damnati quantis olim divitiis effluxerint. Illis jus cæli tranſcriptum erat; hæredes regni potuiſſent eſſe, modò voluiſſent: recordantur divinæ gratiæ, butyrum copioſiſſimè ſibi fluxiſſe, quo lavari licuiſſet. Meminerunt olei rivos è petra divini amoris, & miſericordiæ fontes è Chriſto ſibi manaſſe, hæc tamen omnia ſuo vitio à ſe neglecta. Jam clamant, ſed fruſtrà: *Qui nobis tribuat, ut ſimus juxta menſes priſtinos, quando lavabamus* (certè lavare poteramus) *pedes butyro, & petra Chriſtus fundebat nobis rivos olei, Sanguinis ſui?* Jam nec olei, nec butyri guttula fluit ampliùs, divinæ miſericordiæ fons exaruit. Cæleſtis Agni Sanguis pro nobis fruſtrà fuſus eſt. Mors Chriſti nobis non prodeſt ampliùs, in caſſum recidit omnis impenſa, fruſtrà Sacramenta. Eheu actum eſt de nobis! maledictus ergo dies quo nati,

maledictus Deus à quo conditi ſumus. Hîc ſtylum pono, & impias voces illuc remitto, unde proruperunt: maturè nos ſapiamus, & caveamus, ſi hanc conſcientiæ lanienam formidamus. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

Ad Galat. 6.

I. Proſequere, ſi placet, & ediſſere mihi ſeptimum gehennæ tormentum.

7. Inferni tormentũ.

R. Septimum æternitatis tartareæ tormentum eſt, *Locus & Societas.* Locus miſerabilis eſt, ſupra omnem modum; ſocietas nimium deteſtabilis. Judex ſententiâ decretoriâ utrumque complexus: *Ite*, dicet, *in ignem æternum*: hic carcer funeſtiſſimus, *qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus*; iſta eſt ſocietas teterrima, q. d. quia hoſtium meorum familiaritas gratior vobis fuit, quàm omnis favor meus, ite nunc, ite, & illorum vobis habitatio non diſpliceat, quorum olim ſocietas tantopere placuit, *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt*, non vobis, ſed *diabolo & Angelis ejus.* Angelorum ſocietate vos frui volebam, paradiſus vos expectabat, ſed quia mihi non obtemperaſtis, ſed diabolo; ite & diaboli tenebroſum antrum habitate. Infernus ex Patrum veterum, & Theologorum ſententiâ eſt in medio terræ; Hinc *aperta terra deglutivit Core, Dathan & Abiron cum tabernaculis ſuis, & univerſâ ſubſtantiâ eorum, deſcenderuntque vivi in infernum operti humo.* Jure ſuo hic improborum carcer loco infimo eſt, uti Beatorum ſedes loco ſummo ac nobiliſſimo, de quo ſcriptum eſt: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Infernus in centro terræ.

Num. 16.

Pſal. 90.

Aliqui non obſcuri hujus temporis Geometræ, dicunt flammeum hunc carcerem, ſecundùm omnem altitudinis, latitudinis, ac longitudinis dimenſionem unum milliare germanicum non excedere, & tamen ſatis capax erit ad recludendum centies mille milliones hominum cum corporibus ſuis damnatorum. Carceri conveniunt anguſtia, pars libertatis eſt laxè habitare. Grex damnatorum, canes illi ac porci in arcto habitabunt, eruntque ſicut uvæ in torculari; aut ſalſæ halcces in orca; aut ſicut lateres in fornace. Arctè ſcilicet, & compreſſè vincientur. Atque, ut ad pœnarum acerbitatem nihil deſit, in exiguum hunc orbem contrahet Deus ſentinam & fæcem mundi, uti ſuprà diximus.

Loci infernalis anguſtia.

In orbe hoc noſtro vel maximum gaudium turbat loci fœditas. Quis in antro putreſcentium cadaverum pleno voluptatem ſentiat, præſertim ſi dies, noctesque illic hærendum? Quid ergo in illo æternitatis antro amœnitatis ſit, unde gaudium omne, voluptas omnis exulat? ubi meritiſſimi dolores? & quantum iis argumentum erit infortunatiſſimæ damnationis locus ipſe profundiſſimus, tenebroſiſſimus, fœtidiſſimus; & quod lugubre cogitatu, remotiſſimus à cœlo, mille clauſuris, ac ſeris, repagulis, ac clauſtris mille obſeratus?

Et fœditas.

I. Quid verò de ſocietate in inferno?

R. Societas erit ibi infamis, & omni modo deteſtabilis. Quemadmodum enim Beatis Cœlitibus inexplicabilem adferet voluptatem, orbis Servatorem Chriſtum, Beatiſſimam Chriſti Matrem & Diſcipulos, tot millia, totque myriadas generoſiſſimorum Martyrum ſuis oculis aſpicere, Angelorum choris medium eſſe: ſic & reprobis tormentum erit horribile, ſocietate tam execrabili æternum liberari non poſſe. Quid ſentias, ſi cogaris, dum ſanus es, inter ulceroſos, morbidos, cadaveroſos homines in eodem loco noctes dieſque agere, crura ſanie, taboque fluentia cernere, fœtores ferre, lamenta eorum & complorationes varias audire; cùm illæ inge-

Societas in inferno infamis ac ſummè deteſtabilis.

ingemiſcit, hic queritatur, ille tuſſit, hic penè pulmones ejicit, alius plorat, propè expirat alius; ô qualis infernus, dices, inter hos vivere? Sed ô vir bone! ad infernum, hoc nihil eſt Hic ſocietas eſt nefanda omnium latronum, blaſphemorum, magorum, mœchorum, homicidarum, dæmonum horrendorum & informium, &c Plorant omnes, omnes ululant, omnes blaſphemant, nullus non deſperat, omnes oderunt, omnes commordent ſe ut canes, acti omnes dirâ phrænesi ac rabie.

Ad æternitatem gemino ducimur ingreſſu. Eccl. 7. Unuſquiſque rem ſuam agat, maturèque quà tendat, cogitet. Omne genus humanum gemino ad æternitatem ducitur ingreſſu, ſed egreſſus inde nullus. Ingreſſus es in cælum? ſecurus eſto, nullus hinc ampliùs exturbatur. Ingreſſus es orcum? certiſſimus eſto, nulla dabit egreſſum janua, hic habitabis æternùm. Ergo, *melius eſt*, dum vivimus, *ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum ſit.*

8. *Inferni tormentũ.* I. Quod eſt octavum inferni tormentum?

R. *Deſperatio.* Spes, omnium in orbe moleſtiarum ac laborum eſt admirabile lenimentum: unguentum eam eſſe dixeris, quod omnes reficit laſſitudines. Spes duo præcipuè ſpectat, & fructum, & finem. Quicquid lacrymarum, duabus his ſpongiis facilè ſiccatur. Invictos Chriſti Martyres plurima paſſos, plurimùm ſolabatur patientiæ fructus. Idem ſolatii habent, quicumque bona agunt, & mala patiuntur. Hoc apud inferos omne ſupplicium vehementiſſimè accendit, acerbiſſima quæque, ſine emolumento tamen, pati. Apoc. 9. *Quærent mortem, & non invenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Atque hinc furioſa deſperatio; deſperatio deſperatiſſima Rectè Priſci. *Ultima omnium malorum dira deſperatio eſt.*

Hanc ſceleratorum deſperationem incredibiliter augebit, certò ſcire tot ac tantis ſuppliciis nec minimam quidem labeculam & venialem culpam expiari poſſe. Tam enim lethalis noxæ venenata vis eſt, ut etiam minora ac leviora peccata capitali crimini adjuncta puniantur æternum, v. g. ſunt otioſa dicta, ſupervacuus riſus, remiſſior in precando animus, &c. Hæc talia dum vivimus non difficulter expiamus confeſſione, actu amoris, contritionis, &c. Si verò mortiferum facinus minimæ noxæ conjunctum ſit, utrumque vindicabitur æternitate totâ, atque hoc deſperationis grande incrementum eſt, finem nullum, nullum unquam finem ſperare poſſe. Porrò hæc deſperatio à ſpe naſcitur, ſed nimiâ quam præſumptionem dicimus. Nihil aliud in hoc orbe occinebant, quàm *miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Eccli. 5. Sed verò *de omnipotentis Dei miſericordia ordinatè confidit* (inquit S. Greg.) *qui hoc quod peccando deliquit, pœnitendo, & non repetendo corrigit. Quiſquis aliter, non ſpe, ſed temeritate impellitur.*

I. Quod eſt tandem nonum tormentum? 9. *Inferni tormentũ.*

R. *Æternitas*, Vide quæ dicta ſunt ſup. p. 1. c. 8. lect. fin. Æternitas damnatorum inexplicabile prorſus ſupplicium. Congere in unum tenebras, fletum, famem & ſitim, fœtorem, conſcientiæ vermem, locum & ſocietatem, deſperationem, de quibus hactenus, & hæc æterna eſſe facias, numquid habebis novum, de quo nobis ſermo, ſupplicium, quod omnia vincit, imò ſenſus & imaginationem noſtram? Verbo, Æternitatis menſura eſt *ſemper*. Quamdiu durat *ſemper*, tamdiu durabit æternitas. Quamdiu cælum erit cælum, quamdiu Deus erit Deus, tamdiu Beati erunt in cælo beati, & tamdiu damnati erunt in inferno damnati, & ſemper, & in ſe-

Digitized by Google

Iſa. 33. cula ſæculorum. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Adhortatio eſt, quam Spiritus Sanctus ad peccatores proloquitur, q. d. O peccator, adverte pauliſper animum, & pondus humeris tuis ne inferas, quod ferre non poſſis; ſi ad horulam flammas & ignem vel manu ferre non poſſis, quomodò *habitare poteris cum ardoribus ſempiternis?*

Ah, ô mortales, ô Chriſtiani! quàm parum cogitamus iſta, quàm rarò ad hos calculos ſedemus? Verè, nemo credit. Et hæc non ſomnia, non figmenta, non Rhetorum colores; nullæ hîc amplificationes, exaggerationes hîc nullæ ſunt. Æternæ
Matt. 25. Veritatis oraculum eſt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Sole meridiano clariora ſunt verba iſta, ſed uti dixi: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit.*

DE SACRAMENTO

Ordinis.

CAPUT VIII.

LECTIO PRIMA.

Quid eſt Ordo?

R. Eſt Sacramentum, quo Sacerdotibus, aliiſque Eccleſiæ miniſtris poteſtas & gratia confertur, ad Eccleſiaſtica munia ritè decenterque obeunda.

Nota, Chriſtus Dominus ſecundùm formam hominis Sacerdos à Patre conſtitutus, aſcenſurus in cælum, adeoque viſibilem ſuam præſentiam ſubducturus ex hoc mundo, Apoſtolos, eorumque legitimos ſucceſſores myſteriorum Dei diſpenſatores conſtituit, mandavitque ut ipſi & eorum ſucceſſores, alios atque alios ſucceſſivè Sacerdotes conſecrarent, qui omni tempore divinis myſteriis deſervirent, & in muniis Eccleſiaſticis obeundis ritè & cum auctoritate verſarentur. Porrò hanc conſecrationem, ordinationem, & ſolemnem deputationem hîc Sacramentum Ordinis vocamus.

I. Quare hoc Sacramentum ſic vocatur?

R. Quia certo quodam ordine, & de gradu in gradum promoventur Eccleſiæ miniſtri uſque ad Sacerdotium, ad quod cætera omnia Eccleſiaſtica miniſteria, tanquam ad ſuum finem referuntur. Cùm enim Chriſtiani Sacerdotii functiones planè divinæ ſint ut ejus miniſterii dignitas intelligeretur, ac majori cum reverentiâ exerceretur, convenientiſſimum fuit, ut diverſi miniſtrorum ordines eſſent, qui omnes ſacerdotio deſervirent.

I. Quare dicis, quòd miniſtrorum Eccleſiaſticorum inſtitutio, ſive conſecratio, ſit Sacramentum? *Ordo eſt Sacramentum.*

R. Cùm Sacramentum ſit rei ſacræ ſignum; id verò quod hac conſecratione extrinſecùs fit, gratiam & poteſtatem ſignificet, quæ illi tribuitur qui conſecratur; omninò ſequi perſpicuum eſt, Ordinem verè ac propriè Sacramentum dicendum eſſe. Definit id Concil. Florent. & Trident. ſſ. 7. can. 1. de Sacram. in genere, & ſſ. 23. multis cap. & canonibus. Probatur 1. Timoth. 4. ubi dicitur: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* Et Timoth. 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* In duobus iſtis locis Apoſtolus loquitur de ordinatione Timothei, & oſtendit tria quæ ſunt neceſſaria ad Sacramentum. 1. eſt ritus externus qui ſignificatur per impoſitionem mannum, 2. eſt promiſſio gratiæ, quæ in utroque loco Apoſtoli nominatur, 3. perpetua illius ritus duratio

ratio, quæ indicatur in eo quod Timotheus tanquam Paſtor Eccleſiæ acceperit hanc impoſitionem; Eccleſia autem debet ſemper habere Paſtores, Epheſ. 4. Sancti Patres hanc veritatem ſuis ſcriptis etiam nobis commendarunt, S. Dionyſ. Hierarch. Eccle. c. 5. & ep. ad Demoph. Cypr. ſerm. 5. de ablutione pedum. Ambr. l. de Sacerd. dignit. c. 6. Chriſ. l. 3. de Sacerd. Innoc. I. epiſt. 18. Aug. l. 2. cont. Parmen, c. 13, Cyril, l. 12. in Joan. c. 56.

I. Conferebanturne etiam Ordines ſub initium Eccleſiæ?

R. Ita Act. 6. Diaconi manuum impoſitione ordinantur. Paulus & Barnabas ordinantur Epiſcopi Act. 13. ut S. Leo epiſt. 81. ad Dioſcorum & Chryſ. in Comment. notant. Audi Apoſtolum ſcribentem ad Tit. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros.* Id eſt, ut oppidatim Epiſcopos & propriè dictos Presbyteros, ſive Sacerdotes & Paſtores conſtituas, & ordines. Presbyter enim nomen commune erat tam Epiſcopis, quam communibus Sacerdotibus, ut patet ad Philip. 1. Act. 20. & alibi. Jubet ergò Apoſtolus, ut ſingulis oppidis Titus conſtituat Presbyteros, puta in majoribus Epiſcopos, in minoribus Sacerdotes, ſive Paſtores: ita enim explicat & ſancit S. Leo epiſt. 87. ad Epiſcopos Africæ c. 2. & Conc. Sardicenſe can. 6. ubi dicitur: *Licentia non ſit Epiſcopo paſſim ordinandi, aut in vico, aut in civitate modica, cui ſatis eſſe poſſit unius Presbyteri; nec enim neceſſe eſt ibi Epiſcopum fieri, ne Epiſcopi vileſcat nomen & honoris ſummi auctoritas.*

Ad confirmationem hujus noſtræ reſponſionis. Nota S. Dionyſium Areop. S. Pauli diſcipulum ſcripſiſſe librum inſignem de Hierarch. Eccleſiaſticâ, in quo demonſtrat quam concinnus in Eccleſia conſtitutus ſit Ordo Presbyterorum, & reliquorum miniſtrorum, quibus ſacrorum adminiſtratio commendata ſit, & animarum curatio. Ibi declarat Sacerdotii Auctorem eſſe Deum, à quo primi quidem Presbyteri omnem hujus ſacri miniſterii plenitudinem obtinuerint, cum mandato tamen ſucceſſores conſtituendi, ne aliquo tempore deeſſent Eccleſiæ Sacerdotes & Doctores; qui à majoribus ſuis illuminati, inſtructi, & congruâ poteſtate donati, idem ipſi ſucceſſoribus Presbyteris, & aliis miniſtris præſtarent. Lege hiſtoriam ſummorum Pontificum, & Annales Eccleſiaſticos, in quibus paſſim reperies Eccleſiæ Prælatos omnibus ſæculis perpetuâ ſucceſſione ordinaſſe Epiſcopos, Presbyteros, necnon alios ſacrorum adminiſtros.

I. Affer exemplum, ſi quod habes, quo declares ordinationem ſive conſecrationem alicujus in Epiſcopum fuiſſe aliquando certo miraculo comprobatam.

R. Præclarum illud eſt de columba in ordinatione S. Joannis Chryſoſtomi ejus capiti inſidere viſâ. Res taliter ſe habet: *Cùm adeſſet hora ordinationis, & incruentum perageretur ſacrificium, & inferiùs adeſſet multitudo innumerabilis, & Angeli deſuper intuerentur, manum imponente Epiſcopo, & preces dicente conſuetas, dicitur factum eſſe illud, novum maximè, ſpectaculum. Alba columba (ut in Baptiſmo Chriſti) repentè devolans in honorem ejus, cui manus hic imponebatur, ſtetit ſupra ejus caput. Quo viſo portento, ſic apud ſe omnes cogitabant: Quidnam ergò erit Ioanni, quod ab initio ei apparuit gloria Domini? atque ex iis ſic ſuum honorat miniſtrum Rex cæleſtis, qui facit mirabilia ad gloriam & honorem ſuorum miniſtrorum.*

Exemplum.

Simeon Metaphraſt in vita ejus apud Sur. 27. Ian.

Leo Aug. in orat. de vita ejus apud Baron. to. 4. a. 456.

I. Quod de ordinatione Epiſcopi divino annuente Numine, factum dixiſti, velim etiam ſimiliter addas exemplum,

de ord ne Sacerdotali, ſuffragante Spiritu ſancto per manuum impoſitionem collato?

Exemplum. Hiſt. SS. PP. Theodoreti c. 15. lib. 11. vitæ PP.

R Etiam pulchrum eſt quod ſequitur: *Accepſimus, cujus fama latè ſparſa eſt per Orientem, cùm in domuncula ſeipſum incluſiſſet, ſexaginta annos tranſegis neque videns, neque loquens, ſed in ſeipſum converſus, & Deum viſione apprehendens, illinc omnem accipiebas conſolationem. Cùm autem ſe abhinc migrandum pararet, prædixit, quod poſt quinquaginta dies, finem vitæ eſſet accepturus. Excepis autem omnes qui vellent eum videre. Cùm autem Ecclesia quoque veniſſet Antiſtes, eum quidem urgebat, ut jugum acciperet Presbyterii; novi (dicens) ô Pater, & tua Philoſophia altitudinem, & quanta ſit mea paupertas. Sed cùm mihi ſit credita Pontificatus adminiſtratio, ex hac, non ex illa ordino, manus imponens. Accipe ergò, inquit, donum Sacerdotii, mea quidem dextera miniſtrante, ſanctiſſimi autem Spiritus gratia ſuppeditante. Ad hæc fertur dixiſſe, paucis poſt diebus hinc migraturus; de his inquit, minimè decertabo; ſi enim eſſem diutiùs victurus, omninè fugiſſem hoc grave & terribile onus Sacerdotii, pertimeſcens reddendam depoſiti rationem. Quoniam autem non ita diu abhinc recedam, iis quæ hic ſunt, relictis, juſſis non invitus pareo. Statim ergò nulle ducents, hic quidem flectens genua expectabas gratiam; ille verò manum imponens, eras adminiſter Spiritus. Cùm autem accepto Sacerdetio vixiſſet pauces dies, vita vitam mutavit, ſemique & cura expertem, pro hac quæ multis curis eſt obnoxia, accepit.*

I. Quot ſunt Ordines miniſtrorum Eccleſiæ?

Septem in Eccleſia Ordines.

R. Septem, quorum nomina hæc ſunt: *Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolithatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus.* Conc. Trid. ſſ. 23. c. 2. & can. 2.

I. Unde habes hunc Ordinum numerum, eorumque diſtributionem?

R. Ex uſu, & traditione Eccleſiæ.

Luc. 22. Septenarius Ordinum numerus ex teſidem circa Euchar. miniſterii oſtenditur.

Secundò, poteſt hic numerus ulteriùs ex miniſteriis ad ſacroſanctam Euchariſtiam miniſtrandam, vel diſpenſandam neceſſariis confirmari. Sacerdotum enim eſt Euchariſtiam miniſtrare & offerre, quibus ſolis dictum eſt: *Hoc facite.* Cooperatio autem miniſtrorum conſiſtit *primò* in aſſiſtendo Epiſcopo, & Presbytero celebranti ſive Sacramenta miniſtranti, necnon ſolemniter in Miſſa Evangelium decantando, quod ad Diaconum ſpectat, imò diſpenſabat ipſe etiam olim populo ſacrum calicem, uti in Actis S. Laurentii. *Secundò*, in materia Sacrificii præparanda in vaſculis, vel Epiſtolâ ſolemniter in Miſſa legendâ, quod eſt Subdiaconi officium. *Tertiò*, vel in materia Sacrificii Subdiacono præſentanda, quod eſt Acolythi; *Quartò*, vel in præparandis hominibus ad participandam altaris hoſtiam, à qua nonnulli propter immunditiam arcendi ſunt, quæ vel oritur in fidelibus ex dæmonis obſeſſione, ut in Energumenis, ad quos mundandos ordinatum Exorciſtarum miniſterium. *Quintò*, vel reperitur indiſpoſitio in nondum plenè de fide inſtructis, ut in Catechumenis, ad quos in rebus fidei inſtruendos, ordinatum eſt Lectorum officium; vel *poſtremò* ſunt quidem à divinis myſteriis prorſus excludendi, quia infideles, vel perſecutores, vel etiam excommunicati, ad quod ſervit officium Oſtiariorum, quorum eſt ejuſmodi repellere.

I. Eſtne aliqua differentia inter ſuprà memoratos Ordines?

Differentia inter Ordines Eccleſiaſticos.

R. Differentia inter Ordines eſt, quod alii *majores & ſacri* dicantur; putà Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus: propterea quod ſacroſancto Sacrifi-

Digitized by Google

crificio propiùs & immediatiùs deſerviunt, habentque iſta de cauſa cœlibatum, & alia onera conjuncta: alii ſunt *minores*, ad diſtinctionem horum majorum. Poteſt & alia notari differentia, quòd *majores*, ſive *ſacri* verſentur circa materiam conſecratam; Sacerdotium enim & Diaconatus verſantur circa corpus & Sanguinem Domini conſecrandum & miniſtrandum; Subdiaconatus, circa præparationem materiæ in vaſis conſecratis: reliqui dicuntur *non ſacri*, eo quòd materiam non conſecratam tractent. Poteſt etiam addi tertia, quòd quatuor minorum Ordinum functiones pertineant ad diſpoſitiones ſuſcipientium Sacramentum Euchariſtiæ: tres autem majores Ordines directè reſpiciant ipſum Sacramentum.

Majores & minores Ordines unde ſic dicti.

I. Quid de prima tonſura clericali?

Tonſura clericalis.

R. Clericatus non eſt Ordo, ſed quædam præparatio ad Ordines recipiendos. Qui enim recipit tonſuram, immatriculatur quodammodò Ordini Eccleſiaſtico, abdicando à ſe negotia & mores ſæculares, quod ſignificatur per capillitii attonſionem. Et quia quantò quis ad ſublimiorem in Eccleſia gradum aſcendit, tantò ampliùs debet ſæculo renunciare, ut Dei ſervitio perfectiùs ſe mancipet, ideò amplior debet eſſe tonſura hominum in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutorum, uti videmus in Epiſcopis, & aliis Prælatis.

I. Quid ſignificat iſta tonſura clericalis?

R. Quatuor potiſſimum. Primò repræſentat nobis coronam ſpineam Chriſti: Nam, ut ſcribit Ven. Beda, S. Petrus geſtavit coronam in capite, ut recordaretur diræ iſtius coronæ Magiſtri ſui, exemplo ſuo oſtendere volens, ad perſonas Eccleſiaſticas pertinere Domini noſtri JESU Chriſti mortificationem jugiter in ſuo corpore portare. *Secundò*, tonſura Sacerdotum indicat dignitatem regalem, notatam à Petro in Epiſtola: *Gens ſancta, regale Sacerdotium. Tertiò*, tonſura rotundæ figuræ ſignificat perfectionem vitæ ſacerdotalis. *Quartò*, oſtendit rerum vanarum & ſuperfluarum contemptum, quibus ſe exuunt Clerici, ut Deus ſit pars hæreditatis ipſorum; quod ſuprà tetigimus.

L. 6. de geſt. Angl. c. 2.

1. Pet. 2.

I. Eſtne antiqua traditio in Eccleſia de tonſura clericali?

R. Ita; nam ex Apoſtolorum traditione acceptam eſſe ſuadet, quod de ejuſmodi tondendi more (ultra id quod de S. Petro Apoſtolorum Principe diximus) SS. Patres, Dionyſius, Auguſtinus, Hieronymus, vetuſtiſſimi & graviſſimi auctores meminerint. Iſidorus *l.* 2 *de officiis divinis l.* 4. ſcribit tonſuram ab Apoſtolis fuiſſe ſancitam. Ammianus Marcellinus l. 22. teſtatur Theodorum quemdam à gentilibus morti traditum fuiſſe, quod pueros quoſdam Eccleſiæ per tonſurationem adſcripſiſſet: Et antiquitus honoris gratia ſi quid à Sacerdotibus peteretur, rogabantur & conjurabantur per Tonſuram ſuam, ut ſcribit Auguſtinus Epiſt. 147.

LECTIO II.

De Sacerdotio.

I. Quis eſt Ordo omnium excellentiſſimus?

R. Sacerdotium, ſive Ordo Sacerdotum, quos antiqui Patres non rarò Presbyteros Græcè appellabant; quaſi dicas, ſeniores; non ſolùm quod ætate debeant eſſe competenti, prout ſacri Canones exigunt; ſed multò magis, quod ſeniores eſſe debeant moribus, doctrinâ & prudentiâ; quemadmodum ſcriptum eſt: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Aliquando Sap. 4.

etiam

Digitized by Google

etiam nominarunt *Sacerdotes*, tum quia Deo conſecrati ſunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta diſpenſare, & ſacra tractare.

Apoc. 1.

I. Quid ſibi vult quod Scriptura videatur interdum promiſcuè & indiſtinctè omnes Fideles Sacerdotes facere?

1. Pet. 2.
Rom. 12.

Sacerdotium duplex viſibile unum: alterum inviſibile.

R. Diſtinguendum eſt duplex Sacerdotium, internum unum, ſpirituale & inviſibile; alterum externum & viſibile. Sacerdotium internum & ſpirituale pertinet ad omnes Chriſtianos, qui hoſtias ſpirituales, id eſt, opera bona & laudes Deo offerre debent. De tali ſacrificio loquitur David, quando dicit: *Sacrificium laudis honorificabit me*, Et: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus &c.* Sacerdotium viſibile & externum ad ſolos propriè dictos Sacerdotes ſpectat, qui ſunt miniſtri & diſpenſatores myſteriorum Dei, offerentes viſibile ſacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti. De hoc Sacerdotio hîc ſermo; alterum enim non ſpectat ad Sacramentum Ordinis.

Epheſ. 4.
Heb. 5.

Probatur hoc diſtinctionis noſtræ alterum membrum, 1. ex Scriptura: *Alios poſuit Apoſtolos, alios Prophetas, &c. Numquid omnes Apoſtoli, numquid omnes Prophetæ?* Et: *Nemo ſibi aſſumit honorem, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Ubi apertè loquitur Apoſtolus de honore ſacerdotali, ad quem Aaron, Deo vocante, aſſumptus fuit, & ita patet non omnes Fideles eſſe Sacerdotes: 2. In veteri Teſtamento non omnes erant Sacerdotes, ſed ſolùm aliqui de genere Aaron ſpecialiter à Deo electi. Undè cùm Core, Dathan & Abiron ſacerdotale officium uſurpare tentaſſent, abſorpti ſunt à terra. Et cùm Rex Oſias ſacerdotale munus exercere præſumeret, leprâ à Deo percutitur: quantò minùs igitur in novo Teſtamento, in quo Sacramenta perfectiora habemus, non omnes erunt Sacerdotes? 3. eandem Catholicam veritatem docuerunt S. Dionyſ. Areopag. ep. ad Demoph. Tertul. l. de præſcript. Clem. l. 8. conſt. Cypr. l. 1. ep. 6. ad Aſcan. c. 4 S Ambroſ. l 4. de Sacram. Hilar. ep. 4. conſtat ex Evangelio Apoſtolos, & in iis Sacerdotes accepiſſe in ultima cœna poteſtatem conficiendi Corpus Chriſti per iſta verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: & poſt Reſurrectionem accepiſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis, per verba: *Quorum remiſeritis, &c.* Non igitur, ut volunt hæretici noſtri temporis, in Baptiſmi ſuſceptione facti ſunt omnes Sacerdotes. 5. Idem tradidere Concilia, Ilierdenſe can. 12. Arelat. 3. can. 3. & Trid. ſſ. 23. c. 6. ſic definiens: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* 6. Hoc ipſum definivit Clemens VIII. anno 1610. qui ſpecialem Bullam dedit adverſus eos, qui cùm Sacerdotes non ſint, Miſſam celebrare, vel confeſſiones audire præſumunt, eoſque per ſacræ Inquiſitionis Judices puniendos, brachioque ſæculari tradendos præcipit. 7. Sacerdotium viſibile & externum habuit omnis Reſpublica, omnis lex, omnis gens, uti efficaciter demonſtrat Bellarmin. l. 1. de Miſſa c. 2 & 15.

Num. 16.
2. Paral. 26
Sup c. 4. l. 16.
Luc. 22.
Joan. 20.
Sup. c. 4. l. 14.

I. Eſtne igitur neceſſarium, quod in Eccleſia ſtatuatur aliquod Sacerdotium externum & viſibile?

R. Planè, quandoquidem ſuprà tradiderimus eſſe in Eccleſia ſacrificium externum & viſibile, quod non poteſt niſi à Sacerdote viſibili offerri,

I. Quod eſt Ordinis ſacerdotalis proprium munus?

Sacerdotii novæ legis duplex poteſtas & officium.

R. Sacerdotum munus continet in ſe duplicem poteſtatem; *Ordinis* ſcilicet & *Juriſdictionis*. Ordinis poteſtas ad verum Chriſti Corpus in ſacro-ſancta Euchariſtia refertur. Juriſdictionis verò poteſtas tota in Corpore Chriſti myſtico verſatur.

Poteſtas conſecrā di verum Chriſti Corpus incompatibilis.

Luc. 2.

verſatur. Ad eam enim ſpectat populum Chriſtianum gubernare & moderari, & ad æternam cæleſtemque beatitudinem dirigere: & hæc quidem ab illa tanquam a radice originem habet. Eſt enim Ordinis poteſtas tantò præſtantior, quantò Corpus Chriſti verum, excellit myſticum. Et hæ ſunt duæ claves (utraque, inquam, hæc poteſtas) quas Theologi attribuunt Sacerdotio.

I. Eſtne magna Sacerdotis dignitas & excellentia ex poteſtate conſecrandi & diſpenſandi Corpus & Sanguinem Domini noſtri JESU Chriſti in Sacramento?

Poteſtas conſecrandi verum Chriſti Corpus incomparabilis.

R. Poteſtas conficiendi & offerendi ad altare Corpus & Sanguinem Domini noſtri, quæ Sacerdotibus noſtris collata eſt, humanam omnem rationem atque intelligentiam ſuperat, nec ei aliquid par, aut ſimilem in terris reperiri poteſt. Non eſt enim ipſis Angelis, imò neque Beatiſſimæ Virgini Dei Matri ejuſmodi attributa poteſtas. Miramur, (& verò non immeritò) glorioſam Virginem, quæ cæleſtes omnes ſpiritus ſanctitate & puritate longè anteibat, octo vocibus quas protulit dicens: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi ſecundùm verbum tuum*; Verbum æternum è ſinu Patris in puriſſima ſua viſcera tanquam Deo dignum habitaculum attraxiſſe: Eſt quod miremur magis Sacerdotem quatuor illis verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, ſimilem ſemper aut parem effectum operari. In momento enim quo pronunciationem formæ ſacramentalis abſolvit, Filius Dei deſcendit, inter Sacerdotis manus ſe collocat, & intra ejus ſtomachum in Communione ſe concludit. Imo quod ampliùs eſt, ipſa verba conſecratoria à Sacerdote prolata, ſunt vera, realis & efficiens cauſa Corporis Domini noſtri JESU Chriſti in Hoſtia conſecrata

Luc. 2.

Certè, ſi unum myſterium cum altero contuleris, invenies quibuſdam circumſtantiis valdè mirandis, officium ſacerdotale excedere myſterium incarnationis Verbi Dei intra Beatæ Mariæ intemerata viſcera perfectum. *O veneranda Sacerdotum dignitas* (*exclamat Doctorum maximus Auguſtinus*) *in quorum manibus, velut in utero virginali Filius Dei incarnatur! O ſacrum & cæleſte myſterium, quod per vos Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus operantur! Uno eodemque momento idem Deus qui præſidet in cælis, in manibus veſtris eſt in Sacramento altaris. O venerabilis ſanctitudo manuum: O felix exercitium! O verè mundi gaudium! Chriſtus tractat Chriſtum, id eſt, Sacerdos Dei Filium, cujus ſunt deliciæ eſſe cum filiis hominum; & quod datum non eſt Angelis, conceſſum eſt homini: Sacerdos enim hoc ineffabile conficit myſterium, & Angeli conficienti, tanquam famuli, aſſiſtunt. Super hoc tam ineffabili privilegio ſtupet cælum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiſcit diabolus, & veneratur quàmplurimùm Angelica celſitudo.* Su. Pſalmos.

I. Eſtne etiam Sacerdotum poteſtas ligandi atque ſolvendi in foro conſcientiæ magni æſtimanda?

Poteſtas altera ſolvendi atque ligandi etiam ſuprà modum mirabilis.

R. Nihil æquè mirabile eſt, quàm ut homo fragilis & mortalis poſſit cum auctoritate & efficacia dicere pœnitenti: *Abſolvo te à peccatis tuis*; Cum tanta, inquam, poteſtate, veritate & efficacia, ut, ſi nihil ex parte pœnitentis deſit, ſtatim ubi Sacerdos iſta verba finierit, remittantur peccatori omnia peccata ſua.

Cùm Chriſtus Dominus Paralytico diceret: *Remittuntur tibi peccata tua, cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi dicentes: quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Sanè verum dicebant, ad ſolùm Deum propriè pertinere poteſtatem remittendi peccata; ſed verò hanc poteſtatem Sacerdotibus novæ Legis ipſe Luc. 5.

contulit (ut oſtendimus ſuprà de Sacramento Pœnitentiæ) disertè eis proteſtatus, quod: *quacumque ligaverint ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quacumque ſolverint in terra, erunt ſoluta & in cælo.*

Matt. 18. Joan. 20.

Per hanc poteſtatem fit ut animæ peccatis mortuæ revocentur ad vitam; & filii gehennæ fiant filii regni, & homines captivi ſub Diaboli vinculis reſtituantur libertati. Sanè nec Reges, nec Principes conſimilem habent poteſtatem; neque Angeli Dei poſſunt ligare aut ſolvere homines ſuper terram. Audi Chryſoſtomum: Sacerdotes qui terram incolunt, inquit, & in ea converſantur, cæleſtia diſpenſare meruerunt, & poteſtatem acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim ad illos dictum eſt: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis, erunt ſoluta.* Habent quidem mundi Principes aliquam vinciendi poteſtatem, ſed in ſola corpora. Hoc autem vinculum, quod eſt Sacerdotibus commiſſum, ipſam contingit animam, tranſitque cœlos, ut ea quæ operati fuerint Sacerdotes deorſum, etiam Deus confirmet in cælis, ſententiamque ſervorum, ipſe Dominus corroboret. Quid ergò reliqui eſt, ſi omnis eis eſt commiſſa poteſtas cœlorum? quæ inveniri major poteſt? *Omne judicium dedit Pater Filio*; at hoc video à Filio totum eſſe Sacerdotibus commiſſum. Hactenus Chryſoſtomus.

L. 3. Dial. de dignit. Sacerd. cum Baſilio.

Joan. 5.

Ad haſce duas claves, ſive radicales poteſtates reduci poſſunt cæteræ omnes, quæ ſacerdotalem gradum mirùm in modum extollunt; ac *Primò* quidem ad Ordinem ſpectat poteſtas non ſolùm conſecrandæ Euchariſtiæ, ſed ad eam accipiendam, hominum animos diſponendi, & idoneos reddendi; cæteraque omnia complectitur, quæ ad Euchariſtiam quovis modo referri poſſunt; uti Sacramentorum adminiſtratio, rerum ſacrarum tractatio, verbi Dei prædicatio, &c. *Secundò*, ad alteram Juriſdictionis clavem, refertur adminiſtratio Eccleſiæ, legum ſanctio, delinquentium in *foro fori* correctio; denique quicquid neceſſarium eſt ad Chriſti Domini noſtri regnum, quod eſt Eccleſia, ſanctè & ſapienter gubernandum.

I. Nonne concludendum eſt ex duabus hiſce poteſtatibus, dignitatem ſacerdotalem eſſe longè eminentiſſimam?

R. Omninò. Unde Scriptura Sacerdotibus attribuit titulos ſuprà omnem mundi ſublimitatem excellentiſſimos.

I. Quoſnam?

R. Aliquando appellat eos *Angelos*, Malac. 2. Vide S. Hieron. in Comment. *Primò*, quia Sacerdotes velut Angeli legatione funguntur pro Chriſto; Legati autem non à ſe loquuntur, ſed ex mandato Principis. Vide Chryſoſt. hom. 2. in Epiſt. ad Rom. *Secundò*, quemadmodum Angeli ſunt miniſtri Dei, ita Sacerdotes. *Tertiò*, ſicut Angeli aſſiſtunt ante thronum Dei, inceſſabili voce proclamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, ſimili modo ad Sacerdotes pertinet inceſſanter orare, & Dei laudes decantare. *Quartò*, Sacerdotum eſt imitari potiſſimum veritatem, ſinceritatem, caſtitatem, & zelum Angelorum, & ad eorum inſtar inter homines converſari. *Quintò*, Angelorum eſt purgare, illuminare & perficere, idem ad Sacerdotes ſpectat, quos proinde à peccatis immunes eſſe convenit, operibus bonis & ſcientiâ conſpicuos, mirabiliterque profectus & perfectionis avidos. *Sextò*, Angeli perſeverant in ſanctitate & juſtitia; ita debent Sacerdotes in officiis ſuis, & bonorum operum exercitiis uſque in finem perſeverare.

Sacerdotes ſunt Angeli quomodo?

Inter-

Interdum etiam eadem Scriptura *Deos* illos appellat. Exod. 21. & 22. *Diis non detrahes*, ideò Dei immortalis vices, locum, & nomen apud nos tenent. Et in Pſalmo 81. *Deus ſtetit* in Sinagoga Deorum. Id annotavit Sanctus Hieronymus ſuper Matt. 16. ubi Chriſtus diſcipulos ſuos interrogat: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Qui de Filio hominis loquuntur, inquit S. Hieron. homines ſunt: qui verò divinitatem ejus intelligunt, non homines, ſed Dii appellantur; quales erant Apoſtoli, qui per os B. Petri Præſidis ſui dixerant: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.*

L. 3. Clement. in Mat. 16.

I. Fuitne jam olim magni habitus ſacerdotalis Ordo ob duas haſce claves, ſive poteſtates?

R. Maximè. Scribit enim S. Pontifex & Martyr Anterus ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Abſit ut quidquam ſiniſtrum de his arbitremur, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt: per quos nos Chriſtiani ſumus; qui claves regni cælorum habentes, ante diem judicii judicant.*

Anteri pap. ſub an. Dom. 238. relat. 11. q. 3. abſit.

I. Suntne etiam cæteri Patres magnificè in ſuis ſcriptis locuti de ſacerdotali dignitate?

R. Ita, magnificentiſſimè. S. Dionyſius in Eccleſiaſtica Hierarch. S. Ignat. Joannis Apoſtoli diſcipulus ad Smyrnenſes. S. Ambroſ. de dignit. Sacerdot. S. Joannes Chryſoſt. ſex aureos libros conſcripſit de dignit. Sacerd. Vide eundem hom. 60. ad popul & hom. 6. ſup. c. 6. Iſai S. Cypr. ad Cornel. l. 1. ep. 3. & ad Rogat. l. 3. ep. 9. S Ephrem. Syrus ſerm. de Sacerdotio. S. Auguſtin. ad Valerium Epiſcopum ep. 148. & ſerm. 37. ad Fratres in Eremo inter ejus opera, ubi Sacerdotes cum exclamatione & admiratione tantæ dignitatis monentur: *O Sacerdotes, ſi anima cujuslibet juſti eſt ſedes Dei, multò magis ſedes & templum vos eſſe debetis mundum & immaculatum. Si ſepulchrum ejus glorioſum eſt, in quo corpus ejus jacuit exanime, multò glorioſiora & digniora debent eſſe corpora veſtra, quæ à mortuis ſuſcitatus quotidiè inhabitare dignatur. Si beatus eſt venter qui novem menſibus Chriſtum portavit, & beata debent eſſe corda veſtra, in quibus hoſpitium quotidie eligit Filius Dei. Si beata ſunt ubera, quæ parvulus ſuxit, beatum debet eſſe os, quod carnem ejus ſumit, & ſanguinem ſugit. Carnes ergo veſtras cum timore ejus configite, & vobis diligenter providete, ne lingua quæ vocat de cælo Dei Filium, contra ipſum Dominum loquatur; & ne manus quæ intinguntur Sanguine Chriſti, polluantur ſanguine peccatorum.* Vide Gregor. Epiſt. ad Mauric. Imp.

I. Etiamne facto & exemplo ipſi Sancti honorarunt Sacerdotes?

R. Quam maximè: S. Antonius Abbas virtutibus & miraculis toto orbe clarus, ipſos Sacerdotes in ſumma veneratione habuit, ſolituſque erat eis caput ſubmittere, benedictionem ab eis humillimè captare, & pro magno beneficio ducere, ſi percepiſſet. Plura ſup. p. 3. c. 5. lect. 3.

Exempla.

I. Ipſine etiam Imperatores & Principes honorificè habuerunt ſacerdotium & Sacerdotes?

R. Omninò: Legem tulit Conſtantinus Imper. quâ decrevit plurimùm deberi honoris hominibus in dignitate ſacerdotali conſtitutis, interitum interminatus horum inſecutoribus.

Theod l. 4 c. 12 hiſt. Eccleſ.

Plura de eo ſup. ad 4. Præceptum Decalogi.

Juſtinianus Imper. judicans ſacerdotium primas tenere, & in honore ab Imperatoribus etiam ipſis ſedulò habendum, ita præfatur: *Maxima quidem ſunt in omnibus dona Dei à ſuperna collata Clementia, Sacerdotium & Imperium. Illud quidem divinis miniſtrans; hoc autem humanis præſidens, ac diligen-*

In L. nov ſemper. De Ep. & Cleric.

Mmmmm 2 *tiam*

tiam exhibens, ex uno eedemque principio utraque præcedentia humanam exornant vitam: Ideoque nihil ſic erit ſtudioſum Imperatoribus ſicut Sacerdotum honeſtas (Græcè Sacerdotum majeſtas, auctoritas, veneratio, reverentia ac gravitas) *cùm utique & pro illis ipſi ſemper Deo ſupplicent. Vide c. ſolitæ de majorit. & obed. l. 1.*

I. Quid, quod ipſe diabolus, quantumvis perverſiſſimus, honorem interdum deferat Sacerdotibus!

Cab. Bar. ſer. 25. de SS. qui eſt de S. Silveſt.

R. Aliquando S. Remigius ſacrum Euchariſtiæ Viaticum deferebat infirmo, & ecce diabolus occurrens in via proſternitur in genua, pronuſque Sacramentum adorat: cumque reverteretur Sacerdos Dei, rurſum occurrens diabolus, uno poplite flexo, Dei miniſtrum veneratus eſt: cùmque B. Remigius percunctaretur, quid cauſæ eſſet, cur prima vice pronus in terram adoraſſet; alterâ autem uno tantùm genu honorem exhibuiſſet; reſpondit: cùm abires, inquit, Deum Creatorem meum deferebas, quem adorabam; nunc autem tibi tantùm ſervo ejus honorem defero.

Diabolus adorat Euchariſt.

Et miniſtrum ejus Sacerdotem.

I. Quandoquidem SS. Patres & mundi Principes, imò diabolus ipſe damnatiſſimus tantam exhibeant Sacerdotibus venerationem: qui fit igitur quod tam viles & inglorii à pleriſque hodie habeantur?

R. Mihi ſemper viſum eſt id procedere, vel à laicis, vel ab ipſiſmet Sacerdotibus. Sæculares igitur homines extremis hiſce temporibus nullo loco habent Sacerdotes, eo quòd Sacerdotii excellentiam & dignitatem ſuis momentis non æſtiment, in mundanæ pompæ ſplendorem & ſæculi vanitatem duntaxat intenti, non perpendentes, quòd *Omnis gloria Filiæ Regis*, id eſt, Eccleſiæ ſit *ab intus*. In his ſunt Politici, Athei, Libertini, &c. quibus hodie junguntur Hæretici, qui plebi perſuadere

Pſal. 14.

conantur, omnes promiſcuè Fideles Sacerdotes eſſe; cætera non eſſe niſi adinventiones humanas. De quibus omnibus poſſim meritò cum Apoſtolo dicere: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi.* 1. Cor. 9.

Secundò, eheu! fatebor ingenuè, nihil eſt æquè excellens aut ſublime, quam Sacerdotes, fractione magis quàm nomine, quæ ſit noſtra, & ipſorum profeſſio, mundo indicaremus. Sed quàm multi hodie Sacerdotes viles ſunt, qui ampliſſimam & eminentiſſimam ſacerdotii dignitatem ſæculari converſatione, & contaminatis operibus dehoneſtant.

I. Qui per Ordines ſacros divino ſe miniſterio manciparunt, debentne cæteros è populo morum honeſtate, & vitæ innocentia præcellere?

R. Id quidem facilè conjicere potes ex ipſius ſtatus eminentia, de qua hactenus. Nam ſi Sacerdotes Angeli ſunt & Dii, conveniret ſanè eos, Angelicam & propè divinam vitam ducere. Audi quid Patres Concilii Tridentini ſuper hac re cenſuerunt: *Nihil eſt, inquiunt, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicarunt. Cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos quanquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt quod imitentur. Quapropter ſi decet omninò Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nihil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſerant; levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Vide etiam proœmium Decreti de reform. ſeſſ. 14.

I. Declara mihi, ſi placet familiaribus,

ribus, more tuo, ſimilitudinibus, qualiter debeat Sacerdotum vita, ſæcularium hominum converſationem præcellere?

Simile. R. Uti in Exercitu, omnes quidem milites Imperatoris legibus parent, ſed inter eos tamen alius Centurio, alius Præfectus eſt, alii alia munera obeunt: Ita quamvis omnes Fideles pietatem & innocentiam omni ſtudio ſectari debeant, quibus rebus maximè Deus colitur; eos tamen qui Ordinis Sacramento ſunt initiati, præcipua quædam munera & functiones in Eccleſia exequi oportet.

Secundò, quemadmodum in Eccleſia triumphante ſupremi & eminentiſſimi beatorum ſpirituum Chori amore divino præ cæteris ſuccenſi Choros inferiores ſuccendunt & illuminant; pari modo Sacerdotes qui adinſtar Cherubinorum & Seraphinorum continuò adſtant ante Dei conſpectum in altari, debent præ cæteris amore ferventes populum ſacro iſto igne accendere, & mundum fidei lumine illuſtrare.

Tertiò, oculus in humano corpore debet eſſe clarus, & omni lumine præditus, ut cætera ejuſdem corporis membra in officiis ſuis dirigat: ita debent Eccleſiaſtici cæteris bono exemplo prælucere, ut laici eorum veſtigia inſequendo, per vias rectas deducantur.

Quartò, ſi commenſales Principum & Regum debent omni die, ſplendidâ veſte eſſe amicti; quâ Sacerdotes noſtri morum honeſtate & virtute ornamentis inſtructi eſſe debent, qui per omne tempus ad nuptias Agni vocati ſunt.

I. Eſt igitur quod ſibi timeant Sacerdotes, ne diſtricta ab eis tanti tamque ſublimis officii ratio exigatur.

Hieron. l. 14. in Ezech. c. 44 R. Planè. *Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina eorum, ſi peccant. Lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudii excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimioribus corruiſſe.*

LECTIO III.

Sacerdotio initiandi debent eſſe ornati 1. morum integritate. I. Quibus potiſſimùm rebus inſtructi & ornati eſſe debent qui ad Sacerdotalem Ordinem aſſumuntur?

R. *Primò*, neceſſum eſt, ut qui ad ſacerdotale officium promoveri cupit à vitæ & morum integritate magnoperè commendetur, qua virtutis & innocentiæ lumen, uti nuper diximus, aliis præferre debet. Quâ de re, vide quid Apoſtolus Tito & Timotheo præcipiat, & ſimul animadverte ea corporis vitia, quæ in veteri lege ex Domini mandato aliquem ab altari excludebant, in Evangelica lege ad animæ vitia præcipuè transferenda eſſe.

2. Rerum divinarū ſcientia. *Secundò*, quia Sacerdotis ſunt duo munera; alterum, ut Sacramenta ritè conficiat & adminiſtret: alterum, ut populum ſuæ fidei commiſſum iis rebus & inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, erudiat: requiritur in promovendo ad Sacerdotium non ſolùm ea cognitio, quæ ad Sacramentorum uſum & tractationem pertinet, ſed etiam ſacrarum litterarum ſcientia ita inſtructum eſſe oportet, ut populo Chriſtianæ fidei myſteria, & divinæ legis præcepta tradere, ad virtutem & pietatem excitare, & à vitiis revocare Fideles poſſit. Audi quid Propheta dicat: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malac. 2.

Hinc ſapienter Concil. Trident. *Qui piè & fideliter in miniſteriis antea ctis ſe geſſerint, & ad Presbyteratus Ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium: & hi ſint ad populum docendum ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, diligenti* Seſſ. 23. c. 14.

ligenti examine præcedente, idonei comprobentur.

3. *humilitate.* *Tertiò*, humilitate & ſui demiſſione eminere debet Sacerdos; quia ſcriptum
Eccli. 3. eſt: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*; & quia Sacerdos gerit Chriſti Domini perſonam, qui de ſeipſo dixit:
Matt. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.*

I. Quid eſt quod quarto loco exigis à Sacerdote?

4. *Caſtitate.* R. Præcipuam caſtitatem. *O quàm magnum & honorabile eſt officium Sacerdotum, quibus datum eſt Dominum Majeſtatis verbis ſacris conſecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio ſumere, & cæteris miniſtrare! O quàm munda debent eſſe manus illa, quàm purum os, quàm ſanctum corpus? quàm immaculatum erit cor Sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis? Ex ore Sacerdotis nihil niſi ſanctum, nihil niſi honeſtum & utile procedere debet verbum, qui tam ſæpè Chriſti accipit Sacramentum. Oculi ejus ſimplices & pudici, qui Chriſti Corpus ſolent intueri. Manus puræ & in cælum elevatæ, quæ Creatorem cæli & terræ ſolent contrectare. Sacerdotibus ſpecialiter in Lege di-*
Levit. 11. *citur:* Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.

Allegoria. Si non potuit Regum Sanctiſſimus David, licet neceſſitate adactus, comedere
1. Reg. 21. panes propoſitionis, niſi ab Achimelech Sacerdote interrogatus aſſeruiſſet, & ſe, & ſocios ſuos à mulierum contactu eſſe mundos: quis non videt omnem prorſus fugiendam eſſe fæminarum ſocietatem ab eis qui panem Euchariſticum, panem mundiſſimum Deo debent offerre.

Si munditia expoſcebatur à Sacerdotibus & miniſtris templi, dicente Iſaia;
Iſa. 52. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*, ad vaſa materialia deferenda, quæ Domino conſecrata erant; quàm potiori jure nunc expetitur à Sacerdotibus noſtris ad deferendum vas illud admirabile & opus Excelſi, in quo omnes virtutis & gratiæ theſauri ſunt abſconditi, & non modò ad deferendum, ſed ad offerendum Domino, atque ſumendum.

Inſuper Sacerdotes his verbis increpat Dominus per Malachiam: *Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: in quo deſpeximus nomen tuum: Offertis ſuper altare meum panem pollutum.* Super quibus verbis S. Hieronym. *Polluimus*, inquit, *panem, id eſt, Corpus Chriſti, quando indignè ad altare accedimus, & non veremur polluti ipſi ſumere ſanctiſſimum ejus Corpus, & bibere ejus Sanguinem.* Malac. 1.

I. Non capio quomodò poſſit panis ille pollui, aut quomodò poſſit Sacerdotum impuritas ſanctum ſacrificium contaminare, aut polluere?

R. Non polluitur quidem in ſe Euchariſtia, quæ mundiſſima hoſtia eſt: ſed in miniſtris illam offerentibus. Offerunt enim pollutum panem Sacerdotes, quando libidinis ſordibus conſpurcati ſanctiſſimum illum panem ad altare offerunt. Quem (quantum in ſe eſt) pollutum oſtendunt, quod non majore ipſum reverentiâ, atque puritatis ſtudio attrectant, quàm ſi contaminatus eſſet & pollutus; ut miniſtrorum inquinatio & pollutio, in ipſum quoque panem oblatum ſecundùm denominationem redundet, atque retorqueatur, faciatque illum pleriſque pollutum videri. *Quomodò dicitur panis Euchariſticus pollui.*

I. Quàm enorme eſt crimen eorum qui in ſtatu peccati lethiferi, præſertim in materia carnis, Miſſas celebrare præſumunt?

R. S. Joan. Chryſoſt. aſſerit eſſe crimen læſæ Majeſtatis, quod meretur pœnam eorum, qui Chriſtum Dominum extremo ſupplicio affecerunt. Et Hieron. *Acerbiora gehennæ tormenta Sacerdotibus & Cleri-* *Hom. 45. in Ioan.*

Digitized by Google

Clericis fornicantibus reſervantur. Va tibi, Sacerdos, qui eodem ore oſcularis filiam Veneris, quo paulò antè ſumpſiſti Filium Virginis. O impie Iuda, oſculo Filium hominis tradis?

Mila ſunt in hoc genere, quæ in revelationibus S. Brigittæ conſcripta reperiuntur l.1.c.47 48 49. & l.4.c.132.133.& 135.

I. Habeſne horribile ad hanc rem exemplum?

Exemplũ terribile. Fulgoſ.l 9. c.12 Nauclerus.vol.2 generat 37 S. Antonin. Caniſ in opere marial l. 5.c 20. Cornel.in Ioël.2.& alii.

R. Ita. Cùm Udo Epiſcopus ne ſignis quidem ac divinis vocibus commonitus, ab impudicitia ſibi temperaret, viri religioſi Deum, ut Epiſcopum aut corrigeret, aut tolleret, rogaverunt. Inter eos cùm noctu in Eccleſia S Mauritii Fredericus Canonicus ejuſmodi precibus operam daret, vehementioris venti afflatu omnia quæ in templo erant, lumina extingui perſpexit: nec multò pôſt, duos juvenes venire, duo candelabra accenſis cereis ferentes, & Chriſtum cum parente ejus, atque Apoſtolis ſubſequi. A quibus cùm eſſent vocati ſancti homines, quorum corpora in templo quieſcebant, viſus eſt inter eos Mauritius venire, qui longâ atque gravi oratione Udonem Epiſcopum accuſavit, quem haud multò pôſt Chriſtus nudum adferri à duobus juſſit, atque damnavit. Is autem pugno ab eorum altero, qui eum portarunt, graviter in mediis renibus ictus, ſacram Hoſtiam, quam in Communione ejus diei pridie ſumpſerat, revomuit in calicem, qui altari impoſitus fuit; atque ſecuri percuſſo Udone, rerum illarum omnium viſio emanavit. Quâ re vehementer territus Fredericus, cùm ad altare acceſſiſſet, calicemque in eo eſſe cum ſacra Hoſtia conſpexiſſet, & ſimul Epiſcopum mortuum humi jacentem, alios viros religioſos excitavit, qui ablatum inde Epiſcopi corpus in agro ſepeliverunt.

5. Sobrietate commendabiles debent eſſe Sacerdotes.

Quintò, Sacerdotes ſobrios eſſe oportet. 1. ut caſti ſint, vix enim continentia abſque ſobrietate invenitur: *Qui enim*, juxta Salomonem, *delicatè nutrit ſervum ſuum, poſteà ſentiet eum contumacem.* 2 ut quod ſui muneris eſt, prudenter & ſedatè obeant; utque ſui compotes habeant ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, & ſecernendi ſacrum à profano.

Levit. 10.

In hujus rei figuram, Sacerdotes antiquæ legis vetantur vinum & omne quod inebriare poreſt, bibere, quando intraturi ſunt in tabernaculum teſtimonii. 3. quia Sacerdotes convenit vigilare in orationibus, & ſacris litteris operam dare, quod abſque ſobrietate fieri nequit. *Quotidiano enim experimento probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita ut delectatio edendi, etiam corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri, ſubtrahat voluptati.* S. Leo ſerm. 8 de jejun. decimi menſ.

6. Charitate. Joan. 21.

Sextò, magnâ debet charitate pollere Sacerdos. Eſt enim ipſe conſtitutus mediator inter Deum & homines. Quando ſtatuerat Chriſtus Dominus Petrum in Vicarium ſuum, & Eccleſiæ caput promoveat, nihil aliud ab eo exegit, quàm charitatem, fortè eâ ratione quòd Charitas cæteras ſibi virtutes adjunctas & connexas habeat, nam *plenitudo legis dilectio.* Rom. 13.

Greg Naz. in apolog.

Sacerdos, inquit S. Nazianzenus: *ante omnia debet eſſe purgatus, & tunc purgare; ſcientiâ repleri, & alios docere & inſtruere; lumen eſſe & cæteros illuminare; Deo propinquare, & alios ad eum adducere; ſanctificari, & alios ſanctificare.*

I. Si tanta vitæ & morum compoſitio; imò, ſi tanta perfectio in Sacerdotibus exigitur, quis ad Ordines ſacros aſcendere non perhorreſcat.

R. Multi

Digitized by Google

R. Multi Sanctorum, memori, quæ dicis, mente perpendentes, nullo modo ſe ad Sacerdotii gradum promoveri ſunt paſſi, exiſtimantes ſe tanto honore indignos.

Exempla. S. Franciſcus Fratrum Minorum Anteſignanus, cùm eſſet Diaconus, ita afficiebatur erga Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, tantaque illud reverentiâ proſequebatur, ut, ne indignè celebrando ſe contaminaret, ſemper hæſerit num presbyter fieret, licet ab aliis non parum impelleretur, ut eam dignitatem aſſumeret. Ad arma itaque ſpiritualia conſueta confugit, hoc eſt, ad orationem, quâ petiit à Domino eâ de re conſilium. Quo facto miſſus eſt Angelus ad eum cum phialâ lucidâ in manu, limpidiſſimo liquore plenâ, qui dixit: *Vide Franciſce, quicumque vult fieri Sacerdos & Sacramenta adminiſtrare, ita purus eſſe debet in anima ſicut liquor iſte.* Poſt quæ verba noluit unquam poſtea fieri Sacerdos, qui tantam animæ ſuæ puritatem non putavit; maximi autem faciens Diaconi dignitatem, quippè quæ ad Sacerdotalem proximè accedat.

Ex l. 1. Chron. S. Franciſci p. 1. c. 41.

S. Franciſcus non vult fieri Sacerdos.

Quid Antonios, Hilariones, Macarios, Arſenios, & alios commemorem, qui quamvis magnâ vitæ innocentiâ excellerent, ſacerdotio tamen initiari nunquam voluerunt?

I. Quod modò contingat, plures inveniri Sacerdotes non ejus meriti aut perfectionis, quæ in iſto ſtatu deſiderantur, debentne omni honore vacui demitti?

R. Nequaquam, eſt enim ſtatus ipſe ſemper in ſe ſanctus & veneratione dignus, uti ſuprà oſtenſum eſt, p. ſuper 4. Decal præcepto.

LECTIO IV.

De Miniſtro & effectibus Ordinis.

I. Quis eſt Miniſter Sacramenti Ordinis?

R. Solius eſt Epiſcopi conferre Ordines: quod ſanctarum litterarum auctoritate, certiſſimâ traditione, omnium Patrum teſtimonio, Conciliorum decretis, & ſanctæ Eccleſiæ uſu & conſuetudine comprobatur.

S. Petrus contulit Ordines S. Marco, quem Alexandriam prædicationis gratiâ mittebat. Baron. anno Chriſti 45. ex Nicephor. l. 2 c. 15. & S. Athan in Synopſi.

S. Apollinaris Antiochiâ cum D. Petro Romam veniens, ab eo ordinatus Epiſcopus, miſſus fuit Ravennam ad prædicandum Verbum Dei, ſecundùm eundem, anno 43. poſt Metaphraſt. 29. Junii, & Sanctum Athan. loco alleg.

D. Paulus & Barnabas ordinati fuerunt Epiſcopi per impoſitionem manuum. Act. 13.

D. Paulus ipſe Timotheum creavit Epiſcopum Epheſinum, & Titum Epiſcopum Cretæ. Baron. an. 57.

I. Suntne ergò Epiſcopi Presbyteris majores?

R. Ita; ſuccedunt enim Apoſtolis Epiſcopi, ſeptuaginta verò diſcipulis Presbyteri, ut Anacletus ep. 3. Beda in c. 10. Lucæ, D. Hieron. in Pſal. 44. notarunt. Certè, Epiſcopi ordinant, benedicunt, & judicant Presbyteros; qui autem ordinat, benedicit, & judicat, major eſt eo qui ordinatur vel judicatur. Præterea Damaſus epiſt. 3. Epiphan hæreſ. 75. S. Leo Epiſt. 88. Aug. 53 Hieron. 85, Chryſoſt. hom. in 3. & 4. c. ad Timoth. atque Dionyſ. Areopag. tradunt ſupremas actiones Hierarchicas ad ſolos Epiſcopos pertinere; quales ſunt, Eccleſiæ

Epiſcopi Presbyteris ſuperiores.

cleſiæ miniſtros ordinare, Chriſma, templa & altaria conſecrare; baptizatos confirmare, &c. Eodem pertinet quod idem Dionyſ. tradit à Chriſto Hierarchiam in Eccleſia inſtitutam, in qua primum locum obtinent Pontifices, ſecundum Sacerdotes, tertium miniſtri. Vide Conc. Trid. ſſ 23. can. 6. & 7. Quæ graduum diſtinctio ex diverſa participatione divinæ perfectionis & cooperationis exoritur, homines purgando, illuminando, perficiendo, Deo aſſimilando, arctiſſimeque uniendo. Quemadmodum ergò inter Angelos, Dei ordinatione, unus alium officii nobilitate ſuperat, ita & in Eccleſiaſtico munere, unus miniſtrorum alium eminentiâ functionis præcellit.

Ex quo intelligitur Epiſcopos divino jure Presbyteris ſimplicibus præſtare. Concil. Trid. ſſ loc. cit. Illos enim Chriſtus ſuper familiam ſuam conſtituit, ut Hilarius, & alii in Matth. 24 notarunt. Eoſdem Epiſcopos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei Act. 20 Vide Conſtit. Apoſt. can. 20. Ignatius in Epiſtolam ad Philadel. & Iren. l. 3 cont. hæreſ. ſcribunt Apoſtolos Eccleſias Epiſcopis commiſiſſe. Hinc in Conciliis ſoli Epiſcopi judicando decernunt, definiunt, leges ferunt, anathema dicunt.

I. Qui contenderunt Epiſcopos Presbyteris non eſſe ſuperiores, fueruntne ab Eccleſia damnati?

R. Ita, & anathemate percuſſi, hæreſeoſque condemnati. Tales fuêre (teſte Epiphan. hæreſ 75. Auguſt hæreſ. 53 Tho. Wald. Doct. c. 20.) Aëriani, Wicleſiſtæ, ac poſtremò noſtri Sectarii in Concil. Trid. damnati.

I. Eſtne etiam inter Epiſcopos ipſos aliqua diſtinctio?

Inter Epiſc eſt aliqua diſtinctio

R. Ita, ſunt enim alii aliis officii ac juriſdictione ſuperiores. Quidam enim ſunt Archiepiſcopi, ſive Metropolitani, pluribus Epiſcopis præpoſiti. Rurſus alii Primates ſunt, omnibus Epiſcopis & Archiepiſcopis alicujus regni, aut Provinciæ Præfecti: Denique ſunt Patriarchæ his ſuperiores; qui uni orbis parti præſunt, ut Alexandrinus toti Africæ; Conſtantinopolitanus Græciæ & parti Septentrionali; Antiochenus Aſiæ minori; & Hieroſolymitanus Orientis.

Metropolitani. *Primates.* *Patriarcha.*

Super omnes eſt Romanus Pontifex, Chriſti in terris Vicarius, Apoſtoli Petri in regenda Eccleſia univerſali ſucceſſor deſignatus, iſtis verbis: *Paſce oves meas.*

Pontifex Romanus Joan. 21.

I. Ad rem redeamus; Debentne promiſcuè & indifferenter admitti ad Ordines qui ſeſe offerunt?

R. Minimè. Debet enim magnus eorum delectus haberi, & eorum capacitas benè examinari. Debent enim ſacris initiandi tales eſſe, quales Apoſtolus eſſe debere ſcribit ad Timot. & Titum. Vide Conc. Trid. ſſ. 23. c. 11. & 12.

Non debet promiſcuè quilibet ordinari.

I. Habeſne rarum exemplum in hac materia?

R. Habeo. Cùm deſcendiſſet Abbas Amos Hieroſolymam, & Patriarcha ordinatus eſſet, venerunt omnes Monaſteriorum Eremi Abbates, ut adorarent eum, inter quos adfui & ego cum Abbate meo: cœpitque Patriarcha dicere Patribus: Orate pro me Patres: magnum enim onus & intollerabile mihi injunctum eſt, ſacerdotiique dignitas me terret immodicè. Petri & Pauli, & ſimilium eſt regere rationales animas: ego autem infelix peccator ſum; plus enim quàm cætera, timeo Ordinis ſarcinam. Nam inveni ſcriptum, quia beatiſſimus & Angelis æqualis Leo Papa, qui Romanorum Eccleſiæ præfuit, quadraginta dies perſeveravit ad ſepulchrum B. Petri, vigiliis & orationibus inſiſtens, petenſque ab Apoſtolo, ut pro ſe apud Deum intercederet, ut dimitterentur ſibi peccata ſua. Impletis diebus quadraginta, apparuit ei Apoſtolus Petrus,

Exemplū. Sophr. prat ſpi. rit. c. 149. apud Baron. tom. 6. ſub an. 461.

Peccata quâ ratione ex parte dimiſſa. dicens: *Oravi pro te, dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præterquam impoſitionis manuum. Hoc ſolum abs te requiretur, ſive benè, ſive fortè malè egeris.* Dimiſſa peccata intellige quoad pœnam. Illis ergò B. Leo delictorum pœnis remanebat obligatus; quæ illi perpetraſſent, qui, ab eo, indigni promoti fuiſſent ad Ordines. Quod enim in his facilè ſit peccare, etiam prudentem Epiſcopum, jure monet Apoſtolus ita Timotheum: *Nemini citò manus impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.* (1. Tim. 5.) Tunc enim dicuntur Præſules communicare peccatis alienis, dum indignis conferunt Ordines & miniſteria. Quod ſi hæc in viridi, in arido quid fiet? Leone quis ſanctior atque prudentior, ut tantum periculum liber tranſiliat? Ita Baronius.

I. Quem ſibi finem conſtituere debet qui ad Ordines promoveri deſiderat?

Quo fine ad ſacros Ordines accedendum. R. Debet, qui à Deo legitimè vocatur, Eccleſiaſtica munera ejus unius rei cauſa ſuſcipere, ut Dei honori inſerviat. Sunt enim aliqui hoc tempore non rari, qui eo conſilio Ordines ſuſcipiunt, ut præter quæſtum, nihil aliud in Sacerdotio ſpectare videantur, quod maximum ſacrilegium eſt. Alios honorum cupiditas & ambitio ad ſacerdotalem Ordinem ducit. Utroſque Salvator noſter Mercenarios appellat, qui nihil amplius ex Sacerdotio conſequuntur, quàm Judas ex Apoſtolatûs munere, quod illi ſempiternum exitium attulit.

I. Qui ſunt præcipui hujus Sacramenti effectus?

Effectus Sacramenti Ordinis duplex. R. *Primò*, eſt gratia ſanctificans, quâ is qui ſacris initiatur, idoneus, habiliſque ad rectè ſuo munere fungendum, Sacramentaque adminiſtranda redditur. *Secundò*, eſt poteſtas, quæ ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum refertur. In Sacerdote quidem plena & perfecta, ut qui Domini noſtri Corpus & Sanguinem poteſt conficere; in aliis verò inferiorum Ordinum miniſtris major, minorve, quo quiſque miniſterio magis minuſve ad altaris Sacramenta accedit. Et hæc poteſtas Character ſpiritualis dicitur; quo, qui ſacris imbuti ſunt, interiori quâdam notâ animæ impreſsâ ab aliis Fidelibus diſtinguantur, ac divino cultui mancipentur. Ex quo fit, ut hoc Sacramentum reiterari non poſſit.

DE SACRAMENTO *Matrimonii.*

CAPUT IX.

LECTIO PRIMA.

I. Quod eſt ſeptimum Legis novæ Sacramentum?

R. Sacramentum Matrimonii.

I. Quid eſt Matrimonium?

R. Eſt viri & mulieris legitima conjunctio ad ſobolem ſuſcipiendam, eamq; Chriſtianè educandam, & individuam vitæ ſocietatem retinendam. *Matrimonium quid?*

I. Cur dicis quod Matrimonium ſit Sacramentum?

R. In primis S. Paulus ita illud appellat Epheſ. 5. *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum eſt; Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia:* q. d. Sacramentum hoc, quod homo relinquat Patrem & Matrem, & adhæreat uxori ſuæ, & ſint duo in carne una, non eſt vulgare myſterium, quia Chriſti & Eccleſiæ indiſſolubilem conjunctionem denotat. Immò Matrimonium eſt verum novæ Legis Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, quia eſt ſignum rei ſacræ quam debitè contrahentibus confert, nam præter conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per *Matrimonium eſt Sacramentum novæ Legis.*

ſon-

Digitized by Google

conformitatem naturæ, quam Matrimonium ſignificat, etiam ſignificat & efficit conjunctionem amicabilem & Chriſtianam conjugum inter ſe: ad hoc enim Chriſtus ſanctificavit nuptias, Joan. 2. eaſque ad Sacramenti rationem evexit, ut conjugibus conferatur gratia, quâ ſeſe invicem diligant, fidem ſibi ſervent, concorditer vivant, proles regenerari curent, & ſanctè educent; idque ut hic verus & perfectus amor conjugum, ſit typus amoris Chriſti & Eccleſiæ. Viſibilis ergò viri & fœminæ conjunctio, quæ ſtipulatione verborum & aliis cæremoniis exterioribus fit, Sacramentum eſt, & ſignum inviſibilis ac indiſſolubilis conjugum unionis, quæ per gratiam internè infuſam firmatur, ut naturalis amor ita roboratus ſtabilem & maritalem concordiam efficiat, adumbrans Verbi cum natura humana conjunctionem.

Probatur 2. hæc aſſertio Catholica ex Concil. Florent inſtructione Armenorum, conſentientibus & Græcis, qui etiam tenent nunc matrimonium eſſe Sacramentum; ut patet ex cenſura Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinop. quam fecit anno 1566. contra confeſſionem Auguſtanam. Ibi dicit: *Matrimonium eſſe divinum Sacramentum unum ex illis ſeptem, quæ Chriſtus & Apoſtoli tradiderunt Eccleſiæ.*

Vid. Conc. Trid. ſſ. 7. can 1. & ſſ. 24.

Probatur 3 ex Patribus quos citat Bellarm. l. 1. de Matrimonio c. 3.

Confirmari poteſt ex ratione: nam Matrimonium Chriſtianorum eſt unius cum una tantùm, & penitùs indiſſolubile; hujus autem cauſa eſt, quod ſit ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, ut docet Auguſtin. de bono conjug c. 17 18 & 19. Atqui hujus non eſt perfectè repræſentativum niſi conferat gratiam: proinde eſt Sacramentum. Rem enim adeo difficilem ſine auxilio gratiæ Deus non inſtituiſſet, alioquin lex nova foret durior & intolerabilior veteri, quæ permittebat repudium & poligamiam, quæ duo remedia per novam legem ſunt ſublata: oportuit ergò hæc gratiâ compenſari.

Ex dictis liquet, quàm ſanctum ſit Chriſtianorum Matrimonium, & quàm bono jure ſcripſerit Apoſtolus: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*; cùm ſit Sacramentum non ſolùm ſignificans illam quam diximus Chriſti & Eccleſiæ unionem; verùm etiam cauſans gratiam, eamque conjugibus conferens, ut mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquieſcat, alienoſque amores non quærat, & univerſa conjugalis vitæ onera & incommoda pari ſtudio & æquanimi concordiâ faciliùs tolerentur. Hebr. 13.

I. Cur dicis in definitione Matrimonii *legitima conjunctio*? Quinam requiruntur ut ſit legitima conjunctio? *ſſ. 24. decret de reform. Matr.*

R. Concilium Trident tria requirit: 1. ut fiat iſta conjunctio inter perſonas habiles, id eſt, nullo vinculo aut impedimento irretitas 2. ut fiat coram Parocho & duobus teſtibus. 3. ut conſenſus utriuſque partis ſit liber; horum uno deficiente contractus nullus eſt, nullum Sacramentum. *Tria eſſentialiter ad Matrim. Sacramentum requiſita.*

I. Quæ ſunt impedimenta Matrimonii?

R. Illa ſunt in duplici differentia: alia enim ſunt dirimentia matrimonium, alia impedientia tantùm.

I. Quæ ſunt impedimenta dirimentia?

R. Sunt multa his verſibus comprehenſa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Raptave ſit mulier, parti nec reddita tuta,

Impedimenta dirimentia Matrimonium.

Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De quibus Summiſtæ paſſim; verbo *Matrimonii impedimenta.*

I. Quia cognationis impedimentum ſæpè occurrit, & illius ignoratio, ut plurimùm magnâ affert incommoda; quænã cognatio impedit & annullat Matrimonium?

R. Diſtinguenda eſt duplex cognatio magis obvia & recepta: *Spiritualis & naturalis.*

I. Quæ eſt cognatio ſpiritualis?

Cognatio ſpiritualis.

R. Illa quæ naſcitur ex Baptiſmo, aut Confirmatione *Gloſſ. in c. in Baptiſmate diſt. 4.*

I. Quinam ſunt gradus cognationis ortæ ex Baptiſmo, qui Matrimonium impediunt, & ſimul dirimunt?

Ex Baptiſmo.

R. *Primus gradus:* Inter baptizantem & { Baptizatum, Baptizatique Patrem & Matrem.

2. gradus. Inter Patrinum & { Baptizatum, Baptizatique Patrem & Matrem.

I. Qui ſunt gradus cognationis ortæ ex Confirmatione, qui ſimiliter impediunt & dirimunt Matrimonium?

R. *Primus gradus eſt* Inter confirmantem & { confirmatum, confirmatique Patrem & Matrem.

Ex Confirmatione.

2. gradus eſt. Inter Patrinum & { confirmatum, confirmatiq; Patrem & Matrem.

I. Quinam gradus cognationis naturalis impediunt, & dirimunt Matrimonium?

R. Cognatio iſta rurſus duplex eſt: *Conſanguinitas* ſcilicet, & *Affinitas.*

De conſang. affine. non debet. Trid. ſſ 24 c. 4.

Conſanguinitas, quæ ut nomen ſatis indicat, ex ſanguine procedit, ſi fuerit ex legitimis nuptiis, dirimit matrimonium uſque ad 4. gradum incluſivè: adeò quod legitimè contrahi non poſſit inter cognatos etiam in 4. gradu abſque diſpenſatione.

Olim ſeptem erant gradus prohibiti, ſed illi reducti ſunt ad quatuor in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. Dixi, *ſi fuerit ex legitimis nuptiis,* quia conſanguinitas ex fornicaria copula non dirimit matrimonium niſi ad duos gradus.

Affinitas eſt propinquitas ex copula carnali, conſummata, etiam illicita & fornicaria. Et, ſi quidem affinitas orta eſt ex conjugio, dirimit matrimonium uſque ad 4. gradum incluſivè; ex fornicaria copula uſque ad 2. incluſivè tantùm. Hic.

Nota, quòd qui intra gradus prohibitos matrimonium contrahere præſumpſerit; graviter peccet, & ſit excommunicatus *C. non debet.* Conc. Trid. ſſ. 24. c. 5.

Alia ſunt impedimenta, quæ impedientia dicuntur, quia nimirum impediunt matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt contractum; & hodie tantùm duo præcipua referuntur contenta hoc verſu.

Impedimenta impedientia matrimonium.

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum.
His tamen adjungas, crimen. ſponſalia, Votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Priora quidem impedimenta; videlicet dirimentia matrimonii eſſentiæ adverſantur; poſteriora verò, id eſt, impedientia ſolemnitati tantum, aut ornamento accidentario.

I. Quid eſt ſecundo loco requiſitum ad matrimonii eſſentiam?

R. Præſentia Paſtoris, & duorum ut minimùm teſtium.

I. Eſtne perinde quis Parochus vel Sacerdos ad matrimonium aſſiſtat?

Trid. ſſ. 24. c. 1. de refor. matrim.

R. Non. Debet enim proprius Parochus alterius contrahentium adeſſe; vel certè alius Sacerdos de ejus aut ſuperiorum licentia; alioqui nullum erit matrimonium.

I. Qui ergo de Namurcenſi Diœceſi

ad

Digitized by Google

ad vicinam Leodienſem tranſeunt, ad ſolum effectum inibi contrahendi matrimonii, animo poſtmodum ad proprium domicilium revertendi, perperamne faciunt?

R. Ita; & cùm non ſit coram proprio alterius contrahentium Parocho celebratum ejuſmodi matrimonium, conſtare nullo modo poteſt ex mente Concilii Tridentini ſup proximè.

I Quid tertio loco ad valorem matrimonii exigis?

Concil. Trid. & in jure can. 27. q. 2. per multa capitula.

Conſenſus contrahentium de præſenti.

R. Ut conſenſus partium reciprocè præſtetur in matrimonium de præſenti. Hoc eſt, ut pars utraque contrahentium ſpontaneè & minimè coactè in præſentia Parochi & teſtium expreſsè & manifeſtè ſignificet, verbo vel ſigno ſe conſenſum dare in hoc matrimonium; ſponſus quidem dicendo, ſive per ſigna æqui pollentia indicando ſe accipere hic præſentem in veram conjugem ſecundùm conſuetudinem & modum agendi ſanctæ Matris Eccleſiæ, ſponſa verò reſpondendo, vel quovis alio evidenti & intelligibili ſigno declarando ſe reciprocè accipere de præſenti ſponſum ibi præſentem in verum conjugem.

I. Cur dicis: *vel per ſigna æquipollentia indicando, &c.*

R. Quia perinde eſt, ſive verbo, ſive ſigno manifeſtetur conſenſus in matrimonium de præſenti; contingit enim ſæpè puellas ob innatam verecundiam loqui, & mentem ſuam aperire in hac materia ſignis magis quàm verbis.

Sponſalia. Conſenſus liber c. cùm locum. c. veniens 2. de ſponſal.

I. Cur dicis quòd conſenſus partium debeat præſtari *in matrimonium de præſenti.*

R. Ut diſtinguam verum matrimonium à ſponſalibus, *quæ ſunt futurarum nuptiarum promiſſio.*

I Quare vis conſenſum illum præberi *ſpontaneè, & minimè coactè.*

R. Quia ſi ſecùs fiat, irritum eſt matrimonium, v. g. ſi conſenſus ſit injurioſè extortus per metum cadentem in conſtantem virum, Navar, in Man. c. 22. n. 50. & alii paſſim.

I Deteſtaturne Eccleſia eos qui quovis modo vim inferunt matrimonio?

R. Ita, quàm maximè, ut videre licet in his duobus Capitibus Concilii Tridentini, quæ ſubjicio.

CAPUT VI.

Concilium Tridentinum ſſ. 24. de reformatione Matrimonii.

Raptores mulierum.

DEcernit ſancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneaturque præterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.

CAPUT IX.

Ejuſdem Concilii ibidem.

ITa plerumque temporalium Dominorum ac Magiſtratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres ſub eorum juriſdictione degentes, maximè divites, vel ſpem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos

ipſi Domini vel Magiſtratus illis præſeri-pſerint,

Cogentes matrimonium minùs liberè inire ipſo facto excommunicati.

Quare cùm maximè nefarium ſit matrimonii libertatem violare, & ab iis injurias naſci à quibus jura expectantur: præcipit ſancta Synodus omnibus cujuſcumque gradus, dignitatis & conditionis exiſtant ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè, ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant,

I. Quomodo ſolarum partium contrahentium requiris conſenſum, nonne etiam parentum conſenſus ad valorem matrimonii neceſſariò deſideratur?

R. Quia res hæc eſt magni momenti, reſpondebo per tres concluſiones.

CONCLUSIO I.

Parentum conſenſus quatenus ad matrimonium requiſitus.

D*Ebent filii cum parentibus conſilium inire de ineundo conjugio, & ni fecerint; graviter peccant ceſſante juſta aliqua cauſa, quæ eos excuſet.* Eſt communis Doctorum ſententia. Ratio poteſt deſumi ex 4. Præcepto Decalogi, id eſt, ex honore quem filii parentibus debent.

Graviſſimè enim ferunt, nec immeritò parentes, ſi in re tanti momenti, ut eſt matrimonium, in conſilium & conſultationem non adhibeantur, arbitrantes ſe contemni, vel quâ par eſt, non honorari. *Vide 35. q. 2 c. honorantur.* Quod ex Ambroſio deſumptum eſt l. 1. de Abraham, c. ult.

Malene ceſſit filiisfamilias, qui conjugium contra parentum voluntatem iniêre?

Exemplum. Amphilec. Epiſcopus in

R. Peſſimè, uti ſubjecto docetur exemplo:

In vita S. Baſilii Magni habetur, quod Proteſii Senatoris filia, ab ejus ſervo per magiam decepta, & inſano amore correpta, inſtanter rogat Patrem, ut poſſit jungi matrimonio cum illo, qui ſi conſentire noluerit, pro ea redditurus eſſet rationem in die judicii. Aut comple, inquit, deſiderium meum, aut brevi me extinctam videbis. Pater qui filiam hanc Deo conſecrarat, immenſo mœrore abſorptus, amicorum conſiliis juſſit fieri quod petebat, ne ſibi ipſi exitium afferret. Cui Pater: Vade, inquit, miſera, multum lugebis aliquando, cùm facti pœnitebit, nec tamen mederi poteris. Inito igitur conjugio obſervatum eſt, ſervum non intrare Eccleſiam, nec eſſe Chriſtianum. Quod ubi intellexit puella humi ſe proſternit, ſuis ungulis diſcerpit, pectus tundit, vociferans: *Nemo parentibus inobediens ſalvus unquam fuit;* Quis Patri meo annuntiabit ignominiam meam? Heu me miſeram, in quantam me perditionis voraginem demerſi! Cur in lucem edita ſum, cur non continuò rapta ſum!

vita S. Baſil. apud Sur. to. 1.

I. Cur in concluſione tua adjicis poſtrema iſta verba: *ceſſante juſta aliqua cauſa, quæ eos excuſet?*

R. Quia in negotio matrimoniali non debet ſemper filiusfamilias pendere à voluntate parentum; poſſet enim contingere, quod parentes abſque rationabili cauſa, neſcio quâ præpoſtero ſive cupiditatis ſive alio affectu præoccupati, evidens filiorum ſive filiarum bonum & commodum impedirent, vel certè promovere negligerent; quo caſu poterunt filiifamilias alios è parentela propinquos accedere, & cum illis ineundi matrimonii rationes communicare.

CONCLUSIO II.

T*Ametſi decens non eſt, aut bonæ filiorum educationi & indoli conſentaneum, ut quantum fieri poteſt, matrimonium abſque conſenſu parentum ineant, nihilominùs matrimonium ſecùs in fa-*

Digitized by Google

Concil. Trid. 24. de refor. matrim. c. 1.

in facie Eccleſiæ celebratum eſt validum. Hæc concluſio ſecunda certa eſt ex mente omnium Theologorum Catholicorum, tam ob expreſſam Eccleſiæ definitionem, quæ ſic habet: *Eos ſancta Synodus anathemate damnat qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe;* quam ob rationem irrefragabilem quæ talis eſt: nihil aliud requiſitum eſt eſſentialiter ad matrimonium, quàm conſenſus partium contrahentium, habilium & non impeditarum, uti diximus, præſtitus coram Parocho & teſtibus, cum vera intentione contrahendi matrimonii; atqui hæc omnia adſunt, etiam ſepoſito parentum conſenſu: Ergò, &c.

CONCLUSIO III.

Filia quæ contraxit inſciis & inconſultis parentibus, non poteſt eo nomine exheredari. Ratio eſt, quia tolleretur libertas quæ adeſſe debet in contractu matrimonii. Hoſtienſ. Panormit. & alii in c. 1. de deſpenſatione impub. Jaſon in authent. Sed ſi poſt col. 2. Cod. de inoff teſtam. Alexand. conſ. 97. volum. 1. Vid. Covar. de matrim. a. p. c. 3. 6. 8. n. 5.

LECTIO II.

Duo principales fines matrimonii.

I. Quid ſibi vult quod in definitione matrimonii dixiſti, *ad ſobolem ſuſcipiendam, eamque Chriſtianè educandam, & individuam vitæ ſocietatem retinendam.*

R. Iſti ſunt duo fines principales matrimonii.

I. Ad quid obligantur conjugati ex priori fine?

R. Ad ſibi mutuò reddendum conjugale debitum.

I. Eſtne ad hoc aliqua obligatio particularis?

R. Omninò, & quidem ſtrictæ juſtitiæ: *Uxori vir debitum reddat, & uxor viro.* *1. Cor. 7.*

I. Eſtne igitur peccatum, ſi alteruter conjugum alterum debito fraudet?

R. Ita; & ſi quidem ſeriò exigatur, nullaque adſit legitima excuſatio, eſt peccatum mortale.

Separatio à thoro.

I. Si copioſa fuerit proles, nonne poſſunt à communi thoro conjuges ſe ſeparare?

R. Poſſunt mutuo conſenſu: alioquin ſi parte invita unus ſe à thoro abſentaverit, mortaliter peccat, eſtque cauſa multorum peccatorum, quæ ex conjugis intemperantia contingere poſſent. Et hæc quidem obligatio reciproca eſt, manatque ab ipſo matrimonii contractu.

I. Voluptas carnalis quæ maritalem complexum comitatur, eſtne licita, & ab omni culpa immunis?

R. Ita, quando ob fines honeſtos ipſi conjuges conveniunt.

I. Qui ſunt fines honeſti, ob quos licitum eſt matrimonio uti?

Fines honeſti conjugalis actus.

R. *Primus* eſt ad procreationem prolis; *Secundus* ad debitum conjugi reddendum; *Tertius* ad remedium incontinentiæ, ſive in ſe, ſive in conjuge.

I. Qui ſolius voluptatis gratiâ matrimonio utitur, peccatne?

R. Ita, peccat venialiter, quandoquidem committat actionem otioſam, ad nullum finem honeſtum relatam. Vide S. Auguſtin. de bono conjug. c. 6 & l. 1. de nupt. & concupiſc. 4. & in Enchir. c. 7. S. Tho. Richard. & alios.

I. Eſtne actus conjugalis quocumque modo exercitus, licitus?

R. Minimè. Contingit enim talibus modis interdum concumbere conjuges, ut generatio ſequi non poſſit, vel pollutio ſequatur, &c. Vide quid de ſimilibus ſcribat S. Paulus Rom. 1. & quæ nos ipſi lect. 4. ſeq. dicemus.

I. Habetne

Exemplum.

I. Habeſne exemplum in hac materia.

R. Vide ſup.c.5 lect.9.in fine.

Oſcula & amplexus inter conjuges quatenus liciti.

I. Suntne oſcula, contactus & amplexus inter conjuges liciti, & à peccato immunes?

R. Si iſta fiant tanquam præambula ad copulam maritalem, tantùm ſunt licita, quantùm actus ipſe principalis; ſi autem fiant tempore & loco ad actum conjugalem minimè convenientibus, cavendum erit à periculo pollutionis.

I. Eſtne licitum vacare omni tempore rei uxoriæ?

An liceat omni tempore conjugalis copula.

R. S.Paulus hortatur Fideles, ut tantiſper abſtineant orationis gratiâ; & ita 1.Cor.7. fuiſſe primæ Eccleſiæ moribus receptum tradunt Tertul.ad uxorem. Cypr. de ſingul. Cler. Cyril. Catech.4. Aug.l.2. de bono conjug. c.10. Greg. Tur.l. de glor. confeſſ.c.32.

S. Auguſtinus ſuadet, ut Fideles matrimonio abſtineant, per Quadrageſimam & Paſchatis octavas.

L.1.Dial. c.10.V.d. eund. l.4. c.32. Mirum eſt quod S.Greg. narrat, mulierem quandam à malo dæmonio publicè poſſeſſam, quòd eo die Eccleſiam ingreſſa ſit, quò cum marito ſuo convenerat.

Durandus, gravis Auctor audet dicere, quod omne tempus nuptiarum interdictum (quale eſt Adventus & Quadrageſima) ſit quoque nuptiali commercio interdictum; niſi fortè tanta eſſet conjugum infirmitas, ut fornicationis, aut alterius inconvenientiæ periculum eſſet.

Exemplum.

Sancta Hedvvigis toto tempore puerperii, Adventus & Quadrageſimæ, Quatuor temporum & Vigiliarum matrimonio abſtinebat. Sur. tom.5. Octobr. 15.

Hæc idcircò à me dicta ſunt, *non ut conjugibus laqueum injiciam; ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi*; utque SS. Patrum conſilium & veteris Eccleſiæ praxim aperiam, quæ matrimonio ſobriè utebatur ab Apoſtolo edocta: *Hoc itaque dico Fratres: tempus breve eſt: reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint.* 1.Cor.7.

I. Quid erat quod dicebas: & Chriſtianè educandam?

R. De prole educanda inf.Lect.4.

I. Quis eſt igitur finis poſterior principalis matrimonii?

R. Illum indicavi in verbis illis: *& individuam vitæ ſocietatem retinendam.*

Conjuges individuè ſibi adhærere debent.

I. Debentne igitur, qui matrimonio juncti ſunt, ſoc etate individuâ ſibi adhærere, & convivere?

R. Ita 1. quia Deus taliter illos conjunxit, ut nemini poteſtatem fecerit eos ſeparandi.

2. Quia matrimonium eſt ſignum unionis Chriſti & Eccleſiæ, quæ non diſſolvetur in æternum.

I. In caſu igitur quo Eccleſia ob adulterium, aut alias cauſas à jure permiſſas concedit divortium & ſeparationem, eſtne illicitum ſeparatis nova conjugia inire?

R. Planè, dicimus enim Deum ipſum, qui matrimonium inſtituit, ejus diſſolvendi nullam feciſſe poteſtatem. Et in Evangelio clarè dicit. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* Matt.19. *Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Marc.10. Et alibi per Apoſtolum ſuum: *Iis qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Luc.16. 1.Cor.7.

I. Qui fieri poteſt, ut non accidant ſæpè conjugatis rixæ & contentiones in tanta morum, quibus à ſe invicem plerumque diſſident, antipathia?

R. Ipſum Sacramentum præſtat conjugibus

jug bus robur & vires, quibus finem hunc, de quo agimus, *individuæ ſocietatis*, & unanimis concordiæ aſſequantur. Alioqui matrimonium quid foret, niſi chaos quoddam informe, & indigeſta diſſenſionum & diſcrepantiæ confuſio?

Fructus gratiæ ſacramentalis.

Ex Sacramento provenit conjugalis amor, mutua fides, quâ viciſſim conjuges in ſuæ compartis benevolentiâ conquieſcunt, inque filiorum educationem, & alia matrimonii onera conſpirant.

I. Sed cur in pleriſque matrimoniis non apparent hujuſmodi ſalutares gratiæ ſalutaris effectus, ſed potiùs multæ, eæque plurimùm deplorandæ miſeriæ?

Plerique conjuges eos non conſequuntur quare.

R. Hoc inde fit, quòd plerique matrimonium non ineant cum ea, quâ par eſt, intentione; nam ejuſmodi ſtatum plerique ſuſcipiunt, ut commodiùs & voluptuoſiùs vivant, qui ſanè finis valde impurus eſt, & omninò præpoſterus. Secundò, non ſe diſponunt ad matrimonii Sacramentum ſicut oportet occupari tantùm circa externa, puta, circa convivium, amicorum convocationes, pompam veſtium, de ſpirituali animæ diſpoſitione nihil, aut parum ſolliciti. Tertiò, non deſunt qui ante matrimonium ſecretò libidini vacent, & dum ſibi Deum pro felici connubio conciliare deberent, eum ſuis peccatis exacerbant. Quartò denique, tametſi diſpoſuerint ſe prævіè quàm matrimonium contraherent, non tamen bona propoſita concepta ſervaverunt, ſed finiverunt ſe abripi paſſionibus brutalibus per carnis illecebras, non ſecus ac *Equus & mulus, quibus non eſt intellectus.*

Pſal. 31.

* * *

LECTIO III.

De diſpoſitionibus ad Matrimonium.

I. QUæ ſunt aptæ & ſalutares diſpoſitiones ad Sacramentum Matrimonii?

R. Aliæ ſunt diſpoſitiones remotæ, aliæ propinquæ.

I. Quæ ſunt remotæ diſpoſitiones ad Matrimonium?

R. Per diſpoſitiones remotas intelligo juvenum procantium converſationes.

I. Quomodò ſe gerere debent, qui puellas Matrimonii cauſa procantur.

Adoleſcentes proci qualiter in converſationibus ſuis cum amaſiis ſeſe habere debeant.

Caveant illi à nocturnis conventiculis, fugiantque tenebras, uti ſecretarum libidinum illecebras; honeſtate delectentur, & cum ſuis amaſiis luce clarâ, & in hominum conſpectu loquantur. In omnibus ſic ſe habeant, ut qui Deum inſpectorem contueantur, à quo felicem & fortunatam Matrimonii ſortem pendere non dubitant, *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Commendent ei frequenter hoc negotium, & parentibus ſuis obediant. Non ſint leves in promittendo matrimonio, nihilque præcipitent: promiſſis enim ſuis ligatur homo; & peccatum lethale admittit, ſi data uni fide de futuro Matrimonio, aliam ducit. Beatiſſimo Joſepho Virginis Deiparæ Sponſo addicti ſint, ab ejus meritis bonam uxorem exſpectaturi.

Prov. 19.

Puellæ verò ſe ad Matrimonium diſponentes, diſcant manere domi, & matri adhærere; parciores ſint in loquendo, & attendant, quid dicant; pudorem & modeſtiam præ ſe ferant; Deo Opt. Max. ſeſe vitæque ſuæ rationes committant, Sacramenta Confeſſionis & Communionis, ad effectum felicis connubii frequentent. Sanctiſſimæ Dei

Qualiter ipſa puella cū illis.

Digitized by Google

Matri particulare aliquod obſequium in eam rem deferant; affectus & propenſiones ſuas cautè celent; oculos ſuos moderentur, ne per illos, quod fieri ſolet, præmaturè amorem prodant. Caveant diligenter a geſticulationibus pedum vel manuum; ſunt enim levioris animi certa indicia. Non permittuntur eis deambulationes cum amaſiis quocumque prætextu feſtorum vel peregrinationum, niſi comitante Matre. Conventicula nocturna cum amaſiis in locis & domibus, ubi noxia libertas præſidet, tanquam certam caſtitatis labem fugiant. Tandem cùm de Matrimonio tractabitur, nihil puella inconſultis parentibus moliatur, neque ſpondeat, ſed eorum fidei & providentiæ rem totam committat, dicens (cum benè morata illâ) *Sponſalium meorum curam Pater habebit*

Apud Comicos.

I. Quæ ſunt diſpoſitiones propinquæ ad Matrimonium?

R. Sunt ſponſalia, & quæ deinceps ſubſequuntur uſque ad nuptias.

I. Quid ſunt ſponſalia?

Vt de ſponſ. c. 2.

R. Diximus ſup. eſſe futurarum nuptiarum promiſſionem mutuam inter virum & fœminam.

I. Quem uſum habent ſponſalia?

Sponſalia quem uſum habeant.

R. Ut ſint diſpoſitiones præambulæ ad nuptias ab Eccleſia eo conſilio indictæ, ut tanto maturiùs de ſtatu, quem nupturientes ineunt, deliberent; deque moribus, indole, & aliis ſponſi ſive ſponſæ qualitatibus inquirant; inſuper, ut impedimenta, quæ fortè ſubeſſe poſſent, detegantur, & alia pietatis & religionis officia ad dignam hujus Sacramenti ſuſceptionem ab Eccleſia commendata præmittantur.

Concil. Trid. ſſ. 24 c. 1. de refor. matr.

I. Eſtne decens & honeſtum, ut ſponſalia ſolemniter coram parentibus & propinquis celebrentur; denunciationeſque proclamentur?

R. Planè, ita fieri decet; neque enim iſta otioſè Eccleſia ſancivit, & Majorum noſtrorum ætas ſuis uſibus comprobavit.

I. Obligantne ſponſalia in conſcientia?

R. Ita, & quidem ſub mortali, tametſi clandeſtinè nullo teſte præſente contracta forent; ſi verò etiam juramento confirmata fuerint, tanto majori ſe crimine obſtringet qui ea non ſervaverit. Vide Exemplum ſup. p. 3. c. 3. Lect. ult.

I. Si quis ſponſalia contraxiſſet cum Flavia, & poſteà ducat Tarſillam ejus ſororem, valebitne Matrimonium?

R. Minimè. Subeſt enim impedimentum dirimens, quod vocatur *Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.*

Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis

I. Quid ſi Flavia defuncta fuerit, vel etiam adhuc vivens ceſſerit omni jure quod ipſa acquiſierat per ſponſalia?

R. Nihil refert, manet impedimentum ex veris, uti ſupponimus, ſponſalibus ortum, in quo ſolus Papa diſpenſat. Non excedit tamen hoc impedimentum primum gradum: adeò quod in caſu poſito poterit ſponſus ducere cognatam germanam Flaviæ. Vide Concil. Trid. ſſ. 24. c. 3. de reform. Matrim.

I. Nullone caſu ſolvuntur ſponſalia?

R. Imò, pluribus caſibus: 1. ſi alter ſponſorum ingrediatur Religionem: 2. ſolvuntur mutuo conſenſu, etiamſi utrinque jurata ſint. c. 2. de ſponſal. 3. ſi alteruter Matrimonium de præſenti contrahat cum alio; nam Matrimonium ſuperveniens dirimit ſponſalia: 4. ſi quis ſponſorum poſt contracta ſponſalia emittat votum caſtitatis, ſive in Religione, ſive in celibatu obſervandum. Soto d. 27 q. 2. ar. 5. quia ſtatus vitæ perfectioris ſemper cenſetur exceptus. 5. ſolvuntur ſponſalia ex affinitate ſuperveniente, ut ſi ſponſus cognoſceret ſororem ſponſæ, tunc enim ſponſa ſo-

Sponſalia multis modis ſolvuntur.

ror

vel illi affinis in primo gradu; 6. ex ſupervenente fornicatione vel quovis alio crimine, ex quo infamiæ nota contraheretur: 7 diſſolventur ob alterius in longinquam Regionem diſceſſum, altero non monito, c de illis, tit. de ſponſal. Covar. t.p.c.5.num. 7. Sotus loco proximè cit 8. denique in omni caſu & eventu ſupervenieute, qui meritò alterum contrahentium reddat invitum. Nav. in Man c.22. n.27. quia omne tale incommodum cenſetur ſponſalium contractu tacita contrahentium mente exceptum. Multa exprimuntur in jure, ut lepra, cancer, vel ſimilis morbus incurabilis, inimicitiæ inter familias, paupertas, crudelitas, pravi mores, &c. Poſſunt autem ſponſalia dirimi non ſolùm cùm hæc ſuperveniunt, ſed etiam cum antecedunt, & in contractu fuerunt ignorata. Sotus ibidem.

I. Nihilne reſtat amplius præter jam dictas diſpoſitiones?

R. Conſultiſſimum eſt, ut ipſo nuptiarum die ſponſi Miſſæ interſint, ibique benedictionem à Sacerdote accipiant.

Qualiter conjuges ſanctè matrimonio utantur. I. Quibus exemplis monitos velles ſponſos, ut deinceps Matrimonio ſanctè utantur?

R. Proponerem ſponſo quod in libro Tobiæ habetur c 8. de juniore Tobia Saræ filiæ Raguelis deſponſato; Dicit enim: *Domine tu ſcis quia non luxuria cauſa accipio ſororem meam* (cognatam) *conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.*

Exempla. Tob. 8.

Tob 3. Et ſponſæ, quod in eodem libro c. 3. habetur: *Tu ſcis Domine* (ajebat Sara) *quia nunquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia, &c. virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea, conſenſi accipere.*

Sanè iſtud ſanctum par conjugum ſicut in verbo, ita & in facto, conjugibus magno temperantiæ exemplo præluxit. Nam tribus diebus & noctibus antequam convenirent, orationi inſtiterunt; quæ fuit ſanctorum Patriarcharum praxis, teſte S. Auguſtino contra Fauſtum l.22 c.50. His conſonat Evariſti Papæ Decretum: *Biduo vel triduo orationibus vacent* (ſponſi) *& caſtitatem cuſtodiant, ut bona ſoboles generentur, & Domino in actibus ſuis placeant.* *Ep. 2.*

I. Quis è conjugibus tale Decretum obſervavit?

R. S. Ludovicus Franciæ Rex, qui conjugio cum Domina Margaretha Berengarii Comitis Provinciæ filiâ inito tribus diebus & noctibus orationi, aliiſque ſpiritualibus exercitiis vacavit, matrimonio abſtinens.

I. Expeditne ſplendida & frequentia convivia pro nuptiis inſtrui? *Convivia nuptialia.*

R. Minimè. Nam primo fiunt in illis magni & inutiles ſumptus. Secundò creare ſolent multas ſollicitudines & diſtractiones. Tertiò iſta opipara & exquiſita convivia ſæpè ſunt cauſa magnorum & enormium peccatorum, quæ convivæ in crapulâ & ebrietate, aliiſque levitatibus & inſolentiis committunt, proferendo verba laſciva, &c. Quas ob cauſas interdum Deus conjugatos punit variis calamitatibus, quæ ipſis in matrimonio accidunt. Vide S. Joannem Chryſ. hom 37. in Gen. & Hom. 12. in Epiſt. ad Coloſſ.

LECTIO IV.

De Bonis Matrimonii.

I. QUæ ſunt bona Matrimonii?

R. Hæc tria: *Proles, Fides, Sacramentum.*

I. Quid intelligis per bonum prolis? *Bonum prolis.*

R. Intelligo generationem & educationem filiorum.

I. Eſtne magnum iſtud bonum?

R. Tanti fecit illud Apoſtolus, ut dixerit mulierem ſalvandam per *generationem filiorum*. Ubi ſub generatione educationem complectitur Apoſtolus, educatio enim eſt quaſi completa generatio & formatio filiorum. Ita Chryſ. in Comment. *1. Tim. 2.*

I. Salvabunturne illi qui in Matrimonio nihil minus intendunt, quàm filiorum generationem; imò illam interdum impediunt?

R. Minimè; verſantur enim in ſtatu damnationis qui generationem impediunt, turpiter abutentes matrimonio. Vide qualiter ſubitâ morte punitus fit Onan filius Judæ Patriarchæ, *qui introiens ad uxorem fratris ſui* (defuncti abſque liberis) *ſciens non ſibi naſci filios, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Et idcircò percuſſit eum Dominus, quòd rem deteſtabilem faceret.* *Gen. 38.* *Exemplū.*

I. Verentur aliquando conjuges ne prolium multitudine graventur.

R. Non poſſunt viri boni & Deum timentes nimiâ prole gravari, ſi rectè earum inſtitutioni operam dederint. Secundò, communi conſenſu matrimonio abſtineant, vacentque interim jejunio, orationi, & aliis bonis operibus.

Parentum obligatio ad rectè educandam prolem.

I. Suntne plenè officio ſuo perfuncti parentes illi, qui ſpirituali filiorum ſuorum re poſthabita in id unum intendunt, ut de temporalibus ſubſidiis bellè eis provideant?

R. Minimè; Nam uti jam aliquoties diximus, ad parentes Chriſtianos pertinet, Chriſtianis moribus liberos imbuere. Imò, ut id latiùs extendamus, pertinet ad parentes ſimpliciter filios rectà docere. *Filii tibi ſunt: erudi illos, & curva illos à pueritia eorum. Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum.* *Eccli. 7.*

I. Ceſſitne bene parentibus, qui pueros ab ineunte ætate curvare, & erudire neglexerunt?

R. Nullo modo. Vide 1. Reg. 3. & 4.

I. Quibus ſimiles ſunt parentes, qui de ditandis liberis plus æquo ſolliciti ſunt, de eruditione autem & ſalute eorum nihil curant?

R. Iis, qui magnam calceamenti curam habent, de pede nihil ſolliciti Plutarch. *de liber. educatione.* *Simile.*

I. Quid eſt Fides, alterum Matrimonii bonum?

Bonum Fidei.

R. Eſt mutua fidelitas, quâ conjugii fœdus inviolatum conſervatur, ſibique invicem debitum reddunt; ita ut neuter unquam ulli extraneo corporis ſui copiam faciat. Hoc ſignificatur per annulum, quem ſponſus ſponſæ tradit, qui eſt quaſi pignus contractus, quem iſtis verbis faciunt. *N. accipio te in meam. N. accipio te in meum.* Quo contractu tranſmittunt reciprocè alteri jus & poteſtatem ſui corporis, quæ cauſa eſt cur Apoſtolus debitum illud appellet: *Vxori*, inquit, *vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir, ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare invicem, &c.* *Annulus ſponſæ quid ſignificet.* *1. Cor. 7.*

I. Conceditne matrimonium conjugibus licentiam, quoquo modo utendi corpore comparis?

R. Minimè, Deus enim & natura præſcripſerunt homini leges ſecundùm quas matrimonio uti debeant, ut ad generationem pertingat. Qui ergo in matrimonio poſtpoſitis iſtis legibus per pollutiones, & alias erubeſcendas immunditias appetitus ſuos libidinoſos exſatiat, hic matrimonium profanat, mortaliter peccat, & adulteris deterior eſt. Quod diligenter advertere debent Confeſſarii, ut præmonentes data occaſione moneant, non ſibi cuncta pro libidine licere in matrimonio. Vide Hiſtoriam *Non omnia conjugibus licent in matrimonio.*

etiam Tobiæ c. 6. & 7. ubi dæmon Aſmodæus interfecit ſeptem maritos Saræ: eo quod eam accepiſſent in uxorem, non ut generationem conſequerentur, ſed ut libidinem explerent.

I. Habeſne exemplum huc pertinens?

Exemplū. R. Ita. Quid viro conjugali propter inhoneſtos cum uxore contactus in Civitate Cameracenſi ſub Venerabili Rogerio ejuſdem Urbis Epiſcopo acciderit, accipe. Virum quemdam fuiſſe percepimus, qui tali vitio ſubjacebat, ut non ei ſufficeret delectatio coitus cum uxore, quin etiam eam contrectationibus illicitis moleſtare. Ergo nocte quâdam uxore reclamante, Deique vindictam imprecante, maritus perpetrato violentè ſcelere ad ventris officium ſurrexit; mox autem ſoluto ventre per ſecreta naturæ in cloacam ejus viſcera deſcenderunt. Nec mora, clamans reportatur ad lectum & publica voce confeſſus, cum diriſſimo manuum eruciatu, quas, quaſi ignibus comburerentur, abſcindi petiit; circa horam diei tertiam expiravit. Vide quàm digna tali operi vindicta illata ſit. Si ergo viti flagitium cum uxore tanta animadverſione punitum eſt, quid illi ſuſtinebunt qui vel cœlibes, vel caſtitatem profeſſi hujuſmodi attentant? Hactenus auctor.

Tho. Cantip. l. 2. apum c. 30.

Tactuum impudicorum horrenda punitio.

I. Eſtne magnum crimen, ſi conjux cōjugi fidem frangat per adulterium?

Adulterium magnum crimen. R. Ita, quemadmodum intelligi poteſt ex Scriptura Job. 31 Deut. 22. & 27. Eccli. 23 Prov. 6. Jerem. 6. 1. Cor 6. Secundò, ex eo quod adulterium turpiſſimâ maculâ inficit Sacramentum Matrimonii, quæ eſt ſpecies ſacrilegii, myſterii Incarnationis quodammodo deſtructiva, ut oſtendit Durandus in Ration. l. 1. c. 9. poſtulat enim matrimonii fides; ut vir & uxor ſingulari quodam, ſanctoque amore conjuncti ſint, ut Chriſtus conjunctus fuit Eccleſiæ!, hanc enim regulam Apoſtolus præſcripſit, cum ait: *Viri diligite uxores veſtras ſicut Chriſtus Eccleſiam.*

Epheſ. 5.

Tertiò, in adulterio pervertitur ordo & inſtitutio naturæ: quod etiam animalia ipſa ex naturæ inſtinctu declarant, teſte Æliano de varia hiſtor. l. 3, c. 42. & Plin. l. 9. c. 16. & l. 8. c. 5.

Quartò, hujus facinoris gravitas etiam colligi poteſt ex legibus divinis & humanis contra adulteros. Levit 20. Deut 22. Num, 5. Conc. Elibert. can. 47. 69. 70. Conc. Ancyr. c. 20, Cod. ad L. Julian. de adult. L. Illud.

Quintò, ex modis agendi populorum & nationum, quæ ſemper adulteria vehementer deteſtatæ ſunt, & gravibus pœnis mulctarunt. Vid. Diod, Sicul. l. 2. c. 2. Alex, l. 4 c. 1.

Sextò, ex infortuniis, calamitatibus, cladibus, quæ occaſione adulterii acciđūt; ut nihil dicam de perjuriis, proditionibus, homicidiis & cædibus, quibus omnis hiſtoria referta eſt. Vide quæ tradidimus ſup. p. 3. c 7. lect. 1.

I. Quod eſt tertium Matrimonii Bonum?

R. Tertium Bonum, *Sacramenti*, appellatur, vinculum ſcilicet matrimonii, quod nunquam diſſolvi poteſt, nam ut eſt apud Apoſtolum: *Dominus præcepit uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari; & vir uxorem non dimittat.* Hoc bono adjuvantur conjuges, ut in mutua concordia & amore perſeverent, ut jam ſup. lect. 3. dictum eſt, non obſtantibus Matrimonii oneribus, quæ non ſine magno gravamine interdum ſupportari utrimque oportet. *Bonum Sacramenti.* 1. Cor. 7.

I. Quâ ratione hæc ſancta ſocietas ſine querela facile conſervabitur?

R. Si viri & uxoris officia quæ à S Paulo paſſim, & ab Apoſtolorum Principe Petro commendata ſunt, à conjugibus executioni demandentur?

I. Quæ ſunt præcipua mariti officia? *Mariti officia præcipua.*

R. Viri munus eſt, uxorem liberaliter & honorificè tractare; qua in re meminiſſe oportet Evam ab Adamo ſociam appellatam

Digitized by Google

laiam eſſe. Cujus rei causâ aliqui Patres factum eſſe docuerunt, ut ea non ex pedibus, ſed ex latere viri formaretur: quemadmodum etiam ex capite condita non eſt, ut ſe viri Dominam non eſſe intelligeret, ſed illius potiùs ſubjectum. Decet prætereà virum in aliquo honeſto opere ſemper occupatum eſſe; tum ut ea ſuppeditet quæ ad familiæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt; tum ne inerti otio langueſcat; deinde verò viri partes ſunt familiam rectè conſtituere, omnium mores corrigere, ſingulos in officio continere.

I. Uxoris officium quid requirit?

Vxoris officia.

R. Uxoris partes ſunt, quas Petrus enumerat: *Mulieres ſubdita ſint viris ſuis, ut ſi qui non credunt verbo; per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant; conſiderantes in timore ſanctam converſationem veſtram; quarum non ſit extrinſecus capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando & ſancta mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubjecta propriis viris. Sicut Sara obediebat Abraha, Dominum eum vocans.*

1. Pet. 3.

Earum quoque præcipuum ſtudium ſit, filios in religionis cultu educare, res domeſticas diligenter curare. Domi verò ſe libenter contineant. Maritis ſuis in omnibus rebus, quæ Chriſtianæ pietati non adverſantur, morem gerant, & cum animi alacritate obtemperent.

I. Habeſne exemplum alicujus mulieris ſanctæ, quæ hæc munera benè præſtitit.

Exemplũ.

S. Aug. l. 9. Conf. c. 9.

R. Ita. Mulieres quædam viris Chriſtianam Religionem profitentibus nuptæ apud S. Monicam Divi Auguſtini Matrem de virorum injuriis, aſſiduiſque contentionibus, quibus conflictarentur, conquerebantur, ſe inquiunt mirari, quâ illa uteretur vivendi ratione, quibuſve eſſet moribus, quod pacificè cum viro, qui & Chriſtianæ religionis expers, & animi præferocis cohabitaret, quibus reſpondens Monica: meæ, inquit, ſorores, vos ipſæ fortaſſis ad rixas maritos veſtros moroſitate veſtrâ impellitis, contentionibuſq; quaſi frigidam ſuffunditis; eo ſum ego ingenio, marito meo vehementiſſimè ſæviente, ego interim taceo, multa diſſimulo, animumque precibus ad Deum fundendis occupo, hiſce moribus iracundiam & furorem mariti mei frango; & ut ſtabili fruamur concordiâ, efficio; quin animum ejus inflexi, ut unà mecum Chriſtum colere cœperit; tales etiam & vos erga maritos veſtros gerite, ſic omnes rixas & contentiones cavebitis, maritiſque utemini & humanis & obſequentibus.

S. Monica prudens conſiliũ.

I. Quomodo loquitur Scriptura de conjugibus qui magnâ concordiâ & amore ſibi invicem conciliati familiam conſentientibus animis, tranquillâ & mutuâ voluntate regunt?

R. Ita de illis Sapientia: *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, qua ſunt probata coram Deo & hominibus; concordia fratrũ, & amor proximorum, & vir & mulier benè ſibi conſentientes.*

Eccl. 25.

I. Si tanta ſunt Matrimonii bona, uti hactenus enarraſti, complacetque ſibi Deus tantopere in conjugibus ſibi benè conſentientibus, quid melius eſt inire matrimonium, an conſervare virginitatem?

R. Quæſtionem hanc definivit Apoſtolus ad Corinthios ſcribens: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit; & qui non junget, melius facit.* Ratio eſt, quia matrimonium eſt res humana, virginitas eſt angelica: Matrimonium eſt ſecundùm naturam, virginitas eſt ſupra naturam. *Ambr. l. 1. de virgin.* Imò non ſolùm virginitatem, ſed etiam viduitatem matrimonium excellere perſpicuum eſt ex Apoſtolo, loco proximè citato; ubi dicit: *Mulier alligata eſt legi quãto tempore vir ejus vivit; quòd ſi dormierit vir ejus, liberata*

1. Cor. 15.

Virginitas matrimonio excellentior.

Imò & ipſa viduitas.

rata eſt : cui vult, nubat : tantùm in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium: & ex parabola fructus trigeſimi, quem ſancti Patres matrimonio attribuunt; ſexageſimi, viduitati; centeſimi, virginitati *S Cypr. de habit. Virgin Hieron l 1. contr. Iovin Auguſt ſerm. de Virgin.* 24 *Vid. quæ nos in commendationem virginitatis tradidimus p 3. c 7 lect. 12.*

Tres ſtatus in Eccleſia meritis differentes.

Præclarè S. Althelmus occidentalium Saxonum Epiſcopus, ſub an. Domini 680. tom. 3 Bibliothecæ Sanctorum Patrum in libello de laudibus virginit c. 9. *Cùm* inquit, *ſint ſtatus in Eccleſia, virginitas, cœlibatus & connubium, ex revelatione angelica didicimus, ſi meritorum ratio habenda eſt, eum has inter virtutes eſſe conſtituendum ordinem, ut ſit virginitas aurum, cœlibatus argentum, conjugium æramentum : virginitas divitiæ, cœlibatus mediocritas, conjugium paupertas, virginitas pax, cœlibatus redemptio, conjugium captivitas : virginitas ſol, cœlibatus lucerna, conjugium tenebræ : virginitas Regina, cœlibatus Dominus, jugalitas ancilla.* Hæc ille.

Denique S. Martinus videns pratum, cujus unam partem boves depaverant; ſecundam porci ſuffoderant; tertiam illæſam, quæ diverſis floribus quaſi picta vernabat, dixit: *Prima pars ſpeciem gerit conjugii, quæ à pecore depoſta, etſi non penitùs gratiam amiſit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem: ſecunda quam porci pecora immunda, foderunt, fornicationis fœdam imaginem prætendit: tertia, quæ nullam ſenſit injuriam, gloriā virginitatis oſtēdit: unde herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat. & ultra omnem ſpeciem diſtincta floribus, quaſi gemmis micantibus ornata radiat.* Ita Sulpit. Dial. 2. c. 11.

F I N I S.

Ad majorem Dei, ejuſque Sanctiſſimæ Matris gloriam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google